

QUARTUS LIBER SENTEN-TIARUM.

TRACTATUS THEOLOGICI
IN
QUARTUM SENTENTIARUM LIBRUM
DE
SACRAMENTIS
in Genere & Specie.
DE
CENSURIS ET POENIS
ECCLESIASTICIS,
AC DE
FINE, ſeu BEATITUDINE HOMINIS.

Ad mentem
JOANNIS DUNSII, ſeu natione, ſeu cognomento SCOTI,
Ord. Minor. Scholæ Scotiſticæ Fundatoris, DOCTORIS SUBTILISSIMI,
Omnium Scholaſticorum Acutiſſimi.

AUTHORE
F. AMANDO HERMANN,
Ordinis Minorum Reformat. Theologiæ Lectore Jubilato,
& p. t. Provinciæ Bohemiæ Miniſtro Provinciali.

Opus claro ſtylo elaboratum, Methodo ſuccinctâ combinatum, Materiis refertum, Authoritatibus Patrum firmatum, & duplici Indice proviſum.

11

COLONIÆ,
Cum PERMISSU SUPERIORUM.
Proſtat FRANCOFURTI apud BALTHASAREM JOACHIMUM ENDTERUM, Bibl. Norib.
Anno CHRISTI M DC XC.

... ACTA ...

QUARTUS ...

SACRA ...

in Genere & Specie

CANTIBUS ...

ECCLESIASTICIS

... NE, ... BENEDICTIONIBUS ...

Jo... D... seu maxime, ...

O. Minorum ...

Omnium Scholasticorum ...

Autore

F. AMANDO HER...

Ordinis Minorum ...

S. p. e. P ...

[illegible]

[illegible]



Celsissimo, Reverendissimo Principi, ac Domino Domino

CAROLO SECUNDO,

DEI Gratia Episcopo Olomucensi, Sac. Rom. Imp. Principi, Duci, Regiæ Capellæ Bohemiæ & de Lichtenstein Comiti, &c. Fundatori nostro munificentissimo,

PRINCIPI, ac DOMINO, D. CLEMENTISSIMO, GRATIOSISSIMO.

CELSISSIME PRINCEPS.

EMINENTIA Virtutum Tuarum, Celsissime Princeps, Ecellentia meritorum, dignitatis Sublimitas, & claritas Natalium, quàm reverenter me terrent, nè tuum subeam conspectum ob promicantem indè splendorem, tàm suaviter me invitant, fortiterque pertrahunt, ut ab illustrissima famæ tuæ gloria, & à fulgore tui Nominis splendidissimo hisce meis lucubrationibus de Septem Sacramentis obscuris, utpote velamine fidei & exigui-

† a tatis

tatis meæ tectis, lucem mutuem & lumen; nam quàm celsus es Princeps, tàm amabilis Pontifex, quàm Magnanimus Dux, tàm blandus Antistes, quàm inter Illustrissimos Illustris Comes, tàm gratiosus es Præsul, ut in solio animæ tuæ cordisque throno, Magnanimitas & Suavitas, Authoritas & Comitas benè
Psalm. 84. commorentur, *Misericordia & Veritas obviaverint sibi, Justitia & Pax osculatæ sint*; Constantia & Industria, Zelus & Pietas, Vigilantia & Sapientia sibi sedem fixerint, ut jure meritò quoddam virtutum heroicarum Celsitudinem tuam vocârim compendium. In septem ego geniis universitatem exprimo, quasi septem concludens Sigillis, & imprimis dum con-
Jerem. 1. templor circumspectissimam vigilantiam pastoralem, *Virgam*
Ezech. 1. *vigilantem ego video*, Argum quendam, cujus *totum corpus plenum oculis*, & exactam boni Regiminis Idæam! Inquisivit
Job. 28. pius Husseæ terræ Dominus, *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Intuere quisquis legis, oculis non livi-
Eccl. 8. dis, imaginem CAROLI SECUNDI, & dices: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus; Apud ipsum est fortitudo & Sapientia.* Non errabis proindè, si illum Scientiarum sidus, scrinium jurium, & Arcam testamenti appellaveris. Jactitet proindè suos Præsules in Regiminis Sapientia excellentes Hispania, Gallia suos purpuratos consiliorum Directores super æthera tollat, nulli cedit Germania, TU CAROLE Ecclesiæ Marcomannæ Antistes SECUNDE, nemini esses & fores Virtute & Sapientiâ secundus; nam inter præclarissimos Proceres eruditissimus es Dynasta, & inter Magnates providos sapientissimus Antistes! Sapientiæ tuæ juncta est magnanimis Constantia, quâ Ecclesiæ tuæ ab Antecessoribus parta, ac propemodum antiquata decora tibi, & Successoribus infracto animo, indefesso labore asseris & tueris, ut Leo-
Prov. 30. nis elogium videatur Tibi cordi insculptum: *Ad nullius pavebit occursum.* His omnibus supereminet Pietas in DEUM, sollicitum promovendi Divini Cultûs studium, & à Te dilectus Ecclesiarum decor, video cor tuum ardens, *Novi opera*

tua,

tua, & fidem, & charitatem, & ministerium, & patientiam tuam, Apocal. 2.
& opera tua novissima plura prioribus. Sed scio etiam Te non velle ea esse propalata, ut nesciat sinistra, quid faciat dextra. Verum tamen, ut exemplum sumat mundus, & glorificetur DEUS, ego dico, CAROLUS SECUNDUS Ecclesiam suam Cathedralem munificentissimè pretiosis ornatibus Episcopalibus, argenteis statuis, magnis inauratis argenteis candelabris & Crucifixo, Calice, urceolis & pelvi ex puro auro dotavit: Pro præsentia Prælatorum & Canonicorum tempore Divinorum 41000. fl. ordinavit: pro Præbendatis & Vicariis 20400, pro Missis post suum obitum 15000. fundavit, Turzani B. Virginis Imagini miraculosæ Ecclesiam, & elegantem habitationem, perennemque fundationem pro Patribus Societatis JESU erexit, Cremsirii Patribus Piæ Scholæ Collegium ædificavit, & pro duodecim personis alendis, sartis tectis, & Ecclesiastica suppellectili triginta tria millia expendit, similiter penes Libaviam in AltWasser eosdem fundavit *PP.* pro quatuor personis elargiendo octo millia florenorum, dotatâ Ecclesiâ S. Annæ Sacra, eaq; larga suppellectili. Credat orbis, *quia corroboravit pietatem.* Eccl. 49.
Quæ tua sit Comitas, Celsissime Princeps, quæ tua affabilitas, & erga pauperes commiseratio, narrent hi, qui sentiunt, meâ opinione, Tu illud Jobi usurpare tibi potes: *Ab infantia* Job. 31.
crevit mecum miseratio: Non negavi quod volebant pauperibus, non comedi buccellam meam solus, non despexi pereuntem, eo quod non habuerit vestimentum, & absque operimento pauperem. Increduli signa quærunt, audiant ergò, & obstupescant; Auxit fundationem pro sex inhabilibus ad curam animarum Sacerdotibus. Cremsirii Seminarium pro pauperibus Studiosis, & aliud fundavit commune pauperum hospitale, taceo liberalissimas eleëmosynas annuas, & quotidianas, quas munificè profundit in nos pauperes Fratres Minores ibidem, sicut etiam in *PP.* Capucinos Wissovii. Te proindè Celsissime Princeps veneror, ùt Magnum Eleëmosynarium, mœrentium Consolatorem, & Patrem pauperum.

Pietati in DEUM & proximum vicinus est zelus: *Phinees*
1. Machab. 2. *zelando zelum Dei accepit testamentum Sacerdotii æterni.* Optimum omen! præclarum exemplum, sed & eximium Etypon es, Celsissime Princeps CAROLE SECUNDE,
Psal. 78. Eccl. 48. nam tuus *zelus veluti ignis accensus fuit, & verbum tuum quasi facula arsit*, cùm de propaganda fide, & convertendis incredulis cogitatum assumpsisti, Missionarios hinc inde per Diœcesis tuæ fines & confinia destinâsti, hinc etiam præbente incrementum DEO Sternbergam, & latè adjacentem viciniam convertisti à Leobschitio hæresin ejecisti, in duobus Ducatibus Silesiæ Carnoviæ & Oppaviæ fidem implantâsti, atq; etiamnum hodie versùs Ungariam implantare, & errantes oves ad caulam Dominici Gregis reducere non cessas, unicum ingemiscens, quam ferventer desiderabas, occasionem ereptam, & amplioris messis campum tibi fuisse subtractum. Nonne hic Phinees? Nonne hic hæreticorum malleus, zelator fidei, qui di-
Ezech. 39. cere potest: *Assumam zelum pro nomine meo*, qui omnes officii sui, boni Pastoris, solliciti Præsulis explevit numeros. Tandem considero opera tua, Celsissime Princeps, in portis, in viis, in compitis, & admiror in omnibus ditionibus, terrisque Ecclesiæ tuæ in auras consurgentia Palatia, insignes fabricas, rara ædificia, quæ ingentibus sumptibus, magnis expensis, vel antiquata restaurâsti, vel sumptuosè exornâsti: Wissovium magnificè ampliâsti, Mirovium & Hochvvaldam munivisti, Olomucensem Residentiam splendidissimè excoluisti, atque abundantissimè Ducali apparatu providisti, Cremsirii vasta, & verè Regalis moles construitur, & ad astra actu extollitur, ubique insignia providentiæ, sapientiæ, prudentiæ, & industriosæ Intelligentiæ relinquens monumenta, ut credi possis, Episcopatûs alterum esse Fundatorem, primusque esse potuisses, nisi jam fundatum invenisses, verbô dicam, Princeps es ad magna natus, ad magna excultus, ad magna evectus, majoribus dignus jam judicatus, & ipsâ Purpurâ dignissimus, ut gloriæ tuæ sit & virtutum eximium encomium plus meruisse, quàm
acqui-

acquisivisse; Meritissimus qui in cœlo colloceris, & qui inter astra referaris. Sed sub quo elogio: sub quo schemate & figura? Angelus in Apocalypsi diceret: *Faciam illum columnam in templo DEI mei*, hoc sperandum nec est dubitandum, nam *sequuntur eum opera ejus*: Clientes Mecænatem suum volent esse Cynosuram, septem decoratam stellis ex Astronomorum mente, nec hoc ineptè, nam istud sidus stellam polarem includit, quæ navigantibus lucet, dirigit, & totus circa illum vertitur cœlorum cardo. Ego optimo Antistiti, zelantissimo Pontifici, indefesso Præsuli, Aram & Altare erigendum censeo, quod, teste Gallucio, sidus formatur quadraturâ solidâ, ignem nutrit perpetuum, habetque stellas septem, quartæ magnitudinis quinque, & quintæ duas, omnes splendidas & apparentes. Et quid? Si fabulandi Astronomis Zachariæ prophetia occasionem dedisset? *Ecce lapis, quem dedi coram JESU, super lapidem unum septem oculi sunt.* Et hoc facilè creditu: nam ex sacro Codice Gentes scrutabuntur similitudinem simulacrorum suorum: Lapis ille cum septem oculis, ara cum septem stellis, septem oculi, septemque stellæ, septem sunt spiritus, septem Angeli majores, Principes septem Virtutes CAROLI SECUNDI Ducis & Episcopi Olomucensis, Comitis de Lichtenstein; O quàm fulgidus ipse Lapis! ô quàm splendida ara! ô quàm lucidum totum Corpus, in quo tot vigilantes stellæ, tot lucidi oculi! scilicet *septempliciter major, sicut lux septem dierum*.

Apocal. 3.

Pineda.

Isaiæ 30.

Hanc igitur Aram, hunc Lapidem primarium probatum, pretiosum, in fundamentis Syon fundatum apprehendo, tanquam immunitatis & clementiæ signum, tutelæ quærendæ, & comparandæ gratiæ causâ. Huic Aræ & Lapidi superpono Sacramenta mea disputata, elucidata, & impressa benedicenda & sacranda, ad contestandam, exprimendámque meam, & Provinciæ Bohemiæ devotionem, reverentiam, & obligationem, veluti juge Sacrificium. Huic Aræ inscribo hanc opel-

ham quarti Sententiarum, tanquam in Capite libri, ut æstimationem operi acquiram, ut ejus obscuritatem splendore Nominis Tui clarissimè illustrem, æstimationemque, & pretium conciliem. Patere igitur, Celsissime Princeps, ut liber hic liberè subeat conspectum tuum, oculos tuos illos lucidos ad eum converte, atque clementissimo affectu acceptando amplectere. Ego interim Celsitudinem tuam Ecclesiæ, & Patriæ bono, nostroque Solatio quàm diutissimè Sospitem voveo.

CELSITUDINIS VESTRÆ REVERENDISSIMÆ,
& CLEMENTISSIMÆ

humilis, subjectissimus, & obsequentissimus servus

F. Amandus Hermann.

LUSUS

* * *

Lusus Poeticus.

In perpetVæ gratItVDInIs, In obLIgatæ obſerVantIæ, & affeCtVosæ reVerentIæ InsIgne sIgnVM.

CELSISSIMO & REVERENDISSIMO

Dno. Dno. CAROLO, Dei Gratia,

Epiſcopo Olomucenſi, Duci, S. R. I. Principi, Regiæ Capellæ Bohemiæ, & de Lichtenſtein Comiti ſubmisſisſimè dicatus.

ODE.

Vænam hæc decoræ Lux nova Lampadis
Magnetis inſtar blandiùs attrahit?
An fortè Liechten-Steinna grandi
Lux Lapidi Sociata Vatem

In Vota tanto ſub pretio trahit?
Eſt Angularis, quem veneror, Lapis
Non indecoro ſeptus igne,
ſeptem Oculis radians coruſcis.

Te! Te Sacrorum Gloria Præſulum
Appello Princeps CAROLE! Nomina
Qui dum Secundi fauſtiore
Marte vehit, Pietatis Arte

Præcellis omnes: ſi vel Imaginem
Spectes priorum tempore Præſulum,
Quorum coloratas ad Unguem
Effigies benè Poſterorum

Ritu ſequendas Urbis in inclyta
Appendis Aula, Tu ſuper arduo
Veſtigiorum calle, Palmam
Unus habes, imitatus omnes.

Vetus Sacrarum diligis Ædium
Decus, ruinas ſub cinere abditas
Profuſa verè Principali
Dextra Ducis levat apparatu.

Quis conditarum Pergama Turrium
Arcesvè, & alti Luſtra Palatii
Quis ſat novas Eccleſiarum
Laude colat gratulante Moles?

Tur-

Turzana Divæ Virginis Atria
Teſtantur æqui munera Præſulis,
Induſtrioſos Thaumaturgæ
Cura Patris fovet Adminiſtros.

Aras Tri-Uni quàm benè Numini
Et Sacra Alumnis Clauſtra Minoribus
Sedes & Ædes bis Piarum
Conſtituit Patribus Scholarum.

Exinde Præſul ter Pius, & ſuo
Multùm Tonanti charus inaudiit,
Gratúsque Olympo crebriores
Cœlicolûm recipit favores.

En quæ Supellex in Cathedralibus
Fulgeſcit Aris? Templa tot aureis
Inſtructa Vaſis, Tecta Divûm
Tot Statuis pretioſa, reddit

Hæc Celſitudo Principis; aurea
Rurſum ſub iſto Sæcula Præſule
Viſuntur, & Virtus priorum
Prodit humo rediviva Patrum.

Sternberga bino juncta Ducatui
Famam Sileſis Finibus haud ſilet;
Virtutis expugnatà zelo
Ad fidei Juga ſacra pronum

Miſêre collum pectora Gentium
Quæ Miſſionum munere, & optimi
Paſtoris hortatu beatæ
Ad gremium rediêre Matris.

Hinc Hungarorum Regna, Sileſiæ
Hinc ora terræ, totáque Moravæ
Latè patentis Plenitudo
Haurit adhuc Sacra Carolinæ

Fomenta Lucis; deſine pertinax
Negare Phœbum, quiſquis inertibus
Solutus umbris clariore
Luce Ducem radiare ſpectas.

Eſt nempè Soli congenitum decus
Plus indigenti ferre jubar Solo,
Dum Luce nuſquam mutuata
Non ſibi, ſed reliquis niteſcit.

Eſſe

Esse hospitalem CAROLE TE Patrem,
Solemque nusquam Luminis invidum
Convincit en Convictus omnis,
A Capite Hoc Capitale captans.

Quin & cruentis quos Saga Turciæ
Stravêre Fatis, hanc recolunt Manum,
Demortuorum quando Manes
Millia tanta ferunt Sackorum.

Ergò indè tanto Numina Præsuli
Augete Vitam; Lumina, Flumina
De Rore Cœli purpuratum
Pascite vos sinè fine Patrem.

ICONISMUS POETICUS
CELSISSIMI ac REVERENDISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI DOMINI
CAROLI
Nomini sacratus.

Cingunt	Conspicuæ	CAROLI	Cùm	Colla	Catenæ,
Aulicus	Auratis	Astutùm	Amor	Advolat	Alis,
Rex	Regum	Ritu	Radiantia	Regna	Reponit,
Omnibus	Officiis	Orbe	Ocyùs	Ornat	Olympus,
Lucida	Lichtenstein	Læto	Loca	Lumine	Lustrat;
Unde	Uni	Veniunt	Unitis	Vincula	Votis:
Sublimi	Sanum	Superi	Sub	Sidere	Servent.

Metrum Parallelum.

Præsul	*Dux*	*Princeps*	*Pasco*	*Defendo*	*Guberno.*
Plebem	*Aras*	*Populos*	*Voce*	*Mucrone*	*Pedo.*



Metrum		Versus	
Adonicus.	S	plendida Vate	S
Dactyl.	O	mina respici	T
Dimet. Iamb.	N	empe à Ducali Nomin	E
Glycon.	O	men Pyramis exhibe	T
Troch.	H	oc Honoris aucta plaus	V
Anapæst.	S	ic munifica toties Art	E
Dactyl.	I	n Superûm Sacra Tecta Præsu	L
Alcaic.	R	ara Colossus apposuit man	U
Asclepiad.	O	rbis prodigio commonitus stupe	T
Saphic.	T	empla Divorum nova Principal	I
Scazon.	A	ucta apparatu; scilicet suum Virtu	S
Jamb. sen.	D	ucit, docetque Principem, velit licè	T
Pentam.	N	omen sub tacita sæpè latere Ros	A
Hexam.	U	ive Ducum sublime Decus, Tibi Carole surgun	T
Hex. Dact.	F	ulgida Pyramidum simulacra, Colossus in Ort	U
Troch. oct.		Stabit omni semper ævo celsa condens Nomin	A

†
CAROLO
PIO SS. TrIaDIs
Aræ FVnDatorI
GratItVDo
eXtrV-
XIt.

DVM faVsta eXpresso VersVs VoVet Ista
CoLosso,
VotIs eX MeDIIs VInCto, VIVe,
VaLe.

†
Anno
QVO
DoMInVs erIt
popVLo sVo aVXI-
LIator potens
In prœ-
LIo.

ACRO-

ACROSTICHON HEROICUM
Ad Gentilitia Scuta
CELSISSIMI ac REVERENDISSIMI
PRINCIPIS.

COnstantes Virtute Feras, quas ſemper ab armis
Accepêre feras Pugiles, nunc mitiùs uda
Regnantes Tellure cano; Natalitia quando
Oſtentant quatuor fulgentia Scuta decoros
Lichtenſteiniadûm ſub avitâ Stirpe Leones
Unitos geminis Aquilis: Tu! maxime Præſul
Sacrati Imperii Princeps, Tu! Duxq; Comesq;
Digna jube cantare tuis Præconia factis,
Exilem immeriti ſuſtentans Vatis Avenam
Ipſe Pedo firmato pedem, nè fortè Camœnæ
Glauca verecundo forment veſtigia greſſu.
Res jubet, arsq; favet, Tua demum ſigna ſagaces
Abripiunt ſenſus, ſtimulis audentior iſtis
Tota in gratantes prorumpit Muſa loquelas.
Jámque aderat pleno fundens ſua Munera cornu
Ante fores CAROLI Virtus ſublimis amictu,
Egregios agitare modos, penitúsque reviſos
Perſcrutari animos votum eſt, quò congerat imbre
In meritum ſua dona caput! dumq; anxia miſcet
Senſa, ſacram Ducibus ſubiit concedere Mitram
Cúmq; Mitra Sacræ, quæ Præſulis ambiat armos,
Ornamenta Togæ Virtus præbere parabat;

Præbuit, & celsos exurgere jussit Honores.
Verùm dum radiante gravis diademate Cervix
Splendebat, rutilam Phœbi sectata quadrigam,
Omnîque affulsit Lux circumfusa decore
Lichtensteinni ambas Lux blandè amplexa coronas,
Obsequiosa suo cùm jam cumulâsset honore
Magnanimum Virtus Patriæ Patrem, atq; decoris
Vinxisset sertis, visum est simul addere tanti
Custodem pretii, Vigilem inter serta Leonem.
Ergò dat, & pulchro ad Patrios locat ordine fasces
Non unum, sed bis geminum, sociasq; gemellas
Scintillanti oculo Vigiles super arma volucres
In sublime actis propè circumplectitur alis.
Scilicet æqua suos quò vel fortuna profudit
Dulcior afflatus, vel ubi generosa per artem
Vitalem se corda levant, ubi plurima Virtus
Xenia dispensat meritis, ibi passus Erynnim
Pallore Invidiæ suffunditur Æmulus, Æris
Rauca etiam reliquas vocat ad certamina lites:
Ipsa corona viam furti (si terga prementis
Nulla vetant Vigilis, Custodeque limina pulso
Cassa patent) animos furti parit una corona.
Et quid ad hæc Virtus? dixit: res plena perîcli
Plena metûs res est, manet altâ mente repôstus
Saltus Promothei, viduique incursus Olympi:
Custodem inde locat validum pede, pectore grandem
Ore ferum, numero geminum bis, voce Leonem.
Macte animo Princeps! tutos nunc Ipse Triumphos
Excipe, Fama beat, Te Virtus celsa coronat
Spondetque æternas etiam super astra Tiaras.

CABA-

CABALISTICON DUPLEX.

AD

CELSISSIMI ac REVERENDISSIMI PRINCIPIS

INSIGNIA.

MISTI AQUILIS ORNENT INSIGNIA CULTA LEONES,
JAM TUUS A MAGNO DICITUR UNGVE LEO.

Proba Hexametri.

M	30.	A	1.	O	50.	J	9.	C	3.	L	20.	*Summa*
J	9.	Q	70.	R	80.	N	40.	U	200.	E	5.	138.
S	90.	V	200.	N	40.	S	90.	L	20.	O	50.	399.
T	100.	J	9.	E	5.	J	9.	T	100.	N	40.	315.
J	9.	L	20.	N	40.	G	7.	A	1.	E	5.	205.
		J	9.	T	100.	N	40.			S	90.	324.
		S	90.			J	9.					210.
						A	1.					
138.		399.		315.		205.		324.		210.		1691.

Proba Pentametri.

J	9.	T	100.	A	1.	M	30.	D	4.	U	200.	L	20.	*Summa*
A	1.	V	200.			A	1.	J	9.	N	40.	E	5.	40.
M	30.	V	200.			G	7.	C	3.	G	7.	O	50.	590.
		S	90.			N	40.	J	9.	V	200.			1.
						O	50.	T	100.	E	5.			128.
								V	200.					405.
								R	80.					452.
														75.
40.		590.		1.		128.		405.		452.		75.		1691.

Valor Cabalisticus Literarum.

A	B	C	D	E	F	G	H	J	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z.
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	200	300	400	500.

RHYTHMUS ACROSTICHO-CHRONOSTICHUS DIMETER JAMBICUS.

CernIsnè PræsVL prosperæ
VIrtVtIs arMa tVrgent,
QVanDo serenI posteræ
VItæ nItores Vrgent.

An gLorIosIs aVrea
DIes trIVMphat PortIs?
LaXate serta LaVrea,
Venæ faVete fortIs.

Rarò Dynastæ MVnera
bIfrons LocaVIt IanVs
InfaVsta sIstens fVnera
VIgor perennat sanVs.

O! pVrpVratIs pergIte
rIVIs fLVenta PatrIs,
sIC DebItorIs MergIte
sVpIIca Vota FratrIs.

LaXet ſerenos DeXtera,
MItI nItores Fronte
Nec fata ſpIrent eXtera
sopIta VItæ Fonte.

VestIta VIrtVs sIDere
TE DVX beabIt astrIs,
sInIstra ſors eLIDere,
Non ſat potIs ſIt CastrIs.

SertIs reVInCto VertICe
Capeſſe nVnC Coronas,
LVbensVè VerI sVspICe
Notas aMorIs pronas.

CARMEN SERPENTINUM.

Per Reg gra Hon fav
gite ales cili ſub ore ores.
Sur vit fa Am dec

Aliud.

Cla don dep Nu Sor
ram ando onant mina tem.
Se ſacr diſp Lu Mor

Aliud.

Sus dev Lau dign Hon
cipe otos dis anter ores.
Ac ſic n Cor grat Am

CONCLUSIO ANAGRAMMATICA.

PROGRAMMA.

CAROLUS.

Anagramma I.

O! CLARUS.

G*Loria in Excelſis* vehitur: Celſiſſime PRINCEPS,
Celſus es, & *Clarus*, Gloria quanta Tibi?

Anagramma II.

CURA SOL!

ET fovet, & nutrit *Sol* grati Germina Prati,
Hæc *curare* duo Te Minor ordo probat.

Anagramma III.

SOL ARCU.

PHœbus adeſt ùt Amor pharetrâ præcinctus & *arcu*
Ut tangat, minimum ſe locat Ordo Scopum.

ObtVLIt hos VersVs CeV sIgnVM perennIs
& perpetVæ gratItVDInIs

Studium Generale Pragenſe, Ord. Min.
S. Franciſci Reformatorum.

APPRO-

APPROBATIONES THEOLOGORUM

Ordinis nostri S. FRANCISCI Reform.

Ex Commissione Reverendissimi Patris Commissarii Generalis.

EX commissione Reverendissimi Patris Caroli Francisci de Varesio, totius Cismontanæ Familiæ tàm Observantium, quàm Reformatorum Commissarii Generalis &c. accuratè perlegi Tomum Quartum Operis Theologici ab admodùm Reverendo Patre *AMANDO HERMANN* Lectore Jubilato, Almæ nostræ Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali, Superiore Observandissimo pari methodo, doctrinâ, & soliditate, ac Tomum Primum, ad mentem Doctoris Subtilis industriosè elucubratum; in quo, quia nihil orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adversans inveni, dignum proindè censeo, ut ad legentium eruditionem typis mandari possit. Datum in Conventu Pragensi B. Mariæ ad Nives. Anno 1690. die 5. Aprilis.

(L. S.) *Fr. Antonius Hartmann Lector Jubilatus, & Provinciæ actualis Diffinitor.*

DE mandato Reverendissimi Patris Caroli Francisci de Varesio Commissarii Generalis (tit.) Librum Quartum Sententiarum ab Admodùm Reverendo Patre *AMANDO HERMANN* Lectore Jubilato, Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali, Superiore nostro observandissimo, mirâ soliditate & claritate elaboratum, omni diligentiâ perlegimus, in quo cùm nihil offenderimus dissonum Sacris Canonibus, quodvè bonis Christianorum moribus adversetur, quinimò gravem, solidam, & undequaque discussam doctrinam contineat, dignissimum judicamus, ut pro utilitate boni publici publicam prodeat in lucem. Datum in Conventu Pragensi Sanctæ Mariæ ad Nives Ord. Min. Strict. Observ. Ref. die 5. Aprilis, 1690.

(L. S.) *Fr. Sebastianus Schambogen, Lector Jubilatus, & in Conventu S. Mariæ ad Nives Sac. Can. Professor. mppâ.*

Fr. Hermannus Zorisch SS. Theologiæ Lector Generalis.

APPRO-

APPROBATIO

Theologorum Ordinis nostri S. P. N. Francisci ex Commissione Reverendissimi DD. Officialis Pragensis.

Librum Quartum Sententiarum ad mentem Doctoris Subtilis accuratè & subtiliter elaboratum, Authore Admodùm Reverendo Patre *AMANDO HERMANN*, Ord. Minorum Sancti Patris Nostri *FRANCISCI* Reformatorum Lectore Jubilato, Almæ Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali actuali dignissimo, debita cum diligentia, sed mira cum voluptate, ex mandato Reverendissimi Domini Domini *WENCESLAI BILEK à Bilenberg*, Officialis, & in Spiritualibus Vicarii Generalis, Reverendissimi ac Celsissimi Principis Archi-Episcopi Pragensis (tit:) perlegimus, in quo Doctrinam profunditate *celebrem*, subtilitate, claráque ac facili methodo ubique *commendatam*, Principiis Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus nulla ex parte contrariam, quia authoritate Sacræ Scripturæ, Oecumenicorum Conciliorum, ac Sanctorum Patrum, præsertim *Augustini* & *Bernardi*, copiosissimè munitam, ac rationum pondere firmius stabilitam deprehendimus, ut omnes laudes, & encomia, quæ diversarum Religionum Doctores & Magistri magno cum fundamento & applausu tribuerunt *Soli triplici Philosophico*, & *lib. 1. Sententiarum* hujus dignissimi Authoris, jam in lucem editis, huic operi tributa esse per compendium velimus. Idcircò opus esse luce publicâ dignissimum censuimus. Dedimus Pragæ in Collegio Immaculatæ Conceptionis Patrum Minor. Hibernorum ad Sanctum Ambrosium. 16. Martii 1690.

F. Bonaventura de Burgo Ord. Min. Strict. Obs. Hibernus, S. Theologiæ Lector, ejusdemq; Facultatis in præfato Collegio, nec non in Seminario Archi-Episcopali Pragensi actualis Primarius Professor.



L. S.

Fr. Bernardinus Gavanus Ord. Min. Strict. Obs. Hibernus, S. Theologiæ Lector.

Fr. Antonius Morphy S. Theologiæ Lector in præfato Collegio, & in Seminario Archi-Episcopali Philosophiæ Professor actualis.

CEN-

:) o (:

CENSURA

SS. Theologiæ Professorum Studii Generalis in Conventu Sancti Ægydii Fratrum Sacri Ordinis Prædicatorum Vetero-Pragæ.

PErlegimus maximâ cum delectatione, utilitate, & æstimatione hos Tractatus Theologicos, in Quartum Sententiarum Librum, de Sacramentis in Genere & Specie, de Censuris & Pœnis Ecclesiasticis; ac de Fine, seu Beatitudine Hominis; ad mentem Joannis Dunsii Scoti, Authore Admodùm Reverendo, ac Eximio Patre Fratre *AMANDO HERMANN*, Ordinis Minorum Reformatorum Theologiæ Lectore Jubilato, & pro tempore Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali Dignissimo: Opus clarô stylô elaboratum, methodô succinctâ combinatum. An ideò Lectori erit parvum? Demosthenis præclaram decisionem audito: Ipse cùm auscultaret Oratorem de re tenui immodicè perorantem: *Non*, inquit, *quod magnum est*, *bonum est*: *sed quod bonum*, *id magnum*. Opus ergò istud, licèt pauca folia contineat, est liber magnus: magnus perfectione, non mole; multa proponit, & breviter universa decidit. Et si quod sentimus dicere velimus, verba nobis, tempus Lectori, Authori laus non sufficeret, sed unô verbô dicimus, quod Hilarius de Hieronymo: *Authoris librum inoffenso decurre pede, à capite, inquam, ad calcem, ab imo ad summum.* Nam si fundamenta inspicias, vel è Sanctorum Patrum Scriptis (quæ ipse sedulò legisse, & sapienter intellexisse satis ubiq; patet) vel è profundissimis rationum & argumentorum venis, maximâ cum dexteritate & acumine erecta, jactaq; invenies. Si verò Doctrinæ structuram aspicias, miraberis modum, methodumque docendi, est enim in indagando diligens, in disquirendo profundus, in explicando perspicuus, in disputando acer. Denique si ad culmen despicies, Subtilem Doctorem laudabis, in discurrendo novum, in opinando antiquum, in loquendo gravem, in judicando securum, nihil contrà fidem, aut bonis moribus contrarium. Soli lucem afferimus, notus ipse sibi de omnibus, qui legerit, eliget, lege, & fruere bono tuo Lector, bonoque communi, nos posse & debere imprimi, inque lucem prodire securè judicamus. Datum Vetero-Pragæ 12. Aprilis 1690. In Conventu D. Ægydii Fratrum Ordinis Prædicatorum.

Fr. Thomas Albertus Tranquillo SS. Theologiæ Magister, & Studii Generalis Regens. mppâ.

(L. S.)

Fr. Antonius Pfrenger SS. Theologiæ Præsentatus, Ejusdemq; Professor ad S. Mariam Magdalenam.

Fr. Thomas Elias Willinger Præsentatus & Baccalaureus Studii. mppriâ.

Fr. Benedictus Siegl, Magister Studentium. mppriâ.

APPROBATIO:

Ex Ordine Eremitarum M. S. Patris Augustini.

QUâ promptitudine debitâ, primum Sententiarum Theologiæ Universæ, studio singularissimo Admodùm Reverendi, Religiosi, ac Eximii Patris AMANDI HERMANN: Ordinis Minorum S. FRANCISCI Reformatorum Prædicatoris, Sacro-Sanctæ Theologiæ Lectoris Jubilati, Almæ Provinciæ Bohemiæ S. WENCESLAI Ducis & Martyris, Ministri Provincialis dignissimi, egregiè revera concinnatum, prælo sine remora commendabilem omninò censui: Eâdem præsentem Quartum Sententiarum, nullâ prorsus absimili Doctrinæ soliditate, ac subtilitate refertum, luce ocyùs dignissimum judicavi. Micro-Pragæ ad Sanctum Thomam Apostolum, die 14. Mensis Aprilis, Anno Salutis M. DC. XC.

L. S.

Magister Fr. Hieronymus Ebenauer, Ordinis Fratrum Eremitarum, Magni Sancti Patris Augustini Diffinitor Generalis, & Prior Provincialis absolutus; Studiorum Magister Regens. In Alma Cæsarea, Regiaq; Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS
COMMISSARII GENERALIS.

Fr. Carolus Franciscus de Varesio, Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ S. Patris Nostri FRANCISCI Lector Emeritus, Supremæ & Universalis Inquisitionis Qualificator, ac Cismontanæ Familiæ Observantium & Reformatorum Commissarius Generalis, & Servus. Dilecto nobis in Christo R. Patri AMANDO HERMANN Theologo, Reformatæ nostræ Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali salutem, & paternam Benedictionem.

CUm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit volumen quoddam à Te nuper editum, cujus Titulus est: Tractatus supra Quartum Sententiarum. Tenore præsentium ad Salutaris Obedientiæ meritum facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandare valeas. Datis Romæ die 4. Martii, 1690.

Fr. Carolus Franciscus de Varesio,
Commissarius Generalis.

L. S.

Fr. Innocentius de Cryptis ad Mare,
Secret. Generalis.

Regist. tit. Provinciæ.

Imprimatur.
Wenceslaus Bileck à Bilenberg,
Officialis.

INDEX

INDEX
TRACTATUUM, DISPUTATIONUM & QUÆSTIONUM,
IN HOC TOMO QUARTO CONTENTARUM.

TRACTATUS I.
DE
Sacramentis in Communi.

DISPUTAIO PRIMA.
DE
Essentia Sacramenti.

DISPUTATIO II.
DE
Causalitate & effectu Sacramentorum.

DISPUTATIO III.
DE
Ministro & Subjecto Sacramentorum.

TRACTATUS II.

DE

Baptismo.

DISPUTATIO I.

DE

Institutione, Necessitate, & Effectu Baptismi.

DISPUTATIO II.

DE

Materia, Forma, & Ministro Baptismi.

DISPUTATIO III.

DE

Suscipientibus Baptismum.

Quæst.

TRACTATUS III.

DE

Confirmatione.

DISPUTATIO UNICA.

TRACTATUS IV.

DE

Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

DISPUTATIO I.

DE

Eucharistiæ Sacramento secundùm se.

DISPUTATIO II.

DE

Materia & Forma Eucharistiæ.

Disputatio III.

De

Reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in hoc Sacramento.

Disputatio IV.

De

Transubstantiatione.

Disputatio V.

De

His, quæ potest Christus agere & pati in Eucharistia.

Quæst. V.

DISPUTATIO VI.

DE

Accidentibus Panis & Vini poſt Conſecrationem.

DISPUTATIO VII.

DE

Miniſtro.

DISPUTATIO VIII.

DE

Præcepto hujus Sacramenti.

DISPUTATIO IX.

DE

Eucharistiæ Sumptione, & Dispositione ad eam.

DISPUTATIO X.

DE

Effectibus Eucharistiæ.

DISPUTATIO XI.

DE

Sacrificio Missæ.

TRACTATUS V.

DE

Pœnitentia.

DISPUTATIO I.

DE

Pœnitentia ùt Virtute.

DISPUTATIO II.

DE

Pœnitentia, ùt est Sacramentum.

DISPUTATIO III.

DE

Primo Actu Pœnitentis, seu Dolore.

DISPUTATIO IV.

DE

Secundo Actu Pœnitentiæ, seu Confessione.

DISPUTATIO V.

DE

Ministro hujus Sacramenti.

DISPUTATIO VI.

DE

Tertio Actu Pœnitentis, seu de Satisfactione.

TRACTATUS VI.

DE

Ordine.

DISPUTATIO UNICA.

DE

Sacramento Ordinis.

TRACTATUS VII.

DE

Censuris & Pœnis Ecclesiasticis.

DISPUTATIO I.

DE

Censuris in Communi.

Disputatio II.

De

Excommunicatione in Communi.

Disputatio III.

De

Excommunicationibus in particulari.

Disputatio IV.

De

Suspensione & Interdicto.

Quæst. III.

Disputatio V.

De

Irregularitate.

TRACTATUS VIII.

De

Extrema Unctione.

Disputatio Unica.

De

Institutione, Essentia, Ministro, & Effectibus hujus Sacramenti.

TRACTATUS IX.

DE

Magno Matrimonio Sacramenti.

DISPUTATIO I.

DE

Sponsalibus.

DISPUTATIO II.

DE

Naturâ & Proprietatibus Matrimonii.

DISPUTATIO III.

DE

Impedimentis Matrimonii.

Quæst. VII.

DISPUTATIO IV.

DE

Usu & Abusu Matrimonii.

TRACTATUS X.

DE

Beatitudine Supernaturali Hominis.

DISPUTATIO I.

DE

Beatitudine Supernaturali.

DISPU-

PROOEMIUM.

IN

QUARTUM SENTENTIARUM LIBRUM.

MIsericordissimus humani generis Salvator, sicuti à Patre præordinatus, à Prophetis prædicatus, in figuris præsignatus; ita quoque omnia Redemptionis suæ remedia sub velamine veterum signorum adumbrata fuerunt; unde cùm nobis esset futurus *Via, Veritas*, & *Lux*, ante propitiatorium olim septem Lucernas fieri jussit, Exodi 25. quæ signabant stellas illas, quas Pharus salutis in dextera tenet. Apoc. 1. Ne aberremus viam veritatis, in tenebris & umbra mortis. Cùm esset futurus *Veritas*, septem buccinis clangi fecit per septem Sacerdotes. Josue. 6. Sanè ille Magister, qui Septuaginta super binos misit ante faciem suam in omnem civitatem & loca, quo ipse erat venturus, per quos in omnem terram exivit sonus eorum. Cùm esset à summo cœlo egressio ejus, & de superna Jerusalem descendisset ad vallem lacrymarum, invenit hominem non modò despoliatum & saucium, vulneratum & plagis vehementibus concisum, quem Spiritus Sanctus Eccl. 1. dixit *unguentarium facientem pigmenta suavitatis*, & unctiones conficientem sanitatis, humanitati suæ imposuit, & cum sanguine suo redemit, sacris mysteriis vivificavit, enutrivit, & confortavit, veritatem fidei in Sacramentis, & charitate gratiæ per ipsa causatæ. *Est enim* ait mellifluus Bernardus Serm. 10. de diversis, *Animæ vita, Veritas, Sensus, Charitas*, per hæc enim ait Trid. Sess. 7. *Omnis justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*. Et cùm esset lapis angularis in terras decidens, & faciens utraque unum, super eum sunt septem

oculi, qui discurrunt in universam terram, ipse enim est, ait Zacharias 3. *Servus meus Oriens congregabit dispersos Israëlis, & ipse Servus meus justificabit multos.* Ipse est, qui exivit de Paradyso, & dixit, rigabo hortum meum plantationum, Eccles. 24. de quo Sponsa Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradysus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum Nardo, Nardus & Croccus, Fistula & Cinnamomum cum universis lignis Libani, Myrrha cum Aloë, & omnibus primis unguentis.* Ex his septem dictis Divina Sapientia excidit columnas septem, & firmavit domum suam Ecclesiam in æternum. Unde super hunc textum ait Gilbertus Serm. 36. in Cant. *Septem hic enumerantur arbores Aromaticæ, quæ dicuntur emitti de fonte signato* (de quo hauriètis aquas) *Et quidem verba hæc videntur verba libri signati septem sigillis septem Sacramentis*, nam ut idem Sanctus subdit, *Et quidem quantum donante Domino quimus inspicere septennarii Sacramentum septennarium, aut Spiritualitatem, aut universalitatem indicat gratiarum*; de quorum signorum & Sacramentorum naturâ in universali & particulari hic agam, singulas singulis applicando. Quoniam autem Veri atque Catholici Theologi maxima esse debet in omnibus Sacramentis & Sacramentalibus respicere infallibilem, erroris que insciam regulam, Sanctam scilicet Matrem Ecclesiam Romanam, quæ est columna & firmamentum Veritatis, Paulo teste, juxta cujus amussim dicta singula accommodare convenit, Ideò singulis Tractatibus suos præfigam Canones, quos Ecclesia in Concilio Tridentino circa Sacramenta definivit, tum ut facilior habeatur ad eos recursus, tum nè superfluè per decursum materiarum sit eos plenè repetere, & repetendo multiplicare necesse. Itaque de Sacramentis in genere sunt sequentes:

Canon I.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium,

monium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, ea ipsa nova Legis Sacramenta à Sacramentis antiqua Legis non differre, nisi quia caremonia sunt alia, & alii ritus externi: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, hac septem Sacramenta ità esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius: anathema sit.

Canon IV.

SI quis dixerit, Sacramenta nova Legis non esse ad salutem necessaria, seu superflua: & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à DEO gratiam justificationis adipisci: licèt omnia singulis necessaria non sint: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, hac Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: anathema sit.

Canon VI.

SI quis dixerit, Sacramenta nova Legis non continere gratiam, quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint accepta per fidem gratia, vel justitia, & nota quadam Christiana professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte DEI, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus: anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit.

Canon IX.

SI quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.

Canon X.

SI quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.

Canon XI.

SI quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit.

Canon XII.

SI quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit.

Canon XIII.

SI quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sinè peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.

TRA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS IN COMMUNI,
DISPUTATIO PRIMA,
DE
Essentia Sacramenti.

QUÆSTIO PRIMA.
Quid sit Sacramentum?

I. Conditiones Definitionis. PRO majori dicendorum claritate & intelligentia Nota Primò ex Logica, ad hoc, ut aliquid sit definibile, plures requiri conditiones, debet enim esse Ens unum, Ens reale, non simpliciter simplex & universale, intellige ad definitionem quid rei rigorosam, nam nullius Entis nullæ sunt qualitates & passiones, quodque unum non est, unâ ratione explicari non potest, & quod simpliciter simplex est, genus nequit habere & differentiam, & quod universale non est, non est æternum, quod tàm ad demonstrationem, quàm ad definitionem requirit Aristoteles 1. Posterior: hinc difficultas est primò: An Sacramentum in rigore possit definiri? Secundò: quæ sit legitima & bona ex tot, quæ circumferuntur post Magistrum.

II. Variæ acceptiones Sacramenti. Nota Secundò: Quòd Sacramenti Nomen tàm apud Prophanos, quàm Ecclesiasticos Scriptores varias patitur sumptiones, & Primò: Sacramentum derivatur à sacris secretis, undè Tobiæ 12. dicitur: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* & Sapientiæ 2. *Nescierunt Sacramenta DEI.* Apocalypſ. 17. Secundò: Juramentum etiam dicitur Sacramentum 22. q. 4. cap. Qui Sacramento & sequi: Baruch. 5. Antiquitùs Varrone Lib. 4. de lingua Lat. teste, accipiebatur pro pignore aliquo sacro certo à litigantibus deposito apud Pontificem usque ad finem litis, quâ finitâ vincens suum recipiebat, victus perdebat, cedebatque ærario sacro in pœnam injustæ litigationis, & hæc dicebantur Sacramenta. Prout ad nos tamen spectat de eo agere, accipitur pro signo aliquo animam significante.

In qua acceptione ab omnibus sequentes exiguntur conditiones. Nam Primò: Debet esse signum sive cæremonia aliqua. Secundò: Signum & cæremonia sacra. Tertiò: Sensibilis. Quartò: Voluntaria non ex natura, sed ex institutione. Quintò: Ut habeat cum re, quam significat, aliquam similitudinem. Sextò: Ut significet rem sacram, & non profanam. Septimò: Ut sit signum non significans solùm, sed & efficiens illud, quod significat, seu, ut alii loquuntur, non debet esse signum tantùm speculativum, sed & practicum. Octavò: Ut res sacra, quam signi- III. Sacramenti conditiones.

significat Sacramentum, fiat virtute ipsius signi, quod Sacramentum dicitur, quæ conditiones ab omnibus recipiuntur, & magis patebunt ex dicendis.

IV. Sacramentum quid dicat pro materiali, quid pro formali.

Nota Tertiò: Quòd sicut hedera v. g. quæ est signum vini vendibilis, dicit unum pro formali, alterum pro materiali, nempè ipsos ramos, & pro formali denominationem extrinsecam, desumptam ab instituentium voluntate signi vendibilis vini; sic etiam Sacramentum dupliciter sumi potest, primò, pro materiali seu pro denominato, secundò, pro formali, seu per se significato, & hoc posteriori modo acceptum importat relationem signi, (quodlibet enim signum est relatio) denominantem extrinsecè, ortam ex voluntate Divina instituente, potéstque dici denominatio ista signi institutio passiva, quæ licèt nihil physicum in denominato ponat, est tamen realis & non rationis, nisi fundamentaliter, in quo sensu etiam Doctor rationis appellat, in quantum scilicet rationi fundamentum præbet ad fictionem; Est inquam realis, nam perfectè concipi potest sinè ullo ente rationis, deindè est realis voluntas instituentis, denominans moraliter Sacramentum, per ordinem ad Terminum, ad quem significandum est assumptum. Pro materiali verò Sacramentum dicit res illas sensibiles, quæ à DEO institutæ sunt.

V. Sacramentum est definibile.

Dices. Concilia varia docent, Sacramenta novæ Legis constare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ergò malè nos dicimus Sacramenta pro formali dicere denominationem extrinsecam. Respondeo, distin: antecedens, si sumatur materialiter concedo anteced: Si formaliter, nego anteced: & consequentiam. Responsio patet ex dictis. Itaque licèt Sacramentum dicat res & verba pro materiali, & quòd illa ingrediantur essentiam illius, prout materialiter consideratur, sicut essentiam signi vendibilis vini ingrediuntur rami, tamen Sacramentum præter res & verba dicit formaliter institutionem passivam, seu denominationem extrinsecam. His itaque notatis

Dico Primò: *Sacramentum non modò descriptibile est, sed etiam definibile.* Hæc est contra nonnullos antiquiores Theologos, ut referunt Suaretz & Vasquetz. Et quidem Sacramentum esse descriptibile, patet: omne illud, quod à ratione concipi & apprehendi potest, sive sit reale, sive rationis, sivè unum, sive multiplex, particulare, vel singulare describi potest. Probatur etiam definibile esse: Quia habet conditiones omnes ad definitionem requisitas. Est enim Ens, prout excludit non Ens, sive non Ens dicat illud, quod est impossibile, sive dicat negationem vel privationem. Quia est possibile, ut patet, non enim implicat, quod DEUS imponat aliquod signum, ad significandum & producendum effectum aliquem invisibilem, determinétque se, quòd velit producere illum ad positionem illius signi, si obex non ponatur; Deindè Sacramentum includit elementa, & multa alia positiva. Tertiò est aliquid reale, & non rationis, ut patet ex Notabili tertio. Et ulterius, Quia denominationes extrinsecæ reales sunt, & non fictitiæ, ùt DEUM creare, Leopoldum esse Regem, parietem esse visum, & omnes intentiones secundæ, quas omnes definiri posse concedunt. Sed Sacramentum est quid tale pro formali, & per se significato: ergo. Quartò: Est unum per se quoad esse formale relationis, quæ est semper ens per se non minùs, quàm æquivoca in esse formali definiri possunt, & alia, quæ constituuntur ex rebus pluribus per accidens.

Unde dicit Doctor Subtilis: Quòd licèt Materiale sive Subjectum & Terminus multiplicentur, & non faciant unum per se, non impedit, quin relatio consurgens inter Terminum & Subjectum non sit per se unum Ens, & quin possit definiri, quia Paternitas est relatio fundata in Patre terminata ad Filium, quæ plu-

VI. Sacramentum quomodo sit unum per se.

plura sunt Ens unum est & definibile propriè: sed Sacramentum est relatio & unum per se: ergò definibile. Itaque Sacramentum est accidens in concreto respiciens subjectum & formam intentionalem, subjectum sunt res & verba, & forma est relatio illa. Fatendum autem est, non esse unum per se physicum & naturale, sed morale & artificiale. Reliquæ particulæ de se patent.

VII. Errores Hæreticorum. Progredior ad Secundam Partem, in qua Hæretici gravissimè errant; nam Lutherus de Captivit. Babylonica cap. ult. dicit: *Sacramentum esse promissionem gratiæ signo externo annexam.* Calvin. lib. 4. Institut. cap. 14. §. 1. *Externum symbolum, quo benevolentiæ suæ erga nos, promissiones conscientiis nostris DEUS obsignat.* Zwinglius lib. de vera & falsa Religione: *Oppignorationem, qua homo se Christo obligat, ejusque militiæ nomen dat.* Breviter docent, Sacramentum esse signum prædestinationis, vel benevolentiæ seu gratiæ collatæ per fidem specialem, quâ credimus, nobis esse remissa peccata, ad quam Sacramentum movet & excitat.

VIII. Refutatio eorundem. Hi errores primò refutati sunt à Concil. Trident. Sess. 7. Can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam &c. quasi signa externa tantùm sint gratiæ per Fidem acceptæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema sit.* Et Canon. 8. *Si quis dixerit, per Sacramenta novæ Legis ex opere operato non conferri gratiam, sed solam Fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Refutantur Secundò: Tum ex Baptismo parvulorum, in quibus Fides excitari non potest, dum suos baptizant, imò parvuli gravissimè peccarent ejulando, renitendo, & quantum in ipsis est retrahendo se ablutioni: Tum ex baptismo ipsorum adultorum, nam quamvis hæretici in illo soleant præmittere concionem excitativam fidei, ea tamen in multis idiotis non habet effectum, neque in Catholicis, qui talem fidem non eliciunt dum baptizantur, & tamen baptizantur validè etiam in sententia Lutheri & Calvini, qui proindè ipsos non rebaptizant, si declinent ad eorum sectam.

Dico Secundò: *Sacramentum ut sic rectè describitur: quòd sit signum sensibile gratiam DEI, vel effectum ejus gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris.* IX. Sacramenti descriptio. Est Doctoris in terminis. in 4. d. 1. q. 2. n. 9. quem sequuntur omnes Scotistæ. videturque clarè posse deduci ex D. Augustino lib. 10. de Civit. cap. 5. ubi dicit: *Sacramentum est signum rei sacræ.* Similiter ex D. Bernardo Serm. 1. Cœnæ Domini, ubi ait: *Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum, multa siquidem fiunt propter se tantùm, alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt.* Supple causativa sui significati, subdit enim: *ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur.*

Probatur: Tum, Quia omni & soli convenit: Tum explicando: Ponitur *signum* loco generis, in quo Sacramenta conveniunt cum aliis signis naturalibus, sive ad placitum, quæ potentiæ aliud à se significant, reliquæ particulæ sunt differentiæ. X. Et Descriptionis ejusdem explicatio. Ubi adverte, Sacramentum esse signum ad placitum, seu ex institutione, non verò naturale. Quia sicut homo significat ab institutione naturam humanam & non equinam, sic etiam Sacramentum in acceptione Ecclesiæ habet ex institutione Divina, quòd significet gratiam, & quidem practicè, quia causat gratiam, quam significat, quod non faceret, si esset signum speculativum.

Dicitur *Sensibile:* Quia quamvis non repugnet res aliqua insensibilis, ut oratio mentalis, quæ si DEUS vellet, causaret gratiam ex opere operato, ut de facto causant Sacramenta, tamen non esset tale, qualia nunc habemus, quæ ut nostro statui essent proportionata, sensibilia esse debebant. Sic enim inquit Chrysost. Hom. 69. ad Populum: *Si incorpo-*

corporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona, sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Nec obstat, quod Christus in Eucharistia non sit sensibilis, Consensus in Matrimonio, quia Christus non est Sacramentum, sed effectus, & consensus internus externo signo debet exprimi.

Dicitur *Gratiam DEI:* ut significetur signi hujus sensibilis signatum, quod est gratia non tantum habitualis, quam gratiam semper causant, sed & actualis excitans, adjuvans, & consequens, nam præter gratiam sanctificantem seu habitualem Sacramenta actualis gratiæ auxilia conferunt ad illorum finem opportunum.

Dicitur *vel effectum ejus gratuitum:* propter Sacramentum Eucharistiæ, quod in pyxide custoditum non est signum gratiæ sanctificantis, sed subsistentis, nempè realis præsentiæ Christi sub speciebus, quæ præsentia est gratuitus effectus gratiæ DEI: dicitur autem effectus, non quòd de novo producatur, sed quòd de novo ibi fiat præsens.

Dicitur *efficaciter significans:* Ad denotandum quod jam dixi, Sacramenta causare gratiam *actualiter, vel aptitudinaliter* supple, nam licèt aliquando & frequentiùs actu eam causent, aliquando tamen ea non producitur, quando in suscipiente ponitur obex.

Dicitur *ex Institutione Divina:* Tum, Quia omnia signa, quæ instituta sunt Sacramenta à DEO sunt ordinata: Tum etiam, ut excludantur ratione Sacramenti Martyrium, ablutio pedum, sacrificium, si in rigore & non concomitanter spectetur, quæ ex opere operato per se ut signa non causant gratiam.

Dicitur *Ordinatum ad salutem hominis viatoris:* ad denotandum, quòd Sacramenta non sint instituta, nisi pro illis, qui non sunt in termino, in termino enim positi sunt incapaces, beati non indigent, damnatis non prodest.

Arguitur Primò: Contra primam Conclusionem: Relatio non est una, nisi in quantùm fundamentum est unum; sed in Sacramento fundamentum est multiplex: ergo. Respondeo, dist: maj: nisi fundamentum sit unum unitate Physicâ nego: moraliter concedo: & distin: similiter min: Quia sicut compositum quodcunque unum dicitur, ita etiam dici potest Sacramentum, in quo aliquid se habet per modum materiæ, quia præcedit, & petit determinari, & aliquid per modum subsequentis & determinantis ac formæ, quæ possunt dici unum, sicut etiam hedera plura importat, circulum, ramos. colligationes, conum, &c. & tamen unicum est signum, sic in Sacramento ratio essentialis consistit præcisè in relatione signi ad signatum, éstque ejus conceptus quidditativus, licèt non quietativus intellectus, nisi etiam ponantur extrema, sicut nec quietatur intellectus in relatione Paternitatis per expressionem solius generis & differentiæ, quam utique propriam habet, sed debent etiam poni extrema, Pater & Filius. XI. Sacramentum quomodo sit quid unum.

Non volo tamen dicere, quòd sit relatio omninò realis resultans ex institutione Divina ad prædicamentum Habitûs pertinens, ut voluit Brancatus, quia satis explicatur realitas Sacramenti per reales denominationes extrinsecas, nec est à communi modo facilè recedendum, maximè cum talis relatio sit conficta, & ea admitti deberet resultari ex quolibet contractu humanò, quod in via Scoti difficulter defendi potest, qui absolutè dicit, relationem signi ad signatum in Sacramento non esse realem, quia non convenit ex naturâ rei, sed ex institutione Divina, unde docet, quod si Ens extra animam propriè debeat esse illud, quod definiri debet, Sacramentum sic definiri non posse in omni rigore, sicut nec possent secundæ intentiones: Et posito, quòd sit relatio realis propriè, non potest tamen dici, quòd pertineat ad prædicamentum Habitûs, sed potiùs Actio- XII. Relatio, quam dicit Sacramentum, non est realis.

Actionis, quia est signum practicum & effectivum sui signati.

Arguitur Secundò contra secundam Conclusionem: Hæc definitio non convenit omnibus, ergò bona non est. Probatur antecedens: Quia non convenit Sacramentis Legis veteris, ut Esui Agni Paschalis, consecrationi Levitarum &c. quæ gratiam non conferebant, sed solummodò significabant, & figurabant. Respondeo, Negando antecedens, cujus probationis antecedens distinguo: non convenit Sacramentis antiquæ Legis propriè dictis, nego: impropriè dictis, concedo. Itaque Sacramenta Veteris Legis propria, ùt remedium Legis Naturæ & Circumcisio conferebant etiam gratiam sanctificantem, quamvis non ita perfectè sicut nostra, eodem modo, nec in tanto gradu, undè figurabant gratiam completam, secundò causabant, & erant prognostica signa gratiæ futuræ completæ, & demonstrativa gratiæ præsentis completæ, nostra verò sunt demonstrativa gratiæ completæ præsentis, & prognostica futuræ gloriæ. Reliqua autem Sacramenta non erant propriè dicta, & sic non conferebant gratiam sanctificantem, sed solùm aliquam Legalem, quod non sufficit, ut aliquid dicatur propriè Sacramentum, alioquin deberent etiam apud nos plura esse quàm septem. Quia prima tonsura, absolutio ab excommunicatione, aqua benedicta, consecratio Abbatum, professio Religiosa ex se conferunt aliquam sanctitatem legalem & imperfectam, per hoc tamen non sunt Sacramenta.

XIII. Quæ differentia inter nostra & vetera Legis Sacramenta.

XIV. Sacramenta nostra & Legis veteris non sunt univocè perfectè.

Instatur. Si Sacramenta antiquæ Legis non æquè perfectè & eodem modo gratiam contulerunt ac nostra, non poterit univocè dici convenire eis ratio Sacramenti, sed hoc requiritur, ut aliqua Definitio dicatur eis ut sic convenire: ergo. Respondeo, Distinguendo majo: non poterit univocè dici perfectè, concedo: analogicè univocè nego. Quid autem sit perfecta univocatio, & imperfecta ex Logica suppono, quâ ratione etiam dicimus univocè convenire substantiam & accidens in ratione entis, & omnes species genus unum dividentes, & à se distantes, nempe cum analogia quadam admixta.

Arguitur Tertiò: Definitio non convenit soli: ergò. Probatur antecens: Quia convenit sumptioni Evcharistiæ sive Communioni, Martyrio, Sacrificio: ergo. Probatur antecedens: Quia omnia sunt signa sensibilia efficientia gratiam sanctificantem: ergo. Respondeo, Negando antecedens cum probatione, cujus probationis antecedens distinguo: Omnia sunt signa sensibilia gratiam efficientia efficaciter ex opere operato sine speciali privilegio constantia rebus, ùt materia, & verbis, ùt forma, nego: inefficaciter & cum privilegio, & non ordinata ad justificationem hominis primariò, concedo: vel si non vis omnia intra eandem distinctionem comprehendere, nega antecedens simpliciter, & ad Communionem dicito, quod hæc non causet gratiam physicè, vel moraliter ùt causa, sed ùt conditio applicans causam.

XV. Cur Communio, Martyrium & Sacrificium non sint Sacramenta.

Ad Martyrium dic, quòd illud ex operato opere gratiam conferat, sed per speciale privilegium, si non ponatur obex, ex hoc tamen non sequitur, esse Sacramentum, quia deficit in alio, non constat enim rebus ùt materia, verbis ùt forma. Imò si consideretur ex parte efficientis, est res vetita, si verò ex parte sustinentis, est actus charitatis vel fortitudinis.

De Sacrificio dico, illud quà tale non esse Sacramentum, licèt apud nos hostia Sacrificii, & Sacramentum idem sit materialiter sumptum, formaliter tamen sunt diversa, quia Sacrificium respicit principaliter nostram subjectionem, & testificationem Excellentiæ Divinæ & Supremi Dominii super nos: Sacramentum verò principaliter respicit nostram Sanctificationem: Sa-

cramentum consistit in re permanenti, Sacrificium in transeunte consecratione, sicut etiam olim occisio Agni Paschalis erat Sacrificium, Esus ejusdem aliquod Sacramentum figurativum Gratiæ futuræ.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum pro omni statu fuerint aliqua Sacramenta instituta?

QUæstio hæc ordine præpostero huc poni videri posset; quæritur enim si sint, cum jam præteritâ Quæstione disputaverim quid sint, attamen non sine necessitate mutatur, nam antequam ostendatur esse Sacramenta, necesse fuit intelligere, quid nomine Sacramenti intelligatur. Undè pro resolutione

I. Quid, & quotuplex sit Status? Nota Primò: Per statum Theologos intelligere conditionem seu modum, quo se natura humana habet in vel circa ultimum finem, juxta variam dispositionem Divinæ Providentiæ, undè describitur à Doctore 1. d. 3. quæst. 3. *Quòd sit stabilis permanentia Naturæ humanæ, Legibus Sapientiæ Divinæ firmata.* Præter supernaturalem beatitudinis statum, varii alii assignantur, præcipuè tamen sunt quatuor: Innocentiæ, Legis Naturæ, Mosaicæ, & Christi. Controvertitur ergò hìc, utrum in quolibet statu fuerint aliqua Sacramenta, quibus conveniret descriptio superiùs data.

II. Sacramentorum institutio est congrua. Nota Secundò: Non posse quidem ratione sive à priori, sive à posteriori demonstrari, esse necessariam institutionem Sacramentorum; quia DEUS ad extra contingenter agit, consequenter nulla ratio dari potest, quare necessariò DEUS institueret. Et quia DEUS effectum, quem Sacramenta producunt, nempè gratiam sine eis producere potest: Attamen valdè congruum est eorum institutio propter eruditionem nostram, ut per hujusmodi signa perveniamus in cognitionem effectûs invisibilis propter exercitationem nostram, ut in nobis gratiæ & gloriæ excitaretur desiderium. Et propter unionem & conjunctionem omnium eandem fidem profitentium, nam sine Sacramentis hæc unio non subsisteret, nec sufficit institutio cujuslibet naturalis signi & humani, quia hæc non haberent certitudinem effectûs infallibilem, nec significare possent nisi naturalem.

Dico Primò: *In Statu Patriæ nullum erit Sacramentum.* Est indubitata. Probatur: Quia tunc cessabunt congruentiæ, ob quas Sacramenta instituuntur: ergo. Probatur antecedens: Quia tunc non ampliùs debebit manuduci ad intelligibilia pertinentia ad salutem per sensibilia: nec indigebit ad quærendum ea exercitatione aliquâ, habebit enim perfectam suam cognitionem, & salutem. Nec debebit conjungi & copulari per signa aliqua ad discernendos Fideles ab Infidelibus, quia tunc nulla planè erit distinctio Judæi & Græci, nulla Nationum & Sectarum diversitas, & à Damnatis tàm loco, quàm operationibus Beatitudinis, abundantissimè discernentur. Probatur Secundò: Quia ibi ampliùs non erit peccatum, neque mors, nec dolor ullus, sed perfecta Charitas, quæ foras mittit omnem timorem. III. In statu Patriæ non erit Sacramentum.

Dico Secundò: *In Statu Innocentiæ nullum de facto fuit Sacramentum, si tamen perseverâsset, probabiliter dici potest fuisse.* Ita Alensis, Suaretz, Cajetanus, Abulensis, Catharinus, &c. Probatur Primò: Quia nec ratione, nec authoritate constat ulla fuisse, nec ulla fuit congruitas, nec necessitas, quia DEUS prævidit illum statum brevi tempore duraturum, undè nec necesse erat, nec congruum aliqua instituere Sacramenta. IV. In statu Innocentiæ nullum fuit Sacramentum.

Dices: Inter Adam & Evam fuit verum Matrimonium in statu Innocentiæ: ergo. Respondeo, Negando

gando consequentiam, nam solummodò fuit institutum ad usum naturæ, non ut Sacramentum ad remedium concupiscentiæ, idque maximè constat ex sensu Ecclesiæ, quamvis ab Apostolo ad Ephes. 5. sic vocetur, largè sumpto vocabulo Sacramenti: quia videlicet erat mysterium figurativum Christi Incarnationis, seu conjunctionis Christi cum Ecclesia.

V. Perseverante statu Innocentiæ probabiliter fuissent Sacramenta.

Probatur Secunda Pars ratione Alensis: Quia Sacramenta non solùm sunt remedia conferentia ad tollendum peccatum, & medicinæ remediativæ naturæ humanæ, sed etiam sunt perfectiva ipsius naturæ ratione collationis cognitionis gratiæ perficientis naturam, sunt enim signa ducentia ad cognitionem gratiæ, quæ perficiebant naturam stantem. Hinc Probatur Tertiò eadem Pars: in statu Innocentiæ fuisset necessaria cognitio visibilium ducens ad invisibilia, exercitatio in operibus ad salutem, etsi non impedimentum retrahens ab ipsa, saltem retardare potens: ergò fuissent Sacramenta. Antecedens patet quoad duas partes priores, & consequenter congruebat Sacramentorum institutio non secus ac modò.

Probatur quoad Tertium: Quia stante statu Innocentiæ potuissent homines peccare venialiter, ergò poterant habere remedia pro illis Sacramentalia, nec dicas posse deleri sine Sacramentis, quia etiam nunc Sacramenta aliqua instituta sunt ad delenda præcisè peccata venialia per se, ut extrema Unctio. Iterum in statu Innocentiæ potuisset esse peccatum mortale, quia de facto fuit, nam Evâ peccante non statim Innocentiæ status periit, imò propter esum ipsius non periisset, si Adam non peccasset, nam per unum hominem mors intravit in mundum, & non in Evâ, sed in Adam omnes peccaverunt; ulterius sunt, qui putant, nec statum Innocentiæ periisse propter alia peccata Adami, si non manducâsset. Tandem omnes Posteri non erant confirmati in gratia, debuissent primam tentationem superare, quia Adam ipsis non transfudisset gratiam habitualem meritis suis, sed DEUS liberaliter illis contulisset, sed ad confirmationem & victoriam hujusmodi convenientissima erat Sacramentorum institutio, quia sine illis non fuissent tàm certi, nulla enim signa habuissent eam infallibilitatem.

VI. Aliæ Rationes ad idem.

Probatur Quartò: Quia etsi Adam non peccâsset, Christus adhuc venisset, fuisset caput Ecclesiæ & Sponsus, ergò potuisset etiam elevare Matrimonium ad esse Sacramenti, sicut modò, quia habuisset eandem significationem & repræsentationem, fuisset Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia, ad Ephes. 5.

Probatur Quintò: Quia tunc Sacramenta habuissent perfectissimam rationem Sacramenti, fuissent enim signa sensibilia gratiam significantia, ergò sufficiebat, quòd essent remedia præservativa augmentativa gratiæ, & ostensiva Divinæ suæ charitatis, undè poterat etiam instituere Eucharistiam, licèt non rememorativam suæ Passionis, saltem demonstrativam dilectionis, hâc institutâ congruum fuisset quoque Sacerdotium.

VII. In statu Innocentiæ fuisset sacrificium.

Probatur Sextò: Quia in statu illo congruum erat Sacrificium aliquod, quia maximè viguisset Religio vera, sed Sacrificium est primarius, & principalis ejus actus, ergò etiam congruum fuisset ipsum. Confirmatur: Quia congruebat ad colligationem & unionem totius populi, ad actus exteriores fidei præstandos. Sed contra Conclusionem

Opponitur Authoritas Doctoris Subtilis 4. d. 1. q. 3. §. de Tertio Articulo, ubi ait: *Pro statu etiam Innocentiæ non fuit congruum institui Sacramentum, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo ex sensibilibus potuerit cognoscere intelligibilia: tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet possit dici propriè medicina:* ergò Conclusio su-

VIII. Non fuissent in statu innocentiæ Sacramenta ut medicina.

sio superior est contra mentem Scoti. Respondeo, Negando consequentiam, quia Scotus tantùm dicit, quòd pro illo statu non fuerit necessarium instituere Sacramenta, ùt medicinam pro morbo, non verò quòd non congruerit instituere, ùt præservativa, ùt confortativa, ùt victoriosa, & demonstrativa suæ magnæ dilectionis, ùt notanter primò dicit, *sicut post lapsum*. Secundò: *ùt possit propriè dici medicina*, Quia propriè talis est, ubi morbus antecedit. Tertiò, ipse Scotus videtur dubitare, an non etiam ut medicina propriè, quia ibi subjungit: *Sed in omni statu viæ morbus est in natura*.

Instatur: Si Sacramentum illud non fuisset propriè medicina, non fuisset univocum cum nostris, sed deberet esse, si velit habere rationem Sacramenti, ergò. Respond. Primò: Negando majorem, quæ licèt non essent univoca perfectâ, saltem analoga, haberent enim rationem genericam signi significantis gratiam ejusque augmentum. Respond. Secundò: Negando minorem, quia talia nec nostra sunt, & Legis veteris, & tamen utraque habent rationem Sacramenti, imò nec nostræ Legis sunt perfectè univoca, quia alia sunt vivorum, alia mortuorum, alia transeuntia, alia permanentia.

IX. Sacramenta non debent esse univoca.

X. In Lege naturæ remedium peccati Originalis fuit Sacramentum.

Dico Tertiò: *In Lege naturæ nullum fuit Sacramentum propriè dictum, præter remedium peccati originalis*. Est Doctoris 4. d. 1. q. 3. 6. & 7. & communis Sanctorum PP. Hæc Conclusio tres habet Partes. Probatur quoad primam & secundam tum Authoritate D. Augustini lib. 5. contra Julianum cap. 11. asserentis: *Nec tamen credendum ante Circumcisionem famulos DEI, quod illis inerat mediatonis Fides Christi in carne venturi nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quod illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit*. D. Bernardi tract. ad Hugo. cap. 1. *At verò quis nesciat, & alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse Patribus? Abrahæ quidem & semini ejus Circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est. In Nationibus verò quotquot fideles inventi sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam solam fidem profuisse*, nempe signo externo expressam: Tum ratione congruentiæ. Pro nullo tempore DEUS reliquit suos cultores sinè remedio ad salutem necessario, sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio originalis, ergò.

Dices: Non fuisset aliud remedium quàm fidem parentum, sed illa fides non est Sacramentum: ergò. Contra. Illud remedium fuit Sacramentum, quia ex opere operato deletivum certum, & infallibile, ergò fuit signum sensibile, & non fides parentum, quæ non est sensibilis, & si qui Sancti PP. adhuc contrarium dicere videntur, explicandi sunt illos voluisse parvulis sufficisse fidem solam parentum expressam aliquo signo externo fidei protestativo, quod signum ego Sacramentum voco. XI. Illud remedium non fuit sola fides parentum.

Probatur Conclusio quoad Tertiam Partem: Quia cùm Institutio Sacramentorum pendeat ex voluntate DEI, non sunt sine sufficienti authoritate, & ratione multiplicanda, quæ hic non est. Dubitant tamen aliqui de Sacrificio, & Sacerdotio Melchisedech, attamen non constat illud Sacrificium fuisse institutum à DEO ut Sacramentum, nec universale fuit, sed solùm pro familia Melchisedech, sicut Circumcisio pro familia Abrahæ ante Legem scriptam, & sic Sacramentum propriè dictum non est. XII. Nec Sacrificium, nec Sacerdotium Melchisedech fuit Sacramentum.

Quantum ad Sacerdotium, licèt Scriptura dicat Gen. 14. v. 19. *Erat enim Sacerdos DEI Altissimi*. Respond. Lugo disp. 3. Sect. 2. num. 67. non fuisse verum Sacerdotium, sed habuisse illud ex electione populi, & hæreditariâ successione, adeóque non esse Sacramentum propriè dictum, quia non fuit ex legitimâ, idest,

id est, Divinâ Institutione, sed ordinatione humanâ, unde expressè dicit Anacletus Papa Epist. 2. Decret. *Quia licèt aliqui priùs* (ante Sacerdotium Aaron) *legantur Sacrificium obtulisse, hi tamen spontaneâ voluntate, non Sacerdotali authoritate hoc fecerunt.*

XIII. Remedium Legis Naturæ consistebat in signo sensibili.

Dico Quartò : *Remedium Legis Naturæ consistebat in signo sensibili, procedente ab actu interiori, certo & determinato, habebátque veram rationem Sacramenti.* Probatur Primò ex authoritate D. August. supra, & lib. 19. contra Faustum, ubi dicit : *In nullum nomen religionis coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligantur.* Sed per illud remedium parvuli aggregabantur Ecclesiæ, ergò fuit Sacramentum, ergò sensibile, certum, & determinatum. Illud ipsum supponit in lib. contra Julianum, dum ait : *Sacram Scripturam ex causa necessaria latere voluisse*, quale fuerit remedium, certum autem est, quòd non voluerit latere actum internum, quia hunc omnes Patres dicunt fuisse actum fidei circa Mediatorem venturum.

XIV. Ratio ad idem.

Probatur etiam Ratione quoad singulas partes : Et quoad primam sic : In illo statu erat necessarius cultus DEI tàm internus, quàm externus, ergò debebant per signum sensibile parvuli justificari : antecedens patet quoad primam partem. Creatura enim debitum naturale habet, ut DEUM cognoscat & revereatur. Probatur secunda Pars antecedentis. Tum, Quia de facto non sufficit solùm credere per actum interiorem ; sed etiam debet fieri protestatio fidei exterior. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, ait D. Paulus : Tum, Quia in illo statu fuerunt Sacrificia grata DEO, ùt Abelis, Gen. 4. Noë, c. 8. Melchisedech, c. 14. Abraham, Jacob : quæ probabiliter à DEO ordinata fuerunt, & eis revelata, alioquin improvidè egissent, nec scire potuissent, an DEO essent grata? sed possibile est ; quòd aliquod Sacrificium fuerit etiam Sacramentum, sicut defactò est, ergò.

XVI. Remedium Legis Naturæ fuit quid certum & determinatum.

Probatur tertia Pars : Justificatio parvulorum certa esse debebat, sicùt certa erat eorum Ecclesia, sed si remedium non fuisset certum, nec certa erat justificatio, quia nequit certò sciri justificatio fieri, nisi certum sciamus remedium, & certum signum, quod à DEO esset ordinatum, quia sinè illius ordinatione nullus potest subsequi infallibilis effectus gratiæ.

An autem fuerit determinatum in genere vel in specie, incertum est, potuit enim tàm in specie determinari, quàm in genere, ùt Scotus ait, quòd externum signum, quòd parentes applicabant parvulo, debuisset esse protestativum fidei, sivè per Sacrificium, sivè in verbo aliquo invocandi DEUM, vel offerendi parvulum DEO; etenim simile deprehenditur in Sacramentis novæ Legis, quia Matrimonium non est contractus aliquis determinatus, sed legitimus, quibuscunque demum conditionibus, & circumstantiis sit vestitus, & firmatus; neque ex hoc, quòd dicatur confici posse Matrimonium signis vel nutibus, verbo vel scripto, dicitur esse signum indeterminatum, sed determinatum, quantùm sufficit ad rationem Sacramenti ; sic materia Calicis non est vinum hoc vel illud, hujus aut illius speciei, sed vinum de vite ; sic quoque Sacramenti ordinis materia & forma non est instituta in specie determinata, sed in genere sub ratione signi expressivi potestatis collatæ ordinato. Nec tamen hinc inferre poteris, quòd si fuerit materia vel signum indeterminatum, quòd tot poterunt esse Sacramenta quot capita, quia quilibet in sensu abundabit, nam potuit determinari ab Ecclesia ad unum in specie modum, sicut est defacto in Matrimonio, vel erit determinatum in genere, quod ad Sacramentum sufficit. Imò dico ipso DEO fuit determinatum quòd esset actus fidei Messiæ venturi ; &

externa protestatio, non verò alterius virtutis.

XVI. Ac verum Sacramentum. Probatur denique ultima Pars: Quia illud remedium duravit tempore Legis scriptæ pro solis fœmellis, & ante octavum diem pro utrisque, sed in Lege scripta erat remedium contra originale peccatum in fœmellis & Sacramentum, ergò & in Lege naturæ; deinde illud remedium delebat peccatum originale ex opere operato, erátque institutum à DEO ad salutem parvulorum, poteratq; conferri ab infideli etiam ex pravo fine, & mala intentione, ita, quòd adhuc esset validum, dummodò habuisset intentionem, quod faciebat Ecclesia & congregatio fidelium. Sed

Opponitur incontra primò Authoritas S. Bernardi supra, ubi dicit: *Parvulis solam profuisse, imò & sufficisse fidem parentum*; & D. Gregor. lib. 4. moral. 2. dicentis: *Quod efficit apud nos aqua Baptismi, hoc fecit apud veteres pro parvulis sola fides, & pro majoribus virtus Sacrificii.*

XVII. Fides quo sensu suffecerit pro parvulis. Respond. Tàm S. Bernardum, quàm S. Gregorium aliud non voluisse, quàm parvulis suffecisse solam fidem parentum externam, non verò purè internam, nam etiam externa fidei protestatio fides est, imò ejus perfectissimus actus glorificationis Christi, ita quòd pro parvulis aliud Sacrificium adhibere non fuerit necessarium, in adultis verò fuerit aliud Sacrificium etiam necessarium, & in peccatoribus simul contritio adest Sacrificium laudis in corde contrito & humiliato. Fides itaque in parvulis sufficit sinè sacrificio, sed non sinè signo sensibili.

Quantùm ad statum Legis scriptæ, non est dubium plurima fuisse Sacramenta, maximè si sumatur Sacramentum in largiori acceptione, ùt patet de esu Agni Paschalis, panibus propositionis, lustrationibus, purificationibus, ordinationibus Sacerdotum. Præcipua tamen difficultas, quæ hic examinari debet, est de Circumcisione, utrum fuerit Sacramentum, de quo nullum est dubium, quamvis primariò institutum fuerit, ut esset signaculum Fœderis, quod pepigit DEUS cum Abrahamo ad distinctionem suæ familiæ à reliquis populis, quæ esset simul protestatio fidei in Messiam venturum, ùt patet ex Genes. 17. sed an conferebat gratiam ex opere operato, quæ difficultas etiam currit de remedio Legis Naturæ. Unde

Dico Quintò: *Circumcisio in Lege scripta, & remedium Legis Naturæ, conferrebant gratiam ex opere operato.* Est Doctoris 4. d. 16. quem præter suos sequuntur RR. quasi omnes contra D. Thomam. Probatur Primò Authoritate Papali Innocentii III. cap. *Majores de Bapt.* ubi dicit: Baptismum successisse Circumcisioni, & comparat verba illa Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro*, &c. cum illis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum DEI*; & tandem concludit, quòd licèt per Circumcisionem tolleretur peccatum originale, sicut per Baptismum, hunc tamen in eo præstantiorem esse, quia baptizati statim possunt intrare in regnum cœlorum, non poterant circumcisi, quia janua nondum erat aperta. Similia habent cap. *Ex quo*, & cap. *Quod autem de Consecr.* dist. 4. XVIII. Circumcisio & remedium Legis Naturæ contulerunt gratiã ex opere operato.

XIX. Authoritas Patrum ad idem. Probatur Secundò Authoritate SS. PP. D. August. lib. 3. contra Julianum cap. 18. dicentis: *Ex quo instituta est Circumcisio in populo DEI ad purgationem veteris peccati, valebat magnis & parvulis sicut Baptismus.* Similia habet lib. 2. de Concup. & Nupt. cap. 11. lib. 2. de gratia & peccat. origin. 30. lib. 16. Civ. cap. 21. & lib. 4. de Bapt. cap. 24. D. Bernardi Serm. 4. Epiph. de Circumcis. Baptismo, &c. ubi ait: Sic agit Misericors: *Duritiam duris congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem peccati originalis; quam vix* (quia sinè dispositione ad gloriam) *cultellus Circumcisionis eradere poterat, ex hoc jam cum unitione gratiæ facilè lavet aquæ.* Serm. 1. in Cœn. Domini. *Quæ est*

est gratia, unde per Baptismum investimur? utique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, & in quem peccatum non cadit DEUS? Hujus quidem gratiæ Sacramentum prius erat Circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet, sed veniente Domino, qui est Agnus totus suavis, & mitis, cujus jugum suave est & onus leve, optimè satis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione S. Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret. Ubi mellifluus Doctor expressè Circumcisioni præbet vim abluendi peccatum originale, æquiparando Baptismati, & clarissimè illud iterum docet Serm. 2. de Assumpt. B.V. his verbis: *Postremò cùm omni modo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam; quippe cùm & nunc in Baptismate sola hanc maculam lavet gratia, & sola eam raserit olim Petra Circumcisionis, ut omninò pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihil ominùs ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit.* His PP. adde Ambrosium, Cyprianum, Fulgentium, Gregorium, Bedam, &c.

XX. Ratio ad idem. Probatur Conclusio Ratione Primò: Tâm Circumcisio, quàm remedium Legis Naturæ conferebant gratiam sanctificantem, ergò ex opere operato. Probatur antecedens: Si per illa deleretur peccatum, & non conferretur gratia, sequeretur, quòd daretur status medius inter filium DEI & filium iræ, nam illi, quibus originale remitteretur, & non conferretur gratia sanctificans, non essent filii DEI, quia gratia sanctificans est, quæ formaliter filios DEI constituit; nec essent filii iræ, quia remitterentur illis peccata, ergò. Probatur jam consequentia principalis: Si Circumcisio ex opere operantis tantùm contulisset gratiam, malè fuisset provisum parvulis, qui proprium non poterant habere meritum, sed hoc non est dicendum, ergò. Probatur sequela: Si parvuli circumciderentur à malo ministro, nil ipsis prodesset Circumcisio, quæ opus illius esset moraliter malum, ergò ut dicamus DEUM, qui vult omnes homines salvos fieri, & semper voluit, benè providisse tempore Legis Naturæ & scriptæ, consequenter dicere debemus Circumcisionem & remedium Legis Naturæ contulisse gratiam ex opere operato.

Probatur Secundò: Quicquid fuit efficax ad delendum peccatum ex institutione divina, fuit etiam efficax ad causandam gratiam ex opere operato: sed Circumcisio & remedium Legis Naturæ fuit efficax ad delendum originale, ergò. Major est certa: Quia non aliter colligimus Baptismum, v. g. esse signum efficax gratiæ ex opere operato, quàm quòd ex institutione divina sit efficax ad delendum originale. Probatur minor: Tum ex illo Gen. 17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo.* Quæ verba sunt similia his: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Joan. 3. quibus efficacia & necessitas Baptismi probatur, ergò & Circumcisio. XXI. Item alia ratio.

Opponitur Primò: Apostolus ad Galat. 5. v. 6. ait: *Neque Circumcisio aliquid valet*, &c. & 1. Corinth. 7. *Circumcisio nihil est*; ad Roman. 3. *Quid amplius est Judæo, aut quæ utilitas Circumcisionis*, ergò Circumcisio non contulit gratiam ex opere operato. Respond. Negando consequentiam: Nam Apostolus intelligendus est pro illo tempore, quo illa verba scribebat, nempe post publicationem Evangelii, quo cessavit omnis obligatio Legis, & consequenter utilitas Circumcisionis. Nam ad Rom. 3. v. 1. *Quæ utilitas Circumcisionis? multùm per omnem modum* ait, ergò intelligendus hic ante profuisse, & modo non prodesse. Imò meliùs responderi potest ad illum textum ad Rom. 3. videlicet Paulum velle Circumcisionem nil plus contulisse Judæis, quàm cœteris Nationibus, quæ utebantur remedio Legis Naturæ præterquam quòd eis concredita sint eloquia DEI, unde notan- XXII. Apostolus contra valorem Circumcisionis adductus exponitur.

notanter ait: *Quid ampliùs Judæo, aut quæ utilitas Circumcisionis*, Supple major. *Multum*, respondet, *per omnem modum*, primùm quidem, *quia credita sunt eis eloquia DEI*, ad Roman. 3. Sed

XXIII. Alii textus ejusdem explicantur. Instatur: S. Paulus ibidem clarè docet: *Quòd ex operibus Legis non justificatur omnis caro coram illo*; & ad Eph. 3. *In Lege nemo justificatur apud DEUM*; & cap. 4. ait: *Egena Elementa & infirma.* Sed facilè respondeo Primò: Nunc concedo, olim nego. Respond. Secundò: S. Paulum loqui de Sacramentis aliis, quæ propriè talia non erant, non verò de Circumcisione & remedio Legis Naturæ, nam his exceptis reliquæ erant umbra futurorum bonorum, ùt ipse loquitur ad Coloss. 2.

Opponitur Secundò Authoritas SS. PP. qui id negare Circumcisioni videntur, ùt sunt Irenæus, Epiphanius, Justinus. Deindè Concilii Florentini in Sess. ult. Decret. ad Arm. ubi distinguit Sacramenta novæ Legis ab antiquis, quòd nimirum hæc non causabant gratiā, sed solùm per Passionem Christi dandam significabant, illa verò continent & conferunt dignè suscipientibus; & tandem sacræ Scripturæ; Apostolus 4. ad Rom. docet, Adraham non fuisse justificatum ex Circumcisione, sed ex fide scilicet vivâ per charitatem, & accepisse Circumcisionem tanquam signaculum fidei, quod erat in præcepto Abrahæ, ergò. Ad hanc Objectionem & Authoritates plurimas inveni responsiones, quia in terminis Scoti solennissimam & generalem reperio 4. d. 1. q. 6. n. 11. eandem hic in terminis pono: *Et tamen si sint aliqua dicta Sanctorum gratiam negantium ab illis Sacramentis, loquendo non tantùm de Cæremonis, sed etiam de Circumcisione, respondeo, dupliciter potest intelligi, vel quia parvam gratiam contulit Circumcisio respectu Baptismi, vel quia non contulit gratiam ut dispositionem immediatam ad gloriam, quia non aperuit januam: sed hoc non fuit ex defectu ejus, sed quia fluxit tali tempore, quo pretium non fuit solutum. Vel tertio modo non contulit gratiam, quia non universaliter cuicunque suscipienti determinabatur, aut fortè ex institutione sua ad certum gradum gratiæ, ita quod ultra illum gradum non posset nec intendendo, nec inducendo, & ita si tantum gradum invenerit in suscipiente, nihil sibi conferret*, &c. Et infra postquam Apostoli locum cit. examinâsset, ait: *Unde Abraham jam justificato signaculum tantùm fuit, nihil enim sibi interiùs contulit, quia gratia jam attigerat vel transcenderat illum gradum, ad quem determinata fuerat Circumcisio.*

XXIV. Patres contra Circumcisionem Objecti explicantur.

Ad Concil. Florent. sub Eugenio particulariter responderi potest, non contulisse gratiam, nisi dependenter à meritis Christi futuris, nostra verò à meritis Christi jam exhibitis, & hoc quàm necessariò, quia vix credo Eugenium voluisse damnare Innocentium cap. Majores. Imò Concilium illud loquitur de aliis Sacramentis antiquæ Legis, & illa revera non conferebant gratiam, sed solùm significabant. Attamen XXV. Item Concilium Florentinum.

Instatur: Concil. Trident. Sess. 7. Can. 2. ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non differre à Sacramentis Legis veteris, nisi quia sunt Cæremoniæ aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Sed si Circumcisio & remedium conferrent gratiam ex opere operato, non essent nisi cæremoniæ aliæ, ergò. Respond. Negando min. Licèt enim conveniant in collatione gratiæ, adhuc tamen sunt plures inter ipsa differentiæ, nam Baptismus confert majorem & uberiorem gratiam, januam regni cœlestis aperit, dat eam semper, si obex non est, auget, remittit totam pœnam, & imprimit characterem. Imò intentio Concilii Trident. fuit solùm damnare hæreticos asserentes nostra Sacramenta non causare gratiam ullam, sed solùm signa esse gratiæ, sicut olim fuerunt gratiæ completæ Christi. XXVI. Differentiæ inter Sacramenta Veteris & Novæ Legis.

Arguitur: Circumcisio non adhibere debuit ante octavum diem, ergò non fuit remedium peccati, aliàs malè fuisset provisum parvulis, qui XXVII. Parvulis ante octavam diem applicabatur remedium Legis Naturæ,

qui sæpè ante diem octavum moriuntur. Confirmatur. Remedium peccati debuit fuisse commune masculis & fœminis, qualiter non fuit Circumcisio. Respondeo, concedo antecedens, nego consequentiam, quia pro illis, qui ante diem octavum moriebantur, applicare debuit remedium Legis naturæ: sicut semper applicabatur fœminis, & omnibus illis infantibus per illos quadraginta annos, quibus ob itineris difficultatem Judæi infantes non circumcidebant.

XXVIII. Circumcisio contulit gratiam à quocunque Ministro exhibita. Instatur. Si Circumcisio habuisset virtutem conferendi gratiam ex opere operato, contulisset eam à quocunque Ministro fuisset exhibita, sed non contulit, ergo. Probatur minor: Quia multæ Gentes adhibuerunt eam, quas tamen non justificavit. Respondeo, Negando minor: ad probationem dico, quòd eam contulisset, si intentionem habuissent faciendi, quod faciebat Ecclesia fidelium, unde Circumcisio nudè sumpta sinè applicatione nihil proderat, sicut nec augmentum conferebat, ubi gratia jam erat, licèt aliqui ex Scoto contrarium velint deducere, ex eo, quòd dicat non contulisse augmentum, ubi in certo gradu deprehendit.

Denique Circumcisio nôn proderat nisi parvulis, adulti autem ad Circumcisionem adhibere debebant actum dilectionis & contritionis, si ab actualibus justificari volebant, sicut Abraham, quem Paulus clarè docet ad Rom. 4. ex Circumcisione non fuisse justificatum, sed ex fide & operibus, & postmodum Circumcisionis accepisse signum.

Quæres: An Sacramenta veteris & Legis Naturæ habuerint aliquam formam? Respondeo, hoc esse incertum, siquidem nec Scriptura, nec Patres mentionem faciunt, adeóque nil dici posse. Sed quia Legem implevi ad statum gratiæ propero, in quo nullum dubium est, esse Sacramenta propriè dicta, quorum institutio non fuit absolutè & simpliciter necessaria, poterat enim DEUS aliis signis externis, præsertim Sacrificiis populum Christianum adunare, & gratiis liberaliter donandis efficaciam Sacramentorum supplere; congruentissimum tamen fuit attenta DEI benignitate, & hominis infirmitate talia signa institui.

De illorum numero nobiscum, & inter se ipsos multùm altercantur hæretici. Fides tamen Catholica docet, tantùm esse septem, videlicèt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Ita Trident. Sess. 7. de Sacramentis in genere Canon. 1. Florent. Decret. de Armen: Nec obstat, quòd Scriptura non dicat esse septem Sacramenta, quia nec hoc negat. Sicut nec Scriptura ullibi dicit esse quatuor Evangelia, ergò non sunt. Sufficere ergo debet Authoritas, & Traditio Ecclesiæ, quare hoc septennario numero supposito de Fide certo, ad eorum materiam & formam explicandam accedo, quare sit. XXIX. Quot, & quæ sint Sacramenta Legis Novæ.

QUÆSTIO TERTIA.

De Materia & Forma Sacramentorum Novæ Legis.

Quodlibet Compositum sivè naturale sivè artificiale suam habet respectivè materiam, & formam, ex quibus constituitur, nam homo vel lapis componitur ex potentia & actu physico, sedes vel Cathedra ex lignis, cujus figura dicitur ejus forma, & reliqua habent rationem materiæ. Et sicut de istis quæri potest, ita etiam de toto Sacramentali. Veruntamen

Notandum: Quòd Quæstio moveri possit tàm de toto Sacramentali, prout sumitur materialiter, sivè pro denominato, quàm pro formali, seu pro Toto per se significato; si hoc posteriori modo accipiatur. Materia Sacramenti est totum fundamentum, super quod fundatur ratio illa, quæ est significatio & signatio. Forma verò est rela- I. Quæ sit materia & forma Totius Sacramentalis formaliter accepti.

relatio signans fundata super illud fundamentum, nam cum Sacramentum sit relatio intentionalis, non habet propriè materiam ex qua, sed est simplex forma, materia autem ipsius propriè loquendo est subjectum, super quod fundatur illa relatio. Et ratio ulterius est, quia Sacramentum componitur ex illo signo sensibili, & significatione efficaci, quæ est formale Sacramenti, & sinè qua nec verba, nec res haberent efficaciter causare gratiam. Item per illam relationem distinguitur sufficienter ab omnibus aliis signis, & etiam ab aliis Sacramentis, nam quælibet determinat sensibilem materiam ad tale, & tale Sacramentum, sic significatio Baptismi seu ablutionis animæ distinguit à significatione Confirmationis, quæ est significatio Unctionis animæ ad roborandum pro constanti confessione. Et sic de cœteris.

II. Et quæ Sacramenti fundamentaliter sumpti. Si verò sumatur Sacramentum pro illo, quod dicit fundamentaliter, potest etiam dici habere materiam & formam, (sed dicitur hæc partialis, & non ultima, sicut forma ligni in Cathedra respectu hujus artificiati forma quidem est, sed habens se in materia Cathedræ, éstque partialis & non ultima) quia etiam in hac acceptione habet se aliquid per modum determinabilis & determinativi, per modum prioris, & indifferentis, & per modum sequentis, & determinantis, primum dicitur habere rationem materiæ, & alterum rationem formæ, ob similitudinem materiæ & formæ in ratione compositionis. Et in hac acceptione hic quæritur de materia & forma, an videlicet essentialiter ex eis componantur, ex rebus ùt materia, & verbis ùt forma, éstq; sermo tantùm de Sacramento novæ Legis, quia de antiquis non constat aliquid.

III. Variæ Authorum Sententiæ. Et in hac Quæstione triplex est Sententia. Prima est Durandi, asserentis, Sacramenta omnia non constare rebus ùt materia, & verbis ùt forma, quod non modò tenet de Eucharistia, sed etiam de Matrimonio, & Pœnitentia. Secunda est RR. communiter, qui docent, omnia Sacramenta constare rebus ùt materia, & verbis ùt forma, tanquam partibus essentialibus. Ita Suaretz, Vasquetz, Lugo, Aversa. Tertia est Doctoris 4. d. 5. quæ. 1. & 2. docentis, Sacramenta, quæ in usu consistunt, constare rebus ut materia, verbis ùt forma, non verò quod consistit in esse permanenti ùt Eucharistia, quem sequuntur Scotistæ communiter, & præter hos Bellarminus, Coning, Amiens, Becanus, Meratius, & plures RR. cum quibus

IV. Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus ùt materia, & verbis propriis, vel æquivalentibus ùt forma. Dico Primò: *Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus ùt materia, & verbis propriis vel æquivalenter ut forma, non tamen intrinsecè omnia per illa constituuntur.* Hæc quoad primam est communis, & Probatur Primò authoritate Concil. Florentin. in Decret. Eugenii, ubi sic habetur: *Hæc omnia Sacramenta* (loquor de novæ Legis) *tribus perficiuntur sciliet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferendo Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quod si alterum desit, non perficitur Sacramentum.*

Probatur Secundò, Tum, Quia CHRISTUS Dominus sic instituit, ut ratio à priori sit ejus sacratissima voluntas, quæ nobis ex Scriptura, PP. & perpetua Ecclesiæ Traditione constat: Tum, Quia congruebat ùt quemadmodum Lex Evangelica perfecta est & clara, etiam haberet perfecta & clarissima signa suorum donorum, sed talia non essent per sola sensibilia materialia, nisi etiam accederent verba determinantia, & magis explicantia illa signa materialia: ergò. Probatur minor: Quia ex omnibus significativis perfectissima sunt verba, ut docet Div. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 3. dicens: *Verba illa inter homines obtinuerunt principatum significandi,*

candi, quæcunque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit. Nam & illa signa omnia, quorum genera breviter attigi, potui verbis enunciare, verba verò illis signis nullo modo possunt. Verum tamen

Nota: Non in quolibet Sacramento quælibet verba concurrentia esse formam, nam Concil. Florent. & Trid. Seff. 14. cap. 3. & 4. Confessionem verbalem recensent tanquam Materiam Sacramenti Pœnitentiæ, Satisfactio etiam frequenter constat verbis, & precibus vocalibus, sed ut rationem formæ habeant, debent esse determinativa rerum sensibilium in se, vel quæ talia facta sunt per verba, ita ut teneat locum rei determinabilis. Hinc

V. Alia Ratio ad idem.

Probatur Conclusio quoad eandem Partem Tertiò per enumerationem: Nam Baptismus constat ablutione & verbis. Confirmatio constat unctione & verbis. Similiter extrema Unctio. Ordo quoque in traditione signi potestatis ordinati & verbis. Similiter Pœnitentia constat tribus partibus, Confessione, Contritione, & Satisfactione; tanquam quasi materia, & verbis tanquam forma absolutionis, his enim positis habetur prima ratio Sacramenti, quia primò tunc habetur completa ratio Judicii. Sola potest esse difficultas de Sacramento Matrimonii, quod quandoque fit solis verbis, quibus consensus utriusque conjugis exprimitur, & aliquando nutibus, non verò ullis verbis, quidquid tamen sit, etiam de ipso probatur. Quia res adsunt veluti materia remota, nempe corpora contrahentium, materia proxima est traditio corporum per contractum, in quo conjuges tradunt & accipiunt potestatem super corpora sua, quæ traditio est res & reale quid, sicut patet in omnibus aliis donationibus, & acquisitionibus; verba autem sunt, quæ explicant hujusmodi consensum ut contractum.

VI. Idem probatur specialiter de Matrimonio.

Nec refert, quòd in Sacramentis materia & forma debeant esse simul, contrahentes autem frequenter non sunt simul, quia non est necesse, quòd in omnibus debeat esse simultas physica, sed sufficit hic, sicut in aliis Contractibus æquivalens per aliud & alium, nempè per scriptum, & procuratorem, quia DEUS in ipso non mutavit naturam Contractus Civilis, sed solùm elevavit ad rationem Sacramenti, undè sicut alii Contractus inter absentes fieri possunt, ità etiam iste.

Nec refert Secundò: Quòd contrahentes sint Ministri, quasi verò ex hinc non possent esse Materia, cùm Concil. Florent. requirat actionem Ministri tanquam distincti à Materiâ, non inquam refert. Quia licèt in aliis hoc requiratur, in isto tamen non est necessaria hæc distinctio, non enim valet in his argumentatio à pari. Et posito, quòd Concilium requireret hanc distinctionem, tamen non esset realis, sed virtualis & æquivalens, undè contrahentes, in quantum tradunt sua corpora, sunt materia & res, in quantum faciunt, quod intendit facere Ecclesia, sunt Ministri. Quia Matrimonium potest æquè celebrari per nutus & signa, v. g. à mutis & surdis, ùt determinat Innocent. III. c. Tuæ Fraternitati 23. de Sponsalibus, & apertè intimat ipsum Florentin. in Decret. dicens: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, ubi addendo regulariter indicat, extraordinariè posse perfici sine verbis: ex quo etiam colligitur, in aliis Sacramentis semper oportere verba adhibere propriè dicta, cùm in solo Matrimonio fiat exceptio, quo firmat regulam in oppositum.

VII. Contrahentes sunt materia & res.

Probatur Secunda Pars manifestè ex ipso Concilio, quod postea specificans & declarans res, quibus singula Sacramenta perficiuntur, pro Materia Eucharistiæ assignat panem & vinum, quæ utique essentiam illius non ingrediuntur, imò vi Consecrationis destruuntur, similiter pro forma assignat verba, quibus hoc Sacramentum perficitur, quæ similiter transeunt. Accedit quòd Concilium

VIII. Non omnia Sacramenta intrinsecè constituuntur per materiam & formam.

cilium tantùm assignet Materiam remotam, Et quòd eodem planè modo Florentinum dicat suprà. Omnia Sacramenta perfici persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & tamen Minister ejusque intentio non ingreditur intrinsecè essentiam Sacramenti juxta DD. passim, quamvis aliter opinetur Lugo, ubi tamen nimis procul abscessit Lugo, dum consequenter dicit etiam peccata esse de intrinseca Essentia Pœnitentiæ, seu partem essentialem, quasi nimirum quidquid necessariò ab aliquo requiritur, vel præsupponitur, sit pars essentialis ejusdem, cujus equidem falsitas patet: Tum, Quia DEUS v. g. involvitur in objecto Contritionis, & tamen non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, uti nec est pars essentialis aliorum Sacramentorum, vel cujuslibet Creaturæ, à quibus tamen necessariò præsupponitur, aliàs essent aggregata ex DEO & Creatura. Sequeretur ibidem, quòd persona suscipientis, nec non intentio ejusdem (si sit adultus, cujus proindè Baptismus v. g. haberet plures partes diversæ rationis, quàm Baptismus parvuli, in quo non requiritur intentio) includeretur essentialiter, quæ omnia sunt absona. Magis tolerabile foret, si intentio Ministri diceretur pars essentialis ipsius actionis sacramentalis.

IX. Verba requisita ad Sacramentum non sunt concionatoria, sed consecratoria.

Dico Secundò: *Verba quæ requiruntur ad Sacramentum, non sunt concionatoria, sed consecratoria.* Ita Fides Catholic. Accedit, quod in Scriptura nullũ extet præceptum concionandi in Sacramentorum administratione, nec verba illa appellantur concionatoria, sed consecratoria, 1. Corinth. 10. ℣. 16. *Calix Benedictionis cui benedicimus* (hoc est, quem consecramus) *none Communicatio Sanguinis Christi?* August. lib. 20. contra Faustum, c. 13. *Noster panis & calix certâ consecratione fit mysticus.* Undè malo in sensu citatur ab hæreticis in contrarium, Tract. 80. in Joannem. Deindè verba Christi: Ego te baptizo etiam ab hæreticis adhiberi solita in baptismo, formam habent benedictionis seu consecrationis, non autem concionis seu instructionis, non enim dixit: Docete omnes gentes nomen Patris, & Filii &: sed Baptizantes eos &c. quod sonat invocationem Numinis super aspersionem aquæ, quemadmodum ly *in Nomine* passim in Scriptura sonat invocationem, aut authoritatem & virtutem, minimè instructionem, ut Marci ult. vers. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Matthæ. 7. ℣. 22. *Nonne in nomine tuo dæmonia ejicimus?* Actor. 3. *In nomine JESU CHRISTI surge & ambula.*

Hæretici nullum fundamentum habent, nisi propriam insaniam, quâ Scripturam citatam Matth. ult. malè intelligunt, scilicet, Docete omnes gentes baptizantes &c. quia solummodò vult, adultos priùs instruendos esse, postea baptizantes, exemplo Philippi, Actor. 8. Hinc tamen non sequitur, concionem esse essentialem partem; Deindè dicunt, magicum quid esse attribuere verbis virtutem consecratoriam. Sed quid solidiùs, nam & ipsi baptizantes parvulos hanc virtutem verbis tribuunt, & omnes Juris-Consulti, qui stipulationi, utique certæ verborum formæ tribuunt essentiam obligationis in foro exteriori.

X. Christus determinavit materiam & formam Sacramentorum.

Dico Tertiò: *Christus Dominus determinavit materiam & formam Sacramentorum, non tamen æqualiter in omnibus.* Est communis, & prima pars Probatur ex Scriptura. Nam pro Baptismo determinavit aquam. Nisi quis renatus fuerit ex aqua Joan. 3. & formam: In nomine Patris &c. Matth. ult. Pro Eucharistia panem & vinum, formam, Hoc est Corpus meum, & hic est Sanguis meus, quod eodem modo fieri jussit ab Apostolis, Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem, Similiter tenendum est de aliis ex perpetua Ecclesiæ & PP. traditione.

Probatur Secundò ex Conciliis: Quia Florentinum supra enumerat Materiam & formam omnium Sacra-

cramentorum, non tanquam novæ institutionis, sed tanquam antiquæ Traditionis documenta. Et Concil. Trident. Sess. 3. Can. 1. ubi dicit: Omnia Sacramenta fuisse à Christo Domino instituta. Et Sess. 10. cap. 20. docet, Ecclesiam non habere potestatem circa Substantiam Sacramentorum.

XI. Ratio ad idem.

Probatur Tertiò Ratione: Quia Sacramenta sunt instituta ùt signa practica, practicè & efficaciter causativa gratiæ, sed solus DEUS habet hanc authoritatem & potestatem conferendi hujusmodi signis hanc efficaciam, & solus ille determinat se ad concurrendum, & producendam gratiam, ad positionem signorum talium, ergò solus ille potuit instituere.

XII. Christus non determinavit æqualiter materiam & formam in omnibus Sacramentis.

Probatur Secunda Pars: Quia in Sacramento Baptismi, & extremæ Unctionis determinavit Materiam secundùm speciem infimam, nempè aquam naturalem & oleum olivarum, in Eucharistia secundùm speciem subalternam, secundùm species tritici & vini, & secundùm modum azymitatis & fermentationis. Item in Confirmatione propter multiplicem Consecrationem. In Pœnitentia propter peccata mortalia & venialia, & propter Contritionem & Attritionem. In Matrimonio propter diversitatem Contractuum, qui variantur variatis Ecclesiæ Legibus, super omnem tamen, qui legitimus fuerit, fundatur ratio Sacramenti. In Ordine videtur solùm determinâsse quoad genus, quia primitus tantummodò manus imponebatur, sicut etiam nunc utitur Ecclesia Græca, Latina insuper cum Traditione panis & vini in Calice, cum determinatis verbis, ita ùt probabile sit determinâsse signum, quod esset significativum gratiæ & potestatis collatæ, reliquisse autem in potestate Ecclesiæ, ùt postmodum signum illud & verba in specie determinaret.

Dices, In Ordinatione accipit ordinatus potestatem absolvendi & remittendi peccata, & tamen non potest quilibet Sacerdos absolvere ab omnibus, ergò vel Christus non determinavit Materiam, circa quam Pœnitentiæ, vel Ecclesia ipsam mutavit. Respondeo, Negando consequentiam; Quia per ordinationem quidem potestatem acquirit absolvendi à peccatis, sententiandi, & indicandi, attamen absolvere nequit, nisi conferatur ei super aliquos potestas & Jurisdictio, sicut si quis denominaretur Judex à supremo Principe, hic haberet inchoatam authoritatem, neminem tamen absolvere posset, vel condemnare, nisi qui esset subditus, & à supremo Principe subjectus, sic est in foro judiciali pœnitentiæ, in quo nemo potest absolvere, nisi sit ejus subjectus, hinc qnia divisionem subditorum, & subjectionem facere pertinet ad summum Pontificem, cui commissæ sunt omnes oves pascendæ, hinc nemo sinè Jurisdictione, & nisi in casu, & sibi delegatis casibus absolvere potest. Verum quia etiam per alios potest fieri tàm in Materia, quàm in forma Sacramentorum mutatio. Hinc

XIII. Cur nequeat quilibet Sacerdos absolvere à peccatis.

XIV. Mutatio substantialis formæ, vel materiæ convalidat Sacramentum, non verò accidentalis.

Dico Quartò: *Mutatio substantialis materiæ vel formæ reddit Sacramentum invalidum, secus accidentalis, illa semper est mortalis, hæc frequenter.* Probatur Prima Pars: Patet ex sensu & praxi Ecclesiæ. Ratio est, quòd in cœteris rebus mutatio substantialis, non verò accidentalis destruat rem. Confirmatur: Quia omnis valor & vis Sacramenti dependet à Christi institutione, hanc autem destruit sola mutatio substantialis, & non accidentalis, quæ se habet per respectum ad usum, vel ritum Ecclesiæ, ergo.

XV. Quando fiat mutatio substantialis ex parte materiæ.

Notandum autem hic: Mutationem substantialem dupliciter fieri posse, vel ex parte materiæ, vel formæ, ex parte materiæ fit, quando tanta contingit diversitas, ut juxta communem usum & hominum æstimationem fit alterius rationis ab illa, quam Christus præscripsit, aliàs tantùm esset accidentalis, v. g. in Baptismo est

mo est mutatio substantialis materiæ, si loco aquæ naturalis accipiatur aqua rosacea, vel aliàs distillata, vel glacies utpote inepta ad ablutionem, secus est, si loco aquæ frigidæ sumatur aqua calida, & in Missa locò panis azymi sumatur fermentatus.

XVI. Et quando ex parte forma.

Ex parte verò formæ mutatio substantialis toties contingit, quotiescunque corrumpitur verus & legitimus sensus illius, cùm enim sensus sit velut anima verborum, manente eodem sensu, semper censetur manere eadem verborum forma, & è contra. Iterum si dubia verò sit verborum æquivalentia, dubius similiter erit valor Sacramenti. Ille autem est verus & legitimus sensus, quem Christus in institutione cujuscunque Sacramenti requisivit seu intendit, quem proindè si forma servet indubiè est vera, & legitima, & à Christo instituta. Sensus porrò iste est à nobis colligendus ex doctrina & traditione Ecclesiæ.

Pro quo notandæ sunt aliquæ speciales regulæ. Contingit itaque mutatio formæ substantialis Primò: Quando omittitur vel additur verbum, quod verbum sensum immutat, & falsificat, intellige si verbum falsificans afficiat illud, quod est de substantia. Undè si quis baptizaret in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis sumendo ly in nomine utrobique eodem sensu, ut designet Baptismum æque dari in Authoritate B. Virginis, invalidus esset Baptismus, secus si adderetur tanquam per intercessionem aut invocationem.

Secundò: Contingit per tantam verborum transpositionem, ut non maneat idem sensus, v. g. si dicatur: Hoc corpus est meum; si videlicet ly corpus se teneat ex parte subjecti, prout ipsa Propositio nata est accipi.

Tertiò: Quando inter ipsa verba vel syllabas notabilis intercedit interruptio, ut non censeantur in ullam coalescere orationem, vel verbum.

Quartò: Quando verba sic corrumpuntur, ut nec quidem in materia & circumstantiis, in quibus proferuntur, reddant debitum sensum apud audientes.

Tot modis ècontra contingit accidentalis mutatio, Primò: Si locò verbi consueti ponatur verbum æquivalens, ùt abluo locò baptizò, activum mutetur in passivum, ùt faciunt Græci, debent tamen Synonyma idem distinctè significare, ideóque non valet Baptismus in nomine Sanctissimæ Trinitatis collatus sinè expressione singularum Personarum. XVI. Quando fiat mutatio accidentalis ex parte formæ.

Secundò: Si transpositio relinquat eundem sensum, v. g. Hoc est meum corpus.

Tertiò: Si verba non notabiliter interpolentur.

Quartò: Si mutetur Idioma, vel misceatur, vel ex balbutie, vel imperitia verba non debitè pronuntientur, ùt declarat Papa Zacharias cap. retulerunt, & approbat Baptismum in nomine Patria, & Filia, & Spirtus Sancti collatum. Si, inquit ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ùt suprà dixisset, si velis probare & disputare. Sacramentum collatum cum prolatione verborum non intendendo hæresim, dummodò primariò intendat facere, quòd Christus fecit, validam esse formam, sicut faciunt Græci, dicentes in Baptismi forma, baptizetur, & in forma Consecrationis addunt, quod pro nobis tradetur, unde explicandus esset Zacharias, si ab argumento in contrarium quis arguere vellet, ipsum de intentione Ministri dubitâsse, qui solummodò ludere videbatur. Has mutationes nonnullus sequenti perstrinxit versu:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Secunda Pars Conclusionis de se patet, nam invalidando Sacramentum XVIII. Mutatio substantialis materiæ

vel formæ est mortalis, accidentalis verò frequenter.

tum grave committitur Sacrilegium. Tertia etiam probatur: Quia est deordinatio & irreverentia aliquid in re tàm sacra mutare major vel minor pro ratione mutationis (cujus gravitas prudenti judicio determinanda est) Ecclesia præcipiente, ut materia & forma consueta, ac etiam ritus accidentales serventur. Sic mortaliter peccaret Latinus celebrans Missam pane fermentato, idiomate Boëmico vel Germanico, &c. omittens in forma novi & æterni Testamenti, qui omitteret particulam in forma Baptismi, *Ego*, venialiter tantùm. Addo eum, qui sinè necessitate, ut proximus juvetur, utitur materiâ dubiâ, vel formâ, cùm possit commodè habere certam peccare mortaliter; quia Sacramentum exponitur periculo invaliditatis, & proximus carendi fructu Sacramenti.

DISPUTATIO SECUNDA,

DE

Causalitate & Effectu Sacramentorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Cui competat Sacramentorum institutio, & á quo Sacramenta Novæ Legis sint instituta?

Suppono, DEUM ipsum Sacramenta omnia Legis Naturæ & Scriptæ instituisse, utpote qui solus potest conferre gratiam, cui vult, attamen primæ partis tituli alia est difficultas, utrum videlicet facultas Sacramenta instituendi possit puræ creaturæ communicari. Pro quo ex Scoto 4. d. 1. q. 3. Notandum aliundè signum practicum habere quod scitur practicè signatum, & aliundè quòd sit certum (id est, efficaciter) signum.

I. *Aliud est esse signū, & aliud esse signum efficax.*

Patet etiam, hæc duo distingui, nempè esse signum, & esse signum efficax, nam potest aliquis non verax instituere aliquod signum, & tunc habebit significationem ex ejus institutione, quòd autem sit signum efficax & infallibilis, debet instituens posse efficere, & cooperari illi signo, ut signatum sequatur. Imò licèt esset verax, & vellet etiam absolutè effectum sequi, si tamen hic non esset in ejus potestate, signum esset, sed non efficax. Exemplum sit de Rege, qui ponat inter suos Aulicos pro signo pacis & concordiæ osculum, ut hoc modo bono ipsorum & publico consulat, osculum tunc erit signum, sed non efficax; quia non sequitur semper hic effectus pacis, poterit enim aliquis fingere osculum cum Juda & Machiavello.

III. *Nulla creatura potest instituere Sacramentum ut signum efficax gratiæ.*

Dico Primò: *Nulla creatura potuit instituere Sacramentum sub ea ratione, sub qua subest signum efficax gratiæ, licèt benè sub ratione determinationis signi, cui DEUS infallibiliter adderet gratiam.* Ita Scotus suprà. Durandus, Gabriel, contra D. Thomam & Bonaventuram. Probatur conclusio quoad primam partem. Nullus potest dare certitudinem signi alicujus, nisi etiam possit concurrere ad effectûs signati productionem; sed nulla creatura potest concurrere ad productionem gratiæ in Sacramento significatæ, ergò nulla creatura potest instituere Sacramentum sub ea ratione, sub qua est signum certum & efficax gratiæ. Et iterum: Nulla creatura potest facere, ut DEUS se determinet ad assistendum alicui signo ad signatum ejus producendum, sed hoc requiritur ut Sacramentum certò & infallibiliter causet gratiam, quia DEUS solus illius author est, ergo nulla creatura potest instituere Sacramentum sub hac ratione.

Respon-

III. Instantiæ Thomistarum occurritur.

Respondent Thomistæ: Quod ratio concludit, nullam creaturam virtute propriâ & primariâ posse instituere Sacramenta, cœterùm non probat, quòd ei competere nequeat ex commissione DEI, quemadmodum & Lex data est non immediatè à DEO, sed mediatè per Moysem Legislatorem. Attamen hæc responsio nulla est, quia licèt ad significandum simpliciter possit comitti creaturæ, non tamen institutio ad certè & efficaciter significandum, quia illa non potest fieri, nisi per determinationem divinæ Voluntatis ad assistendum signo producendo effectum signatum: Hæc autem determinatio non potest fieri nisi per DEUM, Voluntatem enim divinam determinare non potest, nisi ipsa Voluntas divina. Et si DEUS determinaret generaliter ad assistendum cuicunq; signo per Petrum instituto, & Petrus institueret aliquod signum, adhuc institutio illius signi, quatenus sit certum & efficax, non est à Petro, sed ex generali determinatione Divina, & esset in casu Petrus præco, & promulgator novi Sacramenti: Sicut modò dicitur, quòd nullus alius præter DEUM fuit Legislator, nisi sicut præco promulgans Legem, atque ita Moyses non fuit Legislator propriè, sed præco, nuncius & promulgator.

IV. Potest creatura determinare signum, cui Deus infallibiliter adderet gratiam.

Ex his patet & probatur secunda Pars: Quia potest homo ponere aliquod signum speculativum ad significandum aliquem DEI effectum, v. g. hanc Propositionem: *DEUS causat gratiam in anima justi*: ergò potest etiam ponere signum infallibile practicum, quod significet DEUM hic & nunc agere, & producere gratiam in aliquo Subjecto. Sed in contra

Arguitur Primò: Omne quod Christo homini collatum est, potest etiam conferri alteri homini, sed Christo collata fuit potestas instituendi Sacramenta in primo sensu, ergò etiam cuicunque homini. Patet minor: Quia etiam ei fuit collata potestas faciendi miracula, conferendi gratiam justificationis, ergò etiam instituendi Sacramenta, quia posse conferre gratiam, est posse instituere Sacramentum, & signum, ad quod producatur gratia. Respondeo, Negando minorem cum sua probatione loquendo de ejus humanitate, quia Christus homo fuit solùm causa meritoria, & determinans illa signa sensibilia, Christus DEUS verò fuit causa principalis & instituens.

V. Christus homo fuit solùm causa meritoria Sacramentorum, non efficiens.

Dices: Christus dicitur causa principalis, & Minister instrumentalis: ergo. Respondeo, Distinguendo antecedens, Christus fuit causa principalis meritoria, concedo, efficiens nego. Nam efficiens fuit solùm ministerialis ex commissione DEI, Minister autem dicitur causa instrumentalis & ministerialis, quatenus conferendo Sacramenta ex institutione & commissione Christi applicet suscipienti merita illius, & virtutem Divinam eis annexam, quæ interius operatur illos effectus.

VI. Determinās tantùm signa practica non esset propriè & cōpletè institutor Sacramentorum.

Dico Secundò: *Qui determinaret solummodò signa practica, non potens dare certitudinem effectûs, non esset propriè & completè institutor Sacramentorum, sed DEUS, qui se obligaret ad concurrendum cum signis illis ad effectum ponendum.* Hæc est communis Scotistarum. Probatur, Quia illius est propriè & completè instituere Sacramentum, cujus est non tantùm signum imponere, sed etiam signo ad producendum suum signatum efficaciam conferre, sed nulla creatura potest hoc utrumque præstare, ergo: major patet, quia in his duobus consistit essentialiter Sacramentum, nempè ut signum sit practicum, & illud efficax.

Probatur Secundò: Quia instituere est primò statuere & incipere, sed nulli creaturæ competit primò incipere illud, quod debet habere rationem Sacramenti, ergo. Probatur minor: Quia quæcunque potestas collata creaturæ esset primò à DEO, qui vellet se obligare ad concursum, sine decreto enim saltem conditionato suo revelato antecedenter

denter, nullo modo posset creatura pura scire quid Sacramentum sit, quid requiratur, nec certitudinem dare, nec rem materialem ad Sacramentale esse transferre: ergo.

Confirmatur Ratio: Quia creaturæ non potest alia potestas communicari, quàm impetrandi, ùt DEUS det efficaciam signo à se posito, sed hæc supponit decretum, quo vult efficaciam conferre signo à creatura posito: ergo.

VIII. Exempla ad idem.

Confirmatur Conclusio Exemplis: Quia si Confessarius injungeret pœnitenti, ut unum Psalmum oret pro satisfactione, & pœnitens eligeret decem, pœnitens non diceretur sibi injunxisse hanc pœnitentiam, sed Confessarius: Similiter si Titius moriens diceret Cajo, ut unum ex filiis suis designet hæredem suum, & Cajus designaret Mævium, non Cajus, sed Titius diceretur testator Mævii: ergo. Item, si Imperator dicat suo supremo Præfecto, quòd, quemcunque voluerit, faciat in Camerariatu Successorem, & designaret Tibullum, Tibullus suam institutionem in Imperatorem referre deberet, non in Præfectum. Denique si Imperator conferat locumtenentibus authoritatem conferendi, & condendi Legem aliquam pro bono communi, eâ positâ non sunt propriè authores Legis locumtenentes, sed Imperator, penes quem est vis obligandi: ergò à pari.

Dices: Disparitatem esse in ultima confirmatione, quia potestas ferendi Leges est incommunicabilis subdito, quia solus Imperator supremum jus obligandi subditos habet, & nemo alius; undè licèt Locumtenentes ferant, vel condant, aut promulgent, solus tamen Imperator censetur eas ferre, sed Sacramentorum institutio non est ita propria DEO, ut non possit communicari creaturæ, quia potest esse causa signi & gratiæ per illud signatæ saltem moralis. Sed contra:

IX. Solus Deus habet authoritatem instituendi Sacramenta.

Sicut penes solum Imperatorem est potestas condendi Leges suis subditis, quia penes ipsum solum est authoritas obligandi, ita penes solum DEUM est authoritas instituendi Sacramenta, quia penes eum solum est, signis dare efficaciam certam, & infallibilem, ergo sicut illa potestas, licèt Locumtenentibus delegetur, adhuc dicitur esse Imperatoris, ita etiam licèt DEUS delegaret homini determinare signa, adhuc institutio esset propriè DEO attribuenda, homini verò ratio præconis & promulgatoris. Sed

X. Disparitas inter authoritatem ferendi Leges & instituendi Sacramenta.

Instabis: Ecclesia dicitur verè constituisse Leges Ecclesiasticas, licèt authoritatem habeat à Christo, unde etiam dicuntur Ecclesiasticæ, & non Divinæ, ergò etiam homo ille, qui institueret Sacramenta, verè dici posset instituisse, licèt authoritatem habuisset à DEO.

Respondeo Primò: Negando consequentiam. Quia authoritas Ecclesiæ condendi Leges est ordinaria, & non modò delegata.

Secundò. Quia etiam nec illæ Leges sicut nec Politicæ obligarent, nisi à DEO esset eis authoritas data. *Qui Ecclesiam non audierit.* Matth. 18. *& omnis anima potestatibus subjecta est.* 1. Petri.

Tertiò: Quia conferre authoritatem condendi Leges non involvit aliquid implicatorium, sicut involvit Sacramentorum institutio, nempè authoritativam promissionem infallibilem gratiæ, sicut & physicam ejus productionem, quod creaturæ nec principaliter, nec instrumentaliter communicari potest. Eodem modo discurre de fundatoribus Religionum, quia ad hoc nihil aliud requiritur, quàm ut certam sibi vivendi formam eligant, quam sibi ex fidei documentis extraxerunt, & suis Sectatoribus imitandam, & sequendam cum confirmatione Pontificiâ tradiderunt.

XI. Christus immediatè instituit omnia Sacramenta Novæ Le[gis].

Dico Tertiò: CHRISTUS *immediatè & per se instituit omnia Sacramenta Novæ Legis tàm eâ ratione, quâ signa sunt practica, quàm eâ, quâ*

gis, quâ si-gna practi-ca, & quâ certa. *eâ, quâ sunt signa certa.* Hæc Conclusio diffusè explicabitur agendo de quolibet Sacramento in particulari. Breviter dico ex mente Doctoris 4. d. 2. quæst. 1. num. 4. Baptismum Christum instituisse, Joan. 20. & Matth. ultim. præceptum ut publicè prædicaretur. Confirmatio fuit instituta Joann. 20. *Accipite SPIRITUM Sanctum*; vel Actor. 2. Eucharistia fuit prædicata, & commendata, Joann. 6. & instituta in Cœna, Matth. 26. Pœnitentia, Joann. 20 *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. & Matth. 16. *Tibi dabo claves*, &c. Extrema Unctio etiam in vita CHRISTI, quia Marci 6. leguntur Discipuli unxisse infirmos, & sanabantur. Ordo, Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Joann. 20. supra. Nam potestas supra Corpus CHRISTI reale & mysticum pertinet ad Ordinem Sacerdotalem. Matrimonium autem Matth. 19. *Non legistis, quia Masculum & Fœminam fecit eos, propter hoc, &c. Dico autem vobis, &c.*

XII. Authoritas Concilii Tridentini ad idem. Interim Probatur authoritate Concilii Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacramento Extremæ Unctionis (de quo poterat maximè dubitari) definit illud esse à CHRISTO Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, ubi cùm Apostolo solummodò tribuat promulgationem, clarè patet, ipsum non Apostolo, sed CHRISTO adscribere immediatam institutionem.

Denique, Quia Trident. Sess. 21. cap. 2. supponit, Ecclesiam nil posse mutare circa substantiam Sacramentorum, existimavit ergò Ecclesiam non posse instituere, cùm ejus sit Legem mutare, cujus est ferre. Confirmatur Primò ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. ubi Apostoli non dicuntur Authores, sed Dispensatores mysteriorum DEI. Secundò: Quia aliqua Sacramenta sunt à CHRISTO instituta, ergò omnia, cùm de omnibus sit par ratio, omnia enim significant, & efficiunt gratiam, quæ à solo DEO potest causari.

Opponitur Primò Authoritas Divi Augustini, lib. 3. de Doctrinâ Christiana, cap. 9. ubi ait: *Quædam pauca pro multis, eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatu castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit Disciplina.* Si Apostolica Disciplina, ergò non immediatè CHRISTUS. Item Epistola 118. cap. 1. *Primum tenere te volo Dominum nostrum JESUM CHRISTUM levi jugo suo nos subdidisse, & Sarcinæ levi, unde Sucramentis numero paucissimis, dignitate præstantissimis, observatione facillimis, servitutem novi populi colligavit, sicut est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Canonicis Scripturis commendatur. -- -- -- Illa quæ non scripta in sacris litteris, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque instituta retineri:* ergò non retinentur instituta immediatè à CHRISTO. Sed facilè Respondeo: In primo loco per Apostolicam Disciplinam non intelligi institutionem aliorum Sacramentorum, sed promulgationem. XIII. S. Augustinus objectus explicatur.

Ad Secundum Respondeo Primò: Textum favere nobis per τὸ, *Et si quid aliud in Canonicis Scripturis commendatur*, commendantur autem reliqua omnia, ut supra insinuavi, licèt non expressis & claris verbis.

Respondeo Secundò: τὸ *Si quid aliud* referendum esse ad alia præcepta, quæ ad Sacram Communionem dignè suscipiendam necessaria sunt, ut Confessio &c. aut universaliter de præceptis Christi, quæ nobis tum ex Scriptura, tum Prædicatione, & Generalibus Conciliis innotescunt.

Opponitur Secundò Authoritas Cypriani Serm. de ablutione pedum dicen- XIV. Ac Sanctus Cyprianus.

dicentis: *Ipse Summus Sacerdos sui est Sacramenti* (intellige Evcharistiæ) *institutor & author, in cœteris homines Spiritum Sanctum habuêre Doctorem.* Respondeo Negando, Nam ex hoc sequeretur, quod Christus nec quidem Baptisma instituerit. Deindè responderi posset per *suum Sacramentum* intelligi omnia septem, per ly *in cœteris* intelligi debent Sacramentalia, adeóq; nil contra nos concludit.

XV. In quo Sacramenta Novæ Legis præcellant Veteribus.

Arguitur ex ratione: Sequeretur, Sacramenta veteris Legis esse majoris dignitatis, quàm Novæ, quia illa tradita sunt à DEO ùt DEO per Divinitatem, hæc verò à Christo homine per humanitatem. Respondeo, Negando consequentiam, Quia licèt Christus per humanitatem instituerit nostra Sacramenta, non tamen excludit hoc, quin primaria voluntas fuerit Divina, cui Christus suam humanam confirmavit, & in hoc paria sunt Sacramenta nova & antiqua, majora verò sunt eò quòd nostra non per nudum hominem instituta sint vel promulgata ab homine sine authoritate instituendi sicut antiqua, sed instituta sint per DEUM hominem, cum authoritate & potestate excellentissima, quam gratiam ipse meruerat.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Sacramenta causent gratiam ex opere operato?

PRæter solam verborum jactantiam in Sacramentis, nil hæreticis reliquerunt, nisi verba, nam nullam causare gratiam existimant, sed tantùm instar concionis excitare in suscipientibus fidem, ùt jam bis supra tetigi, per quam justificentur, imò Catholicos Sacramentis virtutem tribuentes summè calumniantur. Dicunt enim Primò:

I. Hæreticorum calumnia & impostura.

Terminos *ex opere operato*, neophytos, deceptorios &c. ex eo, quòd fortè ipsos non intelligant. Attamen ut scias, ut cum D. August. loquar in Psalm. 138. *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Antiquissimus horum terminorum fuit usus, nam Innocentius, qui rexit Ecclesiam 1197. lib. 3. de Mysterio Missæ cap. 5. ait: *Quamvis igitur opus operans aliquid sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.*

Dicunt Secundò: Quòd nos tribuamus virtutem causandi gratiam Sacramentis primariò, quasi DEUS non causet, sed solùm Sacramentis committat vices suas, ita ut ex se præcisè efficaciam habeant, nec requiratur ulla devotio, fides, pœnitentia &c. Sed hæc mera impostura est, nullus enim Catholicorum vel modicùm peritus hoc sentit, quia omnes cum Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. profitentur: Quod justificationis causæ sint. *Finalis quidem gloria DEI & Christi ac vita æterna: efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit & sanctificat. - - - Meritoria autem dilectissimus unigenitus suus Dominus noster JESUS Christus. - - - Instrumentalis item Sacramentum Baptismi*, seu quodcunque aliud quoad augmentum. Pro resolutione

Nota: Tunc dari gratiam ex opere operato, quando præcisè datur propter opus factum juxta Christi institutionem, non ex justitia administrantis, vel meritis suscipientis. Ex opere operantis autem datur, quando confertur propter actionem, quatenus est laudabilis & honesta, ac procedit à principio supernaturali. His positis II. Quid sit dari gratiam ex opere operato, & opere operantis.

Dico Primò: *Sacramenta novæ Legis sunt causa instrumentalis gratiæ, idque ex opere operato.* Est de fide. Probatur Primò ex Scriptura, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* ad Ephes. 5. *Mundans eam, id est, Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ*, id est, in debita forma. Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* & cap. 22. refert Paulus Ananiam sibi III. Sacramenta Novæ Legis sunt causa instrumentalis gratiæ.

† D 2 dixisse:

dixisse: *Baptizare & ablue peccata tua.* Ubi non solùm refertur necessitas seu præceptum Baptismi, sed etjam vis regenerandi, abluendi, remittendi peccata apertè ipsi Baptismo tribuitur. Similiter alibi aliis Sacramentis Scriptura vim sanctificandi, sive conferendi gratiam tribuit, ut Confirmationi Actor. 8. & 29. ubi per impositionem manûs datus legitur Spiritus Sanctus. Evcharistiæ, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* & Matth. 26. alisque locis, ex quibus probatur, Christum esse realiter in Sacramento. Pœnitentiæ, Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sacramento Ordinis ibidem, nec non ad Tim. 4. & 2. ad Tim. 1. Extremæ Unctioni, Jacobi 1. *Infirmatur quis in vobis* &c. Sacramento demum Matrimonii D. Paulus ad Ephes. scribens inquit: *Viri, diligite uxores vestras, non ut uxores tantùm, aut carnem vestram, sed sicut Christus Ecclesiam suam, ut in uxore maritus Ecclesiam spectet Christi Sponsam.* Quibus verbis apertè indicatur, Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum, atque adeò ejusdem rationis cum aliis.

Posset etiam Conclusio probari authoritate multorum Conciliorum, Sanctorum Patrum, sed præter Florent. Sess. ult. Trident. supra Can. 6. & Innoc. III. paulò supra citatum, sufficiet Symbolum Fidei: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & Milevitanum Can. 2. *Parvuli ideò in remissionem peccatorum verè baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Quod verò ex opere operato

IV. Sacramenta novæ Legis causant gratiam ex opere operato.

Probatur Primò ex Trident. Sess. 7. Can. 8. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis ex opere operato non conferre gratiam, sed solùm fidem Divinæ promissionis sufficere, Anathema sit.* Quia Sacramenta non ampliùs valerent, quàm prædicatio Evangelica, aliáque signa externa, quibus æquè perfectè, & perfectius in animis audientium excitatur fides.

Secundò: Sequeretur Baptismum Christi non esse efficaciorem Baptismo Joannis, & omnia antiquæ Legis Sacramenta, contra ipsum Joannem, Matth. 7. Ego quidem baptizo, &c. Et contra Concil. Trident Sess. 7. ca. 1. *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi. Anathema sit.* Et gratis jussissent Apostoli baptizatos Baptismo Joannis, baptizari Baptismo Christi, Actor. 19.

Tertiò: Sacramenta non posse conferri nisi idiomate audienti cognito: ergo.

Opponitur Primò Authoritas sacræ Scripturæ, quæ in pluribus locis justificationem fidei tribuit, & non Sacramentis, ut Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro in verbo vitæ*, id est, per Fidem, ad Hebr. 10. *Justus autem meus ex fide vivit*: Ergò non ex Sacramentis.

Respondeo Primò: Scripturam in adultis semper requirere fidem ad justificationis gratiam consequendam, sed non illam particularem hæreticorum, quâ credunt sibi peccata esse dimissa, sed Catholicam & veram, quâ credunt vera esse, quæ in Scripturis continentur.

V. Quo sensu in Scriptura tribuatur Fidei justificatio.

Respond. Secundò ad quemlibet textum in particulari, & primum quidem explicat ipsum Concil. Trident. Sess. 6. cap. 8. dicens: *Ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est salutis humanæ initium, fundamentum, & radix nostræ justificationis, sine qua impossibile est placere DEO.* Undè benè in adultis per fidem inchoatur fides, justificatio, ita quòd sinè ea nec Baptismus valeat, quia cùm sit prima virtus debet actu haberi, & in re in adultis, & non in voto. Undè benè potest adultus justificari in re sinè Baptismo, dummodò in voto illum desideret, non tamen sinè fide in re,

in re, quod præclarè notavit D. Bernardus Tract. ad Hugonem cap. 2. *Vide ne etiam fortè ob hoc Salvator diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, cautè & vigilanter non repetierit, qui verò baptizatus non fuerit, sed tantùm qui non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa nihil. Quapropter etsi Martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non planè hoc facit pœna, sed fides. Quid est Martyrium sine fide nisi pœna?* Itaque fides primò veluti initium justificationis requiritur, perficit autem eam spes & charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. *Nam*, ut Trident. Sess. 6. c. 7. docet, *Fides nisi accedat Spes, & Charitas, neque unit perfectè cum Christo, nec corporis ejus vivum membrum efficit;* vide etiam Can. 9. & 12.

VI. Quid Scriptura intelligat per verbum vitæ.

Ad Secundum Respond. Per *verbum Vitæ* intelligi verba consecratoria Sacramentorum, sine quibus nec lavaremur, nec mundaremur, aut si deberet etiam intelligi concionatorium, verum esset de illo veluti prima & prævia necessaria dispositione, non verò causa efficienti & formali. Ad Tertium Respond. Intelligendum esse de fide, quæ per charitatem operatur, non de fide sola, ùt perperam vult Lutherus, cum exclusione Sacramentorum & bonorum operum, nam Jacob. 2. dicitur: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Opponitur Secundò Authoritas Sanctorum PP. qui clamant communiter, Ministros tantùm abluere exterius, DEUM autem interiùs invisibilem gratiam conferre, consequenter Sacramenta eam non causant, & signanter docet hoc D. Augustinus Tract. 80. in Joan. dicens: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat? nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur, nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, Quia Dominus est JESUS, & credideris in corde tuo, quia DEUS suscitavit illum à mortuis, salvus eris.* Respond. Primò ad PP. in communi: Illos non excludere concursum Sacramenti aut Ministerii humani, sed solam primariam causalitatem DEO adscribere.

VII. Quid per verbum Fidei intelligat S. Augustinus.

Respondeo Secundò ad Textum D. Augustin. satis obscurum & difficilem. S. Doctorem velle, quòd adulti justificentur inchoativè per fidei verbum seu prædicationem, quâ Christum & Mysteria Fidei credunt completè quidem per verbum fidei, id est, per formas Sacramentorum, quæ ob excellentiam & virtutem causandi moralem vocantur verbum fidei. Unde ait infra: *Hoc verbum Fidei tantùm valet in Ecclesia, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.* Per quod ultimum retunditur etiam insania hæreticorum, dicentium: Parvulos in Baptismo habere fidem actualem & usum rationis.

Accedit pro Confirmatione, quòd intelligi debeant verba Sacramentorum per verbum fidei, quia subdit: *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Hinc lib. 3. contra Donat. c. 15. ait: *Quamobrem si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* Et licèt requirere videatur fidem Ecclesiæ, intelligendus tamen est de fide Ecclesiæ, veluti conditione necessariò requisita, vel de intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

VIII. Per Sacramenta non avocamur à Christo.

Arguitur Primò ex Ratione: Sequeretur, quòd per Sacramenta avocaremur à Christo ejusque Passione, ergò. Respond. Potiùs allicere ad amorem & gratitudinem Christi passi, utpote ex cujus meritis in Sacramento applicatis, gratia & donum salutare provenit.

D 3 Argu-

Arguitur Secundò: Idololatria est, signis corporalibus adscribere vim sanctificantem, quandoquidem Sanctificatio est opus proprium DEO, ut satis intellexerunt Pharisæi, Marci 2. inquit Zwinglius. Respond. Primò: Ad hominem nos similiter posse dicere, quòd ipsi committant idololatriam, dum fidei specialiter attribuunt justificationem, illa quippe fides est etiam quid creatum. Et nonne DEO irrogant magnam injuriam, dum magis credunt Pharisæis, dicentibus v. 7. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus DEUS*, quàm Christo, Joan. 20. v. 23. dicenti Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde ad rem

IX. Respond. DEUM remittere peccata authoritate propriâ, Sacerdotem verò authoritate â DEO acceptâ, DEUM principaliter, Sacramenta instrumentaliter.

Deus remittit peccata principaliter, Sacramenta instrumentaliter.

Dices: Indignum videtur DEO, quòd signis sanctificandi vim tribuat, & non immediatè faciat. Respondeo: Non esse magis hoc indignum DEO, quàm quòd faciat mediante fide, ut volunt hæretici. Imò licèt requirantur opera operantis gratia semper datur ultra opus.

Sermo fuit hactenus de gratia habituali, unde difficultas nova oriri posset, an videlicet omnia Sacramenta conferant primam gratiam habitualem, quia tamen res non est

X. tanti momenti, ideò solvo eam responsione negativa, nisi fortè per accidens, ut si quis tantùm attritus accederet, invincibiliter putans se esse contritum & in statu gratiæ. Patet autem data responsio, quia per hoc DD. Catholici distinguunt Sacramenta vivorum â Sacramentis mortuorum, quòd illa debeat suscipi in statu gratiæ, adeóque tantùm causent augmentum per se loquendo, hæc autem possint suscipi extra statum gratiæ, dum tamen ad illum obtinendum vi Sacramenti sunt disposìti.

Sacramenta vivorum nō causant primam gratiam, nisi per accidens.

Inter Sacramenta autem mortuorum statuunt solùm Baptismum & Pœnitentiam, de quibus etiam apertè Scriptura docet, quòd sint instituta in remissionem peccatorum, inter Sacramenta vivorum quinque reliqua, præsertim Eucharistiam, de quibus ex praxi & sensu Ecclesiæ constat, debere ea suscipi ab existentibus in statu gratiæ, & signanter de Eucharistia tradit Trident. Sess. 13. cap. 7. Can. 11. quod etiam Can. 5. definit: *Præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ non esse remissionem peccatorum*; & Sess. 7. in Proœmio ob hoc signanter de Sacramentis dixit: *Per quæ omnis vera institiuta vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*.

Dices contra particulam per accidens: Cibus corporalis nullo casu dat vitam mortuo, ergò nec cibus spiritualis, quod est Eucharistia, vitam dabit mortuo. Respond. Negando consequentiam: Nam nec cibus corporalis perenniter â morte præservat, sicut facit Eucharisticus, qui manducat me, vivet in æternum. Hac tamen difficultate omisâ, aliæ duæ solenniores in hac Quæstione solvendæ & examinandæ sunt: Videlicet an Sacramenta novæ Legis omnibꝰ æqualem gratiam conferant, supple numero differenti, nam de specie differentibus nulla est difficultas: & an præter gratiam habitualem etiam auxilia præstent, idque quia habitualis non facilitat, quod tamen maximè videtur in quolibet statu cujuscunque conditionis necessarium ad resistendum tentationibus, in eo statu obvenire solitis. Jam ad primam difficultatem

XI. Disparitas inter cibū corporalem & spiritualem.

Dico Secundò: *Sacramenta novæ Legis, quæ solo numero differunt, semper quantùm est ex se conferunt æqualem gratiam, quæ verò specie inæqualem.* Colligitur ex Scoto in 4. d. 9. q. un. ar. 6. Probatur Conclusio: Quia sicut in Physicis distinctæ species distinctam habent perfectionem essentialem, ita in præsentiarum distincta specie Sacramenta videntur habere distinctam perfectionem Sacramentalem. Hinc Trident. Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta inter se ita esse*

XII. Sacramenta solo numero differentia ex se æqualem, specie differentia inæqualem conferunt gratiam.

eſſe paria, ut nulla ratione ſit aliud alio dignius, anathema ſit; ergò pro majori, & minori dignitate cauſabunt majorem gratiam.

Dixi autem notanter in Concluſione: *Quantùm eſt ex ſe*, quia ex inæquali diſpoſitione recipientium ſæpè contingit, ut Sacramentum minus efficax, æqualem, vel etiam majorem gratiam conferat, quàm aliud magis efficax. Quod notabile colligitur ex Trident. Seſſ. 6. Can. 7. ubi agens de Juſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, docet, unumquemque recipere gratiam ſeu juſtitiam *ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, intellige de adultis diſponere ſe potentibus, caſus autem noſter eſt de parvulis, vel æquè diſpoſitis.

XIII. Authoritas Scoti ad idem.

Confirmatur ergò Concluſio Authoritate Scoti cit. n. 3. ubi poſtquam aſſignaſſet, quomodo & DEUS ex liberalitate ſua, & ſuavi diſpoſitione, qua voluit homines prædeſtinare, poſſet illi plus gratiæ conferre, qui ad majorem gloriam prædeſtinatus eſt, ait: *Aliquam enim gratiam diſpoſuit regulariter conferre cum iſto ſigno, ita quòd nulli minorem, & iſta poteſt dici conferri virtute Baptiſmi, quia virtute veritatis hujus ſigni, & ſicut determinatio illa univerſalis quantùm ad iſtum gradum eſt uniformis, ita effectus æqualis, & poſtea addit: Poteſt & DEUS conferre alicui majorem, quem prædeſtinavit ad majorem gloriam, ſed ille ulterior gradus non conferretur, virtute Baptiſmi, ſed de ſpeciali benevolentia divina.* Quid clarius pro noſtra concluſione dici poteſt; nam adſtruit probabilitatem inæqualitatis ex parte cauſæ principalis, ſed negat actum de Lege communi; & num. 5. negat etiam parvulis conferri majorem gratiam ex devotione Miniſtri dicens: *Poteſt tamen in parentibus unius eſſe major motus quàm alterius pro ſuo parvulo, vel in aliquibus aliis miniſtrantibus, vel aſſiſtentibus Baptiſmo, propter quorum merita DEUS in parvulo poteſt conferre* (non dicit confert) *majorem gratiam actualem, quàm alteri, ſed hoc non virtute Baptiſmi, ſed meriti utique congrui.* Unde ſubjungit: *Et hoc modo fortè* (vidè quòd dubitativè loquatur) *parentes B. Nicolai orationibus ſuis meruerunt ſibi majorem gratiam* (ſcilicet actualem) *quæ erat in eo etiam parvulo, principium tam mirabilis effectus, ut diebus duobus in hebdomadâ unicâ tantùm lactatione contentus maneret.*

XIV. Concil. Triden. non fav. oppoſi.

Opponitur Primò Authoritas Concilii Trident. Seſſ. 6. Can. 7. dicentis: *Juſtitiam in nobis recipientes unusquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*, ergo ſupponit Concilium dari inæqualitatem gratiæ Baptiſmatis. Reſpond. concedo anteced. negando conſequentiam: Quamvis enim ſecundùm menſuram Spiritus Sanctus partiatur omnibus gratiam, nullus tamen nec Concilium dicit hoc facere per idem numero Sacramentum.

XV. DEUS confert gratiam juxta o[r]nem na[tu]rarum.

Arguitur: Homines ſunt creati ad ſuppletionem loci Angelorum, ſed Angeli quò perfectiores fuerunt, eò majorem gratiam habuerunt, conſequenter ſicut in natura, ita etiam in gratia fuerunt inæquales, ergò etiam homines ſecundùm quod ad majorem gloriam elevabuntur, majori gratia cumulabuntur, adeóque inæquali. Reſpond. Primò Negando majorem: Nam D. Anſelmus lib. 1. Cur DEUS homo. cap. 18. ait: *Palam eſt, quia etiamſi nullus Angelus periiſſet, homines tamen in cœleſti Civitate ſuum locum habuiſſent.* Reſpond. Secundò Negando minorem: Nam DEUS non confert gratiam ſecundùm ordinem naturarum; quod patet, quia Angelus natura perfectiſſimus cecidit, perſeverantibus tamen aliis minus perfectis. Progredior ad tertiam difficultatem, &

XXV. Singula [Sa]cramen[ta] conferu[nt] quaſda[m] gratias [ac]tuales.

Dico Tertiò: *Præter gratiam habitualem conferunt ſingula Sacramenta quaſdam gratias actuales, ſive auxilia actualia danda ſuo tempore, prout exigit finis cujuſcunque Sacramenti.* Ita communiter Theologi cum Div.

Thoma

Thoma q. 6. 2. a. 2. & expressit clarè Trident. Sess. 14. in Procem. de Sacrament. Extr. Unctionis, ubi declarat & docet, *quòd clementissimus Redemptor noster, qui servis suis voluit quovis tempore de salutaribus remediis, adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in aliis Sacramentis præparavit, quibus Christiani conservare se integros dum viverent, ab omni graviori Spiritûs incommodò possint, ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit.*

XVII. Ratio ad idem. Probatur etiam Ratione: Quia non omnia Sacramenta ex institutione Christi habent eundem finem propositum, sed diversos, ad illos autem nequit gratia habitualis, quæ est specie una sufficienter disponere: præsertim cùm ipsa magis disponat hominèm circa DEUM, quàm circa fines particulares Sacramentorum. Deindè alioquin Sacramentum, v. g. Eucharistiæ æquè vel magis prodesset ad onera Matrimonii sustinenda, quàm ipsum Matrimonii Sacramentum.

Quæres Primò: An Remissio Peccatorum venialium sit effectus Sacramentorum? de Sacramentis Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, Baptismi, & Pœnitentiæ, non est dubium, de cœteris & una & altera pars videtur valdè probabilis, cùm nec pro uno nec pro altero aut authoritas, aut ratio proponat contrarium, videtur tamen omninò conveniens, quòd in omni Sacramento peccata venialia dimittantur, licèt ad hoc displicentiam, & retractationem rationabiliter requirant, quòd tamen necessariò requiratur, ordinationi divinæ adscribendum, utpote quia hoc est Sacramentis valdè consonum & proportionatum his Sacramentis, veluti vivorum, & amicorum DEI, ut ex vi non tantùm ipsorum crescat amicitia, sed etiam auferantur leviores offensæ, inter amicos compossibiles.

XVIII. In quovis Sacramento probabiliter peccata venialia dimittuntur.

Quæres Secundò: Quando Sacramenta causent gratiam habitualem? Adverte me notanter dicere gratiam habitualem, quia auxilia tempore oportuno producunt, videmus enim, quòd non quilibet statim habeat pios illos motus, & cogitationes ferventes, quæ auxilia appellantur. Respond. ergò Sacramenta conferre gratiam habitualem tunc, quando essentialiter complentur. Probatur: Quia Sacramenta causant gratiam ratione suæ essentiæ, cui virtus causandi est annexa, essentia autem eorum nondum est, nisi quando essentialiter complentur, & cùm operentur instar causarum naturalium, nequit effectus etiam diutiùs differri. Hinc collige Sacramenta in voto non conferre gratiam, utpote non collata & operata, undè si aliqui PP. contrarium dicere viderentur, intelligendi sunt de æquivalente, vel DEUM supplere & suscipere, ergo &c.

XIX. Sacramenta causant gratiam habitualē, quando essentialiter complentur.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo Sacramenta causent gratiam?

Dictum est quidem Quæstione præcedenti Sacramenta causare gratiam, quomodò verò, difficillimum est intelligere, nedùm explicare; nec mirum, nam si de rebus naturalibus quas fecit DEUS quanquam sub sensum cadant, non potest homo reddere rationem, quantò magis de rebus supernaturalibus, nihil ominùs congruentissimè de his disputatur, ut multis modis ostendatur defendi posse, quod fides docet, cœterùm hoc ad fidem non pertinet.

Duplex ergò in hac materia est Sententia. Prima est Thomistarum asserentium Sacramenta physicè causare gratiam, diversificant tamen inter se gravissimè, nam aliqui dicunt, Sacramenta efficere dispositionem aliquam præviam ad gratiam, alii Sacramenta non efficere physicè gratiam, sed ut homo sit gratus DEO efficere physicè. Communiter autem Sacramenta physicè & immediatè

I. Variæ Authorum Sententiæ.

diatè efficere ipsam gratiam in anima, & hi iterum inter se sunt diversi, nam aliqui putant, hoc præstare aliquam virtutem elevantem ipsis à DEO communicatam, alii sine tali virtute superaddita immediatè assumi à DEO ad causandam gratiam, eò quòd in omnibus potentiam obedientialem activam ponant.

XII. Sacramenta causant gratiam habitualem, quando essentialiter complentur.

Scotus tamen contrarium tenet in 4. d. 1. q. 5. n. 12. & ferè omnes antiquiores Theologi, cum pluribus RR. quamvis etiam isti in modo explicandi inter se differunt. Undè pro intelligentia quæstionis

II. Quæ causa efficiens physica, quæ moralis.

Nota: Quòd causa efficiens physica seu naturalis sit illa, quæ effectum suum physicè attingit per formam & vim sibi à Natura inditam, ut ignis calefacit calore, & ignit suâ formâ substantiali. Causa verò moralis est illa, quæ non attingit suum effectum physicè, sed moraliter per quandam virtutem motivam, quæ ratio quædam est suadens, vel inclinans, ut aliquid efficiatur, sicuti si ad meum Consilium sequatur homicidium, ego sum causa moralis hujus homicidii. Hîc revoca etiam omnia, quæ dixi in Physica, nam sicut causa physica dividitur in principalem, & instrumentalem, atque adeò quæ uni convenient, cœteris paribus convenient & alteri. His suppositis ad quæstionem

III. Sacramenta moraliter tantùm causant gratiam.

Dico Primò: *Sacramenta novæ Legis non physicè, sed moraliter tantùm causant gratiam, quam conferunt.* Ita Scotus suprà. Albertus 4. dist. 1. a. 5. Div. Bonaventura, Thom. Argent. Probatur Conclusio Primò: Quia Scriptura ipsis non tribuit majorem causalitatem, quàm Sanguini Christi, & aliis operibus causantibus gratiam, sed Sanguis CHRISTI salvat nos, mundat nos, sanctificat & auget gratiam tantùm meritoriè & moraliter, ergò etiam Sacramenta. Major probatur: Tum, Quia Sacramenta suam efficaciam habent ex Sanguine CHRISTI, velut causa meritoria principali: Tum, Quia 1. Joannis 1. dicitur: *Sanguis JESU CHRISTI emundat nos ab omni peccato*; Et Apocalyps. 1. *Lavit nos in Sanguine suo.* Jacobi 1. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Tob. 12. *Quoniam Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.* Rom. 3. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem.* Denique de omnibus bonis operibus Concil. Trident. Seff. 6. Can. 24. dicit: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri per bona opera, -- -- -- anathema sit.* Minor de se patet, Quia nec Fides, nec bona opera, nec Sanguis CHRISTI physicè nos justificant, sed moraliter, ùt ipsum Trident. Seff. 6. C. 7. ait: *Justificationis causæ sunt finalis gloria DEI. - - Efficiens misericors DEUS. - - - Meritoria autem Dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster JESUS Christus, qui cùm essemus inimici propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ Passione in Ligno Crucis nobis justificationem meruit.*

IV. Autho. Patrum idem.

Probatur Secundò Authoritate Sanctorum PP. Augustini Epist. 23. de Baptismo dicentis: *Aqua exhibens forinsecùs Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno CHRISTO.* & 15. Trin. 26. *Neque enim aliquis discipulorum dedit Spiritum Sanctum, orabant, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non eum ipsi dabant.* Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus est, operatio est Spiritûs Sancti*, quorum authoritates sufficere dicit D. Bernardus Tract. de Sacramentis Tract. ad Hugonem c. 2. his verbis: *Ab his ergò duabus columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium, crede mihi, difficilè avellor; cum his inquam me aut errare, aut sapere fateor.*

V. Ratio ostendi Sacramenta non fare ph[ysicè] gratiam.

Probatur Conclusio Tertiò Ratione: Baptismus non producit physicè gratiam, ergò nullum Sacramentum, consequentia est evidens, quia non est potior ratio de aliis, quàm de Baptismo. Probatur anteced: Causa phy-

physica alicujus effectûs debet existere realiter, quando producitur ille effectus, sed Baptismus non existit realiter, quando producitur gratia, ergo. Major est certa ex Physica. Probatur Minor. Baptismus consistit in ablutione & verbis prolatis, sed certum est, quod verba illa, quæ successivè proferuntur, nunquam existant, aut existere possint simul, nam quando profertur Ly *Ego te*, non existunt reliqua verba, & quando profertur Ly *Spiritûs Sancti*, non existunt realiter priora, quia jam transierunt, ergò Baptismus non existit realiter, quando producit suum effectum, id est, gratiam: & consequenter non physicè, sed moraliter illam causat, quatenus scilicet obiectivè Deum movet, ut intuitu illius velut actionis, juxta Christi institutionem exercitæ, infallibiliter ex decreto, & ordinatione gratiam conferat.

VI. Alia ratio ad idem. Probatur Quartò: Gratia Sacramentalis, quæ est forma indivisibilis, & supernaturalis inducitur in instanti, sed Sacramenta physicè in instanti non agunt, ergo. Probatur min: Quia ad illa requiruntur verba actionis Sacramentalis, quæ per modum successivum fiunt, ergo. Major etiam patet: Quia materia non est divisibilis, ergò nec gratia. Probatur consequentia. Quia si esset gratia divisibilis, esset forma naturalis, sed non est, ergo.

VII. Instantia refellitur. Dices Primò: Baptismum causare gratiam in illo instanti, quo profertur verbum Sancti, sed verbum illud realiter existit, quando gratia producitur. ergo Baptismus realiter existit, quando gratia producitur. Contra Sacramentum Baptismi producit gratiam, sed verbum Sancti non est Sacramentum, ergò non est, quod producit gratiam.

VIII. Instantia alia refutatur. Dices Secundò: Gratiam realiter produci in ipso fluxu, seu successivâ prolatione verborum, ergò physicè producitur. Contra. Forma Sacramenti est efficax tantùm per modum unius signi facientis unum sensum completum, & determinatū, sed forma non cōpletur, nec facit sensum determinatum, donec ponantur omnes illius partes, sed partes non ponuntur, nisi postquam omnia verba proferuntur, ergò forma non est efficax, nisi postquam omnia verba proferuntur, & consequenter causat gratiam, quando non existit realiter.

Probatur Quintò: Instrumentum conjunctum & separatum sunt in eodem genere causæ, sed humanitas Christi, quæ est instrumentum conjunctum Divinitatis, est causa efficiens moralis respectu gratiæ, ergò similiter Sacramenta sunt causæ efficientes morales & instrumentales ipsius gratiæ. Consequentia probatur, quia major est nota cum minori. Omnia, quæ de Sacramentis novæ Legis afferuntur, eadem affirmantur in Sacris Litteris de Sanguine Christi, 1. Joan. 1. Apoc. 1. supra, ergò eodem sensu Sacramenta dici possunt lavare, mundare, & remissionem peccatorū causare, quos Sanguis Christi lavat, mundat, remittitq; peccata, siquidem pretium Sanguinis Christi per Sacramenta nobis applicatur: ergo. IX. Causalitas moralis Sacramentorum probatur.

Confirmatur: Sacramenta sunt instrumenta Christi Domini in quantum Redemptoris, sed Christus Dominus ut Redemptor fuit causa moralis principalis nostræ salutis, ergò Sacramenta sunt causæ morales instrumentales. Major patet. Minor probatur. Nam Christus Dominus in quantùm Redemptor operatus est nostram salutem per modum meriti, & satisfactionis, sed modus meriti & satisfactionis est moralis, ergò cùm Christus utatur Sacramentis, erunt causæ instrumentales morales.

Probatur Sextò per enumerationem aliquorum Sacramentorum: verba consecratoria Eucharistiæ, non causant physicè primum suum effectum, nempè Corpus & Sanguinem Christi, ergò nec alia. Anteced. patet, quia verba non possunt transsubstantiare, nec annihilare materiam, nec adducere Corpus Christi de cœlo. ergo. Deinde Matrimonium non causat semper physicè suam gratiam, patet, quando Sacramentum fit per Procuratorem, ubi consensus & traditio contrahentium jam transiit, X. Ratio contra causalitatem physicam Sacramentorum.

quan-

quando Procurator alteri conjugi primò notificat: ergo. Tandem Sacramenta causant gratiam, quando recedit fictio in reviviscentibus, sed tunc Sacramentum non est ullo modo, ergò physicè causare nequibit, sed tantùm moraliter.

XI. Refutantur varii modi, quibus defenditur causalitas physica Sacramentorum.

Probatur Septimò per refutationem aliorum dicendi modorum: Quia non causant gratiam per dispositionem prævam: Tum, Quia hæc dispositio habitualis est superflua, & propter supernaturalitatem alia etjam debet prior admitti, quamvis non negem in adultis dispositionem per actus elicitos requiri: Tum, Quia hæc dispositio est etiam supernaturalis, sicut gratia, ergò si propter supernaturalitatem gratiæ, & quia terminus creationis est, non potest gratia à Sacramento immediatè produci, nec poterit ipsa dispositio.

Secundò: Sacramenta nequeunt physicè efficere, ut homo sit gratus DEO, ut unionem gratiæ attingant, & non ipsam gratiam; quia causa nequiens attingere formam, nequit etiam attingere ipsius unionem, ut patet de anima & corpore. Deindè posito quòd attingeret unionem animæ cum corpore, non tamen causaret physicè animam.

Tertiò: Sacramenta non possunt gratiam producere per qualitatem & virtutem ipsis superadditam. Tum, Quia gratia est tàm excellens Naturæ Divinæ Participatio, ut non videatur possibilis aliqua virtus creata effectiva ipsius: Tum, Quia illa virtus vel est corporea vel spiritualis; si corporea æquè incapax est, ut producat gratiam, ac sunt ipsa Sacramenta, ac proindè frustranea, si spiritualis dicitur, malè allegatur, quia nulla virtus spiritualis in subjecto corporeo poni potest, cui veluti accidens inhæreret, aut enim esset indivisibiliter tota in toto, & tota in qualibet parte, aut divisibiliter, id est, tota in toto, & pars in parte: non primò modò, Quia inter omnes formas perficientes materiam, sola rationalis est talis: nec secundò modò, quia tunc extenderetur per accidens in subjecto, quod est contra rationem spiritualis virtutis.

Nec dicas, illam virtutem non inhærere, sed motum aliquem artificiosum, & virtuosum Sacramentis à DEO impressum, quia vel hic motus est aliquod reale receptum in Sacramento à DEO, & redeunt argumenta priora; si verò nihil est receptum reale in Sacramentis, sed solus concursus Divinus cum Sacramentis, quia sic solus DEUS producet, nec intelligi potest, quomodo Sacramenta physicè causarent. Velle autem rem explicare per motum instrumentorum artificialium nihil est, quia ille motus nullo modo est activus in ipsis, ergò nec in Sacramentis, & hic motus non est, nisi applicatio & conditio, ergò etiam tantùm erit in Sacramentis, & probari potest ex omnibus argumentis, quibus in Physica negatur virtus activa instrumentis. Similiter refutatur ultimus modus explicandi ex dictis in Physica, ubi negatur potentia obedientialis activa omnibus rebus, ad quamlibet rem producendam. Sed quia Thomistæ dicunt, si Sacramenta non physicè causarent, sed moraliter, sequeretur, quod non possent vocari veræ causæ, sed solùm causæ per accidens. Ideò

XII. Causalitas moralis Sacramentorum ratione ostenditur.

Probatur ultimò: Stante causalitate morali Sacramentorum, ea veras esse dicendas causas à ratione, per rationem Scoti. Omnis dispositio (exceptâ illâ, quæ præcedit in materia, ut forma in ipsam introducatur, & suscipiatur) necessitans ad formam, potest dici aliquo modo causa activa, sive instrumentalis ipsius, sed Sacramenta sunt dispositiones necessitantes DEUM ad gratiam ponendam, ergò sunt causæ activæ & instrumentales ipsius gratiæ. Probatur major, Primò: Quia meritum dicitur causa prœmii, & beatitudinis, eò quòd propter merita detur beatitudo, & tamen meritum physicè non producit beatitudinem, aut aliquam aliam dispositionem ad beatitudinem, sed ipsa est

 dispo-

dispositio prævia necessitans DEUM ad dandum prœmium. Secundò, Quia alteratio est vera causa respectu generationis, licèt terminum generationis non attingat, sufficit, quòd sic necessitet, ut generatio & forma sequatur. Tertiò, Quia nihil communius est, quàm quòd dispositiones præviæ dicantur causæ contentionis sic disponens Principem ad promovendum filium in Comitem, in Consiliarium, dicitur causa promotionis, sic est de omnibus causis moralibus, quæ licèt non sint in rigore philosophico, sunt tamen veræ causæ, sicut peccatum habituale est verum peccatum, licèt dicatur solùm æquivalenter peccatum actuale. Probatur etiam minor principalis argumenti: Quia DEUS suâ liberâ determinatione & institutione, ac pacto facto cum Ecclesia, semper assistere debet illis Sacramentis ad causandam gratiam in dispositis, & non ponentibus obicem, ita quod sine mutabilitate veritatis suæ, non possit nunc non assistere, sed hoc est quodam modo DEUM necessitare, quamvis non absolutè, sed ex propria determinatione suâ. Sed incontra

XIII. Concilia non determinârunt modū, quô Sacramenta causant gratiam.

Opponitur Primò: Authoritas Conciliorum Trident. Sess. 7. Can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit.* Similia habent Florentinum, Milevitanum, Arausicanum, Senonense, Moguntinum, &c. Respond. Etiam me credere id & firmissimè profiteri; verùm nec Concilia modum continentiæ & efficientiæ determinarunt, tàm verè enim continet ac efficit, quod moraliter continet, quàm quod physicè, nec unquam determinare intenderunt, sed solùm hæreticos condemnare, qui volebant, Sacramenta esse pura signa & nuda, ad excitandam in ipsis fidem spiritualem.

Opponitur Secundò Authoritas Sanctorum PP. August. Tract. in Joan. ubi ait: *Quæ est ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.* D. Cyrilli lib. 2. in Joan. cap. 24. ait: *Sicut viribus ignis intensiùs aqua calefacta calorem efficit non aliter, quàm ignis. Sic Spiritus Sanctus operatione ad Divinam aquæ reformantis virtutem, quia baptizatum abstergunt.* Similia habent Chrysostomus, Cyprianus, &c. Sed Respondeo, opponendo eis similiter Authoritatem Sanctorum PP. supra, imò sicut Augustino idem oppositus est & mihi, ita oppono Cyprianum eundemmet seipsum Serm. de Baptismo Christi, ubi ait: *Remissio peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est. Et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet: verborum solemnitas & sacri invocatio Nominis, & signa Institutionibus Apostolicis Sacerdotum Ministerio attributa, visibile celebrant Sacramentum, rem verò Sacramenti Spiritus Sanctus celebrat & efficit.* Vides, quomodo nostram doceat Conclusionem. Vide, quomodo ergò, ne sibi contradicere dicatur, intelligi debeat, quòd eleventur Sacramenta ad efficientiam moralem, non verò physicam, si enim physicè produceret gratiam, nequaquam posset sic totaliter eis denegari. Undè quando Sancti Patres dicunt, Sacramenta causare gratiam, præscindunt à modò, & solam insinuare volunt infallibilitatem effectûs, de modo ergò sub judice lis est. Divus Cyrillus autem insinuans quasi aliqua virtus inhæret, explicari debet de virtute, prout est ordinatio, & institutio Divina, quæ passivè ea denominat.

XIV. Patresque præscindunt à modo, quo Sacramenta gratiam efficiunt.

Arguitur etiam ex Ratione: Humanitas Christi physicè operabatur miracula, ergò & Sacramenta. Probatur consequentia Primò: Quia non implicat plus Sacramenta elevari ad productionem gratiæ physicam, quàm humanitatem ad producendam justificationem. Secundò: Quia ignis potest elevari ad torquendos Spiritus, ergò. Respond. Primò, Negando consequentiam. Quia miracula erant actiones Theandricæ, easq; personaliter operabatur, non sic sunt Sacramenta, quia hæc non habent conjunctum intrinsecum principium Divinum, potens physicè

XV. Objectioni contra causalitatem moralem Sacramentorum satisfit.

pro-

producere, nec habent aliquod inchoatum, quod posset elevari, cùm tamen nulla potentia ad aliquid producendum elevari possit, nisi habeat inchoatam rationem. Unde quamvis D. August. lib. 3. Trin. c. 9. & 22. Civ. c. 9 dicat: DEUM ex quolibet quodlibet producere posse, intelligendꝰ est juxta modò dicta. Et per hæc patet ad primam probationem conseq. secundam etiam nego, quia ignis non elevatur physicè ad torquendos dæmones, sed intentionaliter. Resp. II. Negando antec. Nam ùt benè notat Athanas. Serm. 7. contra Arian. *Humano more manum extendit, Divinitas autem morbũ compescuit.* Et Leo Epist. 10. c. 4. *Unum horum coruscat miraculis, alterum succumbit injuriis*; loquitur de duabus naturis.

Instatur contra primam Solutionem: Ecclesia supponit pro certo, quòd Sacramentis comunicetur virtus elevans Sacramenta, ergò nõ implicat. Probatur anteced. Quia Feriâ quintâ majoris hebdomadæ in Olei consecratione, & Sabbatho sancto in consecratione aquæ Baptismatis orat, ut fœcundetur arcanâ admixtione Numinis Spiritûs S. ut virtus Spiritûs Sancti in aquam descendat, & efficax reddatur purificandis mentibus. Resp. Negando antec. Ad probationem dico, quòd Ecclesia illas preces adhibeat majoris solennitatis gratia, ad denotandam efficaciam Sacramentorum, cùm eam sic habeant, ac si virtus divina ibi adesset, nam si revera vellet intendere aliquid physicum ipsis appositum, deberet æquè tales præces super verba adhibere, cùm hæc sint magis principalia in Sacramentis. Et si dicas, quòd Sancti PP. magnificent multum Sacramenta, & eorum efficaciam admirentur, concedo libenter, physicam virtutem tamen exhinc non poteris inferre, sicut nec ex eo, quòd aliquis resuscitet mortuos, licèt id multũ admiremur. Sanè Sacramenta admiranda sunt, quòd DEUS ad tàm exigua elementa se allegaverit quasi, quòd velit cum eis concurrere, & ad eorum positionem gratiam producere, quæ proindè etiam dignificanda sunt, sed non plus quàm recta ratio admittit. Nam D. August. lib. 3. de lib. arbitr. c. 5. non dicit: *Quidquid melius tibi occurrerit, scias, DEUM hoc fecisse, tanquam bonorum omniũ Conditorem*, sed dicit, *quidquid tibi vera ratione meliùs occurrerit*. Non est autem vera, ubi fieri non posse ex ratione demonstratur, alioquin etiam dicere possem, Christum physicè causare gratiam & gloriam omnium Sanctorum, similiter causare eam B. Virginem, quia hoc cedit ad majorem dignificationem. Sed

XVI. Instantiæ respondetur.

Urgetur: Si Sacramenta nullam in se habent physicam virtutem, erunt nuda signa, sicut dicunt hæretici, vel non plus concurrunt ad gratiam, quàm signa magica ad inferendum damnum per Dæmonem. Sed hoc, &c. ergò &c. Respond. Negando sequelam: Quia hæretici dicunt, illa signa excitare solam fidem, quâ mediante conferatur postmodùm gratia credenti sibi remissa peccata. Signa verò dæmonum sunt puræ conditiones, eæque fallibiles, Sacramenta verò infallibilia sunt, & habent vim movendi DEUM, quia sunt operationes Christi, quare sicut preces Christi movebant DEUM ad facienda miracula, sic movent etiam Sacramenta ad producendam gratiam, tanquam Christi actiones, in cujus nomine fiunt. Unde

XVII. Sacramenta non sunt nuda signa, nec signa similia signis magicis.

Nota: Quòd per intentionem Ministri volentis & intendentis facere, quod facit Ecclesia & Christus instituit, sortiatur Sacramentum rationem causæ instrumentalis inchoatè & incompletæ ùt persona publica, completivè verò & perfectè per merita Christi, quæ hac intentione & per hæc Sacramenta applicantur, & hæc est bonitas & honestas moralis, quæ movet DEUM, suppositâ semper institutione Divinâ, quòd ea signa velit habere, quibus explicarentur merita Christi. Sed quid de Sacramento Eucharistiæ? Sentio idem: Quia Caro Christi sumpta Sacramentum non est, & Caro Christi etiam meritoriè efficit gratiam. Utrum autem possint dici Sacramenta veræ causæ, dictũ est suprà.

XVIII. Quæ sit bonitas & honestas moralis Sacramentorum.

QUÆSTIO QUARTA.

An Sacramenta fictè suscepta conferant gratiam?

ALii aliter proponunt hanc Quæstionem, videlicet: An Sacramenta possint esse valida & informia? Qui tamen fatentur hanc informitatem Sacramentorum originari à fictione, quod tripliciter fieri & contingere potest; Primò fingendo se, v. g. ad evitandum mortis supplicium velle suscipere ablutionem illam, quam Christiani conferunt pro signo & testimonio suæ fidei; in mente tamen simpliciter habet oppositum; Secundò, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen, revera non est interius dispositus, quia v. g. dubitat in fide, aut simpliciter quibusdam articulis discredit. Tertiò: Habendo aliud peccatum præteritum, cujus recordatur, & conteri vel atteri non vult, de quibus fusiùs tract. 2. disp. 3. q. 4. Nunc pro resolutione breviter expedio Quæstionem &

I. Fictio tripliciter accipitur.

Dico Primò: *Fictè accedens primo modo, nec rem nec Sacramentum recipit, quod in usu consistit.* Est certa, & probatur: Tum, Quia *Spiritus Sancti disciplina effugiet fictum*, Sap. 1. Tum, Quia talis esset simpliciter nolens, adeóque nihil reciperet, cùm ad Sacramentorum susceptionem in adultis requiratur eorum consensus, nolentem enim DEUS non justificat.

II. Simpliciter se fingens, non accipit Sacramentum.

Dico Secundò: *Secundo & tertio modo accedens ad Sacramentorum susceptionem ex Sacramentis quidem aliqua susciperet, non tamen rem Sacramenti, seu gratiam*; seu: *Possunt esse aliqua Sacramenta valida & informia*. Ita Scotus in 4.d.4.q.5. Et quoad Baptismum communis est mens Ecclesiæ, ac probatur: Quia hæc adultos Hæreticos, v. g. Anabaptistas, baptizatos non rebaptizat, ergo accipiunt verum Sacramentum, & tamen non accipiunt gratiam, ergò Baptismus illorum est validus, & tamen non formatus, quia informis dicitur, qui caret gratia tanquam effectu, & formatus qui habet gratiā annexam.

III. Fingens se, per indispositionē voluntariam, Sacramenta recipit, sed non gratiam.

Probatur Secundò: Ex D. Augustin. lib. 1. de Baptism. c. 2. dicente: *Non iterum baptizandus est, quia ipsa Reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod susceptum in Schismate prodesse non poterat.*

Probatur Ratione: Quia potest poni tota essentia Sacramenti, videlicet materia, forma, intentio Ministri, ac etiam suscipientis, (si enim hæc non adsit, nec Sacramentum suscipit, & est fictus illusorius) & tamen omitti voluntariè, vel ignoranter aliqua dispositio ad effectum gratiæ requisita, sed tunc habebitur Sacramentum validum & informe, ergo.

IV. Potest tota essentia Sacramenti poni, sine dispositione ad gratiam, in Baptismo.

Probatur etiam de Confirmatione & Ordine: Quia hæc Sacramenta æquè imprimunt characterem, ac Baptismus, & sunt omninò irreiterabilia, omniáq; habere possunt, quæ ad essentiam illorum pertinent, & tamen non causare gratiam, ergò. Et eadem est ratio de extrema Unctione, & Matrimonio, quæ in eadem infirmitate, & durante vita conjugis reiterari non possunt; Ac insuper licèt Ecclesia cognoscat illa esse cum obice positivo suscepta, non jubet de novo inungi, aut novum consensum inter conjuges fieri, ergò, valida sunt, & tamen suum effectum gratiæ non habent. Sed incontra

V. Etiam in Ordine & Confirmatione.

Opponitur Authoritas D. Pauli ad Gal. 3. dicentis: *Quicunq; baptizati estis, Christum induistis*, sed Christum non induimus, nisi per gratiam, ergò baptizati semper acquirunt gratiam. Respond. Negando min. Quia Christum etiam induimus per characterem, quo in familiam ejus adscribimur, & ipsius corporis, quod est Ecclesia, efficimur; Quamvis iste modus induendi sit generalis ac imperfectus, perfectus autem est, quando Christum induimus per gratiam, sanctificationem, per fidem, spem & charitatem, quod D. Thomas dicit: *Per gratiam conformitatem*, de quo iterum infra.

VI. Christus induitur dupliciter.

Dices: Hinc sequi, nec verum fuisse Baptismum, quia verus non est, qui

VII. *Forma vera semper debet causare, quod principaliter significat.*

qui non habet veram formam, sed talis non habuisset veram formam, ergò. Probatur min. Quia forma vera non est, quæ non causat quod significat, atqui hic forma non causaret quod significabat, ergò. Probatur min. Quia, *Ego te baptizo*: idem sonat ac significat, *Ego te abluo à peccato*, vel *infundo tibi gratiam peccati originalis remissivam*, sicut in Pœnitentia, *Ego te absolvo*. Respond. Negando min. & min. probationis distinguo, quæ non causat quod significat principaliter, concedo: tanquam effectum nego. Forma igitur ista, *abluo*, ex vi vocis, significat principaliter vi verborum, *ablutionem* physicam, & tanquam effectū *ablutionem moralem*, adeóq; magna est disparitas inter formam, *Ego te absolvo*, & *Ego te abluo*.

VIII. *Sacramenta sublata fictione reviviscunt.*

Dico Tertiò: *Hæc Sacramenta sublata fictione reviviscunt, seu tunc suam causant gratiam.* Hæc est de mente Ecclesiæ. Et quidem de Baptismo clarè probatur ex Trid. Sess. 4. c. 6. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur, filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum - - - sinè lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Ex quo sic argumentor: Translatio de statu peccati originalis non potest fieri per Baptismum informem, quia tunc filius Adæ manet filius Adæ, cùm non acquirat signum adoptionis filiorum DEI, i. e. gratiam; Nec per votum Baptismi, quia illicitum est votum illius, quod actu suscepit: Nec etiam per Pœnitentiam, quia hæc non transfert de statu filiorum Adæ, sed benè de statu filiorum Prodigi, ad statum filii reconciliati, ergò transfertur per Baptismum reviviscentem.

Probatur Secundò ex Authoritate D. August. lib. 3. contra Donatist. c. 3. ubi Donatistis sibi objicientibus, *Vel Baptismus apud nos susceptus confert gratiam Spiritûs S. vel non? Si confert? Ergo datur apud nos Spiritus S. Si non confert? Ergo recedentes à nobis rebaptizandi sunt apud nos.* Respondet S. August. illis: *Qui propter discordiam operabatur mortem*, Baptismus scil. *propter pacem operatur salutem*; & cap. 8. *Sub eodem Baptismate peccata dimittuntur, sub quo peccata tenebantur propter Sacrilegiū divisionis.*

Probatur Congruentiâ: Quia Mater Ecclesia non reiterat Sacramentum, v. g. extremæ Unctionis in eodem morbo, licèt sit & fuerit cum obice susceptum, quod non faceret, nisi speraret illius reviviscentiam, aliàs vellet eos ejicere à salute, qui obicem posuerunt ignoranter, vel etiam scienter, & eundem tamen retractarunt. Et eadem Congruentia currit de aliis Sacramentis. De hac re redibit sermo ubi de Sacramento Baptismi.

QUÆSTIO QUINTA.

An præter gratiam Sacramenta imprimant Characterem, & quid sit?

HActenus de primario effectu Sacramentorum, gratia scilicet egimus, restat explicandus hic secundarius etiam, qui est Character. Quod vocabulum suppono ex Scoto 4. d. 6. q. 9. n. 2. apud Græcos idem valere, quod apud Latinos figura: *Et sic*, inquit, *accipitur ad Hebr. 1. ubi nos habemus Figura Substantiæ, ponitur in Græco Character, & hoc modo dicimus Characteres Figuras, quibus litteræ scribuntur: & hoc modo dicimus Characteres in cantationibus, & hujusmodi quædam figuras protractas. Et hoc modo accipitur in Apocalyp. Character bestiæ, figura in fronte vel manu, quæ significat ipsam pertinere ad familiam bestiæ.* Est autem in præsenti Character signum quoddam spirituale mediante Sacramento irreiterabili impressum animæ assimilativum aliis habentibus idem signum, & distinctivum ab aliis eo carentibus, ac rememorativum Sacramenti suscepti, & conformativum atq; obligatorium Christi, cujus Sacramentum suscepit. Et quamvis omnia signa habeant, quòd sint assimilativa & distinctiva, non omnia tamen habent, quòd sint rememorativa, obligatoria, ac conformativa. In hac igitur Quæst. quæritur Primò: An Circumcisio impresserit Characterem? Secundò: Quæ Sacramenta imprimant? Tertiò: An hoc sit de Fide? Quartò: Quid sit Character? & ubi subjectetur? Ad Primum

I. *Character quid nominis?*

II. *Et quid rei?*

III. *Circumcisio in Lege*

Dico Primò: *Circumcisio imprimebat in Lege veteri Characterem.* Ita colligitur

veteri imprimebat Characterem. colligitur ex Doctore 4. d 6. q. 9. in responsione ad primum principale. Probatur: Ita Circumcisio erat Janua Salutis in Lege Mosaica, sicut defactò est Baptismus in Lege Christi: sed hic imprimit Characterem, ergò & illa. Confirmatur: Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato: ergò etiam imprimebat Characterem, quia sicut ipsi collata fuit virtus ad effectum principaliorem, cur non ad minus principalem, maximè cum Thomistæ hoc ideò negent, quia dicunt, quòd non habuerit virtutem producendi effectum spiritualem gratiæ, consequenter nec Characterem, qui est dispositio ad gratiam, ergò cùm habuerit virtutem ad gratiam probabiliter dici potest & congruè, etiam hunc impressisse. Sed

Dices; Si Circumcisio impressisset Charactere, sequeretur, Circumcisum non potuisse baptizari, Sed &c. ergò &c. Probatur sequela: Quia Character Circumcisionis & Baptismi sunt ejusdem speciei, ergò non potuisset baptizari. Probatur conseq. Quia alioquin duo accidentia ejusdem speciei fuissent in eodem Subjecto, quod est inconveniens.

IV. Instantia dissolvitur. Respond. Negand. Sequelam cum proba conseq. & probæ ejusdem antec. Quia in tali casu Baptism' non impressisset Characterem, licet ex virtute sua potuisset imprimere, quia tunc Subjectum non fuisset amplius in potentia, sed in actu, sicut contingit in omnibus aliis formis, quæ Subjectum deprehendunt jam actuatum.

V. Character Circumcisionis & Baptismi quomodo differant. Respond. Secundò: Characterem Circumcisionis & Baptismi differre secundùm magis & minus perfectum, sicut etiam gratia collata eorum, unde sicut Circumcisio in gratia existenti & denuò baptizato augebatur & perficiebatur, sic eo modo dici potest de Charactere Circumcisionis, eum per Baptismum fuisse perfectionatum. Respond. Tertiò: Characterem Baptismi & Circumcisionis fuisse distinctarum specierum, quia distincta specie Sacramenta.

VI. Tria Sacramenta novæ Legis imprimere Characterem ostenditur ex Conciliis. Dico Secundò: *In Lege nova imprimunt Characterem tria Sacramenta irreiterabilia, nempe Baptismus, Confirmatio & Ordo.* Ita definivit Conc. Florent. in Decret. Union. his verbis: *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est, spirituale quoddam signum à cœteris distinctum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor non imprimunt Characterem, & reiterationem admittunt.* Trident. Sess. 7. Can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, id est, signum quoddam spirituale, indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Et ante utrumque Innoc. III. ad Arelatens. Episcop. & refertur cap. *Majores*, lib. 3. Decret. Lege 42. c. 3. Quibus Authoritatibus totaliter innititur hæc Conclusio, sicut etiam prima pars sequentis, unde definitionibus his suppositis

VII. Ex Scriptura. Probatur Conclusio Secundò ex Scriptura ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*; & 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis in diem redemptionis*; & 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos DEUS, & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Ubi Apostolus agens juxta quosdam de Baptismo, juxta alios de Confirmatione, juxta alios de utroque, assignat tres effectus, scil. unctionem per gratiam sanctificantem, signationem (seu, ut verbum Græcum sonat) sigillationem per charitatem, dationem pignoris, id est, testimonium bonæ conscientiæ.

VIII. Ex Patribus. Probatur Tertiò: Ex Authoritate D. Augustini Epistola 44. alloquentis Hæreticos Donatistas: *Vos*, inquit, *omnes Christi estis, quia Characterem Dominicum portatis, sed erratis, & peritis.* Et Epistola 50. docentis Hæreticos pœnitentes non reprobandos, rationem reddit: *Quia in eis hoc ipso, quòd baptizati sunt, Character semper agnoscitur.*

IX. Et ex Congruentia. Probatur Quartò: Ex Doctoris Subtilis Congruentia, quamvis non convincente, quia DEUS potuisset aliter facere, supra q. 10. n. 12. ubi quærens, quare tantùm tres sunt Characteres, inquit: *Respondeo, quòd hoc potest patere per simile in politiis istis mundanis, nullus enim habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit vel bibit, nec quia post offensam Dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat homines in politia: nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocunque gradu. Sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam Regis, alium quando in familia proficit, & ulterius constituitur*

tur ùt miles ad defendendam Rempublicam, alium quando constituitur ùt supremus à Domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in suafamilia, utpote aliquis Senescalcus generalis. - - - sic in proposito tria Sacramenta, scilicet Eucharistia ad nutritionem spiritualem, Matrimonium ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem annualem (adde in extrema Unctione ad confortationem, ut benè moriantur) *in nullo certo gradu consistunt in Ecclesia, imò possunt esse communes omni membro Ecclesiæ in quocunq; gradu. Sed primus gradus in Ecclesia est quidem universalissimus est recipi in familiam Christi, quod fit in Baptismo, secundus specialis in militiam ad defensionem Fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione. Tertius: constitui in Patrem & Pastorem ad intròducendum alios in Ecclesiam, quod fit in Ordine:* Hæc congruentia fundatur in illâ consuetudine antiqua, quâ Reges suos familiares signare solebant, secundùm diversum gradum, quem obibant.

X. Tria Sacramenta imprimere characterem est de fide.

Dico Tertiò: *De Fide est tria dicta Sacramenta imprimere characterem, quamvis hoc nec evidenti ratione & convincente experientiâ, nec expressâ & explicitâ authoritate Sacræ Scripturæ & PP. probari possit.* Ita post Doctorem Faber, Bosco &c. Patet prima Pars ex definitionibus superioribus, nam ùt habetur Extrava. de *hæreticis*, cap. *Ad abolendum. Sentiendum est de Sacramentis, ut Romana sentit Ecclesia.* Sed Romana sic sentit. ergo.

XI. Character nequit probari expressâ & explicitâ authoritate S. Scripturæ.

Probatur Secunda Pars: Quia omnes Scripturæ & PP. debent accipi in eo sensu, quo ab Authoribus proferuntur, nè ab Adversariis quis derideatur, ita quòd illa, quæ sunt explicita explicitè, & obscura ùt talia & dubia pro dubiis allegentur, sed omnes authoritates Scripturæ, & Patrum non possunt allegari ùt explicitæ, & expressæ, ergò non potest etiam dici, quod explicitè & expresè ex iis deduci possit, major patet. Quia in dubiis debemus recurrere ad Ecclesiam, cujus sicut est determinare, quæ sit vera Scriptura, ita quis sit verus ejus sensus, eodem enim spiritu, quo dictantur etiam explicantur, quod Ecclesiam semper hactenus exactè, & infallibiliter fecisse constat, & hinc ea, quæ per Traditionem Apostolorum, & obscuras Scripturas acceptas sequebantur, declaravit postmodùm sequi, & ut tale de Fide determinavit. Sic, quia semper in Ecclesia notum fuit Baptismum esse irreiterabilem, per eum hominem regenerari, & adscribi in militiam CHRISTI secundùm particularem gradum, hinc declaravit Scripturas suprà allegatas intelligendas esse de effectu aliquo Sacramentorum. Sed probo minorem, illas authoritates non posse allegari ùt explicatas. Quia Sacræ Scripturæ Textus, de sigillo, signaculo, pignore Spiritûs Sancti intelligi possunt de gratia, ergo. Probatur antecedens, quia in authentica & dogmatica doctrina Concilii Tridentini Gratia sic appellatur Sess. 6. cap. 7. ubi dicit: *Efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Sic etiam intelligunt locum Div. Pauli ad Corinth. supra de gratia Chrysostomus, Oecumenius & alii, ergo.

XII. Nec SS. Patrum.

Patres verò omnes loquentes de Charactere Sacramentorum intelligi possunt de ipso Sacramento, non de effectu Sacramenti, & maximè D. August. cujus authoritas est potissima hic, nam ipse imprimis utpotè diligentissimus Sacramenti Baptismi investigator, si quando characteris mentionem facit, non facit ùt de re distincta à Sacramento ipso, unde comparans characterem militiæ cum charactere Sacramenti dicit: *Si characteres militum semel suscepti sic manent, ut ampliùs iterari non debeant. An fortè minùs hærent Sacramenta Christianitatis quàm corpora- lis hæc nota?* Ita lib. 2. ad Parm. ca. 15. prout refert ipse D. Thomas 3. p. q. 63. ar. 1. Item Epistola 203. ad Max. sic habet Augustin. *Quamvis unum sit Baptisma*

Baptisma & haereticorum, scilicet qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. baptizant, & Ecclesiae Catholicae: qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem Baptismum, sed ad perniciem, habentes formam Sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes, & ideò Ecclesia illos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, & ipsa est forma Baptismi. Quod praeclarissimè notavit Doct. 4. d. 6. q. 9. n. 14. dicens: *In ista authoritate* (D. Augustini) *pluries nominat characterem, sed apparet, quòd nihil ad propositum secundum significationem characteris, de quâ loquimur: quia dicit* (lib. 6. contra Donatistas ca. 1.) *quòd Lupi lupis insigunt characterem: quod magis salvatur de Sacramento Baptismi, quàm de aliquo effectu in anima. Unde ubiq; in illa authoritate potest character benè ad intentionem ejus pro Baptismo accipi, non pro effectu Baptismi: sicut dictum est prius Magistrum accipere characterem in ista definitione pro forma Baptismi.* Haec Doctor Subtilis. Addo cum eodem: etsi D. Augustinus non negaret imprimi characterem, certum tamen est, quòd nec in nostra significatione dari affirmet.

XIII. *Character nequit cōvinci evidenti Ratione.* Probatur ulterius, quòd nec evidenti ratione possit convinci. Quia rationes adhibitae ad probationem characteris hae sunt: Prima: Ex eorum irreiterabilitate. Secunda: Quòd in istis Sacramentis datur aliqua potestas spiritualis: Sed irreiterabilitas Sacramentorum, nec collatio potestatis evidenter characterem demonstrant: ergo. Major est adversariorum. Probatur min: Non irreiterabilitas, quia prima Tonsura est irreiterabilis, & tamen non imprimit Characterem, ergò eodem modo posset esse Sacramentum, v. g. Ordinis irreiterabile, etiamsi non imprimeret characterem. Deindè omnes benedictiones super materias Sacramentorum non sunt reiterabiles, & tamen non imprimunt characterem &c. ergo. Non enim evidenter convincit potestas collata, quia in Sacramento Confirmationis nulla confertur potestas major confitendi fidem, quamvis conferatur gratia. Item in Subdiaconatu, & Diaconatu nulla confertur potestas, quae redderet actionem invalidam, si alius non ordinatus faceret, ergo. Deniq; in Judicibus saecularibus confertur potestas validè aliquid exercendi sinè impressione characteris, item in Magisteriis Doctoralibus &c. ergo etiam in ordine potest conferri potestas sinè charactere.

Confirmatur haec Refutatio: Quia nec ad distinctionem ipsorum necesse est, utpote cùm DEUS non indigeat, & cognoscat perfectè qui sui sint, nec ut cognoscatur in inferno ad majorem confusionem, quia major erit confusio, quòd quis ceciderit ex gratia, quàm quòd habeat characterem, nec è contra in beatis ad majorem gloriam, quia eam ex charitate magis habebunt, quàm aliundè, & tamen charitas non imprimit, sic pariter non debet inferre ex excellentia Sacramenti, quia Fides, Spes, & Charitas sunt excellentiora dona, & tamen characterem non imprimunt. Tandem ultimò: Characterem non est necesse ponere propter obligationem ad Christum, quia professio sic obligat, distinguit, & conformat, & tamen characterem non imprimit. Sed

Dices contra primam partem hujus Conclusionis: Nec ex Scriptura, nec ex Sanctis PP. possumus evidenter probare characterem, ergò non est asserendus. Respond. distinguendo antecedens secludendo respectum ad declarationem Ecclesiae concedo antecedens, includendo illum respectum nego anteced: & si quaeras quomodo hoc esse possit? Respond. cum Doctore 1. d. 11. q. 1. n. 5. ubi agens de processione Spiritûs Sancti ex Patre, Filióque, *ad rationem* (inquit) *illam de Evangelio* (in quo contendebant Graeci illam processionem non inveniri) *dico, quòd Christum descendisse ad inferna, non docetur in Evangelio, & tamen tenendum est sicut articulus Fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum.* Ita multa alia de Sacramentis Ecclesiae non sunt expressa in Evangelio, & tamen Ecclesia illa tenet XIV. *Cur Character asserēdus, licet nec ex Sac. Scriptura, nec SS.PP. evidenter probetur.*

esse

esse tradita certitudinaliter ab Apostolis, vel per Ecclesiam determinata de novo ex obscuris Scripturis, ùt supra dixi, nam ùt dicit D. Gregorius super Ezechielem: *In processu generationis humanæ, semper crevit notitia veritatis.* Et D. Augustinus enarrat. in Psalm. 54. asserit, Mysterium Trinitatis non fuisse perfectè pertractatum, antequam oblatrassent Arriani, neque perfectè de potentiâ pertractatum fuisse, antequam obsisterent Novatiani; neque de Baptismo, antequam Rebaptizatores Donatistæ contradicerent. Ideò cùm Ecclesia semper profecerit occasione hæresum, mysteria fidei semper magis eluxerunt, & hoc est unum ex bonis, quæ DEUS ex malo hæresis colligit. Sic quoque discurrendum de charactere post tempora Innocentii.

XV. Character non est ens rationis.

Dico Quartò: *Character non est Ens rationis.* Ita communiter contra Durandum. Probatur Primò: Quia Concilia & PP. dicunt, Characterem imprimi à DEO, sed Ens rationis non imprimitur à DEO, cùm DEUS rem nunquam aliter concipiat ac Ens, nec fingat: ergo. Probatur minor ulterius: Tum, Quia PP. & Concilia in proprio sensu sunt accipienda: Tum, Quia si per impressionem Ens rationis intelligitur, posset etiam quis dicere, quòd quando PP. & Concilia dicunt nobis infundi gratiam, ùt loquitur Trident. Sess. 6. cap. 7. quòd loquatur de Ente rationis; quo nobis Justitia DEI vel Christi imputetur ex favore; quod absurdum est & inconveniens, & habetur pro hæretico. ergo.

XVI. Aliæ Rationes ad idem.

Probatur Secundò: Quia Character est signum distinctivum, & indelebile, sed Ens rationis non potest esse tale signum distinctivum, nec est indelebile, utpote cùm fiat per intellectum, & tamdiu fit, quàmdiu intellectus intelligit, quo cessante ab actu statim evanescit.

Tertiò: Est impossibile Ens rationis, nemo autem dicit, quòd DEUS nobis aliquid impossibile imprimat, ergo. Et licèt hoc argumentum tantùm probet, Characterem non esse Ens rationis in formali acceptione, primum tamen probat quoque, quod nec sit pro materiali & fundamentali, nempe pro denominatione aliqua extrinseca, quod Durandus tantummodò videtur intendisse.

Dico Quintò: *Character non est relatio, nec quidem extrinsecè denominans, sed forma absoluta, quamvis enim probabiliter defendi possit ut talis.* Ita Doctor 4. d. 6. quæ. 10. n. 13. ubi utrumque probabiliter disputat, & tandem pro parte affirmativam esse formam absolutam concludit. XVII. Character est forma absoluta. Probatur ergò prima Pars: Character est effectus, quem aliqua Sacramenta ob particularem eorum prærogativam causant, sed ex prærogativa exigere videtur, ut sit aliquod absolutum, quia magis verificatur de eò modus loquendi PP. & Conciliorum, & convenientiùs salvantur eorum dicta, ergò dicendum potiùs esse formam absolutam, quàm respectivam.

Probatur Secundò: Quia vel esset relatio transcendens, vel una earum, quas Doctor intrinsecùs advenientes, vel extrinsecùs advenientes appellat, sed nulla harum est. ergo. XVIII. Characterem non esse relationem, ostenditur. Probatur prima Pars minoris: Quia Character nulli necessariò inest, sibut relatio transcendentalis, quæ comitatur essentiam rei, & ab ea realiter est indistincta (posset tamen dici relatio transcendens fundamentaliter, quia in ipsâ essentiâ Characteris est quidam ordo seu respectus imbibitus, tum ad auxilia, tum ad operationes, ad quas vel recipiendas vel exercendas subjectum est destinatum) nec relatio prædicamentalis: Tum, Quia ad hanc non datur motus, sive actio, sed ipsa necessariò resultat ab extremis, Character autem juxta Tridentinum animæ imprimitur, adeóque terminat propriam actionem. Tum, Quia non potest assignari fundamentum, & Terminus, à quibus necessariò resultaret; Non denique est extrinsecus adveniens, nam quamvis ex actio-

actione Sacramentali, quâ homo baptizatur, confirmatur, & ordinatur, maneat in homine quædam relatio extrinsecus adveniens, hæc tamen relatio non potest dici character, siquidem etiam ex actione aliorum Sacramentorum, similis manet relatio, quæ tamen non est character. Probatur, Quia illa relatio, quæ manet in applicatione Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, non potest esse aliud quàm denominatio baptizati, confirmati, & ordinati, atque similis denominatio nutriti, absoluti, sanati, conjugati, manet in applicatione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, quæ tamen non est Character, ergo. Probatur consequentia: Quia si relatio baptizati, v. g. esset potius character, quàm nutriti relatio, id esset, vel quia relatio est indelebilis, hæc autem delebilis quod dici nequit, quia etiam relatio nutriti ex præteritâ actione nutriti resultans est indelebilis, ad præteritum enim non datur potentia: vel quia relatio baptizati est signum specialis gradûs, vel dignitatis in Ecclesia, non autem relatio nutriti, absoluti &c. at neque hoc sufficit, quia hæc differentia est tantùm moralis, non physica, quòd enim aliquod accidens significet dignitatem, pendet solùm ex beneplacito instituentis, non ex natura rei, quæ ad significandum imponitur. ergo.

XIX. Characterem esse relationem probabiliter defenditur.

Probatur Secunda Pars: Quia potest dici cum Doctore, quòd non sint plura vel perfectiora, quàm exigunt ea, ob quæ poni dicuntur, sed propter omnia, propter quæ ponitur character, non est necesse, quod ponatur in forma absoluta. ergo. Probatur minor: Quia omnia possunt salvari per formam respectivam. De iis, quæ extrinsecus advenientes dicuntur, ergo. Probatur antecedens. Quia imprimis dici potest, quòd ad eam detur actio sicut ad formam absolutam, nam licèt non detur actio ad relationem intrinsecus, datur tamen ad extrinsecus advenientem.

Secundò non sequitur ex hoc, quòd omnia Sacramenta causent characterem, licèt in eis maneat relatio nutriti, quia est relatio sequens hoc Sacramentum, & non aliud, & consequenter irreiterabilitas Sacramentorum hoc facit; & quamvis tria Sacramenta sint æqualiter irreiterabilia, adhuc tamen illi distinguentur inter se, intrinsecè nempè se ipsis formaliter, extrinsecè verò à Sacramentis, à quibus imprimuntur.

Tertiò potest dici, quòd relatio hæc sufficienter faciat assimilari aliis, & capiti suo Christo, quia licèt similitudo fundetur strictè sumpta super qualitatem, tamen in laxiori acceptione fundari potest super quantitatem & substantiam, quâ ratione duæ substantiæ identicè dicuntur similes, duæ quantitates æquales appellantur similes, sic quoque duæ relationes similes dicuntur, v. g. duæ paternitates, nam licèt character ipse sit relatio, adhuc aliæ super ipsum fundari possunt.

Quod si quæras hujus relationis fundamentum? Dico esse animam vel potentiam, ad quod determinatur ab ipso agente, vel producente. Terminus ejus est Christus, cui assimilatur veluti ad caput. Et si dicas, Character est activus. Respondeo, propriè non esse activum, sed denotare potestatem agendi, vel suscipiendi. Si dicas iterum esse dispositionem ad gratiam, dispositio autem debet esse ejusdem rationis cum forma. XX. Fundamentum & Terminus characteralis assignatur.

Respondeo: Nec esse dispositionem ad gratiam propriè, & deindè dispositio non debet esse ejusdem rationis cum forma, nam calor disponit ad ignem, & tamen est alterius rationis. Et hæc videntur solvere difficultatem, attamen perdifficilè est assignare, ad quod prædicamentum spectet character, & quomodo verè dicatur imprimi, ideò prior pars est longè probabilior. Sed in contra eam probando characterem esse debere simpliciter relationem. XXI. Character probabilius fit forma absoluta.

Argui-

XIV. Authoritas Concilii Florentini ad idem.

Arguitur ſic: PP. & Concilia vocant Characterem ſignum animæ impreſſum, ſed ſignum eſt relatio, ergò character eſt relatio.

XXII. Objectio ſolvitur.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, pro formali nego, pro fundamentali concedo, nam ſic hædera eſt relatio pro formali, pro materiali entitas abſoluta, ſic cauſa eſt entitas abſoluta, pro formali dicit relationem, ſic verba ſunt ſigna conceptuum, non ſunt tamen pro fundamentali relationes, ſed ſolùm pro formali, ita in propoſito eſt de Charactere.

XXIII. Et Inſtantia.

Inſtatur. Per Characterem conſtituitur quis in familia Chriſti, ad eum refertur ut Servus, ſed ſervitus, quâ conſtituitur quis ſervus, dicit relationem, ergò etiam character ſecundùm ſe dicit relationem, quia per eum conſtituitur quis ſervus Chriſti. Reſpondeo, Negando majorem, ſed per characterem oſtenditur aliquis ſervus Chriſti, ſicut in politia per characterem aliquis non fit ſervus vel miles, ſed oſtenditur talis eſſe. Deindè ſi argumentum quid probaret, faceret nimium, quia ſequeretur, quòd character diceret relationem intrinſecus advenientem, quia ſervitus eſt talis.

XXIV. Character pertinet ad primam vel ſecundam ſpeciem qualitatis. Ejuſdem deſcriptio.

Dico Sextò: *Character eſt qualitas aliqua ad primam vel ſecundam ſpeciem pertinens. Poteſtque deſcribi Quòd ſit qualitas ſupernaturalis à DEO indelebiliter animæ impreſſa recipienti Sacramentum irreiterabile, per quam recepti in familiam Chriſti, tàm inter ſe, quàm ab aliis diſcernuntur, Chriſto obligantur & conformantur.* Ita Doctor Subtilis hic d. 6. q. 10. n. 13. Probatur prima Pars: Tum, Quia non eſt ſubſtantia, utpote quod animæ imprimitur, nec quantitas, ad quam afferendam nulla eſt ratio, ergò qualitas, quia hæc optimè valet ad diſcernendum homines inter ſe. Secunda Pars etiam probatur Primò Authoritate Doctoris cit. n. 15. *Reſpondeo, inquit, quòd ſi ponatur accidens abſolutum poteſt poni in ſecunda ſpecie qualitatis, vel etiam in prima.*

Probatur etiam Ratione: Quia talis eſt Character, licèt non ſit propriè activus, aliqualiter tamen diſponit ſuum Subjectum ad agendum, vel recipiendum, cùm ſit quædam moralis potentia in hoc ſimilis habitui & diſſimilis potentiæ materiali, quòd non dimanet ex principiis intrinſecis hominis, in hoc diſſimilis habitui, & ſimilis potentiæ, quòd non ſupponat aliud principium activum.

Ultima denique Pars, quæ eſt definitio, de ſe patet, nec habet ullam difficultatem, niſi fortè particula indelebiliter, eam tamen intendunt & docent PP. & Concilia. Ratio etiam eſt, quia quidquid corrumpitur, fit vel ex parte & deſtructione Subjecti, vel ex voluntate non conſervandi in potente, vel ex oppoſitione contrarii, neutro autem modo deſtrui poteſt: ergò. Probatur minor: Non per deſtructionem Subjecti, quia anima eſt immortalis, non ex voluntate non conſervandi, quia DEUS eum conſervat, nec denique ex oppoſitione contrarii, quia Character nullum habet phyſicè vel moraliter contrarium, quia ſi eſſet aliquod, eſſet peccatum, hoc autem non eſt, quia & ſtat cum peccato, & in actu peccandi imprimitur, quia ad ejus impreſſionem nulla requiritur diſpoſitio, non quidem quòd ei hoc competit ex natura rei, ſed ex ordinatione libera DEI, nam ſicut DEUS de factò decrevit, quòd ad præſentiam peccati mortalis velit annihilare gratiam, quia peccator amicitiâ DEI indignus eſt, ita potuiſſet decreviſſe, ut ad hoc vel illud peccatum poſitum deſtrueretur Character demeritoriè, defactò tamen non voluit, ſed decrevit, ut etiam actu peccantibus in Sacramentorum ſuſceptione imprimeretur Character, quia hoc non repugnat perfectioni operum ſuorum, & perfectæ curationi, ut aliqui putabant, per eum etenim non curat, ſed tantùm diſponit eum ad perfectam curationem. Deinde Congruentia eſt, quia non vult ſua remedia univerſalia eſſe vana ad omnem effectum, ſed ſolùm ad ultimum, nempe gratiæ, quia ad hunc non omnes recipientes illa re-

XXV. Characteris indelebilitas oſtenditur.

media sunt idonei. Intelligenda est etiam hæc particula Indelebiliter de potentiâ ordinariâ, quia de absoluta sicut animam, ita & hunc destruere potest. Sed

Arguitur Primò contra Primam Partem: Characteri nequeunt competere proprietates qualitatis: ergò non est qualitas. Probatur anteced. Quia qualitates suscipiunt magis & minus, sunt activæ suntque delebiles de Subjecto per alterationem, quæ inter ipsas est, sed Character est indelebilis, non habet ullam activitatem, nec suscipit magis & minus, nullus enim dicitur magis Christianus, magis Sacerdos altero: ergò. Respond. Negando antecedens cum sua Probatione: Nam imprimis Character ex sua natura, tantùm est indelebilis ex mero DEI beneplacito, de se enim simpliciter delebilis. Secundò: Character est activus, ut docent PP. Ambrosius, Nazianzenus & Catechismus Romanus, qui dicit: Per Characterem Confirmationis nos veluti milites armari contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, & quamvis non sit potentia propriè & physicè activa, satis est, quòd sit moralis quædam potestas atque habilitas, partim activa, partim passiva. Et quidem Character Baptismi, loquor cum Mastrio, est potestas moralis passiva, quia hominem ad alia omnia Sacramenta suscipienda aptum reddit, & sinè ipso nulla aliorum Sacramentorum susceptio est legitima, & rata. Character ordinis est activa potestas ad administranda aliis Sacramenta. Character Confirmationis, quia & activus est simul & passivus per modum utriusque potestatis explicari potest: activæ quatenus hominem strenuum fidei Propugnatorem constituit: passivæ verò, quia hominem præparat ad alia Sacramenta suscipienda, licèt non de necessitate ut Baptismus, sed de congruentia quadam & decentia. Ex quo tandem deducitur potestatem, quam habet baptizatus, confirmatus & ordinatus esse quid morale, scilicet exigentiam assistentiæ divinæ ad ei cooperandum in quibusdam effectibus, Characterem verò esse quid physicum disponens moraliter ac movens DEUM ad hujusmodi assistentiam. Tertiò: Dico probabiliter dici posse Characterem etiam suscipere magis & minus, quamvis ex ordinatione divina fortè de factò omnes sint æquales, & esto essent inæquales: etiam nunc, adhuc tamen non deberent unum magis denominare Christianum, Confirmatum, &c. quàm alterum, quia denominatio Christianitatis consistit in indivisibili, quia jus eorum est æquale, sicut Cruciger unus non denominatur magis talis quàm alter, licèt rubriorem aut splendidiorem habeat stellatam crucem, & sic de aliis. Sed

XXVI. Character quomodo indelebilis.

XXVII. Character quomodo activus.

XXVIII. Character an suscipiat magis & minus.

Arguitur Secundò conta τὸ Indelebiliter: Fides est delebilis etiam in Christianis saltem post mortem, ergò etiam Character. Probatur consequentia: Ideò Fides delebilis est, quia Beati non indigent, damnati indigni sunt omni DEO bono, sed nec Charactere Beati indigent, quia ampliùs nec Sacramenta suscipient, nec administrabunt, nec damnati digni sunt plùs eò quàm fide, ergò. Respond. Negando consequentiam, cujus probationem majorem distinguo: Ideò præcisè nego. Ideò, & quia habitus de se primariò datus est ad operationes Fidei eliciendas, concedo, hæ quia in utroque statu cessabunt, congruum est, ut etiam cesset fides habitualis saltem in probabili sententia. Distinguo etiam minorem: Non indigent Charactere ad operationes aliquas, concedo: Non indigent saltem de congruentia Beati ad majorem gloriam, damnati ad majorem confusionem, nego minorem, & consequentiam. Sed

XXIX. Objectio contra indelebilitatem Characteris solvitur.

Instatur: Character non poterit eis esse ad confusionem, quia eum non cognoscent: ergò. Probatur: Quia ad supernaturalia cognoscenda supernaturalis requiritur elevatio, ergò. Respond. Negando anteced. quoad alteram partem: Quia quamdiu intellectus non dependebit à phantasmate, naturaliter eum & directè

XXX. Et Instantiæ satisfit.

recte cognoscent, nec ad omnem cognitionem supernaturalium requiritur elevatio supernaturalis, ut alibi dictum est; postmodum verò cognoscent, nec ad omnem cognitionem rememorativam, vel à dæmonibus exprobrantibus discent.

XXXI. Quod Subjectum remotum & proximum Characteris.

Tandem examinanda restat ultima difficultas, quodnam sit Subjectum Characteris, & quidem si sermo est de subjecto remoto, est homo, quia sicut hic solus est capax Sacramentorum, ita solus recipit Sacramentum, si etiam sermo sit de subjecto proximo, certum quoque est ex definitione Concilii Trident. Sess. 7. Can. 9. esse animam, verùm quia anima rationalis habet potentias apud nos formaliter ab ipsa distinctas, realiter apud Thomistas, hinc difficultas est, quodnam sit subjectum immediatum characteris in anima, an videlicet ipsa anima ut anima, an voluntas, vel intellectus. Pro quo

XXXII. Character immediatè subjectatur in voluntate.

Dico Septimò: *Congruentiùs est ponere Characterem in voluntate, quàm intellectu, vel ipsa anima.* Ita Doctor Subtilis hic. Probatur Primò ejus Ratione: Rationabiliùs est, quòd signum vel fundamentum obligationis ponatur in ea potentia, cujus est obligari, vel quæ est ratio obligandi, sed Character est signum & fundamentum obligationis ad DEUM, & voluntas est potentia, ad quam spectat actus & ratio obligandi: ergo. Major patet; Minor etiam quoad primam partem, & quoad secundam probatur: Quia decreta & determinationes fiunt à voluntate, obligatio autem est decretum voluntatis faciendi vel patiendi aliquid, cœtera autem, quæ concurrunt ad hujusmodi decreta, sive ex parte intellectûs, sive alterius potentiæ sunt solùm quædam præambula, intellectus enim præponit quid rationabiliter sit agendum, vel omittendum, volnntas ipsa sola formaliter est debitrix.

XXXIII. Instantiæ quædam solvuntur.

Dices: servi non habent signum in voluntate, sed in illo loco, ubi videri potest, ergò nec signum Characteristicum debet poni in ipsa, sed in illa potentia, ubi possit videri. Respond. Negando conseq. Disparitas est, quia DEUS potest ponere ubi vult, & vult ubi rationabilius est, sic autem est in voluntate, hæc enim est meriti, & demeriti, & omnis obligationis capax, sine qua ab obligatione solveremur; Quòd autem Dominus servo suo non imprimat Characterem, in voluntate est, quia non potest. Sed

Instabis: Character imprimitur infantibus, qui tamen non sunt capaces obligationis. Respond. Negando antecedens pro secunda Parte: Quia aliàs nec accepissent obligationem in Adamo, & licèt non pro tunc, saltem pro illo tempore, quo ad annos discretionis venerint.

XXXIV. Alia Ratio, quod Character immediatè subjectetur in voluntate.

Probatur Conclusio Secundò: Congruentiùs est ponere dispositionem in ea potentia, in qua est forma, sed Character est dispositio ad gratiam, hæc autem est in voluntate, quia charitas ibi est, à qua non distinguitur, ergò etiam Character in voluntate poni debet. Et licèt fides sit dispositio ad charitatem, & Sanctitas B. V. ad Maternitatem Christi, quæ tamen non sunt in voluntate, per hoc tamen non infringitur vis argumenti, quòd dicit esse congruentiùs, quando Subjectum est utriusque capax, & licèt Character non sit physica dispositio, sat est esse moralem, ob dignitatem & excellentiam gratiæ, ratione cujus DEUS voluit primò alium effectum præmittere, veluti dispositionem. Imò nec ipsa fides meritoria est, nisi pia voluntatis affectio accesserit. Sed in contra

XXXV. Cur Fides & non Character sit in intellectu.

Arguitur Primò: Character est signum fidei protestativum, ergò debet esse ubi est fides, sed hæc est in intellectu, ergò etiam Character ibi est. Respond. Primò retorquendo argumentum; Crux Teutonica est signum militiæ Christianæ manibus exercendæ, & tamen est in pectore, & non in manibus & gladio.

Respond. Secundò distinguendo consequens: Ergò debet esse ibi, ubi est fides subjectivè, nego. Ubi est fi-

des inchoativè meritoriè concedo: Hoc autem posteriori modo est in voluntate, à qua procedunt Religionis & fidei protestationes, à qua procedit meritum, & sinè qua saltem ejus pia affectione nec fides prodest quidquam, unde potius in illa sola poni debet, cùm sit principium omnium actionum protestativarum Religionis, quæ in sola est voluntate, nam licet etiam præsupponantur actus fidei, primariò tamen & per se sunt à voluntate.

XXXVI. Character quo sensu sit lumen.

Arguitur Secundò: Character est lumen quoddam, sed lumen debet esse in intellectu, ut illuminet, ergò. Respond. distinguendo majorem: Est lumen propriè & verè ad seipsum illuminandum, nego majorem. Metaphoricè ad illuminandos alios, ut cognoscant, eum esse de familia Christi, sicut signa servorum & militum illuminant, concedo majorem, tale tamen lumen non debet poni in intellectu, sicut nec ponitur signum militis in ipso.

DISPUTATIO TERTIA,

DE

Ministro & Subjecto Sacramentorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quisnam sit validus Minister Sacramentorum?

I. Nō omnes Christiani habent authoritatem in administrandis Sacramentis.

Uppono Primò ex Concilio Trident. Sess. 7. Can. 10. Non omnes Christianos in administrandis Sacramentis authoritatem habere; verba Tridentini sunt: *Si quis dixerit, Christianos omnes in Verbo divino & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Ubi damnat errorem Lutheri, asserentem, etiam Diabolum posse baptizare, prædicare, absolvere, non tantùm fœminas. Ratio ipsius est: Tum, Quia & Judas prædicavit, & membrum Diaboli fuit: Tum, Quia efficacia Sacramentorum non nititur qualitati personæ; sed rationes hæ leves sunt, nam Judas non ministravit, & prædicavit ut membrum Diaboli, sed ut Christi Minister, dum fecit, quod ipse instituit. Et quamvis efficacia non innitatur qualitati personæ, scilicet bonitati accidentali & morali, innititur tamen qualitati essentiali, quæ est, quòd Minister sit homo. Unde præter Baptismum (quod ex altero diametro etiam in necessitate fieri posse negat Calvinus) & Matrimonium, non habet quilibet Authoritatem ordinariam administranda Sacramenta, nisi ex institutione Christi ad hoc fuerit ordinatus & dispensatus. Quare

II. Solus Homo Viator & Minister Sacramentorum.

Suppono Secundò: E contra solum hominem viatorem ratione utentem esse Ministrum Sacramentorum, non verò Angelum, aut animam separatam. Ratione quidem uti homo debet, quia ad administrationem Sacramentorum, quæ in usu consistunt, necessaria est actio humana, atqui ad actionem humanam requiritur certa intentio, quæ absque usu rationis haberi nequit; loquor tamen de administratione, prout involvit confectionem & consecrationem, quia hâc suppositâ, potest & amens, & puer alicui Eucharistiam validè ministrare, imò & Angelus, idque tantùm ex singulari DEI dispensatione, prout defactò in multis legitur historiis; non esset tamen hic Minister ordinarius, ex vi præsentis institutionis. His suppositis de quo maximè controvertitur est: an videlicet in Ministro requiratur

ratur fides vel bonitas, ad quod omissis hæreticorum erroribus

III. Quod nec infidelitas, nec improbitas Ministri invalidet Sacramentum, docent Concilia.

Dico: *Nec infidelitas, nec improbitas Ministri, si cætera requisita adsint, invalidat Sacramentum.* Est definita in Florent. in Decreto Unionis de Ministro Baptismi, ubi inquit: *Minister hujus Sacramenti, &c. In causa autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier,* (quod Calvinus negat) *imò etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ.* Trident. Sess. 7. Can. 12. ubi damnat eos hæreticos, qui dicunt, in statu peccati mortalis administrantem Sacramentum nil efficere, his verbis: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferentum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Quorum Authoritate probatur Conclusio contra Agripinum, Episcopum Carthaginensem, qui primus inventor fuit hujus hæresis, quem secutus est ejus Successor S. Cyprianus, docens, in Ministro necessariam esse bonitatem Fidei, & consequenter nec hæreticum aut infidelē posse baptizare, teste Augustino, quem secuti sunt Donatistæ, & alii multi hæretici. Attamen S. Cyprianum ante mortem suam se correxisse, docet idem Div. Augustinus Epist. 48. & lib. unico de Baptismo cap. 13. contra quos probatur Conclusio tum Authoritatibus Conciliorum, tum perpetuâ Ecclesiæ Traditione, quæ docuit, infidelitatem non impedire validam Sacramentorum administrationem, quo argumento usus est S. Stephanus Papa I. dum in Concilio Romano errorem S. Cypriani condemnaret: Tum, Quia Ministri non suâ sed Dominicâ Authoritate operantur, ut patet ex illo Joan. 1. *Hic est, qui baptizat.* 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, DEUS.* Ex quibus & aliis Scripturæ locis Ecclesia deducit privatam Ministri malitiam non obesse validitati Sacramentorum.

Probatur Secundò Authoritate S. Augustini, diligentissimi Baptismi examinatoris Tract. 5. in Joan. ante medium, ubi ait: *Baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus Ministerium datur - - - Non timeo Adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat.* Et Tract. 6. ante mediū, ubi hæc habet: *Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniretur, quod avertat à nobis DEUS, opinari, nisi quandam in Christo proprietatem talem futuram, ut quamvis multi Ministri baptizaturi essent, sivè justi, sivè injusti, non tribueretur Sanctitas Baptismi, nisi illi, super quem descendit Columba, de quo dictum est: Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizat, hic est qui baptizat. Paulus baptizat, hic est qui baptizat. Judas baptizat, hic est qui baptizat.* Et quamvis Augustinus tantùm loquatur de Baptismo, eadem tamen est ratio de aliis Sacramentis. IV. Authoritas D. Augustini ad idem.

Probatur Tertiò ex Ratione Congruentiæ, deductæ ex Scoto 4. d. 5. q. 1. n. 5. quæ talis est: *Quia si Baptismus* (eadem est ratio de aliis) *non posset conferri nisi à bono, non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi in detrimentum communiter, cum enim nullus posset esse certus de bonitate propriâ, multò minùs nec de bonitate alterius, ergo si ex bonitate Ministri dependeret Baptismus, nunquam posset esse aliquis certus, se verè recepisse baptismum, quod est inconveniens. Et si objicias nec modo potest esse certus, quia nescivit dispositionem propriam, hoc non obstat, quia satis potest certitudinaliter nosse, sicut requiritur, quòd ipse intendat suscipere Baptismum. Si dicas: Non potest esse certus de intentione Ministri, hoc non obstat, quia probabiliter præsumi potest, quòd Ministri talem actum exercentes intendant facere illud, ad quòd actus secundùm se est ordinatus, sed non posset ita haberi certitudo de bonitate, vel de Sanctitate Ministri.* Huc usque Scotus, cui sequentes V. Item Congruentia.

† G addi

addi possunt ex Glossa in Epist. 1. Anastasii 2. cap. 7. & 8. Tum, Quia in Sacramentis virtus Christi operatur, quae omnem maculam repellit: Tum, Quia etiam radii Solis, etiamsi per foetida loca transierint, non coinquinantur. Ita operatio CHRISTI esto per malum Ministrum fiat: Tum exemplo Judae mali, cujus tamen multa facta fuerunt ratihabita: Tum, Quia Christus dixit verba Scribarum & Pharisaeorum observanda: Tum denique, Quia omne bonum, à quocunq; ministerialiter fiat, est à Patre Luminum descendens, apud quem non est vicissitudo, &c. Sed pro haereticis:

VI. Textus quidam S. Scripturae Objecti explicantur.

Opponuntur Primò plures Authoritates S. Scripturae, Eccles. 34. *Ab immundo quid mundabitur?* Et ibidem v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio illius?* Malach. 2. *Maledicam benedictionibus vestris;* & Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructos facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Respondeo: Ecclesiasticum in primo loco loqui de immundo, qua tali operante virtute sua, & ut persona privata, non verò si operaretur alterius virtute, unde subdit: *Et à mendaci quid verum dicetur?* id est, ut mendax est, cùm tamē posset ille idem, qui mendax est, quandoque verum dicere, ut patet de patre mendaciorū, Daemone, qui Christum confessus est.

Ad Secundum similiter potest responderi: Si quis vellet applicare ad Sacramenta, in veritate autem rei, ibi sermo est de Baptismo legali, non de Baptismo Christi. Deindè D. Augustin. lib. 2. contra Cresconium cap. 27. exponit de Baptismo in nomine mortuorum Deorum facto. Deindè si applicetur haereticis, illis non proficere lavationem, quando mala fide suscipiunt, vel apud haereticos perseverant. Sic etiam ibidem lib. 4. cap. 16. explicat illud Psalmi 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, de oleo adulationis, non verò Sacramentorum. Ad locum Malachiae dico, sermonem ibi esse de benedictionibus objectivis rerum temporalium, quibus maledicturus erat. Praecedit enim ibi: Mittam vos in egestatem.

Ad locum ex D. Matth. Respondeo: Ibi sermonem esse de operibus meritoriis peccatorum, qualia non possunt ferre, vel si esset de operibus Sacramentalibus, dicendum opera Sacramentorum non esse Ministrorum malorum, sed Christi instituentis.

Opponuntur Secundò plures Authoritates Canonum & Sanctorum PP. nam *Can. 67. Apost.* dicitur, *quòd ab haereticis baptizati & ordinati, nec fideles, nec Clerici dici possint;* & dist. 19. cap. 10. dicitur: Maximum, propter indisciplinationis doctrinam seu haeresim, nec Episcopum putandum ampliùs, neque hi, qui ab ipso sunt ordinati, qualemcunque gradum Clericatûs obtineant; & 1. *cap. 24. q. 7.* dicitur: Per Sententiam Innocentii declaratam, quòd Nezelon, quem constat ab haereticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Addo Pelagium, cap. Schisma 24. q. 1. dicentem: *Non est Christi Corpus, quod Schismaticus conficit.* Sed Respond. universaliter ad omnes Canones & Sanctos PP. alios, qui copiosè ab haereticis adducuntur, eos loqui de haereticis, qui non adhibent debitam materiam & formam, vel quia non erant debitè ordinati, ut Maximus & Nezelon, vel quia non habebant debitam intentionem. Pelagius potest explicari de Corpore Christi mystico, quod Haereticus & Schismaticus non facit, utpote ab eo veluti membrum praecisum separatus & ejectus, vel non est Corpus Christi ipsi fructuosum. Aut si vellent loqui de Sacramentis verè collatis, quasi non prodessent, sed potius obessent & polluerent, ùt multi loquuntur PP. tunc dicendum, eos velle, vel quòd polluantur ipsi, qui sic administrant, vel quòd etiam polluantur illi, qui recipiunt, quia vel faciunt absque necessitate, vel quia cooperantur coram peccatis, vel denique,

VII. Sicut & Canones & SS. Patres.

nique, quia non habent sufficientem dispositionem. Plura vide de hac materia inferiùs in Tractatu de Baptismo, cùm de ejus irreiterabilitate egero.

QUÆSTIO SECUNDA.

An requiratur certa intentio in Ministro ad valorem Sacramenti?

I. Intentio Ministri potest dupliciter versari circa actionem Sacramentalem.

Dupliciter posse versari intentionem Ministri circa actionem Sacramentalem, notat Scotus 4. d. 6. q. 5. n. 2. ubi dicit: Dico ergò distinguendo de intentione quantùm ad Objectum, respectu cujus dicitur intentio, quòd Minister potest dici intendere vel actum illum quem exercet, nempè solùm externum, vel finem, propter quem talis actus est exercendus. Primo modo nemo Catholicorum negat necessariam, imò nec hæreticorum, quippè stat cum joco & irrisione Sacramenti, etiam exteriore. In Secundo major est difficultas, pro quâ notat Scotus suprà, quòd finis, propter quem actus est, exercendus sit duplex. Principalis, inquit, & remotus, utpote quòd baptizatus (loquitur de Baptismo) fiat filius Regni, qualis fieri non potest, si non habeat gratiam, per quam est dignus vitâ. Alius est proximus, & minùs principalis, ut scilicet, baptizatus fiat Christianus, sivè membrum Ecclesiæ militantis, & utrumque finem potest aliquis intendere in universali, vel particulari, quod Recentiores sic explicant, ut alia sit intentio gratiæ seu effectus Sacramenti, alia ipsius Sacramenti. Hoc prænotato

II. Intentio faciendi actū externum tantùm non sufficit.

Dico: *Intentio faciendi actum externum tantùm, non sufficit, intentio finis ultimi non requiritur, requiritur tamen intentio finis minus principalis proximi, & hoc vel in particulari, vel in generali.* Ita Scotus supra n. 4. Est contra Joannem Marium, Scribonium. Probatur Prima Pars ex Concil. Trident. Seff. 14. Can. 9. & cap. 6. ubi docet: Nullam esse absolutionem, si Sacerdos non seriò sed joco absolvat. Nec valet dicere, Concil. Trident. solùm velle damnare eos hæreticos, qui nec externam apparentiam intentionis requiri dicebant; ita ut licèt derisoriè fieret, conficeretur Sacramentum. Non valet, inquam, quia verba & sensus Concilii simpliciter intentionem internam requirunt, indè sequeretur, si quis moribundum absolveret per verba secretò prolata, quòd non conficeret Sacramentum; Item si quis intra haberet intentionem veram baptizandi, & ad extra se fingeret non habere eam, ne agnosceretur, v. g. Christianus, quòd non baptizaret, licèt ablueret & verba proferret, quia in facie Ecclesiæ merè derisoriè posset facere, quæ omnia valdè dura sunt.

III. Ratio ad idem.

Probatur Secundò Ratione: Actio Sacramentalis non est purè naturalis; sed humana, sed actio humana intendit finem illius actionis, alioquin humana non est: ergò. Subsumo, sed finis non est sola ablutio & verborum prolatio, ergò præter illa requiritur alia intentio. Confirmatur: Quia actiones exteriores fieri possunt in Comœdiis absque ulla Sacramenti collatione, similiter qui in convivio legens Evangelium, aut discurrens de facto Christi, profert verba Consecrationis, absque ulteriore intentione, non consecrat panes præsentes: ergò. Confirmatur Secundò: Quia ex praxi Ecclesiæ constat, posse ex pluribus hostiis unam solam mente determinatam consecrari, similiter pœnitens dubius sub conditione animo retenta absolvi solet, ergò ratio Sacramenti non pendet à sola intentione ponendi actiones exteriores circa aliquam materiam, sed insuper ab intentione conficiendi in illa Sacramentum.

IV. Intentio finis ultimi non requiritur.

Probatur Secunda Pars: Quia Paganus nullo modo intendit ordinare istum, quem baptizat ad vitam æterham: ergò.

V. Intentio finis minùs principalis proximi, in

Tertia Pars definita est in Concilio Florent. in Decreto de Armenis; ubi dicit: In Ministro requiri intentionem

particulari vel in generali requiritur ad valorem Sacramenti.

tionem faciendi quod facit Ecclesia, nempe ut conficiatur Sacramentum, & res sacra à DEO instituta, nam hoc habet pro Objecto intentio Ecclesiæ, in particulari ut fiat Christianus, & hoc verum est, etiamsi quis intenderet tantummodò facere, quod facit Ecclesia Protestantium, & non quod Romana, quia error Ministri non invalidaret Sacramentum, supposítum enim ipsius falsum est, quòd Romana faciat aliud quàm ipsius Ecclesia, & licèt non velit facere quod facit Romana, intendit tamen facere, quod Christus instituit, & hoc idem Romana intendit.

VI. Objectio ex facto Athanasii solvitur.

Opponitur Authoritas Cap. Baptismus de Consecrat. ubi refertur, Athanasium ludentem cum pueris eosdem baptizasse, qui Baptismus ab Alexandro, Alexandriæ Episcopo, approbatus fuit. Item S. Genesius, Martyr, primò Mimus ad explodendum Baptismum eum fictitiè petiit, & tamen statim conversus confessus est Christum, & Martyr effectus est. Item D. Augustinum dubitantem de valore hujusmodi Baptismi, sed nil concludunt. Nam S. Athanasius verè intentionem habuit, S. Genesius antequam conferretur actu Spiritûs Sancti gratia motus verò intendit suscipere, supra cujus susceptionem deindè Christum confessus est. Unde etiam dubitat Augustinus, quia potest aliquid ludicrè & mimicè agi, & tamen sinè intentione contraria institutioni.

VII. Item alia Objectio.

Arguitur Primò: In facie Ecclesiæ verè fuit infans Ministro Sacramentorum oblatus, cum debita parentum intentione, ut Baptisma reciperet, & Minister habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quia defacto facit, & consequenter verè censetur defactò baptizare, quia Ecclesia non judicat de occultis; ergò. Respond. Non facit defactò quod facit Ecclesia, nam Ecclesia baptizat cum animo conferendi Baptisma, ipse autem cum voluntate naturaliter abluendi & verba proferendi, v. g. ad pecuniam recipiendam, vel alium finem indifferentem. Aut si hic author velit cum actu externo in facie Ecclesiæ necessariò conjunctam esse voluntatem conferendi Sacramentum, jam nil docet diversum à communi Sententia. Nego etiam eum unquam censeri ab Ecclesia baptizatum, quod in foro externo habetur pro baptizato, sed quia de defectu intentionis internæ non constat: Et sanè non indicat Ecclesia Matrimonium publicè contractum esse validum, quamdiu non constat de defectu consensûs interni; Quis tamen dixerit esse validum in foro interno? Certè tota Theologia clamat contrarium, etiam illi, qui docent, ad alios contractus sufficere consensum externum, ad Matrimonium requirunt consensum internum, ut habetur cap. Tua nos de Sponsalibus. Accedit Ministrum Sacramentorum esse potiùs Ministrum Christi, qui judicat de internis, dicitur veræ Minister Ecclesiæ, quatenus ab ipsa & in ipsa ordinatus est, ut sit Minister Christi.

VIII. Ad Matrimonium requiritur consensus internus.

Arguitur Secundò: Positis partibus essentialibus compositi, ponitur ipsum compositum, sed sola materia & forma sunt partes essentiales, & non intentio Ministri, ergò sine illa potest fieri Sacramentum. Respond. Negando majorem. Patet: Quia materia & forma sunt tantùm partes essentiales compositi physici, & tamen ipsis solis positis non resultat compositum physicum, sed requiritur etiam unio, sicut etiam apparet in omnibus aliis conditionibus sinè quibus non, sic quoque se res habet in Sacramentis, res enim & verba non sunt simpliciter signa, sed cum ordine & dependentia ad Ministri intentionem, ut faciat quod Christus instituit.

IX. Sola materia & forma non sufficiunt ad Sacramentum.

Instatur: Quandocunque egreditur actio ab aliquo nomine alterius, non dependet ab intentione operantis, sed ab intentione illius, cujus nomine fit, sed actio Sacramentalis fit nomine Christi, ergò. Respond. Distinguendo majorem, nisi ille, cujus nomine fit, requirat inten-

X. Minister respectu actionis Sacramentalis habet se ut causa secunda.

intentionem, concedo, si requirat, ùt est in opposito, nego. Unde Minister in Sacramentorum administratione habet se quidem veluti instrumentum purum respectu gratiæ producendæ, respectu tamen actionis Sacerdotalis habet se per modum causæ secundæ.

Arguitur Tertiò: Malè provisum esset hominibus per Sacramenta, si requireretur intentio: Tum, Quia non essemus certi de intentione Ministri: Tum, Quia ejus malitia multùm nocere potest. Respond. Negando sequelam: Ad primam probationem dico, nos non esse certos physicè & metaphysicè, id tamen non requiritur; Sufficit ergò certitudo moralis. Ad Secundum dico: Si aliquis ex malitia omitteret intentionem, vel DEUM ex sua misericordia suppleturum vel conservaturum, ùt votum Sacramentorum habere possit, vel etiam nec suppleturum, ex eo tamen in ipsum mala provisio refundi non debet, sed in malitiam Ministri, sicut non refunditur perditio parvuli in ipsum, si in utero pereat, vel ad Baptismum non pertingat, ex quo tamen nullus dicit, DEUM, quantùm est de se, non sufficienter providisse, nam sic providit, ut cursum suum causas secundas agere permittat.

XI. Sufficit certitudo moralis & intentio Ministri.

Instatur: Christus non voluit alligare virtutem Sacramentorum ad bonitatem Ministri, quia multi redderentur perplexi de Sacramentorum effectu, ergò nec ad intentionem Ministri, cùm idem sequeretur. Respond. Negando consequentiam: Quia certiores esse possumus de intentione, quàm de bonitate, & faciliùs talem habere possumus quàm Sanctitatem. Quæres: An cum voluntate non conferendi effectum Sacramenti stet intentio faciendi, quod facit Ecclesia? Respond. Affirmativè, & sufficienter ex dictis colligi posset, attamen probo hoc Authoritate Scoti cit. n. 4. inquit: *Dico, quòd intentio finis ultimi non requiritur in baptizante*; & n. 9. *Sed respectu principalis effectûs Baptismi, scilicet gratiæ, potest dici Minister instrumentum respectu DEI, & modo, quo agens dispositivum dicitur.* Instrumentum respectu perficientis, & tale agens non habet intentionem respectu finis principalis agentis, sed respectu sui proprii termini, & ita concedo, quòd non est necesse baptizantem habere intentionem respectu ultimi finis Baptismi. Ratio est: Quia effectus non spectat ad essentiam Sacramenti, ergò possum velle conficere Sacramentum nil cogitando, vel etiam ignorando ejus effectum, & consequenter non intendendo, cùm intentio necessariò supponat attentionem sive considerationem. Et sanè quomodo administrans Sacramentum indignè quòd probabiliùs judicat non revivíscere, potest intendere effectum gratiæ, quem scit Sacramentum nunquam habiturum. Impossibilium certè nulla est voluntas efficax, nihilque prohibet tali casu habere voluntatem contrariam, videlicet non conferendi effectum.

XII. Certiores possumus esse de intentione Ministri, quàm de bonitate.

XIII. Cum voluntate non conferendi effectum Sacramenti, stat intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

QUÆSTIO TERTIA.

Qualis Intentio requiratur in Ministro ad valorem Sacramenti?

PRæcedenti quæstione diximus ad validam Sacramentorum administrationem requiri in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia ad minùs, quia tamen talis intentio apud Authores adhuc in triplici differentia est, scilicet actualis, virtualis, & habitualis, sic in hac Quæstione, quæ sufficiat, examinabo. Adverte autem intentionem actualem illam esse, quâ quis actu, dum conficit Sacramentum, vult illud conficere ad finem institutum à Christo, & hæc, quæ perfectissima est, sine dubio sufficit, ad quam habendam quàm sedulissimè quis adlaborare debet. I. Intentio Actualis quid sit.

Virtualis est, quæ secundùm se non existit actu, dum conficitur Sacramentum, sed existit tantùm vel in effectu aliquo ab illa, quando existit II. Virtualis intentio quæ.

titit actualiter permanente sive mediatè, sive immediatè, ut si quis diceret, ad intentionem Petri volo celebrare sacrum, & propterea se vestiret vestibus sacris, & postea distractus, virtualiter diceretur intendere celebrationem Sacri, nam induitio illa est effectus actualis intentionis, quam habuit Minister, & hæc mansit usque in finem virtualiter. Vel si hoc non placet, virtualis intentio dici potest illa, quando existit in actibus subordinatis sibi, adhuc permanentibus, nam voluntas ordinatè volens primò habet intentionem, postea electionem, tertiò executionem mediorum eo ordine, quo sunt convenientia ad finem, unde quando cessat intentio actualis, finis manet virtualiter in executione mediorum, & sic dicitur virtualis esse tunc, & non actualis, quod Mastrius confirmat lapide projecto ad aquam, qui causat circulum primum, hic secundum, & sic deinceps, ubi virtualiter primus dicitur manere virtualiter ratione sequentium actu permanentium.

III. Intentio habitualis quæ sit. Intentio habitualis vel est illa, quæ aliquando extitit, sed non existit ampliùs, nec in actu, nec in effectu, ut si quis dixisset heri, vel perendiè, cras volo celebrare ad intentionem & ritum S. R. Ecclesiæ, & postea altero die nil cogitaret ampliùs de illo fine, & dicitur à pluribus communiter voluntas prius habita nondum retractata, vel quod probabiliùs puto, est illa facilitas ad aliquid agendum in sacramentalibus actionibus, ex actibus pluribus generata, nam simplex actus præteritus non potest dici habitualiter permanere, alioquin omnes actus præteriti possent dici habitualiter permanere, cùm tamen nec physicè adsint, nec moraliter, scilicet ratione alicujus juris, & obligationis subsequentis, sicut in contractibus contingit, sive tamen hoc modo eam explices sive priori.

IV. Intentio habitualis non sufficit ad validam administrationem Sacramenti. Dico Primo: *Eam non sufficere ad validam administrationem Sacramenti.* Ita Doctor expressè 4. d. 6. q. 6. num. 3. & omnes Theologi. *Ratio est* (inquit Scotus) *quia per istam* (intentionem scilicet) *non dicitur actus ejus, licèt conformis illi habitui, id est voluntati præteritæ actus humanus.* Deindè talis voluntas in nullo effectu permanens, non potest influere in Sacramentum, quia voluntas non sufficit, ut actionem faciat bonam, ergò nec sufficit, ùt censeatur actiò sacramentalis, & facta nomine Christi.

V. Cur Intentio habitualis sufficiat ad applicationem fructus Sacrificii. Arguitur: Ad applicandum fructum Sacrificii sufficit intentio habitualis, ergò etiam ad valorem Sacramenti. Respondeo, Negando consequentiam, quia hæc applicatio non est confectiva Sacrificii, adeóq; non debet determinare actionem, v. g. crastinam adactionem potiùs Sacramenti, vel Sacrificii, vel alium finem, sed habet se instar donationis, atque adeò sequitur naturam donationum, ad quarum valorem in humanis sufficit voluntas habitualis, & hanc sufficere probatur ex donatione facta sub conditione, hác quippè impletâ sine novo consensu à Deo habebitur rata, secus est de Sacramento, nam ad hoc requiruntur actiones reales, quæ actiones non possunt fieri, nisi existente intentione physicè, aut in se, aut in effectu.

VI. Instantiæ respondetur. Dices: Dispensator non potest dispensare bona, quæ non habet, ergò neque Sacerdos fructum Sacrificii, nisi in actuali sacrificatione, cùm tunc solùm illum habeat. Respondeo, distinguendo antecedens: Non potest dispensare pro tempore, quo non habet, concedo, pro tempore, quo habiturus est, nego antecedens. Sacerdos autem non applicat efficaciter fructus pro nunc, sed nunc validè efficaciter solùm pro tempore Sacrificii futuri, idque ùt Minister Christi, quales est etiam licèt non actualiter sacrificaverit, qui talem accepit in Ordinatione potestatem. Ita Lugo.

VII. Intentio virtualis ad conficiendum Sacramentum. Dico Secundò: *Etsi ad conficiendum Sacramentum intentio actualis sit optima, cum melior excogitari non possit,*

possit, sufficit tamen etiam virtualis. Ita Scotus 4. d. 6. quæ. 6. Suaretz & communior Probatur. Quia intentio virtualis sufficit ad operandum humano modo, sufficit quoq; ad rationem contractûs eorumque valorem & meritum, ergò similiter ad Sacramentum. Deindè non conveniebat Christum actuali intentioni valorem Sacramentorum adstringere, ne fideles infinitis perplexionibus, & Sacramenta infinitis exponerentur Sacrilegiis, quandoque actualis intentio tàm difficilis sit. Nam ut dicit August. lib. 3. de lib. arbit. c. ult *Non est in parte nostra, quin visis tangamur.*

VIII. Intentio Sacramenti debet esse directa.

Dico Tertiò: *Intentio Sacramenti debet esse directa.* Est communis & sensus ejus est: quòd collatio Sacramenti debet esse libera in se, & non tantùm in causa, v. g. in ebrietate in illum finem intenta, ùt in ea Sacramentum conferatur. Probatur. Quia nec tales actiones & locutiones sunt humanæ, licèt non ad illas semper requiratur libertas actualis, ùt patet in illo, qui distractè consecrat, necessaria tamen est virtualis, id est, actualis præcedens, quæ humano modo adhuc influat in opus præsens. Sive, ut loquitur Lugo, licèt illæ locutiones sint liberæ denominativè, non possunt tamen more humano significare mentem loquentis præsentem, id est, quod sentiat pro tunc de rebus præsentibus, præteritis & futuris.

IX. In ebrietate vel somno vovens &c. nihil efficit.

Ex hac Conclusione colligitur primò: Qui in ebrietate aut somno emeret, venderet, voveret, contraheret, nihil efficeret, quamvis hæc antea prævidisset, & eo fine se inebriasset, nam volitum solùm ùt ponendum, quando deerit usus rationis, non est voluntarium per modum effectûs humani.

X. Perjurium ebrii vel dormientis etiam prævisum, non habet malitiam.

Colligitur Secundò: Quòd perjurium dormientis vel ebrii etiam prævisum non habeat malitiam, nec sit peccatum reservatum, sicut est secundùm multos homicidium. Disparitas assignatur, quia justitia, cui adversatur homicidium, & similia prohibent etiam apponere causam, ex quâ talia damna proximo inferuntur. Religio autem, cui opponitur perjurium, vetat, duntaxat adduci DEUM in testem falsi per formalia verba, illa quippè possunt esse sola adductio in testem, talia autem non sunt ebrii, dormientis, &c.

XI. S. Augustini sensus aperitur.

Opponitur S. Augustin. Tract. 5. in Joann. ubi asserit validè baptizare ebrium, dicit enim: *Non timeo adulterium, non ebriosum.* ergo. Respond. Scotus cit. q. 5. num. 10. ad secundum dico, rectè Augustinum dicere, se non timere ebriosum, & non ebrium, quia ebriosus est, qui assuetus est potui, qui tamen aliquando sobrius est, & tunc validè baptizat, sicut dixit, non timeo adulterum, an intelligit de actuali peccato? minimè, quia tunc non solent baptizare.

XII. Cur distractus, & non conficiat Sacramentum ebrius.

Arguitur: Distractus benè conficit Sacramentum, ergò etiam ebrius, si priùs intenderit, quia in utroque æqualiter videtur manere prior intentio actualis. Respondeo, Negando consequentiam. Disparitas est, quia in distracto est potentia adhuc tota soluta, & integra, in alio autem ligata somno vel ebrietate, ac proindè in distracto potentia vult quidem tota, sed non totaliter propter distractionem ad alia, in ebrio autem est, ut ita loquar, solùm semipotentia, ex eo, quòd non exerceat operationes humanas, sed brutales.

XIII. Cur in administrante, & non in suscipiente Sacramentum requiratur intentio directa.

Instatur: In Suscipiente Sacramentum non requiritur directa Intentio, sed sufficit in causa, ùt patet, si aliquis ante phrænesim, amentiam, voluisset baptizari, absolvi, &c. ergò nec in administrante. Respondeo, Negando consequentiam. Disparitas est primò, quia in suscipiente Sacramentum requiritur intentio solùm, veluti dispositio, ratione cujus intelligatur non contradicere & repugnare susceptioni Sacramenti, in administrante autem intentio est veluti principium agendi modo humano, religioso, & sacro, consequenter non sufficit quæcunque, sed requi-

requiritur ea, quæ fit & possit vocari humana. Disparitas est secundò, Quia in humanis actionibus requiritur plus ad agendum, quàm patiendum, plus ad dispensandum, quàm ad dispensationem suscipiendam. Disparitas ultima est voluntas Christi.

Urgetur: Actio in causa sua est culpabilis, v. g. homicidium in somno vel ebrietate prævisum factum, ergò etiam est actio humana in administratione Sacramentorum. Respondeo, Negando consequentiam. Disparitas est, Quia bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu. Attamen præter has intentiones sunt etiam adhuc aliæ. Quare

XIV. Intentio conficiendi Sacramentum debet esse absoluta.

Dico Quartò: *Intentio conficiendi Sacramentum debet esse absoluta, aut sub conditione de præsenti, vel præterito, quando ipsa enim conditio subest, absolutæ æquivalet, non tamen de futuro præter Matrimonium, quod talem conditionem de futuro recipit.*

XV. Aut sub cõditione de præsenti, vel præterito.

De absoluta non dubitatur. Unde probatur secunda Pars: Quia talis intentio conditionalis transit in absolutam, juxta illud Instit. de verb. obligat. §. 7. *Conditiones, quæ ad præteritum vel præsens tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omninò non differunt. Veluti si Titius Consul fuit, vel si Mævius dare spondens vivit, nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio, sin autem ita se habent, statim valet, quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint.* Ita Jus Civile, quo utitur Ecclesia, nisi Sacris Canonibus contradicat cap. 1. de novi operis nuntiatione ibi. Quia verò sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita etiam Sacrorum Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.

XVI. Ratio ad idem.

Ratio etiam secundæ Partis est: Quia tunc non conficitur Sacramentum, quando nondum conditio est impleta, & juxta communem hominum conceptum & modum procedendi, quando alicui conditio de futuro apponitur, suspenditur actus usque ad eventum conditionis. Non enim perficitur Sacramentum postea, quando conditio expletur, tunc enim amplius non extant materia, v. g. ablutio in Baptismo, & forma, quæ in strictis verbis consistit, ergò nunquam est in parte Ministri facere, ut Sacramentum sit, nisi quando materia & forma est.

XVII. Matrimonium recipit conditionem de futuro.

Dices: Sacramentum Matrimonii recipit conditionem de futuro, ergò etiam alia. Respondeo, Negando consequentiam. Quia Christus non reperitur mutasse naturas quoad suum materiale, sed prout voluit, instituit, instituit autem tunc, ut valerent, quando poneretur materia & forma, Matrimonium autem sequitur naturam contractuum, qui conditionem valoris suspensivam admittunt, ut patet ex generali Jure, quod tales contractus admittit. Christus autem non immutavit naturam contractûs, sed eam duntaxat ad Sacramenti dignitatem elevavit. Et hæc etiam est ultimæ partis proba clarissima.

Instabis. Si à paritate aliorum Contractuum consequentia valet ad Contractum Matrimonii, ergò etiam à sententiâ judiciaria ad Sacramentalem valebit, sed judicialis fit frequenter de conditione in futurum, ergò etiam Sacramentalis fieri potest. Respondeo, Negando sequelam majoris, alioquin etiam posset esse scripto in charta in absentem, quod tamen nullus dixit, quamvis judicialis sic faciat, & facere possit. Ratio disparitatis est, quia Christus non instituit sententiam quomodocunque, sed taliter prolatam, per talem ritum & formulam verborum, non æquivalentium, sed formalium, & realium.

XVIII. Sententia Sacramentalis cur nequeat ferri sub conditione de futuro.

Nota tamen: Si in rigore loqui velimus, nec Sacramentum Matrimonii suspendere valorem suum, si adsit materia & forma cum legitimâ intentione, quamvis suspendat Contractus matrimonialis ipsum Sacramentum Matrimonii.

Quæ-

XIX. Sacramentum sub conditione si DEUS videt hoc futurum, potest administrari validè.

Quæres: An Sacramentum administrari possit sub conditione, si DEUS videt hoc & hoc futurum? v. g. Pœnitentem esse prædestinatum. Respondeo: Probabiliter, quod sic, quia ista conditio Divinæ Cognitionis, etsi terminativè pendentis à re futura, verè habetur de præsenti, & ponitur de factô sub esse.

Dices: Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum damnat Excommunicatione usum, applicandi Sacrificium prò illo, quem DEUS novit periturum. ergo. Respondeo: Hinc solummodò inferri illicitam administrationem, non verò invalidam, nam secundùm Jus Canonicum, cap. ad Apostolicam 16. de Regular. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Hinc censeo, hunc modum administrandi Sacramentum esse iniquissimum, & gravissimum Sacrilegium. Primò: propter incertitudinem & periculum nullitatis, est enim, ut ait Suarez simpliciter dubium, an intentio sit sufficiens, & in tali persona simpliciter incertum est, an in ipsa existat hæc conditio. Secundò: Quia etiamsi prædestinatus non esset, adhuc baptizari, v. g. debet, quia DEUS nulli vult denegata media necessaria & sufficientia ad salutem.

XX. Sed non licitè.

XXI. Intentio Ministri debet fieri circa materiam determinatam.

Dico Quintò: *Intentio Ministri necessariò fieri debet circa materiam determinatam.* Est communis & certa. Colligitur ex verbis formarum: Ego te baptizo, te absolvo, Confirmo te, Indulgeat tibi DEUS, accipe potestatem, accipio te in meum, meam, unde nil ageret, qui habens duas hostias, tantùm unam vellet consecrare, neutram determinando, ùt nec is aliquem baptizaret, qui ex pluribus, quos proferendò formam Baptismi abluit, tantùm unum intenderet baptizare, neminem in particulari determinando. In similibus casibus intentio non operatur circa omnes, ùt patet, cumque ob determinationem illius non sit ratio, cur circa unam hostiam potius, aut circa aliam operetur, non operabitur circa ullam. Similiter, si Minister limitet suam intentionem ad certam personam invalidum erit Sacramentum, si adsit alia, ùt si intenderet absolvere Petrum, & excluderet omnem aliam, tunc si confitens non esset Petrus, non absolveretur, quandoquidem intentio Ministri ad illum non dirigitur. In collatione tamen Sacramentorum intentio Ministri ordinaria esse debet absolvere personam, quæcunque sit, confitentem.

XXII. In matrimonio intentio determinatur ad certam personam.

Nihilominus in Matrimonio ob rationem particularem contractûs tàm onerosi, magis intentio determinatur ad certam personam, in quo proindè error personæ censetur substantialis. Et non præcisè numerò differre, sed quasi specie, undè, sicut in aliis Contractibus non valent, si pro specie una supponatur alia, sic nec si prò una persona ponatur alia; Nam hic multùm refert, ad hanc velle se obligare, & non ad aliam, & quamvis alia posset esse æquè bona vel melior, attamen Primò hoc nescitur, nec prævideri potest; Secundò: Mutuus affectus non ex una, sed pluribus circumstantiis, imò particulari internâ & sympathicâ inclinatione pendet.

QUÆSTIO QUARTA.

An ad licitè ministranda Sacramenta in Ministro etiam requiratur aliquid?

Hucusque de Conditionibus necessariis in Ministro ad validam Administrationem Sacramenti, progredior nunc ad licitam; ad quam Ecclesiæ ordinata Hierarchia jurisdictionem requirit, requiritur etiam status gratiæ, de hoc ultimo ergò in hac Quæstione resolvenda est difficultas, num gravi obligatione. Ad quod Respondeo: &

I. Peccat mortaliter in malo conficiens

Dico: *Peccat mortaliter, qui absque necessitate conficit Sacramentum in malo*

Sacramentum in malo statu.

in malo statu, præsertim si ex officio ad id est consecratus. Probatur Conclusio ex Rituali Romano, Tit. de iis. ubi Sacerdotibus in malo statu ministrantibus Sacramenta dicitur: *Impurè & indignè ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt*, quo nil clariùs dici potuisset. Consonat etiam Div. Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, & refertur cap. Omnia 1. quæst. 7. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè ea ministrantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Et Nicol. I. ad consulta Bulgarorum dicit: *Mali bona administrando se tantummodò lædunt.* &c. Quibus accedit authoritas

II. Ratio à priori ad idem.

Theologorum antiquorum & RR. sic sentientium, quod tàm fortiter plures tenent, ut etiam putent esse peccatum mortale ministrare Sacramenta, licèt ad hoc non sit ordinatus specialiter, ut Vasquetz, Lugo, &c. qui hoc probant ratione à priori: Nam apparet valdè indecens, adversansque rationi naturali, & reverentiæ DEO debitæ, quòd Minister Sacramentorum sive huic muneri specialiter deputatus sit, sive non gerens personam Christi in illa actione sancta sit mancipium diaboli, & inimicus ipsius Christi, sive ùt loquitur Vasquetz, quòd Minister gratiæ neque concordet cum principali gratiæ Authore, neque cum instrumento.

III. Item à posteriori.

Probatur Secundò à posteriori: Si quis in actuali ministerio peccaret peccato odii, aut alio genere peccati mortalis, etiam peccaret peccato Sacrilegii indignè nimirum illud tractans, atqui eadem est ratio peccati actualis & habitualis, ergo.

IV. Dicastillo respondetur.

Respondet Dicastillo non esse eandem rationem, & dicit: Probabile quippè est peccare veniali Sacrilegio, qui recipit Evcharistiam in actuali veniali peccato, secus in habituali. Sed respondent, disparitas est, quòd homo non sit sinè peccato veniali habituali moraliter, adeóque DEUS non censetur illam dispositionem requirere benè sinè peccato veniali actuali, & mortali habituali. Verùm mitiùs sentiendum puto, & teneo à positâ limitatione non recedendum.

V. In necessitate administrans Sacramentum in malo statu non peccat mortaliter.

Dixi in Conclusione: *Absq; necessitate*, nam necessitas legem non habet, unde videmus multa fieri circa personam Principis citra irreverentiam, quæ extra illum maximè præjudicarent, sic à pari de Sacramentorum Ministris discurratur, quia præceptum charitatis, ùt juvetur proximus, præponderat præcepto religionis. Ex quo tamen non licèt cum Marchantio inferre, etiam extra necessitatem hoc posse fieri, nam licitum est dare Absolutionem in extremis laboranti, dummodò signa contritionis & doloris præbeat, id tamen non licet ordinariè facere, similiter in periculo vitæ possumus baptizare in materia dubia, id tamen non licet ordinariè. Dixi etiam præser-

VI. Item administrans non ex officio.

tim si ex officio, quia laicus (sicut etiam matrimonium contrahentes in peccato, cujus Ministri licèt sint, non sunt tamen ad hoc ordinati) si in necessitate baptizaret, fortè non peccaret, quamvis & alterum non sit improbabile, quia eadem Sanctitas reperitur in Sacramento, sive solenniter, sive non, baptizet.

VII. Sacerdos consecrans &c. in malo statu peccat mortaliter.

Ex hac Conclusione sequitur Primò: Sacerdotem consecrantem, absolventem, inungentem, Episcopum ordinantem, confirmantem, aut etiam simplicem Sacerdotem ex Commissione Papæ idem facientem in malo statu peccare mortaliter contra Religionem. Idem de Sacerdote aut Diacono ex commissione Sacerdotis in peccato baptizante solenniter dicendum, si verò non faceret solenniter, non peccaret mortaliter, quia tunc non agert Ministrum Ecclesiæ.

VIII. Non verò audiens Confessionem.

Sequitur Secundò: Sacerdotem non peccare mortaliter audientem confessionem in malo statu, dummodò ante absolutionem conteratur, sive quia Confessio non est pars

pars essentialis, ùt quidam volunt, ut postea videbimus, sive quia tunc apponitur materia ab ipso pœnitente, qui sicut in gratia esse non debet, ita nec Minister, qui se tunc tantùm passivè habet, non administrans Sacramentum ejusq; materiam.

IX. Sacerdos extra gratiæ statum dispensans Eucharistiam peccat mortaliter.

Sequitur Tertiò: Peccare mortaliter Sacerdotem, qui extra statum gratiæ dispensat Eucharistiam, etsi ab alio confectam, ita communior: Et ratio est, quia verè administrat Sacramentum, & omnium dignissimum, estque ad hoc specialiter consecratus. Deindè sustinet personam Christi (cui proprium est pascere Corpore & Sanguine suo) in munere augustissimo, non verò peccaret, si sacram hostiam casu lapsam levaret à terrâ, quia non administrat tunc Sacramentum.

X. Non verò Episcopus benedicens corporalia, consecrans Calices &c.

Sequitur Quartò: Non peccare Episcopum mortaliter extra statum gratum gratiæ benedicentem corporalia, consecrantem calices, aut Ecclesias, aut etiam conficientem Sacrum Chrisma, vel benedicentem oleum pro infirmis, quia etsi ad ista omnia sit consecratus, non conficit tamen tunc, vel administrat Sacramentum nomine Christi, sed solùm conficit materiam remotam, sicut qui panes pinsit. Idem dicendum est de Diacono & Subdiacono exercentibus sua munia, quia irreverentia illa vix latitudinem peccati venialis excedit. Idem de Concionatoribus publicè prædicantibus, quia non administrant aliquod Sacramentum, sicut nec Diaconus, nec Subdiaconus. Et quamvis legatur in speculo exemplorum DEUM Diaconum ministrantem in peccato mortali morte punivisse corporali, exindè nequit inferri, quòd peccaverit mortaliter, quia potest DEUS morte punire propter solum veniale, sicut videtur punivisse Ozam, 2. Reg. 6. Objectiones ex Jure Canonico contra Diaconos indignè ministrantes explicari possunt, quòd tales ministrantes peccent, non præcisè ob ministrationem, sed quia Sanctitatem præ se ferunt, & eam tamen non habent; vel quòd per administrationem intelligatur totum completum officium Divinum, cum communione, etenim ante ministrantes solebant etiam simul communicare.

XI. Nec Diaconus & Subdiaconus exercentes sua munia. Nec concionans.

QUÆSTIO QUINTA.

An liceat Sacramenta ministrare indignis?

PER indignum intelligo illum, qui quidem suscipit verum Sacramentum, sed non gratiam sacramentalem propter indispositionem, & tales sunt in duplici differentia, aliqui enim sunt occultè indigni, alii publicè, id est, publici sunt alii peccatores, alii occulti. Publici sunt, quibus sinè nova infamia potest Sacramentum negari, tales sunt, quorum delicta sunt absolutè publica evidentiâ Juris, id est, per sententiam, ut Excommunicati, Interdicti; Vel Facti, hoc est, quando ita multis, & talibus sunt nota, ut nullâ tergiversatione possint celari, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, occulti peccatores sunt, quibus nõ potest negari Sacramẽtum sine notabili infamiâ, quæ sufficiat ad mortale peccatum. Quo prænotato resolvo Quæstionem, &

I. Qui indigni publici, & qui occulti.

Dico Primò: *Negativè, adeò ùt Minister per se loquendo peccet mortaliter, indignè suscipientibus ministrando, quando eos sine gravi incommodo repellere potest.* Est certa, & colligitur ex Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus, neque projicere*; & 1. Corinth. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ratio est, quia Minister ex natura rei obligatur Sacramenta reverenter tractare, & administrare fideliter, cui utique notabiliter contravenit, qui ea immundis & indignis confert. Accedit universale præceptum charitatis, quo prohibemur alterius peccato cooperari, quod facit Minister conferendo Sacramentum indignè suscipienti. Undè præter peccatum speciale contra reverentiam jure Divino debitam Sacramento, videtur sæpè committere peccatum mortale contra charitatem proximi, sive pec-

II. Indignis ministrans Sacramenta, per se loquendo, mortaliter peccat.

catum generale scandali, nisi justa causa excuset.

III. Indignus publicè est repellẽdus publicè, occultè indignus tantùm occultè.

Dico Secundò: *Publicè indignus etiam est publicè repellendus, occultè indignus non nisi occultè.* Ita Rituale Rom. tit. de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ubi habet: Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justâ ratione prohibentur, arcendi autem sunt publicè indigni &c. Occultos verò peccatores si occultè petant, & non emendatos agnoverit, repellat, non autem si publicè petant, & sine scandalo illos præterire nequeat. Secunda particulariùs colligitur etjam ex facto ipsius Christi, qui Judam à Comunione Corporis & Sanguinis non repulit. Et adhuc ratio est, quia tunc ob urgentem causam scilicet non infamandi proximum, censetur Minister merè passivè se habere ad peccatum proximi, consistens in susceptione, quæ secundùm se est sancta, & solùm mala ex voluntate suscipientis.

IV. Objectio solvitur.

Arguitur Primò: Quando concurrunt duo præcepta, semper tenendum est, quod majus est, sed hic concurrit præceptum Religionis de non tractando indignè Sacramento, & injustitiæ de non infamando proximum, quod minus est, ergo. Respondeo, Negando minorem, quia revera non concurrunt duo præcepta, sed solùm unum de non infamando proximum, præceptum quippe religionis non est negandi Sacramentum indigno, sed solùm non dandi indigno absq; justa necessitat, unde non erit negativum, sed positivum id est fideliter dispensandi.

V. Objectioni alteri satisfit.

Arguitur Secundò: Licèt negare publicè petenti Eucharistiam, quando privatim scitur ad hoc peti, ut postea conculcetur, ergò etiam petenti aliàs indignè, quia æquè dishonoratur Sacramentum. Respondeo, Negando consequentiam, quia conculcatio & similes actiones sunt inhonorationes & positivæ, adeóque etiam cum infamiâ injusti aggressoris debent impediri, non minus quàm injustum damnum proximi in bonis vitæ, famæ, & fortunæ, indigna verò sumptio solùm est irreverentia negativa, sive non exhibitio omnis cultûs debiti, sicut collocatio hostiæ in clausula chartacea, vel in corporali sordido.

VI. Alia item Objectio solvitur.

Arguitur Tertiò: Petenti gladium apud me depositum, ut se vel alterum occidat, non possum ei reddere, ergo. Respondeo Primò, Negando antecedens, quando ex non redditione sequeretur gravissimum incommodum, cum quo non teneor vitam proximi conservare. Respondeo Secundò, Negando consequentiam. Disparitas est, quod ex negatione gladii sequeretur major utilitas, quàm in casu nostro ex negatione Sacramenti, rarò enim tales emendabuntur, sed potius exasperabuntur, & plura adhuc committent peccata.

VII. Sacerdos nequit pro hostia consecrata dare non consecratam, nec proferre formam sine intentione.

Arguitur Quartò: Aliter potest Sacerdos scandalum vitare, nempè si pro hostia consecratâ det aliam inconsecratam, & in aliis proferat formam sine intentione Sacramenti, ergo. Respond. Negando antecedens, quia ista fictio esset valdè periculosa & execranda, quâ præberetur hostia non consecrata, moraliter ab ipso sumente, vel ab aliis adoranda, esset enim periculum morale Idololatriæ quasi exterioris, & superstitio quædam falsi cultûs. Itaque *falsa sunt rejicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora*, ùt respondet Innoc. III. *de celebrat. Missæ cap. de Homine.* interrogatus de casu simili, quo Sacerdos conscius peccati, non valens ob necessitatem omittere Sacrum non celebrabat, sed de cœtero ut populo satisfaceret, Missam se celebrare fingebat. Quæ de Sacramento non ministrando peccatori publico non negandi peccatori occulto primâ parte dicta sunt, & si in specie plerumque proponi soleant de Sacramento Eucharistiæ, tamen cum proportione locum habent in aliis Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Extremâ Unctione. In Sacramento autem Pœnitentiæ locum non habet publica petitio, seu repul-

VIII. In Sacramento Pœnitẽtiæ non habet locũ publica repulsa.

repulsa, sed in foro illius secreto Sacerdos veluti Judex obligatur sine delectu alio, quos ex allegatis & probatis repererit dispositos non repellere, indispositos non admittere. De Sacramento Ordinis habet recepta satis doctrina, repellendum esse indignum, sive in publico petat, sive in occulto, sic ut ordinariè etiam ex scientia secreta sit in hâc parte procedendum, v. g. irregulari occulto neganda ordinatio. Ratio est, quia Sacramentum Ordinis non est pro omnibus, quasi quisque ad illud Jus prætendere valeat, uti ad Evchariſtiam, sed delectus ordinandorum est penes Rectores Ecclesiæ, qui debent huic prospicere de Officialibus & Ministris idoneis, adeóque ex officio tenentur de qualitate ordinandorum inquirere. Ad Sacramentum Matrimonii quod attinet, constat ipsos contrahentes, qui sunt Ministri, posse contrahere, sic ùt publicè non possit repelli compars ob peccatum occultum, imò juxta DD. id fieri nequit, etiamsi peccatum sit publicum, cùm jam Pontifex dispenset, ùt cum hæretica Catholicus contrahat, & nullus Theologus scrupulum desuper faciat.

IX. A Sacramento Ordinis repellendus est indignus, sive publicè petat, sive occultè.

X. A Sacramento Matrimonii publicè repelli nequit compars ob peccatum occultum.

QUÆSTIO SEXTA.

De suscipiente Sacramenta.

Certum est, quòd requiratur Character Baptismatis ad recipienda reliqua Sacramenta & status gratiæ ad omnia præter Baptismum & Pœnitentiam, quæ ùt dixi, per se instituta sunt ad conferendam primam gratiam. Itaque hic primò examinabo generales dispositiones, quæ ad Sacramenta suscipienda requiruntur. Primò: Qualem intentionem suscipiens habere debeat. Secundò: A quo possit suscipere, & postmodum inquirendo breviter aliquas dispositiones particulares, fusiorem relinquendo pro singulis quibusvis Sacramentis in particulari. Unde ad primum

I. Adultus nunquam consentiens, sed contradicens invalidè suscipit Sacramentum, quod consistit in usu.

Dico Primò: *Adultus qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, invalidè suscipit Sacramentum, quod consistit in usu.* Ita expreſsè Innocentius III. cap. *Majores de Baptismo & ejus effectu*; ibi: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti* (loquitur de Baptismo, eadem est ratio de aliis Sacramentis,) & probat à simili: *Sicut nec ille notam alicujus reatûs incurrit, qui contradicens penitùs & reclamans thurificare idolis cogitur violenter.* Idem decernit idem Pontifex de illo, qui in amentia vel somno suscipit Sacramentum, non retractatâ priori voluntate de Baptismo nunquam suscipiendo. Ratio petitur à voluntate Christi, qui poterat quidem absolutè Sacramenta sic instituere, tamen sic instituisse, ut etiam his valeret, ex nullo colligitur capite. Congruentiam addit Scotus 4. d. 4. n. 3. *Quia DEUS per Sapientiam dicit: Fili, præbe mihi cor tuum; nolens aliquem invitum adscribere familiæ suæ.* Unde licèt Glossa in præfatum caput contrarium videtur insinuare, intelligenda erat quòd sufficiat ut in foro externo præsumatur talis, v. g. baptizatus; quia omninò apud DEUM idem est, ùt ait Doctor supra: *Tamen quantum ad judicium Ecclesiæ judicantis de manifestis, & eum, qui tacet, præsumentis consentire, non cogetur reclamans ad observationem Legis Christianæ, cogetur autem non reclamans. Unde tamen apud DEUM nulla in his est distinctio.*

II. In parvulis non requiritur fides aut intentio ut fructuosè suscipiant Sacramenta.

Dixi autem notanter in Conclusione Primò: *Adultus*, quia in parvulis nec fides, nec intentio requiritur, ut fructuosè Sacramenta suscipiant, quorum sunt capaces, puta Baptismum, Evcharistiam, Confirmationem, & verosimilius Ordinem. Secundò: *Qui penitùs contradicit*, nam metu coactus validè suscipit Sacramenta, (excepto saltem Matrimonio) idque sive metus proveniat ab extrinseco, sive ab intrinseco inferatur, etsi enim metu coactus sit secundum quid involuntarius, est tamen simpliciter & absolutè voluntarius. Pro resolutione sequentis Conclusionis

III. Metu coactus validè suscipit Sacramenta præter Matrimonium.

 Nota:

IV. Quid sit nō consentire contrariè, & quid negativè.

Nota: Dupliciter posse aliquem non consentire: Contrariè vel Negativè. Qui negativè tantùm non consentit, tantùm non habet actualem consensum, qui verò contrariè ponit actualem dissensum, quae omninò inter se differunt, quia non sunt idem velle & nolle. De non consentiente contrariè fuit prior Conclusio, sequens est de non consentiente negativè, de quo

V. Adultus ut validè suscipiat Sacramenta, non sufficit quòd se habeat merè negative.

Dico Secundò: *Ut adultus validè suscipiat Sacramentum non sufficit quòd non repugnet, seu quòd habeat se merè negativè, sed debet consentire saltem implicitè, ac habitualiter non solùm in externam actionem, sed etiam in Sacramentum.* Ita Theologi communiter contra Cajetanum. Probatur ex Concilii Carthagin. III. cap. 34. & refertur cap. Ægrotantes d. 4. Arausicano I. Can. 12. docentibus, moribundum sensibus destitutos esse baptizandos, si id antea petierunt, quibus apertè significant & supponunt absque voluntate illa præterita Baptismum non valere, cùm eâ solùm conditione positâ valere permittant. Deindè in Rit. Romano prohibetur baptizari is, qui ante amentiam voluntatem Baptismi nunquam ostendit; & subdit: Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac periculum vitæ immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui Lethargo aut Phrænesi laborat, ut tantùm vigilans & intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo priùs apparuerit Baptismi desiderium. Eandem doctrinam supponit Augustin. lib. 4. de Baptismo cap. 24. in fine dicens, non valere Baptismum, si qui potest, & ætatem habet, per se non respondeat; Secus est de Parvulis. Confirmatur: Quia non convenit, ut qui rationis compotes sunt ignari, aut ad consentientes consecrentur DEO ejusque cultui.

VI. Sed debet consentire saltem implicitè & habitualiter.

Dixi notanter: *Saltem habitualiter & implicitè*, propter Rit. Romanum, tit. de Sacram. Unctionis, ubi dicit: *Illud præbendum sensibus destitutis, quia antea illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu signa contritionis dederint.* Et ratio ulterior est, quia qui Catholicè vivit, videtur implicitè petere sibi administrari Sacramenta communia, puta Eucharistiam, Pœnitentiam, Confirmationem, Extremam Unctionem, (quia in aliis magis expressa requiritur volūtas, utpotè notabilem inducentibus obligationem) necessaria vel utilia pro illo articulo, in quo magis explicita voluntas est impossibilis, quippè qui vult finem Beatitudinem (scilicet æternam quæ est finis Catholicæ vitæ) vult etiam media, quæ omnes boni Catholici ad illum finem consequendum ordinariè solent adhibere.

VII. Cur habitualis intentio sufficiant in suscipiente, & non in Ministro.

Dices: Intentio habitualis non sufficit in Ministro, ergò neque in suscipiente. Respond. Negando consequentiam: Disparitas est, quia Minister concurrit per modum causæ effectivæ humano modo nomine Christi præbentis influxum, ad quod requiritur intentio saltem virtualis, at suscipiens non concurrit sic, sed tantùm passivè se habet, adeóque solùm debet esse Subjectum capax legitimè dispositum, quod in ordine ad Sacramentorum valorem fit in adultis per intentionem habitualem seu interpretativam. Alioquin si æqualis, & pari ratione requireretur intentio in suscipiente, non possent ulla Sacramenta conferri parvulis intentionis incapacibus, sicut isti, idcircò nullum Sacramentum possent conficiendo ministrare. Sed contra Conclusiones

Opponitur Authoritas Innoc. III. cap. *Majores*, dicit: *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, ergò sufficit, ut adultus merè negativè seu neutraliter se habeat. Respond. Negando consequentiam: Quia Pontifex intelligit voluntatem contrariam privativè, id est, negationem voluntatis positivæ, quæ potest & debet inesse. Vel etiam dicatur lo-

VIII. Innoc. III. cap. *Majores*, explicatur.

qui

qui de voluntate contraria positivè, dicitque dum illa abest imprimi Characterem supponendo, (uti ex contextu patet *Dormientes & amentes - - - - secus autem si habuissent propositum baptizandi*) eà absente adesse positivam voluntatem Sacramenti, quam exprefsè requisierat, solùm faciens mentionem duplicis membri, scilicet voluntatis Baptismi, & voluntatis contrariæ non retractatæ.

IX. *Cur Conc. Florentin. non fecerit mentionem intentionis suscipientis.*

Quæres Primò: Cur Concilium Florentinum nullam fecerit mentionem suscipientis, si illa requiritur. Respond. Partim quia non requiritur universaliter, ut patet in parvulis, partim quia nullam facit mentionem suscipientis, adeóque mirum non est, quòd non fecerit mentionem intentionis ex parte recipientis requisitæ.

Quæres Secundò: An aliquis susciperet Sacramentum, si corde consentiret, & ore dissentiret? Respond. In Matrimonio non sufficere, nam Sacramentum & contractus ejus sunt ex natura suâ actiones sensibiles, hic autem non essent, ergò. Respond. Secundò: Valere Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Extremam Unctionem, si Minister intenderet verè ipsis applicare, existimans eum fortè ad intra consentire; quia in talibus casibus stat tota ratio & essentia Sacramentorum cum conditionibus sine quibus non. Respond. Tertiò: In Pœnitentia si quis confiteri possit, & non velit non valere absolutionem, attamen puto si fuisset confessus, & postea fingeret se nolle absolvi, interne tamen petens adhuc posse absolvi, sicut etiam potest absolvi, qui in gravi infirmitate constitutus, nulla signa contritionis dedit.

X. *Quæ Sacramenta suscipere corde consentiens, & ore dissentiens.*

XI. *Indigni Ministri qui sint?*

Pro Secunda Parte quæritur: An liceat suscipere Sacramentum à Ministro indigno? Indigni autem Ministri sunt in duplici differentia, una est quasi Juris naturalis, quæ oritur ex statu peccati mortalis, altera verò Juris positivi, quo alicui prohibetur Ministerium hujus vel illius Sacramenti, tales iterum sunt alii tolerati, alii non tolerati. Hi censentur Primò omnes excommunicati, & denuntiati vel nominatim, & publicè per Sententiam condemnati aliquius criminis habentis annexam excommunicationem, v. g. hæreseos. Secundò: Publici Clerici percussores, ut nullâ possit tergiversatione celari, etsi non sint nominatim excommunicati. Tertiò: Degradati in perpetuum & suspensi per Sententiam publicam. Quartò: Irregulares per Sententiam publicam aut condemnati publicè de crimine habente annexam irregularitatem, v. g. de homicidio voluntario. Præcisus verò & toleratus censetur omnis alius Minister, qui est excommunicatus, à Divinis suspensis, sed non modis jam dictis denunciatus, aut condemnatus. Hæc distinctio colligitur ex X. *Ad evitanda Scandala*, quâ præmissâ, quòd malos Ministros & indignos indignitate quasi juris naturalis attinet antequam quid dicam suppono suscipientem non teneri inquirere dignitatem Ministri, nullibi enim est talis obligatio, quæ multùm difficilis, anxia, imò injuriosa esset, nemo quippè præsumitur malus nisi probetur, & in dubio non est præsumendum delictum, quòd ab omnibus indubium est. Undè

Dico Tertiò: *Licitè recipitur imò petitur Sacramentum à Ministro, qui posset quidem licitè ministrare, si vellet, licèt non sit facturus, quotiescunque id exigit necessitas, aut suadet utilitas.* Ita communiter Theologi. Probatur: Quia propter necessitatem aut notabilem utilitatem licitè præbetur proximo occasio actionis secundùm se bonæ & indifferentis, in qua proximus peccabit mortaliter, etsi posset eam benè facere si vellet, sed hujusmodi actio est administratio Sacramenti in casu conclusionis, ergò. Major probatur: Quia indigens potest ab usurario petere mutuum, quod scitur non nisi sub usuris mutuaturus: licitè exigitur juramentum ab infideli juraturo per falsos DEOS, quando hoc est necessarium XII. *Si exigit necessitas, aut suadet utilitas, licitè recipitur & petitur Sacramentum à Ministro, qui posset licitè ministrare, licèt non sit facturus.*

rium ad firmandos contractus, juxta Augustin. Epist. 154. Quorum omnium ratio est, quia jus meum aut facultas agendi non debet impediri per nequitiam alterius, aliàs non possem repetere à fure pallium, si scirem illum graviter peccaturum, v. g. imprecaturum, aut falsò juraturum se illud non habere, quare similiter locum non habet in præsenti scandalum datum, sed tantùm permissum, & acceptum, imò suscipiens Ministro occasionem pœnitendi tribuit considerationem rei tàm sacræ ab ipso tractandæ.

Itaque ab ejusmodi Ministro licitè Sacramentum petitur, ac recipitur, quando alioquin aliquis esset moriturus sine Baptismo, Absolutione, aut sentit periculum succumbendi peccato. Item si urgeat præceptum annuæ Confessionis & Communionis. Si occurrant Indulgentiæ, consuetudo laudabilis non diutius afferendi.

XIII. Ab excommunicato tolerato licitè peti & recipi possunt Sacramenta in casu necessitatis.

Idem dicendum de excommunicato tolerato, nam post Concilium Constantiense seu X. *ad evitanda.* Tales non sunt amplius magis vitandi, quàm alii peccatores, nec obstat Trident. Sess. 25. cap. 14. renovans pœnas concubinariorum, quia illas solummodò renovat tanquam Sententiæ ferendæ, idque juxta ordinem quem præscribit ibidem esse servandum. A non toleratis verò in articulo mortis licitum est petere & recipere Baptismum ac Pœnitentiam. Idemque de Baptismo clarè docet Augustin. lib. 1. c. 2. de Pœnitentia quoque colligitur ex Trident. Sess. 14. c. 7. ubi sine exceptione docet, quoslibet Sacerdotes posse quosvis pœnitentes in articulo mortis ab omnibus absolvere. Ratio utriusque est; quia non censetur Ecclesia in casu maximæ necessitatis velle id prohibere.

Probabile etiam est ex multorum Sententia Extremam Unctionem posse suscipi à Ministro tolerato, quando non possent conferri alia Sacramenta, sicut & viaticum, quia tunc essent maximæ necessitatis, cùm per Eucharistiam posset quis probabiliter justificari. Si plura vis, vide ea, quæ dixi in Tractat. de Censuris, ubi copiosè & specificè invenies casus resolutos. Itaque

XIV. Ut adultus peccator fructuosè suscipiat Sacramenta, debet esse dispositus actu supernaturali contritionis vel attritionis.

DicoQuartò: *Ad fructuosè suscipienda Sacramenta requiritur hominem adultum peccatorem esse dispositum actu supernaturali Contritionis, vel Attritionis.* Est communis in Scholis. Probatur Authoritate Concil. Trident. Sess. 6. c. 1. ubi dicit: Pœnitentiam semper esse & fuisse necessariam, qui justificationis gratiam consequi voluerit, & Can. 3. ubi dicit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ratio est: Quia DEUS decrevit, neminem velle justificare, nisi gratiæ suæ consentiendo & cooperando disponatur, quod Concil. Trident. docet supra cap. 5. his verbis: *Unde in sacis litteris cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur. DEI gratia præveniri confitemur.* Potest Conclusio etiam probari ex Scriptura, Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, disponendo se scilicet per dolorem aliquem, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU CHRISTI, in remissionem peccatorum vestrorum.*

XV. Ut fructuosè suscipiantur Sacramenta mortuorum, non requiritur Contritio necessitate medii.

Dico Quintò: *In Sacramentis mortuorum sufficit Attritio, ita quòd Contritio, nec necessitate medii, nec necessitate præcepti sit dispositio necessaria.* Est communis. Probatur: Quia per hoc distinguuntur Sacramenta mortuorum, à vivorum, quia ipsa ponunt ad statum gratiæ, & culpam delent in mortuis gratia, sed ubi est contritio, non est quis mortuus in gratia, ergò contritio non est necessaria dispositio, ut gratiam acquirat in Sacramento.

Probatur Secundò ex verbis Christi, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire*

troire in regnum DEI. & 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ex quibus sic argumentor: Contritio habet virtutem causandi gratiam primam, ergò magis ipsa Sacramenta mortuorum. Probatur consequentia. Quia contritio est tantùm vicaria, supplens absentiam Sacramenti, quod illa respicit, & voto optat, ergò si potest illud, quod habet rationem vicariae, poterit magis ipsum Sacramentum, quod habet rationem principalis.

Probatur Tertiò ex Trident. & Florent. Primum Sess. 7. ait: Per Sacramenta omnem justitiam incipere, vel cœptam augeri, & Sess. 14. cap. 3. appellat Pœnitentiam *reconciliationem cum DEO*, sed si Contritio esset necessaria necessitate medii, haec esset reconciliatio cum DEO. Unde cap. 4. ait: Contritionem in Sacramento aliquando tantùm esse charitate perfectam non semper. Florent. verò in decreto Unionis dicit: Effectum Baptismi esse remissionem culpae originalis & actualis. Pœnitentiae absolutionem à peccatis. Et per haec probatum manet Contritionem non esse dispositionem necessariam necessitate medii.

XVI. Nec necessitate praecepti.

Probatur: Nec esse necessariam necessitate praecepti. Quia tale praeceptum vel esset positivum, vel nanaturale, aut connaturale Sacramento, neutrum est, nam de positivo non constat, nec ex Scriptura, nec ex Traditione Apostolica, vel Ecclesiae; nec etiam connaturale Sacramento, quia si tale esset aliquod maximè, quòd Sancta sanctè debeant tractari, sed hoc non est: ergo. Probatur minor: Quia Sacramenta non sunt, nec debent sanctiùs tractari, quàm eorum exigit institutio, sed mortuorum non exigit aliud quàm Attritionem, alioquin enim non essent mortuorum, nec ad deletionem peccatorum, sed tantùm ad augmentum gratiae, quod est contra communem sensum.

XVII. In justo adulto ut fructuosè suscipiat Sacramenta vivorum, non requiritur dispositio alia devotionalis, praeter intentionem.

Dico Sextò: *Ut justus adultus fructuosè Sacramenta vivorum suscipiat, non requiritur in eo alia dispositio devotionalis praeter intentionem.* Est etiam communis, & probatur Primò ex Trident. Sess. 13. cap. 7. ubi ad dignam susceptionem Eucharistiae non requirit aliquam aliam dispositionem quàm probationem ex Apostolo 1. Corinth. Confirmatur, Quia olim dabatur Eucharistia & hodiè Confirmatio parvulis, hi tamen non habent actualem aliquam devotionem. Item datur nunc Phraeneticis & Extrema Unctio infirmis extra usum rationis positis, in quibus nulla adest actualis devotio.

XVIII. Instantiae responde-tur.

Probatur Secundò: Quia non est ponenda necessariò aliqua dispositio, nisi ex institutione Christi constet de illa, sed &c. ergo. minor probatur. Quia talis nequit adferri. Secundò, quia si quis illam non haberet in susceptione Sacramentorum, sequeretur, eum peccare mortaliter, quod nemo dicet. Sed pro Eucharistia

Dices: Si Sacramentum semper fructuosè susciperetur, sequeretur, quòd majorem profectum deberemus advertere etiam in iis, qui frequenter accedunt, & ordinariè sinè dispositione alia praeter intentionem, ùt sunt Sacerdotes, sed in his non advertimus, ergò fructum non causat. Sed Respondeo Primò: Rarus est Sacerdos, qui accedat sinè aliqua devotione, & tamen profectum non advertimus, quid ergò? An non causavit gratiam suam? Nego consequentiam. Curae ergò & sollicitudines saeculares faciunt, ne advertatur profectus, aut quòd impediatur effectus. Respondeo Secundò: semper quidem causare gratiam, sed illam non advertimus, quia non dat ad faciliter operari, sed ad simpliciter, & quia gratiae actuales non conferuntur statim, sed tempore suo, quando urget necessitas, gravis tentatio &c. Unde videmus, quòd saepiùs communicantes tariùs labantur.



QUÆSTIO SEPTIMA.

In quâ nonnulla dubia de Sacramentis in Communi resolvuntur.

QUæres Primò: An Minister possit in administratione Sacramentorum adhibere materiam aut formam solùm probabilem: quando commodè potest habere certam? Ratio dubitandi est, quia ut in aliis prudenter & secundùm judicium rectum dicatur agere, sufficit habere opinionem probabilem, consequenter videtur id etiam asserendum de Sacramentorum administratione, quia etiam hic prudenter agens, non videtur facere injuriam & irreverentiam. Respondeo negativè, Quia institutio Christi & dignitas Sacramentorum exigere videtur, ùt nullo modo dubiæ materiæ & formæ adhibeantur, & relinquantur certæ, si haberi possunt, nam per hoc non solùm læditur proximus, ubi frustrandi fructu periculosè exponitur, læditur justitia, quomodo Minister ex officio tenetur administrare Sacramenta, læditur Lex Ecclesiastica Trident. Sess. 7. Can. 13. præcipientis, ne cæremoniæ & ritus omittantur, ùt proinde in simili peccatum mortale sit baptizare in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, licèt probabiliter sic collatus Baptismus valeret: Sed quia Vasquetz dicit, materiam probabilem tantùm adhiberi posse relictâ certâ secludendo legem Charitatis, justitiæ, & Ecclesiasticam, putans non fore contra Religionem peccatum, si quis adhiberet probabilem pro certâ, ideò addo etiam lædi Religionem, Cultum, & honorem DEO & Sacramentis debitum, dum sine causa fides & authoritas Divina, significatio & efficacia Sacramentorum exponitur periculo evadendi ex maximis in minimum, vel nihilum.

I. In administratione Sacramentorum nequit adhiberi materia vel forma solùm probabilis, dum potest haberi certa.

II. Instantiæ respondetur.

Dices Primò: Licitum est uti opinione probabili dicente, non esse instituendum, & tamen est periculum injustitiæ, ergò similiter licitum erit uti opinione probabili in administratione Sacramentorum cum periculo efficiendi aliquid contra Charitatem. Respondeo, Negando consequentiam. Disparitas est, quia proximus non habet jus certum, quòd ipsi aliquid debeatur, ideò benè potest quis in tali casu uti opinione probabili, in administratione autem Sacramentorum habet quilibet jus certum, ut sibi Sacramenta vera administrentur.

Dices Secundò: Potest aliquis absolvere cum jurisdictione probabili, ergò etiam in administratione aliorum Sacramentorum. Respond. Primo, Negando antecedens. Si jurisdictio sit præcisè intra terminos probabilitatis. Respond. Secundò, Negando consequentiam, quia jurisdictio probabilis jurisdictio est certa, quia hæc dependet à Prælatis Ecclesiæ, eo ipso ergò, qui habet probabilem, habet certam, quia Ecclesia supplet defectum quoad singulos actus propter bonum commune, quia autem materia & formæ Sacramentorum institutæ sunt à Christo, non potest Ecclesia eorum defectum supplere, DEUM autem supplere nec ratione nec authoritate constat.

III. Alia item solvitur Instantia desumpta à jurisdictione probabili.

Quæres Secundò: An Sacramenta conferant gratiam in voto tantùm suscepta? Resp. Nullum Sacramentum causare gratiam ex opere operato in voto tantùm susceptum. Patet Responsio, quia Scriptura tantùm tribuit efficaciam conferēdi gratiam, & sanctificandi Sacramentis actu susceptis, ut patet discurrenti per singula. Deindè ipsa vox ex opere operato aliud non significat, quàm externam actionem, cum debita intentione applicatam homini non ponenti obicem, sed in voto nulla fit talis applicatio actionis externæ, cùm nulla sit præsens. Nec valet dicere applicari per desiderium, & esse præsentem per apprehensionem, licèt non sit præsens per esse reale, non valet, inquam, quia quod solùm est apprehensum, non potest esse quid reale & externum, nec est præsens quod desideratur tantùm, Sacramenta autem sunt signa externa actu applicata, quæ etiam gratiam conferunt, licèt quis

IV. Sacramenta in voto tantùm suscepta non conferunt gratiam ex opere operato.

quis

quis nullum actum habeat, ùt patet de parvulis. Denique si Sacramenta conferrent gratiam ex opere operato, in voto tantùm suscepta, conferrent etiam alios effectus, nempè characterem, item conferrent eodem modo, nempè per solam attritionem, sed certum est, quòd non conferant cum solâ attritione in voto habita, sicut actu sanctificant cum solâ attritione, quod est manifestum signum contritionem solùm sanctificare, quatenus includit votum Sacramentorum.

V. Ad quid requiratur votum Sacramenti in Lege nova.

Dices Primò: Si sola Contritio justificat, ad quid ergo est necesse habere votum Sacramenti in Nova Lege? Resp. Ideò debere esse in Nova Lege votum annexum, quia DEUS intuitu Sacramentorum suo tempore suscipiendorum majorem gratiam confert, quàm ob solam contritionem, unde per votum contritio non imminuitur, sed augetur, nam cum tali voto & ipsa magis perficitur ob perfectam subjectionem, & obedientiam, & majorem gratiam confert.

VI. Non cederet ad dignitatem Sacramentorum, si in voto suscepta sanctificarent.

Dices Secundò: Cederet ad dignitatem Sacramentorum, si in voto suscepta sanctificarent maximè cùm Trident. dicat Sess. 3. cap. 8. Eucharistiam in voto susceptam suum fructum & utilitatem conferre. Resp. Negando antecedens. Imò multùm derogaretur: Quia sic essent nudæ Cæremoniæ adhibendæ solùm quòd sint præceptæ, nam quilibet suscipiens Sacramentum prius habet votum illus. Tridentinum autem non dicit Eucharistiam conferre suum fructum ex opere operato, sed ex opere operantis. Si instas de Martyrio illud conferre gratiam ex opere operato intuitu voti Baptismi. Respondeo, Negando, quia hoc habet ex particulari privilegio, etiam absque voto Baptismi, ùt patet de Innocentibus parvulis.

VII. Baptismus & Pœnitentia sunt Sacramenta necessaria necessitate medii, in re vel in voto suscepta.

Quæres Tertiò: Quæ Sacramenta sint necessaria necessitate medii, quæ præcepti? Respond. Sacramentum Baptismi omnibus simpliciter, & Sacramentum Pœnitentiæ omnibus peccatoribus sunt necessaria necessitate medii ad salutem in re vel voto suscepta. Ratio est, quia nemo salvatur absq; gratia, & absque remissione peccatorum, nihil enim inquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, sed sinè his Sacramentis nullo modo confertur gratia, ergo. Ubi nota, quòd licèt etiam sit necessarium votum restitutionis, v.g. attamen hoc votum non est necessarium explicitè, deindè illud non concurrit ut causans gratiam positivè influens ad justificationem per modum principii quo, sed per modum removentis impedimenta &c.

VIII. Sacramenta Ordinis & Matrimonii sunt necessaria necessitate medii toti Ecclesiæ.

Sacramenta Ordinis & Matrimonii sunt necessaria necessitate medii toti Ecclesiæ non determinando personas in individuo. Ratio est; Quia nequeunt homines salutem consequi nisi Sacramenta aliqua recipiant, hæc autem dari debent à personis ad hoc sacratis, ergo. Et sinè Matrimonio non esset propagatio generis humani, ad quam tamen est præceptum naturale.

IX. Eucharistia est adultis necessaria necessitate præcepti, non autem Extrema Unctio & Confirmatio.

Sacramentum Eucharistiæ est necessarium necessitate præcepti adultis, ad usum rationis pervenientibus. Patet ex Joan. 6. & Trident. Sess. 13. Can. 9. Sacramenta Extremæ Unctionis & Confirmationis, nec necessitate medii, nec præcepti necessaria sunt, benè tamen valdè utilia, undè dicit Doctor solùm obligare ad non contemnendum. Plura agendo de singulis in particulari, hæc sufficiant pro toto Tractatu de Sacramentis in Communi.

TRACTATUS II.

DE

BAPTISMO.

PROOEMIUM.

PRima confectio unguenti Salutis, & unctionis Sanitatis Unguentarii nostri super cœlestis Cyprina est. Cyprus arbor nobilissima, tesseris fabricandis aptissima, Plinio teste, floris candidi, & odorati, teste Columellâ, Seminis ad similitudinem Mannæ, ex quo, ùt habet Plinius, & loquitur Gilbertus Abbas serm. 36 in Cant. *Conficitur oleum*, subditque, *coguntur & conficiuntur semen Cypri, & oleum in unam unguenti qualitatem. - - - Unguentum hoc Regium & JESUS ipse libenter ex hoc inungitur*: supple in suis. Denique & semen Cypri cum Manna quandam similitudinem habet. Præclara certè sacratissimi Baptismi apodosis, nam ùt S. Bernardus serm. 44. in Cant. Per Botrum Cypri, ait, designari JESUM, *quem in vecte deferunt chorus Propheticus, & Apostolicus in vineas Engaddi, quod interpretatur & designat* (verba sunt D. Bernardi) *fontem Hœdi immaculati agni.* Baptisma Gentium, lacrymasque peccantium. Cyprus aptissima fabricandis tesseris: Baptismus prima in naufragio peccatorum naufragii tabula. Ex Cypro oleum conficitur; undè ibidem D. Bernardus. *In hoc typo quotquot baptizandi sunt etiam corporaliter, Ecclesia oleo materiali inungere consuevit.* Cyprus lucet in oleo, & ardet: Baptismus SS. PP. Sacramentum est illuminationis. Cyprus floris candidi & odorati: Baptismus primam & candidam innocentiæ restituit stolam, per quem in omni loco Christi bonus odor sumus. Cyprus seminis Manna

similis.

similis. *Manna designat verbum DEI*, ait Gilbertus: Baptismus lavacrum regenerationis in verbo vitæ, in verbo Fidei, imò Patribus Sacramentum Fidei, & ejusdem prima janua, ac proindè primum Sacramentum, non quidem dignitate, sed origine & necessitate, quod secundùm naturam suam in tribus examinabo Disputationibus, sicut in nomine Sanctissimæ Trinitatis confertur. Præcedunt itaque Canones Concilii Tridentini.

Canon I.

SI quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri JESU Christi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto: ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, in Ecclesiâ Romanâ, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento Doctrinam: anathema sit.

Canon IV.

SI quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.

Canon VI.

SI quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit, Baptizatos ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ Legis Christi servandæ: anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita, ùt ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint: anathema sit.

Canon IX.

SI quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur & ipsi Baptismo: anathema sit.

Canon X.

SI quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, solâ recordatione, & fidei suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri: anathema sit.

Canon XI.

SI quis dixerit, verum, & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur: anathema sit.

Canon XII.

SI quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi eâ ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

Canon XIII.

SI quis dixerit, parvulis, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse baptizandos: aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ: anathema sit.

Canon XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & , ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos: nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: Anathema sit.

DISPUTATIO PRIMA,

DE

Institutione, Necessitate, & Effectu Baptismi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Baptismo Joannis.

I. Baptismus Joannis fuit præludium Evangelicæ gratiæ.

Uia Sancti Patres, & signanter Div. Justinus q.37. vocat Baptismum Joannis Præludium, seu Procemium Evangelicæ gratiæ, & alii eum dicunt Introductionem ad Baptismum Christi: *Militans Christi*, inquit D. Augustinus lib.2. unico Bapt. cap.7. *sicut Legis vetera Sacramenta præcursorio quodam, ac præfigurativo fungebatur officio.* Ideò etiam explicationi sacri Baptismatis Christi, aliquid de Baptismo præmittam. Et

II. Quid Baptismus metaphoricè.

Prænotandum est Primò: Baptismum quemcunque sivè Joannis sivè Christi sumi posse propriè, & metaphoricè. Hoc posteriori modo accipitur pro Martyrio, & Sanguinea Confessione Christi, aut quacunque corporis gravi afflictione; sic Christus insinuans suam Passionem, ait Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et Marci 10. interrogans, an pati cum eo possint, si cum eo regnare velint, sic exorditur: *Potestis calicem bibere, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Baptismo, quo ego bapiizor, baptizabimini*, de quo Baptismo in fine hujus Disputationis. Propriè & secundùm Etymon significat abluitionem seu immersionem quamcunque, ùt patet ex illo, Marci 7. *Et à foro nisi baptizentur, non comedunt, & multa alia, quæ tradita sunt illis servare, Baptismata calicum & urceorum, & æramentorum, & Lectorum*, i.e. Oblationes. Unde etiam ad propositum Baptisma hic accipitur pro sacro aliquo lavacro, & abluitione significante particularem effectum in anima. III. Et quid Baptismus propriè.

IV. Baptismus Joannis constitit in ablutione & aqua veluti materia.

Prænotandum Secundò: Baptismum Joannis verè constitisse in ablutione veluti materia proxima ex aqua naturali, veluti materia naturali, nam *Joannes baptizabat in Jordane, & in ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic*, Joan. 3. & *baptizatus autem JESUS, confestim ascendit de aqua*, Matth. 3. Difficultas tamen est, an habuerit aliquam formam, & qualem? Lutherani, ut ait Bellarminus, putant, fuisse eandem formam, quæ est Baptismo Christi, sed

V. Non constituit eâdem formâ, quâ Baptismus Christi.

sed perperam, nam qui baptizati erant Baptismo Joannis dicebant, Actor. 19. *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*, si autem essent baptizati eâdem formâ, audivissent: ergò.

Deindè, si fuisset eadem forma, eam vel audisset Joannes â Discipulis Christi, vel non: si non, sequeretur, Christum non instituisse Baptismum quoad formam, nec ullatenus, quia fuisset institutus à Joanne, & forma Joannis Baptismi, sicut de facto Petrus non instituit, licet sit usus formâ Christi. Si audisset â Discipulis Christi, sequitur, eum non baptizasse suo, sed Christi Baptismo. Magister putat, Joannem baptizasse in nomine Christi venturi. Similiter sentire videntur Hieronymus, & Ambrosius. Verùm ego

VI. Baptismus Joannis nullam habuit formam.

Dico: *Baptismus Joannis nullam habuit formam.* Ita Bellarm. Suarez, Soto, &c. Probatur Primò: Quia nec ratione, nec authoritate constat. Secundò: Quia si aliquam formam adhibuisset, maximè allegatam Magistri, hanc non adhibuit, ergò. Probatur minor. Major est certa: Quia Joannis I. miserunt Judaei ad Joannem, interrogantes: *Tu, quis es, an es ille qui venturus es?* Sed si adhibuisset illam formam, gratis quæsivissent, quia omnes baptizati scivissent, eum non esse, qui venturus erat, quia in nomine venturi baptizabat. Tertiò: Quia Christus fuit baptizatus Baptismo Joannis, sed ille non fuit baptizatus in nomine venturi, cùm ipse esset, qui venturus dicebatur: ergò.

VII. Christus non fuit baptizatus aliâ formâ à Joanne.

Dices: Christum baptizatum fuisse aliâ formâ à Joanne. Sed contra: Gratis recurritur ad illam, quia nec ratione, nec authoritate de alia constat. Secundò: Sequitur, Christum non fuisse baptizatum Baptismo Joannis, quia non cum eadem forma, idem autem Baptismus non est, ubi eadem forma non est. Tertiò: Sequitur, Joannem habuisse duplex Baptisma, quae omnia sunt inconvenientia. Sed

Dices adhuc: D. Paulus Act. 19. sufficienter insinuat Joannem baptizasse in nomine venturi, dum ait: *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ, populo dicens: In eum qui venturus est post eum ut crederent*; ubi dicit, quòd baptizaverit, dicens: *in eum qui venturus est*: ergò. Sed Respond. cum Durando: Pauli intentionem solùm fuisse, quòd verba illa essent Joannis docentis, non forma baptizantis, quod patet ex ipso contextu, dicit enim primò, quòd Baptismo Pœnitentiæ, deindè quod dicebat, ut crederent in eum, qui venturus est Christus, sed Pœnitentia non erat de forma Baptismi, sed solùm de doctrina, ergò etiam non erat de forma Baptismi ut crederent, sed de doctrina.

VIII. Quo sensu dicatur Joannes baptizâsse in nomine venturi.

Dico Secundò: *Baptismus Joannis nullum erat Sacramentum, nec propriè, nec impropriè.* Patet ex PP. ad initium Quæstionis citatis, docentibus, fuisse solum Prædudium, & Procemium. Unde desumo hanc rationem: Baptismus Joannis nec fuit Sacramentum veteris Legis, nec novæ: ergò. Non veteris Legis, quia nulla mentio de eo per totam fit; nec novæ, quia tantum sunt septem. Deindè, nullam gratiam conferebat, ùt ipse dixit: Ego baptizo aquâ, qui autem post me venturus est, baptizabit vos in Spiritu & igne. Tertiò: Quia non fuit institutus â DEO, nam licèt dicat Joannes, qui misit me baptizare, hinc tamen non potest inferri, DEUM instituisse ùt Sacramentum etiam impropriè, sed ad figurandum Baptismum, ut homines eò faciliores essent ad Baptismum Christi.

IX. Baptismus Joannis non fuit Sacramentum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Baptismo Christi.

CHRISTUM instituisse Baptismum, nec quidem hæretici ipsi audent negare, omnes siquidem, qui aliqua Sacramenta agnoscunt, semper primo loco apponunt Baptismum: Definitur etiam à Florent.

I. Baptismus à Christo institutus, est Sacramentum.

rent. in Decret. Unionis Trid. Sess. 7. Can. 1. Patet etiam magis: Tum, Quia habet omnia requisita ad Sacramentum: Tum ex Scriptura, Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Tum denique ex perpetuo Ecclesiæ usu, & infinita propemodum PP. authoritate. Unde cùm certum sit esse, videamus quid sit? In qua materia inter Authores Classicos modica est difficultas, sed magna diversitas, quæ oritur ex eo, quòd aliqui Ablutionem solam statuant pro fundamento Relationis Sacramentalis, ita quòd hæc in recto importetur, verba verò & reliqua solùm in obliquo & concomitanter, veluti circumstantiæ necessariæ determinantes, & sic Magister definit Baptismum, *quòd sit ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum*, quam Doctor Subtilis etiam probationem censet: verùm quia idem Doctor contrariam opinionem existimat veriorem, & ego etiam supra dixi, verba etiam essentialiter ingredi constitutionem fundamenti Baptismi, cùm nihil obstet, nisi quòd fortè possit dici, ad multiplicationem terminorum debere multiplicari Relationem signi Sacramentalis, quæ tamen non obstat, cùm Relatio quasi rationis ex denominatione extrinseca passiva instituentis possit fundari supra plura realiter distincta. Et insuper, quia Divus Augustinus inquit: *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Et Tractat. 15. in Joannem dicit: *Tolle aquam, & non est Baptismus, tolle verbum, & non est Baptismus.* Ideò cum Doctore 4. d. 3. q. 1. aliter definio Baptismum.

II. Definitur Baptismus consideratus secundùm rationem formalem secundæ intentionis.

Dico Primò: *Considerando Baptismum secundùm rationem suam formalem secundæ intentionis benè definitur: Quòd sit Sacramentum regenerativum animæ.* Hæc videtur esse conformis Catechismo Romano tit. de *Baptismo*, §. *Quod autem.* ubi dicitur: *Sacramentum Regenerationis per aquam in verbo.* Et Div. August. definienti Tract. 15. in Joannem: *Lavacrum aquæ in verbo.* ac Divo Paulo ad Ephes. 5. *Ut illam significaret* (Ecclesiam) *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et patet: Quia *Sacramentum* est genus, & propria differentia distinguens ipsum ab aliis Sacramentis, est *Regenerativum*, quia per hoc ratio signi gratiæ sanctificantis contrahitur ad gratiam regenerativam animæ, sicut quodlibet genus contrahitur per suam differentiam ad speciem.

III. Definitur Baptismus ut totum aggregatū ex rebus realibus, & secunda intentione relationis.

Dico Secundò: *Considerando Baptismum, ut complectitur totum aggregatum ex rebus realibus, & secundâ intentione Relationis, quæ faciunt unum compositum artificiale, tunc Baptismus benè definitur: Quod sit Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente, cum debitâ intentione prolatis.* Hæc Definitio est Doctoris in terminis. Et Probatur explicando ejus omnes particulas. Dicitur *Sacramentum ablutionis animæ à peccato*, quod habet rationem generis. Tum ratione Sacramenti, Tum ablutionis, convenit enim cùm ablutionibus antiquæ Legis. Tum, cum Sacramento Pœnitentiæ, quâ etiam homo dicitur ablui & regenerari aliqualiter. Dicitur: *Consistens in ablutione hominis*, ad distinctionem Baptismatum vasorum, & maleficorum, qui canes quandoque baptizant cum præscriptâ verborum formâ, quæ tamen non sunt Sacramenta, licèt fiant exteriùs ablutiones, & exteriùs verba: Dicitur *aliqualiter consentientis*: Quia si quis invitus baptizaretur, non esset Sacramentalis ablutio. Dicitur: *In aqua*; Quia si fieret per alium liquorem, nihil conficeretur. Dicitur *cum debitâ intentione*, Quia si fieret joco, & sine intentione, inanis res esset. Reliquæ particulæ de se patent. Sed

Dices : Hanc Definitionem involvere particulas superfluas : Tum, Quia etiam in Definitione Sacramenti ùt sic poni debuissent plura : Tum, Quia definitio solùm debet fieri per genus & differentiam, & non per conditiones necessariò requisitas, aut per circumstantias necessariò præsuppositas. ergò. Respondeo, Negando antecedens, & ad primam probationem dico, utique etiam in Definitione Sacramenti, ùt sic plures ingredi particulas, quæ aliis videntur se habere per modum conditionum & circumstantiarum. Ad Secundam Respondeo : Distinguendo antecedens : Definitio debet fieri solùm per genus & differentiam, quæ est alicujus simplicis physici absoluti, concedo antecedens : quæ est alicujus compositi artificialis aggregati ex pluribus, & respectivi nego antecedens, & consequentiam. Sacramentum autem Baptismi habet se modo secundo, sicut Relationes omnes, in quibus definiendis ingreditur fundamentum & terminus, cùm tamen nec fundamentum nec terminus sit earum genus & differentia.

IV. Cujus rei Definitio debeat fieri solùm per genus & differentiam.

QUÆSTIO TERTIA.

De Institutione, & Promulgatione Baptismatis.

INstitutionem Baptismi esse evacuationem Circumcisionis quoad necessitatem medii, & ejus sufficientem promulgationem esse cessationem ejusdem quoad obligationem præcepti suppono tanquam certissimum : unde in hac Quæstione quæram Primò : quando fuerit Baptismus institutus, & quando fuerit quoad obligationem sufficienter promulgatus. Et quoad primum difficultas est : An fuerit institutus post Resurrectionem, vel ante Passionem CHRISTI. Primum tenet Tertullianus, Chrysostomus, Theophylactus, Rupertus, cum quibus etiam tenet S. Leo Papa. Secundum cum August. Tract. 5. & 15. in Joann. Magister D. Bonaventura, Scotus 4. d. 3. qu. 4. num. 2. & Div. Thomas qu. 66. a. 2. Quibus etiam subscribo, &

Dico Primò : *Christus instituit Baptismum post Baptismum suum, & ante suam Passionem.* Ita AA. pro secunda sententia. Probatur authoritate S. Augustini supra, ubi dicit : *Etiam Baptismum Judæ rectè præponi Baptismo Joannis, etenim dictum est de Domino, antequam pateretur, quia baptizabat plures quàm Joannes, deindè subjunctum est, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus, ipse & non ipse, ipse potestate, illi ministerio.* Et Tract. 13. in Joan. ac Epistolâ 118.

I. Christus instituit Baptismum post suum Baptismū, & ante suam Passionem.

Probatur Secundò : Tum, Quia mox post relatum discursum Christi cum Nicodemo, Joann. 3. in quo dixerat : *Nisi quis*, &c. subditur, CHRISTUM ad se venientes baptizasse, & quidem, ùt aliqui existimant, primò Matrem suam, deindè Petrum & filios Zebedei propriis manibus, hi reliquos : Tum, Quia non est credibile, CHRISTUM usum fuisse tàm egenâ formâ Joannis, vel etiam per Discipulos suos : Tum, Quia paulò ante Joannes turbis prædixerat efficaciorem suo instare Baptismum, de quo dixerat Joann. 1. Hic est, qui baptizat.

II. Ratio ad idem.

Dices : Apostolos baptizasse Baptismo Joannis & non CHRISTI, qui est Sacramentum Novæ Legis. Respondeo, Negando antecedens, Quia Discipuli Joannis apud eundem conquesti sunt, quòd Discipuli CHRISTI baptizarent, si autem baptizassent Baptismo suo, conqueri non debuissent, sed sibi congratulari, quòd eorum Baptismus per alios magis & magis promulgetur. Sed Dices : Si non habuerunt Baptismum Joannis fortè aliquem alium à CHRISTO institutum, præparatorium ad salutare Sacramentum Regenerationis. Sed Contra. Indecens videtur CHRISTO, quòd ille figuras & umbras adhiberet, cùm ille esset, in quo omnes figuræ implebantur, & umbræ cessa-

III. Apostoli non baptizārunt Baptismo Joannis.

cessabant. Prima Responsio confirmatur ex D. Augustin. Tract. 53. in Joan. *Baptizatus baptizabat, nec eo Baptismo, quo ipse baptizatus erat.*

IV. Christum instituisse Baptismum ante suam Passionem, adhuc probatur.

Probatur Tertiò: Quia Christus ante suam Passionem in ultima Cœna Apostolis dedit Eucharistiam, ut patet ex Evangelistis. Item Ordinem Sacerdotii, ut clarè patet ex Concil. Trident. Sess. 22. c. 7. & Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, &c. anathema sit.* Quod non est credendum, Christum fecisse iis necdum baptizatis, adeoque Baptismo necdum instituto, cùm hic juxta Legem ordinariam sit janua ad reliqua Sacramenta.

Dices: Christum dispensasse in hoc præcepto. Sed contra. Nec ratione, nec authoritate constat de tali dispensatione, nec ulla est necessitas: ergò.

V. Objectio solvitur.

Arguitur Primò: Joan. 7. dicitur: Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus. Respond. Quòd hæc Scriptura tantùm de visibili Spiritûs Sancti datione loquatur, quæ futura erat in Pentecoste, non autem de invisibili & privata, quam constat sæpiùs ante contigisse, v. g. Magdalenæ, Apostolis, & quot erant ante justificati. Deinde, gratiam Spiritûs Sancti etiam ante Passionem Apostolis recepisse per sumptionem Eucharistiæ, & per sumptionem Sacramenti Sacerdotii, indubitatum est.

VI. Objectioni satisfit.

Arguitur Secundò: Nullibi legitur Apostolis tradita forma Baptismi, nisi post Passionem, Matth. ult. Respond. Negando consequentiam: Potuit namque Christus Apostolos privatim formam docuisse, dùm eos frequenter instruxit in Mysterio Trinitatis, etsi Evangelistæ non scripserint, quibus sufficiebat scribere, quòd baptizassent. Matth. ult. autem forma Baptismi ante præscripta, & instituta, atque in ipsa Christi baptizatione insinuata per comparitionem Sanctissimæ Triadis, in Voce scilicet Pater, in Carne Filius, in Columbæ specie Spiritûs Sanctus exprimitur à Christo, qui tunc generale ferebat mandatum Apostolis & Discipulis conferendi Baptismum, totique mundo eum suscipiendi. Manet ergò decisum, Christum Baptismum ante Passionem instituisse, idque paulò post quàm ipse baptizatus est.

Arguitur Tertiò: Baptismus omnem suam virtutem & vim habet ex morte Christi, ergò ante ipsam non fuit institutus. Antecedens patet: Tum, Quia Paulus Rom. 6. dicit: *Quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ejus baptizati sumus:* Tum, Quia Baptismus est signum rememorativum Passionis CHRISTI: Tum, Quia ante ipsam pretium Redemptionis nostræ non erat persolutum: ergò. Respond. Concedo antecedens, omnesque ejus probationes, sed nego consequentiam: Nam idem potest esse signum Prognosticum, & rememorativum, ut patet de Eucharistia, quæ est signum rememorativum Passionis Christi, & fuit etiam Prognosticum futuræ: unde quemadmodùm Eucharistia ante Passionem instituta fuit, ita etiam institutus fuit Baptismus, qui ante mortem erat signum Prognosticum, post Passionem rememorativum, & in hoc sensu intelligendus est D. Paulus.

VII. Alia Objectio solvitur.

Ad ultimum dico: Etiam Circumcisionem & merita SS. PP. veteris Testamenti præcessisse Passionem Christi, & tamen ex morte ipsius habuerunt suam vim & virtutem, quomodo autem possit aliquid habere suam vim ex re necdum peracta, dicit Scotus, quòd ex prævisione, & acceptatione, & declarat D. Anselmus lib. Cur DEUS homo, cap. 16. Exemplo Innocentis, qui Regi pro offensa omnium ex sua familia promittit certum opus, Rex acceptat, & denuò delinquentibus iterum condonat, intuitu operis futuri ab Innocente; quod opus futurum facit toties dimitti delictum, attamen antequam persolvatur actu, Rex neminem vult intromittere in

 suum

suum Palatium. Sic discurrit de Christo.

VIII. Dies & annus institutionis Baptismi inter Baptismum Christi & suam Passionem incertus est.

Dico Secundò: Inter Baptismum Christi & Passionem suam incertus est dies, & annus, quando fuerit institutus. Probatur: Quia non quando baptizatus fuit Christus à Joanne, quia non fuit baptizatus suo sed Joannis Baptismo. Nec etiam quando coram Nicodemo habuit familiarem de Baptismo discursum, Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. quia non erat decens, quòd universale remedium de nocte institueretur coram privata persona, quæ non fuit determinata pro prædicatione, quique erat tantùm Discipulus de nocte, congruebat porrò, ut Baptismus veluti Legis communis fuerit coram tota communitate, Republica, ac membris principalioribus institutus, ergò.

IX. Baptismus non fuit institutus tunc, quando Christus fuit baptizatus.

Dices: In Baptismo Christi fuerunt sanctificatæ aquæ Jordanis per contactum suæ mundissimæ carnis, sicut sanctificatur calix per contactum Sanguinis; & per hanc Sanctificationem fuit determinata materia, fuit etiam determinata forma, nam vox Patris audita est, Filius apparuit, & Spiritus Sanctus sub specie Columbæ descendit, ergò tunc fuit institutus Baptismus. Respond. Negando anteced. Quia quòd dicantur aquæ Jordanis sanctificatæ per contactum carnis Christi, non ita sumendum est, quasi eis aliquam virtutem mundandi communicaret, sed illa sanctificatio fuit veluti designatio aquarum tanquam materiæ aptæ ad suum Baptismum, postquam illum instituerit. Per illam autem mysticam apparitionem Trinitatis non fuit designata forma, sed causa Baptismi effectiva, ejusque effectus productiva adumbrata, nam primò vox illa non fuit Christi, qui tantùm debuit determinare formam, ut dicatur Baptismum instituisse, sed Patris, nec verba erant forma Baptismi, sed declarativa quòd hic esset Filius, nec apparitio erat universalis & communis, sed privatæ personæ Joanni tantùm, qualiter non conveniebat Baptismum institui.

X. Circumcisio non fuit statim evacuata quoad utilitatem, ut Baptismus fuit institutus, nec immediatè post Passionem & Resurrectionem Christi.

Dico Tertiò: *Circumcisio non fuit statim evacuata quoad utililatem, & efficaciam, ùt Baptismus institutus fuit, nec immediatè post Passionem & Resurrectionem Christi, benè tamen quoad necessitatem.* Ita Doctor in 4. d. 3. q. 4. asserens Baptismum post institutionem suam, non modò usq; ad mortem Christi, (quod etiam tenet D. Thomas) sed etiam post Resurrectionem suam usque ad diem Pentecostes (quod negat D. Thomas) fuisse sub consilio, ita quòd toto illo tempore concurrerint simul Circumcisio & Baptismus, & uterque sub disjunctione, & utilis fuerit & efficax, & neuter necessarius, ita quòd Judæus alterutrum potuisset eligere. Quæ est etiam mens D. August. contra D. Hieronymum distinguentis tria tempora, Legalia in primo fuerunt utilia & necessaria, in secundo mortua, sed non mortifera, id est, inutilia, sed non mortifera (huic tempori præmittit Scotus aliud, in quo dicit, fuisse utilia, sed non necessaria,) & in tertio ait fuisse nec utilia nec necessaria, sed licita, & in quarto, quod est tertium D. August. non modò & illicita. D. Thomas verò ait post fuisse mortua, sed etiam mortifera D. Hieron. Legalia statim post Passionem Christi fuisse mortifera & inutilia. Scoti opinionem sequuntur RR. Communiter.

XI. Authoritas D. Bernardi ad idem.

Probatur proindè Conclusio Primò Authoritate SS. PP. D. Bernardi Tract. ad Hugonem de S. Victore c. 1. Scribis itaque quendam asserere (nescio quemnam non nominas) ex quo primum dictum à Domino legitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; ex eo neminem absque eodem præcepto actualiter visibili Sacramento, vel ejus vice Martyrio ullatenus potuisse salvari, sed etsi illud fortè quispiam cum vera fide, & contritione cordis expeteret, sed præventus mortis articulo assequi quod cuperet non valeret, tamen omninò damnari

mnari. Ubi primò de temporis quidem præfixione durum nimis austerúmq; videtur, ut videlicet verbum absconditum palàm nam noceat; & ante Judex jam feriat quàm minetur: quódque interim in tenebris loquitur, & in aure Salvator, nondum quidem salvet, quia nondum appareт, & jam mundum impleat condemnatis. Itane ergo verbus Salutis & præceptum vitæ non priùs vitam restituere valuit, quàm mortem inflixerit, idque eò innocentibus; quò & nescientibus adhuc voluntatem Domini sui? Num gentem ignorantem & justam, ut cum Ethnico loquamur, debuit interficere DEUS? quis ita sapiat? - - - Quanti namque interim toto orbe non baptizati moriuntur, profectò ignorantes, quòd cum Nicodemo JESUS noctu secretóque confabuletur? quid ergò? Necdum Lex promulgatur, & jam prævaricantes tenentur? Et quomodo, inquit, credent in eum, quem non audierunt? quomodo verò audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt nisi mittantur: necdum injuncta, necdum vulgata, necdum audita prædicatio est; & juxta pigri & nequam servi sententiam tam durus est Dominus, ut necdum jam metere velit, & non sparsa colligere? absit. Sed audi magis hujus rei veritatem. Qui unus est Magister in cœlo, & in terra, ei, qui Magister tantùm in Israël erat, familiari privatóque colloquio tradebat, quod traderet, docebat, quod doceret, non quod exigeret, & ab absentibus, non unde præscriberet, & his, qui non audierant. Valdè quippe injustè exigitur obeditio, ubi non præcessit auditio. Neque enim tale est hoc, quòd & absque promulgatione naturalis Lex ignorare non sineret, quale v. g. illud est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; factitium enim quodammodò magis est, & non naturale mandatum. Quænam enim natura, seu ratio docet internam, æternamque salutem mortalium posse percipere, cujus foris corpus perfusum visibili non fuit elemento? Sacramentum DEI altissimi est suscipiendum, non discutiendum, venerandum, non dijudicandum, fide sortitum, non innatum, traditione sancitum, non adinventum ratione.

Probatur speciatim quoad primam Partem: Quia Lex vetus & Circumcisio non fuit mala, ùt est Idololatria, ergò non debebat præcipitanter tolli, & repelli, quia hoc contra suavem divinæ Providentiæ gubernationem, cui magis congruebat ad comprobandam Legis bonitatem, quòd paulatim deficeret, & cum honore sepeliretur, sic enim quilibet cognosceret pro suo tempore bonam fuisse. Deindè nullum præceptum tollitur, & evacuatur, nisi alterum ei oppositum statuatur, quod habet vim tollendi, & evacuandi. Sed nullum potest assignari Præceptum, quod Circumcisionem evacuasset: ergò. Probatur minor: Quia esset illud, quòd defactò evacuavit, Præceptum de Baptismo, sed hoc non fuit, quia ante mortem Christi non fuit propositus Baptismus, ùt medium necessarium ad salutem, nam nec traditum, nec scriptum hoc reperitur, quia si ex aliquo deduci posset, maximè ex colloquio JESU cum Nicodemo, Joan. 3. sed illud fuit privatum, nec tunc loquebatur, ùt Legem condens, sed instruens, quid aliquando sit futurum necessarium. XII. Circumcisionem non fuisse evacuatam mox ut fuit institutus Baptismus ostenditur.

Probatur secunda Pars, nempè nec immediatè post Mortem & Resurrectionem: Quia Lex non obligat, nisi solenniter promulgata, promulgatio enim si non est de intrinseca ratione Legis, est ad minus conditio necessariò requisita ad hoc, ut Lex vim obligandi in actu secundo obtineat: Sed post mortem Christi & ante Pentecosten Lex Evangelica non fuit solenniter promulgata: ergò. Patet major, in qua notanter addidi, *in actu secundo*, quia in actu primo habet vim obligandi immediatè, ut à Principe conditur, & in sua Curia promulgatur, & hoc verum est non modò ut excuset ignorantem à peccato, sed etiam ut ante ad eam XIII. Nec immediatè post mortem & resurrectionem Christi.

eam non sit adstrictus. Probatur minor: Quia post mortem Christi non modò Discipuli non promulgarunt solenniter Evangelium, sed etiam propter metum Judæorum latitabant, & jussi erant sedere Hierosolymis, ut Lucæ 24. *Vos autem sedete in illa civitate, usque dum induamini virtute ex alto.*

XIV. Instituto Baptismo fuit evacuata Circumcisio quoad necessitatem.

Probatur tertia Pars Ratione Scoti: Quando unum Præceptum revocat totaliter alterum Præceptum, consilium de eodem facit alterum non necessarium, sed præceptum de Baptismo est sublativum totaliter Circumcisionis, ergò consilium de Baptismo facit præceptum de Circumcisione non necessarium, seu dat licentiam utendi alterutro: ergò Circumcisio ab institutione Baptismi quoad necessitatem utilitatis, & efficaciæ fuit evacuata. Probatur major. Tum à Scoto: Quia quando præceptum unius actus, est prohibitio alterius actus, consilium de uno est licentia de non observando alium actum. Tum exemplis: Quia si esset præceptum remittendi peccata mortalia per virtutem Pœnitentiæ, & daretur postmodum consilium de Sacramento Pœnitentiæ hoc consilium faceret præceptum non esse ampliùs necessarium: Item si Jejunio & Oratione tantùm deberent deleri peccata, si daretur postmodum consilium de Eleemosyna facienda ad deletionem peccatorum, jam non esset necessarium Jejunium & Oratio. Iterum consilium de Virginitate facit non esse præceptum Matrimonii.

Nec juvat dicere: Consilium de Oratione non tollit peccatum de Jejunio: ergò etiam hic consilium de Baptismo tollit præceptum de Circumcisione, non juvat, inquam, quia utrumque est respectu diversorum, adeóque stant simul. Secundò: Neutrum est totale medium ad finem aliquem consequendum, quorum unum se haberet per modum prioris, & pro aliqua certa differentia temporis obligantis, cui succederet alterum habens vim derogandi priori, sicut est de Baptismo & Circumcisione.

XV. Alia Ratio ad idem.

Probatur Secundò eadem Pars: Si quis Hebræus ad prædicationem Christi post institutū Baptisma parvulum ante octavum diem baptizasset, talis parvulus consecutus est gratiam Baptismi, quia nulla ratio est, quare ejus valor & effectus suspenderetur, cùm & aliis fuerit gratia collata virtute contritionis, ut Magdalenæ: Sed si talis parvulus fuisset mortuus ante octavum diem, fuisset salvatus, ergò Circumcisio non erat ampliùs necessaria, quia hic erat principalissimus ejus effectus & finis tollere originale.

Dices: Parvulum talem fuisse quidem salvatum, Patrem tamen peccaturum, si parvulo superstitem octavo die non circumcidisset, sicut peccasset, si justificatum ob periculum mortis remedio Legis Naturæ non circumcidisset octavo die, & sicut peccaret, qui justificatus Baptismo flaminis, omitteret Baptismum fluminis, quia manet adhuc obligatio ad implendi præceptum, sic quoque Circumcisio non fuisset necessaria ut medium, sed ut præceptum.

XVI. Cur justificatus remediò Legis Naturæ debuerit circumcidi, non verò baptizatus.

Sed Respond. Negando consequentiam: Disparitas est, quia remedium Legis Naturæ & Baptismus flaminis involvunt votum Circumcisionis, & Baptismi fluminis, non sic Baptismus votum Circumcisionis, & consequenter si Circumcisio cessavit quoad necessitatem medii, cessavit etiam quoad præceptum, quia præceptum erat ordinatum ad utilitatem medii, & sic hâc ablatâ non mansit ampliùs præceptum.

XVII. Baptismus evacuavit Circumcisionē quoad utile & licitū Hierosolymis in die Pentecostes, in aliis autem locis post solennem Evangelii promulgationem.

Dico Quartò: *Baptismus evacuavit Circumcisionem etiam quoad utilitatem, & licitatem Hierosolymis in die Pentecostes, in aliis autem locis deinceps, post solennem Evangelii prædicationem.* Ita Scotus supra, quem Scotistæ, & plures RR. sequuntur. Probatur Primò ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 4. ubi de Justificatione loquens dicit, sine Baptismo non consequi posse non simpliciter, sed post Evangelium promulgatum, ait enim

enim: *Quæ quidem translatio* peccatoris de statu peccati ad statum gratiæ, *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Neque dicas, Concilium promulgationem requirere, ut ignorantia tollatur, per quam à Baptismo suscipiendo excusabantur, non autem ad inducendam obligationem. Quia Concilium hic non intendit docere, quâ ratione homines peccent non suscipiendo Baptismum, sed quâ ratione absque illo justificari nequeant, sive ejus obligationem ignorent, sive non.

XVIII. Authoritas D. Bernardi ad idem. Probatur Secundò ex Authoritate S. Bernardi, tum supra, tum cap. 2. ubi sic habet: Satis profectò ex his, quantum reor, apparet, quòd damnatio non Baptizatorum, & frustratio Circumcisorum, & evacuatio Sacrificiorum, quæ fortè contra originale peccatum ritus observabat antiquus; generaliter jam tunc minimè cœperit, quando Nicodemo clàm dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Sed nec quando Apostolis palàm injunctum est: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; sed ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptizatus quisq; novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus pervenire potuit notitiam. Potest tandem probari & confirmari tota hæc veritas ex D. Paulo ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* &c.

Opponuntur plures Authoritates S. Scripturæ, in quibus insinuari videtur, quòd Baptismus statim inceperit obligare post Passionem Christi, nam Matth. 27. Velum Templi scissum est, quod significabat, figuras cessasse & umbras, & Legem gratiæ adesse, unde ulteriùs Christus dixit, Joan. 19. Consummatum est, sed quid consummatum est, ampliùs nullam vim & utilitatem habet, ergò etiam Lex vetus consummata nihil habuit ampliùs, ergò statim Lex nova obligavit, quia aliàs fluxisset aliquod tempus, in quo mundo fuisset sine obligatione Legis & sine remedio ad salutem necessario. Quod ipse Div. Bernardus supra cap. 1. abhorret, exclamans: O infelicissima illa tempora, quæ sola à seculis omni penitus salutis remedio vacua transierunt, dum & Circumcisio, quæ illo usque viguerat, prodesse jam subripiente Baptismate non auderet; & Baptisma, quoniam adhuc lateret, non succurreret; forsan dormiebat eo tempore DEUS, nec fuit interim qui redimeret, neque qui salvum faceret.

Respondeo Primò: Explicando Authoritates Scripturæ: Quia illæ aliud non volunt quàm figuras, & umbras omnes impletas esse & cessasse, quæ erant de Passione & Persona Christi, conformiter ad illud, quod ipse Salvator Lucæ 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & omnia consummabuntur, quæ scripta sunt de Filio hominis.* Vel si illi textus non referantur ad Personam Christi, sed ad Legem, tunc XIX. Scripturæ objectæ tantùm volunt figuras de Christo impletas esse morte Christi.

Respondeo Secundò: Legem & Circumcisionem cessasse causaliter, radicaliter, & fundamentaliter propter persolutionem pretii Redemptionis, quia mors Christi est causa, radix & fundamentum cessationis Legis antiquæ, & confirmationis novæ, non verò cessavit formaliter quoad sufficientiam & utilitatem, nec Lex nova formaliter fuit vigorata quoad necessitatem, & obligationem, & hunc modum omnes alii textus D. Pauli ad Hebræos 8. & 9. loquuntur, & hanc explicationem esse conformem D. Pauli menti patet; nam postquam dixisset: *Novum antiquavit priùs*, subdit statim: *Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.* XX. Lex & Circumcisio fundamentaliter cessavit à morte Christi, non formaliter.

Respond. Tertiò: Negando utramque consequentiam: Ad Probationem dico ex opposita Sententia inferri, quòd aliquando fluxisset tempus, in quo homines fuissent sine

sine remedio, quia ùt D. Bernardus loquitur suprà dicens: Sancito quippè novi mysterii decreto, sed adhuc secreto; quisnam quæso morientibus interim ad regnum patet accessus, dum & vetus jam deficit, quoniam à novo excluditur, & novum tamen non subvenit, quoniam dum nescitur, non præcipitur, unde postea exclamat: O infelicissima tempora. Non sic in Sententia Scotistarum, quia nos dicimus, utilem fuisse Circumcisionem, & Baptismum sub disjunctione. Sed

XXI. Circumcisio & Baptismus utilis fuit sub disjunctione.

Instatur: D. Paulus ad Hebr. 9. comparat Legem novam & antiquam in ratione Testamenti; sed Testamentum statim valet morte intercedente: imò ad Rom. 7. exemplificat cum muliere, quæ vivente viro alligata est Legi, *si autem mortuus fuit vir ejus, soluta est à Lege viri:* ergò etiam homines mortuo Christo soluti erant à Lege Moysis. Respond. Negando utramq; consequentiam: Quia licet Lex nova veluti novum Testamentum conditum, & roboratum sit morte Christi, solâ tamen morte non obligavit, sed quando fuit solenniter apertum & promulgatum, sicut in aliis Testamentis evenit, si enim statim obligasset, ad quid fuisset necesse postmodum de novo præcipere: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium.*

XXII. Lex nova condita fuit & roborata morte Christi, non tamen obligavit.

XXIII. Quo sensu Ecclesia mulieri & Christus viro comparetur.

De exemplo mulieris dico: Illud aliter formari debere, nam Synagoga, & Ecclesia Christi sunt veluti duæ uxores, adeòque mortuo Christo Synagoga absoluta fuit, sed non statim iterum quoad obligationem copulata Ecclesia Christi, quia mortuo marito, non statim est mulier sub potestate alterius viri, nisi denuò Matrimonium contrahat. Sic si aliter comparationem sumere velis, ut Lex habeat rationem viri, & Synagoga rationem mulieris, mortua Lege non statim Synagoga, & Ecclesia est obligata formaliter Christo, sed postquam ei constiterit de novo Matrimonio.

Quæres: Quando ergò Circumcisio fuerit universaliter evacuata, ita quòd Baptismus universaliter per totum mundum obligare cœperit? Respond. Quòd Hierosolymis in die Pentecostes, in aliis vicinioribus locis post mensem, in remotioribus post annum, & fortè universaliter per totum mundum quadraginta annis post Christi Passionem, ùt approbare videtur Doctor supra q. 4. post excidium Hierosolymitanum, nam & tunc tempus sufficiens fluxit, per quod prædicatio Evangelica & Apostolorum sonus exivit in omnem terram, nec est necesse quòd ad quamlibet gentem & urbem, in particulari non pervenerit; per accidens enim est, v. g. de Indis Occidentalibus, quòd creditum fuerit ad eos non esse transitum, sufficit námque, quòd talis prædicatio solennis ita fuerit, ut quod de se erat ad omnes pervenire potuerit.

XXIV. Quando Baptismus universaliter per totum mundum cœperit obligare.

QUÆSTIO QUARTA.

De Necessitate Baptismi.

PRo clariori dicendorum notitia præmitto Primò, quid sit necessitas Medii, quid Præcepti; Omissis autem variis Sententiis, dico: Illud esse Medium necessarium ad Justificationem, quod positivè ad illam conducit, & per se in illam influxit, usque adeò, ut sinè illo realiter habito justificatio secundùm Legem DEI ordinariam, sit impossibilis. Illud autem necessarium necessitate Præcepti, quod quidem per se non justificat causando gratiam habitualem, requiritur tamen ad evitandum peccatum, per quod justitia præhabita deperderetur, ut proindè se solum habeat tanquam removens prohibens salutem tàm primam, quàm secundam, id est, gratiam sanctificantem, & æternam Beatitudinem, ex quo plures oriuntur differentiæ inter utrumque; Prima: Quòd necessitas Præcepti tantùm habeat locum in actibus liberis & honestis, utpotè qui soli sunt materia Legis & Præcepti: necessitas autem Medii etiam in aliis rebus quippè habitus gratiæ, & lumen gloriæ sunt

I. Quid necessitas Medii & Præcepti.

II. Quæ inter illas differentiæ.

sunt necessaria ad salutem. Secunda: Quòd necessitas Præcepti, uti ipsum præceptum solos concernat adultos ratione utentes, medii etiam reperiatur in parvulis, & amentibus. Tertia: Quòd necessitas præcepti excuset per ignorantiam invincibilem, secus necessitas medii, quanquam enim ignorantia possit supplere præceptum sive excusare à peccato, minimè tamen supplet influxum & causalitatem medii necessarii. His præmissis

III. Baptismus in Lege nova in re vel in voto est omnibus necessarius necessitate medii.

Dico Primò: *Sine Baptismo in re, vel in voto post Evangelium promulgatum, nulli unquam contingit justificatio extra casum Martyrii: hoc est, in Lege nova Baptismus est omnibus necessarius ad salutem necessitate medii.* Ita definit Concil. Tridentin. Sess. 6. c. 4. sequentis tenoris: *Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum Salvatorem nostrum, quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.* Et Sess. 7. can. 3. de hoc Sacramento: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Idem ante definierat Florent. in Decr. Union. ibi: *Et cùm per primum hominem mors* (ecce etiam ratio redditur) *introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu Sancto renascimur, inquit veritas, non possumus in regnum cœlorum introire.* Ratio à priori est voluntas Christi liquidò expressa, Joan. 3. v. 5. ab utroque Concilio citatis.

IV. Authoritas D. Augustini ad idem.

Confirmatur Authoritate August. Ep. 28. ad Hieronymum, ubi ait: *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos omninò in CHRISTO vivificari non posse.* Et libr. 3. de origine animæ: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*

V. Parvuli nequeunt salvari sine Baptismo.

Opponitur Primò Matth. 19. Christus dicit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum Cœlorum,* ergò sine Baptismò possunt salvari. Resp. Negando consequentiam, quia Christus tantùm voluit parvulos ratione ætatis nil habere malitiæ actualis, prout habent adulti, quibus parvulos opponit. Accedit ibi Christum locutum fuisse de parvulis duntaxat Judæorum ac aliorum fidelium, qui justificati erant per Circumcisionem, aut remedium Legis Naturæ, quippè Baptismus tunc nondum erat præcepti, sed tantùm consilii.

VI. Etsi sine filii fidelium.

Arguitur Secundò Genes. 17. ait DEUS Abrahæ: *Et statuam pactum meum inter te, & me, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim DEUS tuus & seminis tui post te:* ergò saltem filii fidelium, qui intelliguntur per semen Abrahæ sunt DEO grati sine Baptismo. Respond. Negando consequentiam. Nam locus iste intellectus de carnalibus filiis Abrahæ, nil aliud eis promittit, quàm quòd introducerentur in terram Chanaam, & contra hostes defenderentur à DEO quousq; mandata ipsius servarent, ut patet ex contextu, & tunc non est ad rem. Si autem intelligitur de filiis Abrahæ spiritualibus, negatur suppositum parvulos sine Baptismo esse semen Abrahæ spirituale.

VII. Quo sensu Apostolus vocet filios fidelium sanctos.

Arguitur Tertiò 1. Corinth. 7. Filios Fidelium vocat Apostolus Sanctos dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Respondeo, Apostolum vel loqui de Sanctitate aliqua externa, sicut alia omnia, quæ junguntur rebus sacris aliquomodo Sanctitate asperguntur,

 seu

seu sancta reputantur. Aut certè si de intrinseca sanctitate sit sermo, non in re, sed in spe probabili conversionis conjugis infidelis ratione consortii cum fideli, nec non Baptismi parvulorum, sanctæq; educationis operâ partis fidelis.

Arguitur Quartò ex Ratione: Fides veteris Legis non erat majoris virtutis, quàm tempore Legis Evangelicæ, sed tunc quandò parvuli non poterant circumcidi ante octavum diem sufficiebat illis ad salutem fides parentum, ergò & nunc: ita Cajet. Respondeo, Negando consequentiam, quia non est par ratio. Tunc enim prohibuerat DEUS parvulis ante octavum diem Circumcisionem, ex quo sequitur manifestè, quòd permittebat eis ante diem octavum remedium Legis Naturæ, nunc autem nulli DEUS prohibet Sacramentum Baptismi, non enim DEUS abscondit aquam, ùt æquè citò applicari possit, ac remedium Legis naturæ.

VIII. Cur nunc non sufficiat fides parentum ad salutem parvulorum.

Arguitur Quintò: Quando non est copia Baptismi secundùm nosmetipsos in Conclusione adulti justificantur per Baptismum in voto susceptum, sed parvuli non sunt deterioris conditionis: ergò. Sed non per proprium, ergò per parentum & alienum. Respondeo, concedo majorem & minorem, & ad consequentiam dico, quòd si ipsi parvuli possent habere votum Baptismi justificarentur per illud, sicut adulti justificantur, cœterum ejusmodi votum parvuli habere non possunt. Quia hoc haberi non potest sine propriâ voluntate, qua homo ad DEUM convertitur, & petit veniam suorum criminum, & ideò nego quòd sufficiat illi votum Baptismi parentum.

IX. Votum Baptismi parentum non sufficit ad salutem parvulorum.

X. Baptismus est omnibus, etiam ante sanctificatis, necessarius necessitate præcepti.

Dico Secundò: *Baptismus est necessarius omnibus etiam necessitate præcepti, etiam ante sanctificatis.* Hæc est Scoti, Alexandri de Ales, D. Bonaventuræ. Et Probatur: Lex Universalis obligat omnes ad observationem illius, sed Baptismi est Lex universalis, ergò obligat omnes quantumvis justificatos. Sed de hac re fusiùs agam inferiùs, ubi proponam quæstionem: An justificati antea teneantur ad Baptismum.

Excepi in primâ Conclusione votum Baptismi seu Flaminis, quod nil aliud est, nisi contritio charitate perfecta, aut amor DEI supernaturalis super omnia, qui licèt reconciliet, ipsam tamen reconciliationem non ipsi contritioni adscribendum dicit Trident. Itaque contritio includit obligationem adhuc recipiendi Baptismum commoditate habitâ. XI. Contritio includit obligationem recipiendi Baptismum.

Excepi etiam casum Martyrii, quia scriptum invenio Marc. 8. v. 35. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium meum, salvam faciet eam.* Ita quòd PP. contritionem & Martyrium Baptismo comparent, vocentq; Baptismata ea ratione, quòd Baptismi vicem suppleant, & conveniant cum Baptismo in causando effectum principalem justificationis, scilicet gratiam, licèt non imprimant Characterem. Solum itaque verum Baptisma fluminis Baptismus est Sacramentum, alioquin plura essent Sacramenta quàm septem contra Concil. Trident. XII. Quâ ratione PP. Contritionem & Martyrium comparent Baptismo.

QUÆSTIO QUINTA.

Quis sit effectus Baptismi, & an æqualiter recipiatur in omnibus baptizatis?

Tres communiter à Theologis assignari solent Effectus in Baptismo. Primus est remissio omnis culpæ, & pœnæ, sive temporalis & æternæ. Secundus collatio gratiæ sanctificantis. Tertius est Character baptismalis, qui cuilibet in Baptismo imprimitur, prout de Sacramentis in genere diximus. I. Tres effectus Baptismi.

Dico Primò: *Baptismus ritè, & sine obice susceptus, delet omnem culpam, & pœnam, sive temporalem, sive æteram alterius vitæ.* Est quoad utramque partem de fide definitum in Concilio Florentino, in Decreto fidei his verbis: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ,* II. Baptismus delet omnem culpam & pœnam, sive temporalem æternam alterius vitæ.

pœnæ, quæ pro ipsa culpa datur &c. Et quoad primam partem eam specialiter definit Tridentinum Sessione 5. in Decreto de peccato Originali, Can. 5. *Si quis*, inquit, *per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non totum tolli id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: Anathema sit.* Colligitur etiam ex Scriptura ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ.* Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis.* Ad Coloss. 2. *Cùm essemus mortui propter delicta nostra convivificavit nos cum Christo.* Denique de virtute hujus Sacramenti, interpretante Petro, vaticinatus est Ezechiel 36. cap. 1. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

III. *Totam pœnam per Baptismum remitti evincitur.* Secundam etiam partem Conclusionis sufficienter tradit Tridentinum in dicta Sess. 5. Can. 5. ubi post prædicta verba subjungit: *Minimè prorsus remorari parvulos baptizatos ab ingressu Regni cœlestis*, sed si post Baptismum remaneret in ipsis ulla pœna etiam temporalis retardaret ipsos ab ingressu regni cœlestis, donec eam solverent, ergo. & Sess. 6. c. 14. ait, in justificatione impii totam culpam & pœnam æternam per pœnitentiam dimitti, sed de temporali pœna subjungit: *Quæ, ùt Sacræ Litteræ docent, non tota semper, ùt in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ DEI, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt*, ubi ùt vides supponit Concilium totam pœnam peccatis debitam in Baptismo remitti. Accedit etiam praxis totius Ecclesiæ, quæ baptizatis adultis non solet imponere satisfactionem, sicut imponit relapsis.

IV. *Baptismus cōfert gratiam sanctificantem.* Cœterum Baptismum, sicut & cœtera Sacramenta novæ Legis conferre gratiam sanctificantem ritè suscipientibus de fide definitum est in Concil. Florent sub Eugenio IV. Etenim Tridentinum Sess. 7. Can. 67. & 8. ubi in hoc distinguunt Concilia Sacramenta Novæ Legis à Sacramentis & Cæremoniis antiquæ Legis, quòd ex vi suâ illa, & ex opere operato conferant gratiam sanctificantem ritè, & sine obice accedentibus, hæc verò quoad eos pleraque nonnisi ex opere operantis, sicut superiùs de Sacramentis in genere dictum est, *Si quis*, ait Tridentinum, *dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut ipsam gratiam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit*; Sed an Baptismus semper æqualem gratiam conferat suscipientibus, sive parvulis, sive adultis, controvertitur inter Theologos.

Opponitur contra Conclusionem Authoritas S. Scripturæ Psal. 31. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Et alibi: *Beati, quorum tecta sunt peccata*: Ergò neque per Baptismum, neque per Pœnitentiam peccata delentur, sed tantùm teguntur, vel non imputantur. Respondeo, peccata nostra dici tegi, non imputari ideò, quia penitus per gratiam & misericordiam DEI in nobis delentur. V. *Quo sensu dicantur peccata tegi.*

Arguitur Primò ex Ratione, remanet in nobis post Baptismum concupiscentia, & fomes peccati, prout experientia in nobis docet, sed talis vocatur ab Apostolo ad Rom. 7. Peccatum: ergò Baptismus non delet omnem culpam in suscipiente. Respondeo, Concupiscentiam vocari ab Apostolo peccatum, vel quia est effectus peccati originalis, vel quia plerumque est occasio peccati actualis, non autem quòd in se ipsa sit peccatum actuale, vel originale, sicut per similem figuram Christus ipse dicitur peccatorem pro nobis factum, scilicet Hostia pro peccato. VI. *Concupiscentia quo sensu vocetur peccatum.*

Instatur, ad minus Concupiscentia est pœna peccati originalis, sed hanc non tollit Baptismus, ergò non delet omnem culpam, & pœnam. Respondeo, nos tantùm in Conclusione dixisse Baptismum tollere omnem pœnam, sive temporalem, sive æternam alterius vitæ, quæ scilicet

VII. Concupiscentia cur relinquatur in baptizatis.

post mortem, vel in Purgatorio, vel in inferno debebatur peccatis. Deindè secundùm Augustinum & PP. communiter concupiscentia relinquitur in baptizatis non in pœnam propriè dictam peccati, sed ad agonem, & occasionem merendi, ut loquitur Tridentinum Sess. 5. Can. 5. ut scilicet habeamus, contra quid legitimè & meritoriè certemus in stadio hujus vitæ.

VIII. Baptismus ex opere operato cōfert æqualem gratiam omnibus parvulis.

Dico Secundò: *Baptismus quantùm est ex virtute Sacramenti, & ex opere operato, confert semper æqualem gratiam parvulis omnibus ad eum accedentibus, licèt ex fide, devotione, aut merito Parentum, aut Ministri contingat quandoque majorem gratiam uni, quàm alteri conferri.* Est quoad utramque partem communis sententia Theologorum; & ratio primæ partis est, quòd Baptismus sit commune & generale remedium æqualiter institutum ad salutem omnium parvulorum, adeóque æqualiter operabitur suum effectum in omnibus æqualiter dispositis, cujusmodi sunt parvuli omnes, utpote, qui propter defectum rationis non possunt se ad gratiam disponere.

IX. Quandoq; ex fide & merito parentum aut Ministrorum confertur major gratia uni, quàm alteri.

Dixi in Conclusione, *quantùm ex virtute Sacramenti*, quia, ut in secunda parte Conclusionis dicitur, potest quandoque contingere, ut ex opere operantis, & ex fide, vel devotione Parentum, aut Ministrorum conferatur major gratia uni parvulo, quàm alteri, quomodo inquit Scotus, Parentes S. Nicolai meruerunt fortè ipsi adhuc parvulo tantam gratiam, quæ erat in ipso principium tàm mirabilis effectûs, ut duobus diebus in septimana unicâ tantùm lactatione fuerit contentus.

Arguitur in Contrarium Gratia Baptismi datur infantibus in ordine ad salutem æternam animæ ipsorum, ergo congruum est, ut qui sunt præordinati à DEO ad vitam æternam, ut sunt prædestinati omnes, recipiant majorem gratiam, quàm qui non sunt sic prædestinati.

X. Prædestinatis de facto vi Sacramenti, non confertur major gratia.

Respondeo cum Scoto, potuisse quidem DEUM, si voluisset majorem gratiam conferre præordinatis sic ad vitam æternam, quàm aliis, sed de facto ordinâsse certam & æqualem gratiam æqualiter dispositis virtute Sacramenti conferre; quòd si inquit Scotus uni de facto conferat majorem gratiam, quàm alteri, illud augmentum non confertur virtute Sacramenti, sed ex singulari DEI benevolentiâ.

Arguitur contra secundam Partem Conclusionis: Effectus Baptismi est independens ab omni merito Parentum, sicut & à bonitate, vel malitia Ministri, cum non ex opere operantis, sed ex opere operato ipsi conveniat, ergò ex nullo merito, vel devotione ipsorum contingit unum parvulum per Baptismum recipere majorem gratiam, quàm alium.

XI. Objectio solvitur.

Respondeo, distinguendo consequens, non contingit unum recipere majorem gratiam, quàm alium ex virtute Sacramenti, aut opere operato, concedo consequentiam, ex opere operantis, & ex merito Parentum, vel Ministri, nego consequentiam.

Instatur. Quidquid confertur parvulis in Baptismo, confertur virtute Sacramenti, & ex opere operato independenter ab omni merito vel Ministri, vel Parentum, unde Apostolus 1. Corinth. 1. meritò reprehendit eos, qui gloriabantur, se ab hoc vel illo fuisse baptizatos, quasi baptismus haberet suam virtutem ex bonitate vel malitia Ministri: Ergò solutio nulla.

XII. Et Instantiæ respondetur.

Respondeo, Negando absolutè antecedens: habet quidem Baptismus ex virtute propria, sicut & reliqua Sacramenta, certam gratiam, quam æqualiter confert omnibus sive parvulis, sive adultis æqualiter dispositis, sed ultra hanc potest augeri ex merito, vel devotione Parentum, vel Ministri, unde monet hic Scotus, longè meliùs esse infantem â bono, quàm â malo Ministro baptizari.

XIII. Cur Apostolus reprehendat dicentes: Ego sum Pauli &c.

Ad illud Apostoli dico, Causam reprehensionis ipsius fuisse, quòd Corinthii non tribuebant virtutem Baptismi DEO aut Christo, sed illis, â quibus ipsi baptizabantur, dicentes

tes proindè : *Ego ſum Pauli, Ego Apollinis, Ego Cephæ.* Sed quaſi Baptiſmus eſſet ipſorum, & non Chriſti, unde meritò ab Apoſtolo reprehenduntur.

XIV. Adulti æqualiter diſpoſiti æqualem, inæqualiter inæqualem gratiam recipiunt in Baptiſmo.

Dico Tertiò : *Adulti accedentes ad Baptiſmum, ſi ſint æqualiter diſpoſiti, æqualem recipiunt gratiam, ſi verò inæqualiter, inæqualem.* Eſt etiam comunis, & Scoti in 4. d. 4. q. 7. n. 5.

Probatur Concluſio ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. ubi definitur in Juſtificatione impii gratiam infundi, ſecundùm cujuſque propriam diſpoſitionem : *Juſtitiam*, inquit, *in nobis recipientes unuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quàm Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem* : Ergo, ſi adulti accedentes ad Baptiſmum, ſint æqualiter diſpoſiti, æqualem recipient gratiam, & ſi inæqualiter, inæqualem.

Arguitur contra hanc Concluſionem : Effectus Baptiſmi non magis dependet à bonitate, vel malitia ſuſcipientis, quàm miniſtrantis, ſed non obſtante bonitate, vel malitiâ Miniſtri æqualiter confert ſuum effectum, ſive Miniſter ſit bonus vel malus. Ergò ſive ſuſcipiens ſit bonus vel malus, æqualiter vel inæqualiter diſpoſitus, æqualiter recipiet ejus effectum. Reſpond. Negando majorem : Quia certum eſt adultum accedentem ad Baptiſmum in ſtatu peccati mortalis non recipere pro tunc effectum gratiæ, quem tamen benè diſpoſitus recepiſſet, non obſtante peccato Miniſtri, fateor quidem majus iſtud augmentum gratiæ in meliùs diſpoſitio, non provenire ex virtute Sacramenti præcisè, aut ex opere operato, ſed ex merito ſuſcipientis, & ex virtute operis operantis, propter quam etjam rationem adulti communiter in Baptiſmo recipiunt majorem gratiam parvulis : quia ad eum per proprios actus ſe diſponunt, quorum in hoc meritis aliquod augmentum gratiæ de congruo ad minùs debetur.

XV. Gratia magis dependet à bonitate ſuſcipientis quàm miniſtrantis Baptiſmû.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum Baptiſmus poſſit reiterari, & quæ pœna reiterantium ipſum?

DUpliciter poteſt intelligi Baptiſmum reiterari, vel ſcilicet abſolutè, vel ſub conditiône, & quidem loquendo de hoc ultimo certum eſt, Baptiſmum poſſe, & debere repeti ſub conditione, quoties poſt diligentem inquiſitionem dubitatur, utrum infans fuerit ullo modo baptizatus, vel ſi fuit rationabiliter tamen dubitatur de valore Baptiſmi ; loquendo verò de primo, poteſt adhuc habere duplicem ſenſum. Primò, an Baptiſmus, qui ſupponitur ritè, & validè ſemel collatus poſſit denuò repeti, in quo infert Epiphanius Hær. 42. Marcioniſtas olim tertiò vel quartò reiteraſſe Baptiſmum etiam in adultis, non ſolùm in remedium peccati originalis, ſed etiam actualis, alius ſenſus eſt, utrum Baptiſmus ab Hæretico, Schiſmatico, aut notorio peccatore ſit denuò repetendus ? Affirmabant olim pertinaciſſimè Donatiſtæ, teſtè Auguſtino, lib. de Hæreſibus. cap. 69. qui proindè baptizatos à Catholicis denuò baptizabant, exiſtimantes, Baptiſmum Catholicorum non eſſe validum. Idem ante illos quoad baptizatos ab Hæreticis, docuit S. Martyr Cyprianus, & contra Stephanum Papam multis annis defendit, antequam res eſſet adhuc ab Eccleſia definita.

I. Baptiſmus quando poſſit ſub conditione reiterari.

II. Marcioniſtæ & Donatiſtæ reiterabant Baptiſmû.

Dico : *Baptiſmus ſemel, & ritè collatus, ſivè ab Hæretico, Pagano, vel Schiſmatico, ſive à bono vel malo Catholico non poteſt licitè aut validè reiterari, aut denuò repeti.* Eſt communiſſima Sententia Catholicorum omnium, & de fide definita in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. in Decreto fidei, & longè ante in Concilio Carthaginenſi I. Can. 1. ubi Patres Concilii definiverunt, rebaptizationes eſſe illicitas, & à Fide Chriſti alienas, quod etiam in ipſo Concilio Apoſtolorum Can. 47. traditur

III. Baptiſmus ritè collatus ſivè ab Hæretico, Paganô, vel Schiſmatico, ſivè à bono vel malo Catholico nequit licitè aut validè reiterari.

his verbis: *Episcopus aut Presbyter, si eum, qui secundùm veritatem habuerit Baptismum, denuò baptizaverit, deponatur*; ac novissimè in Concilio Tridentino Sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 9. *Si quis*, inquit, *dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde reiterari non possunt, anathema sit*. Et de Baptismo Can. 11. *Si quis dixerit verum, & ritè collatum Baptismum iterandum esse, anathema sit*, &c. Ex quibus probatur sic breviter Conclusio contra Donatistas, de Fide est ex Conciliis jam citatis Baptismum ritè semel, & validè collatum non esse denuò repetendum, sed de fide pariter est, Baptismum collatum ab Hæretico, Pagano, vel Schismatico esse verum, & validum, modò adhibeat debitam materiam & formam, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Et quoad Hæreticos in terminis definit Tridentinum Sess. 7. Can. 4. de Baptismo: Ergò de Fide est Baptismum ab eis collatum, non esse denuò repetendum.

Nec est, inquit Scotus, alia ratio à priori, quare Baptismus non possit reiterari, nisi Voluntas DEI sic volentis, & instituentis, cujus in hoc beneplacitum per Ecclesiæ, & Conciliorum Definitiones nobis satis innotescit. Congruentiæ nihilominus Scoti optimæ sunt:

IV. Congruentia Scoti ad idem.

Primò: Ex morbo, contra quem fit Baptismus principaliter, videlicet peccato originali, quod sicut non redit, sic non congruit reiterari Baptismum. *Secundò*: Quia in Baptismo datur plena remissio omnis culpæ, & pœnæ, ac proindè si frequenter reiteraretur, esset multis occasio relabendi propter spem totalis remissionis. *Tertiò*: Baptismus est principium & janua, per quam intratur in Religionem Christianam, & adscribitur homo familiæ Christi, ejusque corporis membrum constituitur, sed nemo, inquit Scotus, adscribitur bis eidem familiæ, aut Corporis Christi mystici membrum bis constituitur: quia licet per peccatum, aut hæresim rescindatur quodammodò homo à corpore Ecclesiæ, ejusque membrum mortuum constituatur, ac per hoc possit denuò Christo, & Ecclesiæ reconciliari per Pœnitentiam, non dicetur tamen de novo incorporari, aut ejus familiæ adscribi. *Quartò* denique, quia Baptismus est spiritualis quædam generatio animæ correspondens naturali generationi in carnalibus; ergò sicut nullus potest denuò carnaliter generari, ita nec spiritualiter denuò regenerari.

V. Irreiterabilitas Baptismi non evincitur ex charactere.

Nec valet, inquit Scotus, quòd hic adducunt alii, rationem hujus irreiterabilitatis in Baptismo esse Characterem baptismalem, qui in ipso imprimitur, estque signum quoddam indelebile denotans Baptismum non posse reiterari: quia, inquit, hoc est probare manifestiùs per minùs manifestum, sistendo enim in ratione naturali minus manifestum est talem Characterem imprimi per Baptismum, vel si imprimatur esse signum indelebile, quàm ipsum Baptismum non esse reiterandum, vel si recurratur ad ea, quæ sunt explicitè de fide definita, sæpiùs & longè citiùs definitum est, Baptismum non esse reiterandum, quàm vel Characterem imprimere, vel hunc esse signum indelebile.

Opponitur Primò Authoritas D. Cypriani, dicentis: *Non potest in Christo baptizari, qui Patrem Christi blasphemat, nec potest habere DEUM Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem*; sed qui ab Hæreticis scienter baptizantur, blasphemant Patrem Christi, nec Ecclesiam habent Matrem: Ergò non sunt verè baptizati, quod ulterius confirmatur ex Scriptura Ecclesiastici 34. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ipsius*, sed Hæretici sunt verè mortui spiritualiter, ergò eorum Baptismus nil prodest. Respond. Baptizatos ab Hæreticis incorporari hoc ipso Christo, esseque corporis ipsius membra sivè viva, quando accedunt

VI. Ad S. Cyprianum respondetur.

cum

ritè dispositi, sive mortua, quando accedunt cum conscientia peccati mortalis, donec per pœnitentiam resipiscant, unde in forma nego minorem, & consequentiam. Nec refert, quòd suscipiens Baptismum ab Hæretico non agnoscat, fortassis Ecclesiam Catholicam pro Matre, aut vera Ecclesia, quia nec ministrantis, nec suscipientis error in hoc officit virtuti Baptismi, aut ejus valorem impedit, adeóque non obstante errore Ministri vel suscipientis verè secundò incorporatur homo Christo, ejusque mystici corporis vivum membrum constituitur.

Ad Confirmationem respondetur, sensum illius loci esse, quòd qui baptizatur in nomine Deorum mortuorum, sicut in Idolorum templis fiebat, nil ipsi proficiat talis Baptismus, nunc autem licèt Hæretici baptizantes sint spiritualiter mortui, Christus tamen, in cujus Nomine confertur Baptismus, vivit, nec mors illi ultrà dominabitur, sivè enim Joannes baptizet, sivè Paulus, Hæreticus, vel Catholicus, hic est, qui baptizat, &c.

VII. Baptizati ab Hæreticis non sunt extra Ecclesiam.

Instatur: Extra Ecclesiam nemò potest salvari, unde comparatur in S. Scriptura Arcæ Noë, extra quam tempore diluvii nemo fuit salvatus, sed qui baptizantur ab Hæreticis, sunt extrà Ecclesiam, ergò per talem Baptismum non possunt salvari, adeóque non erit verus Baptismus. Respond. Negando minorem: Quia tales, sicut dictum est, constituuntur viva membra Christi, & Ecclesiæ, si ritè accedant ad Baptismum, adeóq; si in tali statu moriantur, salvabuntur sivè parvuli sint, sivè adulti, cùm Baptismus sit janua, per quam in ovile Christi intratur; si verò supervivant, & postmodùm ex sua malitia discedant pertinaciter Ecclesiæ peribunt, non propter defectum Baptismi, sed propter peccatum infidelitatis, vel alia post Baptismum commissa.

Urgetur: Si aliquis extra Ecclesiam subiret Martyrium, puta Joannes Hus, qui ad defendendum suum errorem de Communione sub utrâque specie velut erroneè putavit ipse pro Christo, & defensione Evangelii passus est in Concilio Constantiensi se comburi, nihil ipsi prodesset, ergò qui extrà Ecclesiam acciperet scienter Baptismum ab Hæreticis, credens simul Ecclesiam illam, puta Lutheranam, vel Calvinicam esse veram in terris Christi Ecclesiam, nihil ipsi ad salutem prodesset. Respond. Concedendo antecedens, negando consequentiam, loquendo de valore Baptismi: Quia talis passio & mors nullo modo est Martyrium pro Christo, cùm sit potiùs in defensionem erroris, quàm veritatis, nec refert, quòd ille putaverit esse in defensionem veritatis, quia hoc erroneè pertinaciter, & sine fundamento putavit, cùm Ecclesia, quæ sola est interpres Scripturarum, contrarium docuerit, & ipsi sæpiùs inculcavit. In Baptismo autem ab Hæretico collato, si suscipiens sit infans, sicut plerumque solet esse, fit verè membrum Christi, & Ecclesiæ, nec extrà, sed intra Ecclesiam constituitur. Si verò suscipiens sit adultus, & in ipsa susceptione Baptismi credat pertinaciter Ecclesiam Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam, & Catholicam falsam, validè quidem baptizatur, & Characterem Baptismalem accipit, quia ejus error in hoc non invalidat Baptismum, sed non accipit pro tunc gratiam, propter obicem, quem per suum actum posuit; nisi fortè ex invincibili quadam ignorantia id putaverit.

VIII. Instantiæ satisfit.

Arguitur Secundò pro eodem: Si Baptismus ab Hæretico collatus esset validus, turpiter erraret S. Cyprianus, tenendo firmiter, & in Concilio Episcoporum totiùs Affricæ definiendo contrarium contra prohibitionem Stephani, Papæ, severè in eos animadvertentis, sed hoc videtur contra honorem tanti Sancti, quem Ecclesia pro Martyre colit, ergò. Respond. Tempore Cypriani nondum fuisse de fide definitum ab Ecclesia, Baptismum ab Hæretico collatum esse validum, non reiterandum, neque Stephanum id, tanquam

IX. Tempore S. Cypriani nondum fuit definitum Baptismum ab

Hæreticis collatum esse validū & non reiterandum.

quam articulum fidei definivisse, adeóque liberum fuisse Cypriano citrà omnem pertinaciam abundare in suo sensu, salvâ semper veritate, charitate, & debitâ subjectione ad Ecclesiæ determinationem, quando rem de fide definiret.

Instatur: Evcharistia, quæ est Sacramentum longè excellentiùs quàm Baptismus iteratur sæpiùs, ergò & Baptismus poterit reiterari. Respond. Negando consequentiam; Quia non propter ullam excellentiam dicitur Baptismus irreiterabilis, sed propter authoritates & rationes suprà dictas, quæ non currunt in Evcharistia. Adde neque in ipsa Evcharistia Consecrationem Sacramentalem bis repeti suprà eandem materiam, aliàs secundâ vice nihil fieret.

X. Ad Concilium Nicænum Objectum respondetur.

Arguitur Tertiò: In Concilio Nicæno cap. 9. statutum est, ut si quis ex Pauleanistis Hæreticis, vel Cataphrygis confugerit ad Ecclesiam Catholicam, debeat denuò baptizari, ergò censuit Concilium, quòd baptizati ab Hæreticis, & in Ecclesiam intrantes, debeant rebaptizari. Respond. Quòd ritè baptizati ab Hæreticis, hoc est: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, nunquam sint denuò rebaptizandi, ùt habetur de Consecratione distinct. 4. per plura capita. Pauleanistæ autem & Cataphrygæ non baptizabant in nomine Trinitatis, utpote agnoscentes Filium aut Spiritum S. esse verum DEUM, undè meritò ab Ecclesia ad eam venientes denuò baptizabantur, sed non iterato Baptismo: quia prior non erat verus Baptismus.

XI. Donatistarum Objectio solvitur.

Arguitur Quartò pro Donatistis: Extra Ecclesiam non potest fieri remissio peccatorum, sed Baptismus ritè collatus confert remissionem peccatorum, ergò non potest ab ullis, qui sunt extra Ecclesiam, ritè conferri: ergò ulteriùs baptizati â talibus debent denuò rebaptizari. Respond. Distinguendo majorem: Non potest extra Ecclesiam fieri remissio peccatorum in foro pœnitentiali, aut per modum Judicis ferentis Sententiam, concedo majorem; extrà forum judiciale, ùt fit in Baptismo, nego majorem; & eodem modo distinguo minorem, & nego consequentiam. Licèt enim in Baptismo, â quocunque conferatur, accipiat homo ritè dispositus gratiam & remissionem peccatorum, hoc tamen non fit in foro judiciali, aut per modum judicis, sicut fit in Sacramento Pœnitentiæ, sed virtute solius Sacramenti ritè exhibiti & suscepti.

XII. Et Instantia.

Instant Donatistæ: Si Baptismum nostris acceptatis, quos putatis esse Schismaticos, quid minus habemus, ut nobis de nostra Communione consulendum putetis. Respondemus, inquit Augustinus: Nos Baptismum vestrum non acceptamus, sed Baptismum Christi & Ecclesiæ: quia Baptismus ille non est Hæreticorum vel Schismaticorum, sed Christi & Ecclesiæ, ubicunque fuerit inventus.

XIII. Cur baptizati â Joanne fuerint rebaptizati, & baptizati ab Hæreticis non rebaptizentur.

Arguitur Quintò: Baptizati â Joanne fuerunt iterum baptizati ab Apostolo, Actor. 19. ergò multò magis debent rebaptizari illi, qui ab Hæreticis, Paganis, & Peccatoribus baptizantur. Respond. Negando consequentiam: Quia Baptismus Joannis non conferebat ex opere operato gratiam, nec remittebat peccatum, adeóque necesse erat, eos denuò baptizari Baptismo Christi, in quo omnis culpa, & pœna remittitur, â quocunque demum conferatur, unde Augustinus in cap. 1. Joannis: Ecce, inquit, post Joannem baptizatū est, post homicidam, (qui scilicet baptizat Baptismo Christi) non est baptizatum, quia Joannes dedit Baptismum suum, homicida dedit Baptismum Christi, quod Sacramentum tantùm est, ut nec homicida ministrante polluatur.

XIV. Quæ pœnæ reiterantium Baptismum.

Cœterùm, quantùm ad pœnam reiterantium Baptismum certum est. Primò: Secundùm omnes Theologos, tàm ministrantem, quàm suscipientem denuò, & scienter Baptismum,

mum, quem constat fuisse antecedenter ritè collatum, peccare mortaliter peccato Sacrilegii. Secundò: Jure Civili L. 2. C. nè sanctum Baptisma iteretur, statuta est ab Imperatoribus pœna capitis, pro reiterantibus Baptismum. Tertiò deniq; Jure Pontificio & Canonico fiunt irregulares cum hac tamen differentia, quod si publicè & solenniter id fiat, incurrant irregularitatem summo Pontifici reservatam, si verò occultè, possunt ab Episcopis maximè post Tridentinum Sess. 24. C. 6. absolvi, sed difficultas est, quænam ignorantia excuset, nè quis talem irregularitatem incurrat.

XV. Quid ignorantia Juris & Facti. Pro quo sciendum est, aliam esse Ignorantiam Juris, aliam Facti, Ignorantia Juris est, cùm quis ignorat Jura aut Leges statuentes pœnam irregularitatis, aut excommunicationis contra percutientem Clericum, v. g. aut reiterantem Baptismum, licèt benè sciat prohibitum esse percutere Clericum, aut reiterare Baptismum. Ignorantia autem Facti est, cùm quis ignorat eum, qui percutit, esse Clericum, & in proposito, cùm quis factâ diligenti inquisitione ignorat hunc esse baptizatum, & quidem loquendo de Ignorantia Facti:

XVI. Ignorantia Facti excusat ab Irregularitate. Scotus cum communi docet, eam excusare tàm ministrantem quàm suscipientem ab irregularitate. Quantùm verò ad Ignorantiã Juris, Scotus in hoc pauló scrupulosior, quàm Theologi hujus temporis, docet eam non excusare ab incurrenda Irregularitate, & hoc modo, inquit, percutiens Clericum, cùm faciat contra Præceptum divinum de Charitate fraterna, etsi nesciret de Excommunicatione lata à Canone super tali facto, incurreret eam, idem dicit de injustè occidente hominem, reiterante Baptismum, &c. etiamsi nesciat Irregularitatem esse talibus annexam: Communis nihilominus opinio & praxis Theologorum hujus temporis contrarium docet, ùt notat Cavellus in Scholio super illum locum Scoti, videlicet Ignorantiam invincibilem, & inculpabilem Juris excusare à pœna Excommunicationis & Irregularitatis, non minùs quàm Ignorantiam Facti, ita inter reliquos docet Navarrus, Sanchez lib. 9. disp. 32. & lib. 2. in Decalogum c. 8. num. 5. Covarruvias, Suaretz, & alii. Unde secundùm communiorem jam Sententiam, qui percuteret Clericum, sciens quidem esse Clericum, sed inculpabiliter ignorans pœnam Excommunicationis esse tali facto annexam, non incurreret eam, neque reiterans Baptismum fieret irregularis, si inculpabiliter ignoret illam pœnam esse tali factò annexam. XVII. Ac etiam Ignorantiam Juris.

DISPUTATIO SECUNDA,

DE

Materia, Forma, & Ministro Baptismi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Materia Baptismi.

IN omni Sacramento, quod consistit in usu seu fieri, duplex reperitur materia, remota scilicet & proxima. De utraque Sacramenti Baptismi hic agemus, de materia remota non pauci fuere Hæreticorum errores; præcipui tamen sunt in duplici differentia: Flagellantes scilicet & Jacobitæ, hi Ignem, illi Sanguinem materiam Baptismi dicebant, unde Flagellantes flagellis sanguinem eliciebant, & se baptizabant, citantes pro se textum Joannis 1. v. 5. *Hic est, qui venit per Aquam & Sanguinem JESUS CHRISTUS,* non

I. Error Flagellantium & Jacobitarum circa materiam Baptismi refertur & rejicitur.

non in aqua solùm, sed in Aqua & Sanguine, qui tamen non patrocinatur ipsis, nam CHRISTUS venit in, seu cum Aqua & Sanguine, qui de latere pendentis fluxerunt, quo mundum redemit. Jacobitæ docebant, materiam Baptismi esse Ignem, unde ferro candenti imprimebant signum crucis in frontibus vel genis baptizandorum, citantes pro se illud Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in Aqua in Pœnitentiam, ipse* (scilicet Christus) *baptizabit vos in Spiritu & Igne*; qui tamen nec ipsis favet, nam ibi solùm exaggeratur efficacia gratiæ, quæ per Spiritum Sanctum & Ignem significatur, quia efficaciâ suâ instar ignis consumit peccata, illuminat tenebras, amore charitatis, & sursum rapit. Unde Christus Lucæ 12. *Veni ignem mittere*: secundùm Hieron. alluditur in illo textu ad visibilem Spiritûs Sancti missionem in Pentecoste in linguis igneis, sed ne longior sim, contra hæc & similia deliramenta.

II. Materia remota Baptismi est aqua vera, pura, & naturalis.

Dico Primò: *Materia remota Baptismi est aqua, vera, pura, & naturalis.* Ita definit Florent. Decret. de Armen. Trident. Sess. 7. Can. 2. de Baptismo. Patet etiam ex verbis Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. quæ intelligenda esse de aqua naturali convincit verborum proprietas, perpetua Ecclesiæ traditio, & constans PP. doctrina. Idem manifestè confirmatur ex Act. 8. 10. ad Eph. 5. & 1. Corinth. 10. Baptismus comparatur mari rubro, & 1. Petr. 3. Aquis diluvii.

III. Quæ aquæ excludantur per ly *pura*.

Requiritur autem quòd aqua debeat esse *pura*, per quam particulam excluditur tàm mixtio notabilis per juxtapositionem, quàm illa, quæ fit per alterationem; dixi, *mixtio notabilis per juxtapositionem*, quia si fiat parva, v. g. si modica farina immisceatur, non cessat esse materia apta, sicut nec est materia inepta lutosa, dumodò fluida maneat, nam etiamnum ex Ecclesiæ usu & præcepto talis mixtio admittitur, dum Chrisma infunditur aquæ. Si verò fieret talis juxtapositio farinæ, ut potiùs massa diceretur, non ampliùs maneret aqua pura sufficiens ad Baptismum. Excluditur etiam mixtio per alterationem, ea præcipuè, quæ speciem mutat, ut v. g. dum aqua bibitur, quæ per digestionem humorum vertitur in lacrymam, sudorem, urinam, salivam, &c. hæc etenim nullo modo sunt materia sufficiens. Si verò non constet, an sit mutata species, poterit adhuc adhiberi ad minùs tanquam dubia, maximè tempore necessitatis, & sub conditione, ut v. g. in jusculo carnium non adeò decoctarum.

IV. Quæ aquæ excludantur per ly *naturalis*.

Requiritur Secundò: Quòd materia remota sit aqua *naturalis*, seu elementaris, sivè maris & fluminis, sivè stagni, paludis, & imbrium, per quam excluduntur omnes aquæ artificiales, quæ ordinariè cum aliquo addito dicuntur tales, ùt aqua rosacea, aqua cynammomi, item mulsum, cerevisia, jscula pinguia, &c. Per ly *naturalis* excluduntur aquæ defluentes ex vitibus, betulis, aliisque lignis, aqua resoluta ex sale. Hæ enim omnes aquæ licèt in aliquibus accidentibus conveniant, in aliis autem differunt, & consequenter sunt alterius speciei. Quia enim aliqua Entia habent aliquam qualitatem â tota alia specie dissimilem, etiam ipsa specie differunt, hinc in Physica etiam dixi, etiam qualitates elementorum & mixtorum symbola specie differre, sed aquæ superiùs recensitæ habent qualitates omninò dissimiles, nam aquæ vitis, & betulæ medicinales sunt, jusculum, cerevisia, mulsum inebriant, & diversos sapores, & odores requirunt, non minùs quàm aqua rosacea, imò magis, quæ tamen est materia insufficiens: ergò. Hinc ad summum propter oppositam AA. sententiam dico, aquas defluentes ex vitibus, sale, betulis, jusculo malè decocto esse materias dubias. Humores ex lignis defluentes sunt verè mixta, habentque se sicut phlegmata in corpore humano, vel sicut alimenta. Aqua salis, licèt Sal ex aqua salsa densetur, est alius humor, nam etiam Saccharum, mel, succo terra mixto gignitur,

tur, & tamen non est liquor sufficiens ad abluendum. Aquam verò ex pariete, marmore defluentem, ex vapore collectam, naturalem dico esse. Sed

V. Aqua, quæ fluxit de latere Christi, non fuit phlegma. Dices: Baptismus est figuratus per aquam, quæ fluxit ex latere Christi, sed hæc fuit phlegma, ergò. Respond. Negando minorem: Quia qui testimonium perhibet, & testimonium verum est, dixit: quòd continuò exivit Sanguis & Aqua, Joan. 19. undecunque fuerit aqua adducta. Et posito, quòd fuisset phlegma, negatur consequentia, quia Christus instituit aquam naturalem.

Dico Secundò: *Materia proxima Baptismi est ablutio tàm activa, quàm passiva, in hac tamen principalius consistit.* Ante probationem

VI. Ablutio describitur. nota ablutionem describi; motio aquæ liquidæ circa corpus, quæ per se ordinatur ad abluendas sordes: dico per se ordinatur, quippè ut benè notat Scotus in 4. d. 3. q. 3. n. 2. Non oportet quòd sit ablutio, prout distinguitur à lotione, & includit amotionem sordium per contactum aquæ, sed sufficit lotio in communi dicta corporis ab alio hanc agente.

VII. Materia proxima Baptismi est ablutio tàm activa, quàm passiva. Jam probatur Conclusio: Illa est materia proxima, quæ per se determinatur à forma (seu ùt Scotus supra loquitur) quæ cum verbis tanquam signum proximum significat effectum Baptismi, sed hoc fit in ablutione tàm activa, quàm passiva, ergò. Probatur minor ex ipsa forma: Ego te baptizo, quibus verbis non tantùm exprimitur ablutio activa, sed etiam passiva, prima quidem per ly *Baptizo*, secunda per ly *Te*; quòd significat suscipientem ablutionem, nisi enim aqua contingat baptizandum, falsò dicitur: Ego te baptizo seu lavo. Notandum tamen ablutionem debere esse successivum contactum, aqua siquidem in vase existens non dicitur illud abluere per solum contactum.

VIII. Ablutio tàm ex parte corporis, quàm aquæ debet esse notabilis regulariter. Dico Tertiò: *Ablutio tàm ex parte corporis, quàm aquæ regulariter debet esse notabilis.* Ita Doctor in 4. d. 4. q. 3. n. 3. & seq. ubi dicit: *Si infans in utero matris existens periclitetur, & caput exponat, baptizandus est, & si vivus genitus fuerit, non est necesse rebaptizare ipsum, si verè tantùm manum, digitum, auriculam exposuit, baptizari quoque potest, quia etiam ibi est tota anima, si tamen supervixerit, rebaptizari debet sub conditione ùt habetur ℣. de Baptismo & ejus Effectu, cap. De quibus,* ergò, ablutio debet esse notabilis ex parte corporis. Probatur consequentia: Quia si non deberet esse notabilis, Baptismus collatus in ablutione digiti vel auriculæ esset validus, validus autem absolutè non est reiterabilis, ergò talis certò non erat validus, sed perplexitati subjectus: ergò cùm Sacramentum hoc certum esse debeat propter maximam ejus necessitatem, notabilis debet esse ablutio ex parte corporis.

Ratio autem, quare sufficiat abluere in capite, & non in manu, est; quia in ipso vigent omnes sensus; sed non solùm caput putandum est membrum notabile, nam si infans esset infirmus vel debilis, sufficeret abluere humeros, pectus, &c. Deinde debet etiam esse ablutio in aqua notabilis. Probatur: Quia debet esse talis, ut in judicio prudentum censeatur infans ablutus, lotus, tinctus aquâ, qualiter in communi opinione non censetur, si solùm aspergatur in vestibus, capillis, pedibus, digitis, manibus, barba, vel etiam in minima parte corporis, ùt volunt Vasquetz. Dixi *regulariter*, quia Innoc. IV. docet parvulum in necessitate baptizandum etiam in digito, ita tamen ut iteretur postmodum, sicut etiam dixit Clemens VIII. Episcopo Patavino iterandum Baptismum datum in brachio, &c. IX. Cur sufficiat abluere in capite, & non in manu, X. Non sufficit aspergere in vestibus, capillis, digitis, &c.

Dices: Anima est etiam in qualibet parte minima, ergò qualibet parte madefacta homo censetur lotus, sicut homo in minima parte tactus, vel vulneratus, verè dicitur vulneratus: ergò. Sed Respond. Animam quidem ibi esse, non esse tamen in tali parte, ratione cujus possit totum denominari corpus, XI. Instantiæ respondetur.

cùm partes sint minus principales, & quasi partium partes, quod autem parum est in moralibus pro nihilo reputatur; quod â pari ostendo, si enim Subjectum Baptismi esset determinatus homo albus, verè non sufficeret quæcunque albedo in dentibus, vel oculis, sed talis, quæ eum album determinare posset, sic non sufficit quæcunque aspersio, sed ea, quâ posset dici ablutus. Unde dico etiam impropriè, hominem dici vulneratum, qui in minimâ parte læsus, aut aciculâ punctus.

XII. Ablutio potest fieri vel per infusionem, vel per immersioné, vel per aspersionem.

Dico Quartò: *Ablutio potest fieri vel per infusionem, vel per immersionem, vel per aspersionem.* Ita Rituale Rom. titulo de Sacramento Baptismi §. de Forma, ubi dicit: *Baptismus licèt fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ut trinâ ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur.* Ratio est, quia omnes tres modi sunt sufficientes, ut homo dicatur ablutus, & de primo & secundo modo non est difficultas. De tertio confirmatur, quia Act. 2. dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia*, quod Scotus considerans ait supra n. 3. Non est verisimile, quod quilibet quantùm ad totum corpus suum lavaretur aqua, sed præcisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantùm ad caput perfundendo. Et hic modus servari potest ex triplici capite, vel ex debilitate Ministri, aut baptizandi, vel ex paucitate aquæ, vel multitudine baptizandorum. Sed

Dices: Sola immersio videtur sufficere, quia Baptismus est figura mortis Christi & sepulturæ, ex illo Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem*, sed per immersionem solam videtur magis homo consepeliri, ergò videtur illa sufficere. Respond. Negando antecedens: Quia in omnibus modis repræsentatur consepultura cum Christo, licèt fortè expressiùs in immersione secundùm materialem apparentiam, quia secundùm formalem, nempe quoad remissionem peccatorum sepelitur vetus homo, & per gratiam sanctificantem novus exurgit, *& quomodo Christus* (utor verbis Apostoli supra) *surrexit â mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ex quo textu probabiliter sequitur, si valet quid figura, immersionem debere sequi emersionem.

XIII. Omnibus modis repræsentatur consepultura cum Christo.

XIV. Ablutio potest esse una, vel terna juxta Ecclesiæ consuetudinem.

Dico Quintò: *Ablutio potest esse una, vel terna secundùm Ecclesiæ consuetudinem.* Probatur: Quia ex Scriptura, Traditione, & PP. aliud non constat, quàm ablutionem per se requiri ad necessitatem Baptismi, sed tàm ab unâ quàm ternâ denominatur quis simpliciter ablutus, tinctus, & lotus, ergò. Hoc tamen notandum, qui contra Ecclesiæ suæ consuetudinem ageret, cessante rationabili causa graviter peccaret, sicut etiam si quis de factò pro immersione, & superinfusione uteretur aspersione, quia in materia gravi contravenisset gravi præcepto Ecclesiæ. Ita sentit D. Thomas apud Boscum.

Tandem resolvenda est difficultas: An immersio vel infusio talis esse debeat, ut semper consequatur emersio. Et quidem quòd sic videtur insinuari ex figurato suo, nam mors Christi ita facta est, ut eam consecuta sit resurrectio, & nos consepulti sumus per Baptismum in mortem, ùt quomodo Christus surrexit â mortuis, inquit D. Paulus, ita & nos in novitate Spiritûs ambulemus. Attamen Vasquetz, Suaretz, Coning, Valentia, Diana, & cœteri docent, ad valorem Baptismi non esse necessarium, ut immersionem subsequatur emersio, unde dicunt, valere Baptismum, si infans projiciatur in fluvium, puteum, &c. cum prolatione verborum, licèt subsequatur mors parvuli, & licèt taliter baptizans peccet.

Dico

XV. Ablutio per ſe occiſiva non eſt materia ſufficiens ad Baptiſmum.

Dico Sextò: *Ablutio per ſe occiſiva non eſt materia ſufficiens ad Sacramentum Baptiſmi.* Ita Doctor Subtilis & Scotiſtæ communiter contra Brancatum & Boſcum. Probatur Primò Authoritate Doctoris ſupra 4. d. 4. q. 3. n. 3. ubi ait: *ſed projectus de ponte, non* (ſupple baptizatur) *quia hoc non eſt ad vitam ordinatum, vel lotionem, ſed ad mortem.* Ex qua Authoritate deſumitur ratio: Quia ex modo & uſu comuni ad Baptiſmum requiritur moralis & uſualis ablutio, ſed hæc projectio non eſt talis, ergò. Major patet, probatur minor: Quia moralis & uſualis ablutio eſt, quæ fit ſalvâ rei ſubſtantia, ſed hæc non fieret, quia ex tali mors certiſſimè ſubſequeretur, ubi totum vivens deſinit & deſtruitur, & poſſet contingere, quòd infans citiùs ſubmerſus eſſet, quàm forma eſſet prolata: ergò.

Deinde: Omnia Sacramenta habent aliquam analogiam gratiæ, animæ ejusque vitæ, cùm vita & eſſe benè corporis, ùt patet de Evchariſtia, quâ anima fovetur ſicut corpus pane & vino, de extrema Unctione, Confirmatione, &c. ſed Sacramentum Baptiſmi eſt regenerationis, ergò debet habere aliquam analogiam ad veram generationem vitæ, ſed talis immerſio occiſiva nihil habet ſimile: ergò.

XVI. Alia Ratio ad idem.

Tertio: Videtur eſſe contra ſuavem DEI Providentiam, contra Religionis cultum, & Sacramentorum ſanctitatem & decentiam Miniſtri, quòd talis materia inſtituta ſit de ſe mala, peccaminoſa, cùm tamen ipſe Exodi 23. clamet: *Innocentem & juſtum non occides, quia averſor impium*, ſed hæc ablutio eſt directè ordinata ad occiſionem, & non ad vitam, nempe corporalem, cum qua tamen omnia Sacramenta debent eſſe compatibilia, utpote ordinata pro viatoribus: ergò talis projectio non eſt ſufficiens materia. Quæro etiam, quando effectus haberetur? Quia poſſet quis ſalvari, qui ſua vita non habuiſſet gratiam, ſi enim vitam finiret cum forma, talis nunquam ùt homo habuiſſet gratiam.

Quartò: Quia talis projectio nullo modo dici poteſt ablutio, nam eſt ſubmerſio, ſicut non dicitur lapis ablui, ſi in flumen demergitur, & ſi quis alium manibus & pedibus ligatis, ad aquam & flumen projiceret, dicendo, ſe eum tantùm abluere, ſanè talis ùt ineptus ab omnibus derideretur. Et poſito, quòd adhuc poſſet dici phyſicè ablui, non eſt tamen uſualis & moralis, & inſtituta ad hoc Saramentum, nam certè paſta cocta aqua ſpecie convenit cum pane, & tamen non eſt materia conſecrationis, &c. Et Sententia ac Proceſſus judicialis per ſcriptum in abſentem & nolentem fieri poteſt, non ſic tamen Sententia judicialis in foro Sacramenti: ergò. Sed in contra XVII. Item alia ratio.

Arguitur Primò: Poſſum occidere innocentes in turri impediente mihi victoriam exiſtentes, poſſum etiam fugere mortem mihi imminentem, cum certo periculo vitæ infantis intercurrentis, poteſt mulier ſumere medicinam ſanitati ſuæ congruam, licèt ſubſequatur abortus, ſi alioquin non ſuperſit ſpes vitæ, ſimiliter poſſim me projicere ex turri, ut evadam incendium, &c. ergò poſſum etiam abluere, immergere infantem ut ſalvetur in anima, licèt mors ſubſequatur certò certiùs. Probatur conſequentia: Quia hæc eſt tàm indirecta occiſio quàm illæ ſint, ſed illæ poſſunt fieri, ergò & iſta. Reſpond. Negando conſequentiam cum ſua probatione: Quia everſio turris eſſe poteſt abſquè eo, quòd ſint in ipſa innocentes, fuga abſque eo quòd interveniat infans; medicinam poteſt ſumere mulier abſque eo quòd ſit prægnans, & ſalus poteſt fieri abſq; eo quòd certa ſequatur mors: Projectio autem pueri in puteum connaturaliter eſſe nequit conſideratis omnibus extrinſecis circumſtantiis, ſinè occiſione pueri, unde qui eam vult neceſſariò & directè vult occiſionem pueri, ſecq eſſet; ſi hæc projectio eſſe poſſet ſinè occiſione, ſicut dico fieri poſſe Baptiſmum,

XVIII. Objectio à variis paritatibus deſumta ſolvitur.

mum, licèt sequatur mors per accidens, v. g. si mergenti caderet baptizandus ad fontem, ex quo baptizans eum non posset lavare, si ex aqua frigida vel fervente infans terrefieret ad mortem, aut ob aliquam indispositionem aliam moreretur, quia in his casibus simpliciter per accidens se haberet mors infantis. Similiter respondetur ad alios casus, si Chrisma, Oleum, Panis, inficiantur veneno, in quibus valida erat consecratio, valida inunctio & confirmatio, quia hic per accidens se habet ista occisio, & hæc est accidentalis variatio materiæ, illa verò substantialis, aut si hæc etiam tanta erit, ut substantia panis mutetur, non erit ullo modo Sacramentum, ùt probabile est fieri, sicut variatur panis usualis per decoctionem pinguedinis, vel lactis, aut butyri. Sed

XIX. Instantiæ respondetur. Dices: Baptismus non est ordinatus ad vitam corporis, ergò stare potest cum certa occasione. Respond. Negando consequentiam: Quia licèt non ordinetur per se ad vitam, sed nec ordinetur etiam ad mortem, qualiter tamen ordinare deberet, si sub se comprehenderet ablutionem occisivam, dicitur tamen magis ordinatus ad vitam, quia ejus materia proxima compatibilis esse debet cum vita corporali. Hæc sufficiant pro hac speculativa Controversia. Pro Praxi

XX. Qualis aqua regulariter debeat adhiberi. Quæres: Qualis regulariter aqua adhiberi debeat. Respond. In Baptismo solenni debere esse benedictam Sabbatho sancto Paschatis, vel Pentecostes, ita quòd si contrarium faceret, peccaret mortaliter. Patet prima Pars ex Rituali Romano, Tit. de Baptismo §. de Materia, & de Clement. unica de Baptismo. Secunda ex eodem & ex sollicitudine Ecclesiæ, quæ summè cavet, ne solenniter Baptismus sinè aqua benedicta conferatur, unde in dicto Rituali suprà ait: Si aqua benedicta tàm imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate si verò corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit Parochus in fontem benè mundatum ac nitidum recentem infundat, eámq; benedicat ex forma præscripta. Et ratio est, quia videtur materia gravis fundata in gravi præcepto Ecclesiæ. Si quis tamen peccata multiplicare nolit, teneat alteram Sententiam apud Dianam.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Forma Baptismi.

Superfluum est Hæreticorum errores, qui circa hanc fuêre materiam, recensere, etenim singulari DEI Providentia factum est, ut & desierint, & Hæretici nostri temporis legitimâ utantur formâ, ne innumerabiles pereant infantes. Est ergò indubitatum legitimam, & Ecclesiæ Romanæ ordinariam formam esse hanc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, quam Christus Dominus ac Magister noster ore suo sacrosancto tradidit, ac præscripsit Matth. ult. eámque omninò necessariam asserit Rit. Rom. tit. de Baptismo, §. de Forma Baptismi; in principio inquit: Quoniam Baptismi forma: Ego te baptizo, his verbis expressa omninò necessaria est, ideò eam nullo modo licèt mutare, sed eadem verba uno & eodem tempore quo fit ablutio, pronuntianda sunt. Quia tamen, ut loquitur Scotus 4. d. 3. q. 2. n. 5. *In Sacramentis est aliquid necessarium simpliciter, scilicet ex parte Sacramenti, quo scilicet non existente omninò non est Sacramentum, aliquid est necessarium aliqualiter, scilicet ex parte Ministri, sine quo Minister dispensando Sacramentum non potest vitare peccatum.* Quæstio hìc esse potest: An verba tàm Ministrum, quâm ejus actum & personam, sub pronominibus *Ego te*, & activo verbo *baptizo*, exprimentia, nec non expressa invocatio Sanctissimæ Trinitatis, sub propriis Personarum nominibus jam assignata, ita sint præcisa forma Sacramenti, ut sinè illis non valeat Sacramentum. I. Quæ sit legitima Baptismi.

Ad

II. Forma Græcorum est valida, & in eorum Ecclesia licita.

Ad quod resolvendum præsuppono formam Græcorum, quæ hæc est: *Baptizetur*, seu, ut alii volunt: *Baptizatur servus Christi in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, validam esse, & in eorum Ecclesia licitam. Quia eam & Concilium Florent. ac plura alia antecedentia approbarunt, estque consuetudine sic jam roborata, non minùs quàm in Ecclesia Latina triplex in aliquibus locis, in aliis simpla immersio. Quare autem Ecclesia Græca à forma Baptismi Ecclesiæ Latinæ in tantum defecerit, Pulchra est antiquitas & ratio, nempè quia jam Apostolorum tempore, ut patet ex D. Paulo 1. Corinth. 1. jurgium exortum fuit inter fideles, ita ut quilibet gloriaretur de suo Ministro, quasi quòd perfectiorem habuisset Ministrum, majorem consecutus fuisset gratiam, unde dicebant: Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, quos ipsos Apostolus reprehendebat, dicens: Nunquid divisus est Christus, hinc ut hoc dissidium tolleret Ecclesia Græca, non voluit, ut exprimeretur persona baptizantis per τὸ, *Ego*, sinè vel cum addito suo nomine, v. g. Ego Paulus, ne sic haberent ansam gloriandi, deindè ut denotaret, quòd Minister nihil præstet præter suum ministerium, DEUM autem causam esse principalem gratiæ, hinc loco baptizo posuerunt in passivo, & modo optativo, quasi DEUS solùm per Ministrum exoretur, ut conferat gratiam; Et tandem ut denotarent, quòd nec effectus Baptismi in suscipiente à baptizante dirigi possit, & debeat, sed à DEO. Hinc loco *Te*, posuerunt, *Talis servus Christi*.

III. Cur Ecclesia Græca defecerit à forma Ecclesiæ Latinæ.

IV. Ut valeat forma Baptismi, debet exprimi actus baptizantis, sive fiat per activum verbum, sive per passivum.

Dico Primò: *Ut valeat Forma Baptismi, debet exprimi in ea actus baptizantis, sive fiat per activum verbum, sive per passivum, debet item expressè significari persona baptizanda per ly Te, vel aliud verbum æquivalens, non tamen explicitè persona Ministri.* Ita communior Scholasticorum, & Probatur Conclusio quoad primam Partem ex cap. *Si quis de Baptismo*; ubi Alexander Papa determinat: *Si quis puerum immersit in aquam, dicendo: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & non dixerit: Ego te baptizo, non est puer baptizatus.* Patet etiam ex Florent. Decr. de Armenis, ubi reddens rationem cur forma Græcorum sit valida, ait: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum S. Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum.* Clarè innuens ad perfectionem Sacramenti necessariò exprimendam esse actionem Ministri & invocationem Sanctissimæ Trinitatis. Et ratio est, ut significatio totius formæ sit expressior, si enim solùm diceretur inter abluendum: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, non redderetur perfectus aliquis & definitus sensus. Deindè formæ Sacramentorum sunt Orationes practicæ exprimentes actu fieri quod significant, adeóque significare debent actionem à Ministro exerceri, quanquam non referatur, utrum exprimatur per activum verbum, vel passivum, indicativi, vel optativi modi, dummodò significetur tanquam exercitus, sive qui exercetur, prout fit in forma Græcorum: Baptizetur Servus Christi in Nomine Patris, &c. unde si quis diceret: Baptiza Joannem in Nomine Patris, &c. nil ageret, quandoquidem non faceret ablutionem ùt actu exercitam, sed solùm imperatam, sivè ab alio exercendam. Quare autem Christus voluerit per verba exprimi actionem Ministri baptizantis potiùs quàm docentis, aut consecrantis, vel Dæmonia ejicientis, ratio congruentiæ est, ut non solùm per materiam, sed etiam per formam explicitè & determinatè significaretur lotio animæ à peccatis, præcipuumque fidei mysterium in fidei Sacramento, sivè in prima fidei professione, quod non fieret, si Minister uteretur sola Oratione externa, vel siduntaxat diceret: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, cùm illa vera non habeant perfectum & determinatum aliquem sensum.

V. Ut valeat forma Baptismi, de-

Secunda Pars colligitur ex verbis Matth. ult. *Baptizantes eos*, accedente

bet expressè significari persona baptizanda per ly Te, vel æquivalens.

dente potissimùm Ecclesiæ universalis, tàm Græcæ, quàm Latinæ usu. Colligitur ex cap. *Si quis*, supra, & generali traditione. Congruentia est, quòd sicut ablutio debet versari circa determinatam personam, sic etiam forma, ne alioquin imperfecta & confusa sit formæ significatio, atqui forma non versatur circa determinatam personam, nisi ad eam dirigatur exprimendo personam: ergò. Accedit quòd Baptismus ex baptizato, & baptizante accipiat suam determinationem, seu individuationem, ergò ut exprimatur actus in individuo determinatus, qui per Ministrum exercetur, oportet ut exprimatur persona baptizanda.

VI. Instantia solvitur.

Dices: Valet forma Confirmationis Græcorum: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, & Latinorum antiquitus: *Confirmo in Nomine Patris*, licèt nunc dicatur, *Confirmo te*, ergò etiam valeret, si diceretur, *Baptizo*, ergò datur Baptismus sinè expressione personæ. Deindè Concilium non exigit, nisi ut exprimatur actus & non persona. Respond. Negando consequentiam: Quia in Scriptura legitur, baptizantes eos, & non legitur, confirmantes eos, alioquin etiam valeret absolutio Sacramentalis, absolvo à peccatis, nam ob Confessionem æquè videretur persona determinata, sicut in Baptismo ex circumstantiis ablutionis, quod nullus dicet, ob nullam aliam rationem, nisi quia Joan. 20. dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; sicut dixit, baptizantes eos, quare autem sic voluerit: *Quis consiliarius ejus?* Ad Concilium dico, ibi ideò nil dixisse, quia nulla de hac re tunc adhuc erat controversia, imò sicut ex hoc vellent colligere non esse necessariam personæ expressionem, sequitur, quòd etiam non esset necessaria explicita expressio SS. Trinitatis, quia non facit mentionem. Dixi autem per ly *Se, vel æquivalenti*, quia sufficeret, si dicerem hunc, vel vos, vel vestram Dominationem.

VII. Ut valeat forma Baptismi, non debet explicitè exprimi persona Ministri.

Probatur Tertia Pars: Tum, Quia non deducitur ex verbis Christi Matth. ult. adeóque si omittitur, non tollitur essentia formæ: Tum, Quia Græci baptizant validè, & tamen omittunt personam baptizantem. Hæc quoad primam partem formæ. Progrediendo ad secundam, nempe de Invocatione SS. Trinitatis sub propriis nominibus.

VIII. Valuit aliquando Baptismus collatus in nomine Christi.

Dico Secundò: *Valuit aliquando Baptismus collatus sine expressa invocatione SS. Trinitatis, datus videlicet in nomine Christi.* Ita Faber, Cajetan. Boseus, &c. Probatur Primò Authoritate Scripturæ sacræ, Actor. 2. ubi Petrus populo prædicans de CHRISTI morte, & videns Judæos compunctos ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in nomine JESU CHRISTI, in remissionem peccatorum.* Et cap. 8. dicitur: *Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de Regno DEI, in nomine JESU CHRISTI baptizabantur viri & mulieres*; & cap. 10. *Jussit eos Petrus baptizari in nomine Domini JESU CHRISTI*; & cap. 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini JESU.*

Dices: In his locis per ly *in nomine*, significari idem, quod in potestate, & authoritate, ita quòd sensus sit, in Authoritate & Baptismo Christi baptizabantur, sicut Marci ult. dicitur: Quòd in Nomine suo Dæmonia ejicient, id est, in sua Authoritate. Sed contra. Matth. ult. To *in nomine*, significat invocationem, & non authoritatem, ergo etiam in Actis, cùm eadem sit utrobique ratio, & eadem materia, & tam conformiter semper Scriptura loquatur, & Authores Classici, ac Pontifices mox citandi, sic sentiant. Deindè licèt posset dici, Lucam sic loqui, ut declararet, eos Baptismo Christi, & non Joannis baptizatos esse, quia Act. 8. & 10. nulla fuit necessitas explicandi differentiam inter Baptismū Joannis & Christi, quia nec Samaritani, de quibus est mentio c. 8. nec Gentiles, de quibus loquitur cap. 10. sed soli Judæi Baptismum Joannis receperant.

IX. To in nomine, non significat nō authoritatem, sed invocationem.

Proba-

X. Baptismum in nomine Christi datum, valuisse, ostenditur Authoritate Nicolai I. Papæ. Probatur Secundò ex Authoritate Pontificum Nicolai I. qui in responsis ad consulta Bulgarorum cap. 104. referuntur verba c. 24. de Consecr. d. 4. §. A quodam Judæo loquitur Pontifex. Nescitis utrum Christiano vel Pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis agendum sit consulitis. Hi profectò si in nomine Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippè idemque est, ùt exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuò baptizandos.

XI. Item Authoritate Patrum. Probatur Tertiò Authoritate PP. D. Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 12. ubi ait: *Neminem verò debet offendere illud Apostoli, quòd nominis Patris & Spiritûs Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit. Neque ideò putet harum vocum usum esse indifferentem. Quicunque, inquit, in Christo baptizati estis, in mortem ipsius baptizati estis: siquidem Christi appellatio, totius Deitatis est professio, quippè quæ simul declarat & DEUM, qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unctio.* D. Ambrosii lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. ubi ait: *Sicut qui benedictus in Christo, benedictus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, quia unum nomen, potestas una, ita etiam ubi operatio aliqua Divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs Sancti designatur, non solùm ad Sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium; nec solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum. Denique & Æthiops Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.*

Doctoris Subtilis Authoritas clara est, ait enim suprà n. 9. *de Quinto scilicet nomine Christi patet, quòd aliquando licitum fuerit baptizare.* Sed quid sentiendum est de S. Bernardo? Certè is in dubium non revocâsset, maximè cum Epistolâ 340. videatur sentire, valere Baptismum etiam in nomine Dominì collatum, quamvis Merlohorstius dubitet ejus esse Epistolam, aut D. Bernardum locutum fuisse de extraordinaria DEI indulgentia. Cœterùm

Opponitur contra Conclusionem Primò Div. Pauli interrogatio, Actor. 19. *In quo ergò baptizati estis?* Quam interrogationem non fecisset, si supposuisset, non fuisse adhibitam formam *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, quia tunc Discipuli non potuissent respondisse: *Sed nec audivimus si Spiritus Sanctus est*, ergò. Respond. Negando consequentiam: Quia Discipuli dispensati poterant uti unâ vel alterâ formâ, unde benè poterat Paulus interrogare, nesciens quâ baptizati fuerint, ob diversam temporis exigentiam dignificandi nominis Christi nunc, vel SS. Trinitatis. Denique Paulus potuit interrogare non propter formam dubitans, sed propter instructionem præcedentem, quasi suspicaretur eos antequam sufficienter instructi essent, fuisse baptizatos. Tertio frequenter contingit, imò ordinariè, quòd baptizati (idem dicito de ordinatis) nec recordentur, nec percipiant, nec intelligant formam. XII. Objectioni respondetur.

Instatur: Nomen Christi fuit semper additum formæ ordinariæ, videlicet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii JESU CHRISTI, ergò Paulus benè interrogavit, dicentes: Sed nec si Spiritus Sanctus est, audivimus. Respond. Negando consequentiam: Quia posito, quamvis id non constet, quòd aliquando adhibuissent istam formam, esse poterat, quando & dignificatio necessaria Christi fuit, & exaltatio SS. Trinitatis, non quòd non potuerit simpliciter uti alterutrâ formâ. XIII. Et Instantiæ.

Dico Tertiò: *Ut essentia formæ Baptismi pro nunc servetur, requiritur, ut expressio fiat unitatis Naturæ divinæ, ut dicendum sit in Nomine, non verò in Nominibus, & explicata ac distincta invocatio trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis.* Ita communiter Theologi. Prima Pars colligitur ex Matth. ult. adjuncto sensu Ecclesiæ sic intelligentis. Unde August. lib. 3. contra Maximianum c. 22. *In Nomine*, inquit, *non in Nominibus*, XIV. Ad Essentiam formæ Baptismi pro nûc requiritur expressio unitatis naturæ divinæ.

bus, hi enim tres unum sunt, & hi tres unus est DEUS. Accedit ratio, non enim minùs spectat ad primum fidei Articulum & necessitatem Salutis Personarum Unitas, illiusque Professio, quàm Trinitatis, dicendo autem *in Nominibus*, vel intelligerentur tantùm proprietates Personarum, & sic taceretur Unitas, vel intelligerentur perfectiones absolutæ, & sic induceretur falsitas, nempe pluralitas naturarum.

XV. Et explicita ac distincta invocatio SS. Trinitatis.

Secunda Pars præterquam quòd ex eodem Matth. loco colligatur, probatur *ex c. Si revera* 30. *de Consecr. d.* 4. ubi Pelagius Papa reprobat Baptismum collatum solummodo *in Nomine Domini.* Item *cap. Multi sunt* 82. eadem distinct. reprobat Baptismum collatum solummodò *in Nomine Christi.* Et Zacharias Papa Epist. 10. ad Bonifacium, Germaniæ Apostolum, in Tom. Concil. editis per Benium (cujus Fragmentum *refertur. cap. in Synodo* 83. *eadem dist.*) declarat Baptismum non valere sinè invocatione Trinitatis, seu ùt explicat: *Nisi in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti fuerit quis baptizatus, adeò, ut qui vel unam de Trinitate Personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset.* Supple in omnibus istis textibus pro nunc & post cessationem dispensationis, de qua supra egi.

XVI. Hæc distincta invocatio SS. Trinitatis nequit fieri per nomina Genitoris, Geniti, & Spirati, sed debet fieri in nomine Patris, &c.

Dico Quartò: *Hæc distincta invocatio SS. Trinitatis non potest fieri per nomina Genitoris, Geniti, & Spirati, sed debet fieri in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Ita Doctor Subtilis 4. d. 3. q. 7. contra Cajetan. Sotum, Paludanum, &c. Probatur tamen Conclusio, tum ex Authoritatibus D. August. supra dicentis lib. 6. contra Donatistas c. 25. *Certa esse verba Evangelica, sine quibus non potest conservari Baptismus.* Idem habet Epistola 23. ad Bonifacium. Estque similis locus lib. 19. contra Faustum c. 16. Quæ autem sint illa verba Evangelica, exponit lib. 3. contra Donatistas c. 15. dicens: *Si Evangelicis verbis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Marcion consecrabat, integrum erat Sacramentum.* Videatur idem lib. 3. contra Maxim. c. 17. & Epistola 203. & super Ps. 86.

Probatur Secundò: Non valet Baptismus in forma, quæ substantialiter mutatur, sed in nomine Genitoris, Geniti, &c. substantialiter mutatur: ergò Probatur minor: Quia in illa forma non exprimuntur Personæ sub nominibus propriis Personarum, sed sub nominibus proprietatum, sed Christus instituit, ut sub nominibus Personarum propriis fiat Baptismus, ergò. Probatur minor: Quia probabile est, quòd sicut Judæis datum fuit nomen *Tetragrammaton*, significans Divinam Essentiam, ita ista nomina, Pater, Filius, & Spiritus S. data esse Ecclesiæ, significantia personas sub propriis rationibus, Nomen enim Patris significat suppositum, sub ratione Personæ & suppositi, Genitor verò significat idem suppositum sub ratione proprietatis, quod idem docet August. expressè lib. 5. de Trinit. cap. 7. Sed — XVII. Ratio ad idem.

XVIII. Nomen Patris substantivè sumptum, non significat formaliter proprietatem.

Dices: Etiam nomen Patris significat formaliter proprietatem. Respond. Distinguendo si sumatur denominativè, transeat, si sumatur substantivè, prout sumitur in forma Baptismi, nego. Unde licèt Pater etiam importet constitutivum sui, scilicet Paternitatem, non tamen sic immediatè eam significat sicut Notio, quæ significat statim proprietatem, quæ licèt in re sit eadem cum Paternitate, tamen significat actum notionalem, generationem videlicet, ùt est ad terminum per modum actus productivi, & non constitutionem Personæ sub illa ratione & modo significandi vocis. Paternitas significat subsistentiam per modum constituentis, & per hoc ruit fundamentum adversariorum, putantium, has voces esse Synonymas. Ex Conclusione

XIX. Non valet Baptismus in nomine Ingeniti, &c.

Infero Primò: Nec valere Baptismum datum *in Nomine Ingeniti, Geniti, & Doni*, quia istæ voces non

non significant totum id, quod significant illæ; nam licèt DEUS non esset Pater, esset Ingenitus.

XX. Nec in Nomine Primæ, &c. Personæ.

Secundò: Invalidum esse datum, *in Nomine Primæ, Secundæ, & Tertiæ Personæ*, quia non exprimit Mysterium Trinitatis, sed proprietates personales.

XXI. Nec in Nomine Omnipotentis.

Tertiò: Non valet, si dicatur: *In Nomine Omnipotentis, Sapientiæ, & Boni*, quia hæc non sunt nomina propria Personarum, sed appropriata.

XXII. Nec si loco Filii dicatur JESU Christi.

Quartò: Non valet Baptismus, si loco Filii dicatur JESU CHRISTI, quia non sufficienter exprimitur secunda Persona. Multis probabile tamen videtur, valere Baptismum, si loco Filii ponatur Verbi, abstinendum tamen est in praxi, si tamen locò Sancti adderetur Paracleti, valeret Baptismus, quia est tantùm variatio Epitheti.

XXIII. Nec si omittatur utrumq; Et.

Quæres: An valeat Baptismus, si in forma omittatur utrumque *Et*. Respond. Satis probabiliter non valere, quia non videtur sufficienter exprimi diversitatem Personarum, valeret tamen si tantùm omitteretur primum, quia quando plura enumeramus, ordinariè tantùm ultimo loco *Et* ponimus, ita Weiggers.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro Baptismatis,

SUppono, in Ministrum hujus Sacramenti requiri omnes conditiones, quæ necessariæ sunt in quolibet alio, unde hîc paucula resolvenda restabunt. Quare

I. Minister Baptismi in necessitate est quivis homo rationis compos, potens simul abluere & proferre verba.

Dico Primò: Minister hujus Sacramenti, in necessitate, est quilibet homo indifferenter, rationis compos, & habens partes corporis ita dispositas, ut possit simul abluere & proferre verba. Est quoad primam Partem de Fide, & definita in Concil. Florent. & Trident. & patet ex dictis, ubi probavi, quòd improbitas Ministri cœteris paribus non invalidet Sacramentum. Nec valet cum Calvino dicere, quòd solis Apostolis potestatem baptizandi dederit, quia hoc non est verum, nisi de potestate ordinaria, unde si aliqui Canones in contra objicerentur, aut mulierem non posse baptizare, aut ab Hæretico rebaptizandum, dicam eos ad primum loqui de Baptismate solenni, & ad secundum de illis, qui non servant debitam formam. Singulariter *ad Caput Præsbyter* 1. *q.* 1. ubi asseritur, baptizatos à Præsbytero non baptizato rebaptizandos: Respond. Paleā esse in editione Gregorii XIII. non reperiri. Probatur secunda Pars: Qui non haberet manus, & idem dic de elingui baptizare non posset, quia ille abluere, & formam proferre non posset, quòd tamen ad veram formæ significationem requiritur, quia alioquin falsa esset, utpotè significans, quòd exteriùs physicè & per seipsum abluat, quia dicit, ego te baptizo, seu abluo.

Dico Secundò: *Ordinarius Minister est Sacerdos, proprius est aliis præferendus, Minister delegatus est Diaconus, hic cœteris inter quos inversio Ordinis non est graviter peccaminosa.* Ita communis. Probatur Prima Pars ex Florent. in Decr. Eugenii, ubi id expresſè asseritur, & habetur etiam in c. constat de Consecr. d. 4. ubi dicitur: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque Ministerium, nec ipsis Diaconis explere est* (ordinariè) *licitum.* Et ratio congruentiæ ex Doctore est in 4. d. 6. q. 1. n. 3. Quia per Baptismum recipitur aliquis in collegium Ecclesiæ, militantis, receptio autē alicujus in collegiū, pertinet ad Præsidentem, & fulgentē authoritate, ita quod putat, quò majorē quis habet in Ecclesia authoritatem, eò magis ad ipsum pertineat recipere, adeóque etiam magis competeret Episcopis quàm Sacerdotibus, si ipsi sufficerent. II. Ordinarius Minister Baptismi est Sacerdos.

Probatur Secunda Pars: Quia proprius habet speciale officium & jurisdictionem, adeóque graviter peccaret, qui ipso præsente illud usurparet absque necessitate. III. Proprius Sacerdos aliis est præferendus.

Probatur Tertia Pars: Ex forma Ordinationis, in qua dicitur: *Diaconum* IV. Diaconus est Minister delegatus.

num oportet ministrare ad Altare, baptizare, supple solenniter, si hoc ipsi ex rationabili causa delegetur.

Probatur quarta Pars: Quia Diacono non fit grave præjudicium, si prætereatur, quia non est propriè & in rigore Minister ex officio, & quamvis etiam non proprius Sacerdos jus nullum habeat, eidem tamen fieret gravis injuria, quia ipse est specialiter ad hoc ordinatus, & â Christo institutus. Sed contra primam partem.

V. Cur nequeat quilibet Sacerdos extra periculū mortis absolvere, quilibet verò possit baptizare.

Dico Primò: Licèt quilibet Sacerdos in articulo mortis possit absolvere, non potest tamen periculo, & articulo mortis cessante, ergò etiamsi in articulo mortis quilibet possit Sacerdos baptizare tanquam ordinarius Minister, non poterit tamen extra. Respondeo, Negando consequentiam: Disparitas est, quia administratio Sacramenti Baptismatis non est actus judicialis propriè, ideò est concessa Episcopis & Sacerdotibus universaliter â Christo absque limitatione & determinatione, actus autem absolutionis est actus jurisdictionis & judicialis. Unde cùm Ecclesia extra articulum mortis cuilbet Pastori determinatas subjecerit oves, eo cessante non potest alios absolvere.

VI. Facultas baptizandi non est cōcessa solis Episcopis.

Dices Secundò: Imò videtur solis Episcopis concessa facultas baptizandi, quia solis Apostolis dictum est: Euntes in universum Mundum, Matth. ult. quorum Episcopi sunt successores: ergò. Respond. Negando antecedens: Quia tunc ibi non commisit authoritatem baptizandi, sed publicè & solenniter prædicandi Evangelium, & baptizandi, nam ante Passionem simplicem potestatem eis dederat, antequam essent Episcopi, & Sacerdotes, nam tunc jam baptizabant. Ex Conclusione

VII. Quis ordo servandus interBaptizantes.

Infero Baptizantes hunc ordinem servare debere, quem præscribit Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Ministro Baptismi, videlicet *si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, & Vir Fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quàm virum baptizare infantem non omninò editum, vel nisi fœmina meliùs sciret formam, & modum baptizandi.* Addo præferendum quoque fidelem infideli, & non excommunicatum excommunicato.

Sed propero ad alias difficultates, & maximè an unus possit plures simul baptizare, & è contra, an plures unum adhibendo simul & semel æqualiter materiam & formam, nempe si quilibet ablueret & diceret: *Ego te baptizo*, &c. vel si dicerent: *Nos te baptizamus*, &c. Et si valeant tales ablutiones, an sint diversa Sacramenta? quæ breviter resolvendo

VIII. Validè baptizat unus plures, dicendo: Ego vos baptizo, &c.

Dico Tertiò: *Validè baptizat unus plures, dicendo: Ego vos baptizo, &c. & etiam licitè in necessitate.* Ita Doctor in 4. d. 6. q. 2. n. 6. Et videtur fuisse usus Apostolorum, Act. 2. Non enim apparet, quomodo tria millia cum tanta prædicatione tàm citò singulatim baptizasse potuissent. Et probatur ratione â paritate aliorum Sacramentorum: Quia potest unus simul & semel consecrare plures hostias, potest Sacerdos in periculo naufragii, imminente in terra actuali conflictu plures absolvere, dicendo: *Ego vos absolvo.* Episcopus simul & semel ordinat plures, dicendo: *Accipite potestatem offerendi*, &c. *Accipite Spiritum Sanctum*, ergò etiam potest quis plures baptizare. Quia huic insuper satis consonat forma præscripta: Baptizantes eos in nomine Patris, &c. consonat pariter verborum & formæ significatio; nam To *Vos*, significat hic & ibi idem, quod *Te* & *Te*. Secunda Pars patet ex Rit. Rom. tit. de Sacr. Baptismi §. de baptizandis parvulis. Unde dicit Doctor Subtilis supra: *Conceditur quòd iste simul plures aspergens vel fundens & proferens, simul formā in plurali dicendo: Ego vos baptizo, baptizat simul omnes, tamen peccat mortaliter, quia non servat formam sibi impositam ab Ecclesia, nisi fortè esset talis necessitas, quòd immineret mors omnium.*

IX. Ac etiam licitè in necessitate.

Dico

X. Plures possunt unum validè baptizare, si quivis abluat, & dicat: Ego te baptizo &c.

Dico Quartò: *Plures possunt unum validè baptizare, si quilibet abluat, & quilibet etiam formam proferat, dicendo: Ego te baptizo, &c. secus si dicant: Nos te baptizamus.* Prima Pars est Doctoris supra n. 2. Secunda communior RR. & Mastrii. Probatur Prima Pars ex Scoto, dicente: *Quod ille est baptizatus*, supple, si duo eundem abluant. *Quia non est verisimile, quòd unus faciens, annullet factum alterius, sed si unus tantùm faceret quod facit, factum esset, ergò nihil minùs quod facit factum, alio similiter faciente.* Ratio est, quia uterque ponit debitam materiam & formam, veluti causa totalis, habetque debitam intentionem. Tandem quia plures Neomystæ eandem consecrant hostiam in probabili Sententia, unde cum Episcopo ordinante omnes formam proferre jubentur, ùt habet communis praxis.

XI. Secus si dicant: Nos te baptizamus.

Probatur Secunda Pars: Quia in tali casu variaretur forma Baptismi essentialiter, sed variatâ formâ essentialiter nullum conficitur Saramentum: ergò. Patet minor. Probatur major: Quia sortitur alium prorsus sensum ab illo, quem habet ex institutione Christi, ergò. Probatur antecedens: Quia ex institutione Christi habet significare, quòd ablutio fiat ab uno Ministro adæquatè, & independenter ab alio, dicitur enim: *Ego te baptizo;* sed quando dicitur: *Nos te baptizamus*, hunc sensum ampliùs non habet, ergò. Probatur major ex Scoto n. 5. ubi dicit: *Quod utroque seorsim aliquid faciente, & neutrum totum simul abluente, & proferente verba, nihil fit. Nec est alia ratio, nisi institutio DEI, qui sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unicum Ministrum, adæquatum & physicum in collatione integra Sacramenti.* Ubi quidem primò refutat, non valere Baptismum, si unus abluat, & alter verba proferat, & hujus rationem dat, quia voluit habere unum Ministrum adæquatum & physicum totum ponentem quidquid ad confectionem Sacramenti requiritur, ergo debet esse unus Minister. Probatur etiam minor, nempe quòd nec in casu Conclusionis esset unus Minister adæquatè: Quia, *Nos baptizamus*, significat, me baptizare & adhuc alium, & me solum non baptizare, sed inadæquatè & dependenter ab alio: ergò. Sed pro contraria Sententia, quæ est Marsilii, Riccardi, Durandi, Paludani, sic

Arguitur: Valet Baptismus, si duo abluant, & quilibet verba proferat, *Ego te baptizo*, ut dicit prima Pars, ergò etiam valet, si duo abluant & dicant, *Nos te baptizamus.* Probatur antecedens: Tum, Quia per ly *Nos baptizamus*, melius exprimitur pluralitas Ministrorum, quàm per To *Ego te*, &c. & *Ego te*: Tum, Quia *Nos te baptizamus*, æquivalet his duabus Propositionibus, *Ego te baptizo*, & *Ego te baptizo*: Tum, Quia si aliquis Regius Princeps aut Cæsareus baptizaret, posset dicere cum validitate Baptismi: *Nos te baptizamus*, ergò. Respond. Negando consequentiam: Ad primam probationem dico quidem melius exprimi pluralitatem Ministrorum per To *Nos*, attamen nego suppositum, quòd servatâ essentiali formâ possint vel debeant exprimi, quia per formam non debent plures, sed unus exprimi, quia Christus voluit unum tantùm Ministrum habere, unde etiam quando duo simul baptizant in causa primæ Partis Conclusionis, quilibet se habet ùt causa integra, & totalis, ponens totam essentiam Sacramenti, nam in moralibus non implicat eundem effectum poni ex motione duarum causarum totalium moralium. XII. Objectio solvitur.

XIII. Ly *Nos* non significat Ego & Ego.

Ad secundam Probationem dico cum Prisciano: Ly *Nos*, non significare *Ego & Ego*, sed significat *Ego & Ille*, seu *Ego & Tu*, &c. adeóque non æquivalet aliis duabus formis, nec consequenter exprimit quemlibet esse integrum Ministrum. Ad Tertium facilis est Responsio. Quia tunc ly *Nos* non significat plures Personas, sed unam, quæ ob authoritatem & dignitatem locò *Ego*

utitur *Nos*, & tunc idem significat, sicut etiam dum Monarchæ & Magnates dicunt: *Nos volumus*, *Nos mandamus*, significat idem ac *Ego*.

XIV. Si valeret Sententia, si duo Judices dicerent: Nos decernimus &c. & non Baptismus si duo dicant: Nos te baptizamus.

Instatur: Valeret Sententia, si duo Judices, ejusdem authoritatis, simul dicerent: Nos decernimus, Nos ordinamus, &c. licet quilibet partialiter decernat, & ordinet, ac quilibet sit partialis causa, ergò etiam si duo dicant: Nos te baptizamus. &c. si hoc quilibet partialiter faciat. Respond. Negando consequentiã. Disparitas est: Quia duobus Judicibus supponitur potestas judicandi æqualiter in solidum collata, unde rectè dicunt: Nos decernimus; in Baptismo autem non est duobus faciendi collata potestas, sed uni Ministro, adeóque plures simul concurrere nequeunt, sic dico ulteriùs, quòd licèt duo Judices in foro dicere possint: *Nos absolvimus hunc reum*, non possunt tamen in foro poli, quia quilibet hic est causa totalis.

XV. Plura sunt Baptismata quando unus plures baptizat, & plures unum.

Dico Quintò: *Plura sunt Baptismata tàm quando unus plures baptizat, quàm quando plures unum in casu primæ Partis Conclusionis præcedentis.* Ita Centinus, Brancatus, Boscus, & deducitur ex Scoto supra n. 6. ubi de primo casu sibi objicit: *Sed oppositum videtur, scilicet non esse plura Sacramenta, quia non est nisi unica forma, nam verba sunt tantùm semel prolata;* ad quam objectionem sibi factam paulò infra respondet: *Et tunc ad argumentum dicendum, quòd non oportet ad plurificationem alicujus omnia, quæ sunt in illo, plurificari, sed sufficit aliquod eorum plurificari ad hoc, quòd totum plurificetur, & illa etiam forma non est simpliciter una, quia ly Nos includit in se singulare, pluries geminatum.*

XVI. Ratio ad idem.

Probatur proindè Conclusio quoad utramque Partem: Quia in utroque casu est duplex signum totale completum & intrinsecè ac essentialiter perfectum ad significandam gratiam, ergò. Probatur antecedens: Quia sivè ablutio ponatur in recto & verba in obliquo connotativè, & veluti circumstantiæ determinantes, sive ablutio sit activa, sive passiva, aut utraque simul, nihil deesse ad plurificationem, nam si passiva ponitur, nulla est difficultas, si activa, tunc quemadmodum Scotus dicit formam illam esse multiplicem virtualiter & æquivalenter, ita etiam dico, actionem ablutionem esse hic multiplicem; imò Scotus dicit, ad plurificationem alicujus non esse necessarium, ut omnia plurificentur. Sed in contra

Arguitur: Si essent duo Sacramenta utrobique, deberent utrobique causare effectum Sacramenti, sed non causant, ergò. Probatur minor: Quia in secundo casu unica est gratia, unus Character, quia unum Subjectum, in quo, ipso Scoto docente, non admittuntur plures Characteres ejusdem rationis & speciei. Tum, Quia sicut Ordo & Confirmatio, ita nec Baptismus est institutus ad augendum suum effectum, sed ad spiritualiter regenerandum, ergò. Respond. Negando minorem, quoad casum primum, quoad casum secundum concedendo, cum omnibus suis probationibus: Quia nec ego dico, formaliter esse plura Baptismata, nempe quoad significata, sed solùm materialiter, quantùm ad rationem signi, seu plura significantia, sicut possent plures hederæ suspendi ad unum vinum vendibile significandum, quarum tamen quælibet haberet rationem signi & ejusdem rei. Sic duo Sacramenta haberent rationem signi perfecti & completi, respectu ejusdem gratiæ. Possunt esse Baptismata cùm unica sit gratia ut effectus.

Nec hoc debet videri inconveniens: Quia etiamnum Circumcisio eâ vivente, & Baptismus erant diversa signa, & tamen formaliter in suo significato idem significabant, nempè remissionem peccati originalis, & gratiæ sanctificandi infusionem: Tum adhuc, Quia ratio Sacramenti ùt significantis, non habet necessitatem comsequentiæ ad effectum, sed posse & esse efficacem practicè, quantùm est de se, quare multa Sacramenta sunt vera signa & sacra, quæ tamen informia sunt, nec habent

bent sua significata, sic in proposito essent duo Baptismata, & una tantùm gratia, quia ad positionem horum signorum DEUS non moveretur magis, quàm ad positionem unius.

XVIII. Instantiæ respondetur.

Instatur: Si essent duo Sacramenta & una tantùm gratia, idem effectus dependeret à duabus causis totalibus, sed idem effectus nequit sic dependere, ergò. Major patet sicut etiam minor ex Physica. Respond. Idem effectus nequit dependere à duabus causis physicè influentibus concedo, moraliter nego minorem & consequentiam: Quia sicut DEUS movetur ex uno ad ponendam gratiam, ita potest moveri ob utrumque, neq; enim ei hic præscribi potest modus aut mensura agendi.

XIX. Non valeret Baptismus, si unus ablueret, & alter proferret formam, in casu, quo unus esset mutus, alter mutilatus.

Quæres: An valeret Baptismus, si unus ablueret, & alter proferret verba, in casu, quo unus esset mutus, alter mutilatus? Respond. negativè. Ratio est, quia & Scotus supra num. 5. ait: *Sicut DEUS est unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum*: Tum, Quia forma Baptismi esset falsa, sive diceret: Ego te baptizo, sive dicat: Nos te baptizamus, sive uterentur formâ Græcorum: Quia mutilus non ablueret, adeóque falsè diceret, ego, vel nos baptizamus, & etiam forma Græcorum ita proferri debet, ut denotetur quòd actio ablutiva procedat ab eo Ministro, nam debet esse efficax optatio, quasi diceret: Per actum istum, qui à me fit, baptizetur iste. Nec juvat dicere formam futuram veram, si intelligatur per To Ego te baptizo, *confero Sacramentum*, ut significat in Idiomate Italico, non valet, inquam, nam licèt in Italico idem sonet ac ego confero Sacramentum, in Latino significat tamen verè abluere. Et posito, quòd hoc significaret, talis non conferret Sacramentum, sed solam formam, quæ non est Sacramentum. Sed

Dices: Ratio Scoti, quæ est principalissima, de Unitate Ministri, non subsistit, quia in Matrimonio sunt etiam duo Ministri, & tamen valet Sacramentum, item in Pœnitentia alius exhibet materiam, nempe Pœnitens, alius formam, nempe absolvens, ergò hoc idem fieri potest in Baptismo. Respond. Negando antecedens, ad probationem dico, disparitatem esse: Quia in Matrimonio fundatur ratio Sacramenti, super contractum, unde sicut ad contractum hunc requiritur vir & fœmina, ita etiam duplex Minister, & duplex Subjectum.

XX Cur plures possint cōcurrere in Matrimonio & Pœnitentia, & non in Baptismo.

In Pœnitentia autem est ratio judicii, in quo Judex debet esse & reus; quare sicut judicium ad alterum est, ita etiam alius debet ministrare materiam, alius formam absolutionis, ex hoc tamen non dicuntur duo esse Ministri, quia Pœnitens non dicitur sibi dare Sacramentum absolutionis, sed recipere à Sacerdote, unde paritas esset, si unus posset audire peccata, & alius absolvere, quod tamen haudquaquam licitum est.

Ad Casum necessitatis respondeo: Hunc imprimis esse de raris aut nunquam contingentibus, & si esset, alio modo juvari posset, nempe si ore aquam hauriat, eámque in Catechumenum evomat, subjungens statim verba, Ego te baptizo.

XXI. Illicitum est bis ministrare Baptismum.

Hic posset quæri: An liceat bis ministrare Baptismum? Sed quia ex dictis constat, esse Sacramentum irreiterabile, facilè Respond. Negando. Hoc addo, quòd baptizans & rebaptizatus fiant irregulares, vide mea Scripta Tract. de Censuris disp. 5. q. 3. Unde nec quidem sub conditione est repetendus, nisi rationabilis timor subsit de invaliditate Baptismi. Sed

XXII. Quid agendum cum Monstris.

Quæres Secundò: Quando censendum sit subesse talem rationabilem invaliditatis timorem? Respond. Primò: Rationabilem timorem esse in Monstris, quando non est certum, an sint duæ Personæ, tunc una debet absolutè baptizari, & altera sub conditione, si non est baptizatus, ita Rit. Rom. Tit. de Sacramento Baptismi §. de baptizandis

dis parvulis, ubi universaliter de Monstris sic ordinat: Monstrum, quod humanam speciem non præseferat, non debet baptizari, de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione, si tu es homo, ego te baptizo, (v. g. si non esset certum an esset Satyrus, vel si esset genitus ex fœmina & bruto) illud verò, de quo dubium est, una ne an plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora, tunc enim totidem erunt corda & animæ, hominesque distincti, & eo casu singuli seorsim sunt baptizandi, unicuique dicendo: Ego te baptizo. Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli seorsim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: Ego vos baptizo, &c. Quando verò non est certum in Monstro esse duas personas, vel quia duo capita, vel duo pectora non benè distincta habet, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c.

XXIII. Quid agendum cum infantibus expositis.

Respondeo Secundò: Tale periculum & justum invaliditatis timorem subesse in infantibus expositis, etiamsi habeant schedulam affixam Baptismi, si hoc sit in partibus infidelium seu fidelium; & quidem de infantibus expositis in terris infidelium certum supponunt omnes, quia hi quàm maximè execrantur Baptismum, adeóque rationabiliter præsumitur non esse baptizatum, etiamsi habeat schedulam affixã. De partibus Fidelium probatur ex cap. Placuit 3. de Consecrat. dist. 4. Rit. Rom. supra de baptizandis parvulis. Concil. III. Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo: Tum, Quia illud scriptum non videtur facere fidem sufficientem in re tàm gravi; & posito quòd faceret, adhuc sub conditione baptizandus esset, quia nesciretur à quâ personâ, quomodo, quâ formâ, an habuerit intentionem, vel facere potuerit, an sciverit formam, cùm enim hæc non possint examinari, & tamen etiam in obstetricibus benè expertis rigidè examinari debeat, manet rationabilis timor ambigendi, nam tales meretrices amant latibula, ex timore & pavore, ne deprehendantur, vix sciunt quid agant, vel agere debeant. Et licèt communior quasi sententia sit contraria, adhuc puto cum Bosco huic resolutioni standum, quia Doctorum judicium non potest supplere defectum, & incertitudinem.

Respond. Tertiò: Non esse sufficientem rationem rebaptizandi etiam sub conditione, eò quòd quis sit baptizatus ab Hæretico, vel obstetrice, attamen examinari debent obstetrices, an debitam adhibuerint formam.

Quæres Tertiò: An solenniter baptizans citra præscriptum ordinem supra incurrat irregularitatem? Respond. Laicum non incurrere privatim baptizando, benè tamen Clericum quemcunque infra Sacerdotem & Diaconum solenniter ministrantem. Ratio est ex cap. Si quis de Clerico non ordinato ministrante, ubi punitur irregularitate, qui exercet actum Ordinis, sed Laicus non exercet actum Ordinis, ergò patet etiam secundum.

XXIV. Laicus privatim baptizans nõ incurrit irregularitatem.

QUÆSTIO QUARTA.

An Minister debeat in administrando Baptismo adhibere Cæremonias? seu de Cæremoniis Baptismi.

I. Cæremoniarum usus defenditur.

Pulcherrimum esse Cæremoniarum usum, multúmque deprecatorium apud DEUM, & excitativum ad devotionem, colligitur tàm ex Lege antiqua in Exodo, & per Leviticum totum, tum ex ipso Christo novæ Legis institutore, qui instituendo Eucharistiam elevavit oculos, egit gratias, accepit in manibus, benedixit, in horto oravit, genibus flexis procidit in terram, Lucæ 22. Insufflavit in Apostolos,

los, Joan. 20. Elevatis manibus ipsis benedixit, Lucæ 24. ut videre nec concipere possim, quid risu aut explosione dignum inveniant Acatholici in illis. Meritò igitur sacrum Oecumenicum Concilium Tridentin. Sess. 7. Can. 13. eos damnat, dicens: *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato pro libitu à Ministris omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiæ Pastorem mutari posse, anathema sit.* Ratio posterioris est, quia idem Trident. Sess. 21. Can. 2. dicit: Penes solam Ecclesiam universalem authoritatem fuisse, salvâ Sacramentorum substantiâ ritus, & cœremonias statuere vel mutare.

II. Nec Hæretici sine omni Cæremonia Baptismum perficiunt.

Quòd si quærant Hæretici: Quando fuerit Ecclesiæ hæc authoritas data? Respond. Quando fuerunt Ministri & Dispensatores Mysteriorum DEI constituti, 1. Corinth. 4. Quibus competit, ut res sacras cum omni reverentia, & suscipientium utilitate dispensent, prout D. Paulum, fecisse indubitatum est, qui dixit: *Cætera, cum venero, disponam.* Sed nec ipsi Hæretici sine omni cæremonia Baptismum perficiunt licèt Catholicorum insanè explodant; nam Calvinus dicit: Infantem debere portari in Ecclesiam die Dominico, quando est concio, deferentes spondent se infantem in moribus instructuros. Lutherani etiam præmittunt priùs Orationem Dominicam, Symbolum, debet renuntiare Sathanæ, & Lutherus voluit in fronte baptizandi fieri signum Crucis Catholicum. Cœremoniæ itaque in Baptismo particulares sequentibus exprimuntur versibus:

III. Quæ Cæremoniæ Baptismi.

Sal, Oleum, Chrisma, Cereus, Chrismale, Saliva.
Flatus, virtutem Baptismatis ipsa figurant,
Hæc cum Patrinis non mutant, sed tamen ornant.

In quarum explicatione immorari nolo, Agendam consulant, qui necesse habuerint & quoties. Nec de his magna difficultas, præterquam de Patrinis, unde de iis præmittendo examen de loco Baptismi specialiter & fusiùs aliquid agendum erit. Interim

IV. Proprius locus administrandi Baptismum est Ecclesia.

Dico Primò: *Proprius Baptismi administrandi locus est regulariter Ecclesia.* Ita Rit. Rom. Tit. de Baptismo, §. de loco & tempore; & Clemens V. in Clement. un. de Baptismo, ubi ait Pontifex: *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in Aulis, vel Cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati - - - - audeat baptizare.* Quorum fontium jam olim mentionem fecit S. Dionys. Eccl. Hierarch. c. 2. ubi fontem Baptismalem vocat Matrem adoptionis, & talis fons debet esse lapideus, ex cap. 106. de Consecr. d. 4. vel saltem tale vas, quod ad hoc specialiter maneat deputatum.

V. Limitatur quò ad Liberos Principum.

Dixi *Regulariter*: Tum, Quia in Baptismo privato & necessitatis id nequit fieri: Tum, Quia tàm Clemens V. limitat: Nisi Regum & Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, quàm Rit. Rom. id ad ipsos Principes extendit. Sed qui sunt censendi nomine Principum? Respond. Imprimis certum esse de Principibus suffreneis, item de Principibus Imperii nostri. Zypæus Tomo 2. lib. 3. Tit. de Baptismo, putat nomine Principum non tantùm intelligi Principes supremos, sed etiam titulos eminentes. Quintanadvenas in Theologia Morali lib. 1. Tract. 1. Sing. 21. n. 3. extendit hoc ad omnes Duces, Marchiones, Comites, Magnates Hispaniæ, & Oratores Regum, quia beneficium Principis latè est explicandum, & certè nostri plures Comites illud ipsum sunt, quod sunt alibi Principes. Ex loco accedo ad Patrinos. Unde

VI. Per Patrinum quis intelligatur.

Adverte: Per Patrinum intelligi Parentem spiritualem, seu Pædagogum, cujus est baptizatum instruere in iis, quæ ad fidem spectant, diciturque in Jure ille, qui intentione exercendi hanc Cæremoniam,

niam, secundùm quod in Ecclesia fit, tangit physicè immediatè, vel mediis vestibus linteo, aut etiam disco per se vel procuratorem baptizatum, aut tempore Baptismi, aut statim postquam à Sacerdote levatur de fonte, ubi moris est sic baptizare, quòd autem requiratur intentio, vel agere hanc cæremoniam cum onere annexo patet, quia illi, qui parvulum dum baptizatur majoris commoditatis gratia brachiis gestant, aut supra fontem elevant susceptoribus veris solùm leviter manum apponentibus, tum etiam procurator non contrahunt obligationem & cognationem spiritualem: Hinc de quo quæritur

VII. Patrini in Baptismo solenni cum baptizato & parentibus ejus contrahunt cognationem spiritualem dirimentem Matrimonium.

Dico Secundò: *Ultra obligationem instruendi baptizatum susceptores in Baptismo solenni cum eo ejusque parentibus cognationem spiritualem, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonium, contrahunt.* Patet ex multis Juribus & Trident. supra quod Jura antiqua restrinxit, secundùm quæ illa cognatio largiùs se extendebat, addit rationem videlicet: *Quòd doceat experientia propter multitudinem probibitionum multoties in casibus probibitis ignoranter contrahi Matrimonio, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Olim enim erat triplex species cognationis spiritualis, Paternitas scilicet, Compaternitas, & Confraternitas. Paternitas quidem inter baptizatum & baptizantem, suscipientem & susceptum eáque adhuc manet, sed extendi solebat ad uxorem Patrini, quæ ante susceptionem esset à viro cognita, cujus quoque filius spiritualis censebatur is, quem vir suscepisset.

VIII. Compaternitas inter quos sit.

Compaternitas est inter Parentes spirituales, scilicet baptizantem & patrinum ab una parte, ac parentes naturales ab altera parte (N, O. scilicet baptizati) sed olim etiam extendebatur ad uxorem Compatris à viro antea cognitam, quantùmvis ipsa verè Commater antea in Baptismo non fuisset.

IX. Confraternitas, nunc sublata, inter quos fuerit.

Confraternitas quæ ex toto est sublata, erat inter baptizatum, & proles baptizantis, item inter susceptum & proles suscipientis, velut filios ejusdem parentis, partim spiritualis, partim carnalis. Inter Patrinum autem & Patrinam non fuit olim, nec modò est cognatio spiritualis, sed illi habent se veluti Pater & Mater ejusdem filii, æquum autem non est, parentes copulari non posse.

X. In Baptismo privato susceptor non contrahit cognationẽ.

Dixi in Baptismo solenni, quia probabiliùs est in privato non contrahi, etiamsi animum habuerit, nam hoc non pendet ab ipsius voluptare, quia Patrini adhibitio est instituta ab Ecclesia tantùm in Baptismo solenni. Nec contrahunt postmodum, quia solenniter in Ecclesia tenent, cæremonias supplent, quia tunc non est Baptismus, cognatio autem hæc contrahitur solùm ratione Baptismi, hoc ipsum namque declaravit Congregatio Cardinalium. Attamen qui privatim baptizat verè contrahit: Tum, quia Jus absolutè decernit, baptizantem contrahere: Tum, Quia hæc oritur ex ratione Sacramenti, non ratione cæremoniæ ab Ecclesia institutæ, quare baptizans privatim & publicè, non distinguuntur formaliter.

XI. Baptizans privatim contrahit cognationem.

XII. Unus tantùm sivè vir, sivè mulier, vel unus & una possunt esse Patrini.

Dico Tertiò: *Unus tantùm sivè vir sivè mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant.* Ita Concil. Trident. in terminis Sess. 24. Can. 2. Ratio est: Tum ad præcavendam multiplicitatem cognationis spiritualis, & ad debitam curam procurandam, quæ in pluribus suscipientibus raró evenit, dum quilibet de altero supponit. Habetur hoc idem ex Leone Papa de Consecr. d. 4. c. 101. cui Bonifacius VIII. de Cognat. spiritual. 6. C. Quamvis addit: Quodsi autem plures accesserint cognatio spiritualis inde contrahitur.

XIII. Si plures designentur Patrini & admittantur, vel si nullus

Dico Quartò: *Quodsi plures quàm duo designentur Patrini, & admittantur, vel si nullus designetur, quotquot simul tetigerunt, contrahunt cognatio-*

designetur, quotquot ſimul tetigerunt, cõtrahunt cognationem

gnationem. Ita Sanch. lib. 7. diſp. 57. n. 14. Quia Conc. Trid. videtur ſolummodò prohibere, ne plures ſuſcipiant, & admittantur, non autem irritat, pro quo refertur Congregatio Cardinalium ad locum Trident. ſupra dicens: Quòd ſi plures ſint deſignati ad contrahendam Paternitatem, contraxerunt cognationem ſpiritualem quotquot tetigerunt, punito tamen Parocho. Item alia ibidem ſic habet. Quod omnes contrahunt cognationem, ſi plures ſuſcipiant, & non conſtet qui prius tetigerit, & omnes ſint electi, vel nullus, ſi verò unus ſit electus, illum tantùm contrahere.

XIV. Abbates & Monachi nequeunt eſſe Patrini.

Dico Quintò: *Ad munus Suſceptoris ſeu Patrini aſſumi non poſſunt Abbates & Monachi.* Patet ex Concil. Antiſiodorenſi cap. 25. & refertur de Conſecr. 4. C. 103. Non licèt Abbati vel Monacho de Baptiſmo ſuſcipere filios, nec Commatres habere. Item ex Conſtit. Eugenii 6. d. 1. c. 8. Placuit communi noſtro Concilio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno de Monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, neque filium de Baptiſmo ſuſcipere, neque Pœnitentiam dare, &c. Inter Monachos autem non comprehenduntur Mendicantes, nam hi & inſtruunt, & Pœnitentiam dant, & ſunt penitus à Sæculo ſegregati per unam clauſuram, quod requirit Rit. Rom. unde agere poſſunt Patrinos. Excipe Fratres Minores, qui ex cap. II. Regulæ arcentur, quando tamen ceſſaret periculum ſcandali, quod fuit cauſa inhibitionis, poſſet Frater Minor agere Compatrem, ut ad levandum filium magni domini, Principis, vel etiam Comitis, ùt determinavit Generale Capitulum 44. Interamnæ celebratum An. 1500.

XV. Quid de Mendicantibus & Fratribus Minoribus dicendum.

XVI. Omittere Patrinum in Baptiſmo ſolenni, eſt peccatum mortale.

Quæres Primò: An omittere Patrinos in Baptiſmo ſolenni ſit peccatum mortale? Reſpond. Affirmativè cum Tannero, & patet, quia eſt contra grave Eccleſiæ præceptum, quod colligitur ex gravitate obligationis adjunctæ, tàm per Concilium Trident. quàm per alios Juris Canones. In privato autem, ut dixi ſupra, nec poſſunt, nec debent adhiberi Patrini, quia alioquin eſſet Baptiſmus ſolennis, ſicut non poſſunt adhiberi à Laicis & Clericis infra Diaconum Exorciſmus, Catechiſmus, & ſimiles ritus. Sed

XVII. In privato nec debent nec poſſunt adhiberi Patrini.

XVIII. Sub quâ obligatione ritus omiſſi in privato Baptiſmo, debeant ſuppleri.

Quæres Secundò: An quando hi ritus omittuntur in Baptiſmo privato, ſub gravi obligatione debeant ſuppleri? Reſpond. Primò: Certum eſſe debere ſuppleri, attamen Exorciſmus & quædam Orationes debent immutari, & aliter accommodari, nam id patet I. ex Concil. Trident. ſupra quod generaliter docet Cæremonias ſinè peccato non poſſe omitti. Secundò: Ex Sacramentis non iterandis ex Innocent. III. de Ordine Sacerdotii, & Sacramento Confirmationis, eadem autem eſt ratio. Tertiò: Expreſsè tamen Rit. Rom. Tit. de Baptiſmo, §. Ordo ſupplendi omiſſa, & §. de baptizandis parvulis, ac §. de Baptiſmo adultorum, ubi agens de Hæreticis, rem aliter limitat his verbis: Omiſſa tantùm ſuppleantur, niſi rationabili de cauſâ Epiſcopo aliter videatur. Prout de facto conſuetudo in his noſtris partibus obtinuit, unde de iis non videtur eſſe obligatio ad ſupplenda omiſſa. De parvulis tamen â Catholicis natis videtur eſſe gravis, quia hoc patet ex terna inculcatione, cor repetitione Ritualis Romani.

DISPUTATIO TERTIA,

DE

Suscipientibus Baptismum.

QUÆSTIO PRIMA.

An Parvuli ante usum rationis sint capaces Baptismi, & quæ in eis Fides requiratur?

I. Error Anabaptistarum.



Anabaptistæ olim docuerunt, non licere quemquam baptizare, nisi in ætate, qua pro se possunt petere Baptismum, & intelligere, quid ipsis conferatur, ac per se respondere ad ea, quæ in Baptismo solent proponi, quorum aliqui dixerunt, neminem debere baptizari usque ad trigesimum suæ ætatis annum, qua ætate Christus Baptismum suscepit, & hinc parvulos ante usum rationis baptizatos denuò in adultâ ætate baptizabant, inde Anabaptistæ dicti: Exorta est hæc Hæresis circa Annum Christi 1527. Authore Balthasaro N. quodam, qui docuit Baptismum in puerili ætate collatum, esse omninò invalidum, ac proindè in adulta ætate repetendum, ac postmodum Viennæ, propter suam Hæresim, igni traditus est. Erasmus in sua Præfatione super Matthæum docuit, homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse, an habeant ratum, quòd ipsorum nomine in Baptismo promissum est, & si sic, non esse denuò baptizandos, sin verò secùs, necesse esse Baptismum repeti.

II. Infantes ante usum rationis validè & licitè baptizantur.

Dico: *De Fide est, infantes ante usum rationis esse capaces Baptismi, proindeque licitè, & validè baptizari.* Probatur Primò ex variis Conciliis, Gerundensi ante 1000. annos celebrato. Bracarensi 2. Milevit. 2. c. 2. his verbis: *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat*, &c. *anathema sit.* Et habetur in Clementina 1. de Summa Trinitate & Fide Catholica; ac novissimè in Trident. Sess. 7. Can. 12. *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi in ætate, qua Christus baptizatus est, anathema sit.* Et Can. 13. *Si quis dixerit, Parvulos, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, anathema sit.*

Probatur Secundò ex Patribus, qui id ex illo Evangelii: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto, non poterit intrare regnum DEI*, evidenter colligunt, ergò vel oportet parvulos omnes ante adultam ætatem morientes æternaliter damnare, quod impium est dicere, vel oportet eis Baptismi gratiam concedere. Unde Bernardus Epistola 240. *Parvulis*, inquit, *Christianorum, Christi intercluditur vita, dum Baptismi negatur gratia, nec saluti propinquare sinuntur, Salvatore licet clamante pro eis, sinite Parvulos venire ad me*, &c. III. Idem ex Patribus probatur.

Probatur Tertiò ex continua praxi & consuetudine Ecclesiæ suadentis semper, & quandoque præcipientis Baptismum administrari parvulis, de qua consuetudine August. lib. 10. super Gen. c. 13. *Consuetudo*, inquit, *Matris Ecclesiæ in parvulis baptizandis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua reputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Et Origenes lib. 5. in cap. 6. ad Rom. *Ecclesiasticam*, inquit, *ab Apostolis Traditionem accepit, etiam Parvulis dare Baptismum.* IV. Ex continua praxi Ecclesiæ.

Opponitur Authoritas Christi, qui præcepit Apostolis, docere priùs populum, & postmodum eos baptizare: *Euntes*, inquit, *in mundum universum, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. sed infantes ante adultam ætatem non possunt doceri, maximè in iis, quæ

quæ spectant ad fidem, ergo nec ante adultam ætatem poterunt baptizari. Respond. Istum quidem esse ordinem communem adultorum, ut prius doceantur & instruantur in fide, ac postmodum baptizentur, in parvulis autem sufficit, ut in Parentibus vel Patrinis doceantur, qui pro ipsis, & nomine ipsorum, ad omnia proposita respondent. Sicut etiam non nisi in aliena persona consenserunt in peccatum Adami, ita sufficit, ut in aliena persona instruantur & consentiant in remedium ipsius.

V. Christus tantum voluit adultos prius esse instruendos in fide.

Opponunt Secundò Anabaptistæ alia Scripturæ loca ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere DEO*; & Joan. 3. *Qui non crediderit, jam judicatus est.* Item Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur, qui non crediderit, condemnabitur.* Et ad Rom. 3. *Arbitramur, hominem justificari per fidem*; & alibi: *Corde creditur ad justitiam*, sed infantes etiam baptizati, non habent fidem, nec possunt ante adultam ætatem credere, ergò nihil eis ante adultam ætatem proderit Baptismus, nec impediet, quo minus judicentur & damnentur. Respond. Esse quidem impossibile placere DEO sine fide aliqua actuali, vel habituali, sed fides actualis non est ad hoc semper aut in omnibus necessaria. Ad alia loca respondet Scotus, ea præcipuè procedere de Adultis, qui tenentur & possunt actualiter credere, in quantum verò se extendunt ad parvulos, potest dici, quòd qui non crediderit actualiter vel habitualiter, hoc est, quod non habet fidem actualem vel habitualem, condemnabitur Nunc autem parvuli, etsi non habeant nec possint habere fidem actualem, habent tamen fidem habitualem, quæ in Baptismo simul cum habitu Charitatis & Spei ipsis infunditur, quod ad ipsorum salutem sufficit, si in eo statu discedant.

VI. Text' Scripturæ ab Anabaptistis oppositi explicantur.

Instatur Act. 8. Dum Eunuchus instructus à Philippo dixisset: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari*, cui respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet*: & illo respondente, quod sic: baptizavit eum. Ergò censuit Apostolus, neminem esse baptizandum, nisi priùs credat, sed parvuli non possunt credere, ergò nec baptizari. Respond. Certum esse, nullum adultum, qualis fuit iste Eunuchus, debere baptizari, nisi priùs credat & Baptismum postulet, in parvulis autem non requiritur alia fides aut consensus, quàm Parentum & Patrinorum, nec aliud voluit Apostolus, unde nego utramque consequentiam.

VII. Adultus non est baptizandus nisi prius credat.

Arguitur nunc ex facto Christi: Omnis actio Christi est nostra instructio, sed Christus fuit baptizatus 30. anno suæ ætatis, ergo non debemus nos ante eandem ætatem baptizari. Confirmatur: Si parvuli ante usum rationis essent baptizandi, deberet pari ratione ante illud tempus communicari ipsis Eucharistia, sed hoc non permittit Ecclesia fieri, ergo nec debet illud permittere. Respond. Si nos deberemus quoad omnem modum imitari actiones Christi, deberemus post sumptum Baptismum 40. diebus & noctibus jejunare, sicut ipse fecit, deberemus item post sumptum prandium sumere primò Eucharistiam, sicut ipse in Cœna Discipulis suis distribuit, & non ante prandium, prout communiter fit. Actiones quidem Christi sunt nostræ instructiones, sed eo modo, quo Ecclesia eas imitandas proponit. Distulit Christus Baptismum suum usque ad 30. annum: Tum, Quia nullo modo indigebat Baptismo: Tum etiam, quia nullum ipsi erat periculum, nè morte præveniretur, donec ipse voluisset: Tum denique, Quia ex infinita sua Sapientia noluit ante istud tempus palàm se aut suam virtutem manifestare hominibus, sed quia nos ab ipsa nativitatis hora indigemus Baptismo, nec sumus certi de tempore vel hora mortis, hinc providentissimè concedit Ecclesia tàm necessarium Sacramentum in parvulis, nè sinè remedio salutis ex hac vita migrarent. Adde Christum fuisse in infantia circumcisum, sicut & reliqui pueri Judæorum, quod erat figura Baptismi.

VIII. Quomodo actiones Christi sint nostræ instructiones.

IX. Cur Christus suum Baptismum distulerit ad 30. annum.

Ad Confirmationem respond.
X. Neg. maj. pro secunda Parte: Quia longè major est necessitas, & ratio exhibendi parvulis Baptismũ, quàm Eucharistiam, cùm illa sit de necessitate salutis ipsorum, hæc verò non, ùt postea videbimus, nec refert, quòd in primitivâ Ecclesiâ concessa fuerit Eucharistia parvulis: quia ob rationabiles causas hanc consuetudinem ipsa Ecclesia postmodùm abrogavit. Cœterùm de fide requisita in parvulis ad suscipiendum Baptismum jam sæpius dictum est, sufficere ipsis fidem Patrinorum & Parentum, qui pro ipsis Baptismum petunt, & ad interrogata respondent, quia sicut parvuli non nisi in aliena persona consenserunt in peccatum originale, ita sufficit, ut in aliena fide & persona in ejus remedium consentiant. Neque interrogandi sunt parvuli, postquam ad adultam ætatem pervenerint, an velint ratum habere, quod Parentes aut Patrini ipsorum nomine promiserunt, ùt contra Hæreticos definit Concilium Trident. Sess. 7. Can. 14. *Si quis, inquit, dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Parentes aut Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, sunt polliciti, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos: anathema sit.*

X. Cur parvulis Baptismus detur, & non Eucharistia.

XI. Sufficit parvulis fides Patrinorum & Parentum.

Quæres Primò: Quo determinato tempore præceptum Baptismi obliget, sivè parvulos, sivè adultos?
XII. Respond. Certũ esse in primis teneri Parentes parvulorum ad procurandum ipsis Baptismum, quandocunque â primo instanti nativitatis imminet periculum mortis ipsos; tum Lege Charitatis, qua tenemur subvenire proximis extremè indigentibus, maximè spirituali necessitate, tum Lege Pietatis, qua tenentur Parentes providere filiis. Secundò: Certum est teneri saltem adultis imminente periculo mortis quærere & procurare sibi Baptismum, nisi impossibil tas aliqua excuset, quo casu tenetur habere votum Baptismi, & re ipsa, ubi aderit commoditas suscipere.

XII. Parentes in casu necessitatis tenẽtur parvulis procurare Baptismum statim ac nascuntur.

Quæres Secundò: An extra casum necessitatis teneantur Parentes parvulis procurare Baptismum statim ac nascuntur, vel quo determinato tempore ad hoc obligentur, controvertitur inter Theologos, & movetur eadem Quæstio de adultis, an scilicet teneantur suscipere Baptismum statim ac ad usum rationis pervenerint, maximè si adsit, vel possit ad hoc haberi commoditas. Respond. ad Primum: Nullum extare præceptum positivum divinum, quo extra casum necessitatis obligentur Parentes baptizare suos infantes ante usum rationis, quia nullum tale præceptum potest sive ex Scriptura, sive ex traditione ostendi. Jure tamen Ecclesiastico tenentur Parentes procurare infantibus Baptismum, antequam ad usum rationis pervenerint: Quia licèt nullum de hac re extet præceptum positivum Ecclesiæ, aut Jus Canonicum scriptum, recepta tamen consuetudo Ecclesiæ â tempore Apostolorum deducta & continuata praxis eam obligationem sufficienter inducit. Unde magnum scandalum in populo faceret, & gravissimè peccaret, qui Baptismum infantis usque ad adultam ætatem distulisset, quamvis nullum sit periculum mortis ipsius. XIII.

XIII. Ex Jure Ecclesiastico, extra casum necessitatis, tenentur Parentes procurare Baptismum parvulis ante usum rationis.

Quæres Tertiò: An teneantur Parentes procurare infantibus Baptismum secundo vel tertio die post nativitatem, vel quamdiu possunt illum differre. Respond. Relinquendam esse prudentum judicio, nec posse in hoc certior regula assignari, quàm ut nimium non differatur, maximè sinè rationabili causa, qualis in Magnatibus potest esse expectatio Patrinorum ex longinquis partibus, solemnizatio major istius actûs, &c. Non desunt nihilominùs Theologi, qui dicunt, non licere citra necessitatem differre Baptismum ultra octavum aut decimum diem, sed aliis judicandum relinquo, illud certissimum est, gravissimè peccare eos, qui XIV.

XIV. Quamdiu possit differri Baptismus parvulorum citra necessitatem.

qui diu negligunt baptizare suos infantes: quia contra consuetum morem & ab Ecclesia approbatam consuetudinem faciunt. De adultis docet Vasquetz disp. 14. n. 4. eos secundùm communem teneri ad Baptismum, quamprimum ad usum rationis venerint, maximè si commodè possit haberi, eisque innotescat ejus necessitas & utilitas, cujus obligationis ratio à priori secundùm Vasquetz est, quòd Sacramentum Baptismi non solùm fuerit institutum in remissionem peccati originalis, sed etiam ut quisque fidem Catholicam publicè profiteatur. Unde in ejus forma mysterium Trinitatis exprimitur, tenetur autem, inquit Vasquetz, quivis post adultam ætatem credere & profiteri mysteria fidei, quamprimum ipsi sufficienter proponitur, ut in materia de fide dicitur: Ergò tenebitur etiam tunc suscipere Baptismum. Ratio verò à posteriori est: Quia si non teneantur adulti ad Baptismum quam primum post adultam ætatem possunt eum commodè habere, nullum aliud tempus extra periculum mortis potest ipsis assignari, quo teneantur usque ad finem vitæ eum suscipere, sed talis dilatio Baptismi esset validè inconveniens. Poterunt nihilominùs adulti post usum rationis, propter rationabiles causas differre ad tempus Baptismum, ut v. g. si majoris momenti sit aliquantulum differre Baptismum quàm statim baptizari, nempe aut propter majus bonum ipsius baptizandi, quia per talem dilationem poterunt superare aliqua incommoda, ob quæ de perseverantia ipsius meritò possit dubitari, aut propter majus bonum aliorum, qui ob tàm subitam susceptionem Baptismi fortè paterentur persecutionem, & ex dilatione ad tempus magnam haberet tolerantiam.

XV. Adulti, quo tempore obligentur ad suscipiendum Baptismum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum liceat baptizare Parvulos infidelium invitis Parentibus?

Conveniunt in proposito Primò omnes Theologi, parvulos quorumcunque sive fidelium, sive infidelium, postquam ad usum rationis venerint, posse baptizari invitis Parentibus, si ipsi Baptismum petant, aut in ejus susceptionem consentiant, quia in iis, quæ ad salutem spectant, sunt sui Juris, magisque tenentur obedire DEO præcipienti Baptismum, quàm Parentibus prohibentibus.

I. Parvuli infidelium petentes Baptismum possunt baptizari invitis Parentibus.

Secundò: Conveniunt Parvulos Catholicorum, Hæreticorum, Apostatarum, & Christianorum omnium, qui fuerunt verè baptizati, & per hoc Ecclesiæ subditi constituti, posse invitis Parentibus baptizari, quia cum Parentes, ratione Baptismi, subsint jurisdictioni Ecclesiæ, possunt & ad fidem cogi, & ad baptizandum parvulos compelli, vel si nolint, possunt parvuli ipsis invitis baptizari.

II. Parvuli Hæreticorum & omnium Christianorum baptizatorum, possunt baptizari invitis parentibus.

Tertiò conveniunt Parvulos quorumcunque etiam Infidelium agonizantes posse & debere invitis Parentibus baptizari: Quia quilibet tenetur ex Charitate succurrere proximo extremè indigenti, maximè in iis, quæ spectant ad salutem æternam.

III. Item parvuli infidelium agonizantes.

Quæritur hic principaliter de filiis Infidelium, qui nec ratione Baptismi, aut alterius Sacramenti, fuerunt unquam incorporati Ecclesiæ, aut ejus subditi effecti, de quibus proindè dubitatum, an liceat Ecclesiæ, aut Principibus sæcularibus eorum infantes invitis Parentibus baptizare, & potest Quæstio moveri, vel de Infidelibus aliàs temporaliter Subjectis Ecclesiæ vel Principibus, vel de non Subjectis.

Ubi adhuc conveniunt Quartò Theologi, nullam privatam personam posse extra casum necessitatis licitè baptizare parvulos Infidelium invitis Parentibus, cùm ad hoc nullam habeant tales jurisdictionem temporalem vel spiritualem.

IV. Privatus nequit extra necessitatem licitè baptizare parvulos infidelium eis invitis.

Quintò denique conveniunt, non requiri ad hoc consensum utriusque Parentis, sed sufficere tantùm vel Patris, vel Matris, ut in illius

V. Sufficeret consensus unius Parentis.

lius Baptismum consentiant, prout declaratum est in Concil. Toletano 4. C. 62.

VI. Parvuli Judæorum & Infidelium subjectorum Principibus Christianis licitè possunt baptizari invitis Parentibus adhibitâ tamen cautelâ.

Dico: *Parvuli Judæorum & Infidelium Subjectorum Principibus Christianis possunt licitè baptizari invitis Parentibus, adhibitâ tamen cautelâ, ne â Parentibus in odium Baptismi prius occidantur, aut sub eorum cura relinquantur.* Est Scoti 4. dist. 4. q. 9. n. 2. & inter Theologos satis communis. Probatur Conclusio ratione Scoti in Potestatibus subordinatis inferior non obligat in iis, quæ sunt contra superiorem, debetque Rector in Republicc contempta Potdstate inferiori cogere subditos ad obediendum superiori, juxta illud Augustin. Hom. 6. de Verb. Dom. *Si aliquid jubet Potestas, quod non debes facere hic sanè contemne Potestatem timendo Potestatem majorem*, sed DEUS habet majus jus Dominii in Parvulos, quàm habent Parentes ipsorum, maximè in iis, quæ spectant ad salutem spiritualem ipsorum animæ; ergò magis obediendum est DEO, præcipienti Parvulis Baptismum, quàm Parentibus prohibentibus eos baptizari, ergò non obstante prohibitione Parentum poterunt ipsis invitis licitè baptizari ab illis, qui jurisdictionem in ipsos habent.

VII. Idem ulterius ostenditur.

Confirmatur: Si infidelis Parens infantis vellet ipsum occidere, aut â periculo mortis, in quo esset, nollet eum liberare, Ptinceps temporalis posset & deberet contra voluntatem ipsius subvenire infanti in tali casu, & ad eundem effectum, si opus esset, cum injuria Patris eripere filium de potestate ipsius, imò quoties videret filium, pravis moribus instrui, aut contra cultum DEI educari, potest licitè idem facere, cùm ad Principes spectet abusus Parentum in filios corrigere & emendare, ergò â fortiori cum parvuli infidelium nondum baptizati versentur in manifesto periculo damnationis, nolintque Parentes ipsis subvenire, sed potius peccato infidelitatis velint eorum mortem accelerare, licitè poterunt â Principibus ipsis invitis ad Baptismum induci, imò quod plus est, inquit Scotus, *crederem religiosè fieri, si ipsi Parentes cogerentur minis & terroribus ad suscipiendum Baptismum.* Unde in Concil. Tolet. 4. multùm commendatur Pietas Sisebuti, vel, ut alii vocant, Asebuti, Hispanorum Regis, quòd Judæos coëgerit ad fidem, & Baptismum suscipiendum, indéque vocatur â Concil. *Religiosissimus Princeps*, & Lege quod post factum c. de Paganis, §. Si verò, jubentur confiscari bona Paganorum nolentium baptizari.

Ex his colligit ulteriùs, & concludit Aretinus dist. 5. in 4. q. 2. n. 1. & plures alii Theologi cum ipso, licere etiam Principibus Christianis adhibitâ eâdem cautelâ eripere infidelibus etiam non subditis suos infantes, eósque invitis Parentibus baptizare, quia, inquit, si licèt eripere parvulos de manibus & potestate Parentum volentium ipsos corporaliter occidere, eósque ab ipsorum tyrannide liberare, quantò magis licebit eripere eos de manibus volentium eos spiritualiter occidere, & nullo modo permittentium eos ad salutis remedium pervenire. VIII. Infantes infidelium etiam non subditorum licitè possunt baptizari cum debita cautela.

Arguitur Primò: Si infantes infidelium baptizarentur invitis Parentibus, vergeret in summum contemptum Sacramenti, & magnam contumeliam Fidei Catholicæ, sed quidquid sic vergit in contemptum Baptismi aut contumeliam Fidei, noo potest licitè â quocunque fieri, ergò. Probatur major: Quia taliter baptizati venientes postmodum ad adultam ætatem resilirent, & propriam sectam amplecterentur cum summo contemptu Baptismi, & magna contumelia Fidei Catholicæ: ergò. Respond. Nos in Conclusione addidisse cautelas & remedia, quibus huic malo obviaretur, ac proinde dixisse, non debere infantes baptizatos relinqui sub cura Parentum, sed apud alios debere Christianè educari, & in Fide Catholica instrui. IX. Objectio solvitur.

Arguitur Secundò: Lege naturæ subsunt infantes curæ & instructioni

ctioni Parentum, donec ad adultam ætatem perveniant, fierétque ipsis magna injuria, si ipsis invitis curæ ipsorum subtraherentur, ergò si aliter non licet baptizare infantes infidelium, quàm subtrahendo ipsos curæ & jurisdictioni ipsorum nullo modo licebit baptizare ipsos sine scitu & consensu eorum. Confirmatur: Non possunt licitè Principes Christiani eripere aut usurpare sibi alia bona temporalia Infidelium aut Judæorum sibi subjectorum hoc solo titulo & prætextu, quòd sint Infideles aut Judæi, facerentque ipsis maximam injuriam usurpando bona ipsorum, & ad restitutionem tenerentur, ergò à fortiori non erit ipsis licitum eripere Parentibus Infidelibus proprios filios, aut ipsis invitis ad Baptismum inducere, cùm æquale aut majus jus habeant Parentes in proprios filios, quàm in alia bona temporalia. Respondeo, Infantes esse de Lege naturæ subjectos Parentibus Infidelibus in iis omnibus, quæ non repugnant Legi Divinæ, aut non sunt contra expressam voluntatem Conditoris istius Legis, in aliis enim, quæ sunt contra expressam mentem & voluntatem DEI Authoris Legis naturæ, non sunt ipsis subjecti, nec quantum ad hoc ullum in eos Jus aut potestatem habent. Nunc autem licèt Jure naturali cura & educatio prolis spectet ad Parentes & Tutores, habeántque quoad hoc plenam in ipsos potestatem, si tamen perniciosè abutantur curâ & potestate sibi traditâ, aut exerceant contra expressam mentem & voluntatem DEI, qui naturam ipsam ejúsque legem condidit, perdunt totum Jus & potestatem erga prolem sibi debitam, potéstque Princeps Christianus licitè & religiosè eripere infantes de manibus ipsorum, ac ipsis invitis ac nolentibus ad Baptismum inducere, adhibitâ tamen cautelâ superius positâ, quia, ut ait Scotus supra, in potestatibus subordinatis inferior non obligat in iis, quæ sunt contra superiorem, neq; lex naturæ unquam dictavit, obediendum esse Creaturæ cum injuriâ Creatoris.

X. Infantes de Lege naturæ non sunt subjecti parentibus infidelibus in his, quæ sunt contra voluntatē expressam DEI.

Ex his ad Confirmationem Respondeo: Posse similiter Principes Christianos licitè & religiosè confiscare bona Infidelium, quando eis manifestè abutuntur cum injuriâ Creatoris, summo scandalo & periculo perversionis in Republica, & subversionis fidei Catholicæ, unde in forma concedo antecedens, quia nisi Infideles abutantur suis bonis, vel expugnando fidem Catholicam, vel expugnantibus subsidium præbendo, vel aliàs quomodolibet perversè & perniciosè dissipando cum summo scandalo Reipublicæ, & injuria Creatoris, manent propria ipsorum bona, nec licitè ab aliis contra ipsorum voluntatem usurpantur, nisi fortassis ex sincerâ mente, & efficaci voluntate compellendi ipsos ad fidem Catholicam amplectendam, sed nego consequentiam, quia hoc ipso, quòd Parentes infideles norint suos Parvulos baptizari, eisque viam salutis præcludant, abutuntur potestate sibi in ipsos tradita, ac per hoc totum jus, quod in ipsos habuerunt, quantum ad subjectionem admittunt, poteruntque licitè à Principibus Christianis, ipsis etiam invitis, & eorum Curæ subtrahi.

XI. Quando liceat Christianis Principibus cōfiscare bona Infidelium.

Arguitur Tertiò: Si infantes Judæorum & Infidelium possent licitè baptizari invitis Parentibus, idque laudabiliter & religiosè fieret, quare Principes Christiani, etiam ipse Romanus Pontifex permittit tot Judæos Infideles in suis ditionibus manere, nec eorum Infantes etiam invitis Parentibus curat baptizari, aut quâ conscientiâ possunt tot millenas animas Parvulorum permittere ex malitia Parentum damnari, cùm tamen licitè & religiosè possint atque debeant ipsis subvenire. Respondeo: Viderint ipsi Principes Christiani, quare tot Judæos & Infideles ad suas ditiones admittant, eisque liberum exercitium suæ perfidiæ & sectæ permittant; crederem tamen eos in eo excusari, quod eos primò admiserint intentione principaliter ipsos aut eorum aliquos paulatim inducendi ad sectandam fidem Catholicam, nec dubi-

XII. Unde excusetur Christiani Principes admittentes Judæos & Infideles.

dubito, summum Pontificem ex hac intentione permittere de facto, & tolerare Judæos in suis ditionibus, ut scilicet bonis exemplis Catholicorum variis suasionibus, consiliis & concionibus eorum aliqui amplectantur fidem Catholicam, unde certis temporibus cogit ipsos audire, & in propriis synagogis adesse concionibus Catholicorum, qui verò aliter aut ex alia intentione admittunt Judæos eisque liberum exercitium suæ sectæ permittunt, viderint ipsi; Illud apud Scotum pro certo quasi habetur, licere, non solùm Pontifici, sed etiam aliis Principibus Christianis minis & terroribus compellere tales ad fidem amplectendam; quantùm verò ad infantes Judæorum vel Infidelium, quamvis licitè & religiosè possint quandoque subtrahi curæ Parentum, & ipsis invitis baptizari, id tamen ordinariè aut communiter fieri non expedit, maximè extra periculum mortis, eorúmque milleni occiderentur à Parentibus in odium Baptismi, nè ad ipsum perveniant, undè consultius judicat Ecclesia, relinquere tales in manibus & cura Parentum, quàm tàm manifesto periculo objicere, si tamen cum debita cautela & secluso tali periculo fieret, licitè & religiosè secundùm Scotum fieret. Adde multa quandoque posse licitè & religiosè fieri, quæ semper aut extra casum necessitatis non obligant, maximè ubi ex ipsis prævidetur aliquod incommodum secuturum.

XIII. Licet illis tales minis & terroribus compellere ad fidem.

XIV. Ordinariè & communiter non expedit infantes infidelium baptizare invitis parentibus, & cur?

Instatur. Ex tali coactione quomodocunque factâ redderetur fides Catholica odiosa omnibus, & objicerent infantes manifesto periculo mortis; ergò nunquam est licita. Respondeo: Nos in conclusione addidisse Cautelam, quâ possit utrumque illud incommodum evitari, neque velle talem modum baptizandi esse licitum Principibus Christianis, nisi cum maximâ & debitâ cautelâ, ne scilicet fides plus detrimenti quàm lucri indè patiatur, & ne ipsi infantes tali periculo objicerentur, unde nego consequentiam.

Sed quid si non obstante tali periculo aut contradictione Parentum privata aliqua persona, aut etiam Christianus Princeps baptizaret infantes Judæorum, vel infidelium sive subjectorum, sive non subjectorum teneretne Baptismus? Respond. Vasquez Disp. 55. c. 6. Baptismum in tali casu valere, si adhibeatur debita Materia, Forma, & debita intentio Ministri, quantumvis baptizans non adhibendo debitam cautelam peccet, pro qua sententia citat Antoninum 3. Parte tit. 14. c. 13. §. 9. & 2. Parte Tit. 12. c. 2. Sylvestrum in sua summa Verbo Baptismo q. 7. quia inquit consensus Parentum non est in tali casu de necessitate Baptismi, prout docet Cavellus in Scholio supra prædictum locum Scoti pro ea adducens Augustinum Epist. 23.

XV. Valeret Baptism⁹ collatus infantibus infidelium etjam non subditorũ, sine debitâ cautelâ.

Quæres: Quid faciendum de Parvulo exposito, qui scilicet noctu relinquitur ad portam Ecclesiarum, nec potest quidquam sciri de Parentibus ipsius. Respondeo cum Scoto in 4. dist. 4. q. 8. si talis infans inveniatur cum aliquibus signis, quæ indicent, ipsum nondum esse baptizatum, ut v. g. cum sale ad ejus collum alligato, sicut solent mulierculæ facere, dum sic exponunt suos infantes, vel cum charta aliqua, in qua sciretur, eum non esse adhuc baptizatum, tunc absolutè & sine hæsitatione est baptizandus, si verò inveniatur sine talibus signis, nec post diligentem inquisitionem potest ab ullo in vicinia, vel in loco resciri, an esset baptizatus, tunc sub conditione est baptizandus, si scilicet non fuerit antea baptizatus.

XVI. Quid agendum cum Infantibus expositis.

QUÆSTIO TERTIA.

An, & qualis consensus requiratur in adulto, ut validè baptizetur.

Distinguit Scotus in 4. dist. 4. q. 4. tria *in* adulto suscipiente Baptismum, aut enim, ait, non est compos rationis, nec unquam ejus usum habuit, qualis est furiosus, vel fatuus à Nativitate, vel habuit aliquan-

I. Adultus perpetuò destitutus usu rationis baptizandus est, sicut parvulus.

aliquando usum rationis, etsi jam sit eo destitutus, vel jam actuali ratione utitur, & est sui compos; Et de Primo dicit Scotus, illum esse baptizandum sicut parvulum, nec alium in eo consensum requiri, nisi esset spes ipsum aliquando usurum ratione: quia tunc esset expectandum, ut cum majori reverentia, & fructu suscipiat Sacramentum.

II. Qui compos rationis consensit in Baptismum, postea destitutus usu rationis, potest baptizari.

De Secundo dicit Scotus, quòd debeat supponi nunc habitualiter consentire vel dissentire, secundùm quod in sanitate ante istud impedimentum actualiter consensit in Baptismum, vel dissensit, quòd si in sanitate actualiter & positivè consensit in Baptismum, nec eum consensum postea retractavit, censetur in infirmitate in eundem habitualiter consentire, potéstque securè & sine ulla hæsitatione baptizari, nisi fortè speretur, eum postmodum ad se rediturum, & tunc esset expectandum; Si verò in sanitate dissensit & positivè renuit suscipere Baptismum, nec unquam postmodum hoc retractavit, censetur nunc in infirmitate habitualiter dissentire & nolle baptizari.

III. Adultus potest non consentire in Baptismum vel negativè, vel contrariè & positivè.

De Tertio verò, eo scilicet, qui actualiter utitur ratione, quæritur hîc, an & qualiter debeat consentire in Baptismum, uti adhuc notat Scotus, dupliciter posse intelligi, adultū non consentire in Baptismum, vel scilicet negativè, quando actu non consentit, licèt positivè non dissentiat; vel contrariè & positivè, quando scilicet actualiter & positivè dissentit, idque vel simpliciter, ùt si absolutè nolit baptizari, vel secundùm quid, ùt cùm aliquis timore mentis vel supplicii vult simpliciter & verè baptizari, secundum quid tamen dissentit, nec vult baptizari, si aliter posset salvari; his positis

IV. Adultus habens usum rationis, nullo modo consentiens, nequit validè baptizari.

Dico Primò: *Adultus habens usum rationis & nullo modo consentiens non potest validè baptizari.* Est Scoti loc. cit. n. 3. §. Si ergò. Et communis Sententia Theologorum, eámque probat Scotus ex illo Prov. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, nolens, ait, aliquem omninò invitum adscribi suæ familiæ; suscipiens autem Baptismum adscribitur familiæ Christi, ergò non nisi volens & consentiens debet baptizari.

Probatur ratione: Quia Creatura rationalis compos rationis & ingenii non debet tanquam bos mutus ad stabulum duci, sed debet voluntariè consentire, & quantum in ipso est cooperari suæ saluti, nam ùt ait August. *Qui creavit te sinè te, non salvabit te sinè te.* V. Ratio ad idem.

Arguitur Primò contra: In parvulis non requiritur ullus consensus sive in se, sive in suis Parentibus vel Patrinis, imò invitis & contradicentibus Parentibus & Patrinis possunt baptizari, ùt præcedenter vidimus, ergò talis consensus non est de ratione aut necessitate Baptismi, ergò ulterius poterunt adulti verè & validè baptizari sine ullo tali consensu. Respondeo, Negando antecedens: Quia requiritur semper in parvulis fides & consensus vel Parentum, vel offerentium, vel Ecclesiæ supplentis quandoque talem defectum, nam ùt ait August. Epist. 23. *Parvuli in Baptismo non tàm ab iis, qui in manibus gestant, quàm à tota Ecclesia & universa Societate Sanctorum offeruntur.* VI. In parvulis requiritur consensus vel parentum, vel offerentium, vel Ecclesiæ.

Instatur: Ergò sufficit consensus solius Ecclesiæ sine ullo consensu adulti, ut validè baptizetur? Respondeo, Negando illatum, quia ipse ætatem & rationem habet, adeóque debet pro se respondere, & in propria persona consentire. VII. Cur hic cōsensus non sufficiat adultis.

Arguitur Secundò: Consensus personæ suscipientis sive sit parvulus, sive adultus, non est de essentia Baptismi, ergò poterit tota essentia Baptismi stare, & validè conferri sine ullo tali consensu. Respond. concед: anteced: & neg: consequentiam. Quia licèt talis consensus non sit de essentia Baptismi, est tamen dispositio necessaria requisita ex parte subjecti, ut validè recipiat Sacramentum; in parvulis quidem consensus Parentum vel Patrinorum, vel ad minimum fidei vel consensus Ecclesiæ, in adultis verò consensus etiam propriæ personæ. VIII. Consensus est conditio necessaria ex parte subjecti.

Instatur. Non requiritur ullus consensus positivus in adulto ad validè recipiendum Baptismum, sed sufficit, ùt positivè non dissentiat aut contradicat, prout declaravit Innocentius III. *in cap. Majores de Baptismo* & ejus effectu: *Tunc*, inquit, *Characterem imprimit Sacramentalis operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, ergò ex mente Pontificis non requiritur in proposito ullus consensus positivus adulti. Respondeo, Neque me in conclusione dixisse, quòd requiratur actualis & positivus consensus adulti, ùt validè baptizetur, sed solùm dixisse, si nullo modo consentiat, vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter non posse validè baptizari, maximè si positivè dissentiat, quia tunc certum est, quòd habeat obicem voluntatis contrariæ obsistentem Baptismo.

IX. Non requiritur actualis & positivus consensus adulti, ut validè baptizetur.

Sed quid, si nullo modo consentiat adultus, aut etiam dissentiat, se merè negativè se habeat, non assentiendo, nec dissentiendo, erítne validus Baptismus? Respondeo cum Scoto loco cit. num. 5. talem casum difficulter contingere, ut adultus utens ratione, nec actualiter, nec virtualiter consentiat vel dissentiat in Baptismum, quem suscipit, maximè si priùs cogitasset ullo modo de Baptismo, quia tunc placuisset illi baptizari, vel non placuisset, sed potiùs displicuisset, & secundùm quod ipsi tunc actualiter placeret, vel displiceret, judicaretur postmodùm virtualiter, vel habitualiter in ejus susceptionem consentire, vel dissentire, nisi actualiter de ipso nil cogitet. Si tamen, inquit Scotus, contingeret casus, in quo adultus nullo modo consentiret aut dissentiret in susceptionem Baptismi non potest validè baptizari: quia inquit ex quo utitur ratione, ùt sit capax Baptismi, oportet, ut habeat aliquam devotionem ad Sacramentum: nec refert, quòd citatus Pontifex dicat Characterem tunc imprimi, quando non invenitur obex contrariæ voluntatis, quia per obicem contrariæ voluntatis non intelligit Pontifex solam positivam resistentiam vel dissensum voluntatis, sed etiam negationem omnis consensûs positivi.

X. Dato casu, quòd adultus nullo modo consentiret, nequit validè baptizari.

Arguitur Tertiò: Concil. Florentinum numerando ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, docet Sacramenta tribus perfici, materiâ, formâ, & intentione Ministri, nullâ factâ mentione de intentione vel consensu suscipientis, ergò vel non sufficienter enumerat Concilium ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, vel sentit, consensum suscipientis non esse de necessitate Baptismi.

Confirmatur. Potest in naturalibus quis adoptari in filium sine omni suo consensu, ergò in spiritualibus poterit quis adoptari per Baptismum in Filium DEI sine omni suo consensu. Consequentia patet à paritate. Probatur antecedens: Quia etiamsi adoptatus penitus ignoret adoptationem, manet verè adoptatus per solam adoptantis voluntatem, ergò ad hoc non requiritur consensus positivus illius. Respondeo, Concil. Florentinum numerasse solummodoò essentialia Sacramentorum in genere, quæ generaliter requiruntur ad essentiam, & sunt de necessitate cujuslibet Sacramenti in particulari, non autem omnes dispositiones, quæ ex parte subjecti requiruntur ad validitatem hujus vel illius Sacramenti, nunc autem intentio aut consensus suscipientis Baptismum est dispositio necessaria in adulto ad validam ejus susceptionem, neque requiritur talis consensus in omnibus aliis Sacramentis, maximè quæ in usu non consistunt, adeóque non debebat à Florentino inter ea, quæ sunt de necessitate cujuscunq; Sacramenti numerari, unde nego consequentiam. Ad Confirmationem Respondeo: Negando consequentiam & paritatem, disparitas est, quia ex adoptione alicujus in filium naturalem sine suo consensu nullum sequitur inconveniens sibi vel alteri, si enim, postquam rescíverit se esse adoptatum, displicuerit ipsi

XI. Ad Concilium Florentinum objectum respondetur.

XII. Ex adoptatione alicujus in Filium per Baptismum sine ejus consensu sequerētur maxima incomoda.

ipſi adoptatio poterit renuntiare, ſed ex adoptatione alicujus in filium ſpiritualem per Baptiſmum ſine ſuo conſenſu maxima ſequerentur incommoda, nam imprimis taliter baptizatus, velit nolit, compellendus eſſet ad obſervantiam Chriſtianæ Legis, ex quo ſequeretur magna injuria Fidei, odium Religionis, & in DEUM infinitæ blaſphemiæ.

XIII. Simpliciter conſentiens in Baptiſmum licèt ſecundum quid diſſentiens, poteſt validè baptizari.

Dico Secundò: *Simpliciter conſentiens in Baptiſmum, quamvis ſecundùm quid diſſentiens, poteſt validè baptizari, modò intendat eum ſuſcipere eo modo, quo intendit Eccleſia dare.* Eſt etiam Scoti loco citato: Quia, inquit, talis eſt ſimpliciter volens, licèt ſecundùm quid nolens, & hinc Concil. Toletanum 4. præcepit taliter coactos ad Fidem & Baptiſmum: *Cùm conſtet*, inquit, *eos aſſociatos eſſe divinis Sacramentis, etiam cogi debere, ut Fidem & Baptiſmum ſemel ſuſceptum retineant, ne nomen Domini blaſphemetur, & Fides, quam ſuſceperant contemptibilis habeatur.* Et cap. Majores extra de Baptiſmo & ejus effectu, quod terroribus & ſuppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurrat Baptiſmi Sacramentum ſuſcipit, talis, ſicut & is, qui fictè accedit ad Baptiſmum, Characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens cogendus eſt ad obſervationem fidei Chriſtianæ, &c.

XIV. Major libertas requiritur ad Matrimoniũ, quàm ad Baptiſmum.

Arguitur in contrà: Matrimonium contractum ex metu cadente in conſtantem virum eſt ipſo jure nullum, ùt docent Theologi cit. ergò etiam Baptiſmus vi vel metu ſuſceptus erit invalidus & nullus. Reſpond. Negando conſequentiam: Quia multò major requiritur conſenſus & libertas in contractu Matrimonii, quàm in ſuſceptione Baptiſmi, ibi enim requiritur conſenſus liber ab omni coactione & metu maximè gravi, hîc autem ſufficit, ut ſimpliciter volens ſuſcipiatur, quantumvis ad hoc metu vel coactione inducatur.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum adultus accedens cum fictione ad Baptiſmum, accipiat ejus effectum.

Dupliciter poteſt quis cum fictione accedere ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Primò ſimulando exterius, & oſtendendo, ſe intendere & velle ſuſcipere Baptiſmum, eo modo, quo Eccleſia intendit conferre, aut Chriſtus conferendum inſtituit, oppoſitum tamen interiùs & in mente habet. Et de taliter accedente certum eſt, non recipere effectum Baptiſmi, cùm re ipſa internè non conſentiat in ejus ſuſceptionem, quantumvis externè hoc ſimulet, poteſt tamen ab Eccleſia cogi ad obſervantiam Legis Evangelicæ, cùm in foro exteriori per Baptiſmum fuerit ejus ſubditus effectus, nec Eccleſia de internis aut occultis judicat. I. Unus fictionis modus affertur.

Alio modo poteſt quis cum fictione accedere ad Baptiſmũ, quando verè & internè intendit ſuſcipere Baptiſmum, ſed ſimulat ſe eſſe benè diſpoſitum ad ejus ſuſceptionem, cùm tamen in rei veritate ſit valdè indiſpoſitus, vel quia habet unum vel plura peccata mortalia, in quibus voluntariè perſiſtit, nec ullatenus conteritur, aut vult ea deſerere, vel vitam emendare, vel quia non habet rectam fidem requiſitam ad debitam & condignam ſuſceptionem Baptiſmi, quod poteſt adhuc dupliciter contingere vel ſcilicet, quia non credit, Baptiſmum quidquam valere, licèt irriſoriè ad ipſum accedat, & talis fictio eſt contra ſubſtantiam Baptiſmi, omnemque ejus valorem & effectum impedit: Quia taliter accedens nullatenus conſentit verè aut internè in ſuſceptionem Baptiſmi, utpotè quem judicat, nullius eſſe valoris aut virtutis, quantumvis fictè & irriſoriè ad ipſum accedat; Vel ſi credit Baptiſmum quidem valere, eſſeque ex ſe deletivum peccati originalis, & collativum gratiæ, in aliis tamen rebus & articulis fidei II. Item alii fictionis modi referuntur.

fidei Catholicæ discredit, qualis potest esse adultus Hæreticus, credens quidem virtutem Baptismi, sed in aliis suis erroribus adhærens firmiter, & de talibus quæritur principaliter in proposito, an accedens fictè ad Baptismum, vel cum peccato infidelitatis, vel conscientiæ cujuscunque peccati mortalis recipiat ejus effectum, vel principalem, qualis est gratia sanctificans, vel minus principalem, qualis est Character Baptismatis.

III. Adultus accedens fictè cum peccato infidelitatis: vel conscientia peccati mortalis non recipit gratiam Sacramenti Baptismi.

Dico: *Adultus accedens fictè ad Baptismum cum peccato infidelitatis, vel conscientiâ peccati mortalis, non recipit effectum principalem Sacramenti, benè tamen minus principalem.* Est quoad utramque partem communis Sententia Theologorum ex Scoto in 4. d. 4. q. 5. n. 20. Probatur Prima Pars ex Scriptura, Sapientiæ 1. Spiritûs Sancti disciplina effugiet fictum; & Probatur Secundò ex Div. Augustino lib. de Pœnitentia c. 20. *Omnis*, inquit, *qui voluntatis suæ jam arbiter est constitutus, cùm accedit ad Sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam non potest inchoare*, sed accedens fictè cum conscientia peccati mortalis ad Baptismum, non habet displicentiam veteris vitæ, ergò non potest per gratiam novam vitam inchoare. Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. *Tunc*, inquit, *valere incipit Baptismus ad salutem; cùm illa fictio veraci confessione recesserit*, quæ eadem malitiâ vel Sacrilegio perseverante peccatorum abluitionem non sinebat fieri, &c. ergò ex mente Augustini fictio & malitia accedentis in peccato mortali ad Baptismum impedit remissionem peccati, & infusionem gratiæ, donec resipiscat, & talis fictio recedat; Et Ratio est; Quia peccatum quodcunque mortale, & gratia sanctificationis ita inter se opponuntur, ut de potentia ad minus ordinaria non possint esse simul in eadem anima, sed accedens fictè cum conscientia peccati mortalis ad suscipiendum Baptismum, peccat de novo mortaliter peccato Sacrilegii propter summam irreverentiam, quam Sacramento facit: Ergò per ejusdem Sacramenti susceptionem non potest simul recipere gratiam, aliàs per eandem Sacramenti susceptionem peccaret mortaliter, & simul gratiam sanctificantem reciperet, ac per hoc filius Regni & Gehennæ constitueretur, quod est absurdum.

IV. Talis fictus tamen recipit Characterem Baptismi.

Secunda etiam Pars Conclusionis constat ex perpetuâ praxi Ecclesiæ, quæ semper approbavit, Baptismum ritè semel collatum peccatoribus & infidelibus, non obstante peccato aut infidelitate ipsorum, neque tales denuò rebaptizandos judicat, sed talis baptismus non potest valere, nisi aliquem effectum ad minus Characterem baptismalem contulisset baptizato, ergò. Et ratio est: quia nullum peccatum, sivè infidelitatis, sive aliud quodcunque opponitur physicè, aut demeritoriè Characteri, aliàs per quodcunq; peccatum mortale deleretur in anima. Ergò nullum peccatum etiam infidelitatis impedit, quo minùs talis Character imprimatur animæ per Baptismum ritè & validè collatum.

V. Idem adhuc ostenditur.

Confirmatur. De fide est ex Trid. Sess. 7. Can. 9. per Baptismum validè collatum Characterem imprimi animæ, sed Baptismus potest validè conferri Infideli & peccatori non obstante suâ infidelitate vel peccato, ergò imprimet talibus Characterem. Probatur minor: Tum ex praxi Ecclesiæ, quæ tales semel baptizatos nunquam rebaptizat: Tum ex August. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas c. 14. *non interest*, inquit, *cum de Sacramenti integritate tractatur, quòd credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutem viam*, sed nihil interest ad Sacramenti rationem, ergo.

Opponitur Authoritas Scripturæ, scilicet illud Apostoli ad Gal. 3. *Quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis*, sed nemo induit Christum, nisi per gratiam sanctificantem, ergò quicunque validè baptizan-

ptizantur, recipiunt gratiam, sed accedentes ad Baptismum cum fictione, & conscientiâ peccati mortalis validè baptizantur non obstante suo peccato mortali vel fictione, ergò tales non obstante peccato recipiunt gratiam. Respondeo cum Scoto hic num. 9. dupliciter posse aliquem induere Christum, vel scilicet accipiendo Characterem baptismalem, qui est signum & sigillum Christianitatis, quo adscribitur homo Familiæ Christi, eúmque quodammodo induit, vel recipiendo gratiam sanctificantem, quâ specialiter adoptatur in Filium & Amicum DEI, & Christum speciali quodam modo, & longè excellentiori induit, & quantum ad primum modum concedo, quòd omnes etiam fictè accedentes ad Baptismum, si validè baptizentur, recipiunt Characterem baptismalem, & Christum quodam modo induunt, sed non semper secundo modo. Undè in forma Respondeo, Negando minorem & utramque consequentiam.

VI. Baptizatus duplicimodo potest induere Christum.

Arguitur ex ratione Primò quoad prim: Part: Si adultus accedens ad Baptismum cum conscientia peccati mortalis, non reciperet gratiam sanctificantem, præcluderetur ipsi omnis via salutis, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur minor, sine gratia baptismali nullus potest salvari, sed nisi in tali casu conferatur gratia baptizato, nunquam poterit illum accipere, cum Baptismus nunquam possit iterari, ergò præcluderetur ipsi omnis via salutis. Respondeo, Negando maj: ejúsque Probationis min: Quia taliter accedens non potest denuò baptizari, benè tamen potest per aliud medium recipere gratiam baptismalem, per pœnitentiam scilicet, nam ut ait August. citatus, *Tunc incipit Baptismus valere ad salutem, cùm illa fictio vera confessione recesserit*, quæ eadem malitiâ perseverante peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

VII. Fictè baptizatus potest per Pœnitentiam recipere gratiam baptismalem.

Instatur. Sacramentum Baptismi habet ex sua institutione, & ex opere operato conferendi gratiam & delendi peccatum quodcunque, sive originale, sive actuale, quod in anima invenit, independenter ab omni actu vel pœnitentia sequenti, ergò nulla fictio vel peccatum suscipientis impedit, quò minùs eam gratiam conferat. Respondeo, Distingu. antec: habet virtutem conferendi gratiam, & delendi peccatum in anima benè dispositâ, & non habente obicem, conced: anteced: in anima habente talem obicem, sicut in proposito supponitur de illis, qui fictè, & cum complacentia peccati accedunt, neg: ant: & consequ:

VIII. Baptismus nequit conferre gratiam Animæ habenti obicem.

Instatur adhuc: Peccatum Originale æquè propriè & immediatè opponitur gratiæ baptismali, éstque cum ipsa incompatibile, ac opponitur ullum peccatum actuale, sed peccatum originale suscipientis non impedit effectum principalem Baptismi, aut infusionem gratiæ sanctificantis, ergò neque ullum peccatum actuale ipsius impediet eundem effectum. Respondeo, neque Peccatum Originale, neque actuale ante Baptismum commissum impedire effectum principalem Baptismi, si homo debitè & sine obice ad ipsum accedat, ideò enim confertur, ut ista peccata deleat, sed quòd in proposito impedit, est inordinata voluntas permanendi in peccato, quod infusioni gratiæ obicem ponit.

IX. Inordinata voluntas permanendi in peccato ponit gratiæ obicem.

Urgetur. Illa ipsa inordinata voluntas permanendi in peccato est peccatum actuale, ergò non impediet infusionem gratiæ, sicut nec alia peccata actualia præcedentia Baptismum. Respondeo, conced: ant: neg: consequ: Quia licèt Baptismus habeat virtutem delendi non solum peccatum Originale, sed etiam actuale quodcunque ante Sacramentum, de quibus homo dolet, & cum quibus debitè accedit, non habet tamen virtutem delendi in adultis peccata, de quibus nullo modo dolet, sed actualiter sibi complacet, nec vult resipiscere, sicut in proposito supponitur de illo, qui cum tali fictione accedit ad Baptismum, unde si in susceptione Baptismi, aut in ipso actu bapti-

X. Baptismus nequit delere peccata, de quibus adultus non dolet, sed sibi in eis complacet.

baptizandi de sua fictione, & peccato sufficienter doluisset, tàm fictionem, quàm alia peccata Baptismus delevisset, & gratiam contulisset.

Urgetur denuò. Gratia est fortior & efficacior quocunque peccato, sive originali, sive actuali, ergò nullum peccatum suscipientis Baptismum, etiam actualiter existens, & in quo sibi complacet, impediet ipsam, quin potius quodcunque tale suâ virtute & efficaciâ expellet.

XI. Quo sensu gratia sit potentior peccato.

Respondeo, factâ comparatione inter Gratiam & peccatum inter se, gratiam esse multò potentiorem, ac proindè in quocunque subjecto ponetur, statim expulsuram peccatum; factâ verò comparatione utriusque ad voluntatem illud dicitur fortius, cui voluntas magis consentit, & fortius adhæret, ac proinde, si voluntas fortiùs adhæret, & magis consentit peccato quàm gratiæ, erit quodammodò fortiùs, & gratiæ infusionem ac operationem impediet.

Arguitur Secundò: Si Baptismus non obstante peccato aut fictione suscipientis non contulisset gratiam, non deleret in homine peccatum originale, nec actuale ante se inventum, sed hoc est absurdum, cùm non aliter, quàm in remedium peccati originalis conferatur, ergò. Probatur major: Nullum peccatum sive originale, sive actuale deletur defactò, aut de potentia ordinaria, nisi per collationem gratiæ sanctificantis, ergò si Baptismus non habet virtutem conferendi gratiam adultis, fictè & in peccato accedentibus, nec habebit virtutem delendi in ipsis peccatum originale.

XII. Baptismus stante fictione non delet peccatum originale, vel actuale.

Respond. Baptismum habere ex virtute propria conferre homini gratiam, & delere in ipso peccatum tàm originale, tàm actuale ante se inventum, quotiescunque & quandocunque invenit ipsum ad hoc dispositum, unde si in ipsa actuali susceptione Baptismi Subjectum sit capax, & benè dispositum, utrumque effectum ipsi tunc confert, si autem ex parte Subjecti sit obex, & impedimentum peccati, vel fictionis, nec unum, nec alterum effectum ipsi pro tunc confert, sed recedente primò fictione, & sublato per pœnitentiam obice; nam ùt ait Augustinus supra: *Tunc incipit Baptismus valere ad salutem, cùm ipsa fictio veraci confessione recesserit.* Unde in forma Respond. dist. maj. Non deleret peccatum originale, vel actuale stante fictione, vel durante obice, conced. maj. sublata fictione, nego maj. & conseq.

XIII. Objectio solemnis proponitur.

Arguitur Tertiò: Si Baptismus non conferat gratiam, nec deleat peccatum originale, nisi sublata prius per pœnitentiam fictione, & peccato suscipientis, collatio gratiæ aut sublatio originalis non erit effectus Baptismi, sed ipsiusmet Pœnitentiæ, sed hoc est absurdum, & contra comunem Theologorum & Patrum Sententiam, ergò. Minor patet: Tum, Quia ita sentiunt Theologi communiter: Tum etiam, quia nullum peccatum originale, aut etiam actuale ante Baptismum commissum spectant ad forum Pœnitentiæ, nisi ad summum ipsa fictio aut peccatum in actuali susceptione Baptismi commissum, unde nullum peccatum ex ipsis sivè originale, sive actuale, præter solam fictionem debet in confessione exprimi: ergò non spectat ad forum Pœnitentiæ, remittere ullum peccatum sive originale, sive actuale ante Baptismum commissum, nam ut ait Trid. Sess. 14. Can. 1. Sacramentum Pœnitentiæ fuit â DEO institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa, & ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos.

XIV. Et roboratur primò.

Probatur ergò major principalis Primò: Impossibile est per Pœnitentiam deleri peccatum fictionis, quin simul deleatur tàm peccatum originale, quàm actualia omnia simul inventa in anima, sive ante, sive post Baptismum commissa, sicut volenter non potest in peccatore deleri ullum peccatum mortale remanente altero, cùm secundùm Augustinum impium sit â DEO sperare dimidiam veniam, ergò quidquid delet in homine peccatum fictionis, delet

delet hoc ipso omnia alia peccata simul in ipso inventa, sed sola Pœnitentia delet peccatum fictionis in suscipiente Baptismum cum tali impedimento, ergò ea sola & non Baptismus delet tàm originale, quàm alia quæcunque peccata in ipso inventa.

XV. Itemq; secundò. Probatur Secundò eadem major: Nullum peccatum inventum in anima post Baptismum potest aliter, quàm per Pœnitentiam deleri, cùm secundùm S. Hieronymum hæc sit secunda post naufragium tabula, sed tàm originalia, quàm actualia ante Baptismum commissa manent in ficto post Baptismum: ergò non possunt aliter, quàm per Pœnitentiam deleri, ergò ulteriùs Baptismus sublata fictione nihil operatur in suscipiente, sivè quoad deletionem peccati, sivè quoad collationem gratiæ.

XVI. Scoti prima responsio ad argumentum principale. Scotus in 4. dist. 5. n. 4. & sequentibus, tripliciter respondet, & primò ait: Quantumvis peccatum fictionis non possit aliter, quàm per Pœnitentiam deleri, eo tamen semel sublato Baptismum per se & immediatè causare suum effectum, & remittere homini tàm peccatum originale, quàm actualia omnia ante Baptismum commissa, ac gratiam conferre, non secus, ac antea fecisset in sui collatione, si impedimentum non adesset: Quia, inquit Scotus, sicut DEUS adstitisset suo signo in instanti collationis Baptismi, conferendo gratiam, & delendo peccatum, si non adesset impedimentum, ita paratus est semper amoto impedimento eidem signo assistere, & intuitu ipsius gratiam conferre & delere peccatum.

XVII. Ejusdem responsionis impugnatio Scoti. Sed contra hoc arguit Scotus, quòd Baptismus nihil habeat, nec agere possit, nisi sublato priùs per Pœnitentiam peccato fictionis, ergò priùs ad minùs naturâ debet peccatum fictionis deleri per Pœnitentiam, quàm Baptismus quidquam operetur, sed impossibile est deleri per Pœnitentiam peccatum fictionis, quin simul deleantur omnia alia peccata in anima tunc inventa, cùm dimidiam non possimus à DEO sperare veniam, ergò priùs est deleri per Pœnitentiam tàm originale, quàm alia quæcunque peccata, ante vel post Baptismum commissa, quàm Baptismum quidquam operari.

XVIII. Alia responsio Scoti ad principalem objectionem. Hinc respondet Secundò Scotus: Neque priùs, neque posteriùs deleri per Pœnitentiam peccata fictionis, aut gratiam conferri, quàm deleantur per Baptismum reliqua peccata, sed in eodem instanti, quo applicatur Pœnitentia, & dolet homo sufficienter de peccato fictionis moveri DEUM, & à præterito Baptismo ad condonandum præterita peccata, & gratiam baptismalem conferendam, & à præsenti Pœnitentia ad condonandum peccatum fictionis, & gratiam pœnitentialem infundendam, neque per solum Baptismum, neque per solam Pœnitentiam, sed per utrumque simul hanc gratiam conferri, & peccata deleri.

Nec refert, quòd nec Pœnitentia se extendat ad peccatum originale, vel actualia ante Baptismum commissa, nec Baptismus post se admissa: quia licèt per se, aut secluso altero, non sic se extendant, benè tamen per accidens, & ad invicem conjuncta. Addit præterea Scotus: Gratiam, quæ tunc infunditur, esse perfectiorem Gratiâ, quæ virtute solius Pœnitentiæ infunditur.

XIX. Tertia responsio Scoti ad eandem objectionem. Tertiò denique respondet Scotus: Tàm peccatum fictionis, quàm ipsum originale, quæcunque peccata sive ante, sive post Baptismum commissa, per solam Pœnitentiam veram deleri, non quidem per se, sed per accidens, nec quidquam conferri virtute Baptismi, nisi, quia inquit, ex quo prima ejus susceptio fuit mortua, nunquam postmodum reviviscit, aut ad salutem proficit, sed absolutus est homo à præcepto de suscipiendo Baptismo, ex quo semel ipsum validè suscepit.

Dices: Neque peccatum originale, neque actuale ante Baptismum commissum cadere sub foro, aut virtute

† Q

tute Pœnitentiæ, utpotè quæ à DEO instituta est ad remittenda sola peccata actualia post Baptismum commissa, ut definit Trident. Sess. 4. Canon. 1. Respond. Verum quidem esse peccata illa, quæ Baptismum præcesserunt, per se non cadere sub foro aut virtute Pœnitentiæ, benè tamen per accidens, & præsupposito Baptismo validè antè & cum tali obice suscepto.

XX. Instantiæ respondetur.

Eligat quivis quidquid ex his magis placet, ego mentem & opinionem meam in sequenti aperiam Quæstione, amplectendo priores duas vias, quibus conformiter Respond. ad argumentum neg. maj. ad cujus primam probationem conc. anteced. & negatur utraque consequentia, licèt enim in eodem instanti remittantur peccatum fictionis, & alia peccata ante Baptismum commissa, nec posset unum sinè aliis remitti, non remittuntur tamen per idem Sacramentum, sed quodlibet agit, quod suum est, sublato obice: quòd autem dicitur, Baptismum nihil agere, nisi ablato per Pœnitentiam obice, non est sensus, quòd Pœnitentia priùs naturâ vel tempore tollat peccatum obicis, aut conferat Gratiam, quàm Baptismus deleat originale, & alia peccata ante se commissa, sed quòd nunquam possit eà delere, aut gratiam baptismalem conferre, nisi simul per Pœnitentiam tolleretur obex. Ad Sececundam Probationem majoris Respond. disting. maj. Nullum peccatum post Baptismum potest aliter deleri, quàm per Pœnitentiam ex illis, quæ vel in actuali susceptione Baptismi, vel post ejus susceptionem fuerunt commissa, concedo maj. ex aliis, quæ ante susceptionem Baptismi fuerunt commissa, neg. maj. & conseq.

XXI. Responsio Authoris ad Objectionem principalem.

Quòd si magis placeat tertia Responsio, respondeat concorditer ad illam conced. maj. & disting. minor. nec originale, nec actuale ante Baptismum commissum spectat ad forum Pœnitentiæ per se, aut secluso Baptismo validè antecedenter collato, conced. min. per accidens, & eo taliter præsupposito, neg. min. & conseq. nec aliud intendunt Patres aut Theologi.

XXII. Alia respondendi via ostenditur.

Quæres: An in adulto sine fictione accedente ad Baptismum requiratur aliqua dispositio, & qualis? Respond. Requiri imprimis ex parte ipsius fidem aliquam, qua credat & consentiat eis, quæ communiter in Baptismo solent interrogari, sicut etiam in ipsis parvulis fieri, & per Patrinos responderi cernimus; Deinde si accedat adultus ad Baptismum cum solo peccato originali, sinè ulla actuali aut personali culpa, non requiritur ex parte ipsius ullus dolor, sive contritio, sive attritio de sua originali culpa, sed sufficit nudus consensus in Baptismo, & propositum profitendi, & ampliùs servandi Legem Christi. Denique si accedat adultus ad Baptismum cum peccato originali, & uno vel pluribus peccatis actualibus à se ante Baptismum commissis, sufficit in eo ipsa sola attritio de peccatis voluntariè ab ipso perpetratis, prout docent Theologi communiter. Illud specialiter est advertendum, nunquam esse necessarium confiteri peccata ante Baptismum commissa; quantumvis propter obicem, aut fictionem suscipientis in ipsa actuali susceptione Baptismi non remittantur, sed sufficit in tali casu confiteri solam fictionem, dicendo v. g. quòd accesserit ad Baptismum cum actuali complacentia in aliquo peccato mortali, & voluntate permanendi in ipso.

XXIII. Qualis dispositio ad Baptismum requiratur in adulto sine fictione accedente.

QUÆSTIO QUINTA.

An Baptismus fictè collatus reviviscat sublatâ fictione?

Quamvis resolutio hujus quæstionis sufficienter deduci possit ex Responsionibus posterioris objectionis, in priori quæstione, nihilominùs claritatis majoris gratiâ assertivè in hac Quæstione dictam difficultatem resolvere volui, quare

Dico

I. Baptismus validè, sed fictè susceptus, sublata fictione reviviscit delendo peccato, & conferendo gratiam

Dico Primò: *Baptismus validè collatus, sed fictè susceptus sublatâ fictione reviviscit delendo peccata, & conferendo gratiam sanctificantem, quam alioquin contulisset, si obex non fuisset positus.* Ita D. Thom. q. 69. art. 10. Scotus 4. d. 4. q. 5. n. 3. & 4. & communiter Theologi. Dico tamen notanter, *validè collatus*, invalidè enim collatus non reviviscit, quia reviviscere non potest, quod nunquam fuit, sicut neque Privilegium confirmari potest, quod nunquam antea præexstitit.

II. Authoritas D. Augustini ad idem.

Probatur Conclusio Primò Authoritate D. Augustini lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. sic ait: *Quòd si dementissimum est dicere,* (ab Hæreticis baptizatos esse rebaptizandos) *fateantur* (Donatistæ) *vero Baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia vel Sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri; atque ita intelligant in Communionibus ab Ecclesiâ separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eadem Sacramenti celebratione datur, & sumitur; qui tamen tunc prosit in remissionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & non dimitti sinebantur, sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione, & verâ confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.*

Idem docet lib. 5. cap. 13. ibid. quæ verba omnes Scholastici sic interpretantur, ut significent, Baptismum fictè susceptum recedente fictione prodesse ad salutem, quem effectum in principio ratione impedimenti seu obicis non habuit. Quamvis in assignando explicandóque hunc effectum aliqui dissentiant, quem aliqui statuunt solam remissionem totius pœnæ etiam temporaneæ omnium peccatorum ante, & in susceptione commissorum, & non collationem gratiæ, quod tamen videtur contra efficaciam Baptismi, quem consequitur omnis remissio pœnæ & culpæ, & primarius effectus est gratia.

III. Authoritas S. Gregorii pro reviviscentia Baptismi.

Divo Augustino addo Gregorium lib. 9. Epistola 61. & refertur dist. 4. de Consecratione Can. 4. dicentem: *Sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emendationis recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter confessionem veræ fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Cyprianum Serm. de Pass. D. Isidorum Hispalensem lib. 2. Off. cap. 24.

Dices: Patres & S. Augustinum nullibi asserere simpliciter Baptismum reviviscentem, ex opere operato conferre gratiam sanctificantem, quia ibi non agit de reviviscentia, sed validitate Baptismi apud Hæreticos collati, asserentibus nonnullis, quòd talis Baptismus non sit validè collatus: ergò solùm ibi intelligendum est radicaliter, & ultra probatur antecedens; nam in Epistolam ad Eph. c. 5. ait: *Quod semel datur,* (id est, Baptismus) *fit ut non solùm antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia impetretur;* quòd non solùm formaliter, sed radicaliter intelligendum est, ut significat immediatè verbis sequentibus: *Quid enim,* inquit, *prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel post, nisi præcederet:* ergò verba illa lib. 1. cap. 36. intelligenda sunt simpliciter. Respond. Augustinum ibi ultra progressum fuisse, & eum remissionem peccatorum probasse, & docuisse Baptismum id operari recedente fictione, quod Donatistæ arguebant eundem operari acceptum in ipsorum Secta, atque hoc illi negabant de remissione peccati & pœnæ facta per ipsum Baptismum propriè.

IV. Instantiæ cuidam respondetur

V. Congruentia pro reviviscentia Baptismi.

Confirmatur ex congruentia excellentiæ Sacramentorum novæ Legis, Bonitate & Misericordiâ divinâ, & profectu salutis nostræ, congruit enim ut aliquando conferat, si ob im-

ob impedimentum in collatione conferre nequit.

Opponitur Authoritas Scoti citati supra n. 5. *Per Pœnitentiam deletur ista fictio per te, non autem potest deleri ante unum peccatum actuale, nisi deleantur omnia*, *quia secundùm S. Augustinum impium est à DEO dimidiam sperare veniam, ergò pro illam Pœnitentiam delentur omnia alia peccata*, non ergò gratiâ Baptismatis.

VI. Mens Scoti panditur. Respond. Scotum adhuc continuare discursum secundùm triplicem modum dicendi, nempè quòd utrumque Sacramentum concurrat, ùt supra dixi, vel quòd in Pœnitentia detur æquivalens gratia illi, quam accepisset in Baptismo, vel etiam quòd quidem majorem gratiam non recipiat in Pœnitentiâ, sed quòd per eam incipiat valere impletio præcepti de Baptismo suscipiendo, quæ ante Pœnitentiam ei nihil profuit. Imò Scotus hîc objectus non dicit, hanc esse suam mentem, quod probat, dum ait, *per te*, & ulterius probo ex eodem Scoto cit. n. 6. ubi dicit: *Quandoque autem oportet omne peccatum, quod deletur, esse ablatum Pœnitentiâ, utpotè si illa omnia peccata sint commissa post Baptismum, quandoque autem non oportet, ut in proposito. Non ergo per virtutem Pœnitentiæ dimittuntur hic omnia peccata, sed in Pœnitentia dimittuntur, partim per Pœnitentiam, partim per aliam causam, scilicet Baptismum, & sic non habetur dimidia venia, sed tota à DEO, licèt non præcisè per Pœnitentiam.* Et sic utrumque Sacramentum concurrit simùl ad causandam gratiam; itâ ut Baptismus directè dimittat peccata ante ipsum commissa. Pœnitentia verò ipsum sequentia, quod probari potest ratione hac: Quando duæ causæ concurrunt, quæ à se invicem dependent respectu alicujus effectûs, neutra priùs causat, sed utraque simul, ut patet de ipsa materia & forma Sacramenti cujuslibet, sed Baptismus & Pœnitentia sunt duæ causæ respectu Justificationis adulti fictè accedentis ad Baptismum, quæ ab invicem dependent, ergò. Probatur minor quoad alteram partem: Quia Pœnitentia dependet à Baptismo ratione peccati originalis & aliorum, quæ successerunt, quæ solus Baptismus dimittit, è contra Baptismus dependet à Pœnitentia propter fictionem, quia DEUS nolentem non justificat, consequenter delere debet, quo facto cùm Baptismus sit præsens, statim ille operabitur.

VII. Baptismus directè dimittit peccata ante ipsum commissa, Pœnitentia verò peccata ipsum sequentia.

Dices: Pœnitentia est prior, ergò illa sola justificabit, quia non datur dimidia venia. Probatur antecedens: Quia Pœnitentia resuscitat Baptismum mortuum, ergò prior est, & sic pro instanti quo suscitatur, non operabitur, sed pro instanti sequenti, priùs enim quid debet esse, antequam operetur. Respond. Negando antecedens, cujus probam distinguo, suscitatur ut mortuus nego, ut impeditus revera tamen existens, & præsens in acceptatione Divina, concedo. Et sic immediatè ut tollitur impedimentum operatur, sicut visus carens speciebus statim visionem producit ut species ponuntur, sic Baptismus statim producit gratiam ùt dispositio adest, cujus carentia erat impedimentum causationis. Sed

VIII. Instantiæ responde-tur.

Instabis: Scotus n. 8. expressè dicit: *Susceptio ejus* (Baptismi) *mortua fuit, & mortuus reviviscere non potest.* Respond. Primò: Scotum ibi loqui secundùm tertium modum dicendi, quem si tenere quis vellit, posset dicere Baptismum fuisse mortuum, & tunc non reviviscere, nisi in quantum impletio præcepti inciperet ei prodesse. Respond. Secundò: Explicando Doctorem, mortua fuit susceptio, ut opus operantis est, ut actio Christi, nego. Sic enim fuit sancta & viva, sed per opus operantis malum impedita. Quia ùt dicit S. Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 13. *Illud & in homine justo, & injusto semper sanctum est, quod neque æqualitate alicujus augetur, neque iniquitate alicujus minuitur.* Pro sequenti Conclusione

IX. Scotus explicatur.

Nota

X. Quid obex positivus, & quid negativus?

Nota, duplicem à DD. assignari obicem, unum positivum, quod est peccatum mortale, quod committitur in ipsa susceptione Baptismi, v.g. odium actuale, alterum verò negativum, qui est sola non dispositio, sive carentia dispositionis ad effectum Baptismi requisitæ sine novo peccato.

XI. Ut reviviscat Baptismus cum obice negativo suscepto, sufficit attritio.

Dico Secundò: *Ut reviviscat Baptismus in suscipiente illum, si obex fuerit negativus, sufficit attritio, sin verò positivus, opus est contritione & confessione.* Est communis contra Vasquetz, requirentem contritionem sumptô fundamentô ex S. Augustino, qui tamen loquitur de obice positivo.

Probatur Conclusio: Quia ad delendum peccata Baptismum præcedentia sufficit attritio, quando suscipitur Baptismus, ergò etiam quando reviviscit, cùm secundùm S. Augustinum tunc habeat eandem vim, ait enim supra: *Quia illud* (Baptisma) *in homine justo & in homine injusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicujus augetur, nec alicujus iniquitate minuitur.*

Confirmatur: Quia alioquin is, qui post Baptismum cum obice negativo susceptum non peccasset, justificari non posset, nisi per contritionem, sicut in Lege veteri. Imò pejoris esset conditionis quàm is, qui post Baptismum plura peccata comisisset, hic enim per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ (cujus alter incapax esset) posset justificari.

XII. Si autem obex fuit positivus, requiritur Confessio, vel Contritio.

Probatur Secunda Pars Conclusionis: Peccatum in susceptione Baptismi, vel post Baptismum commissum est subjectum clavibus Ecclesiæ, ergò per se & directè remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel certè per contritionem, quæ includit votum Sacramenti.

Nec dici potest: Peccata mortalia concomitanter sive indirectè deleri per Baptismum priùs susceptum, dum illius virtute cum attritione directè auferuntur peccata Baptismum præcedentia, ut refert sentire Paludinus dist. 4. q. 5. qui tamen huic doctrinæ non firmiter adhæret, illud tamen valdè probabile censet, Dicastillo. Non inquam id dici potest; quia nullum Sacramentum habet virtutem dimittendi peccata futura, seu post ejus susceptionem commissa, Sacramenta enim sunt medicinæ vulnerum præcedentium curativæ, & contra sequentia præservativæ, quare peccata postea commissa faciunt, ut nec quidem remittantur commissa antè Baptismum, dùm sola adest attritio; cùm unum mortale sine altero non remittatur, & recedente fictione non remittantur peccata virtute Baptismi, nisi quæ ipsum tempore vel natura præcedunt, ut habet communis sensus DD. à quo recedendum non est sinè fundamento, quod hic nullum est, nam quod Dicastillo allegat, cum peccatis confessis simul indirectè absolvi & remitti oblita, aut justa de causa suppressa nihil probat: nam talem vim datam esse à Christo, absolutioni quoad peccata illam præcedentia constat ex Trident. Sess. 14. cap. 4. & indubitatè omnium Catholicorum sensu: non constat autem datam esse Baptismo quoad peccatorum illum subsequentium directam deletionem, cùm tamen in materia Sacramentorum ob levem conjecturam ex quadam paritate desumptam, non licèt Sacramentis adscribere novos effectus cotra sensum communem. XIII. Dicastillò refutatur.

Imò verò non est paritas inter Baptismum & Exemplum ab ipso allegatum, esset autem inter Confessionem validam & informem, casu quo detur, ut reviviscat, si nempè post illam committeret nova peccata, verùm pariter hæc non reviviscerer per solam attritionem, neq; indirectè peccata subsequentia deleret.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum Justificati teneantur ad Baptismum?

Multipliciter potest intelligi, aliquem esse justificatum ante Baptismum, I. Diversi modi justi-

ficationis ante Baptismum referuntur.

ptismũ, vel quia nullo modo contraxit peccatum originale, sed in ipsa sui conceptione accepit ex speciali privilegio gratiam sanctificantem in ipsissimo instanti, quo aliàs sine tali privilegio peccatum originale contraxisset, sicut in Beatissimâ Virgine credimus factum, vel quia post contractum peccatum originale in utero adhuc materno sanctificati sunt, & gratiam sanctificantem receperunt, sicut in quibusdam Sanctis legimus factum, vel quia ante obligationem Baptismi per Circumcisionem deletum est peccatum originale, & Gratia collata, sicut in quibusdam Apostolis & aliis plurimis ante solennem Evangelii promulgationem factum est; vel denique quia post obligationem Baptismi habentes adhuc peccatum originale elicuerunt actum perfectæ contritionis, & Amoris DEI super omnia, per quem ante Baptismum in re susceptum justificantur, licèt non sine voto ipsius, & de his omnibus quæritur, an non obstante suâ justificatione obligentur præcepto illo Matth. ult. ad suscipiendum Baptismum.

II. A quo cœpit obligatio Baptismi, quivis Viator etsi justificatus, tenetur suscipere Baptismum, nisi cum eo fuerit dispensatum.

Dico: *Post perfectam Evangelii promulgationem, & ab eo tempore, quo incepit obligatio Baptismi, tenetur quilibet Viator, quantumlibet justificatus, quando commodè potest suscipere Baptismum, nisi fuerit cum eo specialiter dispensatum.* Est communis Sententia & Scoti in 4. dist. 4. q. 6. n. 2. ubi eam probat Primò: Quia Lex universaliter promulgata obligat omnes subditos, quorum non fit specialis exceptio, aut cum quibus non est facta specialis dispensatio, sed præceptum datum à Christo de suscipiendo Baptismo fuit lex universalis, & universaliter lata pro omnibus descendentibus ex Adam per carnalem propagationem, ergò ex quo cœpit ejus obligatio, obligat omnes in universum sic descendentes, quantumvis justificatos, nisi fuerit cum eis specialiter dispensatum.

III. Alia ratio ad idem.

Probatur Secundò: Quilibet Viator tenetur esse membrum Ecclesiæ militantis, extra quam nemo potest salvari, idque non tantùm internè, aut in conscientia, sed etiam externè & quoad notitiam aliorum membrorum, cum quibus in externa communione Sacramentorum debet communicare, sed nòn fit membrum Ecclesiæ quoad externam communionem, nec aptus ad communicandum cum aliis, nisi per susceptionem Baptismi, ergò tenetur quilibet quantumvis justificatus ad ejus susceptionem.

IV. Ostenditur ulterius justificatos teneri ad Baptismũ.

Probatur Tertiò: Tenetur quilibet etiam justificatus ad illud, quod est necessarium ad salutem, sed susceptio Baptismi ab eo tempore, quo incepit obligare, est necessaria omnibus etiam justificatis ad salutem, ergò tenentur ad ejus susceptionem. Probatur minor: Tum ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus est*: Tum etiam, Quia nemo, quantumvis justificatus, potest salvari, nisi per Christum, sed nemo salvatur per Christum, nisi incorporetur & fiat membrum ipsius, nec hoc contingit aliter de factò, quàm per Baptismum. ergo.

V. Alia adhuc ratio ad idem.

Probatur Quartò: Tum, nisi justificati tenerentur ad Baptismum, non rectè statueret Ecclesia Catechumenos jam verè contritos, ac per hoc justificatos esse baptizandos, Tum, si homo justificatus, cùm facilè possit, negligeret suscipere Baptismum, daret aliis membris Ecclesiæ occasionem magni scandali, quia videretur gratiam Baptismi contemnere, ergò ad evitandum hoc malum tenetur ad ejus susceptionem.

Arguitur Primò: Si justificati omnes tenerentur ad Baptismum, nec Beata Virgo, nec Apostoli essent liberi ab obligatione ipsius, sed nusquam legitur eos fuisse baptizatos, ergò signum evidens est, non fuisse ad hoc obligatos: nec valet dicere fuisse fortassis cum Apostolis & Beata Virgine specialiter dispensatum in hoc præcepto, quia quidquid sit de Beata Virgine, de qua dubitant aliqui, an sub hoc præcepto contineatur, saltem cum Apostolis nulla fuit ratio dispensandi, cùm fuerint capaces effectûs tàm primarii, quàm secunda-

rii

rii ipsius, nec, ùt ait Scotus, essent gratiores DEO per hoc, quòd non essent baptizati, nec essent efficaciores Doctores in Ecclesia, nec est ulla ratio alia dispensandi cum ipsis, sicut reverà nunquam legitur dispensatum; ergò. Respond. quantum ad Apostolos, eos fuisse verè baptizatos, & ad hoc obligatos, quod tradit August. Epist. 108. & lib. 3. de origine animæ. c. 9. & Nicephorus lib. 3. historiarum c. 3. & alii in caput tertium Joann. ajunt, Christum baptizasse Petrum, & à Petro Andream, Joannem, & Jacobum fuisse baptizatos, & ab his cœteros Apostolos, & idipsum ostendens Scotus ex eo, quod Christus ipse instituit Apostolos Sacerdotes ac Ministros sui corporis & sanguinis conferens eis potestatem ligandi & solvendi à peccatis, sed ordo Sacerdotalis præsupponit Baptismum, ùt habetur c. *Si quis. & c. veniens de Presbytero non baptizato*, ergò priùs erant Apostoli baptizati, quàm Sacerdotes effecti.

VI. Apostoli fuerunt baptizati.

De Beata Virgine dicit Scotus, supponendum esse, similiter eam fuisse baptizatam à dulcissimo Filio suo, nisi fortè, ait, fuerit specialiter excepta ab ista Lege communi, sicut fuit specialiter præservata à peccato originali, & quidèm fuisse specialem rationem dispensandi cùm Virgine in hoc præcepto docet ibidem Scotus, quia, inquit, fortè habuit in conceptione Filii sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam DEUS disposuit eam prævenire, unde ab Angelo salutatur gratiâ plena, nec proindè poterat ampliùs nullum augmentum gratiæ per Baptismum recipere, ex quibus constat, Scotum dubitâsse de Baptismo Virginis; alii tamen omninò existimant, eam fuisse baptizatam, sivè ad hoc fuerit obligata, sivè non: Tum, ut Characterem Christianitatis reciperet, & incorporaretur Filio suo, fierétque membrum Ecclesiæ militantis, quod multùm facit ad ejus excellentiam; Tum, ut alios suo exemplo animaret, & alliceret ad Baptismum, sicut Christus ipse, licèt non indiguerit, voluit tamen circumcidi, & ad exemplum aliorum baptizari â Joanne: Tum denique, ne aliis daret occasionem scandali, vel oblocutionis, non recipiendo Baptismum Filii sui, cujus tantam necessitatem Apostoli prædicabant, & Christus ipse manifestè docuit.

VII. B. Virgo quoq; fuit baptizata.

Arguitur Secundò: Nullum Sacramentum est frustrà & inutiliter conferendum, sed frustra daretur Baptismus iis, qui ante ejus susceptionem sunt sanctificati, ergò non est ipsis conferendus. Probatur minor: Frustra daretur Baptismus iis, in quibus nullum haberet effectum, aut fructum, sed in justificatis nullum haberet effectum aut fructum. ergo. Confirmatur: Baptismus ex Symb. Conc. Constantinop. non est conferendus, nisi in remissionem peccatorum, *Confiteor*, inquit, *unum Baptisma in remissionem peccatorum:* sed in juificatis nullum est peccatum originale, vel actuale, ergò non est ipsis conferendus Baptismus. Respond. conced: maj: & neg: min: ejusque Prob: minor: Quia imprimis Baptismus contulisset justificatis characterem baptismalem, quod est signum quoddam Christianitatis, per quod incorporatur homo Christo, & membrum Ecclesiæ constituitur. Deindè redderentur apti & idonei ad reliqua Sacramenta Ecclesiæ percipienda, quæ sine Baptismo non possunt conferri, cùm sit janua omnium Sacramentorum: Denique per Baptismum recepissent augmentum gratiæ, nisi fortassis haberent antecedenter illam plenitudinem gratiæ, ad quam DEUS disposuit eos pervenire, sicut de Beata Virgine plerique docent, quo casu solum characterem recepissent, quod ad ejus valorem sufficit.

VIII. Quid conferat Baptismus collatus jam Justificatis antea.

Ad Confirmationem Respond: Neg: absolutè majorem: loquendo de omni casu confertur quidem ordinariè Baptismus in remissionem peccatorum eúmque effectum re ipsa utplurimùm sortitur, & habet quantum est de se virtutem efficacem remittendi peccatum, si inesset, unde meritò ait Conc: Constantinop. ipsum fuisse institutum in remissionem

IX. Quo sensu Baptismus institutus in remissionem peccatorum.

nem peccatorum, quia scilicet ut plurimùm talem effectum habet annexum, sed cum hoc benè stat, quòd possit quandoque conferri etiam illis, qui nullum peccatum Originale, vel actuale habent ad causandum in illis alios effectus, quos ex se habet conferre non minùs, quàm istam remissionem, unde neg: conseq:

Arguitur Tertiò: Veritas formæ baptismalis non potest salvari in justificatis, ergò non potest validè ipsis conferri, conseq: patet, antecedens probatur: Veritas formæ baptismalis non stat cum negatione omnis peccati tàm actualis, quàm originalis, sed in justificatis est negatio & carentia omnis peccati tàm actualis, quàm originalis, ergò non potest in ipsis stare, aut salvari veritas formæ baptismalis. Probatur major ex Trident. Sess. 1. Can. 4. ubi ex negatione peccati originalis in parvulis infert falsitatem formæ baptismalis: *Si quis*, inquit, *parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat, etsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed ex Adam trahere nihil originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, unde fit consequenter, ut in eis forma baptismalis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit, &c.* Ergò vel malè infert Concilium ex negatione peccati originalis in parvulis falsitatem formæ baptismalis, vel censet ejus veritatem non posse stare cum negatione tàm actualis, quàm originalis peccati, sicut in justificatis necesse est reperiri. Respond. neg: anteced: ejusq; Probationis majorem, ad hujus probationem ex Conc. Trid. dico: Patres Concilii in illo Canone duo potissimùm intendisse: Primum & Principale est: Parvulos habere peccatum originale, quod negabant Pelagiani & alii Hæretici, contra quos latus est iste Canon.

X. Veritas formæ Baptismi potest salvari in justificatis; nec hoc est contra Côcil. Trident.

Secundum est: Formam Baptismi collatam Parvulis in remissionem peccatorum esse falsam, si nullum habent peccatum originale, quod per Baptismum remittatur: quia cùm Parvuli nullum habeant, nec possint habere peccatum actuale, sicut teste Augustino lib. 1. de peccatorum remissione & meritis C. 16. docuerunt quidam Pelagiani eos habere, non poterit Baptismus verè ipsis conferri in remissionem peccatorum, nisi admittatur in ipsis peccatum originale, quod per Baptismum expietur, & hinc Concilium intulit, non posse Pelagianos, aut alios quoscunque negantes Peccatum Originale in Parvulis verè aut sine falsitate conferre ipsis Baptismum in remissionem Peccatorum, quod verissimum est, & conformiter ad eandem veritatem dico, non debere, neque cum veritate posse conferri Baptismum justificatis in remissionem peccatorum, cùm hoc ipso, quòd sint justificati, nullum habeant peccatum originale vel actuale, quod per ipsum remittatur, quod maximè verum est de Beata Virgine, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ unquam fuit, benè tamen potest Baptismus conferri justificatis ad alios suos effectus præstandos, puta ad imprimendum Characterem Christianitatis, ad incorporandum hominem Christo, eúmque constituendum membrum Ecclesiæ militantis, ad augmentum gratiarum, si possit augeri, nec adhuc pervenit ad ultimam plenitudinem, quam DEUS disposuit illi conferri, neque hoc negat Concil. Trid. cùm solùm asserat non posse Baptismum conferri parvulis in remissionem peccatorum, nisi admittatur in parvulis peccatum originale, quod per Baptismum expietur.

XI. Baptismus non potest conferri justificatis in remissioné peccatorum.

Arguitur Quartò: Baptismus nunquam confertur nisi in remissionem peccatorum, ergò nunquam debet conferri illis, qui nullum peccatum originale vel actuale habent: Conseq: patet. Probatur anteced: Baptismus ex suâ definitione est Sacramentum & efficax signum ablutionis animæ â peccato, erítque falsum & inefficax signum, si hunc effe-

ctum

ctum re ipsa non consequatur, ergò ubi nullum peccatum est abluendum in animâ, non poterit sine falsitate conferri. Confirmatur: Sacramentum Pœnitentiæ non potest sine falsitate administrari illis, qui post Baptismum nullum peccatum actuale commiserunt, ergò neque Sacramentum Baptismi potest conferri illis, qui nullum unquam peccatum originale vel actuale habuerunt. Respondeo, Negando antecedens ad ejus probam dico: Baptismum debitè acceptum, esse signum efficax & infallibile ablutionis animæ à peccato, si pro tunc aliquod peccatum ipsi inest, & sit ad hoc ritè dispositus, vel si ejus peccata per aliud medium ante sublata sint, non erit adhuc Baptismus signum falsum aut inefficax, quia licèt pro tunc non abluat animam à peccato, confert tamen ipsi augmentum gratiæ, si Subjectum sit capax, & simul imprimit Characterem baptismalem, estque de se deletivum cujuscunque peccati, tàm originalis, quàm actualis ante se commissi, quod ad ejus veritatem sufficit: quando enim dicitur in definitione Baptismi, quòd sit Sacramentum abluitionis animæ à peccato, non est sensus, quòd actu eam debeat, semper mundare & abluere à sordibus peccatorum, sed quòd sic actualiter eam mundet, si pro tunc aliquod peccatum actuale vel originale ipsi insit, vel si nullum insit, conferat ad minùs majorem nitorem & pulchritudinem animæ per augmentum gratiæ, & impressionem Characteris baptismalis, sitque in se Sacramentum ablutionum animæ à peccato.

XII. Quo sensu Baptismus sit signum ablutionis animæ à peccato?

XIII. Cur ad Sacramentū Pœnitentiæ præsupponatur peccatum, & non ad Baptismū.

Ad Confirm. Respond. Negando conseq. & paritatem, Disparitas est, quod Sacramentum Pœnitentiæ dicat expressum ordinem ad peccatum præsens vel præteritum pœnitentis, ut constat tum ex illis verbis formæ, absolvo te à peccatis tuis, tum ex ipso nomine Pœnitentiæ, quæ nihil aliud est, quàm dolor animi pœnitentis in se, quod dolet se commisisse, adeóque ubi nullum peccatum est nec fuit post Baptismum commissum, non poterit cum veritate conferri, Baptismus autem ex sua ratione non importat aliud, quàm nitorem & munditiem animæ, sive id fiat per amotionem sordium, quæ insunt, sive solùm per additionem nitoris & pulchritudinis, quæ antea non infuit, quod utrumque potest Baptismus in subjecto proportionato causare.

Dices: Si ad veritatem formæ baptismalis sufficit, quòd vel abluat à peccatis, si quæ insunt, vel si non insunt conferat majorem nitorem animæ, ergò saltem ad veritatem formæ pœnitentialis sufficiet, quòd vel absolvat à peccatis, si quæ insunt, vel fuerunt commissa, vel si nullum insit peccatum, aut fuit commissum post Baptismum, conferat ad minùs majorem gratiam, augeatque meritum suscipientis, sed consequens est falsum, ergò & antecedens. Prima consequentia patet, quia tàm videtur impossibile abluere hominem à sordibus peccatorum, quæ nec insunt, nec fuerunt ullatenus contracta, ac absolvere à peccatis, quæ nec insunt, nec fuerunt pòst Baptismum commissa, ergò si non obstante primo stat veritas formæ baptismalis, per hoc solùm, quòd conferat aliquem nitorem & pulchritudinem animæ, quem ante non habuit, stabit etiam non obstante secundo veritas formæ pœnitentialis per hoc, quòd augmentum gratiæ conferat.

Nec valet dicere, sensum istorum verborum, baptizo vel abluo te, in forma baptismali esse, quòd conferat Sacramentum ex se ablutionem à peccato, adeóque ejus veritatem posse consistere, quamvis hic & nunc actualiter non abluat? quia posset scilicet dici de forma pœnitentiali ad ejus veritatem sufficere, quòd sit ex se Sacramentum absolutivum à peccatis, si inessent, aut fuissent post Baptismum commissa, quantumvis hic & nunc nulla inveniat peccata, à quibus sic actualiter absolveret, nec alium esse sensum illorum verborum, absolvo te à pec-

XIV. Disparitas inter Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ. catis tuis, &c. Respond. Negando conseq. & paritatem, disparitas maxima est. Primò: Quòd sine aliquo peccato post Baptismum commisso non habeatur materia proxima aut remota Sacramenti Pœnitentiæ, sine quibus ejus valor aut veritas non possunt subsistere, nam materia remota illius Sacramenti sunt ipsa peccata post Baptismum commissa, proxima sunt actus pœnitentis, confessio scilicet, contritio & satisfactio, quæ necessariò supponunt peccatum aliquod post Baptismum commissum, quo deficiente non poterit validè, aut cum veritate conferri: in Sacramento verò Baptismi peccata suscipientis non sunt materia proxima aut remota Sacramenti, adeóque sinè illis poterit veritas & valor Baptismi subsistere; & licèt ordinariè præsupponatur in suscipiente Baptismum peccatum originale tanquam materia circa quam, & in quibusdam etiam peccata actualia, hoc tamen non est de necessitate Baptismi, nec ad ejus valorem ita requisitum, ut sine ullo peccato originali vel actuali non possit ejus ratio subsistere.

XV. Alia adhuc disparitas. Deinde: Actus absolutionis est actus Judicis ferentis sententiam absolutivam de culpis pœnitentis, adeóque necessariò præsupponit aliquod peccatum præsens, vel præteritum ipsius, de quo sententiam ferat, actus verò ablutionis in Baptismo non est actus judicialis, sed actus ex se conferens munditiam aliquam, nitorem & pulchritudinem animæ, idque vel delendo omnem immunditiam peccati originalis & actualis, si quæ insunt, vel si nullum peccatum inest, conferendo novam munditiam animæ, & majorem gratiam & pulchritudinem, quam ante non habuit; ad illud, quod in probatione additur, esse videlicet æquè impossibile abluere à peccato, quod non est contractum, ac absolvere à peccato, quod non est commissum. Dico, quòd in Justificatis per Sacramentum Baptismi non fiat propriè ablutio à peccato, cùm nullum insit peccatum, sed fit collatio novæ munditiei, & majoris gratiæ, & pulchritudinis, quam antea non habuerunt, quod ad veritatem ablutionis baptismalis sufficit.

XVI. Potest quidoque salvari forma Pœnitentialis sine eo, quòd peccatum actualiter remittat. Ad ultimam denique replicam dico: Posse etiam quandoque veritatem formæ pœnitentialis salvari absque eo, quòd ullum peccatum pœnitentis hîc & nunc actualiter remittat, ùt in materia de Pœnitentia videbimus, & constat in eo, qui cum solis peccatis antea confessis & remissis ad confessionem accedit, sed nunquam potest ejus veritas salvari sinè aliquo peccato pœnitentis vel actualiter præsente, vel jam præterito, & post Baptismum commisso, quia sinè aliquo tali non haberetur materia proxima vel remota Sacramenti Pœnitentiæ, nec haberet Judex, de quo Sententiam in tali foro posset conferre.

Arguitur Quintò: Baptizatus Baptismo saguinis non tenetur ad Baptismum fluminis, ergò nec baptizatus Baptismo flaminis tenebitur ad ipsum, sed adultus justificatus per actum contritionis & amoris DEI super omnia habet Baptismum flaminis, ergò non tenebitur ampliùs ad Baptismum fluminis. Utraque consequentia patet, quia Baptismus flaminis & sanguinis æque supplent defectum Baptismi fluminis, ergò si baptizatus Baptismo sanguinis non tenetur ampliùs ad Baptismum fluminis, nec baptizatus Baptismo flaminis. Respond. Si baptizatus Baptismo Sanguinis supervivat postmodum, & possit commodè suscipere Baptismum fluminis, obligatur ad ipsum, si autem non supervivat, sed per Martyrium moriatur, salvabitur sinè omni Baptismo fluminis, & eodem modo dico de Baptismo Flaminis, si habens votum Baptismi supervivat, & possit habere commoditatem recipiendi Baptismum fluminis, obligatur ad ipsum, si autem cum solo voto Baptismi & perfectè contritus moriatur, nec possit habere commoditatem recipiendi Baptismum fluminis, sine ipso salvabitur, ex quibus constat, quòd si ali-

XVII. Baptizatus Baptismo Sanguinis vel Flaminis, si supervivat, obligatur ad Baptismum Fluminis.

si aliquis post Martyrium resuscitaretur, & postea nobiscum supervivat, habeatque commoditatem recipiendi Baptismum Fluminis obligari ad ejus susceptionem, quia Baptismus Sanguinis non nisi in ejus defectu & voto quasi valebat, nec ab obligatione hujus, ubi commodè potest haberi, liberat. Quæ ut magis pateat, subnecto sequentem Quæstionem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De suscipientibus Baptismum Flaminis, & Sanguinis, ubi de naturâ horum Baptismorum.

PErfecta cum Charitate Contritio, & Martyrii Privilegium, quæ à PP. Baptismus *Flaminis, & Sanguinis* dicuntur, ætate majores sunt Baptismo Fluminis, ut patet ex testimonio ipsius Salvatoris, Matth. 23. ubi loquens de Sanguine Martyrum, de Apostolis & Discipulis ait: *Et ex eis occidetis, crucifigetis, & in Synagogis vestris flagellabitis*, &c. ac statim subdit: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine justi Abel*, &c. insinuans Abelem sanguinem justum veluti alii Martyres effudisse; Et certè Martyres fuisse ante Christum, res indubitata mihi est. Nam & authoritas convincit, & ratio probat, nam & Nazianz. Orat. 20. quæ est de Machabæis eos Martyres vocat expressè, & ut tales colit Ecclesia, eadem est ratio de anterioribus, qui omnes vel ob Leges patrias, vel ob justitiam, & veritatem, vel ob verum DEI cultum, nè ad Idola deflecterent, sanguinem effuderunt, adeóque etiam de ipso Abel, qui ob gratiam, quam à DEO habebat, à fratre occisus est: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus non respexit, iratusque est Cain*, Genes. 4.

I. Martyres fuerunt ante Christum.

Differentia tamen est inter Contritionem, quòd hæc homini adulto peccatori semper fuerit necessaria, qui enim spontè se à DEO avertunt, liberè ad eum convertere se debent, ut ipse admonet: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Martyrium verò rarò est sub præcepto, & non nisi in casu, quo declinari non potest, quoque vel peccandum est vel moriendum, tunc ut peccatum videtur, mors est eligenda, imò D. Cyprianus ait Ep. 83. *Temeritate non caret, qui temerè suscipit Martyrium*, adeóque etiam justa causa subesse debet, ut Martyrium suscipiatur, quando est consilium, quare indifferenter non potest se quilibet exponere, nè tormentis succumbat, & fidei irreverentiam faciat, sed ad alia, quæ majoris sunt difficultatis, progrediendo

II. Differentia necessitatis Martyrii & Contritionis.

Dico Primo: *Tam Baptismus Sanguinis, quàm Flaminis, Baptismum Fluminis supplere possunt, quantùm ad gratiam sanctificantem causandam, dummodò votum ejusdem in se contineant, aut adsit ejus impossibilitas.* Hæc ex Scoto deducitur in 4. d. 4. q. 6. ab initio, & est communis inter Catholicos. Probatur de Primo ex Authoritate Augustini probantis illud ex pluribus Scripturæ locis, nam lib. 13. Civ. c. 7. ait: *Quicunque enim non percepto regenerationis lavacro pro Christi Confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis; Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; Alia Sententia fecit eos exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis*, Matth. 10. & alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, Matth. 16. *Hinc est quod scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit, ut etiam omnia delicta dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur?* Idem docet D. Bernardus Tract. ad Hugonem de S. Victo. c. 2. *Quapropter etsi Martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, hoc planè non fecit ipsa pœna, sed fides.*

III. Martyrium potest supplere Baptismum Fluminis.

IV. Ac etiam Contritio.

Probatur etiam de Contritione: Tum Ezech. 18. *Si egerit Pœnitentiam impius, vitâ vivet, & non morietur, & cùm averterit se impius ab impietate, animam suam vivificabit.* Item 33. & Lucæ 16. Tum, Quia multos legimus justificatos, antequam Baptismum suscepissent, ut Cornelium Centurionem, Act. 10. Tum ex D. Bernard. Tract. ad Hugon. de S. Victore c. 2. *Tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non desit Fides recta, Spes pia, Charitas sincera, propitius sit mihi DEUS, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuam credere Fidem, nec confundere Spem, nec excidere Charitatem, tantùm si aquæ non contemptus, sed sola (ùt dixi) probibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, viderit, unde sibi, quod asserit, persuaserit, nam me non facilè fateor assentire, si non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum authoritas.*

Vide etiam Gratianum de Consecrat. d. 4. per plura cap. & maximè cap. ad Apostolicam: Tum denique, quia DEUS per Sacramentorum institutionem media ad salutem non arctavit, sed magis ampliavit, & consequenter si valuit ante contritio, cur non valeret modò, si votum Baptismi simul haberet, sicut post Baptismum valet respectu Sacramenti Pœnitentiæ. Quale autem debeat esse votum, diversificant AA. ego puto tamen cum Mastrio & aliis, regulariter quidem requiri explicitum, sufficere tamē quandoq; etiam implicitum, nempe servandi omnia mandata DEI, si enim huic adderetur, & non modò omnia mandata, sed etiam hoc de Baptismo esset explicitum, verùm implicitum sufficere deducitur ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. Verùm

V. Ut Martyrium & Contritio suppleat Baptismum, requiritur regulariter votum explicitum Baptismi, sufficit tamen quandoque implicitum.

Dices: Si implicitum sufficit, non erit magis necessarius Baptismus in voto, quàm aliorum præceptorum observatio, quia omnia debet velle observare mandata, alioquin non haberet contritionem perfectam. Respond. Negando sequelam: Quia votum hoc fertur in illa omnia, prout in se sunt necessaria, & se ad invicem habent consequenter, cùm primum remedium contra originale & alia peccata Baptismus & sit etiam præceptus, simul priùs censetur habere votum illius quàm aliorum, & sic censetur magis per votum Baptismi justificari, quàm per votum observationis aliorum præceptorum. Sed de Contritione suo loco, ad Martyrium redeo; &

VI. Instantia respondetur.

Dico Secundò: *Martyrium est mors illata violenter non resistenti in odium, aut pro Fide Christi, aut vera virtute ex Fide cognita.* Hæc mihi videtur esse bona, & patebit explicando singulas particulas. Et primò quidem debet esse mors illata. Colligitur ex verbis Christi ad Petrum: *Cùm esses junior, cingebas te, & ibas, quo volebas, cùm autem senueris, cinget te alius*, &c. Joan. 21. significans, eum non se, sed ab alio occidi debere, qui sequitur vestigia Christi, hinc licèt crudeliores in se ipsos sint, qui se flammis donant, aquis suffocant, præcipitio collidunt, &c. & consequenter tales à Martyrii laureola justè repelluntur, quales fuerunt mulierculæ illæ, de quibus Eusebius narrat lib. 8. cap. 12. & 17. quòd se ipsas occiderint, nisi fortè ex instinctu Spiritûs Sancti id fecisse conjecturari possit, ut tenet Ecclesia de S. Apollonia. Probatur etiam altera Pars: Quia si non sit violenter illata, non facit Martyrem, hinc licèt servientes pestiferis moriantur & ponant animas suas pro fratribus suis, martyres non sunt propriè ex communi usu & sensu Ecclesiæ, fructum tamen talem ùt Martyres ex opere operantis consequi possunt, unde legitur in Martyrologio Rom. ad 28. Februarii, quòd tales servientes veluti Martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit, adeóque benè dixit Nicephorus lib. 6. cap. 20. *Hoc genus mortis* (servientium pestiferis) *pietate multâ & fide robora-*

VII. Martyrium definitur.

roboratum, non multùm abesse à Martyrio, si tamen aliquid abest, simpliciter non est Martyrium. Et ratio est, quia taliter inservientes simpliciter habent spem evadendi, & frequenter evadunt, & ob hoc utuntur præservativis, nè inficiantur, & infecti medicativa adhibent, Martyres verò nullam spem vitæ evadendæ habere debent. Sed

Dices: Ad Martyrium non requiritur, quòd mors sit violenter illata, sed sufficit, quòd aliquis habeat propositum acceptandi mortem, quia Martyrium est actus virtutis, qui solo interno actu perficitur, sed tales habent propositum acceptandi mortem, ergò. Tum, Quia S. Joannes Evangelista, tres Pueri in camino ignis, & plures alii, ùt Martyres coluntur, & tamen mortui non

IX. Ad Martyrium non sufficit solum propositum, sed requiritur actus externus.

sunt, ergò. Respond. ad primum negando maj. ad Probationem ejus dico: Martyrium esse quidem actus virtutis, sed externum, sicuti est susceptio Sacramentorum, unde sicut hæc non perficitur solo actu interno, ita nec Martyrium, & sicut hanc nemo sibi administrat, ita etiam Martyrium non est in hominis potestate, sed ab alio fieri debet. Ad Secundum

X. S. Joannes Evang. tres Pueri, & alii, cur sint Martyres?

Respond. Eos veros esse Martyres ex eo, quòd talem pœnam sustinuerint, quæ de se erat occisiva, per accidens autem fuit, quòd per miraculum conservata fuerit vita, miraculum autem non minuit veritatem testimonii pro Christi fide dati, sed auget eam, cùm DEUS causam per miraculum approbet. Neque enim requiritur, quòd quis statim moriatur ex pœna, sufficit enim, quòd tormentum ex se vim habeat occidendi, sicut celebrantur prout Martyres solennes Marcellus, Pontianus, &c. qui ad catabulum, & ad alias ærumnas relegati, ex squalore carcerum vel aliundè obierunt. Hinc

XI. Potest quis pluries fieri Martyr.

non est improbabile, quòd pluries quis Martyr fieri possit, si nempe hoc anno hanc pœnam sufferat, à quâ divinitùs servatur illæsus, alio tempore vel anno aliam, usque tandem vitam finiat, secùs si moraliter simul plures infligantur pœnæ.

Probatur tertia Pars, nempe illata non resistenti: Tum ex communi PP. dicto: Martyr non pugnat: Tum ex praxi Ecclesiæ, qui Eleazarum unum, 1. Macchab. c. 6. ex eo, quòd fortiter pugnando corruerit, non ut Martyrem veneratur, veneratur tamen Eleazarum alterum, qui 2. Machab. c. 6. patienter sustinens supplicium pro sanctissimis Legibus honesta morte perfunctus est. S. Mauritius miles, S. Gereon, &c. Martyres sunt, non quia in castris Imperatoris meruerunt, sed quia nolentes imolare, & rem pessimam facere, arma deponentes, sinè resistentia, ut potuissent, spontè mortem susceperunt: Tum, Quia pugnantes censentur æquè magis velle mortem inferre, quàm perpeti, cùm ex pugna sperent victoriam, unde si patiuntur cum necessitate, ferunt non voluntate, & hinc omnes milites etiam in bello fidei morientes, non sunt Martyres, si etiamnum pugnandum esset, aut peccandum, sed in tali casu multùm apud DEUM merentur; quare autem uni, & non alteri occisioni privilegium Martyrii attribuatur, est voluntas DEI, qui liberè hunc actum ex hac conditione & circumstantia factum vult præmiare ut Martyrium, & non alterum. Si tamen milites victi arma deponerent, vel fugerent, & occiderentur in odium fidei Martyres dicerem, maximè si ob id mortem acceptarent.

XII. Martyrium debet inferri non resistenti.

Probatur quarta Pars ex PP. D. Augustino Concione 2. super illud Psal. 34. *DEUS meus, & Dominus meus in causam meam*, ait: *Non in pœnam meam, sed in causam meam: Non in id, quod malum habet latro commune, sed in id, quod beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Hæc enim causa discreta est, non pœna similis est bonis & malis, itaque Martyres non facit pœna*, (sola) *sed causa*. Et Epistola 50. ad Bonifacium Comit. dicit: *Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio juni-*

XIII. Martyrium debet inferri in odium fidei Christi, aut veræ virtutis.

sio jungebat, causa separabat. Ideò in Psalmo vox illa intelligenda est verorum Martyrum volentium se discerni à Martyribus falsis. Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, non dixit discerne pœnam, sed discerne causam meam, potest enim impiorum esse similis pœna, sed dissimilis est Martyrum causa. D. Bernardi Epistola 98. *Martyrium facit causa, tempus, genúsque discernunt.* Et serm. 66. in Cant. *Nihil ergò simile habet constantia Martyrum, & pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Et ideò Propheta Martyris fortè voce dicebat: Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò Legem tuam meditatus sum, pro eo videlicet, quòd etsi pœna eadem videretur, longè diversa esset intentio, illo utique durante cor contra Dominum, isto in Lege Domini meditante.* Hinc non modò morientes pro fide Christi, sed etiam quacunque verâ virtute, ut castitate, justitiâ, jejunio, oratione, Sacramentis Martyres sunt veri, quicunque enim pro vera virtute moritur, implicitè dat testimonium Christo, & veræ ipsius fidei, & hinc est

XIV. Martyrium debet sustineri pro virtute per fidem veram cognita. Probanda ultima Pars: nempè *Per fidem veram cognita* idque ex authoritate D. August. Ep. 204. dicentis: *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christo vivus incendereris, hoc enim est, quod ait Apostolus: Etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeo, nihil mihi prodest.* Et ratio est, quia licèt videatur aliquis hæreticus mori pro aliqua propositione fidei vera, vel aliqua virtute morali, ita tamen est constitutus, ut magis mortem subeat, pro defensione proprii indicii & capritii, sitq; ita determinatus, ut moreretur etiam pro quacunque alia re & propositione, quam credit, etiamsi fidei Catholicæ repugnaret. ergo. Itaq; vera virtus est, quam vera fides commendat. Et hinc non modò hæretici à Martyrii gloria excluduntur, verùm etiam ii, qui ob vanam gloriam, vel ob aliud motivum humanum moriuntur. Ex dictis

XV. Conditiones ad Martyrium requisitæ enumerantur. Colligitur: Ad Martyrium in se sequentes requiri conditiones: Primò: Debet intercedere mors, vel tale supplicium, ex quo connaturaliter sequi nata est mors. Secundò: Debet esse ab alio illata. Tertiò: Debet esse violenter illata. Quartò: Debet fieri non resistenti & pugnanti. Quintò: Debet pœna infligi ob fidem Christi, vel aliquam veram virtutem. Pro adultis adde conditionem sextam, quòd aliqualiter consentire debet & acceptare mortem,

XVI. Qualis consensus requiratur in adulto. nam sicuti Baptismus Parvulorum & Adultorum idem est, in adultis tamen requiritur consensus aliquis, ita etiam in Martyrio requiritur, ut ex motivo fidei, vel Christi veræ virtutis saltem interpretativè, vel habitualiter cognito, mortem acceptet. Ratio est Primò: Quia cum sit habens rationem, & capax propriæ voluntatis potens operari modo humano, meritò exigitur ab ipso magis testimonium, quàm à Parvulo, in quo Christus defectum supplet, ut sufficiat testimonium materiale, nempè ipsa mors. Ratio est Secundò: Quia Martyrium est actus virtutis (illius nempè, ex quo motivo suscipitur spei, vel dilectionis, aut fortitudinis) adeóque consensus aliquis requiritur. Sed ad illud, de quo potissimùm controvertitur.

XVII. Martyrium causat ex opere operato gratiam sanctificantem, & omnē culpam & pœnam delet. Dico Tertiò: *Martyrium in subjecto benè disposito causat ex opere operato gratiam sanctificantem primam vel augmentum, & plenè omnem culpam & pœnam delet, si in peccato fuerit.* Ita Doctor Subtilis 4. d. 4. q. 6. quem præter Scotistas sequuntur RR. communiter. Probatur Primò ex authoritate Scripturæ, quæ non minùs Martyrio quàm Baptismo promittit remissionem Peccatorum, ut Matth. 10. *Qui me confessus fuerit.* Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium meum, salvam faciet eam.* Unde D. Augustinus pro prima conclusione cit. sic argumentatur: *Qui dixit: Nisi quis renatus*

natus fuerit, dixit etiam, qui me confessus fuerit &c. Sed qui renascitur, consequitur gratiam ex opere operato, ergò etiam qui sanguine profuso confitetur Christum.

XVIII. Authoritates Patrum ad idem.

Probatur Secundò: Ex PP. Augustino Lib. 3. de Symbolo ad Catechum. c. 4. dicente: *Præstitit hoc eis Christus, ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuò eos mors reddidit vitæ.* D. Bernardo Tract. ad Hugonem de S. Vict. c. 2. ubi clarè docet, fidem cum charitate, & cum Martyrio vicem Baptismi supplere. D. Clemente Lib. 5. Constit. Apostolicarum cap. 7. ubi ait: Quamvis fuerit Catechumenus, lætus discedat, *Passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem Baptismum, quoniam ipse re ipsâ commoritur Christo, alii in figura.* Ex quo cum eodem & D. Cypriano Argumentor sic: Qui commoritur CHRISTO per Baptismum, consequitur gratiam, & peccata delentur ex opere operato, ùt patet ex D. Paulo Rom. 6. Quicunque baptizati sumus &c. Sed Martyr magis commoritur Christo, cùm majorem Charitatem nemo habeat, quàm ut animam suam ponat, ergò magis consequitur gratiam.

XIX. Ratio ad idem.

Probatur Tertiò: Illud dici debet delere peccata ex opere operato, & conferre gratiam sanctificantem, quod facit, ut quis statim ingrediatur Regnum Cœlorum, ùt patet ex Florent. in Decret. Unionis. Sed Martyrium sic facit ingredi in Regnum Cœlorum Martyrem, ergò. Major patet. Probatur Minor ex Innoc. 3. c. Cùm Marthæ. de celebr. Missæ. & D. Aug. Serm. 17. de verbis dicente: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare.* ergò.

XX. Justificationem in Martyre non fieri per charitatem conjunctam passioni ostenditur.

Dices. Hanc Justificationem fieri per Charitatem passioni conjunctam, ùt clarè docet D. Bernardus supra relatus. Sed contra. Quia PP. & Ecclesia colit Parvulos ùt Martyres veros, qui tamen non habuerunt Charitatis actum, nec ullum opus virtutis, eósque ùt Sanctos veneratur, qui tamen vix fuerunt omnes fidelium filii, & sic vix omnes fuerant circumcisi. Et posito, quòd omnes fuerint antè justificati, Ecclesia non veneratur in ipsis remedium Legis naturæ, vel Circumcisionem, sed mortem illatam, ergò hæc habet particularem eis conferre gratiam, eadem autem est ratio de aliis parvulis, qui sic occiderentur, & de adultis, cùm SS. PP. æqualiter loquantur de omnibus, & promissio facta sit indifferenter in textibus allegatis, imò magis de adultis verificantur illæ promissiones. Qui me confessus fuerit. Hi enim formaliter confiteri possunt per confessionem cordis & oris, Parvuli autem solùm materialiter eum confitentur per effusionem Sanguinis.

XXI. Item alia Ratio ad idem.

Contra. Secundò: Quia PP. dicunt, triplex esse Baptisma Flaminis, Fluminis, & Sanguinis, sed si Charitas justificaret in Martyrio, non esset nisi duplex, quia Flaminis nihil aliud est, quàm Contritio Charitate perfecta, seu amor DEI super omnia. Et si dicant, hunc Baptismum solum per opus externum distingui, non subsistunt, quia illi non admittunt opus externum addere aliquam bonitatem, & consequenter, si sola Charitas facit justificationem, nihil faciet pœna.

XXII. Martyrium conferre gratiam ex opere operato, ulterius probatur.

Probatur Conclusio Quartò: Tum, Quia potest contingere, quòd aliquis sit maximus peccator, sicut fuit Genesius, & alii complures ex Carnificibus, qui conversi ex Miraculis Martyrum, statim decollati fuerunt, & tales statim venerati fuerunt ùt Martyres, sed talium pœna non fuit sufficiens ad delendum originale & actuale ex opere operantis, quia revera pro tot peccatis una decollatio vix sufficit, ergò fuerunt eis delicta deleta ex opere operato: Tum, Quia si peccator quis inopinatè raperetur ad Martyrium, & ob vehementiam pœnarum delictorum non recordaretur, vel in tantum per pœnas distraheretur, ut actum perfectum

ctum contritionis elicere non possit, sed solùm imperfectum, tunc talis salvaretur, quia talem damnare nimis durum esset, sed tunc non salvaretur ex opere operantis, ergò ex opere operato. Patet minor. Quia attritio de se non est sufficiens ad justificationem: Tum denique, quia licèt ex opere operantis Martyr aliquid mereatur, major tamen gratia ei confertur, quàm opus operantis fit, & hoc meritum non impedit, quo minùs Martyrium ex opere operato gratiam majorem conferre possit: ergo. Patet antecedens quoad Primum. Quoad Secundum probatur. Quia etiam adultus suscipiens Sacramentum & antecedenter justificatus in susceptione Baptismi, vel Pœnitentiæ acquirit gratiam ex opere operato, ergò etiam in Martyrio opus operantis non impediet effectum ipsius, sed potius augebit, sicut perfectior dispositio in Sacramentorum susceptione causat majorem gratiam, ita etiam causabit in Martyrio; unde quemadmodum adultus baptizatus consequitur majorem gratiam ob propriam dispositionem, ita etiam puto majorem acquirere Martyrem adultum, quàm Parvulum. Sed in contra

XXIII. S. Paulus objectus explicatur. Opponitur Authoritas Scripturæ 1. Corinth. 13. ubi Divus Paulus dicit: *Si tradidero Corpus meum, ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* id est, sine Charitate omnis pœna & Martyrium est inutile, sed si conferret gratiam ex opere operato, hoc dici non posset, ùt de se patet: ergo. Respondeo, Negando Minorem: Tum, Quia textus ille potest intelligi de Charitate & gratia concomitante & subsequente, non verò præcedente: Tum, Quia Div. Paulus loquitur vel de Charitate unitatis in fide, quam qui non habet, frustrà torquetur; vel agit de iis, qui ob vanum finem, respectum hominum, aut ex capritio patiuntur tormenta, & non propter Christum, vel ad consequendam beatitudinem, vel ad pœnas inferni fugiendas: breviter dicam: Loquitur de iis, qui corpus suum tradunt, ità ùt ardeat non ob motivum Contritionis vel attritionis, spei, vel retributionis, sed ob alium finem naturalem, aut se ipsos excruciant, quod satis insinuat To *si tradidero.*

Instatur. Adultus suscipiens Martyrium tenetur habere votum Baptismi Fluminis, sed quicunque habet Baptismi Fluminis votum, per illud justificatur, ergò talis adultus non justificabitur per Martyrium ex opere operato. Patet Major. Quia sine verbo Baptismi non esset sufficienter dispositus ad Martyrium, quia nemo est sufficienter dispositus ad gratiam consequendam, nisi habeat voluntatem observandi Legem Evangelicam, & Præcepta DEI. Minor etiam patet. Consequentia proindè optima.

Respond. Distinguendo Majorem. Adultus tenetur habere votum Baptismi, si recordatur de eo, & tempus & dolores admittant, concedo Maj: Si non recordetur, nego Majo. In posteriori enim casu sufficit votum implicitum & virtuale. XXIV. Adultus suscipiens Martyrium non tenetur ad votum Baptismi cum cōtritione. Aliter distinguo Majorem. Tenetur habere votum cum Contritione, nego, cum Attritione concedo. Hæc tamen non justificat impium. Et posito, quòd Martyr habeat votum Baptismi cum contritione, quid indè? Ergò Martyrium non conferret gratiam ex opere operato, nego consequentiam. Nam adultus etiam justificatur per Contritionem ante Baptismum & Pœnitentiam, ergò Baptismus & Pœnitentia non conferunt gratiam, nulla consequentia. Ita in casu Martyrii, licèt enim quis per Contritionem justificetur, hoc fit ex opere operantis, majorem tamen gratiam, & majus jus ad gloriam consequeretur ex opere operato per Martyrium.

Dices:

XXV. Martyrium non evacuat necessitatem Baptismi.

Dices: Si Martyrium gratiam confert ex opere operato, non erit necesse suscipere Baptismum, sed hoc &c. ergo. &c. Probatur Major. Quando sunt duo media ad eundem finem conducentia, alterutrum potest eligi. ergo. Respondeo, Nego Majorem, cujus probationem distinguo. Quando sunt duo media ad eundem finem conducentia, alterutrum sufficit, si utrumque æquivaleat & præceptum sit, concedo: Si unum præceptum, & alterum consultum, si unum directè & absolutè ac universaliter conducat, & alterum tantùm in ejus defectu, nego antecedens & consequentiam. Sic est de Baptismo & Martyrio.

XXVI. Quo sensu Martyrium dicatur conferre gratiam ex opere operato.

Pro majori dictorum intelligentia Nota, quòd quando Martyrium dicitur conferre gratiam ex opere operato, non debeat intelligi Martyrium esse signum aliquod Sacrum à DEO institutum, & ad cultum ipsius ordinatum conferens gratiam, in quantum tale signum est, quia sic est actio Tyranni mala, Sacrilega, impia, & DEO displicens, dicitur ergò magis ex opere operato patientis, quàm inferentis.

XXVII. Quando Martyrium conferat gratiam ante mortem.

Quæres Primò: Quando Martyrium conferat gratiam ante mortem? Respond. Quòd pro illo instanti, quo infligitur ei vulnus lethale de se ordinatum, & connaturaliter sufficiens ad mortem, licèt mors per miraculum non sequatur. Patet de S. Joanne Evangelista, quem colit Ecclesia ùt Martyrem; Sed dices: Si talis Martyr superviveret, posset peccare, tenetur enim suscipere Baptismum, quem si omitteret, peccaret, & sic Martyr posset damnari. Respond. Talem utique absolutè damnari posse, sicut legitur apud Surium 9. Februarii in vita Nicephori, maximè si adhuc lethale vulnus non accepisset, si tamen jam accepisset, & præservaretur, talem puto in gratia confirmandum, ne amplius peccet, quia hoc valdè conveniens est suavissimæ Divinæ dispositioni, conservatio enim miraculosæ vitæ non videtur eis facienda, quos DEUS vult finaliter deserere, quique si miraculum non intercessisset, pro ipso mortui fuissent, & justificati decessissent. An autem talis posset peccare venialiter, non constat de privilegio, potuit equidem DEUS eum & in gratia conservare, confirmare, & ab omni peccato præservare, an autem fecerit, quis novit sensum DOMINI? Si tamen talis peccaret venialiter, & non doleret de eo, possem pro ipso orare, non obstante Divi Augustini authoritate supra dicentis, injuriam fieri Martyri, qui orat pro Martyre, nam tunc explicandus est, quòd loquatur de iis, qui mortem passione consummant.

Quæres Secundò: Qualis Dispositio in adulto peccatore requiratur? Respondeo: Tales requiri sicut in adulto peccatore ad suscipiendum Baptismum, quia Baptismus & Martyrium in virtute conferendi gratiam comparantur, adeóque tales requirentur & sufficient in Martyrio, si ad suscipiendum Baptismum sufficiant. Hinc Primò requiritur fides ex parte intellectus per se, patet ex Divo Augustino & Bernardo supra citatis, & ex generali regula: sine fide impossibile est placere DEO. Secundò, ex parte voluntatis requiritur priùs effectus sustinendi propter CHRISTUM, seu in odium CHRISTI mortem. Quia DEUS, qui creavit nos sinè nobis, non vult nos salvare sinè nobis. Tertiò: Requiritur aliqua pœnitentia, id est, actus contritionis vel attritionis, quia id maximè insinuatur & clamatur in Scriptura, ùt Pœnitentiam agant Peccatores, quòd autem sufficiat attritio, patet, quia alioquin Martyrium nunquam conferret primam gratiam, & hoc quàm maximè verum est, si impediretur ab extrinseco propter vehementiam dolorum, oblivionem, XXVIII. Quæ Dispositiones in adulto peccatore requirātur ad Martyrium.

nem, &c. An autem teneatur in articulo mortis elicere actum charitatis ex præcepto charitatis, parùm huc refert, nam quamvis teneretur tùm ob præceptum, tùm ob majorem securitatem in casu salutis, non esset tamen propter Martyrium. Et si dicas, Martyrium debet fieri ex amore CHRISTI, hoc enim significat Tò propter me. Respond. Tò propter me non significare amorem, & dilectionem tantùm, sed etiam quòd fiat in odium CHRISTI, & patet, quia dicitur quoque propter Evangelium meum. Beati eritis, cùm ejecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter FILIUM hominis, Lucæ 6. & dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me, Matth. 5.

Et hæc de BAPTISMO.

TRA-

TRACTATUS III.
DE
CONFIRMATIONE.
PROOEMIUM.

HOc Sacramentum in genere Signaculorum visibilium sacrosanctum, sicut ipse Baptismus, eidem rectè succedit, undè etiam parvulis statim cum Baptismo conferre solebant Apostoli, ipsique PP. cum eo quandóque confundebant; & appositè Sponsa ipsa in Canticis supra Cyprum cum Nardo computat; per Cyprum significari dixi Baptismum, per Nardum assero denotari Confirmationem, quæ odorem suum dat in confutatione, passione, & tolerantia arduorum pro Christo, *& sic Sancti amoris vaporibus flagrat, quem charitas format & inflammat.* Bern. Serm. 42. in Cant. quem effectum ipsa materia remota significat, nam ùt Florent. loquitur in Decr. Unionis: *Materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Et ob hanc causam ex materia dicitur hoc Sacramentum à Div. Dionysio c. 4. de cœlesti Hierarchia: *Inunctio & Sacrum Unguentum;* à D. Augustino L. 2. contra Petilianum c. 104. *Sacramentum Chrismatis.* Verùm non modò à materia diversis appellabatur antiquitùs nominibus, verùm etiam à forma, ritu, & effectu. Et quidem à forma cum materia proxima, quia ibi fit consignatio tàm interior per gratiam & characterem, quàm ex-

terior crucis in fronte, eáque verbis explicatur. Dictum est à Clemente in Epistola 4. *Sacramentum Consignationis* ; à Cypriano in Epist ad Jubacanum *Signaculum Dominicum* ; & ab Augustino lib 19. contra Faustum c. 14. *Signum Christi* ; ab impositione, quo ritu ab Apostolis solebat dari, vocatur *Impositio manuum* ; Act. 8. Ab effectu denique suo dicitur *Sacramentum Confirmationis* ; nam præstat robur & augmentum gratiæ spiritualis, & baptizatos, qui sunt (ùt D. Petrus Ep. 1. loquitur) sicut modò geniti infantes, confirmat & reddit idoneos milites, ùt vincant tentationes contra Christianam Fidem. Et est id nomen ab Ecclesiâ usurpatum in Concilio Arelatensi apud Gratianum de Consecr. d. 5. c. ut Jejuni, imò ante mille ducentos annos à Melchiade Papa & Martyre in Epistola sua Decret. ad Episcopos Hispaniæ, cùm ait : Per hoc Sacramentum confirmari nos ad pugnam. Item : Confirmatio, inquit, armat & instruit ad agonem. Hæc quoad nomen, & præambuli instar dicta sint, ad rem progredior, pro quâ sunt Concilii Tridentini Canones sequentes :

Canon I.

SI quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum : aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, quâ adolescentes proximi Fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant : anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt : anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem : anathema sit.

DIS-

DISPUTATIO UNICA.

QUÆSTIO PRIMA.

An Confirmatio sit Sacramentum, & quando institutum?

I. Qui negent Confirmationem.

NOvatiani, & Armeni negarũt olim dari Confirmationem, quos secuti sunt nostri moderni Sectarii, & præcipuè contra eam invehitur Calvinus, quia tamen adusti rarò sapiunt, ego cum Ecclesia Catholica

II. Confirmatio est verum Sacramentum novæ Legis.

Dico Primo: *Confirmatiò est verum & proprium novæ Legis Sacramentum.* Ita Fides Catholica. Probatur Primò ex Conciliis tum antiquis, ut Elibertino Can. 38. & 77. Laodiceno Can. 48. ubi ita legitur: *Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum cœleste Chrisma accipere, & Regni cœlestis participes fieri*; & pluribus aliis, tum novis, Florent. in Instructione Armenorum, ubi sic definitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo.* Trident. Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem exponebant: anathema sit,*

III. Authoritas Patrum ad idem.

Probatur Secundò Authoritate SS. PP. supra citatorum, quibus adde S. Augustinum supra ubi sic ait: *Sacramentum Chrismatis in genere signorum visibilium sacrosanctum est sicut Baptismus.* S. Cyrillum Hierosolymit. Catechesi 3. *Quemadmodum Panis post invocationem Spiritus Sancti non est amplius Panis communis, sed est corpus Christi, sic Unguentum Confirmationis postquam est consecratum, non est amplius Unguentum commune, sed Chrisma Christi, quo corpus quidem inungitur, anima verò sancto vivificóque Spiritu sanctificatur.* Probatur Tertiò Authoritate Scripturæ, 1. Joan. 2. v. 20. *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* ℣. 27. *Et vos Unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Ad Hebr. 6. sic facit mentionem Confirmationis D. Paulus: *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*; ad Ephes. 1. & 4. sic loquitur de eo: *Nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis*; & tandem 2. Corinth. 1. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, & alibi. Verùm quia hi textus licèt probabiliter exponi possint de Confirmatione. Attamen PP. & Unctionem, & Signationem, & Confirmationem interpretantur de Unctione, Signatione, & Confirmatione per gratiam, &c. Ideò meo videri puto ex Scriptura meliùs non probari quàm Actorum 8: ubi legitur, Petrum & Joannem imposuisse manus supra Samaritanos, jam ante baptizatos, quo mediante accipiebant Spiritum Sanctum, per hanc autem impositionem S. Cyprianus Epist. 173. Hieron. contra Luciferianos, ac PP. & Pontifices, ad quos magis spectat intelligere sensum Scripturæ, quàm ad ullos Hæreticos: Tum propter Sanctitatem & Doctrinam: Tum, Quia magis innotescebat illis Traditio Ecclesiæ de illo sensu, de Confirmatione intellexerunt, & non de Ordinatoria, prout dicit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Manus nemini citò imposueris*, nec Curatoria, cujus mentionem fecit Christus, Marci ult. *Super ægros manus imponent*, nec Reconciliatoria, cujus mentionem facit Concil. Arausicanum I. C. 3. ubi ait: *Quòd si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, ut ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum recõciliatoria manus impositione recipiant.*

IV. Sacramentum Confirmationis ex S. Scriptura probatur.

Confirmatur: Per illam manuum impositionem ab Apostolis Samaritani accipiebant Spiritum Sanctum,

ctum, quem antea in Baptismo non accipiebant, ergò illa impositio cum illis verbis erat verum Sacramentum, quia erat signum sensibile practicè significans gratiam, sed non aliud, quàm Confirmationis, ergò. Probatur antecedens ex verbis subsequentibus ibi: Cùm vidisset Simon, quòd per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus, &c. ergò impositio illa causa aliqua erat dandi Spiritum Sanctum.

Dices Primò: Spiritum Sanctum, qui dabatur per illam impositionem fuisse gratias gratis datas, quæ jam non conferuntur per Confirmationem, qua nos utimur ut Sacramento, ergo illa manuum impositio, aut non est Sacramentum, quia non confert illas gratias, aut non potest probari ex illa manuum impositione.

V. Apostoli per impositionē manuum conferebant gratiam sanctificantem.

Respond. Datas quidem fuisse per illam manuum impositionem gratias gratis datas, quas Simon dari viderat, quia hoc in principio Ecclesiæ erat necessarium, ut faciliùs converteretur mundus, sed præter has dabatur etiam gratia sanctificans, ut PP. communiter docent & Concilia, accipe unicum Augustinum lib. 3. de Baptismo c. 16. ubi ait: *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis per manûs impositionem modò datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis Fidei & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim hoc non expectat, ut ii, quibus manus, ad accipiendum Spiritum Sanctum, imponitur, repentè incipiat Linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina Charitas inspirari, ut possint dicere: Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et certè non omnes gratias gratis datas accepisse per impositionem manuum, insinuat Apostolus 1. Corinth. 12. *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Linguis loquuntur?* & addit: *Dividens singulis prout vult,* singuli tamen accipiebant Spiritum per gratiam sanctificantem.

Dices: Si Confirmatio esset Sacramentum: esset institutum à Christo, & propositum in Scriptura, ac mandatum de ea suscipienda, sed nihil horum est, ergò. Respond. Negando minorem: Nam nisi Christus instituisset, & ejus collationem præcepisset, nunquam Apostoli usi fuissent Confirmatione, nec tàm solliciti in ea administranda, ut statim ad Samaritanos confirmandos mitterent Petrum & Joannem. Major est etiam quoad ultimas duas partes falsa, etiamsi Authoritas Scripturæ non subesset, totius orbis in hanc partem consensus vim præcepti obtineret.

VI. Christus instituit Sacramentum Confirmationis

De tempore institutionis Doctor noster Subtilis hic q. 1. n. 3. dicit: *Supponitur institutam esse à DEO, licèt tempus & modus in Scriptura non legatur,* quod dictum multis Petra scandali fuit, attamen non video quare, quia Scotus non negat simpliciter ex Scriptura non posse probari, sed non posse probari evidenter tempus & modum institutionis, prout defactò ab Ecclesia administratur cum Chrismate & forma illa, *Signo te, &c.* quia neutrum in Scriptura evidenter legitur & invenitur, nam si aliqui textus essent maximè allegati supra, qui tamen facilè explicantur à PP. aliter. Unde ipse in 4. d. 7, q. un. n. 3. *Nec est improbabile, multa esse tradita authoritativè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus.* Quare si reprehensores Scoti locum illum monstrârint, dicentes, *hic est,* dicam, non videtur reprehensione carere Scotus, ùt quidam ait. Unde

VII. De tempore institutionis quid sentit Scotus.

Dico Secundò: *Sacramentum Confirmationis institutum fuit à Christo in nocte ultimæ Cœnæ quoad materiam & formam, quoad Ministrum,* Joan. 20. Ita Aretinus, Coning, Præpositus. Probatur ex Fabiano Papa Ep. 2. ad Orientales c. 1. dicente: *In illa die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à S. Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* Ubi per Chrisma vel intelligit Pon-

VIII. Sacramentum Confirmationis institutum fuit à Christo in nocte ultimæ Cœnæ quoad materiam & formam.

tifex ipsum Sacramentum, quod Chrismate confertur, sicut subinde per lavacrum intelligitur Baptismus, ad Eph. 5. ad Titum 3. vel si intelligat solum Chrisma, adhuc satis probabiliter inde colligitur ipsum Sacramentum tunc esse institutum, nam Chrisma est materia ipsius Sacramenti, & in ejus usum præcipuè ordinatur (licèt enim alibi etiam adhibeatur, non tamen nisi Jure Ecclesiastico, ut in Ordinatione, Consecratione Basilicarum, Altarium & vasorum, quibus Sanguis Christi conficitur) adeóque non videtur tunc instituisse & docuisse confici Chrisma, nisi simul instituerit & hoc Sacramentum.

IX. Alia Ratio ad idem. Confirmatur: Quia aliud tempus opportunius assignari non potest, non enim illud quando Christus Matth. 19. parvulis imponebat manus, ut quidam volunt: Tum, Quia illi parvuli nondum erant baptizati: Tum, Quia Joan. 7. supponitur Spiritus Sanctus non esse dandus scilicet per Confirmationem (confirmamini ex alto) ante Christi glorificationem; quamvis juxta Henriquez, Banac. & alios, Sacramentum hoc Matth. 19. fuerit quasi adumbratum seu præsignatum, tanquam tempore suo instituendum. Non enim dici potest institutum in die Pentecostes, cùm ibi nec materiæ, nec formæ hujus Sacramenti vestigium appareat. Deinde tunc Christus cœlos ascenderat, non videtur autem ascendisse nisi consummato ædificio, cujus præcipuæ columnæ sunt Sacramenta.

Dices: Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis, Ordo autem Episcopalis fuit institutus post Resurrectionem, Joan. 20. (ùt ipsi tenemus in secunda Parte & libenter conceditur) ergò etiam ipsum Sacramentum. Respond. Negando consequentiam: Inde enim non sequitur, hoc Sacramentum antea non fuisse institutum simpliciter, seu quoad materiam & formam, sicut Evcharistiam instituit, quando dixit: *Hoc est corpus meum*, & tamen postea primò instituit Sacerdotes, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quamvis ergò consummata ejus institutio sit referenda ad tempus subsequens Resurrectionem, tunc enim adeò perfecta fuit ejus institutio, ut ex tunc foret in eo statu in quo & administrari & recipi posset, nam licèt Apostoli antè Resurrectionem in ultima Cœna facti essent Sacerdotes, quoad consecrandum Corpus Christi verum, & simplex Sacerdos sit etiam Minister ex commissione saltem Papæ, equidem pro tunc non erant Ministri congrui delegabiles. Tum, Quia necdum institutus erat Minister ordinarius seu potens delegare, sed solum post Resurrectionem: Tum, Quia quòd simplex Sacerdos possit confirmare, non fundatur in potestate illius supra Christi Corpus verum, sed super Corpus Mysticum, cujus potestatis est pars, & quæ data est solùm post Resurrectionem. Hinc patet probatio etiam secundæ Partis de Ministro. Unde pro fine definio seu potiùs describo cum Doctore supra n. 1. Confirmationis Sacramentum, *quòd sit unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi*, (ut in parvulis fiebat antiquitus, ut proindè aliqui PP. ista duo quasi unum habuerint eo quòd simul conferebantur) *facta in fronte figurâ Crucis cum Chrismate sanctificato, & hoc à Ministro idoneo cum intentione inungente, & certa proferente verba significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.* Ita Doct. Subtil. in 4. d. 7. q. 1. Quid clarius? nam fit tàm exacta mentio non modò intentionis & Ministri, quàm materiæ & formæ, pro qua explicanda est.

X. Minister Confirmationis fuit institutus Joan. 20.

XI. Sacramentum Confirmationis describitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia Confirmationis.

I. Materia proxima Confirmationis quæ?

Ipsissima ratione, qua probavi ablutionem esse materiam proximam Baptismi, & verba formam, probare etiam possum materiam proxi-

proximam Confirmationis esse Unctionem, Formam verò verba infra citanda, cùmque illa Unctio fieri debeat per aliquam materiam, difficultas est, quænam illa sit, & consequenter quænam sit materia remota hujus Sacramenti pro resolutione.

II. Oleum sanctum esse triplex. Notandum: Triplex esse Oleum sanctum: Primum est Chrisma, quod est Oleum, habens annexum Balsamum, & consecratur in die Cœnæ; III. Ad Chrismа quod Balsamum sufficiat. Balsamum sufficit quodcunque, sive sit Orientale, sive Occidentale, sive Palæstinum, sive Indicum, licèt essent diversæ speciei, ùt vivæ vocis Oraculo edixit. Pius IV. teste Rodriq. in Bullario folio 404. Attamen Balsamum illud debet esse verum, & non adulterinum, & patet à pari de Baptismo & Evcharistia, ubi sufficit aqua tàm maris, quàm fluminis. Vinum tàm album, quàm rubrum, Hispanicum & Indicum, dumodò sit verum vinum, & non adulterinum. Secundum est Oleum Catechumenorũ, quod est Oleum simplex Olivæ ab Episcopo benedictum. Tertium est Infirmorũ similiter Oleum olivæ, (nucum, amygdalarum, &c. non sunt oleum, nisi cum addito) similiter ab Episcopo benedictum. Hoc præmisso

IV. Materia remota Confirmationis est Chrisma, compositum ex Oleo Olivæ & Balsamo. Dico Primò: *Materia remota essentialiter requisita, est Chrisma, compositum ex oleo olivæ & Balsamo.* Hæc Conclusio est definita in Concil. Florent. in Decr. Unionis, ubi habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat Conscientiæ, & Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Trident. Sess. 7. Can. 2. & quasi omnium tàm RR. quàm veterum Theolog. Est tamen contra Cajetanum, qui Balsamum ait non esse de necessitate Sacramenti, sed solùm præcepti Ecclesiastici; & Dicastillo, qui ait, Præcepti esse divini. Attamen Concil. Florent. supra æqualiter exigit Oleum & Balsamum, & pariformiter de utroque loquitur, adeóque sicut unum est de necessitate Sacramenti, erit & alterum, nam volens insinuare ibidem aquam vino ex præcepto tantùm admisceri debere, & non ex necessitate Sacramenti, ait: *Et vinum de vite, cui ante Consecrationem modicissima aqua admisceri debet*, de hac autem materia loquens dicit: *Est Chrisma ex Oleo & Balsamo confectum:* quare si dixisset: Est Oleum, cui modicum de Balsamo admisceri debet, curreret paritas, & valeret responsio Cajetani. Manet ergò Authoritate Concilii Florent. probata Conclusio, cui adde Fabianum Papam Epist. 2. ad Episc. Orient. Innoc. III. c. I. X. de Sacra Unctione, aliosque plures SS. PP. & perpetuam Ecclesiæ Traditionem, ita nostra Sententia sit multùm probabilissima. Accedit Ratio: Si aliquis confirmaret sinè Chrismate, ex Oleo & Balsamo composito, forma Sacramenti esset falsa, ergò Chrisma non solùm est de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti. Probatur anteced. Quia hæc est forma Consecrationis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis, &c.* ergò si deficeret Chrisma, forma esset falsa. Respondet Cajetanus, quod forma non esset falsa, quia Chrisma de rigore sermonis non significat Balsamum, sed Unguentum, cui sufficeret Oleum simplex. Sed hæc Responsio nullius est ponderis, nam quamvis Chrisma ex se, & in Lingua Græca quodcunque Unguentum significaret, Ecclesia tamen non accipit illud nomen, nisi ad significandum Unguentum ex pluribus scilicet Oleo & Balsamo. V. Ratio ad idem.

Dices Primò: Apostoli contulerunt hoc Sacramentum sinè Chrismate, per solam manuum impositionem, ergò. Respond. admisso antecedente nego consequentiam: Sicut enim Christus nullis signis Sacramentalibus alligatus, contulit hunc effectum hujus Sacramenti sinè Chrismate, Apostolis & aliis in Pentecoste, Actor. 10. sic potuit cum Apostolis dispensare, & probabiliùs fortè dispensavit, ut illud per nudam manuum impositionem conferrent, cùm ipsi totum mundum VI. Apostoli confirmârunt sine Chrismate.

peragran-

peragrantes, non haberent tempus aut comoditatem consecrandi Chrisma, & conferendi tàm multùm, quod sufficeret tot hominibus confirmandis post Baptismum.

Dices Secundò Innocentius III. c. Pastoralis de Sacrament. non iterandis consultus, an is, qui in Confirmatione non Chrismate, sed solo Oleo fuisset inunctus, deberet

VII. *Innocentius III. non censuit valuisse Confirmationem solo oleo collatam.*

secundò confirmari. Respondeo: In talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè erat prætermissum, ergò censuit Pontifex etiam solo Oleo Sacramentum collatum fuisse validum, alioquin dixisset illud esse iterandum. Respondeo, Negando consequentiam, cùm enim prætermissum fuerit totum Sacramentum, consequenter totum est supplendum, non tamen iterandum. Sensus ergò Pontificis est, cùm Sacramentum factum non sit, & factæ tamen fuerint consuetæ solennitates, cautè esse supplendum ipsum Sacramentum sine illis solennitatibus, ne Scandalum fieret ex publica reiteratione, sicut si Baptismus solenniter administraretur, & in forma aliquid omitteretur, ratione cujus Sacramentum esset nullum, dici posse, cautè esse supplendam illam nullitatem. Ex hinc tamen non potest inferri aliquid iterandum, quod Pontifex cavet; quia ùt ait Glossa ibidem: *Non dicitur iterari, quod priùs factum non fuit.*

Instatur. Quæstio, ad quam Pontifex respondit, nihil esse iterandum, hæc fuit: an Sacramentum Confirmationis fuerit validum in eo, qui solo Oleo fuit linitus, ut proindè actio illa debeat repeti, ergò quandoquidem Pontifex respondet, actionem non esse iterandam, approbat, priorem actionem fuisse validam, alioquin ridicula esset responsio Pontificis. Respond. Innocentium quidem potuisse apertiùs respondisse, sufficienter tamen etiam sic respondit, non esse iterandum, quia factum non fuit, sed de

VIII. *Instantiæ responde-tur.*

novo totum dandum, & similes Responsiones invenio etiam apud Leonem Papam Ep. 35. cap. 1. & refertur cap. 112. de Consecrat. d. 4. qui Consultus ab Episcopo Ravennat.: An baptizandus esset, cujus Baptismus ignorabatur: Respondit affirmativè & reddit rationem: *Sed in hoc nihil formidatur* (de baptizando & reiteratione) *quia non potest in iterationis Crimen venire, quod omninò factum esse nescitur.* Item Epistº. 90. vel 92, ad Rusticum cap. 116. & refertur cap. 113. suprà ait: *In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.*

Dices Tertiò: Materia Sacramentorum debet esse communis, facilis, clara & certa, sed Balsamum non est commune, quia antequam constaret de Indiis sola Palæstina illud ferebat, adeóque etiam difficilis acquisitu, non est etiam certa, quia facillimè potest adulterari, ergo. Respond. Balsamum non esse tàm rarum & tàm incertum, ut non possit haberi secundùm eam quantitatem, quæ immiscetur oleo, & licèt ante Indias cognitas sola tulerit Syria vel Palæstina, adhuc sufficiens haberi potuit. Deindè hujus Sacramenti Materia non debuit esse obvia, quia non est de necessitate Præcepti vel Medii.

IX. *Balsamum sufficiens potest haberi.*

Instabis. Si Balsamum in modica quantitate adhibetur, frequenter aliquis Oleo ungetur absque eo, quòd Balsamo tangatur, quia Balsamum non poterit ita commisceri cum oleo, ut quamlibet Olei partem afficiat propter paucitatem quantitatis, & Olei spissitatem. Respondeo, Distinguendo: absque eo, quòd Balsamo in se tangatur immediatè, concedo antecedens, absque eo, quod Balsamo in qualitatibus suis odoris, videlicet &c. tangatur & mediatè, nego antecedens. Non est enim necesse, quòd iste contactus semper fiat secundùm Physicam rationem, sed secundùm moralem, exemplifica de materiis

X. *Non requiritur immediatus contactus balsami.*

† T Sub-

Subdiaconorum, & Presbyterorum qui validè ordinantur, licèt non tangant immediatè vinum, & fortè etjam non panem, sed solam patenam. Ita hic discurre.

XI. Chrisma debet esse sanctificatum & benedictum ab Episcopo de necessitate Sacramenti.

Dico Secundò: *Chrisma debet esse sanctificatum & benedictum ab Episcopo de necessitate Sacramenti.* Ita DD. communiter. Et Probatur ex Florent. supra. Quod sicut requirit Chrisma confectum ex oleo & balsamo, sic similiter & æqualiter requirit, ut sit per Episcopum benedictum, alioquin non simpliciter diceret esse materiam, uti materiam calicis non dicit esse vinum aquâ mistum, sed vinum, cui aquæ misceri debet. Id ipsum insinuant PP. & perpetuus usus Ecclesiæ, quo adeò constanter exigitur Unguentum benedictum, ut nullo unquam casu fuerit aliud practicatum secus, quàm in aquâ baptismali, quæ citra necessitatem ex ritu Ecclesiæ debet benedici. Congruentia verò, ob quam potiùs à CHRISTO requisita fuerit Consecratio materiæ Confirmationis, quàm Baptismi, assignatur à Scoto d. 7. qu. 1. num. 3. Quòd CHRISTUS contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecravit in usum Baptismi, non sic autem materiam illam Confirmationis, & ideò requiritur hic specialis sanctificatio, quod etiam rationabile magis hîc, quàm ibi, quia Baptismus est Sacramentum necessitatis, & ideò potest à quocunque Ministro conferri.

XII. Congruentia ad idem.

XIII. Instantiæ responde(n)tur.

Dices Primò: Eodem Chrismate ungitur baptizandus, quo confirmandus, sed respectu baptizandi potest simplex Sacerdos benedicere, & benedictio est tantùm quid cæremoniale, ergò etiam respectu confirmandi. Respond. distinguendo majorem eodem Chrismate, & ex eadem ratione, nego: ex alia ratione concedo. Si quæris, quæ sit illa ratio? Respond. Institutionem esse Christi, qui instituit ut benedictio in Chrismate sit essentialis, & reliquit Ecclesiæ, ut in Baptismo institueret tanquam Sacramentale.

XIV. Cur Sacerdos hostiam, & non Chrisma possit consecrare.

Dices Secundò: Sacerdos potest consecrare hostiam, quæ est omnium maxima consecratio, ergò etiam Chrisma. Resp. Negando consequentiam. Quia est in diverso genere, alioquin etiam posset consecrare Sacerdotes, Ecclesias, Altaria &c. quod nemo dicit.

XV. Benedictio Chrismatis potest à Pontifice absolutè committi Sacerdoti.

Dico Tertiò: *Benedictio Chrismatis potest à Pontifice absolutè Sacerdoti committi.* Ita Cajet. cum Scoto supra & pluribus aliis tenentibus consecrationem posse Præsbytero à Pontifice committi. Probatur hoc modo: Qui potest in majus, potest & in minus, sed majus est administratio Sacramenti Confirmationis, quàm consecratio materiæ, ergò sicut Papa potest committere simplici Sacerdoti administrationem Confirmationis, ita poterit etiam Consecrationem materiæ. Probatur minor: Quia majus est Sacramentum quàm materia, ergò. Quòd autem possit committi hæc authoritas, patet ex Leone X. qui anno 1521. die 25. Aprilis. Pontificatûs nono concessit Fratri Joanni Capponi, & F. Francisco de Angelis Ord. Minorum de observantia in partibus Indiarum, ubi Episcopi non habentur, ut possent Infideles conversos clericali charactere insignire. Undè Concilia, si quæ in contra afferrentur, intelligenda sunt solis Episcopis per authoritatem Divinam datam esse hanc potestatem tanquam ordinariis de Jure Ministris, cum hoc tamen stat, quòd possit eadem authoritas delegari ad simplices Sacerdotes.

XVI. Administratio Confirmationis potest committi Sacerdoti à Papa.

Dices: Majorem rationis superioris non valere, etiamsi in eodem sit genere, quia Diacono potest committi administratio Evcharistiæ, non tamen consecratio, ergò etjam licèt Sacerdoti possit committi administratio Confirmationis, non tamen consecratio Chrismatis. Respondeo, Negando consequentiam, quia consecratio est major, quàm administratio, quia est ipsa Sacramenti confectio, confectio autem Sacramenti est major semper, quàm distri-

XVII. Instantia solvitur.

distributio, si confectio & distributio separari possunt, ùt est in Sacramento permanenti; in Confirmatione autem administratio ejus non est confecti Sacramenti distributio, sed confectio, adeóque major est quàm Consecratio materiæ, quæ est nuda præparatio, & sic major stat in solido.

XVIII. Materia proxima Confirmationis est Unctio essentialiter in fronte, in forma Crucis.

Dico Quartò: *Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio, & hæc essentialiter in fronte, in forma Crucis.* Prima Pars est omnium, & patet à pari de Sacramento Baptismi & Extremæ Unctionis. Secunda est communior contra Ecclesiam, & Probatur Primò, authoritate Pontificum & Conciliorum. Quia Innoc. 3. c. un. de S. Unctione ait: *Per frontis Chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Florent. in §. *Effectus* dicit: *Ideóque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo Crucis signatur.*

XIX. Authoritas Patrum ad idem.

Probatur Secundò: Authoritate PP.D. Dionysii, Ambrosii, Cyrilli, signanter D. Augustini tract. 118. in fine, ubi hæc habet: *Postremò quid est, quod omnes noverunt Signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Et ùt planè nullus maneat de eo ambigendi locus, addo textum Sermonis in Psalm. 141. ubi ait: usque adeò de Cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem CHRISTI, sed in fronte portem (Glossat Boscus impressam utique per Sacramentum Confirmationis) nam sequitur: Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille, qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in cœlis est, ipsam ignominiam quodammodò, & quam Pagani derident, in loco pudoris constituit. Deducitur hæc veritas etiam ex Scoto 4. d. 7. n. 2. ubi dicit: Materia proxima, id est, visibile illud, quod concurrit in fundamento, est unctio facta in fronte in figura Crucis. Et eam probat perpetuus usus, & praxis perennis Ecclesiæ.

XX. An Unctio possit fieri medio instrumento.

Nota autem, hanc Unctionem ex præscripto Ecclesiæ debere fieri pollice dextro, si tamen faceret Episcopus alio digito, puto futuram transgressionem gravem. Si verò ungeret medio instrumento, graviter peccaret, si non planè in vanum laboraret, nihil faciendo, ex eo, quòd in probabili sententiâ requiratur manuum contactus, utpotè cùm Confirmatio successerit impositioni manuum, qualiter non haberetur per medium instrumentum. Verum & oppositum etiam probabile est, nam etiam sic administrari potest Extrema Unctio, & quod quis facit medio instrumento, ipse facere censetur, nam qui medio baculo percutit Clericum, censuram Canonis incurrit, cùm tamen dicat Canon debere esse violentam manuum injectionem. Itaque ille contactus manuum impositionem repræsentans, non debet esse planè physicus, sed sufficit moralis, nam physicè loquendo, etiam digitô ungendo, mediat Chrisma.

QUÆSTIO TERTIA.

De Forma Confirmationis.

I. Forma Græcorum est valida.

SUppono imprimis Formam Græcorum, quæ est hæc: Signaculum doni Spiritûs Sancti, valere, nam sic habetur in Concilio Constantinopol. I. Can. 7. & refertur à Cardinali Bessarion Græco in Tract. de Eucharistiæ Sacramento. Habetur eadem in 6. Synodo generali Can. 95. ubi dicitur sanctò primùm Chrismate ungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures consignantes autem dicimus signaculum doni

doni Spiritûs Sancti. Intellige, licèt antiquitùs in Confirmatione plures adhibitæ fuerint unctiones, omnes alias præter eam, quæ fit in fronte, fuisse tantùm Sacramentales, non Sacramentum. Tertiò deducitur idem ex Florent. quod de minutissimis agens de forma Græcorum, nullam penitùs fecit mentionem, supponens eam validam & sufficientem, nec ullus eos unquam hactenus reprehendit, imò confirmata fuit per Revisores Evchologii Græcorum, dum Urbanus in Congregatione de propaganda fide à se erecta, illam sinè mutatione imprimi fecit.

II. Formam Græcorum non reprobat D. Gregorius.

Verùm hanc Formam reprobare videtur D. Gregorius, dum reprobat, & non recipit Canones Concil. Constantinopolitani, his verbis: Lib. 6. Epist. 31. *Canones Concilii Constantinopolitani Evdoxianos damnant, sed quis fuerit eorum Author Evdoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, neque accipimus*; sed forma Græcorum habetur inter Canones illius Concilii, ùt suprà dictum est: ergo. Verùm hæc authoritas non obstat, nam & ante in Concilio Laodicen. cap. 7. & Arelatensi I. Can. 8. Arelatensi II. Can. 17. idem statutum fuerat, quæ Gregor. non reprobat. Et postmodum Synodus VI. refertur cap. 7. d. 17. approbat Canones illius Concilii Constantinopolitan. sic: *Confirmamus & cæteros sanctorum Canones & Synodos, id est, Nicænam & Constantinopolitanam.* Similiter confirmat Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ, refertur d. 20. cap. 1. Sic: *Quibus omnibus Ecclesiasticis utimur indiciis sunt Canones Apostolorum, Conciliorum Nicænorum, & Constantinopolitanorum &c. isti omninò sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simùl judicantur & Clerici.* Gregorius itaque non recipit aliquos Canones, qui subreptitiè subintrarunt, qualis est Quintus, & fortè aliqui alii, qui Ecclesiam Constantinopolitanam dicebant post Romanam secundam, & cæteris præferendam, quòd non modò à Gregorio, verùm etiam ab aliis non recipitur, ùt patet ex Epistola Leonis I. ad Anatholium, & ex Epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem, &c.

III. Bonitas formæ Græcorum ulterius suadetur.

Bonam autem esse dictam Græcorum formam, sic ulteriùs suadetur. Quia sufficienter exprimit actum Confirmantis, & confirmati saltem implicitè, nam subintelligitur: Hoc est Signaculum Spiritûs S. Doni, vel Datur tibi aut donatur, nam implicat esse donum, nisi intercedat donans, & cui donatur, adeóque per ly signaculum doni insinuatur actus Ministri, & suscipientis persona, & non modò verum est ac proprium Linguæ Græcæ, quæ in propositionibus practicis frequenter subintelligit verbum; sed etiam in Latino Idiomate, tàm in Scriptura, quàm usu Ecclesiæ: nam in Apocalypsi sic legitur: Benedictio, & Claritas, & Sapientia, Honor, Virtus, & fortitudo DEO nostro, & D. Paulus ad Heb. 9. v. 20. ait: Sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos DEUS, ubi Tò Est omittit. Similiter canit Ecclesia: Gloria in Excelsis DEO: Gloria Patri, & Filio, in Parasceve intonat Diaconus: Lumen Christi. His itaque præmissis

IV. Ordinaria & de præcepto adhibenda forma quæ sit.

Dico Primò: *Ordinaria & de præcepto adhibenda forma Confirmationis hæc est: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita Florent. Pontificale Romanum per Clementem VIII. editum. Et patet ex usu & receptione Universali totius Ecclesiæ Latinæ, ita ut quilibet eâ uti debeat, si tamen mutaret aliqua verba in æquivalenter talia, vix graviter peccaret, maximè si loco verbi *signo* diceret *signetur*, vel *consignet te DEUS*, & loco *confirmo confirmetur*, vel *confirmet te DEUS.* Quia Constantinus in suo edicto, quod habetur Tom. I. Conciliorum post Concilium Romanum II. describens suam Conversionem, Baptismum & Confirmationem ait: se fuisse à Sylvestro unctum in fronte cum

tum prolatione horum verborum: Signet te DEUS Sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti in consignatione Fidei. Hinc ut declarem, quæ sint essentialia in forma prædicta,

V. Non est necessarium & essentiale, ut in forma proferatur verbum in indicativo modo.

Dico Secundò: *Non est necessarium & essentiale, ut in forma proferatur verbum in indicativo modo, nec est essentiale & necessarium tò signò Crucis, vel Chrismate salutis, nec est essentialis explicita invocatio Sanctissimæ Trinitatis, sed probabiliter defendi potest de essentia solùm esse alterutrum verbum consigno te, vel confirmo te.* Ita ex Bosco deduco. Probatur Prima Pars ex paulò ante dictis de Constantini Confirmatione, item à pari de formâ Baptismi Græcorum: *Baptizetur* &c. & de forma Extremæ Unctionis.

VI. Tò signo Crucis vel Chrismate salutis non est essentiale & necessarium.

Probatur Secunda Pars: Tum ex Forma Græcorum: Tum, Quia illa continentur implicitè in verbis signo, & confirmo: Tum, Quia in forma Baptismi non exprimitur materia remota *aqua*, non dicitur enim baptizo te aquâ, nec in extrema unctione per istam sanctam unctionem additur *olei.*

Nec dicas ablutionem & baptizationem fieri semper in aqua, Unctionem in oleo, adeóque non est necesse, ut exprimatur remota; benè tamen in Confirmatione, ubi Tò confirmo non significat fieri Chrismate, non dicas inquam. Quia si flagellantes sanguine putabant homines abluendos, & fortè etiam adhibebant formam nostram baptizo te, deindè, an non in aqua rosacea, aqua ex vitibus posset aliquis abluere & tingere, & quot sunt unguenta & confectiones aromaticæ ex myrrha, aloë, quibus corpora inunguntur, adeóque gratis dicitur in forma Baptismi, & Unctionis extremæ exprimi materiam remotam per Tò *baptizo*, & unctionem non exprimi quoque sufficienter per Tò *Confirmo.*

VII. Alia probatio ad idem.

Tandem probatur hæc Pars Secunda Per Sacramentum Ordinis, in quo est materia remota calix cum vino, & patena cum hostia, & tamen hæc materia non exprimitur per formam suam, quæ talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ubi tamen Sacrificium ex vi verbi non significat magis panem & vinum, quàm quamlibet aliam materiam.

Probatur Tertia Pars: Tum ex forma Græcorum, quæ non habet expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis: Tum, Quia licèt æqualiter Florentinum eam addat tàm in forma Baptismi, quàm Confirmationis, non ponit tamen ut essentialia, quia ibi non intendit discernere, nec discernit aliquid inter essentialia; quare autem magis congruum fuerit in Baptismo adhibere expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis est, quia Baptismus est prima janua ad salutem, & fides primùm Sacramentum, adeóque quia pro objecto habet DEUM Trinum & Unum, congruum est, ut tunc etiam externè profiteatur, qui in Ecclesia admittitur. VIII. Explicita invocatio SS. Trinitatis non est essentialis.

Probatur Quarta Pars: Quia in antiquo Ordine Romano, qui habetur tom. 8. Biblioth. Patrum in fine Tit. Item Ordo de Sabbatho sancto in die dicitur: quòd Pontifex tincto pollice in Chrismate faciat crucem in frontibus singulorum ita dicendo: Confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed si non est necessaria invocatio Sanctissimæ Trinitatis explicita, manet essentialiter sufficere Confirmo, aut consigno te, nam licèt ista duo verba alioquin non sint Synonyma, in præsenti tamen pro eodem sumuntur, & solùm differunt, quòd unum magis explicitè significet robur, quod per crucem accipitur ad eam, non erubescendum quàm alterum. IX. Probabiliter solùm est de essentia alterutrum verbum, consigno te, vel confirmo te.

Confirmatur hæc Pars: Tum ex Sacramento Matrimonii: Tum Pœnitentiæ, in quo valet & sufficiens est hæc forma: Ego te absolvo. Si dices, non valere formam istam, quia non exprimitur effectus principalis hujus Sacramenti, sicut debet expri- X. Alia Ratio ad idem.

mi, & exprimitur in forma Græcorum supra signaculum *Doni Spiritûs Sancti* : Respond. Hoc quidem probabilem facere alteram partem, sed non necessariam, quia in Baptismo non exprimitur effectus principalis ejus, deletio originalis peccati, & collatio gratiæ.

Quæres : Quid significent verba illa Act. 8. Oraverunt pro illis, ut acciperent Spiritum Sanctum ? Resp. Posse intelligi formam ipsam Confirmationis, quæ licèt non sit deprecatoria, potest tamen dici virtualiter Oratio, quia innititur virtuti & promissioni Divinæ. Respond. Secundò: Etiam probabile esse quòd veram ante Confirmationis collationem orationem deprecativam præmiserint Apostoli, ac postmodum ipsum Sacramentum contulisse, sicut de factò Pontifex orationem præmittit cum una manuum impositione, & postmodum primò crucis signo signat.

XI. Quid significent verba illa Act. 8. Oraverunt pro illis &c.

QUÆSTIO QUARTA.

De Ministro Confirmationis.

I. Variæ Sententiæ referuntur.

Triplex circa Ministrum est sententia. Prima est Armachani Lib. 2. de moribus Armenorum c. 4. quem sequitur Wikleff & hæretici dicentes : Ordinarium Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem, imò etiam Diaconum. Secunda est Durandi, Adriani, tribuitur etiam D. Bonaventuræ & Scoto, sed perperam, quæ asserit Episcopum esse ordinarium Ministrum ex Jure Divino, & de necessitate Sacramenti, ita quòd nec à Papa possit alteri committi. Tertia mediat & docet ordinarium Ministrum esse quidem Episcopum, attamen rationabili & urgente causa posse etiam committi Sacerdoti simplici. Hinc

II. Ordinarius Minister Confirmationis est solus Episcopus de necessitate.

Dico Primò : *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est solus & omnis Episcopus legitimè consecratus, de necessitate.* Ita Catholici omnes. Probatur Primò Authoritate Innocentii III. unico X. de sacra Unctione §. Per *frontis Chrismationem* &c. ubi dicitur : *Unde cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere*, hanc (Chrismatis unctionem in Confirmatione) *non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarii sunt Episcopi) quod per manûs impositionem Spiritum Sanctum dabant : quemadmodum Actuum Apostolorum lectio*, cap. 8. *manifestat. Cùm audissent, inquit, Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset* Samaria *verbum DEI, miserunt ad eos Petrum & Joannem* &c. Ubi Pontifex notanter advertit, quòd soli Apostoli oraverint, & imposuerint manus illis, quos alii jam baptizaverant. Similiter legitur de S. Paulo Act. 19. quod illis, qui ab aliis baptizati erant, manus imposuerit. Idem habet Florent. & Trident. Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem : anathema sit.* Ratio unius rei est voluntas Christi, & congruentia, quòd Episcopi sint in Ecclesia veluti Duces, ad hos autem spectat confortare, & in familiam ac militiam recipere. ergo.

Dices : Sacerdos est etiam ordinarius Minister Baptismi, & tamen etiam ipso contradicente potest eum conferre Diaconus, idque validè, licèt non licitè, ergò licèt Episcopus sit ordinarius Minister Confirmationis, validè, etiam ipso non concedente, poterit conferre Sacerdos, licèt non licitè. Respond. Negando consequentiam. Disparitas est Christi institutio, quæ nobis per Concilia & Patres innotuit, tenuitque semper Ecclesia, solum Episcopum posse conferre Confirmationem, sicut soli possunt de Jure ordinario conferre ordines, adeóque sicut nunquam validè simplex Sacerdos confert ordines, ita nihil efficit ungendo, vel chrismando, & sicut non obstante jure suo ordinario potest ei delegari potestas conferendi Minores, SubDiaconatum, etiam Diaconatum, ita etiam à Pontifice delegari potest simplex Sacerdos ad conferendam Confirmationem. Sed directè contra Conclusionem

III. Cur Diaconus validè baptizare possit, & nō confirmare Sacerdos.

Oppo-

Opponitur Authoritas Scripturæ Actor. 9. Ananias, qui non erat Episcopus, imposuit manus D. Paulo dicens: *Dominus JESUS me misit - - - - ut implearis Spiritu Sancto*, & ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*: ergo Sacerdos validè & licitè imponit manus, & confirmat. Respond. Negando consequentiam. Nam primus textus non loquitur de impositione manuum, quæ est confirmatoria, sed erat impositio manuum curatoria, de qua dicitur super ægros manus imponent: unde ibidem sequitur, quòd post impositionem hanc manuum Ananiæ, confestim ceciderunt ab oculis ejus, tanquam squammæ, & surgens baptizatus est. Et licèt ante dixerit Ananias, ut implearis Spiritu Sancto, hoc potest dici de extraordinaria impletione propter contritionem & fidem, sicut impletus fuit Centurio. Et posito, quòd illa impositio manuum fuisset confirmatoria, ex hinc tamen non sequitur, quòd Episcopus non sit ordinarius Minister, quia licèt fortè Ananias non esset Episcopus, fuit tamen Sacerdos, teste D. Augustino l. 2. Evangelic. qq. q. 40. cum quo Christus dispensavit. Ad alterum locum Respond. quòd vel ibi legendum sit cum vulgato textu: *Presbyterii*, id est, Chori Presbyterorum, qui concurrunt in ordinatione Episcoporum; & licèt legatur, ùt objectio habet, per Tò *Presbyteri* ipse D. Paulus intelligit Episcopos, olim enim frequenter Episcopi Presbyteri nominabantur, ùt patet ex D. Hieronymo in Epist. ad Rusticum Narbonensem, & refertur dist. 95. cap. 6. *Quoniam & ipsi Presbyteri, ùt legimus, Episcopi nuncupantur, secundùm quod scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri.* Si verò objiciantur aliqui Canones, ùt Can. 2. Concil. Arausicani, & sub Martino, refertur d. 95. c. 11. ac ex Tolet. Can. 20. aut si allegetur usus & praxis ex Ambrosio & Augustino, quòd olim Presbyteri & Sacerdotes Chrismate unxerint in absentia Episcoporum, quod tamen prohibebatur Diaconis; si inquam, objiciantur ista. Respondendum est, quòd & Canones & PP. loquantur de Chrismatione, quæ fit ante Baptismum per Oleum Catechumenorum in pectore & scapulis, vocarique potest Chrismatio: vel quæ fit post Baptismum in vertice Chrismate; non verò loquuntur de Chrismatione Confirmatoria, quæ fit in fronte.

IV. Objectioni contra Ministrum ordinarium propositæ respondetur.

V. Per Presbyteros olim intelliguntur Episcopi.

Dico Secundò: *Minister Extraordinarius Sacramenti Confirmationis ex Commissione Pontificis est simplex Sacerdos.* Ita Scotus, Alensis, Faber, Aretinus, &c. Probatur Primò: ex facto Gregorii Papæ, qui, postquam Ep. 9. edit. 12. inhibuisset Presbyteris Sardiniæ Episcopo Januario subjectis, ne infantes Chrismate ungerent, sed solùm Episcopi, ùt refertur de Consecrat. d. 4. c. 120. & audivisset scandalum indè exortum, ad eundem Januarium Epistolâ aliâ ejusdem edict. quæ lib. 3. est 66. & refertur de Consecrat. d. 95. c. Pervenit. Iterum indulget eis hanc facultatem sequentibus verbis: *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, eò, quòd Presbyteros tangere Chrismate eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. - - - - Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ* (Romanæ) *fecimus. Sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

VI. Minister extraordinarius ex commissione Pontificis est simplex Sacerdos.

Dices Primò: D. Gregorium in prima Epistola inhibuisse, ne alii Episcopi Januario subjecti Confirmationem conferant, eò quòd illicitè ipsius Jurisdictionem violent, postmodùm autem omnibus Episcopis Januario subjectis concessisse hanc facultatem, nam per Presbyteros idem intelligitur, quòd Episcopi, nam in primitiva Ecclesia nulla fuit differentia inter Episcopos & Presbyteros, ùt testatur D. Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Titum. & refertur d. 95. cap. *Olim*, his verbis: *Olim idem Pres-*

Presbyter, quod Episcopus antequam diabolico instinctu schismata in Religione fierent, & diceretur, ego sum Pauli, ego autem Apollo. & Epist. ad Eugen. Presbyterum refertur d. 93. c. 24. dicit: *Cùm Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.* Respond. hanc Responsionem esse meram torsionem, quia revera Presbyteris, id est, Sacerdotibus, D. Gregorius hanc facultatem concedit, si Episcopi desint, distinguit proinde inter Presbyteros & Episcopos, falsum proindè est, quòd Episcopi & Sacerdotes idem sint, ùt patet primò ex Trident. Sess. 23. cap. 4. & Can. 6. & 7. Secundò: Ex ratione, Quia illæ sunt diversæ & distinctæ dignitates, quæ habent distinctos actus, munia, & officia, &c. Sed Episcopi & Sacerdotes sic habent: ergò: Patent ista, deducendo: Tum denique ex ipso Divo Hieronymo, qui in ultimo loco subjungit: *Quid enim facit Episcopus excepta ordinatione, quod non facit Presbyter*, ubi alium actum & distinctum Episcopis concedit, quem non habent Sacerdotes, imò magis infra sic ait: *Unde & ad Titum, & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omninò reticetur, quia in Episcopo Presbyter continetur.* Quod autem continet aliud, est majus contento, si contentum non è contra contineat, adeóq; distinctum, sed Episcopus ita Presbyterum continet, ut nec valida, nec licita sit ordinatio Episcopi, si non fuerit Presbyter, sicut nec validè, nec licitè suscipiuntur alia Sacramenta sinè Baptismo, non sic econtra invalidus est Presbyteratus sinè Episcopatu, ùt patet, ergo. Quòd autem in textibus præallegatis D. Hieron. videatur sentire, quod idem sit Episcopus & Presbyter, est, quòd nomina & antiquitùs usurpabantur pro Synonymis, & erat eis communis Ecclesiæ administratio, ùt dicit Gloss. ibidem, non tamen quæcunque dispensatio Sacramentorum, quod probat per dicta in d. 21. c. *In novo.* adeóque etiam à Christo fuerunt istæ dignitates distinctæ.

VII. D. Gregorius Presbyteros distinguit ab Episcopis.

VIII. Et ratio id suadet.

Probatur Secundò Conclusio ex aliis Pontificibus, qui factum D. Gregorii secuti sunt, ùt Nicolaus IV. Joann. XXII. Urbanus V. & Eugenius IV. claram hujus rei facit mentionem in Concil. Florent. dicens: Legitur aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili exurgente causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse Sacramentum Confirmationis. Quæ Privilegia particulariter habet Sacra nostra Religio in partibus Indiarum, quæ ad instantiam F. Joannis Galpione & Francisci de Angelis confirmavit Leo X. Adrian. VI. & cum PP. Societatis dispensavit Gregor. XIII. & declaravit S. Congregatio Cardinalium Interpretum Concil. Trident. in Can. 3. Sess. 7. posse hoc Privilegium Abbatibus concedi.

IX. Simplicem Sacerdotē posse esse Ministrum Confirmationis ex commissione Papæ ulterius probatur.

Arguitur in Contrarium ex Concil. Florent. quod dicit: Sacramenta tribus perficiuntur, Materia, Forma, & Ministro, ita quòd si alterutrum horum desit, non conficiatur Sacramentum, sed Minister Confirmationis de necessitate Sacramenti est solus Episcopus: Ergò Pontifex non poterit alteri committere, quia quæ de necessitate Sacramenti sunt, ea Pontifex & Ecclesia non potest mutare. Respond. concessa majore, distin. minorem Episcopus est Minister Ordinarius ex Jure Divino concedo, extraordinarius nego. Christus itaque non instituit de necessitate Sacramenti absolutè unum tantùm Ministrum, de necessitate ejus ordinarium instituit Episcopum, & extraordinarium Sacerdotem, si ad hoc ei facultas à Pontifice concederetur.

X. Objectio solvitur.

Instatur. Administratio hujus Sacramenti vel dependet essentialiter ab Episcopali Charactere, vel non, si non dependet, non debet dici magis ordinarius Minister quàm alius. Si dependet, non poterit ei committi, qui non habet Characterem Episcopalem. Respond. Administrationem Jure ordinario pendere à Charactere Episcopali, extraordinario à Sacer-

XI. Et Instantiæ respondetur.

Sacerdotali, hinc ipsis de jure competit, his competere potest, si committatur. Episcopi habent Ordinem & Consecrationem completam & proximam, Sacerdotes remotam & conditionatè, nempè si commissio accedat, quasi ad modum potestatis absolvendi, quam quilibet accipit in ordinatione Presbyterii, quæ tamen est remota, fit proxima, si committatur ei jurisdictio.

QUÆSTIO QUINTA.

De Necessitate, Effectu, & Ceremoniis Confirmationis.

I. Confirmatio nec necessitate medii, nec præcepti est necessaria.

DIco Primò: *Quamvis hoc Sacramentum sit valdè utile, tamen neque necessitate medii, neque necessitate præcepti, secluso contemptu, necessarium est ad salutem.* Est Doctoris in 4. d. 7. qu. 2. Prima Pars est certa, & patebit ex Conclusione sequenti. Secunda Pars probatur: Quia nullum potest ostendi præceptum Divinum aut Ecclesiasticum obligans Christianum secluso contemptu: ergò. Dico secluso contemptu, quia ex terminis patet, quod non liceat contemnere hoc Sacramentum ob maximum animarum fructum & utilitatem à Christo institutum, sine gravi peccato; contemneret autem hoc Sacramentum non solùm, qui ex contemptu nollet, sed etiam qui ex negligentia negligeret suscipere, quando commodè posset.

II. Secluso cõtemptu.

III. Quos effectus conferat Sacramentum Confirmationis.

Dico Secundò: *Hoc Sacramentum causat gratiam sanctificantem, & alias gratias actuales, quibus homo confortatur ad pugnandum pro Fide, & confert Characterem distinctum à Charactere Baptismi.* Est certa de Fide. Probatur quoad omnes partes ex dictis de Sacramentis in genere, & ex Trident. Sess. 7. Can. 6. 7. & 9. quòd verò Character ille sit distinctus à Charactere Baptismi, Probatur: Tum, Quia supponit illum: Tum, Quia aliàs frustra conferretur, quod nemo dicet.

IV. Qualis Dispositio requiratur in suscipiente.

Quæres: Qualis requiratur Dispositio in suscipiente & conferente? Respond. In utroque primò requiri statum gratiæ, & in Episcopo Jurisdictionem. In suscipiente ut confirmetur validè & licitè, quòd sit baptizatus, quia Baptismus est janua ad alia Sacramenta. Secundò, ut consentiat, si sit adultus.

V. Cæremoniæ Confirmationis.

Cæremonias breviter expedio, & Prima est, quòd debeat fieri in Ecclesia, simpliciter tamen potest conferri in quocunque loco sacro, etiam interdicto c. Responso de Sent. Excommun. Secunda, ut post orationes & unctionem caput ligetur propter reverentiam Chrismatis, quod siccari, non tergi, aut ablui debet, nisi alicubi sit contraria consuetudo. Tertia, debet alapam dare confirmato Episcopus, ut discat fortiter sustinere injurias pro Christo. Quarta, & maximè, debet adesse unus Patrinus vel una, idque conformiter ad sexum semper ex c. Catechismo, & 2. sequentibus de Consecrat. d. 4. debet etiam Patrinus esse distinctus ab eo, qui fuit in Baptismate, & hic contrahit omnia onera, quæ in Baptismate contrahuntur.

VI. Patrinus quis?

Et hæc de CONFIRMATIONE, ut DEUS confirmet, quod sanctis Sacramentis operatus est in nobis. AMEN!



TRACTATUS IV.

DE AUGUSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PROOEMIUM.

AD tertium venio Unguentum, quod cœlestis noster conficit Pigmentarius, & est *Crocus Emisſiones tuæ Paradiſi Cypri cum Nardo, Nardus & crocus, ſi velimus hæc ad Christi perſonam reflectere*, ait Gilbertus ſerm. 36. in cant. *congrua planè interpretatio ſequitur, quia magis oleo decoctus eſt gratiæ, Ipſe in Manna intelligitur, ipſe ſeminis Cypri ſpeciem tenet, ipſe Paſſionis cruce preſſus Sacramenta ſalutis, & unguenta gratiæ profudit. Ipſe in Cypro patitur, in Nardo ſepelitur, & de corde terræ reſurgit in croco. Quaſi novus flos & rutilus, quando per reſurrectionem caro ejus refloruit.* Sed non modò ſic, verùm etiam referendo hæc ad Evchariſticam ejus exiſtentiam, congrua erit interpretatio. In florem verſus eſt, an non Crocus? ſeu fabulam teneas, qui deperiens ſimilacem in florem verſus eſt; *cùm ipſe animam fugientem in longinqua, & peregrina, & aberrantem quærens.* poſtquam in finem dilexiſſet Diſcipulos, Amoris ſui Memoriale æternum relinquens, ſub panis ſpeciebus ſeſe occultans, in panis florem quaſi converſus eſt. An non Crocus, ſi Sidonio credis, qui Potens venatorum in Cœlis collocari meruit Sagittarii nomine conſecuto? *Nam licèt ſurſum ſit Dominus usque dum finia-*

tur

tur sæculum, nobiscum tamen etiam est, usque ad ejus consummationem, circuiens vicos & plateas, quærens & transiliens colles, sagittis suis ignitis vulnerans, Amor noster sagittam salutis in manu Domini tenens sagittas, non inebrians sanguine, sed faciens carnem suam & sanguinem sagittas, quibus sagittet immaculatum. An non Crocus, seu naturam spectes, nam flos hic, flos est cœlestis coloris, rutilo albóque mistus, seu moralitatem, flos hic, flos est, qui confortat, roborat, exhilarat, disparata gustabilia condit, & omnia dulcescere facit. An non crocus Christus Eucharisticus super-cœlestis coloris, *hic est panis, qui de cælo descendit.* An non crocus aurei coloris *ad sapientiæ rutilum refertur colorem*, inquit Gilbertus, *in quo thesauri Sapientiæ & Scientiæ Divinæ reclusi sunt.* An non crocus Christus Eucharisticus confortans & roborans, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem DEI. An non crocus exhilarans JESUS, ait, qui expertus erat, *in aure dulce canticum*, *in ore mel mirificum*, *in corde nectar cælicum.* An non omnia disparata condit & dulcescere facit, Leonem interroga, & respondebit: *Eucharistia salutare medicamentum, pravas nostri cordis affectiones corrigens.* De hoc igitur Medicamento & Sacramento, licèt omnem in se complectatur dulcedinem & suavitatem, *durus tamen est sermo de eo, & quis potest eum audire?* taceo comprehendere, aut de eo dignè aliquid loqui, ac sufficienter pro materiæ dignitate explanare? audendum tamen est, *licèt majus Mysterium sit omni laude, nec laudari sufficiat*, emolliet duritiem sermonis igneus fidei fervor, & inconcussæ constantiæ improbus labor. Accipe ergò de hoc Venerabilissimo Sacramento Sacri Concilii Tridentini Canones.

Canon I.

SI quis negaverit, in Sanctissima Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proindè totum Christum: sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.

† U 2 Canon

Canon II.

SI quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, unà cum Corpore, & Sanguine Domini nostri JESU Christi: negaveritque mirabilem illam, & singularem Conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat: anathema sit.

Canon III.

SI quis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.

Canon IV.

SI quis dixerit, peractâ Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post: & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire: anathema sit.

Canon VI.

SI quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum DEI Filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum: atque ideò nec festiva peculiari celebritate venerandum: neque in processionibus, secundùm laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solenniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras: anathema sit.

Canon

Canon VII.

SI quis dixerit, non licere, Sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post Consecrationem astantibus necessariò distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur: Anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter, & realiter: Anathema sit.

Canon IX.

SI quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ: Anathema sit.

Canon X.

SI quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti se ipsum communicare: Anathema sit.

Canon XI.

SI quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum: Anathema sit. Et nè tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem, sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copiâ confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eò ipsò excommunicatus existat.

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Eucharistiæ Sacramento secundùm se.

QUÆSTIO PRIMA.

An Eucharistia sit verum novæ Legis Sacramentum?

I. Eucharistiæ Etymon.

PRo resolutione Quæstionis necessaria est prævia nominis elucidatio. Eucharistia ergò vox Græca idem est quod *gratiarum actio*, sivè *bona gratia*. Est autem communi usu Ecclesiæ assumpta ad denotandum hoc Sacramentum, & meritò: Tum, Quia Christus illud instituens gratias egit, sivè (ùt est in Græco) *eucharistizavit*: Tum, Quia nos idem in gratiarum actionem offerre, & sumere debemus. Similiter est *bona gratia:* Tum, Quia est maximum DEI beneficium: Tum præcipuè, quia realiter continet Christum, qui est *gratiâ plenus, omnisque gratiæ fons.* Vocatur etiam hoc Sacramentum *Communio*, quia conjungit, & unit Fideles tanquam membra inter se, & cum suo capite Christo, adeòque per ipsum communicant fideles inter se & Christo. Dicitur quoque *Synaxis*, id est, Congregatio, sive propter eorum fidelium Societatem, quam significat & efficit, sive quia solebāt & etiamnum solent ejus gratia in unum fideles convenire. Quartò vocatur per Antonomasiam, *Mysterium*, *Sacramentum*, & *Venerabile Sacramentum*, quia rem maximè arcanam continet, & præ cœteris sanctum est & venerabile. Quintò, quando datur morituris, *Viaticum* dicitur, quia viam sternit, & vires transituris ad alteram vitam suppeditat. Sextò dicitur etiam *Hostia*, quia per Sacrificium incruentum DEO offertur in gratiarum actionem. Septimò dicitur *Convivium*, in quantum animam replet & satiat. Denique dicitur *Cœna Dominica*, quia in ultima Cœna fuit institutum. His præmissis

Dico Primò: *Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum.* Hæc est de Fide, quam nec ipsi Hæretici negant, quamvis in essentia ejus explicanda disconveniant. Probatur Primò ex Scripturâ, Matth. 26. Luc. 22. ubi continetur visibilis cæremonia, & significatio, & præceptum Christi, dum ait: *Et accepto pane gratias egit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* Joannis 9. continetur gratia præmissa: *Qui manducat hunc panem, vivet.* Item Marc. 4. & 1. ad Corinth. 10. ubi D. Paulus fusè institutionem hujus Sacramenti ejus sanctitatem & veram Christi præsentiā sub signo sensibili panis definivit: *Panis*, ait cap. 10. *quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est.* II. Eucharistia est verum Sacramentum novæ Legis.

Probatur Secundò ex definitione Conciliorum, *in cap. Firmiter de Summa Trintate. in cap. Cum Martæ, de celebratione Missarum, & in cap. ad abolendum*; ubi definitur Hæreticum esse illum, qui aliter senserit de Sacramentis Ecclesiæ, quàm Romana Ecclesia sentit & docet. Item *in Decreto de Consecratione Dist.* 2. in multis Capitibus & Decretis. Deinde in Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenor. tandem in Concilio Tridentino eadem veritas definitur Sess. 13. per totam, & Sess. 21. per multa capitula, quæ veritas adeò fuit semper persuasa in Ecclesia, quòd etiam Hæretici illi, qui unum vel ad summum duo Sacramenta admittunt in Ecclesia, fateantur primum & præcipuum Sacramentum esse Eucharistiam. III. Authoritas Conciliorum ad idem.

Probatur Tertiò Ratione Scoti in 4. dist. 8. q. 1. sub lit. B. §. 3. Eucharistia est signum veraciter repræsentans IV. Ratio Scoti ad idem.

sentans ex institutione Christi Domini effectum DEI gratuitum, id est, Corpus & Sanguinem Christi esse sub speciebus panis & vini, ergò est Sacramentum novæ Legis. Probatur consequentia: Quia gratia in definitione Sacramenti non solùm accipitur pro gratia accidentali & inhærente, sed etiam pro effectu DEI gratuitò, sive pro gratia subsistente.

V. Et Congruentia ejusdem.

Probatur Quartò ex Congruentiis, quas Doctor affert supra, quia congruit ut Christus nobiscum maneat sub signo aliquo sensibili, cùm non implicet, sed possibile sit, & nullam contradictionem involvat, ut sic quilibet magis excitetur ad reverentiam & devotionem erga Christum, nam hinc Clerici meliùs persolvunt divinum officium, Laici eis diligentiùs intersunt, frequentiùs confitentur, & ad devotionem se disponunt. *Secundò congruum est*, ut post Sacramentum regenerationis & confirmationis sit etiam aliquod, quod habeat rationem nutrimenti & refectionis animæ: *Sacramenta enim*, ait D. Augustin. *non essent, nisi rerum corporalium quandam similitudinem haberent.* Tertiò *congruum est*, ut illud signum fiat, per aliqua verba determinata, ut sic certitudinem habeamus. Et Quartò *congruum est*, ut Christus incipiat esse nobiscum per Ministrum Excellentem.

VI. Sacramentum Evcharistiæ describitur.

Dico Secundò; *Sacramentum Evcharistiæ benè describitur*, quòd sit: *Sacramentum Corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti sub Speciebus Panis & Vini post Consecrationem factam â Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divinâ veraciter significans Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri.* Ita Doctor Subtilis in terminis suprà, & patet â paritate aliarum descriptionum supra factarum. *Sacramentum* habet rationem *generis*, in quo convenit cum aliis omnibus signis practicis effectivis gratiæ, & importat relationem signi in recto. *Corporis & Sanguinis* sunt *significatum* seu terminus relationis signi. Per ly *sub speciebus Panis & Vini* denotatur materia conversionis, & fundamentum proximum talis relationis. Ly *post Consecrationem* indicat actionem Sacramentalem; *â Sacerdote*, Ministrum idoneum talis Sacramenti: Ly *certis verbis:* significat formam Consecrationis; & tandem *ex Institutione divina veraciter significans*, denotat modum significandi.

VII. Est omnium pretiosissimum & excellentissimum.

Dico Tertio: *Sacramentum Evcharistiæ est omnium pretiosissimum, & excellentissimum.* Colligitur ex Trident. Sess. 7. Can. 3. supra, & Scoto hic d. 8. q. 1. Probatur Conclusio authoritate D. Dionysii de cœlesti Hierarchia cap. 3. ubi dicit: *Hoc Sacramentum esse consumationem & perfectionem omnium Sacramentorum*; Ratio etiam est facilis, quia illud Sacramentum debet dici perfectius, quod causat perfectiorem effectum effectibus aliorum Sacramentorum, sed hoc causat talem, nempè Christum, qui est causa omnium aliorum effectuum.

VIII. Quadruplex Evcharistiæ differentia & excellentia præ reliquis.

Scotus hic quadruplicem differentiam & excellentiam dicit præ reliquis esse, & ait: *Ex dictis patet quadruplex differentia & excellentia hujus Sacramenti ad alia, Una est, quia simpliciter verissimum in signando, alia enim Sacramenta veracia sunt, quantùm est ex se, tamen aliquando non habent effectum suum signatum propter indispositionem suscipientis, istud autem nunquam caret suo signato. Secunda excellentia est, quia quod significat istud Sacramentum, hoc ipsum realiter continet, alia non. Tertia excellentia est signati per istud: alia enim Sacramenta significant gratiam accidentalem inhærententem suscipienti, istud autem significat gratiam subsistentem scilicet verum Corpus Christi ibi existens. Ultima differentia est in modo essendi istius Sacramenti, quia omnia alia Sacramenta tantùm consistunt in usu & fieri, ita quod idem ibi est Sacramentum & perceptio Sacramenti, sicut Baptismus est perceptio Baptismi, nec permanet aliquid quod sit Sacramentum, cessante tali usu vel perceptione, sed hoc Sacramentum est quoddam permanens*

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Eucharistiæ Sacramento secundùm se.

QUÆSTIO PRIMA.

An Eucharistia sit verum novæ Legis Sacramentum?

I. Euchari-stiæ Etymon. PRo resolutione Quæstionis necessaria est prævia nominis elucidatio. Eucharistia ergò vox Græca idem est quod *gratiarum actio*, sivè *bona gratia*. Est autem communi usu Ecclesiæ assumpta ad denotandum hoc Sacramentum, & meritò: Tum, Quia Christus illud instituens gratias egit, sivè (ùt est in Græco) *eucharistizavit*: Tum, Quia nos idem in gratiarum actionem offerre, & sumere debemus. Similiter est *bona gratia*: Tum, Quia est maximum DEI beneficium: Tum præcipuè, quia realiter continet Christum, qui est *gratiâ plenus, omnisque gratiæ fons*. Vocatur etiam hoc Sacramentum *Communio*, quia conjungit, & unit Fideles tanquam membra inter se, & cum suo capite Christo, adeóque per ipsum communicant fideles inter se & Christo. Dicitur quoque *Synaxis*, id est, Congregatio, sive propter eorum fidelium Societatem, quam significat & efficit, sive quia solebāt & etiamnum solent ejus gratia in unum fideles convenire. Quartò vocatur per Antonomasiam, *Mysterium, Sacramentum*, & *Venerabile Sacramentum*, quia rem maximè arcanam continet, & præ cœteris sanctum est & venerabile. Quintò, quando datur morituris, *Viaticum* dicitur, quia viam sternit, & vires transituris ad alteram vitam suppeditat. Sextò dicitur etiam *Hostia*, quia per Sacrificium incruentum DEO offertur in gratiarum actionem. Septimò dicitur *Convivium*, in quantum animam replet & satiat. Denique dicitur *Cœna Dominica*, quia in ultima Cœna fuit institutum. His præmissis

II. Eucharistia est verum Sacramentum novæ Legis. Dico Primò: *Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum.* Hæc est de Fide, quam nec ipsi Hæretici negant, quamvis in essentia ejus explicanda disconveniant. Probatur Primò ex Scripturâ, Matth. 26. Luc. 22. ubi continetur visibilis cæremonia, & significatio, & præceptum Christi, dum ait: *Et accepto pane gratias egit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* Joannis 9. continetur gratia præmissa: *Qui manducat hunc panem, vivet.* Item Marc. 4. & 1. ad Corinth. 10. ubi D. Paulus fusè institutionem hujus Sacramenti ejus sanctitatem & veram Christi præsentiā sub signo sensibili panis definivit: *Panis*, ait cap. 10. *quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est.*

III. Authoritas Conciliorum ad idem. Probatur Secundò ex definitione Conciliorum, *in cap. Firmiter de Summa Trintate. in cap. Cum Martæ, de celebratione Missarum, & in cap. ad abolendum*; ubi definitur Hæreticum esse illum, qui aliter senserit de Sacramentis Ecclesiæ, quàm Romana Ecclesia sentit & docet. Item *in Decreto de Consecratione Dist.* 2. in multis Capitibus & Decretis. Deinde in Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenor. tandem in Concilio Tridentino eadem veritas definitur Sess. 13. per totam, & Sess. 21. per multa capitula, quæ veritas adeò fuit semper persuasa in Ecclesia, quòd etiam Hæretici illi, qui unum vel ad summum duo Sacramenta admittunt in Ecclesia, fateantur primum & præcipuum Sacramentum esse Eucharistiam.

IV. Ratio Scoti ad idem. Probatur Tertiò Ratione Scoti in 4. dist. 8. q. 1. sub lit. B. §. 3. Eucharistia est signum veraciter repræsentans

sentans ex institutione Christi Domini effectum DEI gratuitum, id est, Corpus & Sanguinem Christi esse sub speciebus panis & vini, ergò est Sacramentum novæ Legis. Probatur consequentia: Quia gratia in definitione Sacramenti non solùm accipitur pro gratia accidentali & inhærente, sed etiam pro effectu DEI gratuitò, sive pro gratia subsistente.

V. Et Congruentia ejusdem.

Probatur Quartò ex Congruentiis, quas Doctor affert supra, quia *congruit ut* Christus nobiscum maneat sub signo aliquo sensibili, cùm non implicet, sed possibile sit, & nullam contradictionem involvat, ut sic quilibet magis excitetur ad reverentiam & devotionem erga Christum, nam hinc Clerici melius persolvunt divinum officium, Laici eis diligentiùs intersunt, frequentiùs confitentur, & ad devotionem se disponunt. *Secundò congruum est*, ut post Sacramentum regenerationis & confirmationis sit etiam aliquod, quod habeat rationem nutrimenti & refectionis animæ: *Sacramenta enim*, ait D. Augustin. *non essent, nisi rerum corporalium quandam similitudinem haberent.* Tertiò *congruum est*, ut illud signum fiat, per aliqua verba determinata, ut sic certitudinem habeamus. Et Quartò *congruum est*, ut Christus incipiat esse nobiscum per Ministrum Excellentem.

VI. Sacramentum Evcharistiæ describitur.

Dico Secundò: *Sacramentum Evcharistiæ benè describitur*, quòd sit: *Sacramentum Corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti sub Speciebus Panis & Vini post Consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divinâ veraciter significans Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri.* Ita Doctor Subtilis in terminis suprà, & patet à paritate aliarum descriptionum supra factarum. *Sacramentum* habet rationem *generis*, in quo convenit cum aliis omnibus signis practicis effectivis gratiæ, & importat relationem signi in recto. *Corporis & Sanguinis* sunt *significatum* seu terminus relationis signi. Per ly *sub speciebus Panis & Vini* denotatur materia conversionis, & fundamentum proximum talis relationis. Ly *post Consecrationem* indicat actionem Sacramentalem; *à Sacerdote*, Ministrum idoneum talis Sacramenti: Ly *certis verbis*: significat formam Consecrationis; & tandem *ex Institutione divina veraciter significans*, denotat modum significandi.

VII. Est omnium pretiosissimum & excellentissimum.

Dico Tertio: *Sacramentum Evcharistiæ est omnium pretiosissimum, & excellentissimum.* Colligitur ex Trident. Sess. 7. Can. 3. supra, & Scoto hic d. 8. q. 1. Probatur Conclusio authoritate D. Dionysii de cœlesti Hierarchia cap. 3. ubi dicit: *Hoc Sacramentum esse consummationem & perfectionem omnium Sacramentorum*; Ratio etiam est facilis, quia illud Sacramentum debet dici perfectius, quod causat perfectiorem effectum effectibus aliorum Sacramentorum, sed hoc causat talem, nempè Christum, qui est causa omnium aliorum effectuum.

VIII. Quadruplex Evcharistiæ differentia & excellentia præ reliquis.

Scotus hic quadruplicem differentiam & excellentiam dicit præ reliquis esse, & ait: *Ex dictis patet quadruplex differentia & excellentia hujus Sacramenti ad alia, Una est, quia simpliciter verissimum in signando, alia enim Sacramenta veracia sunt, quantùm est ex se, tamen aliquando non habent effectum suum signatum propter indispositionem suscipientis, istud autem nunquam caret suo signato. Secunda excellentia est, quia quod significat istud Sacramentum, hoc ipsum realiter continet, alia non. Tertia excellentia est signati per istud: alia enim Sacramenta significant gratiam accidentalem inhærententem suscipienti, istud autem significat gratiam subsistentem scilicet verum Corpus Christi ibi existens. Ultima differentia est in modo essendi istius Sacramenti, quia omnia alia Sacramenta tantùm consistunt in usu & fieri, ita quod idem ibi est Sacramentum & perceptio Sacramenti, sicut Baptismus est perceptio Baptismi, nec permanet aliquid quod sit Sacramentum, cessante tali usu vel perceptione, sed hoc Sacramentum est quoddam permanens*

manens etiam ante usum, & hoc congruum erat, quia Christus permanenter voluit manere nobiscum, ergò in aliquo signo vel Sacramento permanente.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Tempore Institutionis Sanctissimæ Eucharistiæ.

I. Controversia Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. AB annis quingentis & ultra de tempore institutionis hujus Sacramenti, gravis controversia est inter Ecclesiam Græcam & Latinam; hæc ut demonstret Christum illud instituisse in azymo, illa ut probet institutionem factam in fermentato, hæc asserit Christum passum die 15. Lunæ primæ in die Festo azymorum, adeóque pridiè quàm pateretur instituisse Sacramentum Eucharistiæ, id est, die 14. Lunæ primæ ad primas vesperas Lunæ 15. Illa è contra Christum passum die 14. adeóque pridie, id est, die 13. instituisse hoc Sacramentum.

II. Unde hæc Controversia dependeat. Tota hæc Controversia dependet ab illa difficultate, quando Judæi debebant celebrare *Phase*, seu quando debebant immolare, & edere Agnum Paschalem; nam si debebant immolare 14. die ad secundam vesperam, & ad primam 15. planè convincitur Christum tunc etiam instituisse, quia, postquam Agnum veteris Testamenti manducasset, Sacrificium Agni Mystici, sui scilicet Corporis & Sanguinis, instituit, & consequenter sequitur, eum panem azymum, & non fermentatum adhibuisse. Si verò Judæi non æqualiter celebrabant *Phase*, aut transferre poterant post celebratum Phase dies azymorum, non est adeò certum.

III. Lyrani &c. Sententia, de immolatione Agni Paschalis. Hinc Lyranus, Jansenius, Maldonatus in illum textum Matth. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, putant illo anno Christum immolasse agnum Paschalem Luna 14. & tunc instituisse Eucharistiam, Judæos verò ex dispensatione ad primam vesperam Lunæ 16. quæ erat die Veneris, & hoc toties, quoties dies azymorum incidissent in diem Veneris, tunc enim transtulerunt eum in Sabbathum, quia huic populo durum videbatur, duos dies Festos continuos celebrare, & hoc modo defendunt isti Authores, Christum non esse passum in die Festo, sed in Parasceve Paschæ & Sabbathi.

Græci verò dicunt, Judæos quidem eo anno celebrasse Phase 14. Luna, Christum tamen anticipasse celebrationem Agni Paschalis: verùm neuter modus placet, non quidem posterior, nam si Christus anticipavit celebrationem Phase, cur non etiam dies azymorum; Deinde in Cœna Agni Paschalis adhiberi debebat panis azymorum, quod Præceptum nequaquam dici potest Christum fuisse transgressum, *cùm non venerit solvere Legem, sed adimplere*, adeóque licèt admittatur alia cœna usualis distincta, in qua hoc Sacramentum instituit, facilè illum panem assumere potuit. Non placet etiam prior modus, quia nullum signum, nec jota hujusmodi dispensationis reperitur in Scriptura, & SS. PP. dicunt: *Diem sequentem Cœnam Christi fuisse primum diem azymorum*. Ita D. August. Epist. 86. Et certè, si tunc non celebrâssent duas Festivitates continuas, debuissent celebrâsse die septima azymorum, quæ incidisset in diem sextum Sabbathi, id est, diem Veneris, nam dies septimus æquè solemnis erat ac primus, ùt dicitur Levitici 23. Numeri 28. *Mense autem primò decimâ quartâ die Mensis Phase Domini erit, & quinta decima die solemnitas. Septem diebus vescentur azymis, quarum dies prima venerabilis & sancta erit, - - - - dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis.* Igitur ut ad rem progrediar, & ad resolutionē faciendam — IV. Græcorum Sententia de eadem. V. Uterq; modus sentiendi refutatur.

VI. Judæi quomodo cōputaverint annos. Notandum Primò: Judæos computasse annos per Menses Lunares, illúmque Mensem appellâsse primum, cujus Luna 14. incidebat in diem Æquinoctii Verni vel propius ipsum sequitur, estque apud nos Luna Martialis, Mensem autem istum vocabant *Nisan*, ut patet Esdræ 3. & eodem egressi Ægyptum, Exod. 12. leguntur.

Notan-

VII. Judæi inceperunt dies suos usuales ab Ortu Solis.

Notandum Secundò: Judæos incepisse dies suos usuales ab Ortu Solis, quod probatur primò ex Parabola illa Matth. 20. *ubi Paterfamilias summo mane exivit vocare operarios, deindè alios horâ tertiâ, alios horâ sextâ & nonâ, & tandem horâ undecimâ vocat alios, ad quos dicit: Quid statis totâ die otiosi*, adeóque hora undecima fuit circa vesperam, quia hi dicuntur tantùm unâ horâ laborâsse. Probatur Secundò ex Morte Christi, quæ secundùm Judæorum Calculationem facta est horâ sextâ, secundùm nostram horâ duodecima, tùm igitur nos incipiamus diem usualem hora 12. illi incipient matutina dico notanter dies suos usuales, quia

VIII. Et Festivitates à vespera.

Notandum Tertiò: Judæos fuisse solitos incipere suas festivitates à vespera, seu ab occasu Solis, præcedente ipsum diem Festum, juxta illud Levitici 23. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*; itaque Sabbatha & Festivitates habuerunt duas vesperas, unam præcedentem, alteram sequentem seu secundam. His præmissis & prænotatis

IX. Judæi semper debebant celebrare Phase die 14. Lunæ primæ Mensis Nisan ad secundam vesperam.

Dico Primò: *Judæi semper debebant celebrare Phase die 14. Lunæ primæ, quæ est Mensis Nisan, ad secundam vesperam.* Ita communior Theologorum & Scholasticorum. Probatur Primò: Tunc, & in illa vespera debebant Judæi manducare Pascha & Agnum Paschalem, quando incipiebant dies azymorum, sed dies azymorum incipiebant in prima vespera Lunæ 15. quæ est secunda vespera Lunæ 14. ergò tunc manducarunt Agnum Paschalem Probatur major ex Exod. 12. v. 8. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Probatur minor ex eodem Exodo supra v. 18. & Levit. 23. v. 5. *Mense primo die decima quarta Mensis ad vesperam Phase Domini est, & 15. die Mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Sed

Dices: Per illam vesperam die 14. intelligi primam vesperam non secundam, sed contra Primò: quia per vesperam in Scriptura ordinariè significatur vespera secunda & finis diei, ùt patet ex illo Genes. 30. *Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, id est, ad finem diei illius*; & Josue 7. *Josue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam.* Contra Secundò: Dies usualis non habuit duplicem vesperam, sed tantùm unam, eámque sequentem, sed Luna 14. erat dies usualis, & non solennis Festivitas, quæ habebant duplicem vesperam, ergò. Probatur minor: Quia in solennitatibus semper præcipiebatur aliquid, quod erat tota die observandum, pro Luna 14. autem nihil præcipitur, præter immolationem Agni Paschalis, in aliis Festivitatibus debebant abstinere ab operibus servilibus, & nil poterant coquere, ùt in Sabbathis, non sic in Luna 14.

Probatur Conclusio Secundò: Si dies azymorum non incepissent in secunda vespera Lunæ 14. sed prima, dies azymorum durâssent per octo dies, sed azymi dies debebant durare per septem dies, ùt patet ex Num. 28. *Septem dies vescentur azymis*; & Exod. 12. *Primo Mense quarta decima die Mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21. ejusdem Mensis, usque ad vesperam*, ergò. Probatur Sequela: Quia si inceperunt dies azymi à primis vesperis Lunæ 14. usque ad 21. fuissent octo dies; nec dicas à 14. usque ad 21. exclusivè, non esse nisi 7. dies; nec dicas, inquam, quia dies azymi dicebantur incipi Luna 15. Et si excluderetur 21. essent tantùm 6. dies: Tum, Quia septima dies erat solemnis, ùt prima ex Levit. 23. *Dies autem septimus erit celebrior & sanctior*, sed dies solemnis habebat duas vesperas, ex eodem versu 32. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* X. Alia Ratio ad idem.

Probatur Tertiò: Agnus Paschalis debebat manducari in memoriam percussionis Ægyptiorum, & azymi dies celebrari debebant in memoriam exitûs de Ægypto, sed eadem XI. Alia adhuc Ratio ad idem.

 die

die;qua percussit DEUS primogenita Ægypti, ad vesperam ad mane exierunt ex Æpypto filii Israël, ergò etiam eadem die ad vesperam debebant immolare agnum, quem sequuntur dies azymorum. Probatur major ex Exod. 12. *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum - - - habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solennem Domino.* Probatur minor ex eodem capite, ubi dicitur: Quòd Pharao surrexerit de nocte, & vocaverit Moysen & Aaron, & compulerit eos exire, *& fecerunt subcinericeos panes azymos, neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram*; Si autem dies intercessisset, moram habuissent: Tum ex Num. 13. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima mensis primi altera die Phase, ubi *altera* non significat diem secundam, sed primam sequentem Phase celebrationem, & hoc patet ex D. Joanne, ubi de Resurrectione Domini dicitur: Altera Sabbathi, id est, die Dominica, quæ tamen est prima post Sabbathum.

XII. Christus ultimam Cœnam quando celebraverit.

Dico Secundò: *Christus ultimam Cœnam, qua instituit hoc Sacramentum, celebravit ad secundam vesperam Lunæ 14. & primam Lunæ 15. Mensis Nisan.* Ita communiter Latini. Et probatur Conclusio: Quia Christus celebravit ultimam Cœnam, quando secundùm Legem debebat comedi Agnus Paschalis, atque hic debebat comedi ad secundam vesperam Lunæ 14. ergò. Minor probatur ex Evangelistis: Nam Christus misit Discipulos suos ad parandum Agnum Paschalem die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, ùt ait Lucas cap. 22. vel primo die azymorum, quando Pascha immolabant, ùt ait Marcus cap. 24. similia habet Matthæus cap. 26. ergò Christus celebravit suam Cœnam, quando Judæi immolabant, & necesse habebant immolare Pascha, quia non est credibile, illum hanc solennitatem non observâsse, qui non venit Legem solvere, sed adimplere. Sed in contra

Opponitur Primò Authoritas Scripturæ apud Div. Joannem cap. 13. 18. & 19. ubi in primo loco dicitur: Ante diem Festum Paschæ celebrâsse Christum Cœnam cum Discipulis suis, sed Festum Paschæ incipiebat ad finem Lunæ 14. cum immolatione Agni Paschalis, ergò non tunc celebravit Cœnam ultimam. In secundo loco verò, tempore & die Passionis Christi dicitur: Et ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha, ergò Christus occisus fuit, quando Pascha debebat immolari, & consequenter antè instituit suam Cœnam. Et 19. dicitur: *Erat autem Parasceve Paschæ*, sed dies Parasceves erat dies præparatorius, ergò si mortuus est in Parasceve Paschæ Christus, non habuit suam Cœnam, quando Pascha debuit immolari. Respond. ad Primum: Joannem non loqui de die cæremoniali, qui â vespera incipiebat, sed de die usuali seu artificiali, quæ incipiebat ab Ortu Solis, dicebaturque etiam Pascha, utpote jam inchoatum, sed ante diem seu lucem Festivitatis Paschalis; Et ad secundum Respond. Negando consequentiam, & dico: Per Pascha ibi intelligi alias victimas illis diebus azymorum, præsertim primo & ultimo offerendas, ùt habetur Num. 28. & 2. Paralip. 30. & 35. & Deuter. 16. quo postremo loco victimæ illæ patenter vocantur Phase seu Pascha, & poterant etiam â vulgo manducari, non tamen nisi â mundis, ùt patet ex Levit. 7. Illis porrò locis, etsi tantùm sermo esse videatur de Sacrificiis, quæ ipso die Paschæ, id est, 14. ad vesperam offerebantur, Innocentius tamen III. lib. 4. de Sacrif. Missæ cap. 4. sic dictum locum explicat: Omnes (dies) azymorum erant solemnes, etsi non sicut primus & ultimus, sed ad edendum azyma septem diebus eos omnes oportebat esse mundos, unde quolibet septem dierum non poterant introire in Prætorium, nè contaminarentur, & ut manducarent Pascha,

XIII. S. Joannes non loquitur de die cæremoniali, sed usuali.

XIV. Quid intelligat per Pascha.

Pascha, id est, in Pascha, vel nomine Pascha possunt & azyma designari. Hinc & notat Scotus, Pascha potest quintupliciter accipi: Primò pro solennitate die azymorum, quæ erat 15. Alio modo pro die, in cujus vespera comedebatur agnus, quæ erat Luna decima quarta. Tertio modo pro hora immolationis, quæ erat pars illius diei. Quartò pro agno, qui comedebatur. Quintò pro ipsis azymis: Similiter D. Augustin. lib. 5. qq. Veteris Testamenti q. 24. super Deuteron. propè finem interpretatur ex Deuteron. 16. ut eadem oblata sint omnibus septem diebus. Idemque testatur oculatus testis Josephus lib. 3. antiquit. cap. 13. Ad posteriorem locum dico: Diem Passionis Christi vocari Parasceven Paschæ, non quia præcedebat Pascha, seu præparatio erat ad Pascha, sed quia Pascha illo anno incidebat in Parasceven. Quæ explicatio confirmatur ex Joan. 18. ubi dicitur: Est consuetudo vobis, ut dimittam unum in Pascha. Cujus loco Matth. 27. dicitur per diem solemnem, & per diem Festum Marcus habet cap. 15. quibus clarè significatur diem illum fuisse 15. nam decimus quartus nec solemnis nec festivus vocatur in Scriptura; Unde Marci supra dicitur: Quia erat Parasceve, quod est ante Sabbathum, adeóque Parasceve Paschæ, idem est ac Parasceve incidens in Pascha.

XV. Pascha quintupliciter potest accipi.

XVI. Cur dies Passionis Christi vocetur Parasceve Paschæ.

Instatur: Judæi consultantes de Christo occidendo, dixerunt Matth. 26. non in die Festo, ergò Christus non est passus in die Festo, qui incidebat in Lunam 15. sed antè, & consequenter etiam ante finem Lunæ 14. comedit Agnum. Respond. Negando priorem consequentiam: Etsi enim Judæi primò timuerint Christum occidere in Festo, nè tumultus fieret in populo, postea tamen oblatâ occasione Judæ promittentis eum tradere sinè turbis, mutaverunt consilium, & in die Festo occiderunt præ nimia siti Sanguinis Agni innocentis, moram non sustinentes, idque non sinè augmento injuriæ, infamiæ, ac ignominiæ Christi, quamvis etiam non sinè Mysterio.

XVII. Christus est occisus in die Festo.

Opponitur Secundò Authoritas similiter Scripturæ, Marci 15. dicitur: Joseph ab Arimathia mercatus syndonem, & quòd posuit eum in monumento, quod erat excisum in petra; itemque eadem die criminaliter contra JESUM processerunt, sed hoc non erat eis licitum facere ex Lege in die Festo, ergò. Respond. Negando min. Quia Judæis licitum fuit in die Festo facere opera pietatis, ùt sunt: ungere, sepelire, & emere ea, quæ erant necessaria ad ista, nam ùt ait Christus apud D. Matth. cap. 12. *Licèt Sabbathis benè facere?* si autem Sabbathis, multò magis aliis Festivitatibus, hinc etiam olim Tobias cap. 2. in die Festo occisum vesperi sepelivit, quod etiam fecisset in die, nisi mortis imperium timuisset; & certè non constat quoq; fuisse eis illicitum in die Festo causam dicere & mortem procurare, licèt eis esset prohibitum exequi, unde dicebant: *Nobis non licèt interficere quemquam.* Imò Judæi poterant facilè opinari, eis licitum esse in die Festo occidere eum, quem ex invidia DEO blasphemum, & genti suæ perniciosum credebant, sicut nonnunquam in Sabbatho pugnârunt ad defensionem & liberationem Patriæ, ergò.

XVIII. Licebat Judæis facere opera pietatis in die Festo.

XIX. Non constat fuisse illicitum causam dicere in die Festo.

Arguitur Tertiò: Si Christus Cœnam ultimam sumpsit Luna 14. ad secundam vesperam, debet esse passus die Veneris, facto hoc, non potest dici, quod tamen Scriptura asserit, quòd altera Sabbathi, prima Sabbathi, Matth. 28. una autem Sabbathi, Lucæ 24. & Joan. 20. surrexit Christus, id est, die Dominicâ, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur sequela: Quia sic non fuisset Filius hominis in corde terræ tribus diebus & noctibus, quod tamen ipse prædixit, Matth. 12. Respond. Negando sequelam cum probatione: Quia tres dies & noctes hic sumuntur per Synechdochen, accipiendo nempe partem pro toto, nam die Veneris per partem in sepulchro fuit, die Sabbathi per totum, & die Dominico per auroram. Similiter sic possunt dici tres noctes, quia quilibet includit

XX. Quomodo Christus tribus diebus & noctibus fuerit in corde terræ.

† X 2 unam

unam noctem, adeóq; ratione trium dierum, tres etiam possunt dici noctes. Imò melius computando dies artificiales, sicut nos computamus, tunc enim facilè tribus diebus & noctibus secundùm partes fuit in visceribus terræ, primò enim usque ad mediam noctem diei Sabbathi ingredientis una, est autem duodecima noctis Sabathi usque ad 12. Dominicæ, sunt duæ partes noctium, & unam integram diem & noctem constituunt, & â 12. Dominicæ est iterum media nox, ergò. Sed

Instatur: A Paschate usque ad Pentecosten debebant fluere 50. dies, juxta Levit. 23. sed si Christus passus esset in die azymorum, ab illa die exclusivè fluxissent 50. dies usque ad Sabbathum septimæ hebdomadæ, & sic Festum Pentecostes non incidisset in Dominicum, uti celebrat Ecclesia, sed in diem Sabbathinum, contra sensum Ecclesiæ, quæ indubitanter tenet, Spiritum Sanctum descendisse in Apostolis die Dominica. Respond. Verum esse, quòd Pentecostes Judæorum ab altera die azymorum debebat numerari: Sanctum Lucam tamen & scripsisse & computâsse dies Pentecostes juxta modum Christiani Paschatis, ita quòd inceperit numerare post Sabbathum â die Dominica, & hoc patet insinuari ex eo, quòd dies Paschatis & Resurrectionis numeret â Dominica, dicens cap. 1. quibus & præbuit se ipsum in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, subdens, ergò cùm complerentur, signum est quod numerationem quinquaginta dierum inceperit ab ea die, â qua incepit numerationem quadraginta dierum.

XXI. S. Lucas quomodo computaverit dies Pentecostes.

Urgetur: Ecclesia prohibet, nè Pascha Christiani celebrent cum Judæis, nam ùt ordinavit Victor Papa, qui est XIII. â B. Petro, in Epistola 1. & refertur capite celebritatem 22. de Consecrat. d. 3. quod Pascha celebretur â Christianis in ea Dominica, quæ est prima post Lunam 14. sed potest esse, quod die Sabbathi sit Luna 14. & sic 15. sit Dominicus, & sic Christiani celebrabunt Pascha cum Judæis. Respondeo Negando ultimam consequentiam, quæ ex omnibus dictis infertur, quia revera potest celebrare Pascha Christianus die prima azymorum, sed non quando celebratur Pascha Judæorum, quæ est 14. & non 15. & hoc patet, quia si Luna 14. sit Dominica, in qua est Pascha Judæorum, debet transferri post octiduum, vel in alteram Dominicam, ubi Judæi habent diem septimum azymorum, si autem potest celebrari die 7. quæ est solennis sicut prima, cur non die primâ. Et revera juxta tabulam novam reformatam celebrabitur Pascha die 15. Anno 1900. ùt refert Boscus, vel si hoc non placet, dicito cum Covaruvia, Decretum Victoris velle ut â Luna 14. ad 21. celebretur nostrum Pascha die Dominico, dummodò is dies Dominicus non incidat in Lunam 14. aut 15.

XXII. Decretum Victoris Papæ circa celebrationem Paschæ exponitur.

Dico Tertiò: *Hoc Sacramentum probabiliter institutum fuit post absolutam Cœnam legalem, & inchoatam cœnam usualem.* Probatur ex Joan. 13. ubi dicitur: Postquam ergò lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cùm recubuisset iterum cœnantibus illis, accepit JESUS panem, & benedixit, &c. sed hæc surrectio & lotio non contigit infra cœnam legalem, sed post eam, ergò. Probatur minor: Quia cœna legalis debebat fieri festinanter, & sinè interruptione, ùt habetur Exod. 12. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter*, ergò. Et hinc patet ultra Sacramentum institutum fuisse etiam post lotionem pedum, nam & Judas præsens fuit, & ipse quoque antecedenter lotus fuit, unde Joan. 13. dicit Christus: *Et vos mundi estis, sed non omnes*; subdit autem Evangelista: Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit: Non estis mundi omnes. Et jam eis cœnantibus, dixit JESUS: *Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me ibidem:* nempe is, qui intinxit panem cum ipso in paropside, aut cui dedit panem intinctum. Ex quo potest

XXIII. Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit post cœnã legalem.

XXIV. Et post lotionem pedum.

XXV. Eucharistia fuit instituta in cœna usuali.

test confirmari Conclusio, quod instituta fuit in cœna usuali, quia in legali non adhibuerunt Broda, in quæ possunt intingere, cùm tantùm carnes assas igne manducare deberent. Qualis autem fuerit illa buccella intincta, putant aliqui fuisse ipsum Christi Corpus, verum D. Augustin. Tract. 62. in Joan. expressè ait: Post sumptam Eucharistiam Christum videntem Judam obstinatum per buccellam intinctam suam manifestâsse proditionem.

XXVI. Christus in ultima Cœna se ipsum communicavit.

Quæres: An Christus in Cœna ultima etiam se ipsum communicaverit? Respond. Probabiliter quòd sic, & hoc insinuant satis illa: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum; quod Doctores de Paschate novæ Legis interpretantur: Tum, Quia Christus non solùm instituit ibi incruentum Sacrificium, sed etiam primus obtulit, ad integritatem autem hujus pertinet etiam sumptio, ergò.

QUÆSTIO TERTIA.

In quo consistat Essentia hujus Sacramenti?

I. Sensus Quæstionis panditur.

NOn quæritur hîc de Essentia Sacramenti formaliter sumpti, sed potiùs materialiter seu fundamentaliter, unde non quæritur, quid sit ejus definitio, sed potiùs quænam sint partes constituentes ipsum in ratione Sacramenti, ex iis, quæ ad ipsum concurrunt, concurrunt autem Panis & Vinum tanquam materia transiens, verba Consecrationis, Species consecratæ, Corpus & Sanguis Christi sub speciebus contenta, denique sumptio prædictarum specierum. Valdensis asserit: Corpus Christi quatenus sub speciebus continetur, esse Sacramentum propriè Eucharistiæ, species impropriè & figuratè, quatenus significant Corpus & Sanguinem. Aureolus Sumptionem, Gabriel Consecrationem, alii alia, attamen antequam dicam, quid ego sentiam, contra alios

II. Corpus Christi non est pars, nec tota Essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Dico Primò: *Corpus Christi non est pars, nec est tota Essentia hujus Sacramenti.* Est communior contra Neutristas: Et Probatur, Sacramentum debet esse res sensibilis, sed Corpus Christi non est hic sensibile, ergò.

Dices: Contritio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non est sensibilis per se, similiter consensus Matrimonialis, ergò sensibilitas non impedit. Sed contra: Si Corpus Christi est sensibile per accidens, ratione specierum, per accidens pertinebit ad Sacramentum. Contra Secundò:

III. Corpus Christi per nullas species fit sensibilis.

Quia Corpus Christi per species nullas fit sensibile, nec ejus unio, cum illis, seu ùt nos loquimur, ejus præsentialitas, nam imprimis non per se: Tum, Quia id concedit adversarius: Tum, Quia quod est sensibile per se immediatè, hoc speciem ingerit sensui. Deindè nec fit sensibile per accidens, quod immittens propriam speciem sui repræsentat etiam aliquo modo alterum, hoc autem in Eucharistia non contingit, quia species consecratæ non plus immittunt, quàm non consecratæ, sicut evenit in Contritione, nam Confessio dolore, gemitu, fletu, verbis & percussione circumstantionata testatur in mente esse magnum dolorem, similiter in Matrimonio, de Eucharistia autem canit Ecclesia, etsi sensus deficit, sola Fides sufficit.

IV. Corpus Christi est effectus Sacramenti.

Probatur Secundò: Corpus Christi est effectus Sacramenti, ergò non potest esse ipsum Sacramentum, quia aliàs idem esset causa & effectus. Probatur consequentia ex Trident. Sess. 13. Can. 4. ubi dicit: In eo Sacramento contineri Corpus Christi, ergò non est ipsum Sacramentum, quia continens aliquid non potest esse ipsum contentum in eo.

V. Eadē causa nequit esse efficiens & formalis.

Dices: Non implicat aliquam causam esse efficientem & formalem, nam aqua fit benedicta per benedictionem Sacerdotis, & tamen benedictio est forma ipsius. Item in nutritione anima informat partem de novo aggeneratam, & tamen anima etiam est causa principalis aggenerationis. Respond. Negando antec.

Ad primam Probationem dico, esse disparitatem, quia benedictio illa Sacerdotis passiva est aliquod morale non physicum, & eam concipimus ut distinctam à benedictione, nec in ea aliqua forma alia nova est assignabilis; nec pars per nutritionem acquisita efficitur per animam, sed per potentiam nutritivam, nec animam primò acquirit ùt formam immediatam, sed novam formam mixtionis.

VI. Alia Ratio quòd Corpus Christi non sit Sacramentum, nec pars ejus.

Probatur Tertiò: Ex illo Ecclesiæ Hymno: Fracto demum Sacramento, nè vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum tota tegitur, sed non frangitur Corpus Christi, ergò non est Sacramentum aut pars ejus, aliàs frangeretur. Confirmatur ex cap. Ego Berengarius. d. 2. de Consecr. cap. 2. in quo dicitur: *Ego Berengarius anathematizo omnem hæresim, & præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ adstruere conatur Panem & Vinum quæ in Altare ponuntur, post Consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi.* Et infra in Vercellensi Concilio, in quo hæresim suam revocavit: *Post Consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem manere.* Sed modus ille loquendi esset absurdus, si Corpus Christi esset Sacramentum aut pars illius.

VII. Quo sensu Patres Corpus Christi vocent Sacramentum?

Arguitur Primò: Patres hoc Sacramentum vocant Corpus Christi, ergò Respond. Negando consequentiam: Quia SS. PP. non excludunt species, sed loquuntur largâ quâdam acceptione Sacramenti, in illo nimirum sensu, quo continens accipitur pro contento, ac si velint dicere, quòd hoc Sacramentum contineat Corpus Christi.

Arguitur Secundò: Sacramentum Evcharistiæ est cibus spiritualis animæ, sed esse cibum spiritualem non speciebus Sacramentalibus, sed Corpori & Sanguini Christi propriè convenit, juxta illud Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, &c. ergò. Respond. Negando minor. Pro quo observandum est, quòd sicut ista locutio homo intelligit, est magis propria, quàm anima intelligit, quia homo est qui intelligit, anima verò est *quo* homo intelligit, sic etiam species in Evcharistia sunt quæ nutriunt, & Corpus & Sanguis sunt *quo* homo nutritur, quia habent virtutem & formam nutritivam, sicut anima virtus & forma est intellectiva, unde textus supra allegatus in hunc posset explicari sensum, quòd Caro ibi accipiatur pro ipso Sacramento Evcharistiæ, continente realiter Corpus Christi, sicut suprà dixi. Et si quæras, quomodo Sacramentum Evcharistiæ causet suam gratiam? Respond. Sicut alia Sacramenta Christus illam causat meritoriè ùt homo, physicè & efficienter ut DEUS.

VIII. Corpus & Sanguis CHRISTI quomodo nutriant.

IX. Quomodo Evcharistia causet gratiam?

Dico Secundò: *Neque Consecratio, neque sumptio, sunt hoc Sacramentum.* Prima pars est Gabrielis, Victoris, Vasquetz, Coning. Secunda est Scoti & communis. Probatur prima Pars: Quia etsi Concilium Florent. supra appellet verba Consecrationis formam hujus Sacramenti, non tamen intelligit intrinsecam, cùm eodem modo Panem vocet materiam utique extrinsecam & transeuntem. Deindè dicit per illa verba confici hoc Sacramentum, sed quod conficit aliquid, non est de ejus essentia, quia nulla causa est essentia effectûs.

X. Consecratio non est de essentia Sacramenti Evcharistiæ.

Confirmatur ex Scoto q. 1. d. 8. Quia verba Consecrationis sunt successiva, ergò non possunt esse de essentia Sacramenti Evcharistiæ, quæ est Sacramentum permanens ac integrum etiam post verba Consecrationis, quæ etiam non suscipiuntur, non ponuntur in altari, non portantur ad infirmos, quæ tamen omnia huic Sacramento competunt. Sed

XI. Ratio Scoti ad idem.

Dices: Verba Consecrationis manere moraliter sicut offensa, aut consensus non retractatus. Contra: Illa moralis permanentia tantùm habet locum in causis & effectibus liberis pendentibus à voluntate, quæ effectus

XII. Permanentia moralis verborum Consecrationis non sufficit.

effectus morales causat, quando & quot placent; ideóque consensus semel datus censetur interpretativè permanere, quousque non revocetur à voluntate, aliud est de forma Consecrationis, quæ instar causæ necessariæ, tunc quando profertur, ponit effectum amplius non dependentem à potestate Consecrationis, quæ semel facta nequit retractari, ac proinde non habet esse morale permanens.

XIII. Alia Ratio ad idem. Contra Secundò: Permamentia Sacramenti hujus non est moralis, sed physica, ergò non sufficit, ut moraliter dicantur verba manere, quia aliàs posset dici formam baptismalem & absolutionem defacto adhuc esse, quia manet eorum effectus, & sic Sacramenta essent permanentia, quod nemo dicet. Quia hoc Sacramentum est ita permanens, ut possit applicari homini & conferre effectum suum, cui applicatio fit, prout non possunt applicari verba. Et si dicas verba Consecrationis manere apud DEUM, sicut consensus inter contrahentes Matrimonium manet apud eosdem, nil dicis, nam inprimis & verba aliorum Sacramentorum apud DEUM manent, & tamen verba non constituunt Sacramenta permanentia. Secundò: Quia consensus Matrimonialis solùm permanere dicitur in habitu & in vinculo, quod ex Lege contrahitur, sicque ejus permanentia non est in se, sed in suo effectu, atque talis permanentia in effectu non sufficit ad constituendum Sacramentum permanens, quæ in suo effectu manent, quod nemo dicet.

XIV. Sumptio non est de essentia Sacramenti Eucharistiæ. Probatur Secunda Pars: Nam Eucharistia antecedenter ad sumptionem est Sacramentum completum etiam dum in Sacrario asservatur. Confirmatur: Quia sumptio non est id, quod nutrit, sed tantùm applicatio rei nutritivæ & conditio ut Sacramentum operetur, sicut approximatio ignis ad comburendum.

XV. Essentia Sacramenti Euchari- Dico Tertiò: *Essentia tota hujus Sacramenti consistit in solis speciebus consecratis significantibus Corpus & Sanguinem Christi.* Est Doctoris hic & suorum sufficienter probata manere posset ex refutatione aliarum Sententiarum. Conclusionem quoq; insinuat D. Augustin. in Epist. 23. ad Bonifacium, & D. Anselmus in libro de Sacramento Altaris cap. 10. Quare eam positivè probo, quia speciebus omnia conveniunt, quæ ad rationem Sacramenti conveniunt & requiruntur, sunt enim solæ sensibiles, continent efficacissimè suum effectum, &c. Accedit etiam Innocentii III. Authoritas, *cap. cum Marthæ*; & *cap. Hoc est*; ubi dicitur: *Species sensibiles esse Sacramentum tantùm.* Nam in primo distinxerat tria in hoc Sacramento, Sacramentum tantùm, Sacramentum & rem Sacramenti, & rem Sacramenti solam. Primum ait, esse Species, secundum Corpus & Sanguinem Christi, & tertium gratiam sanctificantem, quæ homini datur in sumptione, in aliis autem Sacramentis quidem est res & Sacramentum simul, ùt in Baptismo, Ordine, Confirmatione est character, non est Sacramentum Baptismi, nec pars ejus essentialis, ergò neque hic. stiæ consistit in solis Speciebus consecratis.

Dices: Corpus Christi significat gratiam sanctificantem, ergò est Sacramentum. Respond. Ipsum quidem significare gratiam sanctificantem, sed priùs significari sensibiliter per species, adeóque non est Sacramentum propriè, licèt impropriè posset dici, nam Sacramentum non habet suam significationem per ordinem ad significatum secundarium, sed primarium, quod in hoc Sacramento est subsistentia permanens Christi sub speciebus sine usu. Et hinc dixi, species significantes Corpus Christi esse Sacramentum, ita videlicet, ut pro connotato importetur Corpus Christi, nam quodlibet signum dicit ordinem ad significatum suum, & quælibet relatio ordinem essentialem ad suum terminum, quamvis signatum & terminus non ingrediantur formaliter constitutionem signi & relationis. XVI. Quid sit primarium significatum in hoc Sacramento. XVII. Sacramentum Eucharistiæ importat Corpus Christi pro connotato.

Instabis: Ad relationem non datur aliqua actio, sed ad præsentiam Christi

Christi est vera actio, quia de novo producitur, ergò non habebit ibi rationem nudæ relationis. Respond. dist. maj. Ad relationem extrinsecus advenientem non datur actio, nego ùt patet, extrinsecus concedo. Itaque potest Sacramentum Eucharistiæ dupliciter considerari. Primò in quantum est verè præsens sub speciebus, & sic ad Corpus Christi datur vera actio, quia Christus verè ponitur præsens per actionem adductivam, si autem consideretur Corpus Christi ibi existens ùt signatum, sub hac ratione ad eam non datur actio, quia habet rationem moralem tantùm ex sua determinatione & ordinatione. Si dicas, in quantum signatum habet veram unitatem & unionem, ergò. Respond. Habet veram unionem physicam & intrinsecam, nego, veram præsentialitatem, concedo.

XVIII. Sacramenti Eucharistiæ duplex consideratio.

Arguitur Primò: Consecratione fit hoc Sacramentum, sed species non fiunt consecratione, sed potiùs Corpus Christi, ergò non in speciebus, sed in Corpore Christi consistit hoc Sacramentum. Respond. Concedo majorem, & disting. min. Species secundùm se & nudè sumptæ, concedo, Species consecratæ, nego min. & consequentiam: Itaque per Consecrationem activam fiunt species consecratæ, & consequenter Sacramentum.

XIX. Species quomodo fiant consecratione.

Arguitur Secundò: Cultu Latriæ quæ soli DEO debetur, adorari debet hoc Sacramentum, ùt definit Trident. Sess. 13. Can. 5. sed hoc non esset verum, si solæ species essent Sacramentum, ergò. Respond. Concedo major. & dist. min. nisi includerent etiam Corpus Christi tanquam partem essentialem, nego minor. nisi, &c. ùt aliquod sub ipsis contentum, concedo min. & nego consequentiam. Et ratio hujus solutionis colligitur ex ipso Concilio citato, ubi assignans rationem adorationis, quæ huic debetur Sacramento subdit, quòd DEUS in eo sit præsens. Unde Can. 8. Concil. se explicans, ait: Quod in hoc Sacramento cultu Latriæ Christus adoretur. Itaque non solùm Christus, sed & species adorantur in hoc Sacramento, ita quòd species in adoratione habeant rationem objecti materialis. Ratio autem formalis objecti est ipsa res, seu Christus realiter sub speciebus contentus, sicut fit in adoratione Imaginum & Crucis, nam totum, quod est in Cruce, adoratur, ratio autem, sub qua est res per imaginem repræsentata.

XX. Species cur adorentur.

Nec dicas, ergò Ciborium etiam potest adorari, qui continet & repræsentat Christum, quia Ciborium non continet inseparabiliter ex pacto divino & speciali modo existendi ac nova aliqua præsentia Corporis Christi. XXI. Ciborium cur nequeat adorari.

QUÆSTIO QUARTA.

De Unitate hujus Sacramenti?

Hic quæritur, utrum species consecratæ panis sint Sacramentum specie distinctum, à speciebus vini consecratis, & econtra, & sic quæritur, an Sacramentum Eucharistiæ absolutè loquendo dicendum sit unum, an verò multiplex. Qua in re I. Status Quæstionis quis?

Dico Primò: *Sacramentum Eucharistiæ est unum specie Sacramentum.* Est Doctoris in 4. d. 8. q. 1. n. 4. ubi postquam Corpus consideravit strictè, prout includit partes animatas animâ Christi, & magis largè prout continet alia omnia, quæ ad totum organicum pertinent asseruissetque primo modo considerato, plura esse signata diversa, Corpus & Sanguis ait tamen constituunt unum signatum totale, quod est Corpus secundo modo, & ita signum proprium Corporis primo modo, & signum proprium Sanguinis possunt esse unum signum Unitate integritatis, non autem indivisibilitatis, quia est ad completam nutritionem animæ, quæ significatur per completam nutritionem Corporis, completa autem nutritio Corporis fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis II. Sacramentum Eucharistiæ est unum specie Sacramentum.

divisibilitatis scilicet ex alimento, non enim nutrit cibus sine potu, & è converso. Doctorem sequuntur omnes Scotistæ & Neutristæ communiter.

III. Authoritates ad idē.

Probatur Conclusio Primò ex Authoritate Concilii Trident. Seff. 7. de Sacramentis in genere Can. 1. anathematizantis afferentes plura quàm 7. Sacramenta. Quæ probatio confirmatur Authoritate Pii V. in Catechismo, ubi, agens de hoc Sacramento, sic habet: *Non plura, sed unum tantùm Sacramentum Evcharistiæ authoritate ducti confitemur.*

IV. Ratio ad idem.

Probatur Secundò Ratione: Si quid impediret specificam unitatem hujus Sacramenti, maximè quòd species panis sit Sacramentum partiale specie distinctum à speciebus vini, sed hoc non impedit, ergò. Major patet, Minor probatur: Quamvis ossa, caro, & nervi sint entia inter se realia & specie distincta, adhuc tamen constituunt unum specie Corpus, ergò quamvis species consecratæ panis & vini sint duo partialia Sacramenta inter se specie diversa, adhuc possunt constituere unum specie Sacramentum, quod dicitur Evcharistia. Ex hac Conclusione sufficienter, qualis nam sit unitas, colligi potest, attamen facilitatis gratiâ

V. Unitas specifica Sacramenti Evcharistiæ non est physica & indivisibilis.

Dico Secundò: *Unitas specifica hujus Sacramenti non est physica & indivisibilis, sed moralis & integralis coalescens ex distinctis partialibus Sacramentis ordinatis ad unum totale Sacramentum significandum.* Ita Doctor supra Hiquæus. Probatur prima Pars Conclusionis: Quia illa non faciunt specie physica unum, quæ non habent inter se veram & physicam unionem, sed species panis non habent physicam unionem cum speciebus vini, ergò non sunt unum specie physicâ.

VI. Sed moralis & integralis.

Probatur secunda Pars: Species Panis & Vini faciunt unum Sacramentum, ut diximus supra, sed non per unionem physicam, ergò per moralem & integralem, quem habent inter se in convivio corporali cibus & potus, quæ constituunt unam refectionem specie morali, eò quòd prudentum judicio dicantur unum convivium, quia ad unum finem ordinati.

VII. Species diversæ, ex quibus coalescit Sacramentum Evcharistiæ, sunt duo Sacramenta partialia.

Quòd verò species illæ diversæ, ex quibus coalescit Sacramentum Evcharistiæ, sint duo Sacramenta partialia, probatur: Quia sunt duo signa sensibilia specie diversa ex ordinatione divina significantia efficaciter effectus gratiæ subsistentis diversæ rationis. Ergò sunt duo Sacramenta diversa. Consequentia est evidens, quia talibus signis convenit definitio Sacramenti. Antecedens probatur, quia Sanguis Christi est diversæ rationis specificæ à corpore, sed species Vini primariò significant Sanguinem, & Panis Corpus, ergò.

Confirmatur: Sacramentum ordinis, quamvis sit unum ex septem annumeratis in Trident. continet tamen plures sub se ordines, qui sunt Sacramenta partialia specie diversa, ergò quamvis Evcharistia sit unum ex illis septem, adhuc posset sub se continere duo Sacramenta partialia, & per hoc patet ad Concilium, quando asseruit, septem esse Sacramenta tantùm voluisse solummodò assignare species abstrahendo, an omnes illæ species sint subalternæ vel infimæ. Deinde species Panis habet diversam Consecrationis formam à Vino. Tandem D. Gregor. in quadam Collecta habet: *Perficiant in nobis Domine tua Sacramenta, quod continent*, &c. Sed in contra

VIII. Sacramentum Evcharistiæ non est unum specie physica.

Arguitur Primò: Species consecratæ Corporis sunt unum Sacramentum Evcharistiæ, & species consecratæ Sanguinis sunt alterum, ergò Sacramentum Evcharistiæ non est unum specie. Respond. Primò Negando consequentiam. Respond. Secundò dist. consequens, non est unum specie physicâ concedo, unum specie morali, nego consequentiam. Et ratio patet ex dictis, vel in Logica de multiplicitate unitatis.

IX. An Laici sumant integrum Sacramentum.

Arguitur Secundò: Si species Panis non sit totale & integrum Sacramentum Evcharistiæ, sequeretur, quòd Laici non sumant integrum Sa-

cramentum, sed hoc dici non debet, ergò. Respond. Majorem in omni rigore esse veram, abstinendum tamen est coram simplicibus, præsertim ab illo loquendi modo, aliàs putarent, quòd non sumerent integrum Corpus & Sanguinem Christi, aut verum Sacramentum, quod tamen non est verum, quia species Panis sunt perfectissimum Sacramentum, & sub illa continetur vivum & integrum verum Corpus Christi simul cum Sanguine & Divinitate, & sic, qui sumit illud, perfectum Sacramentum Eucharistiæ accipit, quamvis secundùm rigorem sermonis integrum Sacrametum in sensu jam explicato non sumat. Id videtur benè insinuâsse Trident. Sess. 21. cap. 1. dicens: *Sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum sumi*; ubi non dicit pariter totumque Sacramentum, sicut dixerat totum integrum Christum. Nam in qualibet specie salvatur quidem materialiter & implicitè ratio Sacramenti veri, unius propter unitatem significati, quod est Christus, non salvatur tamen totalitas, & integralitas formaliter, scilicet secundùm modum significandi, nam ùt est sub speciebus Panis, significat animæ refectionem per modum cibi, sub speciebus verò Vini per modum potûs, quia ex vi verborum tantùm ibi est Sanguis, qui reficit ùt potus, & sub speciebus Panis tantùm, ibi est Corpus, quòd reficit ùt cibus. Hinc

X. Quomodo in qualibet specie salvetur ratio veri Sacramenti.

XI. Unitas Sacramenti Eucharistiæ à priori & principaliter desumitur ex unitate significati.

Dico Tertiò: *Hæc unitas à priori & principaliter desumitur ex unitate significati, quod est Christus sub utraque specie contentus, à posteriori & minus principaliter ex unitate finis, qui est refectio spiritualis, quæ debet fieri per cibum & potum.* Ita Doctor in 4. d. 8. q. 1. Probatur: Quia Sacramentum Eucharistiæ habet rationem signi & relationis, sed signum & relatio non specificatur solùm à fundamento & termino, ergò etiam Eucharistiæ. Subsumo, sed terminus est unus, quia utræque species unicum continent Christum, tàm etenim eum continent species Panis quàm Vini, adeóque congruum sicut Christus est totum unum organicum, ita etiam sit Sacramentum.

Nec refert, quod quælibet species aliquid directè importet ab alia, & aliud concomitanter, adeóque solùm specificari debere penes terminos directè importatos. Non refert, inquam, quia ista significata sunt partes unius, sicut anima & corpus sunt partes unius hominis, & sicut istæ partes distributivè acceptæ sunt quid diversum, collectivè sumptum sunt unum totale, sic est de speciebus hujus Sacramenti, eorumque significato, & si in triduo mortis Christi consecratio fuisset facta separatim fuissent positæ quælibet species distributivè significassent quid diversum, collectivè autem unum totale, à quo hoc Sacramentum specificatur.

XII. A posteriori & minus principaliter desumitur unitas Eucharistiæ ex unitate finis.

Probatur secunda Pars: Quia esse refectionem spiritualem non convenit ei, nisi in quantum applicatur & usu exequitur, sed hæc tantùm est ratio secundaria, ergò. Patet major, quia non habet rationem refectionis, ùt existit in Ciborio, Altari, &c. Probatur minor: Quia tota ratio Eucharistiæ habetur sine usu & refectione; Deinde non est etiam hìc solus finis ut sumatur, sed ut adoretur, nobiscum sit signo sensibili usque ad finem sæculi, ut per illud devotio fidelium excitetur, & conservetur.

XIII. Sacramentum hoc est unum unitate specifica athoma.

Dico Quartò: *Sacramentum Eucharistiæ est unum unitate specifica athoma.* Ita Doctor supra. Probatur: Quia utræque species sunt partes integrantes Eucharistiæ, quæ actu insunt, sed partes subjectivæ actu non insunt, sed solùm potentiâ, ergò. Subsumo, sed si species constituerent Sacramentum in specie subalterna actu non inessent, sed solùm potentiâ, sicut sunt homo & leo, respectu animalis, ergò.

XIV. Alia Ratio ad idem.

Probatur Secundò ex Mastrio: Quia Christus has duas species instituit, ut essent partialia signa constituentia unú signum repræsentativũ Corporis Christi latè sumpti, prout Sanguinem includit sub utraque specie con-

cie contenti, & unius spiritualis convivii, ergò ex his duabus speciebus unum simpliciter specie athoma Sacramentum, quia Eucharistia non solùm ùt est quod individuum & singulare, sed etiam secundùm gradum specificum ex illis integratur, quia instituta est per modum convivii, cujus essentia integratur ex cibo & potu.

Dices: Sacramentum ordinis est unum unitate subalternâ, quia continet sub se plures ordines, ergò etiam hoc Sacramentum erit unum unitate subalternâ. Respond. Primò Negando consequentiam: Quia quilibet ordo seorsim sumptus est unum integrum Sacramentum & totale, ac unus ordo, & sic dicit Scotus habere potest rationem generis propinqui, species autem non sunt Sacramenta totalia, adeóque non habent rationem generis. Respond. Secundò Negando antecedens cum pluribus Recentioribus, quia etiam ordo est unum Sacramentum specie infima habens plura Sacramenta partialia constituentia unum totale significans gratiam ad administranda Divina in Ecclesia.

XV. Cur Sacramentum ordinis, & non Eucharistiæ, sit unum unitate subalterna.

Dico Quintò: *Tot sunt Sacramenta Corporis partialia numero distincta, quot sunt hostiæ consecratæ distinctæ.* Est communiter inter Scotistas eámque post Hyquæum tenet Pontius contra Svvarem, Lug. Probatur Conclusio: Quamvis totum homogeneum, v. g. amphora aquæ ante divisionem sit una numero aqua, tamen si dividatur in plures partes, quævis ab altera numero distinguetur, ergò quamvis hostia ante divisionem sit numero unum Corporis Sacramentum, tamen post divisionem erit diversum, de fide est enim, quemvis ex suscipientibus hostiam consecratam, sumere verum Sacramentum Eucharistiæ, ergò si duo sunt simul sumentes duas particulas, duo suscipiunt Sacramenta. Probatur consequentia: Species consecratæ sunt tantum Sacramentum, ut supra ostendi, sed implicat ut duo naturaliter sumant easdem numero species, aut ut eædem species numero sint in diversis locis, ergò.

XVI. Tot sunt Sacramenta Corporis partialia numero, quot hostiæ cõsecratæ.

Dices: Idem numero est Corpus Christi in pluribus particulis consecratis & in hostia antè & post divisionem, ergò & idem Sacramentum. Respond. Negando consequentiam: Quia Corpus Christi non est de essentia hujus Sacramenti, ergò ejus multiplicatio vel unitas nil facit ad unitatem Sacramenti, in genito & corrupto est enim materia una.

XVII. Unitas Corporis Christi nil facit ad unitatem Sacramenti.

Dices: Ergò qui semel & consequenter accipit tres particulas consecratas, accipit tria numero Sacramenta, & consequenter majorem gratiam, quàm illi, qui unam tantùm particulam sumunt. Respond. Multi concedendo consequentiam, & adducunt exemplum S. Philippi Neri, qui semel calicem implevit vino, ut eo plus de Sanguine bibere posset. Sed cum aliis fortè melius Respond. Negando consequentiã, quoad augmentum gratiæ, quia quamvis sumat vel tria numero Sacramenta, tamen, quia sumit illa per modum unius refectionis spiritualis, sic non accipit majorem gratiam per acceptionem unius vel plurium.

XVIII. An sumens plures hostias acciperet majorem gratiam.

Dico Sextò: *Pluralitas hujus totalis Sacramenti numerica provenit ex pluralitate numerica utriusque speciei, pluralitas verò numerica Sacramenti partialis à pluralitate numerica cujuscunque speciei.* Ita Bernd. Morando & alii Scotistæ communiter. Probatur prima Pars: Quia nullum totale compositum habens determinatum modum essendi & significandi multiplicatur numero, nisi multiplicentur omnes ejus partes integrantes & constituentes, sed &c. ergò

XIX. Pluralitas hujus Sacramenti totalis numerica provenit ex pluralitate numerica utriusque speciei

Probatur secunda Pars: Quia essentia hujus Sacramenti consistit in speciebus consecratis, ergò si ipsæ multiplicantur, multiplicabitur quoque Sacramentum: Tum, Quia quælibet species secundùm se independenter ab alia habet suam formalem rationem significandi Corpus & Sanguinem Christi, estque in qualibet specie distincta materia & for-

XX. Pluralitas numerica partialis Sacramenti provenit à pluralitate numerica cujuscunq; speciei.

 ma:

ma: Tum, Quia non potest aliunde pluralitas colligi, ergò. Probatur antecedens: Quia non ex multiplicatione sumentium, quia exindè res habet suam unitatem, utpote quæ est intrinseca ipsi, unde habet entitatem, sed entitatem non habet â sumente, ergò nec unitatem. Deindè sequitur, quod numerica unitas per aliquod accidentale & extrinsecum compleatur. Deindè nec potest sumi unitas ex pluralitate sumptionum, quia eandem hostiam possunt duo sumere, & bis vel ter idem, nempe si primus sit debilis & ante digestionem ejiciat, & alter ob reverentiam sumat, aut ipse bis vel ter consequenter.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE

Materia & Forma Eucharistiæ.

IN hac Disputatione non de alia Materia hujus Sacramenti quàm ex qua, hoc Sacramentum efficitur, nec de Forma, quæ in esse permanenti illud constitueret, qualem videmus non habere, sed de Forma Consecrationis confectiva agam. Unde in Nomine Domini sit

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Panis & Vinum sit propria Materia hujus Sacramenti?

I. Varii Errores circa Materiam Eucharistiæ.

CIrca Materiam Eucharistiæ plurimi & perversissimi Hæreticorũ fuêre Errores, ùt notat D. Augustinus cap. 26. 27. 28. 46. de Hæresibus, Epiphanius, Damascenus, &c. aliqui pro materia Corporis utebantur Pane & Caseo, sicut defactò aliqui in Anglia utuntur, alii Pane & Lacte, alii Pane ex farina & sanguine innocentis infantis confecto, alii dicti Gnostici, teste Epiphanio, Hæresi 46. Pane confecto ex farina & semine humano confecto. Manichæi autem, ut Gnosticos & fœditatem superarent, consecrabant Panem aspersum sanguine humano menstruo, quem Christi Sanguinem esse dicebant. Has spurcitias, licèt fortè modestiæ limites excedat earum narratio, ideò tamen refero, ut videant in quantam incidant cœcitatem Hæretici, quibus malus utitur spiritus ad omne facinus in Christi contemptum perpetrandum. Unde

Dico Primò: *Ad conficiendum Sacramentum Corporis materia requisita est Panis ex farina & aqua naturali confectus, & ad conficiendum Sanguinem, Vinum de vite.* Est de Fide ex Florent. in Decret. Unionis. Trident. Sess. 13. 21. & 22. ac pluribus aliis antiquioribus, ùt *cap. Firmiter de Summa Trinitate & Fide Catholica, cap. cùm Marthæ de Celebrat. Missæ, & cap. in Sacramento de Consecrat. d. 2.* Patet etiam ex Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. ubi Christus in institutione hujus Sacramenti dicitur *Accepisse Panem*, &c. & post Consecrationem Calicis dixisse refertur: *Non bibam de hoc germine vitis*, (seu ut Lucas habet) *generatione vitis*, quo indicatur vinum fuisse in Calice. II. Materia ad conficiendum Sacramentum Corporis est Panis, & ad conficiendum Sanguinẽ, Vinum de vite.

Primò Congruentiæ etiam sunt: Quòd Panis & Vinum sint aptissima ad significandum spirituale Convivium, utpote cibus & potus hominis maximè naturalis & in conviviis adhiberi solitus. Secundò: Quia optimè significant hujus Sacramenti effectus, nam sicut ex multis granis unus III. Congruentia ad idem.

unus Panis conficitur, & ex multis uvis vinum confluit, ita per hoc Sacramentum unus Corpus sumus in Christo de uno Corpore participamus. Multi Fideles tum inter se, tum cùm suo Capite Christo perfectissimè uniuntur. Tertiò: Quia sicut Panis confortat, & Vinum recreat, sic Christus (uti pulcherrimè cecinit D. Thomas) *Dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit & tristibus Sanguinis Poculum.*

IV. Quis Panis sit materia apta Consecrationis Corporis, & quis non. Hinc sequitur Primò: Massam farinæ subactam aquæ, aut etiam elixam, aut frixam in sartagine, non esse aptam materiam, sed debere esse coctam igni, per modum assationis in furno, sub cinere, ferro calido, aut simili modo, alioquin non erit verus ac propriè dictus usualis panis, secundùm moralem æstimationem, quandoquidem Concilia loquantur de Pane simpliciter, licèt fortè specie physica non differat.

Secundò Panem debere confici ex aqua naturali & farina, alioquin non dicetur propriè usualis Panis, sed potius pasta cum addito, Panis dulciarius. Hinc juxta Theologos passim non valebit, si farina sit subacta, butyro, lacte, saccaro, melle, aqua rosacea, maximè si in notabili quantitate admisceatur. Cajetanus tamen, Pontius, Lugo sentire videntur, sufficere panem ex lacte, vel aqua rosacea confectum, qui proinde â pluribus gravissimè notantur, ego tamen relinquo eis suæ Sententiæ probabilitatem, sufficiat nostram omninò certiorem esse, & in illo Pane consecrare non esse licitum. Sed ad alia propero, & pro Materia Sanguinis adhuc aliquid speciale hic annoto, singularem pro Pane servans Quæstionem.

V. Vinum cujuscunque regionis est materia Consecrationis. Hæc ergò â Theologis specialiter pro hac Materia observantur. Primò, Vinum de vite, sive album, sive rubrum, sive ex utroque mixtum, cujuscunque regionis, etsi foret specie distinctum esse materiam consecrationis, quia quodlibet habet rationem veram & realem Vini; Cavendum tamen est in his partibus â Vino Hispanico, quod quandoque ita conditum est, ut rationem mulsi potius habeat, imò frequenter mulsum pro Vino Hispanico vænum eat. Valet Vinum per miraculum productum ex quacunque materia, quia est ejusdem rationis, usus, & essentiæ, ùt alia, sicut sunt illa, quæ ex vite exprimuntur, & DEUS supplevit vitis activitatem & efficientiam. Valet etiam Vinum acescens, quia adhuc habet veram rationem vini, licèt tendat ad corruptionem, sicut animal tendens ad corruptionem, adhuc verum est animal, maximè si adsit aliqua necessitas, si tamen amplius discerni non potest, non valebit. VI. Valet etiã Vinum per miraculum productũ, & acescens.

Secundò: Licitum esse consecrare in musto, etiam immediatè ex vite expresso, in casu in quo aliud haberi non potest, quia est verum Vinum de vite, ùt declaravit Julius Papa *in cap. Cum omne de cons. d.* 7. & Concilium Braccarense. Et ratio est, quia mustum in Scriptura frequenter appellatur vinum, & vinum mustum, ùt patet ex Jeremiæ 48. *Vinum de torculari sustuli.* Luc. 5. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres*; & Act. 2. *Quia musto pleni sunt isti*, in Pentecoste autem non habetur mustum, ergò. Attamen extra necessitatem non erit licitum propter fæces permixtas, sicut etiam non est licitum consecrare Vinum aliis liquoribus vel aromatibus permixtum, imo tanta potest esse, ut planè consecrationem redderet invalidam; secus est de liquoribus & corporibus, quæ imponuntur ad conservationem vini, ut est sulphur, lac, oleum, &c. VII. Licet consecrare quandoq; in musto.

Tertiò: Succum in uva inclusum non posse consecrare ante expressionem, quia taliter inclusus non habet rationem potûs, ùt habere debet in materia sanguinis, sed potiùs cibi, & ob eandem rationem tenendum est, vinum postquam â pane exugitur, non posse consecrari. Nec potest demonstrari per Pronomen *Hic*, quamvis post Consecrationem imbibitum maneret consecratum & Corpus Christi ibi, quia plus requiritur ad Consecrationem, quàm conservationem, & facta semel Consecratione, VIII. Succus in uva inclusus nequit consecrari.

secratione, non est ampliùs necesse verificari τὸ *hic*.

Dices: In probabilissima Sententia vinum congelatum potest consecrari, & tamen non habet rationem potûs, ergò. Succus ex uva potest consecrari, quamvis non habeat rationem potûs. Respond. Negando antecedens pro secunda Parte: Quia vinum congelatum absolutè loquendo habet rationem potûs, quia non potest aliter deglutiri, sinè eo, quòd pars saltem ejus resolvatur in materiam potabilem, succus verò non potest. Deindè succus in uva frangit jejunium, non verò mustum. Iterum, Succus in uva est pars ejus integralis & continua compositi substantialis viventis & vegetantis, vel saltem habet se sicut sanguis in corpore humano, ac proindè non potest demonstrari per ly *hic*. Tandem habet accidentia omnia diversa, &c.

IX. Cur vinum congelatum possit consecrari, & non succus in uva.

X. Vinum cõgelatum illicitè, validè tamen consecratur.

Sed quid sentiendum est de Vino congelato? Respond. Non debere quidem congelatum consecrari, quia Ecclesia prohibet & præcipit, ut primò dissolvatur, ita quòd communiter censeatur sic consecrans graviter peccare, licèt Svarez excuset, valida tamen erit Consecratio. Ratio est: Quia congelatio sicut nec rarefactio aut condensatio destruit naturam, formam, & essentiam vini, sicut non destruit olei vel aquæ, nam si dissolvatur, sicut aqua est vera aqua ùt fuit anteà, sic etiam vinum secundùm calorem, odorem, & saporem, licèt fortè non ità intrinsecè. Deindè habet rationem potûs per se & remotè, licèt non proximè & per accidens. Tandem non frangit jejunium, & denique potest demonstrari per Pronomen *Hic*.

XI. Cur aqua congelata nõ sufficiat ad baptizandum, vinum verò congelatum ad consecrandum.

Dices: Aqua congelata non sufficit ad Baptismum, ergò nec vinum congelatum ad consecrandum. Respond. Negando consequentiam: Quia materia Baptismi debet esse posse abluere pro illo saltẽ instanti, quo completur Sacramentum, quia Baptismus consistit in solo usu, materia Eucharistiæ verò non, quia est Sacramentum permanens, & sic sufficit, quòd sit materia potabilis proximè dum sumitur sicut potest esse, quamvis, dum consecratur, congelatum sit.

Quartò deniq; infero cum communi ad Consecrationẽ Calicis nullum alium liquorem, qui non est vinum de vite valere, hinc excluduntur vina, quæ fiunt ex moris, pomis malogranatis, licèt nomen vini habeant, & in aliquibus accidentibus conveniant. Excluduntur etiam ipsi liquores ex uvis expressi, ùt sunt agresta, sapa, id est, mustum ad tertiam partem decoctum, ex quo datur postea vinum coctum, Lora, id est, vinum aquatum, aut illud, quod ex folliculis uvarum & granulorum ligneorum (& hæc sunt propriè vinacea) aquæ maceratio exprimitur post vinum & florem vini expressum. Tandem non valet vinum elevatum, ùt est crematum, &c. Adverte tamen nunquam esse licitum in vino congelato celebrare sinè gravissima necessitate, quæ vix unquam contingit.

XII. Quæ non valent ad Consecrationem Sanguinis.

QUÆSTIO SECUNDA.

Qualis debeat esse Panis, qui est Materia hujus Sacramenti?

ANte resolutionem nota, Panem latè sumptum, ex triplici rerum genere posse confici. Primò, ex fructibus arborum, ut Castaneis, Amygdalis, &c. Secundò, ex leguminibus, ùt Fabis, Pisis. Tertiò, ex granis, quæ generali nomine apud profanos frumenta dicuntur, & sunt illa, quæ culmos & aristas proferunt, ùt Triticum, Spelta, Siligo, Avena, Hordeum, Panicum, Oriza. Est autem planè extra Controversiam Panem ex quibusvis fructibus vel leguminibus confectum, non esse materiam aptam consecrationi, sed quæstio est, de quo genere frumenti debeat hoc Sacramentum confici, idque an in azymo, vel fermentato; Azymus autem dicitur ille, qui conficitur ex farina triticea & aqua naturali, sinè admixtione salis & fermenti. Fermentatus dicitur ille,

I. Panis ex triplici rerum genere potest confici.

II. Quis Panis non sit materia apta Consecrationi.

ille, qui fit ex farina, aqua, sale, & fermento. Praemisso hoc, nunc ad primum respondeo &

III. Solus Panis triticeus est materia Sacramenti Eucharistiae. Dico Primò: *Solus Panis triticeus potest esse materia hujus Sacramenti.* Ita Doctor in 4. d. 11. q. 16. & Theologi communiter contra Gabrielem, existimantem, sufficere Panem ex quovis genere confectum. Probatur Primò ex Catech. Roman. cap. de Eucharistia §. 2. Nullus Panis, nisi triticeus, apta materia ad Sacramentum putandus est, hoc enim Apostolica Traditio nos docuit, & Ecclesiae Catholicae Authoritas firmavit; quam Traditionem Concil. Florent. clarè demonstrat, dicens: Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est Panis triticeus, & Vinum de vite. Sed

IV. Etiam juxta Concil. Florentin. Dices Primò: Concilium tantùm velle triticeum Panem esse materiam ordinariam & necessariam, necessitate praecepti, non verò necessitate Sacramenti. Contrà. Diminutè procederet agens de Materiis necessariis Sacramentorum, si non assignaret materiam necessariò requisitam necessitate Sacramenti ad illa, sed hoc non est dicendum, ergò. Deindè Concilium eodem modo de Materia Corporis loquitur, sicut de Materia Sanguinis, sed secundùm omnes Vinum de vite & materia necessaria necessitate Sacramenti, ergò & Panis triticeus. Deindè eodem modo dici posset, aquam naturalem non esse materiam essentialem Baptismi, sed tantùm magis congruam. Deindè aliter loquitur Concilium de aqua miscenda, eò, quòd nimirum non sit materia essentialis. Tandem quòd Concilium velit excludere omnem alium panem, patet exinde, quòd addat de Pane fermentato Graecorum, eum esse sufficientem, dummodò ex tritico constet, ergò sufficiens non est, si constet aliundè, ergò est necessariò triticeus, non solum necessitate praecepti, sed etiam Sacramenti. Et hanc particulam esse satis exclusivam, patet etiam suprà ex eodem Florent. & Trident. ubi assignando pro Baptismo aquam naturalem, pro extrema Unctione Oleum, nihil addunt amplius, & tamen haec sunt ita materia necessaria, ùt sinè ipsis Sacramentum non conficeretur, ergò multò magis per Tò dummodò ex tritico constet. Eodem modo solve Authoritates adductas ex Jure Canonico Quaest. praecedenti Concil. I. qui etiam contra hanc objiciuntur, ex eo, quòd tantùm dicant materiam hujus Sacramenti esse Panem, nam intelligunt illi Canones solùm Panem, qui absolutè talis est sinè addito, qualis est solus triticeus. V. Et Canones.

Dices Secundò: Panis hordeaceus & siligineus est magis usualis, & etiam simpliciter vocatur Panis, ergò erit materia sufficiens. Patet antecedens, tum experientiâ, tum ex Scriptura, nam Marci 6. interrogat Christus: *Quot panes habetis?* & subditur: *Et acceptis quinque panibus & duabus piscibus* Luc. 9. *Non sunt nobis plus, quàm quinque panes*, sed isti panes fuerunt hordeacei: nam Joan. 6. dicitur: *Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos*, ergò. Respond. Primò: Panes hordaceos & similes, nunquam dici panes simpliciter, sed cum addito, quod licèt ab aliis fuerit praetermissum Evangelistis, D. Joannes tamen id benè annotavit. VI. Panis hordeaceus, siligineus, aut avenaceus non est materia Consecrationis.

Respond. Secundò: Panes alios non esse magis usuales ex se, sed ex defectu, & caritate, aut paupertate hominum, idque pro quibusdam solis partibus & regionibus; ex se autem est triticeus ordinatissimum nutrimentum hominis.

Respond. Tertiò: Omnibus his denominationibus obstare Traditionem Apostolicam, & Ecclesiae Authoritatem, quae potest congruentiâ confirmari, quia Panes Propositionis, qui erant figura Eucharistiae ex simila, id est, ex farina tritici conficiebantur.

Dices Tertiò: Quamvis Christus consecravit in albo vino, v. g. non sequitur inde, quòd vinum rubrum non sit materia Consecrationis, ergò quamvis consecrâsset panem triticeum, indè malè infertur panem hordea-

hordeaceum, aut avenaceum non esse sufficientem. Respond. Concedo anteced. nego consequentiam: Quia Christus pro materia Sanguinis instituit Vinum de vite, abstrahendo ab hoc, an esset album vel rubrum, pro materia autem Corporis solum Panem triticeum instituit, quæ etiam est potissima ratio, ùt constat ex Matth. 26. Luc. 24. 1. ad Corinth. 11. *Dominus JESUS in qua nocte tradebatur, accepit Panem*, &c. Panis autem absolutè non dicitur, nisi Panis triticeus, coagulatus aquâ elementari, &c.

VII. Solum Panem triticeum posse consecrari ulterius ostenditur. Hæc etiam Solutio est Probatio secunda Conclusionis, ac proindè adhuc confirmatur: Quia propter istam rationem, quòd nulla præter aquam naturalem vocatur absolutè aqua, colligimus, solùm aquam naturalem esse materiam Baptismi, ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. ergò cùm solus panis triticeus coagulatus aquâ elementari vocetur absolutè panis, optimè colligitur ex verbis Evangelii prædictis solum hujusmodi Panem esse materiam hujus Sacramenti.

Ex dictis patet Solutio ad quædam dubia, quæ hìc moveri solent, ùt, an panis confectus ex siligine, farre, spelta, sit sufficiens materia Corporis. D. Thomas & plurimi alii censent, panem confectum ex siligine esse materiam sufficientem, quia siligo est species tritici, quod inde probant, quia in multis locis, ubi seminatur siligo, crescit triticum, & èconsobra, quamvis ergò speculativè probabilis sit, attamen in hac materia, plùs quàm in omni alia Sacramentorum est servanda. Regula generalis in dubia materia extra necessitatem non esse administranda, consequenter hic potiùs totaliter abstineri debet, cùm hoc Sacramentum non sit necessitatis, & maximè si triticeus haberi non posset.

VIII. D. Thomas & alii censent, Panem siligineum esse materiam Consecrationis.

IX. Valet Consecratio in Pane sive azymo, sive fermentato. Dico Secundò: *Ad validam hujus Sacramenti Consecrationem perindè est, sivè Panis sit azymus, sive fermentatus.* Ita Theologi communiter, erátque Conclusio hæc post extinctam hæresim Ebionitarum, existimantium, Panem azymum esse de necessitate, ita quod non potest celebrari in fermentato, contra quos Ecclesia decernens fermentatum adhibuit, eâ autem extinctâ iterum azymum præcepit, hæc, inquã, Conclusio erat extra Controversiam in tota Ecclesia, usque ad annum 1053. circa quem Michaël Cerularius, Patriarcha Constant. incepit Latinos vocare Azymitas, & totam Ecclesiam Apostolicam condemnare. Definitur tamen â Florent. in libris Unionis, dicente: Definimus in azymo sive fermentato Pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta scilicet suæ Ecclesiæ Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

Ratio est: Quia uterque verè ac propriè est ac dicitur Panis, & in Scriptura absolutè sic vocatur, ùt de azymo patet, Lucæ 24. ubi Christus in Castello Emaus dicitur simpliciter accepisse panem in manibus, qui tamen panis fuit azymus, cùm illo die (qui unus erat ex diebus azymorum) nullus poterat esse fermentatus panis in mensis & domibus Judæorum. Idem patet ex Pane, quo Christus ad consecrandum usus est, ùt suprà vidimus. De fermentato nulla est ratio dubitandi, cùm is sit maximè usualis & propriè panis. X. Ratio ad idem.

Dices: Panis fermentatus est magis usualis, quàm azymus, sed Christus instituit hoc Sacramentum in Pane usuali, ergò. Respond. dist. min. in pane usuali de se tali, concedo, per accidens magis usuali, nego min. Itaque licèt panis fermentatus sit magis usualis quàm azymus, ideò quia præstat in sapore ob condimentum additum, nam quòd homines rariùs utantur vino hujus patriæ quàm illius, ob ingratum saporem, non cessat esse vinum usuale; sic dico de Pane. Derivatio nominis panis secundùm Græcum idioma ἄρτος, ab αἴρω, quod significat tollo vel attollo, quasi per fermentum elatum, non obstat, XI. Etiam Panis azymus est usualis.

obstat, quia etymon nominis frequenter est strictiùs quàm esse debeat, minusque exprimit naturam rei; ut patet de Invidentia, quod derivatur ab in & videre, spectatque ad intellectum, cùm tamen invidentia sit actus voluntatis secundùm nos.

XII. Græci cur sint Schismatici. Hinc collige: Græcos non esse Schismaticos, eò quòd Pane fermentato utantur, sed quia Ecclesiam Latinam in pane azymo consecrantem damnant.

XIII. Latino-Græcos licet celebrare in fermentato; sed non intra Ecclesiam Latinam. Collige Secundò: Sacerdotem Latinum per terras Græcorum transeuntem, posse licitè consecrare in Pane fermentato, quamvis non teneatur, ut declarat Leo 9. in Epistola ad Michaëlem, Græcorum Imperat. & ratio est, quia ut dicit regula Juris, quæ habetur in cap. *Ille* d. 12. Hospes potest se accomodare ritui Ecclesiæ, per quam transit. Tertiò: Sacerdotem Latinum non posse sine peccato mortali, quamdiù est intra limites Ecclesiæ Latinæ consecrare, nisi in azymo, quia aliàs in re gravi faceret contra ritum Romanæ Ecclesiæ, quod non licet etiam ad communicandum in articulo mortis infirmum, quia hoc Sacramentum non est necessitatis.

XIV. Panis ex amylo non est materia Consecrationis. Quæres: An Panis confectus ex amylo sit materia Consecrationis? Respondent aliqui: Talem panem non distingui à vero triticeo, eò quòd illæ depurgationes non videntur mutare speciem. Doctores tamen alii distinguunt specie, idque ex diversis effectibus & qualitatibus, quæ in amylo & alia farina sunt, colligunt. Respond. ego tamen, non esse materiam Consecrationis, quia non est panis usualis, quidquid sit de identitate specifica seu mutatione substantiali, quæ non solùm hìc attendenda est, sed etiam quòd sit in ordine ad moralem æstimationem, hujusmodi panis & praxis communior Ecclesiæ, ac tutior via.

XV. Nec pasta ex farina triticea confecta. Quæres: An de farina triticea pasta confecta non cocta possit consecrari? Respond. negativè: Quia Christus Panem triticeum, & non pastam pro materia instituit, ut sic secundùm Damascenum lib. 4. c. 5. l. 6. Illud quod communiter consuevit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis Sacramentum institutum spirituale. Et si arguas, panis fit pasta per modicam compressionem in digitis, quare nec post talem compressionem à digitis videtur materia consecranda sicut ante decoctionem. Respond. Hoc probat, quòd non differt specie panis à pasta: sed non probat, quòd pasta sit materia consecrabilis. Et si quæras de pane tali recenti & reducto in pastam, an sit consecrabilis? Respond. Quòd sic, quia quantumcunque in illo remittatur consueta duritia, quæ consuevit esse in pane cocto, tamen ex quo semel coctus est, & panis fuit, nisi manifestè recedat à ratione panis usualis, non recedit à ratione panis consecrabilis. Hucùsque in terminis Doctor d. 11. q. 6. ab authoritate D. Damasceni, quem etiam citat Doctor.

Universaliter nota: Non omne illud esse consecrabile, sub quo adhuc Consecratione semel facta perseverat Corpus Christi, quia sub vaporibus vini perseverat Corpus Christi, non tamen vapores sunt consecrabiles, sic est de pasta; Deindè hìc non debere attendi ubique eandem physicam & specificam rationem, sed moralem, prout est in usu hominum, sic licèt amylum & pasta non differat specie, moraliter tamen censetur differre. XVI. Universalis doctrina circa materiam consecrabilem.

QUÆSTIO TERTIA.

An ad conficiendum Sanguinem, necesse sit vinum miscere aquâ?

Armeni, quos nostri secuti sunt Sectarii, docuerunt, non licere aquâ vinum miscere. Armachanus lib. 9. de quæst. Armen. Vinum sine mixtione aquæ non posse consecrari docuit, Arlensis, Carlensis, & alii docuerunt, mixtionem esse necessariam, non necessitate Sacramenti, I. Varia Sententia.

menti, ùt voluit Arisnanos, sed necessitate præcepti Divini. Scotus autem in 4. d. 11. q. 2. num. 2. illam mixtionem esse necessariam tantùm necessitate præcepti Ecclesiastici, cum quo

II. Vinum cõsecrandum debet misceri aquâ. Dico Primò: *Necessarium est aquâ vinum miscere, non necessitate Sacramenti, nec præcepti Divini, sed Ecclesiastici.* Probatur Prima Pars, Tum ex Florent. supra, Trident. Sess. 22. c. 7. Tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, ùt colligitur ex Alexandro I. qui fuit V. post Petrum, & floruit ante annos 1500. Epistola ad omnes Orthodoxos, dicente: *Non debet, ùt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solùm, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum:* Tum etiam, Quia Christus miscuit in nocte Cœnæ, ùt colligitur ex Lyturgiis B. Jacobi: *Similiter* (inquit) *postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua:* Marci Evang. Basilii, Clementis, qui similia habent. Rationem hujus sacræ Cæremoniæ Doctores triplicem communiter assignant, & Trident. supra.

III. Ob triplicem rationem. Prima est, quòd juxta testimonium Patrum credatur Christus in vino aquâ mixto consecrâsse. Secunda est, signatio & rememoratio Sanguinis & aquæ, quæ de latere Christi profluxerunt, juxtà Innoc. III. cap. in quadam de Celebrat. Miss. Tertiò, quòd per aquam signetur populus, juxta Apoc. 17. *Aquæ, ubi meretrix sedet, populi sunt.* Mixtio ergò aquæ cùm vino, designat Populi Christiani cum Capite Christo unionem, quæ est hujus Sacramenti effectus.

IV. Aqua non debet misceri vino necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiastici. Tum ex Rubric. General. Tit. de defect. cap. 4. n. 7. ubi habetur sic: *Si autem celebrans ante Consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba Consecrationis, si advertat post Consecrationem calicis nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Tum ex Concil. Florent. suprà ac Trident. Sess. 22. cap. 7. ubi ait expresè: Tantùm hoc præceptum esse ab Ecclesia, his verbis: *Monet Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut offerendo calicem vinum aqua misceant: Tum, quòd Christum ita fecisse credatur: Tum, quia è latere Sanguis & Aqua exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.*

Hinc mixtio aquæ, non potest fieri in cellario aut alibi, sed debet fieri in altari & in calice: Tum, Quia est sacra cæremonia: Tum, Quia Trident. expresè ait: *In calice fieri debere.*

Confirmatur: Ideò secundùm Adversarios mixtio illa esset necessaria necessitate præcepti Divini, quia Christus ipse miscuit aquâ, sed ex hoc malè colligitur, quòd præceperit Discipulis, ut idem semper facerent, ergò. Major est Alensis, Minor probatur: Tum, Quia multa facit illa nocte Cœnæ, quæ nos facere non tenemur, nam lavit priùs pedes Discipulis, comedit Cœnam, & postea sedentibus Discipulis dedit Evcharistiam, ergò. Deindè quamvis consecravit in azymo, adhuc licitè Græci consecrant in fermentato, ergò quamvis non admisceretur aqua vino, adhuc in solo vino licitè possumus consecrare, nisi quando oppositum ab Ecclesia est præceptum. V. Non autem necessitate præcepti Divini.

Opponitur Authoritas Julii Pontificis & S. Cypriani relati in cap. *Cùm omne*, de Consecr. d. 2. qui dicunt: Calicem Domini non posse esse sine admixtione aquæ, ergò sicut vinum requiritur pro hac materia, ità & aqua. Respond. Negando consequentiam: Quia tantùm volunt illam admixtionem esse necessariam ad ostendendum effectum hujus Sacramenti, qui est conjunctio populi Christiani cum Christo, ùt clarè colligitur ex ipsa Epistola Cypriani: *Nam si vinum tantùm*, inquit, *quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sinè nobis, si verò aqua sola*, ùt faciebant Aquarii, contra quos agit Cyprianus: *Plebs incipit esse sine Christo.* Adde, quòd si verum esset, Cyprianum sensisse, esse necessariam mixtionem necessitate VI. S. Cyprianus explicatur.

cessitate Sacramenti, indè non infertur Conclusionem esse falsam, quia Authoritas Florentini & Trident. illius authoritati prævalet, & sic esset corrigendus. Hinc tamen adverte, circa mixtionem illam, aquam debere esse in minore quantitate,: Tum, Quia Florent. ait: Cui modicissima aqua admisceri debet: Tum, Quia major est Majestas Domini, quàm fragilitas populi designati in aqua, unde octava pars sinè scrupulo sumi potest; consequenter 4. vel 5. guttæ sinè scrupulo admisceri possunt.

VII. In qua quantitate debeat misceri aqua vino.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum Aqua Vino admixta priùs convertatur in Vinum, quàm in Sanguinem Christi?

INnocentius III. in cap. *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarum, tres diversas de hac re refert Sententias. Prima Sententia est: Vinum infusum calici converti immediatè in Sanguinem Christi, Aquam verò admixtam non converti in Vinum aut Sanguinem, sed in humorem quendam phlegmaticum, quem dicunt de Latere Christi exivisse, sed hæc Sententia ab Innoc. III. *in cap. In quam autem*, de Celebratione Missarum, tanquam absurda & erronea meritò damnatur, nec ullos habet jam sequaces, nam certum est, Aquam, quæ exivit ex Latere Christi, fuisse veram & naturalem aquam, prout testimonio suo Evangelista perhibuit, qui vidit: *Aperuit*, inquit, *latus ejus, & continuò exivit Sanguis & Aqua*; Deindè in Consecratione Sanguinis Christi, nulla substantia convertitur in aliam, nisi virtute verborum Consecrationis, & juxta veritatem formæ, sed verba Consecrationis non habent virtutem convertendi vinum vel aquam in aliud quàm in Sanguinem Christi, prout ex verbis ipsis, & veritate eorum satis constat, ergò.

I. Prima Sententia.

Secunda Sententia est: Aquam non mutari, nec in Vinum, nec in Sanguinem, nec in ullum alium humorem, sed manere in propria specie permixtam speciebus consecratis, quæ Sententia fundatur in opinione quorundam Philosophorum, qui negant aquam posse ullâ naturali virtute converti in vinum, ac postmodum cum reliquo Vino in Sanguinem, sed manere in propriâ specie & substantiâ sub speciebus consecratis.

II. Secunda Sententia.

Tertia Sententia, quam sequitur ipse Innocentius III. est: Aquam converti immediatè in Vinum, ac postmodum cum reliquo Vino in Sanguinem.

III. Tertia Sententia.

Accessit hìc noviter quarta Sententia, quæ dicit: Aquam converti immediatè in Sanguinem, æquè ac ipsum vinum; Hæc Sententia inventa est superiori tempore à quibusdam Theologis, qui eam & authoritate, & ratione probare conantur, eámq; insinuat Jansenus in sua Concordia c. 131. & probabilem putat Bizantius 3. p. q. 74. citatur etiam Althisiodorensis lib. 4. Sumæ Trac. 3. c. 2. Baronius Tomo 12. Annalium sub finem anni 1288. Alanus lib. 1. de Evcharist. cap. 13. Toletus lib. 2. Summæ c. 25. sed præ cœteris acerrimè defendit Ægidius Conink in suo Tract. de Sacramentis, quem ibidem sequitur Cardinalis Lugo.

IV. Quarta Sententia.

Dico Primò: *Longè probabilior est Sententia tertia, scilicet aquam calici consecrando infusam prius converti in Vinum immediatè, & postmodum in Sanguinem Christi Domini.* Est communissima Sententia Theologorum Recentiorum, & Veterum, & in terminis Scoti in 4. dist. 11. q. 7. n. 2. ubi ait: Aquam non esse necessariam necessitate Sacramenti, *Quia*, inquit, *etiam quando apposita est aqua, non convertitur in Sanguinem, nisi priùs conversa sit in vinum, adeòque*, inquit, *modica aqua est apponenda, & ita tempestivè, ut ante Consecrationem possit in vinum converti*: eamq; tradunt Alensis 4. p. q. 10. mem. 4 a. 1. D. Bonavent. in 4. dist. 11. q. 3. a. 1. p. 2. D. Thomas 3. p. q. 74. a. 8. ejusque discipuli omnes, Richardus, item Gabriel major, Paludanus, & alii

V. Probabilius Aqua Vino consecrando infusa prius convertitur in Vinum, & postmodū in Sanguinem.

alii Theologi communiter, & longè probabiliorem putat Innocent. III.

VI. Aqua manens substantialiter aqua non est consecrabilis.

Probatur Conclusio: Nulla materia potest per Consecrationem converti in Sanguinem Christi, nisi materia idonea & consecrabilis, sed aqua naturalis per se aut in sua substantia manens, non est materia consecrabilis: ergò ut possit converti in Sanguinem Christi, aut validè consecrari, debet prius converti in vinum, Major & consequentia patet. Probatur minor: Tum, Quia ita docent PP. & Doctores communiter, & definiunt Concilium Florentin. in Decret. Eugenii, & Tridentinum Sess. 13. C. 1. & 2. ubi ajunt: *Materiam hujus Sacramenti Panem triticeum, & Vinum de vite*: Tum etiam, quia si aqua, quamdiu manet in sua substantia, esset materia consecrabilis, posset per se, & sinè ulla admixtione Vini validè ad minùs consecrari, non minùs quàm Vinum sinè admixtione aquæ, sed hæc fuit hæresis Aquariorum, qui in sola aqua consecrabant, ergò quamdiu aqua manet in sua substantia, non est materia consecrabilis.

VII. Aqua non fit consecrabilis ex admixtione vini.

Nec valet dicere, Aquam quidem per se loquendo, aut sinè admixtione Vini non esse materiam consecrabilem, benè tamen admixto Vino, sicut Christus fecit, & Ecclesia fieri præcepit; Quia contra hoc est Primò, quia sicut Vinum admixtum aquâ in calice est per se materia consecrabilis, poterit similiter sine ulla admixtione validè ad minùs per se consecrari: ergò si aqua admixta vino, & in sua substantia manens, est per se materia consecrabilis, poterit similiter, sinè ulla admixtione vini, validè ad minùs consecrari.

Deindè quamdiu manet substantia, aqua est semper ejusdem rationis & speciei, sivè antè, sivè post mixtionem ejus cùm vino: ergò si antè mixtionem non fuit per se materia consecrabilis, aut idonea hujus Sacramenti, nec erit post mixtionem.

Denique, si aqua per mixtionem ejus cum vino redderetur aut fieret materia consecrabilis sinè ulla ejus conversione in vinum, perinde esset, sivè parum, sivè multum aquæ calici infunderetur, sed hoc est contra communem Ecclesiæ sensum, consuetudinem, & contra definitionem Florentini, ubi præcipitur, ut non nisi modicissima aqua Vino admisceatur, ergò. Probatur major: Ut aqua vino permixta validè consecretur, aut convertatur in Sanguinem Christi, non requiritur, quòd prius convertatur in Vinum, aut in sua substantia desinat esse, secundùm Adversarios, ergò sivè parvum, sivè multum aquæ infundatur, poterit validè consecrari, & in Sanguinem Christi converti. VIII. Aliàs perinde esset parùm vel multum aquæ infundere vino.

Dices: Aquam, si in tanta copia infundatur, corrumpere Vinum, & ejus substantiam destruere, adeóque non posse validè aut licitè amplius consecrari. Contra: S major quantitas aquæ habet virtutem corrumpendi minorem quantitatem vini, & in suam substantiam transferendi, ergò â fortiori major incomparabiliter quantitas vini habet virtutem corrumpendi minorem quantitatem, imò modicissimam quantitatem aquæ sibi infusam, & in suam naturam transmutandi, ergò quoties calici consecrando modicissimâ aqua, sicut fieri solet, infunditur, eam corrumpit, & in suam naturam transmutat. IX. Vinum potest in se convertere aquam.

Contra Secundò: Longè major est virtus & activitas Vini ad convertendum aquam in suam substantiam, quàm est aquæ ad convertendum Vinum, ergò si major quantitas aquæ destruit substantiam vini, & in suam naturam convertit, â fortiori major quantitas vini convertet comparabiliter minorem quantitatem aquæ in suam substantiam. X. Alia Ratio ad idem.

Contra Tertiò: Et peto ab Adversariis, si calici consecrando tantum aquæ imponeretur, quantum vini solet de facto imponi, & superinfundatur una sola gutta vini, an gutta sic infusa retineat suam substantiam, non obstante virtute & actione aquæ, vel an per virtutem aquæ XI. Item alia.

quæ in ejus naturam convertatur? Si primum, ergò poterit ista gutta permixta tàm copiosæ aquæ validè ad minus consecrari: Si secundum, ergò poterit similiter unica gutta aquæ permixta tàm magnæ quantitati vini per ejus virtutem & actionem in suam naturam converti.

XII. Probatur adhuc, aquam non converti immediatè in sanguinem. Confirmantur hæc omnia: de Fide est ex Trident. Sess. 13. Can. 3. totum atque integrum Christum contineri sub qualibet specie, & singulis utriusque speciei partibus, factâ etiam separatione earum ab invicem, *Si quis*, inquit Concil. *negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione factâ totum Corpus Christi contineri: anathema sit.* Sed si remanerent species aquæ in calice consecrato, non contineretur sub eis Christus factâ separatione earum à speciebus vini, sicut Adversarii concedunt per artificium posse fieri, ergò non remanent species aquæ in Calice post consecrationem. Major & consequentia patet; Minor probatur: Si species aquæ facta separatione earum à speciebus vini continerent sub se sanguinem Christi, essent per se materia consecrabilis, sed species aquæ separatæ à vino non sunt per se materia consecrabilis, ergò nec sic separatæ continent sanguinem Christi. Probatur major; quidquid continet sub se Corpus & Sanguinem Christi virtute verborum Consecrationis, est per se materia consecrabilis, ergò si species aquæ separatæ à speciebus vini continent sub se Sanguinem Christi, virtute verborum Consecrationis, erunt per se & sine ulla vini materia consecrabilis. Probatur Secundò eadem major, verba Consecrationis non habent virtutem ponendi Corpus vel Sanguinem Domini sub ulla materia, nisi per se sub una consecrabili, sed species aquæ separatæ à vino non sunt materia per se consecrabilis, ergò nec sub eis ponitur aut continetur Sanguis Christi.

Opponuntur Primò variæ Authoritates SS. PP. quæ videntur dicere aquam immediatè converti in Sanguinem, Ambrosius lib. 4. de Sacramentis C. 5. *Ante verba*, inquit, *Christi Calix est vino & aquâ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, Sanguis efficitur*. Damasc. l. 4. de fide. c. 14. *Qui fecit omnia, potest ex vino & aqua Sanguinem suum efficere.* Et Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Aqua mittitur in calicem, & fit Sanguis conversione Verbi cœlestis*, sed ad has & plures Authoritates, quas hîc frustra congerunt Adversarii. Respondeo, Patres non voluisse aliud, quàm aquam verè & in re ipsa converti in Sanguinem Christi, an autem immediatè, vel mediatè, parum ipsi curabunt, sicut in rei veritate perindè est ad utilitatem Ecclesiæ & animarum, sivè immediatè convertatur in Sanguinem, sive prius in vinum, & postea in Sanguinem, prout de facto semper fieri docent communiter Theologi. XIII. Patres explicantur.

Arguitur ex Ratione Primò: Si aqua non convertitur in Sanguinem Christi, nisi prius convertatur in vinum, erit semper incerta ejus conversio. Tum, Quia vinum sæpissimè est adeò debile, ut vix in tàm brevi tempore possit tantillum aquæ in se convertere, maximè si immediatè post mixtionem fiat Consecratio, prout sæpius fieri contingit. Tum etiam, Quia valdè incertum est, utrum aqua quantumvis modica possit ullo modo converti in vinum, prout certis experientiis conantur ostendere Medici & Chymici, ergò melius est vel cum secunda sententia dicere aquam in propria specie manere in calice post Consecrationem, vel cum quarta sententia, quòd immediatè convertatur in sanguinem sine ulla ipsius conversione in vinum. Respond. neg. ant. & consequentiam: quia ad tollendam illam incertitudinem præcepit Concil. Florent. ut non nisi modicissima aqua vino admisceatur, idque ut ait Scotus, *ita tempestivè, ut antè Consecrationem possit in vinum converti.* XIV. Ad tollendam incertitudinem conversionis, modicissima aqua admiscenda est

 Sed

Sed quid, si aqua nullo modo convertatur in vinum ante Consecrationem, prout probabile est, non converti, quando immediatè infunditur ante prolationem formæ, sicut sæpiùs fieri putant? Respond. Casum illum non contingere, quòd aqua infusa vino non convertatur in ejus substantiam ante Consecrationem, quia potest quantumvis brevissimo tempore talis conversio fieri. Si tamen contingeret aquam in vinum ante Consecrationem non converti, dico, illam non converti in Sanguinem Christi, sed manere in propria specie admixtam speciebus consecratis.

XV. Casu, quo aqua non converteretur in vinum, nec converteretur in sanguinē; sed maneret aqua.

Instatur. Ergò Sacerdos in tali casu non erit jejunus sumendo Calicem, neque calix ipse debet cultu latriæ adorari, aliàs adoraretur & aqua. Respond. Casum illum non esse admittendum, eo tamen supposito, nego utramque consequentiam, quia non censetur Sacerdos in tali casu violare jejunium, sicut nec sumens hostiam, cui admixtum esset aliquid arenæ ex mola, vel alterius grani à tritico. Ad illud de adoratione Calicis dico: neque Calicem, neque aquam in eo contentam adorari à populo, sed Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini contentum.

XVI. In casu Sacerdos non violaret jejunium; nec adoraretur aqua.

XVII. Probatio Adversariorum quòd vinum nequeat naturaliter in se cōvertere aquam.

Arguitur Secundò: Communis est Sententia Patrum & Theologorum, aquam infusam Calici non minùs converti in Sanguinem, quàm vinum, sed valdè incertum est, utrum unquam convertatur, aut posset naturaliter converti in vinum, ergò convertitur immediatè in Sanguinem. Probatur minor: non potest vinum aliter corrumpere substantiam aquæ, quàm destruendo qualitates connaturales & conservativas ipsius, aut contrarias inducere, sed hoc nequit præstare, ergò &c. Probatur minor: qualitates connaturales & conservativæ aquæ sunt frigus & humiditas, quibus contrariantur calor & siccitas, sed vinum non est formaliter calidum aut siccum, cùm potiùs ad oculum sit formaliter frigidum & humidum, ergò non habet qualitates contrarias, aut destructivas qualitatum aquæ, nec consequenter poterit formam substantialem ipsius destruere, aut in suam naturam convertere.

Confirmatur experientiâ Medicorum & Chymicorum, constat aquam admixtam vino posse rursum per artificium in propriâ specie extrahi, & â vino separari, ergò signum est nunquam fuisse conversam in vinum, sed in propria specie mansisse. Respond. conc. maj. loquendo de mediata conversione aquæ in sanguinem, & neg. min. ad cujus probationem dist. min. vinum non habet formaliter qualitates primas contrarias qualitatibus aquæ, conc. minor: non habet qualitates secundas contrarias ipsis, nego minor: & consequ: Elementa enim, quibus nos de facto utimur, non solùm corrumpuntur ex pugna primarum qualitatum, sed ubi nulla est contrarietas, aut pugna primarum qualitatum, quandoque ex se ipsis desinunt, ut constat de igne, qui nullo agente contrario ex se desinit, nisi convenienti pabulo continuò nutriatur; quandóque etiam desinunt ex pugna secundarum qualitatum, ût fit in proposito.

XVIII. Experientia ad idem

XIX. Vinum habet qualitates contrarias aquæ.

Ad Confirmat. Respond. Negando antecedens, cujus Contrarium nulla probat experientia, nam Authores hujus Sententiæ dicunt illud, quod ex vino per tale artificium extrahitur, non esse aquam, sed tenuiorem partem vini, quæ licèt appareat ejusdem coloris cum aqua, habet tamen saporem, & alias qualitates vini, cujus inquiunt signum est, quòd ex purissimo vino sine admixtione ullius aquæ per simile artificium extrahatur talis humor.

XX. Quod ex vino extrahitur, non est aqua, sed tenuior pars vini.

Arguitur Tertiò: Si aqua converteretur ullo modo, aut posset converti in vinum, perindè esset, sivè una gutta infunderetur Calici consecrando, sive centum aut mille, sed hoc est absurdum & contra praxin Ecclesiæ in Concil. Florent. declara-

XXI. Argumentum adversariorum, quòd aqua nequeat converti in vinum.

claratum. ergo. Probatur major; tàm benè possent mille guttæ aquæ successivè infusæ Calici converti in substantiam vini, quàm una sola gutta, ergò perindè esset, sivè una, sivè mille infunderentur. Probatur antecedens. Prima gutta aquæ infusa Calici convertitur secundùm nos sinè difficultate in vinum, sed post ejusmodi conversionem major est activitas vini ad convertendum ulteriores guttas, quàm fuit antè, ergò poterit à fortiori secundam & tertiam guttam ac reliquas omnes usque ad mille & ampliùs in suam substantiam convertere. Probatur minor, per ejusmodi conversionem magis augetur quàm decrescit substantia vini, ergò & virtus activa, quæ est propria passio ipsius, magis augetur, quàm decrescit, ergò ulterius, quò plures guttas in suam substantiam convertit, eò erit semper fortiùs ad ulteriores guttas convertendas.

Nec valet dicere, vinum per resistentiam & reactionem aquæ multùm debilitari, ejusque virtutem activam diminui, sicut reliqua agentia agendo repatiuntur, adeóque non posse tantam quantitatem aquæ in suam substantiam convertere. Quia contra hoc est Primò: Quod, ùt jam diximus, per talem conversionem magis augetur substantia & activitas vini, quàm decrescit. Contra Secundò. Ignis licèt agendo in lignum repatiatur quodammodò à frigiditate & humiditate ipsius, converso nihilominùs ligno in substantiam ipsius fit multò fortior ad agendum, ejúsque vires magis augentur, quàm decrescunt, & quo plura ligna in suam substantiam converterit, eò fit semper fortior ad ulteriora ligna convertenda: ergò esto vinum per resistentiam & reactionem aquæ multum repatiatur, si tamen convertitur in ejus substantiam, per hoc magis augebuntur quàm decrescent vires ejus. Respond. itaque ad ipsam objectionem neg: major: ejusque probationis antec. & consequen: ad cujus ulteriorem probationem conc: majo: dist: mino: major est activitas & virtus substantialis vini ad minus extensivè loquendo post ejusmodi conversionem, quàm antè, conc: min: major est virtus accidentalis & intensiva ipsius, neg: min: & conseq: nec aliud convincit ejus probatio, licèt enim una vel altera gutta aquæ facilè convertatur in substantiam vini, si tamen plures guttæ, & maximè in tanta quantitate infundantur, per suam resistentiam & reactionem ita debilitant & exhauriunt ejus activitatem, ut tandem nullam amplius guttam in suam substantiam valeat convertere; nec refert, quòd per ejusmodi conversionem substantia vini adeóque virtus substantialis & activa ipsius extensivè ad minus augeatur, quia cùm substantiæ materiales non agant in aliena subjecta, nisi mediantibus suis qualitatibus; hinc ubi virtus accidentalis debilitatur in qualitatibus, vinum etiam fit debilius, & minùs efficax in agendo.

XXII. Et Confirmatio ad idem.

XXIII. Respondetur ad argumentum.

Instatur. Vinum per conversionem aquæ non solùm augere in substantia & virtute substantiali, sed etjam accidentali, quia in aqua sic conversa non solùm invenitur substantia vini, ejúsque virtus substantialis, sed etiam qualitates vini, ùt odor, sapor, color, &c. adeóque non solùm augeri virtutem substantialem, sed etiam accidentalem. Respond. Augeri quidem virtutem etiam accidentalem, sed extensivè solummodò, nec illud augmentum adæquat intensivè prioris vini virtutem per resistentiam & reactionem aquæ deperditam; licèt enim tot fortassis gradus virtutis accidentalis accreverint extensivè vino per conversionem aquæ in ipsum, quot virtutis intensivæ per resistentiam aquæ perdidit, quia tamen virtus intensiva est longè fortior & efficacior in agendo, quàm extensiva, sicut universaliter virtus unita est fortior, hinc prius vinum cum virtute sua intensiva fuit multò fortius & efficacius ad convertendam unam vel alteram guttam aquæ in suam substantiam,

XXIV. Per Conversionem aquæ, vini virtus accidentalis augetur tantùm extensivè.

quàm

quàm est post conversionem multarum guttarum cum substantia & virtute noviter addita ad ulteriores guttas convertendas.

XXV. Cur Ignis converso ligno fiat fortior, non verò vinum cõversâ in se aquâ.

Ad illud de igne Respond. potissima arma, quibus ignis pugnat & agit in lignum esse qualitates primas ejus, calorem scilicet & siccitatem, quæ frigiditati & humiditati ligni contrariantur, ac proindè manentibus his integris ignem non debilitari in agendo, quantumvis fortassis in qualitatibus secundis aliquid patiatur. Arma verò, quibus vinum agit in aquam, non sunt qualitates primæ ipsius, ùt sunt frigiditas, & humiditas, quia in his nullo modo contrariatur aquæ, sed potiùs cum illa symbolizat, cùm frugiditas & humiditas potiori jure conveniant aquæ, quàm vino, sed solis qualitatibus secundis contra eam pugnat, & in ipsam agit, ac proindè debilitatis per reactionem aquæ qualitatibus secundis vini, vinũ ipsum dicitur, & est simpliciter debilius in agendo.

Porrò, quia argumenta contra Conclusionem satis efficacia sunt, quamvis non convincentia, ideò curioso & studioso Lectori hanc materiam facio Problematicam, & tanquam Problema proponendo

XXVI. Probabile est, aquam infusam vino non cõverti imediatè in vinum.

Dico Secundò: *Satis probabiliter potest quoque defendi secunda Sententia, Aquam scilicet infusam vino nec converti immediatè in vinum, nec mediatè in Sanguinem.* Hæc est quorundam veterum Philosophorum & Theologorum. Secunda Pars patet: Quia si in vinum non convertitur aqua, nec convertitur in Sanguinem mediatè vel immediatè, ùt supra visum est, ergò. Probatur prima Pars: Si gutta, v. g. aquæ converti posset in vinum, cui imponeretur, sequeretur, quòd ampulla vini posset convertere in vinum unum vas aquæ. Probatur Sequela: Potest convertere, secundùm Adversarios, duas guttas aquæ in vinum, ergò & quatuor, & sic paulatim unum vas. Probatur consequentia: Quia quò plus est de vino quàm antea fuit, eò majorem habet vim convertendi aquam, sed conversis primis quatuor guttis aquæ in vinum, plus est de vino, quàm antea fuit, ergò post conversionem haberet majores vires, quàm anteà, & sic paulatim infundendo unam guttam post alteram, semper plus poterit convertere.

Dices: Per conversionem aquæ in vinum vires vini debilitari, & sic infundendo posset vinum ab illis separari, & in aquam verti. Contra Primò: Per conversionem lignorum in ignem, vires prioris ignis non debilitantur, sed augentur. Secundò: Aqua, quæ in vinum convertitur, debet esse post conversionem ejusdem rationis cum vino convertente illam, ergò per additionem illius vires vini non debent debilitari, sed potiùs augeri, sicut semper augentur vires homogenii totius per additionem partis ejusdem rationis cùm illo. Contra Tertiò: Rationabiliùs est dicere, quòd vinum debilitetur, eò quòd admixta aqua in sua specie maneat inter eas partes, quàm quòd debilitetur per conversionem illius aquæ in vinum. XXVII. Instantia, quòd per conversionem aquæ in vinum debilitetur, vinum diluitur.

Probatur Secundò ista Pars: Non potest vinum in se convertere aquam, nisi per suas connaturales qualitates destruendo qualitates & substantiam aquæ, sed hoc modo non potest illam convertere, ergò nullo modo. Major est certa à paritate omnium substantiarum, quæ in se alias convertunt substantias: Probatur minor: Qualitates aquæ non possunt expelli, nisi per qualitates contrarias, quales sunt calor & siccitas, sed nec calorem nec siccitatem loquendo de formali habet vinum, sed potiùs frigus & humiditatem. ergò non potest in se aquam convertere. Confirmatur: Aqua mixta vino potest per artem extrahi in sua specie ex vino, sed hoc non posset fieri, si fuisset conversa in vinum, ergò. XXVIII. Probatur ulterius, vinum non posse in se convertere aquam.

Dices: Non extrahi tunc veram aquam, sed humorem aliquem, qui fuit inter partes vini. Contra, hoc gratis dicitur. Deindè si vinum non XXIX. Instantiæ respondetur.

non potest illum humorem convertere in vinum, quare posset aquam?

XXX. Instantia alteri satisfit. Dices Secundò: Vinum potest converti in aquam, ergò & aqua in vinum. Respond. Primò: Nego antecedens. Respond. Secundò: Transeat antec. & nego consequentiam: Quia frigus aquæ est & intensius & consequenter fortius ad agendum, quàm sit frigus vini connaturale ad resistendum, & consequenter quamvis vinum in aquam (quod neque naturaliter puto posse fieri) vertatur, non sequitur etiam sic aquam verti.

XXXI. Congruentia dicendi quòd in consecrato calice cum Sanguine maneat aqua. Probatur ultimò hæc Pars: Si diceretur, quòd in consecrato calice cum Sanguine maneret aqua in sua specie, sic meliùs in hoc Sacramento repræsentaretur veritas & figura Sanguinis & Aquæ naturalis, quæ de latere Christi in Cruce fluxerunt, ergò nisi obstarent Authoritates Patrum, Conciliorum, & omnium Scholasticorum, dicendum esset, quòd sic maneant.

QUÆSTIO QUINTA.

An Materia consecranda debeat esse necessariò præsens Ministro, eàque in determinata aliquâ magnitudine & quantitate?

I. Pronomina Hic & Hoc multipliciter sumuntur. Antequam ad resolutionem progrediar, notandum Pronomina Hic & Hoc diversimodè sumi: Primò, ad denotandam rem singularem, cui præponuntur, ubicunque res illa sit. Secundò, ad designandam vocem seu significatum vocis ultimò denominatum in oratione. Tertiò, ad significandam rem præsentem, sed adeò imperfectè, ut debeat demonstrari signo aliquo alio; & Quartò perfectè, ut non indigeat aliquo signo, vel medio, v. g. virga vel digito ad demonstrandam rem præsentem. Hoc prænotato

II. Materia consecrationis debet esse ita præsens, ut possit per verba essentialia formæ demonstrari. Dico Primò: *Materia consecrationis debet esse ita præsens, ut possit per sola verba essentialia formæ demonstrari.* Ita communior Theologorum, & Probatur Primò ex Institutione Christi, quæ nobis exinde constat, quòd sic consecravit materiam præsentem, & ex usu ac praxi Ecclesiæ, quæ nunquam in Consecratione adhibuit aliquod medium, V. g. digitum, virgam, &c. Probatur ex significatione Pronominum Hic & Hoc, quæ substantivè sumpta ex vi suæ significationis, majorem præsentiam exigunt, quàm quando adjectivè sumuntur, nam sumpta adjectivè determinantur per substantivum, cui præponuntur, quando verò substantivè accipiuntur, ùt hic sumuntur, indifferens est eorum significatio, adeóque per præsentiam determinari debent.

III. Materia nõ est præsens præcisè quòd possit videri. Quanta autem distantia impediat hanc præsentiam & determinationem Authores non conveniunt; nam aliqui 30. passus, alii 20. alii 10. ponunt, alii minùs, ego puto hìc judicio, praxi, & consuetudini Ecclesiæ standum, unde dico, illam materiam non esse præsentem præcisè quòd possit videri, sed nec esse necesse ut videatur, dummodò de se sit visibilis, vel alio sensu perceptibilis, nam video supremam aëris regionem, hæc tamen non est mihi moraliter præsens, ut demonstrari possit hic sinè addito signo, possum videre ad duas leucas per Tubum opticum, nec hoc mihi demonstrativè sinè addito præsens est; Ratio alterius est,

IV. Nec est necesse, ut videatur, saltem sit per se sensibilis. quia validè consecrantur hostiæ clausæ in pixide, ciborio, quas tamen non video, similiter si adsit magnus hostiarum cumulus, ubi non videntur inferiores, nisi ratione superiorum, sicut illæ, quæ continentur in pixide, habentur præsentes ratione continentis, adeóque sensibiles sunt in alio licèt non immediate in se, quod non requiritur, nam ratione partis majoris sufficienter potest demonstrari per hic, hoc, &c. si tamen non essent ratione aliarum partium præsentes, vel ratione continentis, non

V. Hostiæ in Sacrario, infra Mappam, post tergum, nequeunt consecrari. possunt consecrari, ut si essent Hostiæ in Sacrario, post tergum, post parietem, infra Mappam. Nam non dicitur, demonstrari aurum vel argentum in cista inclusum, si antè ostium cubiculi starem & dicerem: Hoc est aurum, &c. Et licèt de Hostiis infra

mappam contentis appareat difficultas, sitque etiam probabilis opinio, probabiliùs tamen negatur consecrari, quia non sunt ibi præsentes ratione continentis, sed abscondentis, absconsio autem & latentia non faciunt rem præsentem, sed potiùs absentem, ut quæ antea erat sensibilis, amplius sentiri non possit.

Itaque pro majori intelligentia nota adhuc præsentiam hanc non esse speculativam, nec physicam sed practicam & moralem, ita quòd verè judicio prudentis potest demonstrari per Hic & Hoc. Et hinc licèt mihi mare esset præsens totum, & totus aër ratione continuationis, si tamen vinum esset, consecrabilis totus non esset, quia secundùm minorem partem mihi adest, major pars quidem minorem secum trahit & consecrabilem facit, non tamen minorem majorem.

VI. Materiæ consecrabilis præsentia non est physica, sed moralis.

Nota Secundò: Hanc præsentiam debere esse ad initium prolationis verborum, ita quod si post prolationem verborum *hic, hoc*, apponerentur aliæ Hostiæ parvæ vel Vinum, &c. non consecrarentur; quia id videtur exigere institutio hujus Sacramenti, quæ requirere videtur ut materia sit præsens, quamdiu forma durat, sicut Subjectum Baptismi præsens esse debet, quamdiu forma durat, unde licèt posses dicere, Corpus Christi, quod demonstrat Hoc, esse primò ibi in ultimo instanti prolationis, adeóque non requiritur, ut ante illud sit materia semper præsens, attamen non enervas paritatem datam, quia gratia & character Baptismi, ordinis est primò in ultimo instanti prolationis verborum formæ, & tamen antecedenter debet esse præsens, ergò licèt etiam Corpus Christi sit effectus verborum & Consecrationis, materia tamen consecrabilis antè debet esse præsens. Et sicut ab initio debet esse præsens ut consecretur, ita etiamsi ante prolationem feratur Hostia non consecrabitur ob eandem rationem.

VII. Hæc præsentia requiritur ad initium prolationis verborum.

Dico Secundò: *Materia consecrationis debet esse determinata & certa.* Est communis, & patet ex iis, quæ habentur ex Rubricis Missalis, & etiam quia formæ Consecrationis in quibus proferuntur *hic* & *hoc*, quæ sunt Pronomina demonstrativa, non essent veræ, nisi materia esset determinata & certa.

VIII. Materia consecrationis debet esse determinata & certa.

Arguitur: Sacerdos ex 12. Hostiis intendens consecrare undecim tantùm, quas DEUS determinaret validè consecraret, ergò materia Consecrationis non debet esse determinata. Respond. Negando anteced. Quia Sacramentorum materia debet humano modo determinata & certa esse, tunc autem sic non esset, ergò.

IX. Ex 12. Hostiis intendens consecrare undecim, quas Deus determinaret invalidè consecraret.

Dices: Habens ante se 12. Hostias, & existimans tantùm se undecim habere, validè consecrat omnes, sed tunc non habet determinatam materiam & certam, ergò. Respond. dist. maj. Si habet intentionem consecrandi totam materiam illam præsentem, conced. major. si non habet, sed potius intentionem consecrandi undecim tantùm cū exclusione duodecimæ, nego major. & distinctâ similiter minori, nego conseq. Itaq; si intendens consecrare undecim tantùm, cùm haberet duodecim, nil faceret, quia non potest scire quæ non esset consecrata, aut quæ materia consecrabilis.

X. Item intendens consecrat undecim tantùm, habens duodecim.

Dico Tertiò: *Materia consecrationis non debet esse ita determinata, ut humano modo possit discerni à materiâ non consecrabili.* Ita Boscus. Probatur: Quia Pronomina, hic & hoc, non petunt discernibilitatem, sed solùm sensibilem perceptibilitatem, quia materia adæquatè totam, vel inadæquatè partem ejus per voluntatem consecrantis significant; Sic posset consecrari Hostia dimidia, licèt non posset ab alia discerni secundùm omnem physicam extremitatem & terminationem, non requiritur autem ad consecrationem tàm subtilis discretio, sed moralis & crassa quædam, nec ex hoc oritur aliquod inconveniens ratione sumptionis vel adorationis, quia debet sumi tota, & tota pars consecrata adorari.

XI. Materia consecrationis non debet esse ita determinata, ut humano modo possit discerni à materia non consecrabili.

Et si

XII. *In Natali Domini in 2. & 3. Missa aliud vinum potest infundi & consecrari, licet ex priori aliquot guttæ remansissent.*

Et si esset tanta pars Materiæ altera, ut non posset unâ vice sumi, debet sacris usibus & consecrationibus reliquis applicari, sicut determinatur in Rubricis de casu, quo una gutta in totum dolium immitteretur. Hinc ulterius dico, sine scrupulo posse Sacerdotes nostros in Natali Domini, sine ablutione calicis, in secunda & tertia Missa aliud Vinum superfundere, & illud consecrare, licèt ex priori aliquot guttæ remansissent, nam & hoc habet praxis multarum Ecclesiarum, idque sinè omni apposita conditione.

XIII. *Si Hostia una consecrata pluribus non consecratis admisceatur, omnes illâ exceptâ validè consecrantur.*

Et idem dico: Si Hostia una consecrata pluribus non consecratis admisceretur, validè omnes, illâ exceptâ, quamvis nesciat quæ sit, consecraret, & similiter unam non consecratam pluribus consecratis immixtam, aut etiam ex pluribus Hostiis non consecratis, quam alius mente designaret. Ratio horum omnium est: Quia Pronomina *hic* & *hoc* designant rem præsentem, eamque distinguunt ab omni re non præsente, & discernunt, ac significant ex pluribus præsentibus unam potius quàm aliam ex intentione consecrantis, qui hanc vult significatam cum exclusione aliarum. Sed

XIV. *Si una alterave gutta vini sit immixta aquæ, posset consecrari juxta Boscum.*

Quæres: Quid sentiendum, si una alterave gutta Vini sit immixta aquæ, an posset consecrari? Respondet Boscus: Non habeo sufficientem rationem negandi, dummodò maneant in aqua incorruptæ. Sed dices, Ecclesia præcipit, ut Sacerdos deprehendens aquam fuisse in calice post Consecrationem, Vinum aliud imponat, & consecret, cùm tamen ex priori Vino probabiliter in ampullâ aliquid potuit remansisse. Respond. Ecclesiam ideò præcepisse, quia dubitat de corruptione Vini, & vult materiam certam.

XV. *Nec parvitas materiæ, nec magnitudo per se officiunt consecrationi, dum- modo sit sensibilis.*

Dico Quartò: *Nec parvitas materiæ, nec magnitudo per se officiunt, ut possit validè consecrari, dummodò sit sensibilis.* Est communis, & probatur: Quia Christus nec parvam, nec magnam quantitatem ordinavit; unde S. Bonaventura negans posse confici Sacramentum in quantacunque quantitate intelligendus est ex defectu, non ex parte materiæ, sed intentionis ordinatæ, ut ipse loquitur, vel ex defectu sensibilitatis, & debitæ præsentiæ.

XVI. *Instantiis respondetur.*

Dices: Quælibet minima pars non sufficit pro ablutione & Baptismo, ergò nec quælibet pars minima Vini pro Consecratione. Respond. Negando consequentiam: Quia Baptismus debet fieri per ablutionem, ad quam minima aqua non sufficit; Evcharistia autem solùm consistit in permanentia & continentia Corporis Christi. Sed instas: Evcharistia debet esse cibus, sed cibus non potest esse minima pars Hostiæ, nec potus minima gutta, ergò. Respond. Primò, dist. major. est cibus ex fine primario, nego; secundario, concedo. Respond. Secundò, dist. min. Non potest esse cibus per se, nego, per accidens, concedo: Nam de se considerata non poterit sumi, poterit tamen si alteri corpori vel liquori conjuncta fuerit, & tunc operabitur suum totum effectum, sicut defactò in naturalibus quintæ essentiæ sumi solent. Sed

XVII. *An pars naturaliter non visibilis, divinitus tamen elevata ad videndam eam, sit consecrabilis.*

Quæres: Si esset aliqua pars tàm parva, ut videri non posset de se & connaturaliter, si tamen divinitus elevaretur ad videndam eam, an possit tunc consecrari? Respondeo: Rem esse incertam & casum Metaphysicum, unde alterutrum teneri posset, affirmationis ratio est, quia sentiretur, negationis, quia de se, & ex se naturaliter non est sensibilis.

QUÆSTIO SEXTA.

De Forma Consecrationis Evcharistiæ.

Sicut istud Sacramentum, inquit Scotus 4. d. 8. q. 2. *est unum unitate integritatis non indivisibilitatis, quia in se includit duo signa partialia, quæ primò signant duo propria signata & proxima, scilicet Corpus & Sanguinem, & remota, scilicet cibationem & potum spiritualem: Ita*

etiam est una Consecratio unitate integritatis, & tamen duæ Consecrationes partiales; de utraque mihi erit hic Quæstio: Quare

I. Forma Consecrationis tàm Corporis, quàm Sanguinis sufficiens & necessaria est illa, quæ habetur in Canone Missæ.

Dico Primò: *Credendum est, firmiterque tenendum, quòd forma Sacramenti Eucharistiæ tàm Corporis, quàm Sanguinis Christi sufficiens & necessaria sit illa, quæ habetur in Canone Missæ.* Hanc docet S. Augustin. ùt habetur de Consecrat. d. 2. cap. *Utrum sub figura*, sub finem his verbis: *Credendum est, quòd in verbis Christi Sacramenta conficiantur. Cujus enim potentia creantur prius, ejus utique verbo ad melius procreantur. Reliqua omnia, quæ Sacerdos dicit, aut Clerus Chori cantat, nil aliud quàm laudes, & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes, & fidelium petitiones. Unde & Sacerdos dicit prius Evangelistarum verba assumens: qui pridie quàm pateretur, &c. Porrò deinceps sunt verba DEI, potestate, & omni efficientiâ plena: Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum. In hoc ergò creatur illud Corpus.*

II. Idem sentit Scotus.

Eandem Conclusionem Scotus hic probat in argumento contra Authoritatem Innocen. III. in cap. *Cùm Marthæ*, de Celebrat. Miss. ubi Innocen. ipse dicit, quòd forma verborum hujus Sacramenti est illa, quæ in Canone Missæ scribitur, quam & Apostoli â Christo, & ab Apostolis eorum acceperunt Successores: *Quia multa* (inquit Scotus) *tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Evangelio.* Et patet ex D. Paulo 1. ad Cor. 11. dicente: *Cætera, cùm venero, disponam.*

III. Ex usu Græcæ Ecclesiæ non evincitur oppositum.

Arguitur incontra, ex usu Ecclesiæ Græcæ: Sacerdos post prolatam illam formam Corporis, deprecatur, ut DEUS convertat Panem in Corpus Christi, dicit enim: *Emitte Spiritum tuum & fac hunc Panem pretiosum Corpus Christi*, quæ verba habentur in Lyturgiis B. Jacobi Apostoli, Basilii, Chrysostomi, sed si per formam præcedentem fieret Consecratio, illa Oratio fieret impertinentissimè. Respond. Illa Oratione non peti, ut Corpus Christi ponatur sub speciebus Panis, sed ut DEUS mediante Corpore Christi, jam ante posito sub speciebus, fiat astantibus in salutem & remissionē peccatorum. Et hæc Responsio patet ex responsione ipsorum Græcorum, dum in Concil. Florent. hac super re interrogarentur, ut sequitur: *Fateri nos dicimus, per hæc verba*, (Consecrationis scilicet) *transmutari sanctum Panem, & fieri Corpus Christi, sed postea, quemadmodum & ipsi dicitis, jube perferri hæc dona per manus S. Angeli tui in supercœleste Altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & faciat in nobis Panem hunc pretiosum Corpus Christi, &c. transmutetque illa Spiritu Sancto suo, ut fiant accipientibus in emendationem animæ, in remissionem peccatorum, non verò in judicium & condemnationem.*

IV. Christus consecravit iisdem verbis quibus nos.

Dico Secundò: *Christus consecravit iisdem verbis, quibus & nos consecramus.* Ita cum D. Thoma, Doctore, quasi omnes Doctores, sat enim contextus Evangelii sic semper intellectus indicat. Probatur Primò Authoritate Eusebii Emisseni, & refertur cap. *Quia Corpus*, de Consecrat. d. 2. Damasceni lib. 4. de Fide. cap. 14. ubi scribit: *Dixit antiquitus producat terra herbam virentem, atque ea etiamnum orto imbre fœtus suos producit divino præcepto impulsa & roborata. Dixit Dominus: Hoc est Corpus meum, & hic Sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti ejus præcepto, donec ipse veniat, efficitur, ac pluvia huic novæ segeti per Consecrationem existit vis Spiritûs Sancti inumbrans.*

V. Ratio Scoti ad idem.

Probatur Ratione Scoti, quam sic habet: Aut Christus conficit sine verbis, aut cum verbis: Primum non est probabile, ergò confecit cum verbis, sed non consecravit aliis verbis, quia non est probabile, quòd aliâ formâ utatur Author, quàm Minister, cui committit formam, ergò.

VI. Christus non consecravit per benedictionem.

Nihilominùs non defuêre aliqui cum D. Thoma, qui dixerunt per benedictionem consecrâsse, ita ut idem

idem sit benedicere, ac verba proferre, attamen in Evangelio narrantur ut distinctæ actiones, & id supponere videtur Trident. Seff. 13. cap. 1. dicens: Redemptorem nostrum hoc Sacramentum instituisse, *cùm post panis vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

VII. Christus consecravit iisdem verbis, quæ sunt de necessitate Sacramenti.

Volo tamen Conclusionem sic intellectam Christum consecrâsse iisdem verbis, quæ videlicet sunt de necessitate Sacramenti; quæ autem illa sint, non modica est controversia, nam plures existimant etiam ex Scotistis illa verba: Hoc est Corpus meum, non sufficere ad Consecrationem, sed etiam requiri præcedentia ab illis: *Qui pridie quàm* &c. tanquam determinantia sensibili modo prolationem illam fieri in Persona Christi, moventur ex Scoto 4. d. 8. qu. 2. §. *De Secundo dico*, ubi ait: Quòd si Sacerdos inciperet sic loqui: Hoc est Corpus meum, non prædicens verba præmissa, non est adorandum Sacramentum, nisi sub conditione, si verè consecratum est. Attamen

VIII. Essentia formæ cõsecrationis panis consistit in his verbis: *Hoc est Corpus meum.*

Dico Tertiò: *Essentia formæ consecrationis panis consistit in his quatuor verbis: Hoc est Corpus meum.* Ita communior Thomistarum & Scotistarum. Probatur Primò: illa sunt verba essentialia, quæ faciunt sub speciebus panis contineri Corpus Christi, sed hoc faciunt sola illa 4. ergo. major patet. Probatur minor. Illa verba faciunt poni Corpus Christi, quæ in Persona Christi proferuntur, & ut sic proferantur, non dependent à præcedentibus, sed ex intentione Ministri, ergo. Probatur minor quoad secundam partem, quia quantumcunque proferret aliquis verba præcedentia, nempe *Qui pridie quàm* &c. si non haberet intentionem, non proferret ea, nisi recitativè & materialiter, non formaliter & significativè in Persona Christi, quod tamen requiritur, quia si Sacerdos legeret historiam institutionis sive ex Evangelio, sive ex D. Paulo, & non haberet intentionem repræsentandi formaliter Personam Christi, licèt illa verba: Hoc est Corpus meum, sensibiliter pronuntiaret, nihil conficeret.

Probatur Secundò: Quia hoc Sacramentum conficitur iis verbis, quibus consecravit Christus, ùt docet Florent. Sed hæc sunt sola illa quatuor, reliqua enim sunt Evangelistarum recensentium; Probatur, quia Lucas illa non habet, dicit enim simpliciter: *Accepto pane gratias egit & fregit; & dedit eis dicens: hoc est Corpus meum.* Non videtur autem Evangelistam aliquid necessarium omisisse. ergo. IX. Alia probatio ejusdem.

Dices: Verba illa præcedentia determinare, ùt in Persona Christi proferantur. Respondeo, Negando antecedens, quia illa sola verba non faciunt, sed intentio Ministri, ùt patet ex rationibus. Sed

X. Intẽtio Ministri, præsupposita institutione Christi, facit, quòd verba proferantur ut in Persona Christi.

Dices: Intentio Ministri non sufficit, quia hæc & voluntas Ministri non potest facere, ùt habeant vim significandi, si aliàs non haberent, sed sinè præcedentibus non habent vim significandi Corpus Christi, sed Sacerdotis corpus. ergo. Respond. Distin. primum antecedens. Intentio non sufficit præsupposita institutione Christi, nego, eâ seclusâ, concedo, & sic distin: etiam alias probationes, nam per intentionem suam mutuat Minister pro verbis suis efficaciam, quam accipit ex institutione Christi. Sed

Instas: Si verbum in Persona Christi & DEI proferrem etiam cum intentione, & non præmitterem alia, quæ declararent, me loqui in persona, non repræsentarem Deum, ergò etiam non repræsento DEUM & Christum sinè præcedentibus, etiamsi habeam intentionem. Antecedens patet, quia si dicerem, ego sum qui sum, nemo intelligeret, me loqui in Persona DEI, si aliud non præmitterem. Respond. Negando antecedens, ad probationem dico, licèt enim me alii non intelligerent dicentem: *Ego sum qui sum*, me loqui in Persona DEI, adhuc in ea lo-

querer, sic licèt me alii nesciant loqui in Persona Christi dicendo, *Hoc est Corpus meum*, adhuc loquor, nam licèt forma Consecrationis debeat esse sensibilis, non requiritur tamen, ut sensibili modo proferatur in Persona Christi, quia hoc habet ex sola intentione sua & institutione Christi.

XI. Si intentio Ministri non faceret eum loqui in Persona Christi, non consecraret.

Respond. Secundò: Si intentio non faceret me loqui in persona Christi, non consecrarem, quia licèt præcedentia recitarem, & etiam, *hoc est Corpus meum*, ly hoc non referretur ad panem præsentem, sed ad panem, quem Christus in manibus habuit, ergò, quòd referatur ad hunc, intentio facit.

XII. Ly enim non est de Essentia.

Instabis adhuc sinè præcedentibus verba illa non haberent perfectum & completum sensum, quia particula *enim* connexiva est ad aliquid & copulativa, ergò. Respond. nec particulam *enim* esse de Essentia, nam hæc in Lyturgia D. Jacobi non habetur, unde in forma Respond. illa verba non haberent perfectum sensum, ùt habent rationem propositionis hypotheticæ propter particulam interpositam, transeat, ùt est cathegorica, nego. Sed

XIII. Cur Ecclesia præcipiat illa verba: *Qui pridie*.

Quæres: Quare ergò Ecclesia præcipit de defectibus Missæ, si hostia nova sit consecranda, ùt incipiatur ab illo loco: *Qui pridie quàm* &c. si non sunt de Essentia. Respond. Ecclesiam non præcipere ex eo, quòd sint essentialia, sed ut exactius repræsentetur actio Christi, & ea, quæ fecit in ultima Cœna, instituendo divinissimum hoc Sacramentum. Sed progrediendo ad formam Consecrationis Calicis

XIV. Forma essentialis consecrationis Sanguinis: *Hic est Sanguis meus*, vel *Calix Sanguinis mei*.

Dico Quartò: *Essentia Consecrationis Sanguinis in his consistit, vel æquivalentibus verbis: Hic est Sanguis meus, vel Calix Sanguinis mei.* Ita Theologi communiter, Alexander, Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura, Richardus, Bassolus &c. Probatur Primò: Illis verbis perficitur integra forma Sacramenti, quibus significatur effectus Sacramenti, sed istis solis verbis, *Hic est Calix Sanguinis mei*, significatur integrè conversio vini in Sanguinem Christi, qui est effectus significatus, ergò istis verbis solis perficitur integra forma Sacramenti & Consecratio. Major patet, quia formæ sunt institutæ ad significandum id, quod efficiunt.

Nec requiritur, quòd explicetur reduplicativè, in quantum effusum in remissionem peccatorum, sed sufficit specificativè converti, ut significet Sanguinem præsentem, qui effusus est in remissionem peccatorum, nam etiam Corpus Christi pro nobis traditum est, & tamen ut traditum non explicatur per formam, & non est major ratio de uno quàm de altero, licèt enim D. Paulus dicat: Sacrificium in Sanguinis effusione compleri, ad Heb. 9. aliud tamen est de ratione Sacramenti, aliud de ratione Sacrificii, nec hæc ratio debet exprimi per verba, sed quàm maximè sufficit exprimi per rem, quæ fit per separationem Sanguinis à Corpore, nempè per consecrationem, quòd vi verborum ponatur sub speciebus panis Corpus, & sub speciebus vini Sanguis Christi.

XV. Alia probatio ad idem.

Probatur Secundò: Non minoris efficaciæ sunt verba ista: *Hic est Calix Sanguinis mei*, quàm illa: *Hoc est Corpus meum*; ergò, sicut illa sufficiunt ad consecrandum Corpus, ita hæc sufficient ad consecrandum Sanguinem.

XVI. Omnia verba in Canone post *Sanguinis mei* posita, non sunt de essentia.

Probatur Tertiò: Si omnia illa verba, quæ ponuntur in Canone post *Sanguinis mei*, essent de essentia consecrationis vini, sequeretur, quòd aliquo ex illis ablato, non fieret consecratio, consequens est falsum, ergò & antecedens. Probatur minor: Quia Græci verè consecrant, & tamen forma, quâ utuntur in Consecratione vini, hæc est: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: ùt legitur in Lyturgia Chrysostomi, homil. 5. in qua non sunt hæc verba, *æterni*, & *mysterium Fidei*, ergò omnia verba, quæ ponuntur in Canone, non sunt de essentia Consecrationis vini. Æthiopes etiam in sua Missa, cujus author

author dicitur fuisse S. Matthæus Apost. hâc formâ utuntur: *Hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum*, in qua præter duas dictas particulas, etiam omittitur, *Novi Testamenti*. Item apud Clementem lib. 8. Const. cap. 17. sic legitur: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

XVII. *Cur addatur: Qui effundetur & non quod tradetur.* Et si quæras, quare autem illa additio in forma Calicis sit retenta, & non similis in forma panis, in qua similiter à Christo fuit facta, & etiam fit à Græcis. Respond. ideò, quod forma Calicis posterius ordinariè adveniens compleat oblationem Sacrificii, in qua proindè ad expressiorem repræsentationem passionis Christi (quam recolit Sacrificium) id additur, & quia magis significatur passio per effusionem Sanguinis.

XVIII. *Verba: Hoc facite in meam commemorationem, non sunt de essentia.* Hinc à fortiori colligitur, verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, non esse de essentia, quia non magis facit illud ad Sanguinem, quàm ad Corpus, præcipit enim Christus sic fieri Consecrationem sanguinis, pari ratione & Corporis, & per consequens, quando hostia levatur, non est adhuc ibi Corpus Christi, & sic est Idololatria, quod non est dicendum, inquit Scotus, hic. Sed in Contra

XIX. *Non omnia verba determinantia prædicatum sunt de essentia.* Arguitur: Omnia illa verba sunt necessaria, & de essentia, quæ determinant prædicatum, sed sequentia *Sanguinis mei*, sic determinant, ergo. Respond. Negando antecedens, nam etiam in consecratione Corporis prædicatum determinatur per to: *quod pro vobis tradetur*, & tamen non est de essentia; ly *à peccatis tuis*, determinat in Pœnitentia, & tamen non sunt de essentia, unde in forma posses secundò Respondere, quæ determinant ad significandam conversionem, concedo, quæ determinant quoad esse accidentale & effectum semel factum nego antecedens.

Instatur. In Sacramento Baptismi totus effectus significatur per ly *Ego te baptizo*, sinè *in nomine Patris*, &c. & tamen ante prolationem *Spiritûs Sancti* non habetur effectus, ergò etiam non habebitur ante prolationem *in remissionem peccatorum*, licèt antè significetur Sanguis Christi per verba; Respond. Negando consequentiam. Disparitas est, quia Baptismus est janua, & professio fidei Christianæ, quæ pro principali articulo habet DEUM unum & trinum, & ideò DEUS non vult gratiam conferre ante completam professionem per omnia illa verba. Eucharistia autem significat primò solam conversionem. XX. *Cur in Baptismo non habeatur effectus ante ly Spiritûs Sancti.*

Arguitur Secundò: Si quis uteretur hâc forma D. Lucæ 22. *Hic calix Novum Testamentum est in meo Sanguine*, legitimè consecraret, & omnia verba illa essentialiter concurrerent, ergò etiam in nostra forma, & hoc patet, quia de facto concurrit ly *Calix* licèt sufficeret: *Hic est Sanguis meus*, ergò quando apponuntur omnia essentialiter concurrunt, prout apponuntur in forma nostra. Respond. Primò: Nec in hac forma concurrere, to *Testamentum Novum*, quia hoc nomen non est institutum ad significandum Sanguinem, ac proindè se habet, ac si non poneretur, quæ ergò sunt significantia præsentiam Sanguinis, sunt illa: *Hic Calix est in meo Sanguine*, interpositio enim non facit aliquid esse essentiale, ùt patet de particula *enim*. Respond. Secundò, Negando consequentiam, Disparitas est, quia, quando Sanguis ponitur in obliquo, non significatur sufficienter ejus præsentia, nisi per appositionem ejus præsentiæ per aliquod prædicatum in rectò. XXI. *Si quis uteretur formâ Luc. 22. to Novum Testamentum non concurreret essentialiter.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

An verba Consecrationis proferenda sint recitativè, an verò significativè, & quid significent?

I. *Quid sit verba proferri recitativè, quid significativè?* NOta illud proferri recitativè, seu historialiter, quòd solùm refertur tanquam ab alio dictum, prout facimus referendo aliorum

rum Authorum verba. Significativè verò, seu assertivè dicitur, per quod intendimus aliquid affirmare vel negare. Inter quæ est magna diversitas, qui enim aliqua verba solùm recitat, verum dicit, etsi illa verba sint falsa, dummodo ab alio sint prolata, prout ipse recitat: qui verò refert significativè, ùt dicat verum, debent verba ejus esse conformia rebus, quæ significant.

II. Duæ circa quæstioné sententiæ. Hoc notato: Quæritur hìc, an Sacerdos, dum consecrat, ita se gerat, ut solùm referat verba, quæ DEUS dixit, dum consecravit, an etiam proferat ea eadem verba, ut à se prolata etiam habeant vim significandi. Inn. III. Durandus, Majoronius, Gabriel sentiunt solummodò recitativè proferri. Altera Sententia, quæ est Alexandri de Ales, D. Thomæ 3. p. qu. 28. c. 8. D. Bonaven. hac dist. p. 2. artic. 1. qu. 4. Richardi, Scoti, hìc asserit & recitativè & significativè proferri. Ad quam.

III. Verba consecrationis proferuntur recitativè à Sacerdote. Dico Primò: *Forma hujus Sacramenti & recitativè & significativè profertur à Sacerdote.* Probatur Prima Pars, nempè verba Consecrationis proferri recitativè, quia tunc aliquis recitativè profert, quando loquitur & profert verba, ùt ab alio dicta, sed formæ Consecrationis sic proferuntur. ergo. Probatur minor. Quia Sacerdos in Canone narrat factum Christi, eúmque hæc dixisse verba; unde immediatè ante verba essentialia ponitur To *dicens:* Deindè verba: *Qui pro vobis effundetur*, etiam sunt recitativè prolata, quia hic amplius non effunditur per mortem & passionem, de qua effusione loquitur Christus, & frustra recurritur ad mysticas effusiones; ex quibus sic arguo, antecedentia recitativè proferuntur & similiter consequentia, ergo etiam media, quia non videtur conveniens, ut verba illa ita concindantur, ut nunc recitativè, & materialiter, nunc formaliter & significativè proferantur: debent ergo omnia illa verba recitativè proferri, & essentialia etiam significativè, non disjungendo, sed superaddendo, & induendo personam Christi. Sed

Dices: Sacerdos consecrat ut Minister Christi, & authoritate ejus, sicut Legatus & Prorex decernit authoritate sui Regis, sed Legatus & Prorex non habet necesse, ut simul materialiter & formaliter proferat, sed sufficit sola materialis, vel sola formalis, ergò etiam hic sufficit; dupliciter enim aliquis in persona alterius agere potest, & authoritativè; ut faciunt Proreges, & insinuativè se facere in alterius nomine repræsentando alterum, ùt Comici. Respond. IV. Sacerdos consecrat in persona Christi authoritativè, & simul repræsentativè.
Dist: majo: Sacerdos consecrat in Persona Christi authoritativè tantùm, nego, repræsentativè etiam simul concedo. Itaque, quia in hoc Sacramento magis debet induere Personam Christi, quàm in aliis, ùt omnes concedunt, in aliis autem Sacramenta efficit authoritativè, in hoc insuper illud debet efficere repræsentativè, personam Christi induendo, nam si non indueret etiam repræsentativè Christum, ly *meum* significaret corpus Sacerdotis tantùm, sicut ly *Ego* in forma baptizo te, significat ipsius Personam, & non Personam Christi, adeóque nil conficeret. Nota tamen, licèt requiratur, ut etiam recitativè proferantur verba, hoc esse de præcepto, essentiale verò ad valorem esse significativam prolationem.

Probatur Secunda Pars: Quotiescunque aliquis loquitur in persona alterius, loquitur significativè, & non materialiter tantùm, sed Sacerdos loquitur in Persona Christi Domini. ergo. Major patet ex Scriptura, nam Angelus loquebatur Moysi in Persona DEI dicens: se esse DEUM, & hoc sine mendacio: Ego sum DEUS Abraham &c. Exodi 3. minor etiam patet. ergo. V. Verba consecrationis proferuntur etiam significativè à Sacerdote.

VI. Alia Ratio ad idem. Probatur Secundò: Formæ Sacramentorum significant effectum suum. Sed si formæ Consecrationis panis & vini acciperentur materialiter tantùm, non significarent effectum suum. ergo. Major probatur, Quia

Quia Sacramenta id efficiunt, quod significant. Minor verò indè patet, quia si istæ formæ acciperentur materialiter, non significarent conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quia nec applicarentur ad panem præsentem & vinum, sed narrarentur, ut demonstrarent panem illum & vinum, quæ Christus consecravit.

VII. Et ejusdem Confirmatio. Et Confirmatur: Quoniam Sacerdos proferens formam Consecrationis habet intentionem faciendi, quod Christus fecit, & loquendi eo modo, quo Christus locutus est, ergò non profert materialiter formam. Sequela probatur: Quia Christus illa non protulit materialiter, sed significativè.

Dices: Non potest aliquid & recitativè & significativè simul proferri, ergò utrumque dici non debet, sed alterutrum. Probatur anteced. Tum, Quia mentiretur, & non mentiretur: Tum, Quia ageret in persona alterius, & non ageret, quia in propria: Tum, Quia τὸ *Hoc* deberet ad Panem referri, quem habet Christus in manibus, & ad illum, quem habet Sacerdos, & sic *hoc*, *hic*, non significarent aliquam determinatam præsentiam. Respond. Negando antecedens: Quia Scotista solvit objectiones sibi factas per authoritatem Scoti, dicendo, Scotus hoc dicit, cùm ipse etiam dicat, & sic solvat. Ad primam Probationem dico: Si mendacium alterius etiam proferret significativè, etiam eum mentiri, nec esse inconveniens, alio & alio modo se habendo mentiri, & non mentiri, quia contradictio attenditur secundùm eundem respectum. Ad secundam Probam Respond. dist. non potest quis agere in propria persona & in alia reduplicativè sumendo concedo, specificativè nego. Itaque Sacerdos, ùt persona, est materialis, agit in propria persona, ùt induit personam alterius & formaliter, agit in persona alterius. Ad tertium dico: Tò *hic*, *hoc*, referri posse sub duplici respectu ad diversa subjecta.

VIII. Potest aliquid & recitativè & significativè simul proferri.

IX. Potest quis agere in propria & in alia persona specificativè, non reduplicativè.

Arguitur Primò: Si verba significativè proferrentur, essent falsa, ergò. Probatur antecedens: Si significativè proferrentur, significarent corpus Sacerdotis & non Christi esse sub speciebus Eucharisticis, ùt patet ex ly Corpus meum. Respond. Negando antecedens ejusque probationem, nam Sacerdos illa verba non profert in propria persona, sed in persona Christi, & sic verba, non Sacerdotis, sed Christi Corpus sub speciebus denotant.

X. Verba significativè prolata, cur non sint falsa.

Arguitur Secundò: Adhuc formam fore falsam, si significativè proferatur. Probatur antecedens, saltem de forma Sanguinis, nam in illa additur: Qui pro vobis effunderetur; sed falsum est, quòd Sanguis ille amplius effunditur pro ullis, ergò. Respond. dist. anteced. Si significativè proferatur quoad essentialia quæ dicit forma, nego anteced. quoad alia verba, quæ essentialia subsequuntur vel antecedunt, transeat antecedens, & nego consequentiam. Itaque quamvis essentialia utriusque formæ verba significativè proferantur à Sacerdote, aliqua tamen ex verbis antecedentibus aut subsequentibus illa essentialia merè recitativè proferuntur, ùt maximè sunt illa, quæ ab Evangelistis dicta tantùm fuerunt, vel quæ ad certam temporis significationem referuntur.

XI. Verba aliqua antecedentia aut subsequentia, essentialia formæ proferuntur merè recitativè.

Progredior ad secundam Partem tituli, in qua duo examinanda sunt: Primò, quid per Pronomina *Hoc*, & *Hic*, in utraque forma posita, significetur. Secundò, quando hæc propositio sit vera? Circa primum variæ sunt sententiæ: Hæretici multi post Berengarium docent, per illa Pronomina hoc, & hic, demonstrari substantias Panis & Vini, ita quòd sensus hujus formæ: Hoc est Corpus meum, sit talis: Panis est Corpus meum, id est, signum Corporis mei, unde putant Hæretici, verum Christi Corpus non esse ibi realiter.

XII. Quid designent Pronomina, *Hoc*, & *Hic*, juxta Hæreticos.

Doctores Catholici aliter sentiunt & agnoscunt ibi Corpus Christi esse, inter se tamen, ùt in re diffi-

XIII. To *Hoc* & *Hic*, non designant aliquid commune per modum individui vagi.

cili solent, non conveniunt, nam aliqui post Paludanum & Capreolum docent, per ly hoc, & hic, designari aliquid commune Corpori & Pani per modum individui vagi, de quo prædicari potest Corpus Christi, attamen individuum vagum non per hoc demonstrativum exprimi solet, sed per particulam *aliquid* vel simile.

XIV. Nec designant Panem & Vinum.

Alii post Alensem docent: Per illa Pronomina designari Panem & Vinum, ita ut sensus sit, hic Panis transit vel convertitur in Corpus meum. Verùm per hunc dicendi modum non explicatur sufficienter, quia est contra propriam significationem ly *Est*, quod non significat transitum unius rei in aliam rem, sed unionem, & identitatem prædicati cum Subjecto; Minùs rectè explicant, qui to *Est*, explicant per fit, quia cum aliquid ex alio fit, debet aliquid prioris manere, saltem materia, ùt si dicatur, ignis fit aër, lignum fit ignis, manet materia, nihil autem manet de substantia Panis. Denique nec converti dici potest, nec fieri, nec transire, quia si semel to *Est*, detorquemus in has significationes, poterant etiam Hæretici dicere, ly *Est*, idem est ac significare, ut sensus sit, Hic Panis significat Corpus meum, prout volunt Calviniani.

XV. Pronomina *Hoc* & *Hic*, non adjectivè sed substantivè sumuntur.

Alii dicunt: Quòd Hic, & Hoc, sumantur adjectivè, non verò substantivè, sed nec hoc sustineri potest: Tum, Quia Pronomina *hic, hæc, hoc*, &c. non sumuntur adjectivè, nisi copulentur cum aliquo Subjecto, ùt hic calamus est pulcher, hæc charta est alba: Tum, Quia quod est subjectum alicujus propositionis substantivè sumi debet, ùt docent Logici, nam adjectivè sumptus terminus est Syncathegorematicus, sed *hic* & *hoc* sunt Subjecta Propositionum, ergò debent substantivè sumi. Patet, sicut sumeretur albus, doctus est honorandus, &c. Tum denique, quia *hic* & *hoc* sumuntur; *Hic*, sicut *id*, sed id tantùm sumitur substantivè, ergò. Probatur major: Quia Concil. Trident. Sess. 13. C. 4. ait: *Redemptor noster Corpus suum id, quod sub speciebus Panis obtulit, verè esse dixit*, licèt apud Grammaticos *hic* non sumatur substantivè, apud Logicos tamen sumitur, quia adjectivum absolutè sumptum pro subjecto, semper importat suum Substantivum, ùt patet ex Symbolo Athanasii: *Unus Increatus, unus Immmensus, tres Increati*, &c. item duo Spirantes, ubi semper supponuntur Substantiva, nempe Personæ.

Alii post Richardum & D. Thomam putant, per ly *hoc* & *hic* designari species, attamen non est vera hæc propositio. *Hoc*, id est, *hæc species est Corpus meum*, sicut tamen deberet esse. XVI. Ly *Hoc* & *Hic* non designant species.

Alii post Vasquez dicunt, designari ipsum Corpus Christi. Alii deniq; post Scotum in 4. hìc dicunt, ly *hoc* denotare individuum determinatum Entis, quod contrahitur ad Corpus Christi, & consequenter docent Pronomina illa hic sumi substantivè, cum quibus

Dico Secundò: *Pronomina demonstrativa Hoc & Hic, sumuntur substantivè, & denotant determinatum aliquod individuum Entis, quod est sub speciebus in fine prolationis formæ.* Prima Pars patet ex paulò antè dictis, quia hæ propositiones sunt de tertio adjacente, ubi Subjectum semper substantivè sumitur. Probatur secunda Pars: To *hic* & *hoc* significant aliquod singulare, ergò non significant aliquam naturam determinatam alicujus prædicamenti. Probatur consequentia: Si significarent aliquam naturam determinatam alicujus prædicamenti, non posset eis addi cujuscunque prædicamenti res, sed potest, ergò, patet minor, quia possunt dicere, hic lapis, hic calor, hic respectus, hoc brutum, hoc altum, album, &c. ergo. Itaque licèt hoc significet Corpus Christi, quod ibi completâ formâ futurum est secundùm rem, secundùm modum tamen significandi est alius conceptus, hic enim Pronomina significant individuum Entis, quod est Christus confusè, Corpus Christi

XVII. Pronomina *Hoc* & *Hic*, denotant determinatum aliquod individuum entis, quod est sub speciebus in fine prolationis formæ.

Christi autem significat distinctè & clarè. Quia si non significarent aliquod tale individuum, deberent significare aliquod singulare determinatæ speciei, ùt volunt Authores secundæ, tertiæ & quartæ Sententiæ, sed hoc esset falsum, ergò. Probatur minor: Si significarent aliquod tale individuum determinatæ speciei, propositio esset falsa, vel identica, sed hoc non est dicendum. Probatur major: Si per ly *hoc*, denotaretur Panis, v. g. vel accidentia, propositio esset falsa, nam illa non sunt Corpus Christi, ùt patet. Si per illud denotaretur Corpus Christi, propositio esset identica, nam esset idem, ac si diceretur, hoc Corpus est Corpus, ergò si per illa Pronomina determinatæ speciei individuum determinaretur, propositio esset identica & falsa, sed hoc inconveniens non sequitur tenendo Conclusionem nostram, ergò.

XVIII. Probatio Scoti ad idem.

Probatur Secundò ex Doctor. his verbis: *Quia rationabiliter quæritur de multis: Quid est Hoc; non autem idem supponitur quod quæritur, igitur non supponitur per hoc, hoc lignum, hic lapis, quia illud quæritur, nam responso isto dato scilicet lignum, vel lapis, quietatur animus quærentis de illo singulari. De illo ergo singulari supponitur hoc tantùm ùt est singulare entis, & quæritur aliquid speciale sub Ente, & quodcunque speciale conveniens est ad responsionem, & hæc probatio stat in unico verbo, quod ponitur Exod.16. de Manna, id est, Manhu, seu quid est hoc.* Unde deduxit Scotus suam probationem, quia Judæi non dubitarunt, an esset hoc, sed scientes quod est hoc, id est, singulare interrogabant cujus esset naturæ.

Præterea, Pronomen Hoc, significat Corpus Christi diversa ratione, quâ Corpus Christi significat Corpus Christi, nam Corpus Christi significat Corpus Christi, ùt est singulare naturæ determinatæ; at verò Pronomen Hoc significat Corpus Christi, ùt est singulare Entis, ùt probatum est ex Exodo.

XIX. Masculina sumuntur apud Theologos substantivè.

Dices: Eodem modo sumitur ly *hoc*, in forma Corporis, sicut sumitur ly *hic*, in forma Sanguinis, sed *hic* non sumitur substantivè in forma Sanguinis, ergò. Respond. Negando minorem: Quia quamvis apud Grammaticos adjectiva in masculino genere non sumantur substantivè, à Theologis tamen ita sumuntur, quando sunt subjecta propositionum de tertio adjacente.

Arguitur: Si *Hic, Hoc*, demonstrant individuum determinatum Entis, non aliud quàm ipsum Christum, sed hunc non possunt demonstrare, ergò. Probatur minor: Tum, Quia aliàs esset propositio identica: Tum, Quia non esset conversiva, haberet enim eundem sensum, ac si diceretur, Corpus Christi est Corpus Christi, quod etiam Laicus dicere potest. Respond. Negando minorem:

XX. Formæ sensus non est identicus.

Ad primam Probationem dico: Licèt utrumque sit Corpus Christi, non tamen secundùm eundem modum æquè clarè. Ad secundam dico: Hanc propositionem esse verè conversivam, quia non facit hunc sensum: *Corpus Christi, est Corpus Christi*, quod utique à Laico dici potest, sed hunc: *Hoc ens est Corpus meum*, quæ est diversa à priori, quia significat in loco specierum & in loco Panis in hac circumscriptione loci esse Corpus Christi, prior autem præscindit ab omni loco, adeóque hæc conversiva dici debet, quia significat & efficit hic futurum Corpus Christi, quod altera non dicit, sed abstrahit.

XXI. Quis sit sensus formæ Consecrationis Corporis.

Dices: Si supponit pro individuo Entis ad minùs, forma erit incerta & dubia, quia non determinabit ad individuum Entis, accidentis, panis, quantitatis, &c. sed formæ debent esse certissimæ, ergò. Respond. Negando Sequelam: Quia licèt significet individuum Entis, non tamen vagum, sed determinatum, sic si dico, hic studet, non significat Ens accidens studere, &c.

XXII. Forma non est incerta & dubia.

Instabis: Corpus Christi non est adhuc ibi, quando dicitur *hoc, hic*, ergò. Antecedens patet: Quia ponitur

tur primò completâ oratione, ergò non significabit illud, vel si significat, propositio erit identica, & non conversiva. Respond. concesso antecedente, negando consequentiam; quia non est necesse, ut ibi sit, quando profertur *hoc*, sed sufficit, ut sit in mente conceptum, quòd factâ prolatione verborum sit futurum ibi, hoc enim est particulare propositionibus practicis, quæ non supponunt rem, sed efficiunt, unde quia propositiones ante prolationem omnium verborum non habent completam significationem, non faciunt etiam rem ante adesse.

XXIII. Propositio practica non supponit, sed efficit rem.

XIV. Etiam ly *comedite ex hoc*, significat Corpus Christi.

Urgebis: Verba *hoc, hic* sunt relativa ad illa *Accipite, & comedite ex hoc omnes* &c. *Bibite ex hoc omnes*, sed in his non significatur Corpus Christi, ergò nec in illis. Resp. Negando minorem, quia etiam in illis hoc refertur ad Corpus Christi, quod post consecrationem ibi futurum erat, non ad substantiam & accidentia, quæ erant in manibus; quòd illæ autem non sint conversivæ, sint autem aliæ, ratio est, quia primæ sunt jussoriæ, hæ sunt assertivæ propositiones.

XXV. Propositiones Formarum non habent suam significationem usq; ad postremum instans suæ prolationis.

Dico Tertiò: *Hæ propositiones formarum (sicut & omnes aliæ) non habent suam significationem usque ad postremum instans suæ prolationis.* Probatur Primò: Quia significatio totius propositionis pendet ex omnibus partibus, ergò donec omnes partes fuerint prolatæ, non habent suam significationem. Probatur Secundò: Hæc dictio, *Homo* non habet suam significationem, donec omnes ejus syllabæ proferantur, ergò neque ista propositio, homo est animal, atque idem judicium est de omnibus propositionibus aliis.

XXVI. Verba Consecrationis sunt propriè, & in rigore sermonis vera.

Dico Quartò: *Verba Consecrationis sunt propriè, & in rigore sermonis vera, licèt non sit ibi Corpus Christi, nisi post Consecrationem.* Ita Catholici. Probatur: Tum, Quia ea dixit Christus Dominus, qui est via, veritas, qui non potest decipere, & mentiri. Tum, Quia veritas non sumitur pro tempore, quo profertur verbum, sed pro eo, quando tota profertur, sed in ultimo instanti prolationis est Corpus Christi ibi: ergò. Minor patet. Probatur majo: Quia conceptus causatus completè non habetur, nisi post prolationem omnium, v. g. *Hoc est Corpus*, non significat Christi esse, nisi addatur *meum*, significabit esse Pauli vel Petri, si hæc addantur. Tum deniq; ex proprietate propositionum practicarum, quæ significatum suum præcedere debent, sicut omnis causa præcedit effectum suum. Sed

Dices: Copula *Est* de præsenti significat solum tempus præsens, in quo profertur, non verò pro futuro, adeóque verificari debet pro præsenti, non pro futuro, sed quando profertur, non est ibi Corpus Christi, ergò non erit tunc vera de toto rigore sermonis. Resp. Negando maj: Quia propositiones sicut non significant completè & perfectè ante prolationem totius & omnium verborum, ita etiam non sunt veræ ante prolationem, quia nescitur, quid addendum, vel demendum sit. Itaque copula *Est* non regulatur pro tempore, pro quo est, sed pro instanti, pro quo propositio absolvitur. XXVII. Copula *Est* pro quo tempore reguletur.

Instabis: Pro eo est oratio & propositio vera, pro quo existit, sed pro tempore, pro quo profertur, existit, ergò pro illo tempore tantùm est vera. Patet major, Quia quælibet dictio significat id, ad quod significandum est instituta, dum profertur, & idem in propositione quoad extra, sed quando extra profertur, facit suum totum significatum, ergò etiam in propositione, sed to *Est* est talis vox significativa, ergo. Resp. distin. major: pro quo existit inse vel in suo effectu & speciebus causatis concedo, pro quo existit in se tantùm, nego. Itaque proferens voces tàm in se, quàm in accidente per illas causat aliquas species, quas intellectus postmodum in fine prolationis omnium per actum collativum conjungit, & copulat, & integrum conceptum format. Ad pro-

XXVIII. Quo sensu oratio sit vera pro eo, pro quo existit.

XXIX. Quævis dictio significat quidem dum profertur, sed aliter, & aliter.

probationem majoris dico, quamlibet dictionem quidem significare, dùm profertur, sed aliter, & aliter, dictio enim extra orationem significat, ùt totum aliquod, in oratione ùt pars, quæ proindè consignificare debet cum alia parte, sicut enim nullum totum est absque partibus, sic nulla propositio tota significat completè, & perfectè absque partibus; undè quamvis ly *Est* sit significativa, aliter tamen & aliter in & extra propositionem significat, non modò aliter sicut alii termini, sed etiam in se, nam to *Est* extra propositionem significat existentiam substantivam, & non unionem & copulam, ùt, Petrus est, significat Petrum existere, sed dicendo Petrus est doctus, non significat Petrum existentem tantùm, sed unit cum eo doctrinam; in his ergò propositionibus habet rationem unionis, adeóque naturam unionis sequetur, quæ non est nisi extrema sint existentia, sic *Est* non copulat verè nisi prædicatum sit cum subjecto.

XXX. Etiam demonstrativa non cadunt statim in rem præsentem.

Urgebis: To *hic hoc* sunt demonstrativa, adeóque cadunt statim in rem præsentem, ergò vel erunt falsæ demonstrationes, vel non cadent super Corpus Christi. Respondeo, Negando antec: Quia etjam demonstrativa non cadunt statim in rem præsentem ante prolationem omnium particularum, si enim dico: *Hoc est Corpus*, non addendo *meum*, sed *Petri*, aliud tunc & aliud demonstrabit & significabit.

XXXI. Formæ cõsecrationis non sunt conversivæ in quantũ veræ, sed in quantum significativæ.

Dico Quartò: *Licèt formæ Consecrationis sint veræ in fine prolationis, non tamen sunt conversivæ in quantum veræ, sed in quantum significativæ.* Ita Doctor in 4. d. 8. quæ. 2. sub lit. u. §. breviter ergò. Probatur ratione: Tum, Quia ex eo, quod res est vel non est, propositio vera est, sed antequam propositio sit prolata, res non est; ergò ante non est vera, ergò non conversiva, ut vera: Tum, Quia omnis causa etiam moralis prior est suo effectu saltem natura, sed formæ sunt conversivæ, & ponentes Corpus Christi sub speciebus, ratione cujus est propositio vera, ergò sunt prius naturâ, quàm sit Corpus Christi: Tum deníque, Quia omnis propositio est prius significativa, quàm vera. Ut patet de contingentibus, quæ in probabili transeunt de veritate in falsitatem, & tamen idem semper significant. Nec valet recursus ad propositionem speculativam & practicam, quasi hæc non præsupponat rem, ùt sit vera, benè tamen illa, non valet, inquam, quia propositiones practicæ & speculativæ non differunt per hoc, quod utraque non habeat connexionem subjecti cum prædicato ad hoc, ùt sit vera, sed per hoc, quòd practica suum objectum efficiat, non verò speculativa.

Dices Primò: PP. & Concilia, ùt Trident. Sess. 13. c. 7. ex veritate verborum colligunt præsentiam Corporis Christi, ergò causabunt eam ut vera. Respõod. PP. & Concilia ex verborum veritate colligere præsentiam Corporis Christi radicaliter, virtualiter, & in actu primo, quatenus scilicet sunt verba Christi & primæ veritatis per os Sacerdotis prolata, non verò loquuntur de veritate actuali, seu de conformitate conceptûs formalis ad objectivum.

XXXII. Quomodò ex veritate verborum colligatur præsentia Corporis Christi.

Dices Secundò: Eo ipso, quo propositiones sunt significativæ, sunt etiam veræ, ergò ut veræ causabunt. Respondeo, Negando antecedens: Tum, Quia possunt transire de vera in falsam: Tum, Quia veritas & falsitas sunt proprietates propositionum, non verò essentia, adeoque naturâ prius intelliguntur significare, quàm veras esse; sicut prius intelligitur homo, quàm risibilis, sic etiam in forma Consecrationis possunt considerari tria instantia, cum Doctore Subtili supra sub litt. y. in primo est significativa, in secundo causat, quia significando causat; in tertio tandem est formaliter vera.

XXXIII. Propositiò prius naturâ intelligitur significare, quàm esse vera.

XXXIV. Formæ aliorum Sacramentorum causant ùt veræ specificativè tan- tum.

Dices Tertiò : Formæ reliquorum Sacramentorum causant suum effectum ùt veræ, ergò etiam istæ. Respond. Distinguendo antecedens, ùt veræ reduplicativè, nego. Specificativè concedo. Quia DEUS potuisset etiam instituisse verba non significantia, ad quorum prolationem adduxisset Corpus Christi.

DISPUTATIO TERTIA.

DE

Reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in hoc Sacramento.

PROOEMIUM.

Primi omnium Hæretici, qui Corporis præsentiam Christi, & consequenter hoc Sacramentum seu Mysterium negârunt, aut saltem de eo dubitârunt, fuère Discipuli illi, qui Joan. 6. audientes Christum de hoc disserentem, dixerunt : Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? *Abieruntque retrò cum quibusdam Capharnaitis, dicentes : Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum? Inter illos fuit Judas, juxta August. Tract. 27. in Joan. & Chrysostom. Hom. 46. in Joan. adeòque Sacramentarii, ut Berengarius, Archidiaconus Ecclesiæ Andegavensis, Albigenses, Waldenses, Wikleff, Zwinglius, Calvinus, &c. habent Præceptorem & Ducem eundem, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt JESUM, certò proinde colligo, tantam veritatem illorum esse, quantum præclarus est eorum Dux pessimus, sed nè ulteriùs invectione digrediar, sit*

QUÆSTIO PRIMA.

An Corpus & Sanguis Christi verè & realiter contineantur sub speciebus Eucharisticis.

Doctores Catholici itá fusè & doctè de hac Materia contra Sectarios scripserunt & egerunt, ut non videatur exigi hic aliud tractare, quàm quod Christiana veritas docet, cum qua

I. Corpus & Sanguis Christi verè realiter & substantialiter continetur sub speciebus Panis & Vini.

Dico Primò : *Corpus & Sanguis Christi verè & realiter & substantialiter continentur sub speciebus Panis & vini, etiam ante sumptionem.* Est de Fide definita in Concilio Alexandrino Epistola ad Nestorium recepta à secunda Synodo generali, sub Victore II. in Viennensi Sess. 8. in Clement. unica. in Florent. in Decret. Unionis. & Trident. Sess. 13. contra Berengarium.

II. Probatio Scoti ex S. Scriptura.

Conclusio probari posset ex pluribus Scripturæ locis, sicut etiam probatur ex Joan. 6. *Caro mea verè, &c. Panis quem ego dabo, Caro mea est;* attamen hanc Conclusionem, quoad primam Partem, probo ex Scoto, hic dist. 10. q. 1. ubi sic habet, fundamentum autem authoritatis est Matth. 26. & Lucæ 22. ubi in Cœna ait Christus : *Hoc est Corpus meum : Hic est Sanguis meus.* Et si Hæretici vellent ista exponere, dicendo, quòd sint figurativè dicta, scilicet illud, quod ait: Joan.

Joan. 15. *Ego sum vitis vera*; & illud 1. ad Corinth. 10. *Petra autem erat Christus*, istud omninò est contra intentionem Salvatoris, quod patet ex Augustin. 83. quæst. 69. *Solet circumstantia Scripturarum illuminare Sententiam*; universaliter enim intellectus verborum Christi, an loquatur figurativè, an non colligi potest ex præcedentibus vel consequentibus ibidem, vel ex aliis Scripturæ locis: Undè cùm Christus ait: *Ego sum vitis vera*; subjunxit: *& vos palmites*. Constat autem quòd Discipuli non erant palmites naturales, sed tantùm figurales; sed cùm dixit Luc. 22. *Hoc est Corpus meum*, subdit, *quod pro vobis tradetur*, cum etiam dixisset: *Hic est Calix Sanguinis mei*, subdit, *qui pro vobis effundetur*. Hoc etiam manifestè patet ex alio Scripturæ loco, Joan. 6. ubi est diffusa prædicatio de hoc Sacramento.

III. Unde colligatur Christum loqui figurativè vel non.

Et si dicas, quòd Christus videns aliquos abiisse propter prædicationem suam, postea exposuit se dicens: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt*, quod pertractans August. de Consecr. dist. 2. Prima hæresis, ait, *Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec sanguinem effundendum, Sacramentum aliquod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit vos*, ergò ex verbis Christi & August. videtur, quòd non intellexit de corpore suo nisi figurativè. Dico quòd Magister Respondeat in littera huic Authoritati, & benè, quòd nec Christus, nec Augst. exponens, vult negare veritatem Corporis Christi, sed quòd non est in Sacramento Corpus Christi sic carnaliter, sicut ipsi intellexerunt, qui abierunt retrò, scilicet visibiliter in forma propria: Sed per oppositum ad istum modum intelligendi, est ibi spiritualiter & intellectualiter, & hoc est, quod dicit August. & Magister adducit, & est de Consecr. d. 2. *Ipsum quidem & non ipsum corpus, quod videbatur, manducatur, ipsum invisibiliter non ipsum visibiliter*. Isto etiam modo de Evcharistia diffusè pertractatur à Paulo 1. ad Corinth. 11. Sancti etiam omnes postea Catholici exponentes ista loca Scripturarum verba hujus Scripturæ dicunt esse intelligenda de reali præsentia Christi, non figurativè.

IV. Instantiæ quòd Christus intellexerit de suo Corpore, figurativè respondetur.

Nolo ego tamen Authoritates SS. PP. (sicut nec Historiarum & miraculorum confirmationem) adducere pro probatione conclusionis, sicut nec pro improbatione, si aliquæ ab hæreticis adducerentur. Solvi namque facilè poterunt per sequentes Regulas ex Sixto Senensi.

Prima est, quòd in hoc Sacramento species sensibiles sint Sacramentum tantùm, corpus autem Christi sub speciebus contentum est res & Sacramentum simul; itaque species sunt Sacramentum & signum tantùm ejus, quod est res & Sacramentum simul.

V. Tres Regulæ ad solvendas Objectiones contra realem præsentiam Christi in Evcharistiâ conducentes.

Secunda, duplex est modus manducandi hoc Sacramentum, spiritualis & sacramentalis, & iste consistit in sumptione Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, & hic modus communis est Justis & peccatoribus, spiritualis verò consistit in hoc, quòd percipimus fructum hujus Sacramenti, quæ perceptio potest haberi simul cum manducatione Sacramentali in re, & cum sola manducatione in voto; hæc posterior manducatio justis tantùm hominibus competit, & sine ea prior non prodest quidquam.

Tertia Regula: præsentia Corporis Christi est duplex, altera manifesta & sensibilis seu visibilis, secundùm quam olim conversatus fuit cum hominibus, & nunc existit in Cœlo, altera verò est occulta & invisibilis, secundùm quam continetur in hoc Sacramento sub velamine specierum sensibilium.

Juxta primam Regulam explicanda sunt omnia testimonia Patrum, in quibus asseritur Corpus Christi in Sacramento contineri tantùm in signo & figura, & quòd Sacramen-

VI. Quæ authoritates Patrum juxta primam regulam explicandæ.

mentum est figura & signum Corporis Christi, loquuntur enim Patres de eo, quod est Sacramentum tantùm, quod ùt diximus est signum Corporis Christi, quod est res & Sacramentum simùl.

VII. Quæ juxta secundam. Juxta secundam Regulam explicandi sunt SS.PP. interpretantes illa verba Joan. 6. Nisi manducaveritis, &c. dicunt, sermonem fieri de manducatione spirituali, quæ fit fide per charitatem formatâ, volunt dicere quòd manducatio Sacramentalis Corporis Christi & Sanguinis nihil prodest, nisi simùl adsit manducatio spiritualis, ita quòd non rejiciant manducationem Sacramentum, sed dicant, eam esse inutilem seorsim sumptam, neque â Christo intentam, nisi propter manducationem spiritualem, quæ sola, si non adsit copia manducationis Sacramentalis in re, proderit ad salutem.

VIII. Quæ Authoritates explicandæ juxta tertiam regulam. Juxta tertiam Regulam interpretandi sunt SS. PP. cùm dicunt, quod Christus post ascensionem non in terra, sed in cœlo tantùm quærendus est, loquuntur de Christo secundùm formam visibilem & manifestam, & non secundùm modum invisibilem, quo est in hoc Sacramento.

IX. Corpus & Sanguis Christi realiter continentur sub speciebus etiam ante sumptionem. Probatur secunda Pars, videlicet etiam ante sumptionem, contra Lutheranos. Primò ex definitione Concil. Florent. & Trident. Sess. 13. & Can. 4. & cap. 3.

Probatur Secundò: Corpus Christi est in hoc Sacramento ex vi Consecrationis, sed Consecratio præcedit usum, ergò ante usum hujus Sacramenti est in illo Corpus Christi. Major probatur: Hoc Sacramentum conficitur Consecratione Sacerdotis, proferentis illa verba: Hoc est Corpus meum, ùt definit Florent. in Decreto Eugenii; sed confectio hujus Sacramenti in hoc consistit, quòd Corpus Christi constituatur præsens sub speciebus Panis.

X. Alia Probatio ad idem. Probatur Tertiò: Si præsentia Corporis Christi in Eucharistia in usu tantùm est fidelium, sequitur, quòd usus fidelium conficiat hoc Sacramentum, & non sola Sacerdotis Consecratio: Consequens præterquam quòd adversetur Florent. cit. & Lateranensi. cap. Firmatur, est etiam contra manifestam rationem, quoniam usus fidelium nullam vim habet significativam & confectivam Eucharistiæ. Porrò, etsi verba Christi, quibus hoc Sacramentum instituit, tàm clarè significent præsentiam Corporis & Sanguinis ejus in Eucharistia, ita ut clarioribus verbis exprimi non potuerit, ducentæ tamen extortæ, & depravatæ Hæreticorum expositiones sunt repertæ in quodam libello, qui Anno 1577. prodiit, quas expositiones ad novem classes reducit Bellarminus lib. 1. c. 8. quas tamen brevitatis gratiâ, & quia ad doctrinam nostram nil utilitatis adferre possunt, omitto. Nullas refero Hæreticorum objectiones, quia eas nullas esse sequens materia elucidata demonstrabit, unde fit

QUÆSTIO SECUNDA.

An Christus in Eucharistia sit præsens per loci mutationem?

Ante resolutionem præmittendum ex Doctore hìc dist. 10. q. 1. quòd quando Corpus movetur de loco ad locum, & expellitur aliud Corpus, communiter sunt ibi quatuor motus vel mutationes, duo scilicet in Corpore expellente, & duo in expellendo. Nam Corpus expellens movetur ab ubi suo ad ejus privationem, & illa mutatio, quæ est inter terminum â quo positivum, & terminum ad quem privativum, potest dici deperditio prioris ubi, idem etiam Corpus â carentia secundi, ubi movetur ad illud ubi secundum, & ita â privatione, aut â termino â quo ad ubi, ut ad terminum ad quem, & illa potest dici acquisitiva ubi. Consimiliter sunt duæ mutationes & quatuor termini circa Corpus, quod expellitur, cùm primum Corpus intrat locum ejus. I. Dum corpus movetur localiter & aliud expellitur, sunt quatuor mutationes.

Si autem moveretur aliquod Corpus & non expelleret aliud Corpus de loco II. Si autem aliud non expellitur,

tantùm sunt duæ mutationes. de loco suo, jam non essent ibi, nisi duæ mutationes, & ambæ in ipso corpore moto, una scilicet deperditiva prioris ubi, & alia acquisitiva novi ubi: si verò corpus non recedens à priori ubi fieret in novo ubi, ibi esset tantùm una mutatio, scilicet à privatione novi ubi, & hæc acquisitiva & nulla esset deperditiva, quia non esset à priori ubi ad ejus carentiam, quia prius ubi non deperditur ex Hypothesi, quòd illud corpus ponatur in novo ubi.

III. Nequit Corp' esse ibi, ubi non fuit prius, sine ulla mutatione. Sed si nulla istarum mutationum ponatur, omninò non est intelligibile, quòd corpus sit ibi, ubi non fuit prius, nam impossibile est, qualitercunq; aliquod esse hìc realiter, quod prius non fuit hic realiter, quin sit mutatio aliqua realis, vel in isto vel in illo, cui est præsens realiter, nam nullo modo est transitus à contradictorio in contradictorium, quantum ad aliquod prædicatum reale, quin sit aliqua mutatio realis, quia si nihil mutaretur realiter, non est ratio, quare hæc pars contradictionis est magis vera nunc, quàm priùs; nec quare prius alia magis vera quàm ista, & sic tàm nunc, quàm priùs, vel ambo sunt simul vera, vel ambo sunt simul falsa. His præmissis facilis erit quæstionis resolutio. Unde etiam

IV. Corpus Christi necessariò mutatur ad præsentiam. Dico Primò: *Necessariò Corpus Christi mutatur realiter ad præsentiam.* Ita Bellarm. Svarez. contra D. Thomam, Cajet. &c. Probatur: Nam si mutaretur mutatione reali, non esset modo magis præsens, quàm antea erat.

V. Hæc mutatio est alia ab ea, quâ species amittunt substantiam Panis. Si dicatur, quod hæc mutatio non est alia ab ea mutatione, quâ species amittunt substantiam antiquam Panis, & sinè illa manent. Contra, quia si non esset alia mutatio præter illam, ergò etiamsi species Panis manerent sinè antiquo subjecto, non dicerent tamen relationem ad Corpus Christi, nec dicerentur illi præsentes, præterea hujusmodi mutatio specierum nil facit ad hoc, quòd Corpus Christi de non præsente istis, fiat realiter præsens istis, quia illa habet alios per se terminos ab ista, quâ non præsens fit præsens.

VI. Idem confirmatur. Et confirmatur: Nam si absque ulla conversione in ipsum, Corpus Domini in cœlo manens poneretur à DEO in terra, quod facilè probari potest ex apparitionibus post ascensionem, certè negari non potest, quin actio DEI, quâ illud Corpus in terra poneretur, in ipso Corpore, tanquam in Subjecto, reciperetur, & proindè ipsum Corpus aliquo modo mutaretur, eodem igitur modo cùm per conversionem Panis idem Corpus in sacra Hostia ponitur, actio illa in Corpore Domini recipitur, non quidem ùt conversio, sed ùt adductio est.

VII. Alia Ratio ad idem. Præterea Corpus Domini per illam conversionem acquirit novam & realem relationem præsentiæ ad species Panis & ad altare, ergò requiritur aliquod fundamentum illius relationis, quòd sanè aliquid fingi non potest præter mutationem aliquam.

VIII. Item alia Ratio. Deniq; conversio quatenus Panem destruit, non tàm est actio, quàm negatio actionis, DEUS enim destruit Panem, dum desinit eum conservare, & per negationem nil positivè & realiter fieri potest, ergò positio Dominici Corporis sub illis speciebus, quæ est quid positivum, non fit ab illa conversione, ut ea est in Pane, sed ùt est, seu recipitur in Corpore Christi.

IX. Christus non mutatur mutatione deperditivà antiqui loci. Dico Secundò: *Corpus Christi non mutatur mutatione deperditiva loci antiqui, sed acquisitiva præsentiæ novæ ad species Panis.* Ita Aretinus, & Scotistæ communiter. Probatur prima Pars ex D. Augustin. super Ps. 54. & refertur de Consecrat. d. 2. cap. *Prima Hæresis*, 44. ubi dicitur: *Donec finiatur Sæculum, sursum est Dominus*, quod, inquit Doctor, intelligendum est regulariter, nisi placeret sibi ex speciali gratia localiter descendere, sicut probabiliter creditur fecisse, quando D. Paulo apparuit, dicens: *Saule! Saule! quid me persequeris?* Act. 9. & 22. ac pluribus historiis.

X. Authoritas Concilii Trident. ad idem.

Hæc Conclusio est de Fide in Concil. Trident. Sess. 13. cap. 1. definita, ubi postquam dixit Concil. quòd Christus verè continetur in Eucharistia, addit hæc verba: Neque enim inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris sedeat, juxta modum existendi naturalem, & multis aliis in locis sit Sacramentaliter præsens; quæ verba manifestè declarant, quòd sit possibile, Christum existere Sacramentaliter in Eucharistia, cùm modo existendi naturali semper sit Patri æterno præsens.

XI. Item Ratio.

Quod etiam adhuc probatur, ut Corpus Christi sit in Eucharistia, non est necessarium, quod relinquat cœlum, ergò semper manet in cœlo, antecedens patet, quia non est necessarium, ut relinquat unam Hostiam ut sit in alia, ergò neque necessarium est, ut relinquat cœlum ad hoc, ut sit in Sacramento.

XII. Christus mutatur mutatione acquisitiva novæ præsentiæ ad species.

Præterea, quia si simul, quando est in Eucharistia, non existeret in cœlo, ergò nunquam ascenderet in cœlum. Probatur: Quia nunquam deerit Eucharistia in Ecclesia, consequens est absurdum & falsum, imò hæreticum, ut patet ex D. Augustin. supra relato.

Probatur secunda Pars: Quia ex præsentiæ hujus privatione mutatur ad habendam hanc præsentiam.

QUÆSTIO TERTIA.

Qualis sit Præsentia Corporis ad species?

I. Præsentia Christi ad species est alia à præsentia ejus ad locum specierum.

Suppono Primò: Christum non esse solùm præsentem ad species ut suprà, sed etiam ad locum specierum, & hanc præsentiam esse aliam ab illa, quam habent ipsæmet species ad locum, quia licèt inferri possit, Christus est præsens speciebus, ergo etiam loco, cui sunt præsentes species, tamen ita est speciebus præsens, ut iisdem desinentibus adhuc posset esse præsens loco & spatio illi ambienti, adeóque istæ præsentiæ distinguentur, maximè cùm adhuc præsentia specierum ad locum sit circumscriptiva, scilicet commensurata rei locatæ, & partibus loci, præsentia verò Christi est definitiva, per quam modo spirituali correspondet toti loco & spatio, ac totus singulis partibus.

II. Utraque illa præsentia est quid reale positivum de novo superadditum Christo.

Suppono Secundò: tàm illam præsentiam Christi Sacramentalem ad locum specierum, quàm ad ipsas species esse quid reale positivum de novo superadditum, distinctum ab ipso Christo: Tum, Quia in Physica dictum est, nil fieri alicui præsens, nisi per novum aliquod superadditum, quod dicitur ubi: Tum, Quia nil transit de contradictorio in contradictorium, nisi entitate aliqua nova superveniente distincta ab ipsa re, quæ sic transit, sed Corpus Christi transit à non præsentia ad præsentiam hanc. ergò.

III. Præsentia Christi ad locum specierum est tantùm secundaria & concomitans.

Suppono Tertiò: Quamvis etjam Corpus Christi dicat præsentiam ad locum specierum, eam tamen solùm esse secundariam & concomitantem, & primariò dicere ad ipsasmet species, quod patet ex verbis Consecrationis, non enim dicitur hic est Corpus meum, sed hoc substantivè, ubi expresè insinuatur conjunctio Corporis Christi cum speciebus, non autem conjunctio ad hunc locum, nam conjunctio ad locum non manet semper eadem, sed variatur ad variationem specierum, præsentia verò ad species semper manet eadem, & semel tantummodò fit per consecrationem, nec amplius ad eam datur aliqua actio adductiva nova.

IV. Variæ sententiæ quid sit præsentia Eucharistica Christi.

Itaque de præsentia hac quæritur qualis sit? & diversimodè respondetur, nam Durandus dicit esse relationem ordinis in Christo ad species, quæ per illas operari posset. Thomistæ aliqui post Magistrum Angel. quòd sit modus quidam substantialis; alii iterum Thomistæ dicunt esse actionem, quia Christus conservat & effectivè sustentat species. Suarez dicit esse modum substantialem absolutum independentem

tem essentialiter à speciebus, dicentem habitudinem Corporis Christi ad partes fundatam in unione, vel propinquitate, aut in singulis partibus, aut in toto, & addit, hunc modum posse existere sine hac habitudine, & è contra ipsumque modum mutari, quando circumfertur Corpus Christi in Eucharistia, & utrumque vocat præsentiam quandam. Scotistæ tandem post Doctorem subtilem 4. d. 10. quæst. 1. num. 10. dicunt, esse respectum quendam extrinsecum advenientem fundatum in Corpore Christi ad species, spectantem ad Prædicamentum ubi, quibus etiam subscribam.

V. Præsentia Sacramentalis Christi non est relatio ordinis. Dico Primò: *Hæc præsentia non est relatio ordinis, nec modus substantialis absolutus, nec aliqua actio.* Est communis Scotistar. RR. &c. Probatur Prima Pars, quia præsentia ordinis tantùm requirit præsentiam secundùm virtutem agendi, nòn verò secundùm entitatem & substantiam, sed Corpus Christi tantùm in Cœlo existens posset habere talem præsentiam, sicut modò sol & astra habent præsentiam ad sublunaria, quia possunt per ipsa & juxta ac in ipsis agere, ergò hoc dicendo non esset necesse, quòd substantialiter sit præsens, subsumo, sed hoc est contra Definitionem Concilii Trident. ergo.

VI. Nec modus substantialis absolutus. Probatur Secunda Pars: Tum, Quia ille modus non est substantialis, sine quo potest tota substantia, secundùm totum esse completum existere naturaliter, sed sinè hac præsentia potest Christi Corpus naturaliter existere, ùt per se notum est, ergò. Major patet: Tum, Quia omnes alii modi substantiales sunt talis naturæ, ùt existentia, substantiæ, perseitas, &c. Tum, Quia aliàs sex ultima prædicata possent dici modi substantiales, quod est contra Philosophum. Confirmatur: Quia præsentia circumscriptiva non est modus substantialis, ergò nec Sacramentalis.

VII. Nec aliqua actio. Probatur tertia Pars: Quia agens potest agere in distans, ergò per actionem non est formaliter præsens: Tum, Quia juxta omnes, qui negant dari actionem in parum distans, actio præsupponit præsentiam agentis ad passum tanquam conditionem necessariam ad agendum, ergò præsentia non est actio: Tum, si præsentia illa est actio, vel est actio formæ, vel Corporis Christi, non primà, quia actio formæ transit cum ipsa forma, præsentia autem permanet: non secundum, quia hæc præsentia fit virtute verborum formæ, ergò non à Corpore Christi: Tum denique, quia hæc actio non habet terminum saltem aliquem novum, ergò ipsa frustrà fingitur nova. Nec dicas, terminum esse species, eò quòd per hanc actionem Corpus Christi sustentet species, non dicas, inquam, quia seclusâ omni actione Christi ad species, Christus potest esse præsens speciebus, ergo præsentia non est actio ejus. Patet antecedens: Quia seclusâ omni actione Corporis Christi circa corpus ambitum potest esse præsens ambienti, ut patet de sede vel sella, quæ nil operatur in loco, quo est, & sic de aliis.

Dico Secundò: *Sententia P. Suarii tenenda non est.* Probatur: Quia vel præcisa ratio formalis præsentiæ Sacramentalis consistit in solo illo modo absoluto, vel in sola illa habitudine ad species in hoc modo fundata, vel in agregato ex utroque simul neutrum dici potest, ergò. Probatur minor: Non primum, quia quando Corpus Christi in Eucharistia circumfertur ab uno loco in alium, tunc amittit illum modum absolutum juxta Suarium, sed tunc non amittit præsentiam Sacramentalem, ergò. Minor patet: Quia hæc præsentia semper manet, quamdiu manet Sacramentum, licèt circumferatur. Probatur Major ex ipso Suario, qui in 4. disp. 147. Sect. 2. §. *Dico ultimo*, hæc habet: Quando sub speciebus mutat locum, vel circumfertur, revera mutat modum illum intrinsecum præsentiæ, quem hactenus explicuimus, quia alibi est quàm ante, & tamen non censetur mutare simpli- VIII. Sententia P. Suarii præsentiam Sacramentalem ponentis in modo absoluto impugnatur primò.

simpliciter esse Sacramentale, quia adhuc retinet habitudinem ad species, ergò quando circumfertur, amittit illum modum ex ipsiusmet doctrina, adeóque non potest dici, quòd ille modus absolutus sit præsentia Sacramentalis: Quod idem

IX. Sententia eadem P. Suarii impugnatur Secundò. Probatur Secundò: Præsentia Sacramentalis per sola verba producitur, sed modus ille non per sola verba producitur, ergò. Major est evidens, quia aliàs sinè forma fieret Sacramentum, quia producta præsentia Sacramentali fit Sacramentum. Minor etiam probatur: Quia quando circumfertur Corpus Christi in Hostia, producitur novus modus juxta ipsum, quia prior modus tunc amittitur, sed non producitur per verba formæ, quæ tunc non existunt, ergò tunc non producunt, maximè physicè, ùt ipsi volunt.

X. Item Tertiò. Probatur Tertiò idem impugnando: Si modus ille perit cum mota Hostia à loco in locum, ergò perit propter defectum alicujus causæ, à qua essentialiter dependebat, sed non perit propter defectum hujus Corporis, ergò perit propter defectum alicujus termini, à quo essentialiter dependebat, quia non potest dici, quòd alia causa hìc desit, ergò modus erat relatio, quod tamen negatur, quia dependere à termino est proprium Relationis. Et hinc

XI. Et Quartò. Probatur Quartò contra Suarium Conclusio: Quia non potest assignari, quis sit ille terminus vel causa extrinseca, propter cujus defectum perit ille modus, non enim sunt species, ùt volunt Adversarii, nec est locus specierum, quia præsentia Sacramentalis non dependet essentialiter à nō ente Sacramentali, qualis est locus specierum, nec est quoddam quasi spatium determinatum imaginarium, tum ob eandem rationem: Tum, Quia forma realis absoluta, qualis est hic modus, non dependet essentialiter à non ente, quale est illud spatium: Tum, Quia si dependeret hoc esset ideò, quia essentialiter includeret habitudinem ad illud, & sic esset essentialiter respectivum, quod negatur, ergò non solùm essentia hujus præsentiæ non consistit in tali modo, sed etiam ipse in se est verè fictitius & impossibilis.

Probatur, quòd nec tertium, quod erat in prima Probatione allegatum, dici possit, nempe quòd sit aggregatum ex hoc modo & respectu ad species: Primò, quia tale aggregatum non potest stare sinè tali modo, sed præsentia Sacramentalis potest stare sinè ipso, ùt jam probatum est. Secundò, quia hæc præsentia est unum per se, ergò nō componitur ex modo absoluto & respectu, quæ non solùm ex natura rei, sed etiam toto genere distinguuntur. XII. Præsentia Sacramentalis non consistit in aggregato ex modo absoluto & respectu ad species.

Deindè, quia omnes rationes factæ contra ipsum modum valent, contra compositum ex ipso, ergò solum tenendum est, nempe quòd essentia hujus præsentiæ consistat in solo respectu Corporis Christi ad species, quod tamen Conclusio Suarii secunda ibidem negat. Ego verò XIII. Præsentia Sacramentalis est respectus extrinsecus adveniens, spectans ad Prædicamentum ubi.

Dico Tertiò: *Præsentia Sacramentalis est essentialiter respectus extrinsecus adveniens, quo Corpus Christi formaliter dicitur intimè præsens speciebus, spectans ad Prædicamentum ubi.* Prima Pars probatur Primò: Quia non relinquitur ex dictis alius dicendi modus.

Secundò: Quia in eo consistit ratio hujus præsentiæ, quo solo sublato aufertur, & quo solo posito ponitur ipsa præsentia. Sed sublato prædicto respectu Corporis Christi ad species aufertur etiam præsentia juxta omnes, & eâ solâ positâ ponitur, nam alium præterea respectum requiri nullus dicit, absolutum verò non requiri jam probatum est.

Tertiò: Quia vox præsentia essentialiter dicit habitudinem rei præsentis ad illud, cui est præsens, ergò essentialiter est respectus. Probatur antecedens: Tum, Quia non potest concipi, quòd sit aliquid formaliter præsens, quin sit alicui præsens, & per consequens, quin dicat respectum ad illud aliud: Tum, Quia XIV. Alia Ratio ad idem.

Pater

Pater & Flius, propinquum & distans juxta Adversarios ipsos, dicunt formaliter respectum ad aliud, ergò similiter præsens: Tum ab omnimoda paritate: Tum, Quia omne propinquum est præsens. Sed in contrarium pro Svarez

XV. Rationes P. Suarez in oppositum adducuntur & solvuntur. Arguitur ejus adducendo Rationes: Primò, hæc præsentia non resultat in suo fundamento, sed producitur propriâ actione, ergò non est Relatio. Secundò: Hæc præsentia est fundamentum aliarum relationum, nempe propinquitatis & distantiæ, ergò ipsa non est relatio. Tertiò: Non habet terminum, à quo essentialiter dependet, quia posset conservari hæc præsentia sinè speciebus, ergò. Sed Respond. ad primum & secundum Negando consequentiam utramque, ad tertium nego antecedens, ejusque Probationem.

Arguitur Secundò: Corpus unum existens reliquis omnibus annihilatis, vel positum in spatio imaginario est verè præsens, sed tunc non habet respectum ullum ad aliud, ergò præsentia non est formaliter & essentialiter respectus. Probatur major: Quia non potest res esse, & non esse præsens. Probatur etiam minor: Quia non datur respectus saltem realis distinctus à fundamento extrinsecus adveniens sinè termino actu existente, sed tunc ex supposito nullus esset terminus illius respectûs actu existens, ergo.

XVI. Relatio extrinsecùs adveniens nequit existere sine termino actu existente etiam juxta Scotum. Pater Smisink Tract. 2. de DEO Uno Disp. 5. n. 69. videtur velle, quòd posset præsentia vel alia relatio extrinsecus adveniens existere sinè termino actu existente, citans pro hoc Scotum Quodl. 11. quem etiam multi alii Scotistæ pro hoc citant; verùm salvo meliori judicio nec Scotus ibi, nec alibi hanc Sententiam docuit, imò expressè oppositum docuit 4. d. 12. q. 1. n. 8. ubi ait: Idem esse tollere terminum, ac tollere respectum, & loquitur de relatione inhærentiæ, quæ est extrinsecus adveniens, & idem docet ibidem n. 21. & in 1. d. 20. q. 8. & 2. d. 2. q. 2. n. 5. & Quodl. 13.

Et posito, quòd quid simile diceret, quod ipsi imponitur, dicendum esset ipsum non velle, quòd possit actualis relatio esse sinè termino absolutè, sed tantùm esse sinè hoc numero termino, modò habeat alium. Unde Respond. aliter negando majorem, ejusque probationem, quia revera posset Corpus existere sine ulla præsentia, sive dicatur respectus, sive modus. Interim sit

QUÆSTIO QUARTA.

An præter prædictam Relationem præsentiæ detur etiam aliqua Unio inter Corpus Christi & species?

Plures etiam circa hanc eandem materiam sunt Sententiæ. Prima asserit, quòd sit respectus aliquis ineffabilis à solo DEO factus inter Christum & species, qui sit verè Unio, licèt non sit Unio inhærentiæ, ita Capreolus, Paludanus, Soto, Cajetanus, &c. Secunda dicit, quòd non sit Unio formalis inter hæc, benè tamen effectiva, effectivam verò nominat ipsam efficientem attractionem, seu actionem, quæ Corpus Christi attrahit ad se species, nè separentur ab ipso, & èontra species similiter attrahunt Corpus ad se, sicut Magnes ferrum, ita Suarez d. 107. Tertia, quòd præter præsentiam nulla prorsus sit Unio inter hæc, ita Scotus 4. d. 10. q. 6. n. 16. & post ipsum Scotistæ ac plures alii, ùt Gabriel, Major, Vasquez, itaque — I. Variæ Sententiæ referuntur.

II. Non datur Unio formalis physica inter Corpus Christi. Dico Primò: *Inter Corpus Christi & species non datur aliqua Unio formalis physica.* Probatur Primò: Quia sinè hac Unione, quæ spectant ad hoc Mysterium, possunt salvari, ergò frustra & absque necessitate ulla fingitur.

Secundò: Quia hæc Unio non est continuitatis, seu quæ reperitur inter partes continui, nec unio, quæ est actus ad potentiam, aliàs accidentia Panis informarent Corpus Christi, quod est absurdum, quia hoc importaret magnam imperfectionem,

 quia

quia singulis horis Christus de novo mutaretur, imò calefieret, frigefieret sicut & Hostia: Nec est Unio hypostatica, ùt per se patet, ergò nulla, quia non datur alia; nec sufficit dicere, quòd sit alia aliqua nova ineffabilis, seu cujus natura non potest explicari, primò, quia ipsius Unionis hypostaticæ natura explicatur.

III. Aliæ Rationes ad idem.

Tertiò: Tàm alta Unio, tàmque inexplicabilis non debet sinè Authoritate Patrum & Scripturæ absque urgente aliquâ necessitate asseri.

Quartò: Qualiscunque sit, sequitur manifestè quòd Christi Corpus sumat denominationem per eam â speciebus, sic ipsi unitis, & per consequens ab aliis accidentibus, quæ adveniunt speciebus, & consequenter quod modò sit calidum, modò frigidum.

Quintò: Vel positâ hac Unione species essent ens per se, vel ens in alio, si primum, ergò frustrà fingitur eorum Unio ad Corpus Christi, ergò non indigent Corpore tanquam sustentante: Si secundum ergò inhærebunt Corpori, quod est proprium Entis in alio.

IV. Non datur Unio effectiva seu attractiva inter Corpus Christi & species.

Dico Secundò: *Præter ipsam nudam præsentiam Sacramentalem, nulla datur Unio effectiva seu attractiva inter Corpus Christi & species.* Probatur Primò: Quia hæc opinio nititur falsò & improbabili fundamento, nempe quòd Corpus Christi & quæcunque alia res habeat potentiam obedientialem physicam â natura ad quamcunque rem.

V. Alia probatio ad idem.

Secundò, vel illa Unio effectiva seu actio attractiva & unitativa est de essentia hujus Sacramenti, vel non: Si primum, ergò ipsa fit alia actione, nempe verborum, quia totum Sacramentum fit actione verborum, sed repugnat unam actionem fieri aliâ actione.

Deindè sequeretur, quòd non sufficiat actio materiæ vel formæ ad Sacramentum hoc, sed requiratur alia, quod non est sat tutum, & est maximè absurdum. Si secundum, ergò malè asseritur, quia nova miracula non debent admitti sinè ulla necessitate, sed nulla hic est necessitas, cùm tota essentia Sacramenti possit stare sinè hoc, ùt ipsi fatentur, cùm solum Decretum DEI possit supplere vices ejus, ergò.

Respondet Svarez: Non spectare ad essentiam & necessitatem Sacramenti, sed ad ejus perfectionem, & rationem dat, quia in primo instanti tota essentia Sacramenti fit per actionem formæ, quia tunc producit Corpus Christi de novo ad species consecratas, & præsentiam utriusq; in secundo instanti species conservant propria actione Corpus Christi præsens & Corpus propria actione species præsentes, & hoc veluti per virtutem relictam â forma Consecrationis. Sed contra. Primò: Sequeretur hinc, quòd hoc Sacramentum physicè fieret alterius agentis actione, quàm materiæ vel formæ, sed hoc est falsum, ergo. Major est evidens, quia ideò hoc Sacramentum physicè producitur â forma, juxta Adversarios, quia Corpus Christi præsens & species separatæ præsentes, seu cum sua præsentia attinguntur physica actione formæ, sed hæc eadem physica attinguntur, illa mutua actione Corporis & specierum, ergò. Probatur minor: Quia Concilia & Patres attribuunt efficientiam hujus Sacramenti solis verbis Consecrationis, ùt patet ex Florent. Ambros. Chrysost. &c.

VI. Ex Sententia P. Svarez sequeretur, hoc Sacramentum fieri physicè actione alterius agentis, quàm materiæ & formæ.

Contra Secundò sequitur, quòd hoc Sacramentum physicè efficeret semetipsum, hoc autem est falsum, ergò. Quia tota essentia Sacramenti juxta Svarez consistit in composito ex Corpore Christi & speciebus intimè ad invicem præsentibus, sed species efficiunt physicè Corpus Christi præsens, corpus verò species præsentes, ergò totum Sacramentum fit â seipso.

VII. It. sequeretur, quòd physicè efficeret semetipsum.

Contra Tertiò: Quia non potest assignari terminus illius actionis unitivæ, ergò.

Dices: Terminum actionis esse entitatem corporis & præsentiam specierum, & econtra terminum actionis

VIII. Terminus actionis unitivæ assignatur ab

Opposita Sententia impugnatur. ctionis specierum esse Entitatem, & præsentiam Corporis. Sed contra: Tum, Quia hoc impugnatum est supra: Tum, Quia absurdum videtur, quòd Corpus Christi sit physicè dependens à speciebus, nam & hoc involvit magnam imperfectionem, & sequeretur, quòd si solùm esset in speciebus, & non in cœlo, quòd necessariò desineret esse corruptis speciebus.

IV. Idem terminus impugnatur secundò. Contra Secundò: Quia repugnant aliqua duo mutuo à se physicè dependere saltem, quæ ante hanc dependentiam præexistebant, sed hoc tunc fieret, quia Entitas specierum præexistens dependeret à corpore, & Entitas corporis à speciebus physicè, ergò. Probatur Major: Tum, Quia sic idem esset causa sui ipsius, quia quod est causa causæ, est causa causati: Tum, Quia daretur actio ad præexistens. Sed pro Suario

Dices: Actionem quidem corporis attingere physicè entitatem & præsentiam specierum, actionem tamen specierum non attingere Entitatem corporis, & sic non dependet à re physica secundùm eandem rationem. Sed contra: Quia hoc est voluntarium effugium, quia Corpus Christi habet suam Entitatem & præsentiam in Eucharistia, antequam agat in species: Tum, Quia neutrum horum agit vel patitur ab altero, nisi ut hic præsens: Tum, Quia per actionem formæ solùm fit utrumque præsens saltem primò: ergò frustra ponitur actio nova ad aliquid ex his terminata: Tum, Quia sicut in primo instanti potest esse sine tali termino ita semper: Tum, Quia DEUS ordinariè sine concursu causæ secundæ, sic producentis vel alterius creaturæ conservat multos effectus naturales, v. g. albedinem, lapidem, &c. ergò & hanc præsentiam qui est effectus supernaturalis.

V. Instantia Adversariorum refutatur.

XI. Præsentia, quæ dicitur per actionem unitivam produci, nequit esse Contra Secundò: Vel per præsentiam, quam per hanc actionem dicit produci, intelligit Suarez Relationem propinquitatis, vel modum absolutum, de quo supra, sed primum non potest dici, quia juxta Thomistas, & juxta ipsum ad relationem non datur actio, ergò nec ad hanc præsentiam, cùm sit Relatio: Nec etiam secundum, quia juxta ipsum modus ille absolutus toties de novo mutatur, quoties Hostia movetur, ergò talis modus non producitur in corpore actione specierum, nec in speciebus actione corporis. Probatur Consequentia: Tum, Quia agens, quando movet localiter aliquid, producit præsentiam ejusdem, maximè si hæc sit modus absolutus, nam præsentia est terminus ad quem talis motus, ergò agens, quando movet species, producit præsentiam specierum: Tum, Quia aliàs tàm species, quàm corpus deberet habere novam & novam actionem toties, quoties moveretur Hostia, sicut novam præsentiam absolutam. Sed in contra relatiò propinquitatis, nec modus absolutus.

Arguitur Primò: Corpus Christi tactis vel fractis speciebus dicitur tangi, frangi, ergò hoc provenit ex aliqua unione inter hæc, quasi per communicationem idiomatum. Respon. Negando consequentiam: Quia sumitur ibi contentum pro continente, scilicet corpus pro ipsis speciebus, quibus illa denominatio propriè convenit, & ex hoc per accidens denominatur Corpus Christi frangi, ratione signi continentis.

XII. Quo sensu Corpus Christi dicatur tangi, frangi.

Opponitur Secundò Authoritas D. Damasceni lib. 4. de Fide. cap. 14. ubi dicit: DEUM conjunxisse Divinitatem suam Pani & Vino, ergò per aliquam Unionem. Respond. Negando Consequentiam: Quia per conjunctionem ibi intelligit intimam & inseparabilem præsentiam Corporis Christi ad species, quæ per Decretum DEI certissimum & infallibile sic reddit & conservat Christum præsentem, ac si verè ac intrinsecè ei uniretur, & physicè copularentur; & patet, quia etiam damnati sunt ita præsentes igni infernali per Decretum Divinum, ut non possint separari ab eo, non sunt tamen ei uniti per physicam aliquam unionem.

XIII. Quo sensu D. Damascenus dicat, DEUM conjunxisse suam Divinitatem Pani.

Et si dicas, Corpus Christi esse magis unitum speciebus, quia cum eis

eis constituit Sacramentum, dico ad hoc, ut constituat unum Sacramentum non requiri unionem physicam, sed sufficere infallibilem & certissimam præsentiam.

XIV. Cur Concil. & Patres vocēt hanc unionem admirabilem.

Sed dices: Adhuc Concil. & Patres vocant hanc Unionem admirabilem, hoc autem non verificaretur, nisi essent species corpori unitæ. Respond. Negando min. Quia non præcisè propter præsentiam & unionem, admirabilem vocant, sed propter modum, quo est eis præsens.

XV. Cum circumfertur Hostia, Christus non amittit præsentiam Sacramentalem.

Arguitur Tertiò: Quandò Hostia circumfertur, Christus amittit suam præsentiam, quia movetur localiter, sed non amittit respectum propinquitatis ad species, ergò modum absolutum. Respond. disting. præsentiam Sacramentalem, nego min. præsentiam ad locum, in quo erant species, concedo min. & nego conseq.

Instatur: Saltem concipi non potest, quomodo ad motum specierum movetur Corpus Christi, nisi sit speciebus unitum, non enim dicitur moveri aliquid ad motum alterius, cui est præsens. Respond. Negando anteced. cum sua probatione: Quia multa certè videntur moveri ad motum alterius sinè physica unione, ùt musca movetur ad motum rotæ, homo ad motum navis, &c. ut ergò moveatur aliquid ad motum, cui est præsens, sufficit inseparabilis & infallibilis præsentia; qua Christus ex Decreto efficaci est semper præsens speciebus consecratis; quomodo autem ex hac physica præsentia sequatur infallibilis motus Christi Corporis, explicat Doctor à paritate Angeli, qui si decerneret efficaciter, quòd vellet esse præsens lapidi, nec ab eo recedere, quamdiu in esse lapidis permaneret, tunc Angelus moveretur ad motum lapidis, ubicunque poneretur; sic Corpus Christi: Verùm quemadmodum Angelus in casu non moveretur physicè ab illo, qui moveret lapidem, sed tantùm dispositivè ex Decreto Angeli, sic etiam Sacerdos movens species non movet primò & per se Corpus Christi, sed tantùm dispositivè ex Decreto DEI, hic verò ad motum specierum movet Christi Corpus.

XVI. Cur Corpus Christi moveatur ad motum specierum.

QUÆSTIO QUINTA.

De modo, quo est Christus præsens speciebus consecratis.

IN hac Quæstione Primò quæritur: An Christus sit in Eucharistia cum modo quantitativo. Secundò: An modo definitivo, ita ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte. Tertiò: An sub qualibet parte Hostiæ etiam minima sit & indivisibili, Pro resolutione & intelligentia primæ difficultatis

Observandum est Primò: Quòd habere modum quantitativum, est habere correspondentiam diversarum partium corporis quanti ad diversas partes loci, velut caput meum in hoc loco correspondet alicui parti loci, cui non correspondent pedes. I. Quid sit habere modum quantitativum.

Secundò observandum est: Certum esse, quòd Corpus Christi in Eucharistia non habeat istum modum quantitativum, aliter enim divisa quantitate Hostiæ totus Christus divideretur; ex quo infertur, quòd Christus est in tota Hostia, & totus in qualibet parte, similiter etiam quod Christus est sub specie Vini, & totus in qualibet parte seu gutta. Quòd verò totus sit, infra videbitur. II. Hunc modum non habet Christus in Eucharistia.

Tertiò observandum est: Quòd sub speciebus Panis Corpus Christi solum continetur vi verborum, reliqua verò per naturalem connexionem & concomitantiam, sic enim definitum est in Concil. Trident. Sess. 13. cap. 3. his verbis: *Semper hæc Fides in Ecclesia DEI fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque Sanguinem sub Panis & Vini specie, unà cum ipsius anima & Divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie Panis, & Sanguinem sub Vini specie, ex vi verborum: Ipsum autem Corpus sub specie Vini, & Sanguinem sub specie Panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ,* III. Ex vi verborum sub speciebus ponitur tantùm Corpus & Sanguis Christi, reliqua per materialem connexionem.

quia partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam, ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem.

IV. Ratio ad idem. Et constat etiam ratione, quia ubicunque est aliquid alicujus, ibi sunt omnia ea, quæ naturaliter illud concomitantur, sed Corpus Christi concomitatur Divinitas, Anima & Sanguis ejus, ergò ibi sunt omnia ista per naturalem connexionem & concomitantiam. His præsuppositis contra Durand. Occham, asserentes Christum in Eucharistia non habere quantitatem,

V. Corpus Christi in Eucharistia habet suam quantitatem & perfectiones non dicentes ordinem ad locum. Dico Primò: *Corpus Christi in Eucharistiâ suam habet quantitatem, etiam omnes perfectiones non dicentes ordinem ad locum.* Ita communis opinio Theologorum, contrariam Sententiam Alexander ab Ales p. 4. q. 10. n. 7. a. 3. erroneam, D. Bonavent. hoc d. a. 1. q. 2. errori proximam appellavit. Probatur Primò: Quia quantitas Corporis Christi habet naturalem connexionem cum ipso Corpore, ergò naturaliter concomitatur illud in Eucharistia. Antecedens est per se manifestum, nemóque illud negat, imò habet magis connexionem naturalem cum Corpore, quàm Sanguis, ergò erit in Eucharistia. Consequentia probatur: Quia ob nullam aliam causam dixit Concil. Trident. cit. loco, quòd sub speciebus Panis Divinitas, Anima, & Sanguis, & similiter sub speciebus Vini Divinitas, Corpus & Anima contineatur, ergò aut ratio Concilii nulla est, aut eadem cogimur dicere, quòd quantitas Coporis Christi ibi sit.

VI. Alia ratio ad idem. Probatur Secundò: Ex opposita Sententia sequeretur, quòd Corpus Christi in Eucharistia non haberet omnia, quæ pertinent ad naturalem ejus perfectionem, quod non esset organicum, quia non haberet visum aut alium sensum, quia hæc omnia quantitatem requirunt; quod quàm falsum sit quis non videt?

Probatur Tertiò: Sequeretur, quòd Christus non haberet figuram, nec pulchritudinem, nec alia accidentia, quæ ad humanam perfectionem spectant, quia hæc omnia in quantitate fundantur. Proba secunda & tertia refutant Sententiam, quæ dicit, quòd quælibet pars Corporis Christi sit in qualibet parte ipsius Corporis Christi, quia Corpus vivum & organicum ordinem partium inter se exigit. VII. Item Ratio alia.

Solutiones Objectionum ex Philosophia quærantur, quæ sat fusè suis locis sunt explicatæ. Attamen

Arguitur Primò: Non ponitur humanitas Christi, ubicunque est Divinitas, licèt sit ad invicem connexio, ergò nec quantitas, licèt sit & habeat connexionem. Respond. Negando consequentiam & paritatem: Quia Divinitas ob suam illimitationem est ubique, etiam extra Sacramentum, & sic non est inconveniens, ut sit in locis multis, ubi non est humanitas Christi sibi in illo loco unita, quia est limitata exigénsque necessariò limitatum locum. Confirmatur hoc exemplo animæ rationalis, quia ubicunque est caput vivum, necessariò invenitur anima, ob suam cum capite unionem, & anima est in pede vivo, & tamen non est ibi caput, æquè anima informatum sicut pes. VIII. Cur quantitas ponatur ubi humanitas Christi, & non Divinitas.

Arguitur Secundò: Sequeretur, quòd ob eandem rationem deberet poni anima sub Sanguine, sed hoc videtur non posse fieri, quia Sanguis ab anima non animatur, ergò. Respond. Minor. negando: Probatio ejus nulla est, quia ut corpus informetur animâ, necessariò exigit coexistentiam Sanguinis connaturaliter inter se, & ècontra Sanguis petit connaturaliter existere in Corpore, & hoc sufficit ad hoc, ut Corpus per concomitantiam ponatur, ubicunq; est sanguis vivus. Ante resolutionem secundæ Conclusionis IX. Anima ponitur sub Sanguine.

X. Positio quantitatis duplex est, & utraque explicatur. Advertendum est, positionem quantitatis in duplici esse differentia, scilicèt Primò in tali, quæ est ordo partium inter se, & ad suum totum. Secunda verò est ordo quanti ad locum, & partium quanti ad partes loci.

loci. Primus respectus vocatur simpliciter positio, estque intrinseca quanti, quia non minus competit Corpori quanto, longitudo, latitudo, & profunditas, quàm lineæ longitudo, latitudo, superficies.

Secunda vocatur situs, estque extrinseca quantitati, quia, ùt dicit Scotus, quæcunque natura respicit contingenter quamlibet formam alicujus generis, simpliciter se habet ad totum genus contingenter, sed corpus se habet contingenter ad quamcunque positionem partium in loco, quia possunt movere Corpus meum â quacunque positione ad aliam, ergò corpus habens positionem partium in toto, non simpliciter se habet necessariò ad positionem istam, quæ est prædicamentum, nec ista coëxistentia quanti ad quantum est simpliciter necessaria ratio illius positionis secundæ. His præmissis

XI. Tot' Christus est in tota Hostia, & totus in qualibet parte Hostiæ.

Dico Secundò: *Totus Christus est in Evcharistia, ita quod totus est in tota Hostia, & totus in qualibet parte Hostiæ.* Ita D. Thomas & Doctor: Disconveniunt tamen in explicando, quia D. Thomas dicit, quòd quantitas Corporis Christi non est sub specie Panis, nisi concomitanter, quia primus terminus conversionis est substantia Corporis Christi, & quidquid est ibi, est ibi eo modo, quo illa terminat conversionem, ergo quantitas erit ibi per modum termini primi, primus autem terminus, qui est substantia, non habet modum quantitativum, seu commensurativum, ergò quantitas ibi existens sub ratione ejus, vel sub modo ejus, id est, substantiæ, erit ibi modo non quantitativo.

XII. Explicatio D. Thomæ.

XIII. Ea impugnatur à Scoto.

Hanc rationem & explicationem hoc modo rejicit Doctor hìc q. 1. Unumquodque sive sit terminus primus transsubstantiationis, sive secundus; si tamen est ibi habet proprietates suas, quæ sibi necessariò & naturaliter conveniunt, quod probatur exemplo, quia si DEUS crearet substantiam quantam, vel natura generaret substantiam & concomitanter quantitatem utriusque productionis, terminus primus est substantia & quantitas concomitans, & tamen tàm in generato, quàm creato quantitas habet suum modum realem, sicut haberet, si traheret primò aliquam mutationem.

Et hoc probatur ratione, quia alia & alia habitudo ad agens non variat naturam rei, hoc est prima vel secunda mediata vel immediata, dum tamen producatur, quia habitudo ad aliud agens non variat naturam rei secundùm Augustin. 3. de Trinitat. ergò nec carebit quantitas suo modo naturali propter hoc tantum, quia non est primus terminus transsubstantiationis, dum tamen sit ibi realiter sive primò sivè secundò per illam mutationem. Ex quo discursu vult inferre Doctor, quòd Christus sit totus in tota Hostia, & totus in qualibet parte servando positionem primo modo, qui quantitati intrinsecus est.

Attamen Conclusio licèt sic deductivè sat probata maneat, eam nilominus adhuc probo secundò Authoritate Conciliorum Florent. his verbis: *Sub qualibet quoque parte Hostiæ consecratæ separatione facta est totus Christus Dominus.* Trident. Sess. 13. C. 3. his verbis: *Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri, totus enim & integer Christus, sub Panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub Vini specie, & sub partibus ejus existit.* Et Can. 3. *Si quis negaverit, in Venerabili Sacramento Evcharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* XIV. Authoritas Conciliorum pro Conclusione.

Probatur Tertiò Authoritate Patrum ex Missali Ambrosiano, in quadam præfatione, & refertur cap. singuli 77. de Consecratione distinctione secundâ: *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Et cap. ubi pars 78. eadem dist. ex Hilario dicitur: *Ubi pars est Corporis, est & totum.* Similia habentur XV. Authoritas Patrum pro eadem Conclusione.

cap.

cap. *Qui manducant.* 58. & cap. *Invitat.* 70. & cap. *Qui manducat me.* 75. (quæ sunt desumpta ex August.) dist. citata; cujus figura manna fuit, de quo parùm sive multùm quis collegerat, tantumdem unus, quantum alter habebat. Confirmatur ex facto Christi, qui calice consecrato, Lucæ 22. dedit illum Discipulis, dicens: *Accipite & dividite inter vos*, quod necessariò supponit in singulis speciebus separatis fuisse totum Christum, alioquin singuli accipientes partem calicis non sumpsissent totum Christum.

XVI. Factum Christi idē probat.

XVII. Christus non est in Sacramento per unam præsentiam, sed per tot, quot sunt ibi partes.

Dico Tertiò: *Christus non est in Sacramento totus in toto, & totus in qualibet parte Hostiæ per unam propriè præsentiam, sed est ibi per totam speciem & omnes ejus partes diffusus, per tot præsentias, quot sunt ibi partes.* Ita Mastrius contra Aversam & plures Recentiores. Probatur à pari, Angelus existens præsens corpori quantitativo, & divisibili, adest ipsi per tot præsentias in se fundatas, quot sunt partes loci proportionales, quæ quia sunt divisibiles ex parte loci, & ad diversas partes terminatæ, ideò constituunt Angelum in loco divisibili, & quia sunt indivisibiles ex parte subjecti, & proindè singulæ in toto subjecto, ideò Angelum constituunt in toto loco, & totum in singulis partib⁹, ita ex opposito licèt corpus sit divisibile, plures tamen præsentias fundare potest, juxta pluralitatem suarum partium proportionalium, quarum singulæ ad idem spatium terminantur, & sic omnes ejus partes erunt eidem spatio præsentes indivisibiliter, ergò non implicat, quia licèt utrinq; plures fundentur præsentiæ tàm in Angelo quàm corpore differrent, adhuc tamen, quia præsentiæ corporis divisibiles, Angeli indivisibiles essent, &c.

XVIII. Alia Ratio ad idem.

Probatur Secundò: Quia si Christus præsens esset speciebus per unam duntaxat præsentiam, quotiescunque consumitur Christus, & cessat esse præsens, desineret etiam præsentia ejus ad alias partes, quia esset præsens toti Hostiæ, & singulis partibus per unam præsentiam, quæ ibi desineret, sed hoc est falsum, quia quacunque parte consumptâ, fractâ, mutatâ, manet adhuc totus Christus in aliis: ergò non per unam sed præsens est per plures præsentias, quæ aggregatæ constituunt unam totalem.

Dices: Caput Christi in Hostia non potest facere præsentes reliquas partes Corporis, videlicet pedem, manum, sed præcisè illam partem, in qua fundatur, sic enim poneret totum Christi Corpus ibi in ea parte loci, ad quàm terminatur, sicut facit præsentia totalis jam pars æquabitur toti. Respond. dist. antecedens: Non potest facere præsentem nisi illam partem in qua fundatur, si servet positionem de genere Sitûs, concedo, si non, sed tantùm positionem in ordine ad se invicem, quæ est differentia quantitatis, nego antecedens & consequentiam: Nec tamen exinde sequeretur, quòd una præsentia sit major alterâ, aut quòd una æquabitur toti, quia licèt illæ præsentiæ sint totales ex parte corporis, non sunt tamen totales ex parte termini, nempe loci, sed tantùm partiales, quia singulæ non terminantur ad totum locum, sed ad singulas partes.

XIX. Instantia respondetur.

Dico Quartò: *Totus Christus est in singulis partibus Hostiæ ante divisionem, etiam minimis proportionalibus, seu sub quibus aliqua pars Panis vel Vini antecedenter erat.* Ita expressè Doctor Subtilis hic dist. 10. q. 1. ad 3. D. Thomas & Recentiores contra Albertum & Antisiodorensem, &c. qui dicunt, quòd non sit totus sub singulis ante divisionem & contra D. Bonavent. & Alensem, qui dicunt, quòd non sit sub partibus minimis, quæ sunt tàm parvæ, ut separatæ & seorsim non possint continere sub se substantiam Panis vel Vini.

XX. Christus totus est ante divisionem in singulis partibus Hostiæ, etiam minimis proportionalibus, sub quibus aliqua pars Panis vel Vini erat.

Probatur Conclusio: Vel in minima tali parte nil substantiæ Christi est, aut aliqua tantùm pars ejus, aut totus Christus: Si primum, ergo in

XXI. Idque probatur primò.

aliqua parte minima isti immediatè conjuncta, nihil ipsius est, & similiter nihil ipsius erit in alia tali huic conjunctæ, & sic de aliis successivè, quia est eadem ratio de omnibus, & tandem sequitur, quod nihil ipsius sit in tota Hostia, quia cujus nil erat in aliqua parte totius, nihil ipsius erit in toto. Si Secundum, sequitur Primò, quòd Christus sit divisibili modo & extensivo in Eucharistia, ita quòd una pars ejus sit sub una tantùm parte, & alia sub alia, quod est contra omnes, & rationem, quia nulla potest dari ratio, cur totus Christus cum suâ quantitate sit præsens parvæ Hostiæ potius, quàm cuilibet parti ejus minimæ.

Secundò, totus Christus est præsens cuique parti Hostiæ ante divisionem, quæ postea divisa seorsim potest existere, ergo etiam cuicunq; absolutè etiam proportionali, quia nulla potest esse ratio, cur sit sub una totus, & tantùm pars ejus sub altera. Antecedens probatur: Christus totus post divisionem est sub tali, ùt ex de Fide ex Trident. ergò etiam antè, quia tantùm per Consecrationem est ibi, nova autem Consecratio non fit per divisionem, ergò. Itaque si nec primum, nec secundum dici potest, manet dicendum solum tertium quod est intentum.

XXII. Idem probatur secundò. Probatur Secundò: Possibile est, Christum esse totum præsentem cuicunque parti minimæ Hostiæ, ergò de facto est. Probatur antecedens Primò: Quia virtute DEI potest camelus transire per foramen acûs, ubi magnum corpus parvo foramini præsens est; unde Christus hoc docens, Lucæ 10. Marci 10. subdit: Hoc apud homines impossibile esse, apud DEUM autem omnia esse possibilia. Secundò probatur anteced. ex Mysterio Eucharistiæ: Quia sicut in hoc Corpus Christi est præsens parti quantitati Hostiæ, ergò & similiter potest esse præsens longè minori.

XXIII. Et tertiò. Tertiò: Quia anima rationalis sic est præsens cuicunq; parti etiam proportionali corporis organici, & Angelus cuicunque parti minimæ loci adæquati in quo est, ergò. Quartò: Præsentia corporis tàm ad quamcunque partem Hostiæ, quàm ad totam est accidens separabile corporis, ergò utrumque potest ipsi adesse vel abesse sinè ipsius corruptione. Probatur etiam consequentia illa ex probato antecedente primo: Quia defactò anima tota est præsens cuicunque parti corporis, & Angelus cuicunque parti loci. Sed in contrarium.

Arguitur Primò: Sequeretur, quòd quantum majus, esset æquale quanto decuplo minori, sed hoc nequit esse, quia sic esset æquale & inæquale eidem simul, ergò. Probatur major: Quia Corpus Christi decuplo majus secundùm omnes suas partes esset præsens, uni minimæ particulæ Hostiæ, ergò & æquale eidem. Probatur consequentia: Quia nulla est pars hujus, quæ non haberet partem illius sibi præsentem, & ècontra, ergò. Respond. Negando major. & probationis consequentiam, ad ejus probationem nego iterum consequentiam: Quia Relatio orta inter duo, ex eo, quòd nulla sit pars hujus, quæ non sit præsens alicui parti istius, & ècontra, non propriè æqualitas, sed adæquatio ad locum, vel præsentiam, quæ est Relatio extrinsecus adveniens: Tum, Quia talem habet Angelus ad locum extensum, & anima rationalis ad corpus: Tum, Quia æqualitas propriè dicta est Relatio intrinsecus adveniens, orta inter duas quantitates, ex eo, quòd una non habeat plures vel pauciores partes entitativas, quàm alia, talem autem non habet Corpus Christi ad species, sed bene Relationem dictæ adæquationis. XXIV. Æqualitas & adæquatio ad locum non sunt idem.

Arguitur Secundò: Sequeretur, quòd Christi Corpus defactò haberet infinitas præsentias realiter distinctas in Eucharistiâ, sed hoc non, quia sic daretur infinitum actu, ergò. Probatur major: Quia tot habet præsentias realiter distinctas, quot sunt partes proportionales realiter distinctæ in quantitate hostiæ, nam præsentia

sentia ejus ad partem distinguetur realiter à præsentiâ ejus ad alium: Tum, Quia termini sunt realiter distincti: Tum, Quia corrupta una parte Hostiæ perit ejus præsentia ad illam, & non ad aliam, sed hæ partes sunt infinitæ, ergò & præsentiæ. Respond. Suppositâ infinitate partium continui negando mino. Nullum enim est absurdum novum esse hic infinitas præsentias partiales conficientes unam totalem, quia sic non datur infinitū actu & cathegorematicum, sed potentia & syncathegorematicum, seu secundùm quid, quod omnes debent admittere. Sed

XXV. Suppositâ infinitate partium possunt esse infinitæ præsentiæ partiales.

XXVI. Christum esse totum sub qualibet minimâ parte Hostiæ an sit de fide?

Quæres: An sit de fide, Christum esse totum sub qualibet minima parte Hostiæ? Affirmat Soto, Ledesma, sed malè, quia quòd dixit Concil. Trident. Sess. 17. cap. 3. Christum esse totum sub singulis partibus, explicuit postea Can. 3. nempe hoc esse intelligendum de partibus separatione factâ, quod frustra adderet, si intelligeret æqualiter de partibus ante & post divisionem.

XXVII. Probabilius totum Corpus Christi non est sub punctis specierum.

Dico Quintò: *Probabiliùs videtur, quòd totum Corpus Christi non sit sub punctis specierum.* Ita Doctor Subtilis hic dist. 10. q. 9. §. Item ibi Corpus Christi non est præsens speciei alicui ad minus nisi minimo sensibili, quia nulli indivisibili est præsens ibi, &c. Nec potest dici, quòd Scotus hic loquatur ad hominem, seu juxta principia Adversariorum, quia D. Thomas, contra quem hic agit, non tenet Christum esse sub indivisibili, & sic objiciatur in fine ejusdem quæstionis, quasi diceret, quòd sit sub quocunque indivisibili, quia non dicit, quòd sit defactò, sed quòd esse possit.

XXVIII. Probatio prima.

Probatur Conclusio Primò: Substantia Corporis Christi succedit solùm substantiæ Panis, ergò solùm est sub accidentibus Panis, sub quibus erat antè substantia Panis, sed hæc non erat sub indivisibilibus juxta omnes, ergò. Consequentia est evidens, & patet etiam antecedens: Quia terminus ad quem, succedit termino à quo, sed terminus à quo est solùm substantia Panis, juxta Trident. dicens: Quòd sit conversio substantiæ in substantiam, indivisibilia autem non habent rationem essentialem substantiæ, aliàs posset Sacerdos solam superficiem exteriorem consecrare, vel punctum.

Secundò sequeretur ex opposita sententia, quòd Christus de novo sinè nova tamen Consecratione esset Sacramentaliter præsens, sed hoc est absurdum, quia Corpus Christi nunquam acquirit præsentiam, nisi per Consecrationem, nec per consequens novam sinè nova, ergò. Patet major: Quia Hostiâ consecratâ divisâ in partibus divisis, nova exurgunt indivisibilia terminantia, aliàs vel essent sinè indivisibilibus terminantibus, vel plura indivisibilia essent sibi conjuncta in continuo, quorum utrumque ab omnibus negatur, ergò Christus de novo erit sub his sinè nova Consecratione, vel si non, ergo sub nullis. XXIX. Probatio secunda.

Probatur Tertiò: Quia illud, sub quo Christi Corpus continetur, debet esse ex sua natura seu ex genere suo sensibile signum, indivisibile autem non est tale, ergò. Tandem anima non est in indivisibilibus carnis, quia punctum non est subjectum animabile, sed in contra. XXX. Probatio tertia.

Arguitur: Si Corpus non esset præsens indivisibilibus, sequitur, quòd hæ partiales præsentiæ non essent inter se continuæ, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur major: Quia si Christus non haberet præsentiã ad punctum continuans partes, continui diversæ præsentiæ ejus ad partes ipsas continuatas puncto, non essent inter se continuæ. Probatur etiam minor primò: Quia totalis præsentia rei constat ex diversis partialibus præsentiis inter se continuatis, sed præsentia Christi in Hostia est talis, ergò. Secundò: Quia si illæ præsentiæ ad diversas partes Hostiæ non sunt inter se unitæ, quælibet ex eis erit totalis, ergò erunt ibi infinitæ præsentiæ totales, ergò & infinitum actu simpliciter, quia quod con-

stat ex infinitis entitatibus inter se non unitis est tale, ergò

XXXI. Præsentiæ dupliciter possunt dici continuæ. Pro Solutione nota, præsentias posse dici dupliciter continuas. Primò ad extra, quia terminantur ad terminos inter se continuos, nempe ad omnes partes specierum. Secundò ab intrinseco, si nempe per puncta vel alias uniones essent inter se unitæ. Respond. ergò in forma dist.

XXXII. Quomodo præsentiæ partiales sint continuæ. min. non sunt continuæ primo modo, nego, secundo, concedo. Nec hoc est absurdum ullo modo, nam diversæ præsentiæ animæ rationalis ad partes corporis non sunt inter se continuæ, hoc secundo modo, cùm anima non sit in tot punctis, nec etiam præsentia Angeli ad partes loci.

Ad primam Probationem dist. major. totalis præsentia rei coëxtensæ loco, transeat; non coëxtensæ, sed indivisibiliter præsentis, nego: nam præsentia hæc ad singulas partes est indivisibilis & inextensa, præsentia illius extensa, & consequenter constans partibus unitis.

XXXIII. In continuo admittenda sunt puncta infinita discontinuantia. Ad secundum Respond. Necessariò in continuo admittenda esse puncta infinita discontinuantia infinitas partium uniones & infinitas etiam præsentias discontinuas saltem partium ad partes, aggregatio autem ex his vocari nequit infinitum actu.

Arguitur Secundò: Si totum Corpus est præsens singulis partibus Hostiæ, & omnes partes totius Corporis etiam præsentes iisdem, ergo una pars non erit extra aliam, & per consequens Christus nullam figuram habebit in Eucharistia. Re-

XXXIV. Quo sensu una pars Corporis Christi sit, & non sit extra aliã. spond. dist. conseq. Una non erit extra aliam in loco seu extra locum alterius, concedo, extra aliam in toto seu extra Entitatem alterius, nego: quia positio partium extra se in loco, & positio partium extra se mutuo in toto sunt duæ relationes extrinsecus advenientes, quarum una modus quantitatis, altera differentia quantitatis vocatur à Scoto. DEUS autem potest auferre unam ex his relinquendo aliam, &c.

Pro fine hujus Quæstionis nota, hanc præsentiam dici posse ubi definitivum, prout ubi circumscriptivo seu commensurato ad partes opponitur, non verò prout dicit negationem cujuscunque alterius loci. Secundò: Quamvis Christus sit integer sub utraque specie & singulis ejus partibus, non est tamen eodem modo sub una ac sub altera, nam sub Panis speciebus primariò est Corpus Christi concomitanter Sanguis, sub speciebus Vini primariò Sanguis concomitanter Corpus, ut autem scias, quæ vi verborum sub utraque specie ponantur, sit XXXV. Præsentia Sacramentalis Christi quo sensu possit dici ubi definitivum.

QUÆSTIO SEXTA.

Quid sit sub utraque specie vi verborum?

CONveniunt Theologi, totum Christum esse sub singulis speciebus quoad Corpus, Animam, Sanguinem, Divinitatem, sed disputant, quæ ex his ponantur hìc per se primò seu ex vi verborum, & quæ concomitanter; pro quo

Nota illud dici poni sub speciebus per se primò seu ex vi verborum, ut vult Vasquez, quod expressè significatur per verba Consecrationis, & in quod fit conversio, vel rectiùs cujus præsentia ad veritatem verborum necessaria est, vel potiùs quod per ipsa verba significatur hìc esse præsens. Illud verò dicitur concomitanter poni hìc, quod ponitur sub speciebus non tanquam necessarium ad veritatem verborum, sed propter naturalem connexionem vel unionem ejus cum illo, quod ponitur ex vi verborum. Hoc notato: I. Quid sit poni vi verborum, & concomitanter.

Dico Primò: *Totus Christus cum sua Anima, Corpore, Sanguine, totâ Humanitate & Divinitate est sub utraque specie.* Est communis & de Fide ex Trident. Sess. 13. cap. 1. dicente: *Post Panis & Vini Consecrationem, Dominum nostrum JESUM Christum verum DEUM atque hominem verè, realiter, ac substantialiter,* II. Tot' Christus cum Anima, Corpore, Sanguine, tota Humanitate & Divinitate est sub utraque specie.

ter, sub specie illarum rerum contineri. Contra Lutheranos & alios. Et Probatur Primò ex Joan. 4. Omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex DEO non est, & hic est Anti-Christus, sed qui diceret, solum Corpus Christi hic esse, vel solum Sanguinem, solveret JESUM, quia divideret. ergo.

III. Patres ad idem. Secundò: ex Patribus, D. Ambrosio lib. de iis, quæ imitantur, cap. 9. In illo Sacramento Christus est, quia Corpus Christi est. D. August. Serm. 2. de verbis Apostoli dicentis: eundem, qui in Cœlo sedit, esse in altari: & in Psalm. 33. dicit: Christum portasse se ipsum in manibus, quando dixit, hoc est Corpus meum. &c.

IV. Confirmatio. Probatur Tertiò Ratione: Quia ubi est unum eorum, quæ sunt absoluta & unita non immensum, ibi necessariò erit & alterum, nisi miraculosè impediatur, sed Corpus Christi & alia allegata sunt inter se unita, & naturaliter connexa, & Corpus ejus est hic & non est immensum, ergò etiam erit hic quodlibet ex illis aliis.

V. Aliter est præsens Deitas speciebus, quàm cuivis rei mundi. Dices: Nec Trinitas, nec Divinitas est aliter speciebus præsens, quàm cuilibet rei mundi. ergo. Respondeo, Negando antecedens, quia speciebus est præsens non solùm ratione immensitatis, sed etiam corporis uniti Divinitati, mediante Verbo.

VI. Quo sensu aliter Anima & Divinitas sit præsens speciebus. Dices: Trid. supra ponit differentiam inter modum, quo anima est sub speciebus, & quo Divinitas, sed dicit animam esse sub speciebus per concomitantiam, ergò Divinitas non est per concomitantiam. Respond. Negando consequentiam, quia differentia illa in hoc tantùm consistit, quòd sanguis & anima sit sub illis ex vi naturalis conexionis cum corpore, Divinitas verò non sic, sed per supernaturalem connexionem, nempe per unionem hypostaticam, utérque autem modus existendi est modus existendi per concomitantiam, quia neuter est ex vi verborum præcisè.

VII. Tota Trinitas est in Eucharistia. Dico Secundò: *Tota Trinitas etiam est in Eucharistia.* Est communis Cathol. & patet Primò: Quia ratione immensitatis tres Personæ sunt ubique. Secundò, quia Divinitas est hic conjuncta humanitati Christi, ergò & tres Personæ, quæ ab invicem & à Divinitate sunt inseparabiles.

VIII. Sub speciebus panis vi verborum est solum Corpus Christi, sub speciebus vini solus sanguis, alia verò per concomitantiam. Dico Tertiò: *Solum Corpus Christi est sub speciebus panis vi verborum, anima verò, Sanguis, Divinitas, & quodcunque aliud, quod est extra rationem Corporis tantùm per concomitantiam, sub speciebus vini verò solus sanguis, corpus verò & alia tantum per concomitantiam.* Ita Scotus 4. d. 10. q. 4. d. 11. q. 3. Suarez, Vasquez, &c. & videtur de fide quoad omnes partes ex Trident. Sess. 13. cap. 3. ubi hæc habet: *Et semper hæc fides in Ecclesia DEI fuit, statim post consecrationem verum DOMINI nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & Divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem Corpus sub specie vini & Sanguinem sub specie panis, animámque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum Corpore & animâ hypostaticam unionem.* ergo.

IX. Ratio ad idem. Ratio est etiam evidens, quia nec Sanguis, nec anima, nec Divinitas, nec aliud quàm Corpus significatur esse sub speciebus panis, & sub speciebus vini aliud, quàm sanguis. ergo. Sed in contra

Arguitur Primò: Unio hypostatica est hic ex vi verborum, ergò & Divinitas seu verbum ipsum terminans, quia eodem modo, quo unio est hic etiam extrema unita esse debent. Probatur antecedens. Quia ly *Corpus meum* significat, corpus hoc esse Verbi Divini, non est autem Verbi, nisi per unionem, ergò significat esse unionem, ergò unio est hic. Respon-

X. Unio hypostatica non ponitur vi verborum. spondeo, Negando antecedens ad probationem. Respond. Primò, Negando major: Quia tantùm dicit, Corpus illud esse humanitatis Christi, seu Christi ratione humanitatis. Respond. Secundò, Negando secundam consequentiam, quia esto revera significet unionem, non tamen significat eam esse hìc. Sed

Instatur ly *meum*, & refert, & significat per consequens suppositum Divinum hìc, ergò suppositum hìc ponitur non per concomitantiam, sed vi verborum, quia quod per verba significatur, hoc ponitur hìc ex vi verborum. Respond. Distingu. antecedens. Ly *meum* refert & significat suppositum Divinum directè & expressè hìc esse, nego anteced. implicitè alicubi esse, concedo; & nego consequentiam. Ad probationem Respond. disting. quod vi verborum significatur, ponitur hìc, quod significatur directè & per se concedo, indirectè & concomitanter nego antecedens & consequentiam.

XI. Ly *meum* non significat directè suppositū Divinum hìc esse.

XII. Poni hìc vi verborum non est significari per verba formæ etiam indirectè. Urgetur. Poni hìc ex vi verborum non est aliud, quàm significari per verba formæ sivè directè sivè indirectè, sed quod connotatur per ly *meum*, hoc significatur per idem, quia connotari est consignificari, ergò si suppositum hìc connotatur, ponitur hìc vi formæ. Probatur major: Quia si quis diceret: *Hoc est album*, ly *album* tàm ex vi vocis significaret albedinem esse ibi, quàm subjectum, licèt unum ex eis indirectè significetur. ergò. Respondet ipse Vasquez negando anteced. dicitque quòd ly *meum* refertur ad humanitatem Christi, si autem referretur ad suppositum, tunc benè sequeretur, quod infertur.

XIII. Ly *meum* non refertur ad Humanitatem Christi, ut vult Vasquez, aliàs hæc poneretur vi verborum. Sed contra hanc rationem facit, quòd ex ea sequatur, quòd humanitas sit hìc ex vi verborum, ergò & anima, contra Trident: Consequentia est evidens juxta ipsum Vasquez, nam ut ipse nu. 14. ait: Si humanitas esset hìc ex vi verborum, similiter & anima esset, quæ est ipsi essentialis. Antecedens probatur Primò. Quia poni ex vi verborum, non est aliud, quàm significari per verba formæ etiam indirectè, juxta ipsum.

Secundò: Quia si suppositum referretur per ly *meum* hìc poneretur ex vi verborum, esto indirectè significetur juxta ipsum, ergò & similiter, si humanitas referatur, hìc ponetur.

XIV. Nec Humanitas, nec suppositum significatur hìc esse per formam. Quare Respond. aliter Negando consequentiam primam, quia non omne, quod significatur per verba formæ, hìc ponitur ex vi verborum, sed solùm quòd significatur esse hìc præsens, ut in notabili dictum est, esto autem per ly *meum* indirectè significetur humanitas vel suppositum, & utrumque etiam sit hìc, neutrum tamen significatur hìc esse per formam, sed solum corpus.

Arguitur Tertiò: Ly *meum* connotat vel humanitatem, vel Christum constantem humanitate & supposito Divino, ergò in triduo mortis Christi non potest poni Corpus Christi sub speciebus, quod est contra Scotum. Sequela tamen probatur, quia tunc non est Christus, nec Christi humanitas existit, ergò tunc non est verum dicere in Persona Christi: *Hoc est Corpus meum*, quia Corpus tunc non erat Corpus Christi. ergo. Respond. Negandò consequentiam cum consequentia probationis, ejusque probatione, quia erat tunc Corpus Christi non quidem viventis, sed mortui, sicut caput vel brachium dicitur hujus vel illius sancti, licèt nunc non viventis, nam sicut Christus abstrahit à vivente & mortuo, & etiam Corpus à vivente & mortuo, ita Christus ab utroque.

XV. Corpus in triduò mortis adhuc erat Corpus Christi.

XVI. Ly Corpus non significat suppositum. Arguitur Quartò: Ly *Corpus* significat suppositum, sed non humanum, ergò Divinum, ergò sicut Corpus, ita suppositum Divinum, ponitur hìc ex vi verborum. Respond. Negando majorem: Quia Corpus hìc est physica pars compositi, pars autem talis non habet rationem suppositi.

Dices saltem Sanguis significat suppositum, quia significat totum aliquod

aliquod per se essentialiter distinctum ab humanitate & corpore, sed non humanum, quia in Christo nullum suppositum humanum reperitur, ergo Divinum, ergo &c. Respon.

XVII. Sanguis nō significat directè suppositum, sed connotat illud.

quòd non significet directè & explicitè, nisi naturam sanguinis licèt connotet suppositum. Deinde non dicit compositum praecisè Divinum vel humanum, sed suppositum ut sic, & hinc non significat suppositum Divinum esse hic, licèt per accidens sit hic. Et si objiciatur Scotus, ùt quidam objiciunt, quasi dicere vellet, sanguinem esse sub speciebus panis, non ùt integrum terminum, sed ùt partem integri termini, nempe corporis: Tunc explicandus est Doctor, quòd sic doceat dicendum esse illis, qui dicunt, sanguinem esse de essentia corporis, quod ipse non tenet.

XVIII. Probabiliter totus sanguis est hic ex vi verborum.

Quæres Primò: An totus sanguis sit hic ex vi verborum? Respond. Probabiliter quòd sic, quia vox sanguis significat & totum sanguinem, & quamlibet ejus partem, nec refert, quòd per illud, qui pro vobis effundetur, videatur insinuari, eam partem solùm debere intelligi, quæ est effusa: Tum, quia illa verba non sunt de essentia formæ: Tum, quia, licèt essent, tamen possunt benè affirmari de toto sanguine, licèt tantùm pars sit effusa: Tum etiam, quia probabilius est, totum sanguinem esse effusum.

Dices: Pars præcisa in circumcisione non fuit in nocte cœnæ ex vi verborum, ergo nec modò, ergo etiam pars sanguinis per guttas separata ab aliis in passione non esset sub speciebus ex vi verborum, si tunc fieret consecratio. Respond. Negando antecedens. Videatur Tractat. de incarnatione.

XIX. Per Corpus intelligitur compositū ex materia & forma substantiali corporeitatis.

Quæres Secundò: Quid nomine Corporis hìc intelligatur? Maxima est controversia de hac re, multiplicésque opiniones. ego Respond. Per Corpus intelligi in forma consecrationis compositum ex materia & forma substantiali, quæ dicitur corporeitatis. Probatur Primò: Vivens constat anima & corpore, tanquam partibus essentialibus, sed Corpus in hac compositione non est aliud, quàm substantia physicè incompleta essentialiter constans materia & forma coporeitatis susceptiva animæ. Major patet, quia Corpus non est sola materia, nec materia cum accidentibus, nec compositum ex corpore & anima rationali, nec aliud assignabile: ergo. Probatur antecedens: Tum, Quia Corpus in hac materia habet veram rationem carnis, quia dicit Christus Joann. 6. *Caro mea verus est cibus*, sed materia non habet rationem carnis: Tum, quia si corpus esset materia, posset dici: hoc est materia mea, in forma consecrationis, quia essent synonyma. ergo. Probatur antecedens idem, quòd nec sit materia cum quantitate vel accidente, quia terminus transubstantiationis est substantia, sed tunc non esset, ergo. Probatur minor: quia Corpus involvens essentialiter accidens est accidens, vel ad minus compositum per accidens, sed &c. ergo. Probatur antecedens quòd nec sit compositum ex corpore & anima rationali, quia aliàs esset vi verborum sub speciebus. ergo. Probatur secundò Responsio: quia Corpus Christi erat idem vivum & mortuum, ergo antè & post mortem aliqua forma substantiali eadem numero constabat. Reliquas probationes vide ex Physica.

Quæres Tertiò: Quid nomine Sanguinis hìc intelligatur? Respond. quidquid dicant Thomistæ sanguinem informari ab anima, & consequenter in ipsorum via nullam formam substantialem includi. Respond. inquam, Sanguinem esse corpus inanimatum, compositum ex materia prima & forma substantiali ultima aliqua &c.

XX. Quid hìc nomine sanguinis significatur?



Ee QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Præsentia Christi in Eucharistia dependeat à modo existendi naturaliter in seipso?

I. Sẽsus quæstionis aperitur.

SEnsus Quæstionis est, an Præsentia Corporis Christi in Eucharistia necessariò præsupponat Christum Dominum in aliquo loco extra Sacramentum habentem præsentiam naturalem, nempe talem, quæ sit cum modo naturali quantitativo & extensivo, qualem nunc in cœlo habet, qui proindè dicitur naturalis præsentia, quia Corpori quanto est connaturaliter debita, ita videlicet, quòd si hanc præsentiam quantitativam & extensivam non haberet, non posset esse divinitus in Sacramento, qui sensus benè notandus est, nè quis cum Cajetano decipiatur, existimante, Scotũ velle, quòd præsentia Eucharistica non præsupponat existentiam essentialem & intrinsecam, super quam tales præsentiæ fundantur, ex qua mala intellectione postmodum Cajetanus dixit, Scoti opinionem esse chymericam, nunquam enim hoc Scotus voluit, sed dixit, præsentiam Christi Eucharisticam definitivam & Sacramentalem, non præsupponere præsentiam circumscriptivam, non verò non præsupponere existentiam. Hoc præmisso

II. Ex institutione Divina de facto præsentia Sacramentalis depẽdet à naturali.

Dico Primò: *Ex institutione divina de factò præsentia sacramentalis dependet à naturali, velut à conditione sine qua non, quatenus Deus statuit non conservare Corpus Christi in Sacramento, nisi etiam extra Sacramentum conservetur, & non alio modo quoad prædicata absoluta, quàm quo conservat in Cœlo.* Probatur ex illo fidei principio, quod habet Trident. Sess. 13. Can. 3. ubi definitur Sanguinem animam, & Divinitatem esse per concomitantiam sub speciebus panis, eò quòd hæc habeant unionem cum corpore Christi extra Sacramentum in statu naturali, ex quo infertur quòd saltem ex institutione divinâ de facto præsentia Sacramentalis præsupponat præsentiam naturalem Corporis Christi, illiq; proportionetur.

III. Corpus cõsecratum in ultima Cœna fuit passibile, & si fuisset servatum, fuisset mortuum, & si in triduo consecratum, fuisset inanime.

Undè ex eodem principio colligunt Theologi, Corpus Christi datum Discipulis in ultima Cœna fuisse passibile & mortale, quia sic erat in statu naturali.

Item inferunt, Si Sacramentum in Cœna consecratum fuisset servatum usque ad mortem Christi, etiam in eo futurum fuisse Corpus Christi mortuum, sicut erat in Cruce.

Inferunt deniq;: Si in triduo mortis Christi facta fuisset consecratio sub speciebus panis, fuisse Corpus Christi inanime.

IV. Præsentia sacramẽtalis est simpliciter independens à naturali, ita ut divinitus posset poni in Sacramento, licèt naturalẽ non haberet in cœlo, & potuisset prius produci in Sacramẽto quàm in utero B. V.

Dico Secundò: *Præsentia Sacramentalis est simpliciter independens ex natura rei à naturali, ita ut divinitus posset poni in Sacramento, licèt naturalem non haberet in Cœlo, & potuisset idem prius produci in Sacramento, quàm in utero B. Virginis Mariæ.* Ita Doctor 4. d. 10. quæst. 4. n. 50. & alii Scotistæ communiter ac Recentiores. Probatur cum Doctore, quando existentia est indifferens ad duos modos sicut simpliciter haberi potest sub uno ita sub altero, sed existentia Christi simpliciter & realis indifferens est ad modum naturalem & Sacramentalem, ergò haberi potest sub uno, licèt non habeatur sub altero. Major patet: Minor probatur; Quia præsentia naturalis nec est de essentia præsentiæ Sacramentalis, nec causa illius. Primum patet, quia alioquin includeretur intrinsecè in illa, quòd tamen falsum est, cùm diversæ sint rationis & speciei: patet etiam secundum, quia solus DEUS est causa illius præsentiæ Sacramentalis, cùm sit supernaturalis, nec unus modus præsentialitatis potest producere alium. ergo. Sed

Dices cum Cajetano, minorem Principalem esse falsam, Christus enim non est indifferens ad esse naturale & in Sacramento, sed est determinatus ad modum essendi naturalem, sicut ad semetipsum. Sed contra hîc gravissimè errat Cajetanus, quasi Scotus vellet, quòd Christus, ut sit,

ut sit, sit indifferens ad essendum existentiâ intrinsecâ & fundamentali absolutâ, hoc enim non vult, sed quòd sit indifferens, ut existat præsentia sub modo naturali, & quantitativo, & Sacramentaliter, quare Cajetanus non modò contra Doctorem, sed contra omnes Theologos confundit modum existendi naturalem cum existentia intrinseca rei, quasi verò idem esset, cùm tamen Concil. ipsum hæc clarissimè distinguat Sess. 13. cap. 1. dicens: *nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit;* in quo tria sunt distincta, nempe sua substantia, id est, existentia Christi intrinseca, modus existendi naturalis, id est, sub modo quantitativo, & Sacramentaliter, id est, sine modo quantitativo.

V. Cajetanus non rectè confundit modum existendi naturalem cum existentia intrinseca rei.

Instabis: Si Christus in Cœlo destrueretur, destrueretur etiam in hostia & Sacramento, ergò essentialiter dependet præsentia Sacramentalis à modo naturali. Probatur antecedens, quia ex dictis supra si exanimaretur in Cœlo, exanimaretur etiam in hostia, ergò si destrueretur in Cœlo, destrueretur etiam in hostia. Respond. distin. antecedens. Si Christus in cœlo destrueretur quoad existentiam absolutam intrinsecam, destrueretur etiam in hostia, concedo antecedens, si Christus destrueretur quoad præsentiam & modum existendi naturalem nego antecedens & consequentiam, quia in hac argumentum supponit aliter, quàm in antecedente.

VI. Si Christus in Cœlo destrueretur quoad existentiam absolutam, destrueretur etiam in hostia.

Urgebis: Christus ponitur in Sacramento per actionem adductivam & non productivam, ergò supponit esse antecedenter. Respond. Pro nunc concedo, absolutè nego, & disting. consequens supponit existentiam modo naturali concedo, modo quantitativo nego.

DISPUTATIO QUARTA.

DE Transsubstantiatione.

Hæretici, qui vel negant præsentiam Christi, vel affirmant præsentiam panis, conversionem tollunt, & in hoc inter se conveniunt Lutherani & Calvinistæ, qui omnes nomen Transsubstantiationis novum appellant, peregrinum, ac barbarum, atque adeò dicunt esse signum novæ peregrinæ ac barbaræ sententiæ.

Cæterum inprimis stultum est, cum de re constet, litigare de nomine, de re autem ita constat, ut non possit magis constare, nam Patres omnes affirmant, panem substantialiter converti in carnem Christi, manentibus tantùm accidentibus panis, & Hugo dixit, substantiam in substantiam ire, & Gruismundus, Algerus, &c. ante Later. Concil. ex professo disputârunt, mutari substantiam panis, accidentibus non mutatis, quæ actio non potest uno verbo exprimi, nisi dicamus transsubstantiari. Nec mirum, si pro novis fidei dogmatibus nova exurgant & instituantur nomina, nam apud Grammaticos non invenitur Tò Christianus, & post errorem Arianorum, ad æqualitatem Personarum exprimendam Patres Concilii Nicæni ex-

Hæretici negant nomen transsubstantiationis.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Præsentia Christi in Eucharistia dependeat à modo existendi naturaliter in seipso?

I. Sēsus quæstionis aperitur.

SEnsus Quæstionis est, an Præsentia Corporis Christi in Eucharistia necessariò præsupponat Christum Dominum in aliquo loco extra Sacramentum habentem præsentiam naturalem, nempe talem, quæ sit cum modo naturali quantitativo & extensivo, qualem nunc in cœlo habet, qui proindè dicitur naturalis præsentia, quia Corpori quanto est connaturaliter debita, ita videlicet, quòd si hanc præsentiam quantitativam & extensivam non haberet, non posset esse divinitus in Sacramento, qui sensus benè notandus est, nè quis cum Cajetano decipiatur, existimante, Scotū velle, quòd præsentia Eucharistica non præsupponat existentiam essentialem & intrinsecam, super quam tales præsentiæ fundantur, ex qua mala intellectione postmodum Cajetanus dixit, Scoti opinionem esse chymericam, nunquam enim hoc Scotus voluit, sed dixit, præsentiam Christi Eucharisticam definitivam & Sacramentalem, non præsupponere præsentiam circumscriptivam, non verò non præsupponere existentiam. Hoc præmisso

II. Ex institutione Divina de facto præsentia Sacramentalis depēdet à naturali.

Dico Primò: *Ex institutione divina de factò præsentia sacramentalis dependet à naturali, velut à conditione sine qua non, quatenus Deus statuit non conservare Corpus Christi in Sacramento, nisi etiam extra Sacramentum conservetur, & non alio modo quoad prædicata absoluta, quàm quo conservat in Cœlo.* Probatur ex illo fidei principio, quod habet Trident. Sess. 13. Can. 3. ubi definitur Sanguinem animam, & Divinitatem esse per concomitantiam sub speciebus panis, eò quòd hæc habeant unionem cum corpore Christi extra Sacramentum in statu naturali, ex quo infertur quòd saltem ex institutione divinâ de facto præsentia Sacramentalis præsupponat præsentiam naturalem Corporis Christi, illiq; proportionetur.

III. Corpus cōsecratum in ultima Cœna fuit passibile, & si fuisset servatum, fuisset mortuum, & si in triduo consecratum, fuisset inanime.

Undè ex eodem principio colligunt Theologi, Corpus Christi datum Discipulis in ultima Cœna fuisse passibile & mortale, quia sic erat in statu naturali.

Item inferunt, Si Sacramentum in Cœna consecratum fuisset servatum usque ad mortem Christi, etiam in eo futurum fuisse Corpus Christi mortuum, sicut erat in Cruce.

Inferunt deniq; : Si in triduo mortis Christi facta fuisset consecratio sub speciebus panis, fuisse Corpus Christi inanime.

IV. Præsentia sacramētalis est simpliciter independens à naturali, ita ut divinitus posset poni in Sacramento, licèt naturalē non haberet in cœlo, & potuisset prius produci in Sacramēto quàm in utero B. V.

Dico Secundò: *Præsentia Sacramentalis est simpliciter independens ex natura rei à naturali, ità ut divinitus posset poni in Sacramento, licèt naturalem non haberet in Cœlo, & potuisset idem prius produci in Sacramento, quàm in utero B. Virginis Mariæ.* Ita Doctor 4. d. 10. quæst. 4. n. 50. & alii Scotistæ communiter ac Recentiores. Probatur cum Doctore, quando existentia est indifferens ad duos modos sicut simpliciter haberi potest sub uno ita sub altero, sed existentia Christi simpliciter & realis indifferens est ad modum naturalem & Sacramentalem, ergò haberi potest sub uno, licèt non habeatur sub altero. Major patet: Minor probatur; Quia præsentia naturalis nec est de essentia præsentiæ Sacramentalis, nec causa illius. Primum patet, quia alioquin includeretur intrinsecè in illa, quòd tamen falsum est, cùm diversæ sint rationis & speciei: patet etiam secundum, quia solus DEUS est causa illius præsentiæ Sacramentalis, cùm sit supernaturalis, nec unus modus præsentialitatis potest producere alium. ergo. Sed

Dices cum Cajetano, minorem Principalem esse falsam, Christus enim non est indifferens ad esse naturale & in Sacramento, sed est determinatus ad modum essendi naturalem, sicut ad semetipsum. Sed contra hìc gravissimè errat Cajetanus, quasi Scotus vellet, quòd Christus, ut sit,

ut sit, sit indifferens ad essendum existentiâ intrinsecâ & fundamentali absolutâ, hoc enim non vult, sed quòd sit indifferens, ut existat præsentia sub modo naturali, & quantitativo, & Sacramentaliter, quare Cajetanus non modò contra Doctorem, sed contra omnes Theologos confundit modum existendi naturalem cum existentia intrinseca rei, quasi verò idem esset, cùm tamen Concil. ipsum hæc clarissimè distinguat Sess. 13. cap. 1. dicens: *nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit;* in quo tria sunt distincta, nempe sua substantia, id est, existentia Christi intrinseca, modus existendi naturalis, id est, sub modo quantitativo, & Sacramentaliter, id est, sine modo quantitativo.

V. Cajetanus non rectè confundit modum existendi naturalem, cum existentia intrinseca rei.

Instabis: Si Christus in Cœlo destrueretur, destrueretur etiam in hostia & Sacramento, ergò essentialiter dependet præsentia Sacramentalis à modo naturali. Probatur antecedens, quia ex dictis supra si exanimaretur in Cœlo, exanimaretur etiam in hostia, ergò si destrueretur in Cœlo, destrueretur etiam in hostia. Respond. distin. antecedens. Si Christus in cœlo destrueretur quoad existentiam absolutam intrinsecam, destrueretur etiam in hostia, concedo antecedens, si Christus destrueretur quoad præsentiam & modum existendi naturalem nego antecedens & consequentiam, quia in hac argumentum supponit aliter, quàm in antecedente.

VI. Si Christus in Cœlo destrueretur quoad existentiam absolutam intrinsecam, destrueretur etiam in hostia.

Urgebis: Christus ponitur in Sacramento per actionem adductivam & non productivam, ergò supponit esse antecedenter. Respond. Pro nunc concedo, absolutè nego, & disting. consequens supponit existentiam modo naturali concedo, modo quantitativo nego.

DISPUTATIO QUARTA.

DE Transubstantiatione.

HÆretici, qui vel negant præsentiam Christi, vel affirmant præsentiam panis, conversionem tollunt, & in hoc inter se conveniunt Lutherani & Calvinistæ, qui omnes nomen Transubstantiationis novum appellant, peregrinum, ac barbarum, atque adeò dicunt esse signum novæ peregrinæ ac barbaræ sententiæ.

Cœterum inprimis stultum est, cum de re constet, litigare de nomine, de re autem ita constat, ut non possit magis constare, nam Patres omnes affirmant, panem substantialiter converti in carnem Christi, manentibus tantùm accidentibus panis, & Hugo dixit, substantiam in substantiam ire, & Gruismundus, Algerus, &c. ante Later. Concil. ex professo disputârunt, mutari substantiam panis, accidentibus non mutatis, quæ actio non potest uno verbo exprimi, nisi dicamus transubstantiari. Nec mirum, si pro novis fidei dogmatibus nova exurgant & instituantur nomina, nam apud Grammaticos non invenitur Tò Christianus, & post errorem Arianorum, ad æqualitatem Personarum exprimendam Patres Concilii Nicæni ex-

Hæretici negant nomen transubstantiationis.

ni excogitârunt To Homousion, quod etiam barbarum ipsi dicebant. Itaque ad rem sit

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Conversio.

I. Sacramentum Eucharistiæ conficitur per veram conversionem panis & vini in Corpus & sanguinem Christi.

SUppono hic tanquam de Fide certum ex Concilio Trident. Sess. 13. cap. 4. Sacramentum Eucharistiæ confici per veram conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, ait enim Concil. loco cit. *Quoniam Christus Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, idque nunc denuò S. Synodus declarat, per Consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à S. Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.* Adeóque Transubstantiatio habet se veluti species conversionis, sub qua continetur, omnis enim Transubstantiatio est conversio, non tamen omnis conversio est Transubstantiatio, sicut omnis homo est animal, non tamen omne animal est homo, ideóque ut transubstantiatio benè intelligatur, natura conversionis prius benè est explicanda, circa cujus explicationem plures sunt opiniones.

II. Quid sit conversio secundùm Suarez.

Suarez hic Disput. 50. Sect. 2. Dicit esse transitum unius rei ad aliam, rationem tamen formalem ejus non consistere in aliquo respectu reali, vel rationis, sed in duplici mutatione cum una saltem actione, primam mutationem ponit esse desitionem termini à quo, secundam inceptionem termini ad quem, & cùm res non potest incipere sine actione, hinc dicit requiri actionem novam.

III. Et quid juxta Vasquez.

Vasquez hic Disp. 131. cap. 6. & 12. ait, rationem conversionis consistere in respectu successionis unius termini positivi ad alium terminum positivum jam destructum, & addit, quòd in termino, ad quem nulla requiritur novitas vel mutatio, requiri tamen, quòd sit causa desitionis termini à quo, non ex intentione convertentis tantùm, sed vel ex naturali repugnantia, vel saltem ex modo, quo ipsi succedit, ùt fit, inquit Vasquez, in Eucharistiâ, ubi Corpus Christi est causa desitionis panis non ex aliqua repugnantia naturali, sed ex modo, quo ibi ponitur per formam, quæ esset falsa, nisi destruatur panis.

IV. In quo cōsistat conversio juxta Scotum.

Scotus & sui ac alii docent, Essentiam Conversionis consistere in respectu dictæ successionis, vel transitionis, & quòd non requirit terminum de novo productum, nec aliquam novitatem in termino, nec etiam quod unus terminus ullo modo repugnet alteri &c. Alii aliter, pro cujus rei majori intelligentia

V. Tripliciter accipitur mutatio.

Notandum Primò: Mutationem variè accipi ex ipso Doctore subtili: & Primò 4. d. 11. qu. 1. ac juxta Philosophum 6. Phys. est, qua aliquid aliter se habet, quàm ante, & juxta hanc acceptionem duo ibi requirit Doctor. Primum est subjectum, secundum quod subjectum illud prius sit sub uno opposito, postea sub alio, ideò juxta hanc acceptionem dicit in 2. d. 1. qu. 4. quòd mutatio, nempe positiva, importet tres respectus, unum formæ productæ ad causam producentem, alium ad subjectum, in quo producitur, tertium successionis ejusdem ad oppositum immediatè præcedens.

Secundò accipitur pro transitione ab uno opposito ad aliud oppositum immediatè succedens, vel quod idem est, successionem unius oppositi ad aliud oppositum immediatè præcedens.

Tertiò accipitur pro transitione ab uno ad aliud, sive pro successione unius ad aliud, sive positivum, sive negativum, sive oppositum, sive non.

VI. Quæ sub his tribus acceptionibus continentur.

In primâ acceptione continet multa, quæ non sunt de essentia mutationis, & sumitur valdè strictè, quia non continet sub se annihilationem, crea-

creationem, imò nec generationem & corruptionem compositi per se primò, sed tantùm generationem vel corruptionem formæ & transitum inter duas formas. Secundo modo sumitur latiùs, & continet sub se omnes prædictas mutationes, non tamen quamcunque conversionem, quia non illam, qua forma convertitur in proprium subjectum vel è contra unum in aliud non repugnans. Tertio modo sumitur latissimè, & comprehendit has omnes & etiam quascunque conceptibiles.

Nota secundò ex Philosopho 1. Physic. & Scoto 4. d. 11. q. 1. n. 10. quòd mutatio latè accepta nempe tertiò modo sit triplex: Prima est à subjecto in non subjectum, id est, ùt interpretatur Scotus, ibi ab Ente positivo, seu ab esse ad non esse ejusdem, & hæc dicitur mutatio negativa, id est, cujus terminus ad quem est negatio, estque iterum duplex, alia corruptio, alia annihilatio, de quibus infra. Secunda est mutatio à non subjecto ad subjectum, id est, ab esse ad non esse, & dicitur mutatio positiva, nempe cujus terminus ad quem est quid positivum, & dividitur in generationem & creationem. Generatio est ad terminum dependentem à materia illius, scilicet quod constat materia ùt compositum, vel quod inhæret materiæ, ùt forma quæcunque, exceptâ anima rationali.

VII. Mutatio latè accepta triplex est.

Creatio est ad terminum independentem à materia, ùt productio Angeli, vel alterius formæ extra subjectum. Tertia est mutatio à subjecto in subjectum, id est, transitus ab una Entitate reali ad aliam, & dicitur conversio, & sicut duæ præcedentes sunt mutationes simplices, ita hæc est complexa saltem plerumque, quia plerumque includit duas partiales mutationes simplices, unam negativam ab esse ad non esse, alteram positivam, à non esse ad esse, & præter has involvit unum respectum ordinis inter duos terminos positivos, nempe successionem unius termini positivi.

Notandum Tertiò: Respectum ordinis, qui in mutatione semper reperitur esse duplicem, unus est in termino à quo, & explicatur per ly transitio, conversio, transitus; alius in termino ad quem, & dicitur successio, & hæc successio reperitur in omni mutatione simplici, in quâ semper unum oppositum succedit alteri.

VIII. Respectus ordinis in mutatione repertus est duplex.

Notandum Quartò: Unum posse succedere alteri variis modis: Primò, quoad esse: Secundò, quoad locum, nempe quando occupat locum alterius post ipsum: Tertiò, quoad idem subjectum, ut quando una forma succedit alteri in eodem subjecto: Quartò, quando succedit quoad aliquod accidens, quod fit, quando aliquod accidens ante fuit alicujus alterius, sic Christus in Eucharistia succedit Pani, & hæc omnia possunt adhuc dupliciter contingere, Primò: Quòd succedens incipiat de novo habere illud esse, vel aliud secundùm quod succedit, & præcedens desinat habere. Secundò: Quòd habeat illud postquam alterum desiit, sive simul cum ipso ante esse habuerit, sive non. His prænotatis:

IX. Variis modis unum succedere potest alteri.

Dico Primò: *Nec respectus ad agens, nec respectus ad subjectum est de essentia mutationis.* Prima Pars est Scoti 2. d. 1. q. 4. n. 29. Probatur: Quia corruptio juxta omnes est mutatio, sed nullum respectum dicit ad agens, ergò. Probatur minor: Quia respectus ad agens si quis esset, non esset alius, quàm productio vel continuatio positiva, sed in corruptione non est talis, sed potius desitio, ergò.

X. Respectus ad agens non est de essentia mutationis.

Secunda Pars est Scoti ibi & 4. d. 12. q. 4. n. 18. & in reportatis 1. d. 42. ad ultimum, ubi dicit, posse dari motum, & consequenter mutationem sine subjecto. Et probatur Primò: Quia ubi datur transitus à contradictorio in contradictorium, ibi est mutatio, sed datur talis transitus sinè ullo subjecto, ergò & mutatio. Probatur major: Tum illo axiomate: Non potest dari transitus à contradictorio in contradictorium sinè mutatione: Tum, Quia aliàs contradicto-

XI. Nec respectus ad subjectum.

ria possent simul affirmari & negari de eodem. Probatur minor: Quia posset DEUS formam producere extra omne subjectum, sed tunc esset transitus à non esse talis formæ ad ejusdem esse sinè subjecto, ergò.

XII. Aliæ rationes ad idē. Secundò: Quia quando creatur Angelus, fit transitus à non esse ejus ad esse sine subjecto.

Tertiò: In annihilatione etiam fit talis transitus, ergò etiam mutatio. Hinc collige, non requiri essentialiter ad mutationem, quòd subjectum sit prius tempore sub uno opposito, v. g. privatione, & postmodum sub altero, nempe forma; quia si mutatio non dicit essentialiter respectum ad subjectum, ergò nec postulat essentialiter subjectum, & consequenter non præerequirit existens. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas Scoti 2. d. 1. q. 4. n. 30. dicentis: Quòd creatio Angeli non sit mutatio, 4. d. 11. q. 1. dicentis: Quòd transubstantiatio non sit mutatio; & d. 43. q. 5. n. ait: Quòd productio totius, cujus omnes partes simul producuntur, non sit mutatio, & in singulis locis dat hanc rationem, quia non est ibi aliquod subjectum aliter se habens nunc, quàm prius, ergo juxta Scotum respectus ad subjectum, etiam præexistens est de essentiâ mutationis. Respond. Negando conseq. Quia Scotus loquitur non secundùm suam præcisam rationem formalem, ùt patet ex locis à me allegatis, nam ait dari mutationem sinè omni subjecto, sed loquitur secundùm totum, quod viâ naturali concomitanter importat juxta mentem Philosophi, qui putabat neq; DEUM quidem posse producere aliquid de novo sinè materiæ concursu, & consequenter non posse dari mutationem sinè materiâ. Præterea in primo loco loquitur tantùm conditionatè, ideò dicit, quòd locus ille Philosophi, quem pro ratione dat, non debeat exponi positivè, quasi aliter prius, aliter posterius se habuerit, sed negativè, quòd non se habuerit prius sicut modo se habet, & in secundo expresè tenet,

XIII. Scotus in oppositum citatus explicatur.

non solùm transubstantiationem, sed etiam annihilationem & creationem dici mutationes.

XIV. Ratio formalis mutationis ut sic consistit in quodam respectu non strictè reali, qui sit successio unius extremi in aliud.

Dico Secundò: *Ratio formalis mutationis ùt sic consistit in quodam respectu non strictè reali, qui sit transitus ab uno extremo in aliud, vel successio unius extremi in aliud.* Ita colligitur ex Scoto 4. d. 11. q. 1. n. 10. &c. Et probatur Primò: Quia sicut quod movetur est quod aliter se habet nunc quàm prius, ita mutatio est aliter habitio nunc quàm prius, sed hæc aliter habitio nō est aliud quàm ordo successionis, quo unum posteri succedit alteri priori, vel transitio, quo unum transit in aliud, ordo autem talis juxta omnes est Relatio, ergò.

Secundò mutatio negativa definitur ab omnibus, quòd sit transitus ab esse ad non esse ejusdem, positiva verò à non esse ad esse, & conversio ab uno termino positivo in alium, ergò etiam mutatio ùt sic rectè definitur, quòd sit transitus ab uno extremo in aliud, sed talis transitus est respectus, quia non potest concipi sinè ordine unius ad aliud; quòd autem non sit strictè realis, patet, quia non habet extrema realia. Sed in contra

Dices: Ratio formalis mutationis non consistit præcisè in respectu transitionis ab uno ad aliud, quia hoc videtur contra Scotum supra, nec in respectu successionis, quia non definitur, quòd sit successio unius, sed quòd sit transitio unius, &c. nec in utroque simul, quia nulla res includit simul opposita. Respond. Consistere in transitione, cum id, quod mutatur transeat, nec aliud succedat, connotare tamen successionem tanquam correlationem, & hinc Scotus dixit, quòd sit successio.

XV. Instantiæ cuidam respondetur.

Dico Tertiò: *Ratio formalis mutationis simplicis consistit in respectu transitionis vel successionis inter duo extrema privativè vel contradictoriè opposita.* Patet ex præcedenti consistere in prædicto respectu; quod etiam in eo qui fit inter duo extrema. Probatur: Tum, Quia simpræci-

XVI. Ratio formalis mutationis simplicis consistit in respectu transitionis vel successionis inter duo extrema

privativè, vel contradictoriè opposita. plex mutatio, per hoc distinguitur præcisè â complexa, ùt mox dicam: Tum, Quia competit omni simplici, sive sit negativa, sive positiva.

Dices: Conversio cùm sit mutatio, includit duas mutationes seu transitus partiales, unum ab esse ad non esse, alterum â non esse ad esse, ergò non includit aliquem alium transitum præter hos, sed transitus ab uno positivo est neuter horum, ergò hunc includit. Respond. Negando

XVII. Instantiæ satisfit. consequentiam primam, Quia licèt hos includat, potest & alium includere: Deinde non includit semper transitum â non esse ad esse, saltem reale, ùt statim dicetur.

XVIII. Conversio est essentialiter mutatio. Dico Quartò: *Conversio, præter rationem mutationis simplicis, includit respectum transitionis formaliter, vel successionis inter duo extrema realia positiva, & consequenter est essentialiter mutatio.* Hæc colligitur ex Doctore supra. Et prima Pars patet ex ipsa Definitione: Tum, Quia per hunc respectum distinguitur â mutatione simplici. Secunda Pars sequitur ex prima: Tum, Quia talis transitus includit rationem formalem mutationis, ùt patet ex Conclusione secunda: Tum, Quia præterea conversio involvit aliquam mutationem simplicem, maximè ex parte termini, â quo prædicti transitus, &c.

XIX. Ad conversionem requiritur, quòd terminus â quo desinat esse. Dico Quintò: *Ad Conversionem requiritur, quòd terminus â quo desinat esse.* Probatur: Quia cùm conversio alicujus rei dicatur esse transitus ab ipsa re ad aliam, quod dicitur tunc transire est terminus â quo, non enim subjectum aliquod commune, sed terminus â quo non transit in aliud nisi desinendo esse, ergò, &c. Probatur major: Quia si conversio est transitus, ergò quod convertitur est, quod transit in conversionem, sed subjectum commune non convertitur, ergò non est quod transit: Patet etiam minor: Quia quod transit ab uno in aliud, si retineat proprium esse, debet necessariò esse subjectum commune utrique, ergò ut sit terminus â quo, & non subjectum, debet desinere esse.

Dices: Non requiritur, quòd terminus ad quem incipiat esse, ergò nec quòd terminus â quo desinat esse â paritate. Respond. Negando consequentiam: Disparitatis Ratio desumitur ex natura conversionis, quia est transitur termini â quo in aliud, nam sicut terminus â quo est qui convertitus, ita est quod transit, sed quod transit, ut terminus â quo, necessariò debet desinere esse, aliàs non esset terminus, sed ùt subjectum transiret. XX. Instantiæ respondetur.

Dico Sextò: *Non requiritur inceptio vel alia novitas quoad Entitatem realem in termino ad quem, sed benè requiritur, ut talis novitas, vel quod terminus habeat esse suum novo modo conservatum â convertente.* Prima Pars est Scoti hic d. 10. q. 1. n. 6. & 8. quem sequùtur Lichetus, Partaretus, Mastrius & alii Scotistæ, ac Gabriel, Vasquez. Probatur prima Pars: Quia Corpus Christi secundùm idem esse reale existentiæ, quod antea habuit, non verò secundùm præsentiam vel aliam Entitatem de novo acceptam est terminus ad quem transitionis, ergò non requiritur nova inceptio vel alia novitas in termino ad quem. XXI. Ad conversionem nõ requiritur novitas quoad entitatem realem in termino ad quem.

Secundò: Si Christus simùl cum Pane esset sub speciebus Panis, posset tamen postea Panis in ipsum sic præsentem converti, sed tunc nulla esset in Christo inceptio vel novitas quoad Entitatem realem, ergò. Minor patet ex se; Probatur major: Quia Christus tunc posset dare eandem efficaciam verbis, quam habeat nunc: ergò sicut nunc possunt convertere, ita & tunc: Tum, Quia terminus formalis & præcisus conversionis substantialis est ipsum esse substantiale substantiæ sic transeuntis.

Probatur Tertiò: Tum, Quia in nutritione & augmentatione verè alimentum convertitur in substantiam aliti, sed anima non fit de novo secundùm substantiam, sed tantùm novæ unitur materiæ, ergò: Tum, Quia si DEUS produceret colorem extra subjectum, eúmque conservaret hoc XXII. Alia Ratio ad idem.

ret hoc anno, altero anno uniret in pariete, v.g. *nigro*, expellendo nigredinem, color niger verè converteretur in colorem album, v.g. absque eo, quòd terminus ad quem novum esse reale acciperet, ergò.

XXIII. Ad conversionem requiritur, quòd realis novitas, vel terminus habeat esse suum novo modo conservatum à convertente.

Probatur Secunda Pars: Quia si nec aliqua novitas realis, puta quoad produci, &c. nec aliquis novus modus conservandi requiritur in termino conversionis, sequitur Primò, quòd nuda corruptio vel annihilatio rei sit conversio, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur major: Si nil prorsus requiritur ex parte termini ad quem conversionis, nisi quòd existat post terminum â quo, ergò sola desitio termini â quo manente aliqua alia re post ipsum adhuc sufficit ad conversionem. Secundò sequeretur, quòd eadem numero res semel corrupta vel annihilata simul convertatur in mille alias res, imò in tot, quot post ejus desitionem existunt. Probatur antecedens, ùt antè, quia si in termino ad quem nec novitas, nec novo modo conservari â convertente requiritur, ergò sufficit, quòd solùm existat post desitionem alterius.

XXIV. Ad conversionem non requiritur solùm quòd convertens ordinet desitionem in aliam tanquem in terminum.

Dices: Requiri solùm, quòd convertens ordinet illam desitionem in aliam, tanquam in terminum, ergò. Contra. Ordinatio agentis, quæ nihil prorsus immutat circa terminum ipsum, ad quem, non potest ex non termino facere terminum, ergò si terminus ablatâ illâ ordinatione non esset terminus, & ipsa nihil immutat circa ipsum, sequitur, quòd nec per ipsam fiat terminus. Probatur antecedens: Quia aliàs possem ego meum unicum terminum convertere simul in omnes res mundi, quia possem ejus desitionem ordinare tanquam in terminos. Tertiò sequeretur, quòd Panis in Eucharistia convertatur in propria accidentia, quia habent esse post ipsum; & aliud nihil requiritur. Sed ex hinc contra primam partem

Arguitur: Si non requiritur aliqua novitas in termino ad quem, ergò omnia, quæ corrumpuntur, mutantur in solem. Probatur conseq. Quia non est ratio, cur potius in alia converterentur, cùm nulla requiratur novitas in eo, in quod fit conversio. Respond. Negando conseq. ejusque probationem: Quia licèt non requiratur novitas quoad Entitatem realem, requiritur saltem novitas conservandi terminum ad quem â convertente, imò novitas quoad aliquid modi relativi, nam terminus talis non succedit antè, modò succedit, nunc dependet dependentia morali ab hac causa, antè non, v.g. Corpus Christi â forma vel speciebus, esto fuisse ibi ante Consecrationem.

XXV. Requiritur saltem novitas conservandi terminum ad quem à convertente.

Instatur: Supponatur, quòd res, v.g. unus saltem Angelus antè conservabatur â DEO, nunc conservetur & in æternum conservabitur, ergò DEUS non potest nunc aliquid aliud in talem convertere, sinè saltem aliqua novitate reali quoad accidentia, locum, vel aliud. Probatur consequentia: Quia non potest concipi, quo novo modo talis res conservetur, quia aliàs seclusâ omni aliâ conservatione ab eodem agente, conservaretur. Respond. Negando consequentiam ejusq; probationem: Quia potest DEUS talem rem aliàs semper conservandam conservare per hanc vel illam causam creatam maximè moralem, imò sæpè physicam, v.g. potest per verba Consecrationis vel alia prolata in cœlo, imò per aliquod signum sensibile quodcunq, conservare Corpus suum ibi, sinè ulla mutatione ejus.

XXVI. Instantia respondetur.

XXVII. Terminus ad quem conversionis debet esse causa desitionis termini à quo.

Dico Septimò: *Terminus ad quem conversionis debet esse causa desitionis termini â quo, non requiritur tamen, quod ex vera repugnantia, sed sufficit, quòd ex sola intentione convertentis sit causa desitionis, ordinando nempe desitionem alterius ad ipsius productionem, vel conservationem modo dicto supra.* Prima Pars est communis, & insinuatur â Doctore Quodl. 10. Patétque ex dictis: Tum, Quia nisi requiratur, non potest ratio dari, cur species Panis non sit terminus ejus conversionis: Tum, Quia generaliter

liter non est ratio, cur conversum potius in hanc rem vel in aliam convertatur, nisi quia hæc & non alia est causa desitionis ejus.

XXVIII. Non requiritur, quod ex verâ repugnantiâ terminus ad quem, fit causa desitionis termini à quo.

Secunda Pars est contra Suarez. Tertia contra Vasquem, & utraque Probatur, quia nulla est formalis repugnantia inter panem & Corpus Christi, sed esse Corporis Christi est causa desitionis panis. ergò non ex naturali repugnantia, ergò tantùm ex intentione agentis. Probatur major. quæcunque formaliter repugnant, debent esse talia, ut unum non potest naturaliter saltem succedere alteri, nisi ipsum destruendo, sed nulla duo corpora ita repugnant, quia quando unum corpus succedit alteri, non destruit ipsum, sed tantùm de loco pellit. Sed ut hæc clarior evadat: sit

QUÆSTIO SECUNDA.

An quodlibet possit converti in quodlibet?

I. Conversionis variæ divisiones.

NOtandum Primò, Conversionem variè subdividi Primò in substantialem, cujus terminus ad quem est substantia, & Accidentalem, cujus terminus ad quem est Accidens. Secundò in Formalem & Materialem. Formalis est, in qua fit successio formarum in eadem Materia & subjecto. Materialis, in qua successio est diversorum subjectorum sub eadem forma. Tertiò in Partialem & Totalem. Partialis dicitur, in qua unum totum transit in aliud manente una ejus parte. Totalis, qua totum ejus transit nullâ parte remanente.

II. Totum dicitur converti dupliciter.

Notandum Secundò, quòd totum dicitur converti dupliciter, Primò Cathegorematicè, quando ipsum totum per se Primò transit in aliud, manente tamen ejus aliqua parte: Secundò, Cathegorematicè & Syncathegorematicè simul, ut quando totaliter seu secundum suam totam substantiam & Entitatem transit, ita ut nulla ejus pars remaneat, & licèt Conversio primo modo sit totalis & tota, non dicitur tamen totalis, benè tamen secundo modo. His prænotatis

Prima Sententia ait, nullam substantiam posse converti in aliam, nisi aliqua ejus pars remaneat, ita Durandus, qui propter hoc graviter censuratur. III. Sententiâ Durandi.

Secunda nil asserens de conversione accidentali vel totali, tenet nullam substantiam posse converti totaliter in aliam, nisi habeat accidentia sensibilia intrinseca, sub quibus alia succedat, neq; etiam de potentia absoluta posse Deum sic convertere, nisi per aliquam verborum formam constantem pronomine demonstrativò *hoc, hic, istud, illud*, ut fit in formis consecrationis. Fundamentũ hujus est, quia debet esse aliqua oppositio inter terminos conversionis, inter duas autem substantias nulla est oppositio ex natura rei, nec potest esse ex voluntate Dei, ergò solùm erit ex veritate verborum, ex hac autẽ non potest esse, nisi utamur pronominibus, sicut in forma consecrationis, illa autem Pronomina non possunt verè enuntiari, nisi substantia convertendâ habeat accidentia sensibilia intrinseca, sub quibus fiat demonstratio. Ita Vasquez hic disp. 18. cap. 2. IV. Sententiâ Vasquez.

Tertia sententia dicit, nullam rem posse converti in aliam, nisi cum his conditionibus: Prima, ut termini aliquo modo inter se repugnent, ita quòd esse unius, sit causa desitionis alterius. Secunda, quòd remaneat aliquid commune utrique. Tertia ut res una succedat in locum alterius, quæ desinit, ita Suarez. disp. 50. cap. 7. V. Sententiâ Suarez.

Quarta sententia dicit, non posse rem converti in aliam, nisi vel idem locus vel accidens maneat commune utrique. Ita Gabriel, Occham &c. VI. Sententia Gabriel, Ocham &c.

Quinta, quodlibet creatum posse converti in quodlibet non tamen in DEUM. Ita D. Thomas, Scotus & utraque Schola eorum, quibus subscribam, prius tamen alias impugnare oportet, & maximè Vasquez, qui cap. 5. dicit, suam sententiam nullâ ratione impugnari posse, in qua VII. Sententia D. Thomæ & Scoti.

qua tamen quinque propositiones falsæ afferuntur, quas quinq; proximis conclusionibus impugnabo, &

VIII. Potest aliqua substantia converti in aliam totaliter, quæ non habet accidentia similia, sub quibus illa alia constituitur.

Dico Primò: *Sustineri non potest, nullam substantiam posse converti in aliam totaliter, nisi quæ habeat accidentia similia sibi inhærentia, sub quibus illa alia constituatur.* Item Doctor Subtilis &c. Contra Vasquez. Probatur Primò, Deus potest unum Angelum in alium vel in corpus convertere, sed Angelus non habet accidentia similia. ergo.

Respondet Vasquez, Negando majorem, & rationem dat, quia non potest sic convertere, nisi per formam Pronominis demonstrativi, sed forma non potest demonstrare Angelum sub accidentibus alterius. ergo. Probatur minor. Quia accidentia, per quæ demonstratur, debent esse notiora ei, cui fit demonstratio, quàm substantia sub eis existens, sed accidentia unius Angeli non possunt esse notiora, quàm alterius Angeli. ergo. Sed contra Primò præterquam quod Major hujus rationis sit falsa, ùt patebit ex conclusione secunda, & supponat unum aliud falsum scilicet non posse conversionem fieri sinè accidente communi remanente, ùt

IX. Potest demonstrari aliquid per ly *hoc*, etsi accidentia, sub quibus demõstratur, non sint notiora re demõstrata,

patebit ex conclusione sexta. Præterquam quòd ista falsa supponat, fictitium & falsum est, non posse demonstrari aliquid per ly hoc, nisi accidentia, sub quibus res demonstratur, sint notiora re demonstratâ. Primò, quia accidentia panis non sunt notiora Christo, quàm corpus suum, & tamen potest verè dicere: *Hoc est Corpus meum*, esto nullus alius sit præsens, cui fiat hæc demonstratio. Secundò sequitur, quòd DEUS Pater non potest verè dicere de CHRISTO: *Hic est Filius meus*, saltem si nullus alius adsit, cui fiat demonstratio, nam accidentia CHRISTI non sunt Patri notiora, quàm substantia ejus, vel saltem ob hanc rationem nullus posset dicere ad DEUM Patrem: hic est Filius tuus, qui pro me mortuus est, quia accidentia non sunt ei notiora, quàm substantia. Sed dicat Vasquez, ubi scriptum sit, quòd demonstratio debeat fieri alteri distincto à demonstrante.

X. Accidentia possunt esse notiora alicui, quã substantia alterius?

Ideò Contra Secundò: Falsum est, quòd accidentia non possunt esse ulli notiora quàm substantia alterius, quia DEUS potest Angelum v. g. Gabrielem cum suis accidentibus notificare uni Creato, vel dæmoni & Raphaëlem eidem non notificari & tunc per hanc formam hic est Raphael potest destruere Gabrielem, & Raphaelem ponere sub ejus accidentibus. ergo.

XI. Nec accidens sensibile, nec ordo ad tale est de essentia conversionis etiam substantialis.

Sed probatur Conclusio Secundò: Neque accidens sensibile, neque ordo ad tale est de essentia conversionis etiam substantialis, ergò conversio potest fieri secluso omni tali. Probatur consequentia, quia potest fieri omni eo secluso, quod non est de Essentia ejus, maximè si non sit causa efficiens, vel materialis ejus: Probatur antecedens. Quia lignum potest converti in ignem nullo accidente sensibili, remanente sicut & ignis in cineres.

Dices: Id quidem non requiri ad conversionem substantialem partialem & accidentalem, quia in tali reperitur materia communis, benè tamen ad totalem, quia ad omnem requiritur aliquid commune, in hac aliud non reperitur quàm accidentia, ergò debent manere. Sed Contra

XII. Et totalis.

Primò: Potest reperiri locus communis, ergò aliud. Secundò nil requiritur essentialiter etiam ad totalem, nisi quod tenet se ex parte vel termini à quo, vel termini ad quem, vel transitus inter utrumque, sed tale ex parte nullius se horum tenet. ergo. Probatur major, Primò: Quia conversio substantialis definitur, quod sit transitus ab una substantia in aliam, ergò ad ipsam nil essentiale requiritur, nisi quod tenet se vel ex parte termini à quo, vel ad quem trãsitûs, maximè cùm Vasquez ipse dicat, conversionem consistere in relatione ordinis inter duas substantias, quarum una desinit, altera succedit, sed talis relatio nullum dicit ordinem ad accidens

cidens commune. Probatur etiam minor: ex parte termini à quo nil requiritur, nisi quòd sit substantia & totaliter desinat, & ex parte termini ad quem nihil nisi quòd sit substantia, & de novo incipiat, vel de novo ponatur ibi & conservetur à convertente, nec ex parte ipsius transitûs requiritur accidens commune: Tum, Quia transitus nil est aliud, quàm relatio ordinis inter prius & posterius, ut ipse admittit.

XIII. Instantia Vasquez refutatur. Respondet Vasquez, non requiri quidem ex parte transitus, sed ex parte talis transitus. Sed Contra. Taleitas seu specificatio transitûs desumitur tantùm ab Extremis ejus, ergò quòd non requiritur ex parte extremorum, non requiritur ex parte talis transitûs. Et tandem assero, mihi videri incredibile & ridiculum, DEUM non posse convertere panem in Corpus Christi, nisi maneant accidentia panis.

XIV. DEUS potest de potentia absoluta substantiam in aliam convertere sine forma constante pronomine demonstrativo. Dico Secundò: *Malè dicitur, non posse DEUM de potentia absoluta ullam substantiam in aliam ex toto convertere, nisi per verborum formam constantem pronomine demonstrativo.* In re est communis contra Vasquez. Probatur, quidquid DEUS potest facere cum causa secunda, potest facere se solo, si saltem illa causa non recipit in se suum effectum realiter & dependenter (quod addo, nè fiat instantia de subjecto respectu relationis in ipso fundatæ) sed cum concursu formæ constantis pronomine potest facere conversionem substantialem, & illa non recipit in se hanc conversionem, ergò & se solo. Probatur major, quia potest supplere causalitatem cujuscunque causæ efficientis, si non sit essentiale subjectum, & si causa non sit de essentia effectus, sed &c. ergo.

XV. Aliæ probationes ad idem. Probatur Secundò secundùm Vasquez suprà ly *hoc* in forma consecrationis, significat Corpus Christi vel rem præsentem facta prolatione verborum, ergò conversio potest fieri per aliam formam, in qua sit æquivalens ipsius significatio, v. g. per hanc vel similem *Corpus vel res præsens est corpus meum, contentum sub his speciebus est corpus meum.*

Probatur Tertiò: Potest Deus convertere per hanc formam. Hic est Corpus meum, quia sicut ly hoc significat Corpus Christi esse præsens sub speciebus, & desinere substantiam panis, ita ly hic significat corpus Christi esse in hoc loco, & desinere substantiam panis ibi, quia non magis repugnat duo corpora esse sub iisdem accidentibus, quàm esse simul in eodem loco.

Probatur Quartò: Quia videtur temerarium dicere, quòd DEUS per hanc formam: *Panis convertatur in corpus meum*, non posset efficere transubstantiationem, sed hæc non constat pronomine demonstrativo. ergò. Probatur major: Tum, Quia sic DEUS, Gen. 1. convertit partem Cœli in luminaria magna; Dixit DEUS: fiant luminaria in firmamento Cœli, & factum est ita, ubi pars Cœli desinere debuit & converti in solem & lunam: Tum, Quia hæc forma meliùs exprimit transubstantiationem, quàm forma ordinaria, ùt de se patet: Tum denique, Quia Vasquez disp. 205. fatetur, hanc esse formam sufficientem: *Ecce Corpus meum.* Sed XVI. Alia adhuc ratio ad idem.

Dices: Inter extrema conversionis debet esse oppositio, sed inter duas substantias nulla est oppositio ex natura rei, nec DEUS aliò modo vel medio potest efficere oppositionem inter eas, nisi per formam talem. ergo. Probatur minor. Quia sola voluntas nequit esse causa, nisi illas res, quæ antea inter se non repugnabant & modò repugnent, non potest autem cogitari, qualis sit mutatio, quæ hoc præstet. Ergo. Respondeo, Negando minorem & probationis major: Quia inter hæc extrema non est alia repugnantia, quàm quod esse termini ad quem sit causa desitionis termini à quo, hanc autem potest DEUS creare solo Decreto, quo vellet unum destruere in ordine ad aliud in ejus loco, vel sub ejus accidentibus ponendum vel con- XVII. Quæ oppositio sufficiat inter duas substantias.

conservandum, quia si potest hoc DEUS per formam ordinariam facere, ergò etiam sine ipsa.

XVIII. Veritas formæ non efficit repugnantiam inter terminos conversionis, quæ ex natura rei ibi non erat.

Dico Tertiò: *Non benè dicitur Veritatem formæ efficere repugnantiam inter terminos conversionis, quæ ex natura rei ibi non erat.* Probatur Primò, Veritas formæ est naturâ posterior ipsâ conversione, ergò conversionem non efficit, ergò nec repugnantiam inter terminos: antecedens & prima consequentia patent ex dictis, secunda verò consequentia probatur: Vel repugnantia terminorum prærequiritur ad conversionem, vel saltem ipsam concomitatur, ergò est prior ipsa veritate, sicut & ipsa conversio; Secundò veritas si est causa non aliter causare potest repugnantiam dictam, nisi causa efficiens, sed causa efficiens non potest efficere repugnantiam inter terminos, inter quos nulla est repugnantia ex natura rei, sed inter panem & Corpus Christi nulla est repugnantia. ergo. Sed pro Vasquez.

Dices: Per repugnantiam hic non intelligi propriè dictam, sed necessariam connexionem inter esse termini ad quem, & non esse termini à quo, ita ut esse illius sit causa desitionis hujus, hanc autem efficit forma, quia forma non esset vera, nisi panis desineret, & Corpus Christi inciperet esse ibi. Sed Contra Forma posset esse vera, licèt panis esset cum Corpore Christi, sicut modò est vera, licèt sint cum Corpore Christi accidentia panis. Deindè saltem ad veritatem formæ non requiritur absoluta desitio panis, sed ad summum, quòd desinat esse sub speciebus, ergò ad veritatem ejus non requiritur, quòd sit aliqua connexio inter Corpus Christi & desitionem panis absolutam & omnimodam. Hinc

XIX. Instantia Vasquez impugnatur.

XX. Repugnantia si quæ est inter terminos conversionis potest aliter effici, quàm per formam constantè pronomine demonstrativo.

Dico Quartò: *Malè quoque asseritur, repugnantiam, si quæ est inter terminos à quo, ad quem non posse aliter effici, quàm per formam constantem pronomine demonstrativo.* Probatur, Quia ut ipse Vasquez fatetur, hic non est alia repugnantia, quàm connexio inter esse termini ad quem, & non esse termini à quo, sed hoc potest efficaciùs fieri per solum Decretum DEI, quàm per talem formam. ergo. Probatur minor: Quia potest stare veritas sine desitione termini à quo; Deindè ex nudo Decreto DEI statuentis unam substantiam totaliter destruere in ordine ad aliam substantiam in loco vel speciebus ponendam, sequitur infallibiliter desitio illius & esse hujus, & præterea quòd esse hujus sit causa desitionis, & per consequens dictæ conversionis, sed DEUS potest tale Decretum ponere sinè forma. ergò.

XXI. Per formā constātem pronomine demōstrativo potest substantia converti in aliam nō habentem accidentia sensibilia.

Dico Quintò: *Falsè quoque asseritur per formam constantem Pronomine demonstrativo, nullam posse substantiam converti in aliam, nisi habentem accidentia sensibilia sibi inhærentia.* Probatur, quia ly *hoc* non tàm significat rem sensibilem, quàm insensibilem, nempe Corpus Christi, ùt dictum est supra. ergò non potest magis verè enuntiari de contento sub accidente sensibili quàm insensibili. Antecedens patet, consequentia etiam est clara, quia perindè videtur esse ad demonstrationem, qualia sint accidentia. Hinc

XXII. Non requiritur ad cōversionem, quòd maneat accidens commune utrique termino, vel quòd unū succedat in locum alterius.

Dico Sextò: *Non requiritur ad conversionem illam, quòd maneat ullum accidens commune utrique termino, vel etiam quòd unum succedat in locum alterius.* Utraque pars & maximè prima probatur, quia neque accidens, neque locus, neque respectus ad alterutrum est de essentia conversionis, ut dictum est in prima conclusione. ergò. Secunda pars probatur ulterius Primò: Si ponatur Corpus Christi simul cum pane sub speciebus potest virtute formæ ordinariæ tunc panis in Christi Corpus converti, sed tunc non succedit Corpus Christi in locum panis. ergo. Probatur major: Quia forma tunc prolata est æquè efficax, & tamē non significat ullam adductionem corporis ad locum, sed tantùm ejus præsentiam: Secundò, Quia posset Deus convertere lignum in ignem utro-

que

que existente in spatio imaginario. Sed in contra

Arguitur Terminus ad quem conversionis debet succedere termino à quo, sed non potest succedere, nisi alio remanente, ergo. Probatur minor. quia nullus erit ordo vel connexio inter duas mutationes, quæ in conversione requiruntur, nisi remaneat aliquid commune, quia unius desitio non sequeretur ex positione alterius.

XXIII. Commune remanens est impertinens ad conversionem.

Respond. negando min. ad probationem neg. antecedent ejúsq; probationem, quia illud commune est planè impertinens ad rationem formalem conversionis, non enim potest dici ad quid aliud deserviat, nisi ad ponendam connexionem inter esse termini ad quem & desitionem termini à quo. DEus autem per solum suum decretum potest hoc efficere, ergo.

Dices: Quod succedit alteri, debet ipsi in aliquo succedere, sed non in alio, quàm in eo, quòd erat alterius antè, ergò in aliquo communi remanente. Respond. Negando minorem: Si intelligatur de aliquo eodem numero, nam sufficit, quod succedat alteri quoad esse, tamen illud esse non est idem cum esse alterius, ergò.

XXIV. Deus nequit converti in creaturam, nec è contra.

Dico Septimò: *DEUS non potest converti in creaturam, nec contra.* Ita Doctor Subtil. hìc d. 11. q. 2. n. 9. & D. Thomas cum suis Scholis. Probatur: Quia nil potest esse terminus à quo vel ad quem coversionis, nisi cujus esse vel non esse totaliter subest potestati convertentis, nil autem intrinsecum DEO subest potestati etiam Divinæ, quia potestas DEI respicit solum possibile, quidquid autem est intrinsecum DEO est necesse esse, ergò vel sic nihil potest esse terminus à quo, nisi quod potest destrui, nihil etiam terminus ad quem, nisi quod potest produci vel conservari à producente, neutrum autem horum potest competere DEO, ergò nec esse termino à quo vel ad quem. Patet minor: Tum etiam, quia conservatio dicit dependentiam ab alio.

XXV. Quodlibet ens creatum potest converti in quodlibet ens creatum realiter distinctum, quod à converso necessariò non dependet.

Dico Octavo: *Quodlibet Ens creatum potest converti in quodlibet Ens creatum realiter distinctum, quod à converso necessariò non dependet.* Ita Doctor Subtil. D. Thomas; & probatur: Quia quodlibet tale est in potestate DEI, quantum ad totale esse vel non totale esse, ergò. Deindè & in idem ferè incidit, DEUS potest quodlibet Ens creatum destruere in ordine ad conservandum vel producendum quodlibet aliud etiam dependens necessariò etiam à priori, sed ad conversionem nihil aliud requiritur quàm hoc, ergò. Sed in contra

Arguitur: Nec una nec aliæ partes possunt converti in totum ex iis resultans, & nec fundamentum nec terminus possunt converti in Relationem, ergò. Respond. Negando consequentiam: Quia totum à singulis partibus, & Relatio ab extremis dependet necessariò. Conclusio autem & Scotus licèt absolutè videatur loqui alicubi tantùm vult quodlibet posse in aliud non dependens ab ipso converti. Sed

XXVI. Partes nequeunt converti in totum nec extrema in Relationem.

Instatur: Una Relatio non potest converti in suam correlationem, sed non dependet à sua correlatione, ergò. Probatur minor: Quia non potest assignari in quo genere causæ ab ea dependeret, ergo. Responderi fortè posset negando minorem, & dicendo, quòd sit specialis & propria passio cujuscunque Relationis coexigere aliam oppositam.

QUÆSTIO TERTIA.

An Corpus Christi potuerit fieri præsens per actionem adductivam aliquam sine conversione Panis, seu an possit esse simul cum ipso Pane?

SUppono Primò: Defactò realiter & verè & non mysticè Corpus Christi contineri sub speciebus Panis, ùt probatum est in Quæst. I. Disp. præteritæ.

I. Post consecrationem nihil remanet de substantia panis & vini.

Suppono Secundò: Contra Berengarium primum Authorem, Calvinum, Lutheranos, &c. Panem destrui, & nil de substantia Panis & Vini post Consecratione remanere, & hinc Lutherani, qui contra Calvinianos asserunt, esse ibi Corpus Christi saltem in sumptione una cum substantia Panis, Impanatores dicti sunt. Nil autem remanere de substantia Panis, definitum est in Concil. Lateran. sub Innocentio III. anno 1139. & refertur in cap. Firmiter de Sanctissima Trinit. in Concil. Rom. 1413. contra Wikleff. Constantien. Florent. & Trident. Sess. 13. Can. 4. Probatur etiam ex Authoritate Patrum, Cypriani Serm. de Cœna Domini dicentis: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi factus est caro*, ergo panis est mutatus quoad naturam seu substantiam. Ambrosii de Sacramentis, & habetur de Consecrat. dist. 2. c. 55. *Panis est in altari, ubi accessit consecratio, de pane fit Corpus Christi.* Chrysostomi, August. Cyrilli, Tertulliani, Bedæ, &c. qui omnes hoc colligunt ex verbis Christi dicentis: *Hoc est Corpus meum*, non quidem quòd hæc verba necessariò essent falsa, si panis maneret, ùt mox dicam, sed quia Christi verba non possent habere sensum magis convenientem, quàm si solùm maneat ibi Corpus Christi, seu quòd totum contentum sub speciebus sit corpus Christi.

II. Authoritates Patrum ad idem.

III. Quis sensus quæstionis.

His ergo suppositis, quia ùt ex dictis constat conversio duo involvit, nempe destructionem panis, secundò successionem corporis Christi, ideò quæritur hìc: an ita necessariò substantia panis per consecrationem destruatur, ut non possit manere ullatenus corpus Christi cum ipsa?

IV. Sententia D. Thomæ &c.

Prima sententia est de potentia absoluta Corpus Christi non posse poni sub accidentibus panis, nisi vel per motum mutet locum, quem antea habuit in Cœlo, vel panis in ipsum convertatur, ità D. Thomas 3. p. q. 75. à 2. Capreolus, Ferrariensis, D. Bonavent. hìc.

Secunda, Corpus Christi posse poni simul cum pane sub speciebus, etiam non mutando locum ullum, quem antea habuit. Ita Doctor subtil. 4. d. 11. q. 1. Vasquez, Suarez &c. ad quæstionem resolutivè. V.

V. Sententia Scoti Suarez &c.

Dico: *Posset Corpus Christi manens in Cœlo de potentia absoluta poni simul cum pane sub speciebus panis præsens.* Ità Doctor supra. Probatur Primò: duo corpora possunt esse modo divisibili & quantitativo in eodem loco, v. g. panis & lapis, etiam posito, quòd unum ex eis replicatum maneat in alio loco, ergo etiam Corpus Christi & panis simul sub speciebus, & si Corpus Christi adhuc maneat in Cœlo: Probatur antecedens, quia juxta omnes duo corpora, quorum neutrum est replicatum, possunt esse quantitativè in eodem loco, ergo & duo, quorum unum est replicatum, quia replicatio non impedit penetrationem: Probatur etiam consequentia, quia quod est divisibiliter & sub modo quantitativo in loco, magis excludit aliud tale ab eodem loco, quàm aliud, quod non est sub modo quantitativo, corpus autem Christi est tale, ergo si non repugnat, panem esse cum alio quanto extensivè in loco, ita nec cum corpore Christi.

VI. Posset corpus Christi manens in cœlo de potentia absoluta poni simul cum pane sub speciebus.

Probatur Secundò: Corpus Christi potest esse in cœlo & simul sub speciebus destructo pane, quia de facto sic fit, ergo etiam manente pane sub iisdem Consequentia Probatur, quia præsentia panis ad species non repugnat cum præsentia Christi in Cœlo, ùt per se notum est, nec cum præsentia Christi ad species, quia posset corpus Christi primò produci sub speciebus, manente pane sub iisdem, vel simul poni sub illis relicto loco, quem habet in Cœlo, ùt ipsi admittunt.

VII. Probatio alia ejusdem.

Probatur Conclusio Tertiò, non repugnat has tres præsentias esse simul, nempe præsentiam panis ad species & Corporis Christi ad easdem

VIII. Item alia ratio.

dem & Corporis Christi ad locum, quem habet in Cœlo, ergo non repugnat manente corpore in Cœlo ipsum simul cum pane esse sub speciebus. Consequentia est evidens, quia inter substantias panis & corporis nulla est repugnantia quoad esse, ergo si quæ repugnantia est in proposito, erit quoad illas præsentias: antecedens Probatur, quia non repugnat quæcunque tria esse simul, quorum nulla duo repugnant esse simul, sed nulla duo repugnant ex tribus his esse simul, ergo. antecedens probatur. quia in primis non repugnat præsentiam panis ad species & præsentiam Corporis Christi ad locum quem habet coëxistere simul, quia ante conversionem coëxistebant: nec præsentiam Christi ad species & præsentiam ejusdem in Cœlo, quia defactò coëxistunt: nec etiam repugnat præsentiam panis ad species, & præsentiam Christi ad easdem esse simul. Primò, quia duo corpora possunt esse simul præsentia eidem loco. Secundò: Angelus potest esse in eodem loco, licèt sub modo indivisibili cum corpore, ergò & Corpus Christi, cùm sub modo indivisibili sit in Eucharistia. Tertiò: Quia ipsi Adversarii admittunt, quòd Corpus Christi posset esse simùl cum Pane sub speciebus, si mutaret locum, quem habet in cœlo, ergò absolutè non repugnant hæc, imò nec posita præsentia Christi in cœlo repugnant, quia hæc non potest efficere, ut duæ præsentiæ ex natura sua repugnantes inter se postea repugnent, si ipsa neutri repugnet, sed neutri ex prædictis repugnat, ùt probatum est, ergò.

IX. *Alia adhuc probatio à paritate quantitatis.* Tandem quantitas Panis est simul cum quantitate Corporis Christi, manente quantitate eadem Christi in cœlo, ergò & substantia Christi cum substantia Panis manente substantia eadem in cœlo. Probatur consequentia: Quia omnis incompossibilitas corporum plurium ad eundem locum oritur ex ratione quantitatis, quia per ipsam excluditur aliud corpus à loco ejus. Sed in contra

Arguitur Primò: Si Corpus Christi manens in loco, quem habet in cœlo, posset habere præsentiam Sacramentalem ad species manente Pane, aut illam habet ratione propriæ substantiæ, aut ratione propriæ quantitatis, aut ratione utriusque simul; sed primum dici non potest, quia nuda substantia non potest fundare ullam præsentiam, quia non potest habere contactum sinè quantitate, ergò nec præsentiam: Nec etiam secundum vel tertium, quia ratione quantitatis non potest esse indivisibilis, sed tantùm conscriptivè in loco. Respond. Negando, quòd primum dici nequeat, ad probationem Respond. Negando antecedens ejusque probationem: Sicut enim defactò Angelus est præsens alteri, imò ipsa substantia quantitati, ita & substantia ablata quantitate posset esse præsens alteri, illúdque contingere. Deinde etiam nego secundum & tertium dici non posse, quia sicut modò quantitas Christi non est circumscriptivè, sed indivisibiliter sub speciebus, ita & substantia ratione ejus. X. *Substantia quantitate ablata potest esse præsens alteri.*

Arguitur Secundò: Non potest res esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem vel conversionem alterius in ipsam, sed Corpus Christi manens in cœlo, non potest fieri præsens speciebus per loci mutationem, ergò per conversionem. Probatur minor: Quia ut aliquid sit præsens per loci mutationem, ubi antè non erat, debet amittere locum, quem prius habebat, ergò. Respond. Negando majorem: Potest enim res de novo producta esse, ubi antè non erat, sinè loci mutatione, imò anima in nutritione habet præsentiam novam ad carnem, & etiam locum, in quo caro illa est sinè ulla mutatione loci, quia neutrum amittit locum, non tamen sinè mutatione locali, quia novum terminum acquirit sinè deperditione prioris, pro intelligentia hujus rei consule q. 2. disp. præced. XI. *Res de novo producta potest esse ubi antè non erat, sine mutatione loci.*

Instatur: Non potest concipi, quòd res, quæ modò est in cœlo, post XII. *Deus potest rem*

quæ est in parte mundi, ponere de novo in alia, sine transitu per partes mundi.

post unam horam incipiat sub speciebus, nisi transeat per omnia loca intermedia, ergò &c. Respond. Negando anteced. Quia sicut manus Domini potest rem, quæ nusquam antè erat, producere in medio universi, sinè eo, quòd res illa moveatur prius per omnes partes universi, ita similiter potest rem, quæ est in parte mundi, ponere de novo in alia sinè ullo transitu per partes mundi. Pro fine

XIII. Christus non fit præsens per Transubstantiationem formaliter, sed per actionem adductivam.

Nota, Christum non fieri præsentem per Transubstantiationem formaliter, sed per actionem adductivam, quia Transubstantiatio tantùm dicit conversionem unius substantiæ in aliam, habetque terminos absolutos, præsentia est quid relativum Patres proindè & Concilia intelligenda sunt vulgariter, quod nempè Transubstantiationem semper sequatur præsentia.

QUÆSTIO QUARTA.

An stante substantiâ Panis & Vini cum Corpore Christi sub speciebus Panis & Vini forma Consecrationis possit esse vera?

I. Sententia Scoti.

PRima est Sententia, quòd forma, prout defactò à Christo est instituta, non possit esse vera, si Panis maneat, & idem est dicendum de Vino & Sanguine, quia per eam voluit Christus Corpus suum esse præsens, & quidem solum, de rigore tamen sermonis potuisse formam esse veram manente utroq; simul sub speciebus. Ita Scotus 4. d. 11. q. 3. n. 14.

II. Sententia D. Thomæ &c.

Secunda ait: Formem nullo modo etiam de rigore sermonis esse veram, manente Pane vel Vino, quia ly hoc, non demonstrat nisi substantiam propriam accidentium, quæ demonstrantur ad sensum, quamdiu illa manet sub iisdem. Ita cum D. Thoma, Cajetan. Ferrariens. Vasquez, qui opinionem Scoti variè censurat, attamen ad Quæstionem resolutivè

III. Si Panis esset simul cum Corpore Christi, forma ex vi sermonis posset esse vera.

Dico: *Si Panis esset simul cum Corpore Christi sub speciebus, vel Vinum cum Sanguine forma Eucharistiæ, quantum est ex vi sermonis, posset esse vera.* Ita cum Doctore Subtili, Occham, Durandus, Paludanus, &c. Probatur Primò: Ly *hoc*, in forma Consecrationis non tantùm significat individuum substantiæ contentum sub speciebus, sed etiam individuum ipsarum specierum, & quodlibet aliud præsens proferenti, ergò quodlibet tale potest verè prædicari de ly *hoc*, ergò & ly *Corpus Christi*, si esset præsens. Probatur antec. Quia si super eandem Hostiam primò proferatur forma â non habente potestatē vel intentionem, deindè proferatur ab habente utrumque, in prima prolatione ly *Hoc*, denotat Panem, in secunda verò Corpus Christi, & si tertiò proferatur supra sola accidentia Divinitus separata, & non continentia Corpus Christi, vel aliud, tunc ly *hoc* significabit individuum accidentis, quia solum tale est præsens, ergò.

IV. Probatio secunda Conclusionis.

Probatur Conclusio Secundò: Quia homines quando primò instituerunt ly *hoc*, ad significandum tale Individuum, debebant instituere aliquo ex tribus modis excogitabilibꝰ, Primò, quòd solùm & semper significaret substantiam accidentium, per quæ fit demonstratio ad sensum: vel quòd solum propriam significaret, quando esset sub accidentibus, quandò verò non subesset, significaret alienam: quæ locò propriæ subesset eisdem. Vel quòd indifferenter significaret quamcunque substantiam contentam sub iis, sive propriam, sivè alienam. Primum dici non potest, aliàs ly *hoc* nunquam posset significare Corpus Christi in forma, cùm non sit substantia propria specierum. Nec secundum: Tum, Quia qui primò instituerunt hanc vocem, vel alias, non poterant cogitare quòd nunc propria, nunc aliena substantia posset esse sub iisdem accidentibus, ut patet in Hæreticis & Ethnicis, qui putant, id nequaquam fieri posse, ergò non poterant instituere, ut modò hanc, modò aliam significaret: Tum, Quia non poterant scire, quæ substantia esset propria illorum acciden-

cidentium, si ergò nec primum, nec secundum dici potest, manet ergò solùm tertium, quod est intentum, nam si ly *hoc* ex vi suæ primariæ institutionis est indifferens, ut significet hanc vel illam substantiam contentam sub accidentibus præsentibus, ergò significat Corpus Christi, si illis sit præsens, ergò potest Corpus Christi verè prædicari de ly *hoc*, si sit præsens.

V. Instantia eliditur. Si dicas: Ly *hoc* non eodem modo significare substantiam propriam & alienam, hanc enim significat ex institutione Divina, propriam ex humana; si inquam dicas, tunc sequitur primò, formam esse falsam ex vigore sermonis, quia tunc ly *hoc* significaret solùm panem vi institutionis humanæ & sermonis: Sequitur secundò, quòd ex institutione Divina forma esset vera, si panis & vinum esset simul, quia esset conformis objecto & significato, quod significet ex institutione Divina.

VI. Probatio tertia conclusionis. Probatur Conclusio Tertiò: Quando adsunt plures hostiæ simùl, esto ly *hoc* significat æqualiter contentum sub speciebus unius ac cujuslibet alterius ex eis, tamen Sacerdos per ly *hoc* potest demonstrare & significare contentum sub speciebus unius solius ex eis, per hoc quòd intendat unam certam solam ex eis consecrare, aliàs verò non, ergò & similiter casu, quo panis & Corpus CHRISTI esset simùl sub speciebus, potest Sacerdos per ly *hoc* demonstrare, solum Corpus determinando suam intentionem ad hoc, & non ad aliud. Probatur consequentia, quia in casu antecedentis potest significationem vocis, quantum est ex se indifferentem ad plura determinare, tamen ad supponendum pro uno solo, ergò & similiter in casu consequenti. Nec video disparitatem aut rationem, quare ly hoc esset magis determinatum ad hanc vel illam substantiam significandam, & non hanc vel illam hostiam, & ècontra quare non esset indifferens ad hanc vel illam substantiam significandam, sicut est ad hanc vel illam hostiam in mente conceptam.

VII. Probatio quarta ad idem. Probatur Quartò Conclusio: Quando abest substantia panis ly hoc in forma significat substantiam Corporis Christi, ergò & idem potest, si sit simul cum Corpore Christi, & consequenter potest esse vera.

Respondent Neg. consequentiam, Quia quando substantia panis adest speciebus, non potest à significatione excludi to hoc, sed debet significari, quando verò non est sub eis, tantùm significatur id, quod est ibi. Sed Contra ponatur, quod panis primò destruatur per consecrationem; Deindè producatur iterum à DEO, ponatur cum Corpore Christi sub propriis speciebus, tunc sic, propositio primò prolata est vera, eadem denuò prolata & repetita erit vera, si nulla sit facta mutatio in re, quam primò significabat, sed forma Eucharistiæ in primo casu posito prolata est vera, nempe, quando erat ibi solum Corpus CHRISTI, & nulla est facta mutatio in re, quam significabat, nam Corpus Christi modò est præsens, ùt antè fuit, ergo. Patet major. Primò, Quia ideò propositio erat vera, quia res significata se habebat eo modo, quo significabatur se habere, sed modò se res habeat eo modo, quo antè, ergo. Secundò, si res significata manet eodem modo nunc, sicut priùs, & eadem sit propositio quoad sonum, significatio erit eadem nunc sicut priùs; quia non potest assignari causa, quæ destruat significationem priorem, manentibus fundamento & termino ejus eodem modo. VIII. Responsio enervatur.

IX. Probatio quinta Conclusionis. Probatur Quintò, posito, quòd Sanguis & vinum sint simùl sub speciebus, ly *hic* in forma Sanguinis non significabit vinum, ergo significat Sanguinem, & consequenter tunc Sanguis verè prædicatur de ly *hic*: Probatur antecedens, quia ly *hic* cùm sit adjectivum masculini generis non demonstrat substantiam neutrius generis, sed non est aliud præsens tale, nisi sanguis. ergo. Hoc

argumentum potest etiam formari de ly hoc, quia ly hoc neutrius generis est, & panis generis masculini.

X. Probatio sexta ejusdem. Probatur Sextò: Tàm vinum quàm dolium potest demonstrare per ly *hoc* sub accidentibus dolii dicendo, v. g. *hoc est vinum, hoc est dolium*, ergo & corpus & panis sub accidentibus panis.

Respondet Vasquez, concesso antecedente, negando consequentiam, quia accidentia panis, per quæ fit demonstratio, solum demonstrant propriam substantiam panis, quando adest, accidentia verò dolii ratione figuræ artificialis significant vinum, quia ad hoc talis figura est facta, ùt alienam substantiam in se contineat, & sic per ly *hoc* in tali casu potest significari tàm vinum, quàm dolium, non Corpus CHRISTI, quando panis adest. Sed Contra. Vel

XI. Responsio Vasquez refutatur. hic Author intendit, quòd significatio vocis *hoc* dependeat à significatione accidentium, ita quod non possit aliud significari, quàm quòd illa accidentia significant, vel quòd non dependeat: Si non: Responsio non est ad propositum, si sic, ùt videtur velle, ly *hoc* non significat accidentia juxta ipsum, ergò non dependet ab accidentibus in significando. Ratio, quòd dependeat sequitur evidenter, quòd ly *hoc* nunquam significat Corpus Christi, quia accidentia non significant Corpus Christi. ergo. Si *hoc* in forma non significat, nisi quod significatur per accidentia præsentia demonstrami, nunquam significant Corpus CHRISTI. Probatur antecedens; Quia accidentia non sunt signa ex instituto, sed naturalia respectu substantiæ, quam significant, nullus enim instituit propria accidentia panis ad significandum ipsum panem, vel contentum sub ipsis; sed naturaliter non significant, nisi id, cum quo habent naturalem connexionem, talem autem neque cum Corpore CHRISTI, neque cum alia substantia panis habent, ergò nec aliam, quàm panis significant. Sed etiam Contra.

Arguitur Primò: Trident. ex veritate formæ colligit conversionem panis & vini in Corpus ac Sanguinem Christi, ergò panem esse simùl cum Corpore non potest stare cum veritate formæ, quia aliàs sine fundamento Concilium colligeret conversionem. Probatur antecedens ex ejus verbis Sess. 13. cap. 4. *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat, per Consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus* &c. ubi Concilium colligit ex eo, quòd Christus verè dixerit. ergò ex veritate. Respond. ex Doctore Subtili supra distin. anteced. Ex veritate formæ juxta sensum, quem habet ex primària institutione seu vi sermonis, nego. Ex veritate formæ, quem habet ex intentione proferentis, & etiam commodissimum, quem habere potest, concedo. & similiter disting. conseq. XII. Tridentinū colligit cōversionem, ex veritate formæ juxta sensum, quem habet ex intētione proferentis, & non ex vi sermonis.

Confirmatur hæc solutio Primò: Quia ly *hic* in forma Sanguinis nullo modo significat vinum, & si vinum habeat præsens: Tum, Quia non significat Corpus CHRISTI, quod tamen est præsens cum Sanguine: Tum, Quia non significat, nisi quod est masculini generis; ergò esto vinum sit præsens, forma non significat esse Sanguinem Christi, ùt volunt Adversarii, ergò & ejus præsentia potest stare cum veritate formæ ex vi vocis, quia ejus præsentia non aliter impediret veritatem ejus, nisi quia ipsum, si esset præsens, deberet significare, ergò nec Concilium ex hac veritate potuit colligere conversionem, & idem argumentum potest fieri de ly hoc. XIII. Idque confirmatur.

Confirmatur Secundò: Quia ad veritatem formæ, quantum est ex vi sermonis, non requiritur absoluta desitio panis, sed ad summum, XIV. Confirmatur idem secundò.

quòd non sit sub speciebus, quia conservato pane in alio loco exposito Corpore CHRISTI sub speciebus forma erit vera ex vi sermonis, ùt per se notum est, ergò ex veritate formæ de rigore sermonis non potest colligi conversio, nam potest esse vera manente pane alibi, & sic sinè ejus conversione. Sed

Instatur: Ex eo, quòd Christus verè dixit, Corpus & Sanguinem suum esse quod offerebat, Concilium colligit conversionem panis & vini, ergò manifestè supponit Concilium verba illa non posse habere nisi unum sensum, juxta quem substantia panis & vini necessariò convertatur. Probatur consequentia, Quia quando propositio aliqua potest habere duplicem sensum verum, tunc Ecclesia non colligit ex ejus veritate, in quo sensu ex illis debeat capi, sed ex traditione Patrum; sed in proposito Concilium non colligit sensum ex traditione, ùt patet ex illo, *quoniam Dominus verè dixit.* ergo. Probatur major quoad secundam partem: ex Trident. Sess. 15. cap. 7. colligente ex traditione, non ex veritate verborum, illa verba Pauli ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo* &c. de probatione, quæ sit confessio, non verò, quæ sit contritio, cùm per ly *Probatio* utrique significetur. Re-

XV. Instantiæ satisfit. spond. Negando consequentiam, ad probationem distin: major: non colligit ex veritate ejus juxta sensum, quem habet ex vi sermonis, absolutè concedo, juxta sensum, quem habet ex intentione Christi, & etiam commodissimum quem habere potest, ùt est in proposito. nego. Ad probationem majoris nego Concilium non collegisse sensum verborum Pauli, ex veritate verborum ejus juxta sensum, quem habet ex mente Pauli, & convenientissimum, quem habere poterant, cùm nec ipsa traditio, nec Concilium possit aliquid colligere, ex verbis Sacræ Scripturæ, nisi tanquam veris.

XVI. Concilium per ly verè maximè Deindè Concilium per ly *verè* maximè contra hæreticos, per illam particulam voluit declarare & determinare, Christum Dominum non tropicè & figuratè locutum fuisse, quia si tropicè fuisset locutus, non posset conversio commodè colligi, nulla enim esset convenientia, quòd in casu illo desineret panis. declaratè voluit, Christum non locutum tropicè & figuratè.

QUÆSTIO QUINTA.

An Panis in Consecratione annihiletur?

PRima Sententia est, desitionem Panis esse formaliter annihilationem, ita infra citandi. Secunda negat, esse annihilationem, ita D. Thomas 7. p. q. 75. art. 3. Bonaven: dist: 11. p. 1. art. 1. qu. 3. Alensis 4. p. qu. 10. membro 3. art. 3. Richardus & alii infrà citandi, sed cum aliis Vasquez ait: Primam Sententiam esse Doctoris Subtilis, imò illum esse primum ejus inventorem, eámque ipse ait arma hæreticis ministrare, & Sotus dicit, non posse defendi sinè errore. I. Sententiæ duæ oppositæ referuntur.

Verùm, si Scotus infrà ponat modum defendendi secundum, & quidem optimum, qui adhuc inveniri potuit, ego contra frivolas illas censuras primam eam libenter amplector, tanquam Scoti, & veritati magis conformem: Tum, Quia rationes efficacissimæ Scoti eam conveniunt: Tum, Quia secunda vix quidquam probabilitatis præ se fert, seclusâ authoritate & multitudine eam asserentium, quorum tamen aliqui ex erroneis, aliqui frivolis argumentis eam amplectuntur, ùt patebit in prima probatione nostræ Sententiæ, ubi ea afferam & rejiciam. II. Scotus immeritò censuratur.

Dico: *Panis formaliter per conversionem non annihilatur, seu conversio Panis non est formaliter annihilatio.* Ita Scotus infra, quia conversio formaliter terminatur ad positivum, annihilatio minimè. ergo. III. Conversio panis non est formaliter annihilatio.

Dico Secundò: *Desitio Panis in Eucharistia est formaliter annihilatio.* Ita expresse Scotus hic Dist. 11. qu. 4. Tartaretus & Faber ibi. Suarez IV. Desitio panis in Eucharistia formaliter est annihilatio.

rez hic q. 6. dub. 7. Gabri. d. 11. q. 1. Major, Angelus, Albertus Magnus & probabilem & minimè dignam censurâ putat Suarez. Probatur Primò: Substantia Panis tota desinit, ità quòd nihil panis remaneat, & probatur ex Trident. Sess. 13. cap. 3. & Can. 2. ergò annihilatur, hoc argumentum Authores in varias & miras dispersit Responsiones.

V. Responsio prima ad principale fundamentum enervatur.

Prima est, quæ negat antecedens, quia vel manet ratio generica substantiæ panis, ùt vult Cajetan. vel substantiæ ejus, ùt vult Godfridus. Vel materiæ primæ, ùt Durandus. Vel formæ, vel existentiæ ejus, ùt alii. Sed hæc omnia fundamenta sunt erronea & damnata à Tridentino mox citato.

Secunda Responsio negat antecedens, seu quòd panis sit nihil post conversionem, quia illud, quod fuit panis, est modò Corpus Christi, & sic aliquid, seu, ut ipse loquitur, aliquitas panis manet in Corpore Christi, ita Hervæus. quol. 9. qu. 9. quol. 10. qu. 10.

VI. Responsio secunda refellitur.

Sed contra hanc arguit Scotus, ubi supra Primò Corpus Christi non aliter se habet post desitionem panis, quàm antè, sed ante non habuit aliquitatem panis, ergo. Secundò, vel illa aliquitas panis est aliquid rationis, vel reale, non primum: Tum, Quia panis non fuit nec habuit aliquid rationis: Tum, Quia aliquid rationis remanens non impedit esse ibi annihilationem: nec secundum, quia vel esset aliquid substantiæ panis, vel accidentis. Si substantiæ hoc est erroneum, quia coincidit cum opinione Cajetani, si accidentis, non impedit annihilationem: Tum, Quia accidens rei est prorsus extrinsecum mutationi à re, vel ad rem: Tum, Quia si accidens substantiæ existeret ante ipsam non impediret creationem ejus, v.g. si gratia vel intellectio ante Angelum vel animam existeret, ergò accidens existens post panem, non impediret ejus annihilationem; vide plures rationes contra hos apud Doctorem Subtilem ibi.

Tertia Responsio negat annihilari, quia remanet in potentiâ obedientiali Corporis Christi, seu materiæ ejus; quia panis & Corpus Christi habet materiam primam communem. Unde DEUS posset convertere Corpus Christi in panem reproductum, & tamen panis productio non esset tunc creatio propter commune subjectum, ergò nec ejus desitio annihilatio. Ita Ægidius Theorem. 1. & 2. Paludanus d. 11. q. 3. cap. q. 1.

VII. Responsio tertia impugnatur.

Sed contra hanc Scotus ibi Primò argumentatur, si panis non converteretur in Corpus Christi, sed absolutè annihilaretur, eodem tamen modo maneret in potentia materia Corporis Christi, ac nunc in eadem, sed ex eo, quòd tunc sic maneret, non sequeretur panem non annihilari, ergò nec modò. Probatur major, quia modò non aliter manet in ejus potentia juxta ipsos, nisi quia Corpus Christi potest in panem converti, vel panis ex potentia materiæ ejus posset reproduci, sed utrumque tunc fieret, ergo. Secundò sequeretur, ex hoc non posse panem annihilari, si sola natura corporea universi prius totaliter destrueretur, sed hoc est absurdum, ergo. Probatur minor, Quia sicut unum corpus creatur non destructis aliis, ergò & potest annihilari. Probatur & major, quia si maneret aliquid corpus destructo pane, panis non erit in potentia materiæ primæ ejus, non secus, ac in natura Christi ob rationem suprà assignatam.

Quarta Responsio negat consequentiam, quia si nil panis remaneat, sed planè se habeat sicut esset annihilatus, termini ejus desitio non est annihilatio, quia non fit per subtractionem concursus, sed per actionem positivam, qua separantur accidentia panis, quia actione primò destruitur compositum per accidens ex pane & accidentibus, deindè concomitanter destruitur substantia panis, quia non potest naturaliter manere sine propriis accidentibus, & hinc non est ibi annihilatio, quia remanet aliquid compositi illius, nempè ac-

pè accidentia, in quibus recipitur actio illa separativa, & panis non desiit ùt totum, sed ùt pars, ita fusè Suarez disp. 10. sect. 7. Sed

VIII. Responsio quarta ad principale fundamentum refutatur primò. Contra Primò: Si accidentium separatio est causa desitionis panis, & per consequens desinit in accidentia separata, tanquam in formam oppositam, ergo convertitur in accidentia, & non in Corpus Christi, probatur consequentia, quia illud, in quid desinit res, quae convertitur tanquam in causam suae desitionis, seu illud, quod tanquam forma opposita est causa desitionis conversi est terminus ad quem conversionis, ergò si accidentia separata sint causa desitionis panis, in ipsa convertitur.

IX. Secundò. Secundò: Si per alterationem expelleretur forma substantialis, aut materia, & nulla alia succederet, tunc materia desineret esse, quia non posset existere naturaliter sine omni forma, sed talis desitio materiae esset propriè annihilatio, ut admittit Suarez ibi in fine, ergò & desitio totius compositi proveniens ex separatione accidentium erit annihilatio.

Respondent, neg. consequent. Tum, Quia ibi fieret desitio totalis, quia nil remaneret, hic verò minimè, quia remanerent accidentia: Tum, Quia ibi non desineret materia vi alicujus actionis, quia non remaneret ibi subjectum, in quo actiones susciperentur, hic verò manet.

Contra. Casu, quo DEUS separaret formam panis à materia nullam aliam subintroducendo, tunc ibi aliquid remaneret, nempe forma, & desineret esse materia per actionem separativam formae, sed esset ibi tunc vera annihilatio materiae, quia materia non potest destrui, nisi per annihilationem, sicut nec produci, nisi per creationem, ergò nec actio positiva concomitans, nec extremum remanens, nisi sit per subjectum rei destructae impedit annihilationem.

Secundò saltem sequitur, quòd in proposito materia prima panis annihilatur, ergò & tota substantia; Probatur consequentia, quia ridiculum est, quando omnes partes rei simul desinerent, quòd una annihilaretur, & alia non. Probatur etiam antecedens: Quia materia ideò desineret, quia privatur omni forma, & annihilatur, ùt admittit Suarez ubi supra, ergo & materia Panis hic. Probatur consequentia: Quia vel desinit independenter à desitione formae per solam nempe subtractionem concursus, & sic annihilatur propriè, vel dependet à desitione formae, & hoc non obstat annihilationi juxta ipsum.

Contra Tertiò: Esto compositi aliquid per accidens remaneat, ergò Panis annihilatur. Negat consequentiam: Quia Panis non ùt totum, sed ùt pars destruitur, quia alia pars ejusdem totius remaneret, nempe accidentia, & sic non annihilaretur. X. Ac Tertiò. Sed contra. Si anima rationalis modò destrueretur, manente materia, ibi esset vera annihilatio, ergò quòd una pars maneat, hoc non impedit aliam partem annihilari maximè compositi per accidens, saltem quae non sit subjectum desinentis. Probatur anteced. Tum, Quia productio animae rationalis est creatio, ergò & desitio annihilatio, quia annihilatio & creatio habent eadem extrema in universo ordine: Tum, Quia quòd materia praeexistat non impedit, quòd productio animae non sit creatio, ergò quòd materia remaneat, non impedit, quò minus ejus desitio sit annihilatio. Quartò: Potest substantia creari sub accidentibus praeexistentibus, ergò & annihilari sub accidentibus remanentibus.

Quinta Responsio negat consequentiam: Quia terminus ad quem mutationis Panis, ex intentione agentis non est parum nihil, sed esse Corporis Christi, ita Ferarius 4. con. gentes cap. 63. & Sot. hic disp. 9. q. 2. ar. 4. & ante hos Scotus ubi supra n. 6. Sed

Contra Primò: Corruptio seu transitus ab esse ad non esse in subjecto apto, seu ad privationem, est ejusdem semper rationis sive esse geniti XI. Responsio quinta diluitur.

 niti

niti eam concomitetur, sive non, ergò transitus Panis ab esse totali ad totale non esse extra subjectum est ejusdem rationis, sive esse Corporis Christi concomitetur sive non. Sed hic transitus esset annihilatio, si illud esse non concomitaretur, ergò & modò, quia ejusdem rationis nunc & tunc.

Secundò, Desitio Panis est mutatio negativa, aliàs nec corruptio, nec alia daretur mutatio negativa, ergò terminus ad quem ejus non est esse Corporis Christi. Et hinc est

Sexta Responsio, quam ex suo Magistro Varone tradit Scot. ubi supra & in report. & quol. 1. art. 10. qui dicit, Panem non annihilari, quia terminus ad quem desitionis ejus non est purum nihil, seu negatio generalis, sed negatio in genere, nempe negatio Panis in Corpore Christi, sed haec ex Scot. ibi n. 10. & 13. efficaciter rejicitur primò, quia terminus ad quem desitionis novae subjecti est novus, sed desitio Panis est mutatio nova, ergo ejus terminus subjecti est novus, sed negatio Panis in Corpore Christi non est nova, quia antè erat ibi, quia ante Christus erat non Panis sicut modò. Secundò, paulò aliter termini mutationis sunt in compatilibus, ergò non coëxistunt, sed negatio Panis, quae est in Corpore Christi fuit ante simul cum Pane, quia Corpus Christi ante erat non Panis, sicut modò. Dicitur negationem fuisse disparatam Panis ante desitionem in Corpore Christi, post verò negationem contradictoriam. Sed contra. Primò arguit Doctor Subtilis ibi negatio contradictoria rei est negatio extra genus, ergò in nullo subjecto est, ergò nec in Corpore Christi. Secundò negatio contradictoria est terminus ad quem annihilationis, ergò erit ibi annihilatio. Tertiò, plures negationes ejusdem non possunt esse in eodem subjecto. Quartò, negatio sive disparata sive contradictoria Panis non est magis in corpore Christi, quàm in quolibet alio, sed sequeretur ex hac responsione, quòd nulla res posset annihilari manente alia ullâ re. Probatur antecedens: Quia non magis negatio sive disparata sive contradictoria Panis est in Corpore Christi, quàm negatio disparata & contradictoria cujuscunque rei desinentis in alia re remanente posterius desitionem, ergò si ibi impedit talis negatio annihilationem, ita & hic.

XII. Responsio sexta rejicitur.

XIII. Responsio ultima ad principale fundamentum Conclusionis refellitur primò.

Ultimò respondet Vasquez disp. 183. n. 29. neg. 91. Quia terminus ad quem annihilationis Panis non est nihil Panis, sed nihil simpliciter seu nihil genericum cum aliquo facto à convertente, nihil autem Panis in proposito est annexum cum esse Corporis Christi, quod est factum à convertente, & causa desitionis Panis.

Contra Primò: Privatio non desinit esse terminus per se corruptionis ex eo, quod esse geniti factum à convenienté sit ipsi annexum, imò & causa corruptionis, ergò non esse seu nihil Panis non desinit esse terminus ad quem annihilationis ex eo, quòd sit connexum cum Corpore Christi.

XIV. Et secundò.

Secundò: Si Panis converteretur in aliquod Corpus de novo creatum, quòd esset causa desitionis ejus sicut modò, tunc non esse Panis annexum cum esse talis Corporis non impediret, quòd illud esse esset terminus ad quem creationis, ergò idem esse annexum cum non esse Panis non impedit, quòd illud non esse sit terminus ad quem annihilationis, ergò illud non esse quod nunc habet Panis, potest esse terminus à quo creationis, quia potest Panis ex eodem tanquam nihilo primò creari, sed terminus à quo creationis est nihil simpliciter, ergò & illud non esse est nihil simpliciter; hoc esse & omnes solutiones praecedentes impugnantur, & probatur efficaciùs.

XV. Quòd desitio Panis sit formaliter annihilatio efficaciter probatur secundò.

Secundò Conclusio: Ex Scoto ubi supra n. 10. 14. Si accidentia non remanerent, nec Corpus Christi, nec aliud positivum esset annexum, desitio panis hic esset formaliter annihilatio, sed haec desitio eandem rationem

tionem formalem habet nunc, quam haberet tunc, ergo nunc est formaliter annihilatio. Major admittitur ab omnibus, & de se est evidens, nam nil sequitur ad annihilationem, nisi transitus ab esse totali ad positivum nihil, talis autem esset ibi tunc, ergò. Probatur & minor. Primò: Eandem rationem formalem habet corruptio, quando esse geniti vel generatio eam concomitatur, & quando non, quia essentia ejus consistit in transitu à forma ad privationem ejusdem, hic autem transitus est ejusdem rationis, sive generatio concomitetur sive non; item generatio est ejusdem rationis sive corruptio vel extrema ejus eam concomitetur, sive non, ergò desitio Panis est ejusdem rationis, quando aliud positivum extrinsecum comitatur, & quando non.

Secundò: Dum generatur ratio formalis rei non variatur per aliquid per accidens ipsi annexum, ùt probatur: Tum ex exemplis assignatis de corruptione & generatione: Tum, Quia generatio non variat tantùm suam rationem intrinsecam per hoc, quòd nunc annihilatio vel generatio alterius vel aliud simile eam concomitetur, nunc non: sed accidentia esse Corporis Christi & quodcunque positivum assignabile est per accidens connexum desitioni Panis, cùm posset esse sine quolibet ex eis terminus per se, cùm sit mutatio positiva. Respond. Termini per se annihilationis Panis sunt esse totale, & totale, non esse Panis: sed iidem prorsus termini inveniuntur in desitione Panis, ergo & termini per se annihilationis, ergo & ratio annihilationis. Et hinc

XVI. Probatur idem tertiò. Probatur Tertiò Conclusio: Panis ita hic secundùm omnes partes desinit, quòd terminus ad quem desitionis ejus sit vel purum nihil, seu nihil simpliciter, ergo annihilatur. Consequentia est evidens, quia nulla mutatio terminatur ad purum nihil praeter annihilationem. Anteced. Probatur Primò ut supra: Quia illud non esse Panis, quod est hic terminus desitionis ad quem, potest esse terminus à quo creationis, quia potest ex illo, tanquam ex nihilo, Panis creari, sed terminus à quo creationis est purum nihil, ergo & illud non esse. Secundò; Illud non esse non est privatio, quia non est in subjecto apto, nec est negatio disparata, seu in subjecto non apto, quia dicitur negatio in genere, quia negatio Panis modò in nullo est subjecto, in quo non erat ante desitionem ejus, & per consequens negatio terminans ejus desitionem, quae est nova in nullo est subjecto, ergò relinquitur, quòd sit negatio extra genus, seu extra subjectum, sed talis est purum nihil, ergò. Unde pro hoc & multis aliis hic dicendis & dictis.

Nota negationem, ùt sic dividi in privationem & puram negationem. Privatio est negatio in subjecto capaci rei negatae, & posset iterum dividi in privationem latè & strictè sumptam. Latè sumpta est privatio formae in subjecto apto recipere, non tamen sustentare, vel subjectare eam per modum causae materialis, ùt privatio animae rationalis in corpore, v. g. in anima, in via Scot. Privatio strictè est negatio formae in subjecto apto sustentare, seu per modum causae materialis causare formam negatam, ùt privatio omnis formae aptae inhaerere, & haec propriè est terminus ad quem corruptionis, & à quo generationis; formae verò minimè, quae tamen potest esse terminus ad quem annihilationis, & à quo creationis, v. g. animae rationalis, hic inter species privationis non annumero quandam negationem, quam Scot. in 1. d. 23. & d. 28. n. 4. vocat privationem secundùm genus, quae est negatio formae in subjecto, cui secundùm rationem suam genericam, non verò specificam non repugnat recipere formam, qualis est negatio visus in talpa, & ab hac talpa dicitur coeca, 5. Metaph. 5. de privatione, hanc, inquam, non annumero inter privationes, quia revera non est propriè privatio, sed quaedam negatio in genere, ùt innuit Scot. ibi; aliàs quaelibet for- XVII. Quid privatio ut sic, & latè sumpta. XVIII. Quid privatio strictè sumpta.

bet formæ negatio in quocunq; subjecto esset privatio, cùm subjecto secundùm gradum entis, saltem non repugnat talem recipere.

XIX. Quid sit negatio pura. Negatio pura est negatio in subjecto non capaci rei, quæ negatur; & est duplex: alia negatio in genere, alia extra genus, ut loc. jam cit. 4. d. 11. q. 4. & quolib. 10. docet Scotus.

XIX. Negatio in genere quid sit? Negatio in genere, juxta Scot. 4. d. 11. q. 4. n. 9. est negatio rei in subjecto non capaci ipsius rei, ùt negatio hominis in quocunque realiter distincto ab homine, & dicitur negatio disparata, & non terminat ullam mutationem saltem naturalem, nec aliam, nisi expressam termino concreto, quia ly negatio hominis, quæ est negatio in genere, quæ erat in subjecto ante incarnationem, sit terminus à quo mutationis, quia Verbum factum est homo, tamen negatio humanitatis quæ ante erat in ipso, semper manet in ipso, quia est propria potentia ejus, nam si modò ex non homine fit homo, non est tamen ex non humanitate humanitas, sed semper est non humanitas.

XXI. Et quid negatio extra gen.ᵘˢ, quæ adhuc duplex est. Negatio extra genus, juxta Doct. Subtil. ibi est negatio extra omne subjectum, seu quæ in nullo est subjecto, & à Scoto, ubi supra vocatur negatio contradictoria; & hæc iterum est duplex, una, quâ negatur res secundùm suum esse non totale, seu quæ est negatio, seu non esse per se totius remanente parte ejus, & hæc est terminus ad quem corruptionis, & à quo generationis compositi, nam si non esse formæ corruptæ sit privatio, non esse tamen compositi corrupti est negatio extra genus, quia illa negatio non est privatio, cùm nullum sit subjectum aptum recipere compositum, nec est negatio in genere, quia negatio compositi non est in aliquo subjecto post corruptionem, in quo non erat antè, ergò erit negatio extra subjectum, altera est negatio extra genus & à quo productionis, qua res incipit vel desinit secundùm omnes partes simul, etsi quælibet negatio suo modo vocetur nihil, tamen negatio est, quæ propriè vocatur simpliciter purum nihil, & est terminus â quo creationis & ad quem annihilationis.

XXII. Non soli annihilationi competit habere pro termino per se negationem. Ex his collige Primò: Quòd non solùm annihilationi vel creationi competat habere pro termino per se negationem extra genus, nam hæc terminat generationem & corruptionem compositi per se primò, ùt dictum est.

XXIII. Annihilatio & creatio nõ semper per purum nihil terminatur. Secundò collige, si purum nihil non terminet aliam mutationem, quàm creationem & annihilationem, has tamen non semper per purum nihil terminari, sed & aliquando per privationem latè sumptam, nam si in materia præexistente produceretur anima rationalis, ibi esset vera creatio, & tamen esset transitus â privatione animæ ad esse ejusdem, & similiter si eadem desineret remanente materia, esset ibi annihilatio.

Collige Tertiò: Quòd non omnis corruptio vel generatio terminetur ad privationem, sed solius formæ materialis, non verò compositi, quod terminatur ad negationem extra genus, ut suprà.

XXIV. Nec privatio, nec negatio ulla in genere seu subjecto est propriè negatio rei. Nota Secundò: Quod salvo meliori judicio nec privatio nec negatio ulla in genere seu subjecto sit propriè negatio rei, quæ ordinariè dicitur negari per talem, sed unionis vel identitatis talis rei cum subjecto, seu talis rei ùt unitæ vel identificatæ cum alia, & Ratio est: Tum, Quia talis negatio potest simul existere cum re tali, & nullo modo terminat necessariò ejus desitionem vel productionem, casu nempe, quo res producatur sinè unione ad aliquid aliud, vel ita primum unione existens destruatur: Tum, Quia posita unione rei ad aliud talis negatio in aliud ponit, & ablata iterum unione sequitur negatio eadem in eodem, & hoc colligi potest non obscurè ex Doct. Subtil. hic d. 11. q. 1. n. 1. ibi. ubi dicit, quòd ratio formalis mutationis propriè dictæ, nempè positivæ, consistat in respectu successionis, quia informatio succedit non informationi, id est, negationi unionis, quæ propriè privatio est.

Nota

XXV. Quæ differentia inter negationē concreti & abstracti. Nota Tertiò: Differentiam inter negationem concreti & abstracti, v. g. inter has non humanitas, non homo, non album, non albedo, negatio enim abstracti, quando est in subjecto solùm, negat identitatem realem vel formalem abstracti cum tali subjecto, non verò unionem inter utramque, nam potest talis negatio propter defectum identitatis competere subjecto, cui tale abstractum est in re unitum, nam verè dicitur: *Verbum est non humanitas, & paries est non albedo*, esto humanitas isti & albedo huic sit unita: negatio verò concreti negat identitatem & unionem, seu rem ùt unitam seu identificatam alteri, nam si humanitas sit unita Christo, & albedo parieti, hæ propositiones erunt falsæ: *Christus est non homo, paries est non albus, vel non album*, nec ratio hujus falsitatis alia esse posset, nisi quia tales negationes significant unionem, quæ tunc est inter extrema, & hinc ulterius fit, si unio sic negata sit cum inhærentia, quòd tunc negatio ejus erit privatio latè sumpta, qualis est anima rationalis in corpore, si verò unio tantùm divinitùs est quasi hypostaticè, vel nullo modo potest esse inter concretum, quod negatur, & subjectum, in quo est negatio, tunc erit negatio in genere, seu subjecto non capaci.

Arguitur Primò: Et est maximum fundamentum oppositæ sententiæ: Panis convertitur, ergò non annihilatur, quia repugnat idem simul annihilari & converti.
XXVI. Principale argumentum adversariorum solvitur. Respondeo Primò: Hoc frivolum esse argumentum, quod & ipsi adversarii tenentur solvere in hoc simili, lignum convertitur in ignem, ergò non corrumpitur &c.

Respondeo Secundò: Neg. consequentiam, ejusque probationem, nam non repugnat idem simul mutari diversis mutationibus, nam ùt jam dictum est, idem simùl potest corrumpi & converti, idem nutritum augmentari & alterari.

Arguitur Secundò ex Soto disp. 9. quæst. 2. hæc opinio non potest sine errore defendi. ergo. Probat: antec: Quia eam Magister tanquam reprobam recitat, cui & subscribit Div. Bonavent. Alensis, & omnes alii, ergo. Respond. Negando anteced. & probationis consequentiam, quia ista reprobatio nullo nititur fundamento; Deindè D. Bonav. Alensis, eam non damnant, sed dicunt aliam esse rationem. XXVII. Sententia de annihilatione non est reproba.

Dices cum Vasquez, saltem ministrat arma hæreticis, ex quibus ipsi pravum suum errorem inferunt, ergo. Respond. Primò: Nego consequentiam, quia loca Sacræ Scripturæ PP. & Concil: ministrant illis talia arma, non tamen ideò relinquenda: Deindè hæreticis non alia arma ministrat, quàm unicum illud fractum telum, nempè argumentum solutum objectione Primâ. Secundò nego, nos in ullo magis dare ipsis arma, quàm adversarios, quia tàm benè ex hoc antecedente, *nil panis remanet*, ipsi inferrent sic: *ergò non convertitur*, quàm ex nostra sententia: sed adversarii tenent hoc antecedens, & est de fide. ergò &c. XXVIII. Nec ministrat arma hæreticis.

Arguitur Tertiò: Cum Ledesma & Soto, ubi suprà. Desitio accidentium manente substantiâ panis non est annihilatio, ergò desitio panis remanentibus accidentibus non est annihilatio. Probat: consequen. Quia subjectum remanens est solùm, quod impedit eam desitionem esse annihilationem, sed tale subjectum tàm est extrinsecum desitioni subjecti. ergo. Si subjectum, hoc non obstante, impedit illam desitionem esse annihilationem, ita & accidentia. Respondeo, Negando consequen: & probationis major: quia subjectum remanens, non est quòd præcisè impedit, sed negatio accidentium, quæ est privatio in ipsa, privatio autem non est terminus annihilationis, sed corruptionis. XXIX. Objectioni respondetur.

Dices: Si anima rationalis in materia destrueretur, ibi esset transi-

tus animæ ab esse ejus ad non esse ejusdem in subjecto, & consequenter ad privationem ejus, sed talis transitus à privatione ejusdem in eodem subjecto erat antea creatio. ergo privatio potest esse terminus ad quem annihilationis, ergò privatio accidentium non impedit desitionem eorundem esse annihilationem. Respondeo, Distinguo primum consequens, privatio latè seu formæ independentis à subjecto, concedo, strictè sumpta seu dependentis, nego, & secundùm consequens, ob hanc eandem rationem; Vide Scot. 4. d. 1. quæst. 1. num. 33. ubi ait sic: sicut creatio propriè dicta est productio de nihilo, id est, non de aliquo, quòd sit pars primi producti, & receptivum formæ inductivæ, ita annihilatio est destructio in nihil utroque modo.

XXX. Et instantiæ satisfit.

XXXI. Annihilationis descriptio & explicatio.

Quæres: Quid sit annihilatio? Respondeo, quòd sit transitus rei ab esse totali immediatè ad non esse totale nullo remanente à quo talis res tanquam à causa materiali immediatè ante desitionem physicè dependet. Dixi *ab esse totali*, quia pars integralis physica non debet remanere; Dixi & *immediatè*, quia ut totum dicatur annihilari, non sufficit omnes partes successivè annihilari, aliàs desitio ligni, cujus hodie forma, & cras materia destrueretur, non esset corruptio, sed annihilatio, quod nemo admittet: Dixi, *nullo remanente*, quia si formaliter secundùm omnes partes simul desinat, tamen ejus desitio censetur corruptio materiâ remanente, quia terminatur ad privationem strictè sumptam: Addidi, *à quo talis res dependet*, quia non obest annihilationi formæ, si manet subjectum ejus, à quo non dependebat, ùt patet in desitione animæ rationalis, sicut & productio ejus est creatio, etsi præcedat ejus privatio in materia. Dixi *physicè*, quia productio gratiæ in mente Scoti est creatio, ergò & desitio ejus annihilatio, gratia tamen licèt non dependeat physicè ab anima, quia non inhæret ipsi, sed tantùm unitur ipsi sine dependentia physica, ab ipsa tamen dependet moraliter, quia sicut merendo est sæpè causa productionis gratiæ & non demerendo causa conservationis, ita demerendo est causa moralis desitionis ejus: Addidi, *& immediatè ante desitionem*, quia ante forma erat in subjecto, & nunc est separata, postea, si destrueretur, ejus desitio erit annihilatio, esto ante immediatè dependeat à subjecto, quia sufficit, quòd fuerit immediatè ante desitionem independens, & hinc corrolariè collige, quòd corruptio sit transitus ab esse ad non esse rei aliqua parte vel subjecto inhæsionis remanente.

XXXII. Creationis duplex acceptio & utriusq. descriptio.

Quæres Secundò: Quid sit creatio? Respond. Creationem dupliciter capi posse, ùt est mutatio, & ùt productio, creatio ut mutatio est transitus à totali non-esse immediatè ad totale esse independens physicè à subjecto inhæsionis seu causa materiali; dixi *independens à subjecto* &c. Quia esto formæ materialis producatur in materia secundùm omnes suas partes simùl, ejus productio erit generatio, non verò creatio, quia dependet à subjecto in fieri; aliud verò est de forma independente à subjecto inhæsionis, qualis est anima rationalis, nam si producatur in materia, ejus productio erit creatio, quia non dependet in produci vel generari ab ea; creatio verò ut actio est totalis productio rei independenter à subjecto inhæsionis seu causa materiali.

DISPU-

DISPUTATIO QUINTA.

DE

His, quæ potest Christus agere & pati in Evcharistia.

QUÆSTIO PRIMA.

An Christus in Evcharistia possit habere Operationes Intellectûs & Voluntatis?

I. Accidens dupliciter dicitur inesse corpori in aliquo loco.

PRo hac Quæst. & seq. prænotandum ex Scoto in 4. d. 10. q. 5. n. 2. quod accidens dicitur dupliciter inesse, seu infieri corpori in aliquo loco, nempè primò, & concomitanter, illud dicitur infieri corpori in loco hoc, quod sibi inesset, id est, infieret, seu in eo produceretur, si alibi nusquam esset, nisi hic: vel aliter sic: ùt insinuat Scot. ibi n. 6. quod dependet ab hoc loco, tanquam à subjecto proximo vel conditione naturaliter necessaria ad ejus introductionem; illud verò dicitur inesse corpori hic concomitanter (quod primò est, id est, infit) sibi ùt alibi, & ex hoc sibi inesse, ut hic propter identitatem formæ & subjecti, hoc est, quod nullo modo dependeat ab hoc loco, tanquam à subjecto vel conditione in suo fieri, & hinc eadem forma dicitur inesse corpori primo in uno loco, nempe in eo, in quo ab agente sibi ibi approximato primo producta est, quia tunc dependebat in suo fieri ab approximatione agentis, & communiter ab illo loco, in quo erat approximatum, & eadem dicitur eidem inesse concomitanter in alio, in quo nempe agens illud non est approximatum, unde aliud est inesse corpori hic primò, & inesse concomitanter, & poni sub speciebus primò, & poni concomitanter, ùt legenti hæc, & quæ dicta sunt Disp. 6. q. 1. patet.

II. Christo in Evcharistiâ potest inesse primò cognitio intuitiva objecti proportionaliter præsentis.

Dico Primò: *Christo in Evcharistia inesse seu infieri potest primò cognitio intuitiva objecti proportionaliter præsentis, de facto tamen sunt multa, quorum cognitio intuitiva in genere proprio non inest ipsi primò in Evcharistia.* Utraque est Doct. Subtil. dist. 10. quæ. 5. & n. 5. & Prima Pars Probatur, quia ad productionem cognitionis intuitivæ nil requiritur, nisi objectum debitè proportionatum existens & præsens, & potentia cognitiva independens à sensû, sed hæc possunt ibi reperiri, ergo.

III. Multorum cognitio intuitiva non inest Christo primò in Evcharistia.

Secunda probatur: Quia multa sunt objecta, quæ in genere proprio non sunt Christo hic præsentia, v. g. quæ sunt in cœlo, vel aliis partibus remotis mundi, ergò & multa, quorum non inest ei cognitio intuitiva, quia hæc non potest esse, nisi objecti præsentis & existentis. Dixi in genere proprio, quia illa, quæ sunt præsentia in Verbo, habent & cognitionem intuitivam hic, non tamen in genere proprio, sed in Verbo ea repræsentante.

IV. Cognitio intuitiva, quæ inest primò Christo in cœlo, inest illi concomitanter in Evcharistia.

Dico Secundò: *Quæcunque cognitio intuitiva inest primò Christo in cœlo, eadem inest ipsi concomitanter in Evcharistia.* Est Scoti ibidem & communiter, & Probatur, quia quæcunque forma absoluta inest corpori in uno loco, eadem inest illi in alio existenti, & quidem inest ipsi concomitanter, si ipsa forma in suo fieri non dependet ab illo loco, ut patet ex notabili. Sed cognitio intuitiva rei in cœlo est forma absoluta, & non dependet in suo fieri ab ubi in Evcharistia. ergo.

V. Christus in Evcharistia potest habere cognitionem ab-

Dico Tertiò: *Christus in Evcharistia potest habere cognitionem abstractivam cujuscunque rei, cujus habet speciem*

speciem intelligibilem & actum voluntatis, circa quodcunque ab ipso cognitum. 1. p. est Doct. Subtil. ibi & patet, quia ad talem cognitionem non requiritur concursus objecti alterius causæ, quàm speciei illius, maximè si illius sit independens â sensibus, sed hæc duo ibi reperiuntur. ergo.

(stractivam cujuscunq; rei, cujus habet speciem intelligibilem.)

VI. Secunda de se Probatur: Quia ad actum voluntatis non requiritur loci approximatio vel alia conditio ex parte objecti, nisi quòd objectum sit cognitum sub ratione boni vel mali, ergò voluntas potest ferri in quodcunque cognitum, actu nempe volitionis, si sit bonum, nolitionis si malum.

(Item actum voluntatis circa quodvis cognitum.)

Arguitur Primò: Cognitio intuitiva non potest haberi in specie objecti, sed species non potest produci in potentia existente in Eucharistia. ergo. Probatur min: quia ut potentia recipiat speciem, debet habere organa sub modo extensionis, sed sic non est in Eucharistia, ergo.

VII. Respond. Quidquid sit de majori, dist: min: in potentia sensitiva vel dependente â sensu in sua cognitione, Concedo, in intellectiva independente, qualis est Christi illius, neg: ad probationem distin: probat: major: ut recipiat potentia sensitiva, vel dependens â sensibus, concedo, ut intellectiva independens nego.

(Potentia intellectiva Christi potest species recipere etsi non habeat organa extensa.)

Dices: Non possunt species produci in potentia intellectiva, nisi prius producantur aliæ in medio, sed in proposito non possunt aliquæ produci in medio. ergo. Probatur minor, Quia si producerentur in medio, deberent & produci in sensu

VIII. Christi, sed in his non possunt. Respond. Nego major: Pluribus enim modis potest species produci in potentia, & non in medio. Primò si potentia, sit illius independens â sensibus & objectum sit ipsi contiguum. Secundò, si objectum sit res spiritualis, & cum aliqua distantia, quia talis res potest agere in distans non agendo per medium, cùm medium non sit capax ejus effectûs, quia species illa objecti esset spiritualis, sicut & causa ejus, vide Scot. 2. d. 9. q. 2. n. 16. & 18.

(Species potest produci in potentia, & non in medio.)

Arguitur Secundò: Si Christus potest habere cognitionem intuitivam rei præsentis, ergò & propriæ suæ existentiæ in Eucharistia, sed hoc est absurdum. Respond. Nego min: de qua infrà q. 3. fusiùs. IX.

(Christus in Eucharistia potest intuitivè videre suam propriam existentiam.)

QUÆSTIO SECUNDA.

An Christo in Eucharistia competant operationes sensuum?

PRænota Primò ex Scoto 4. d. 10. q. 5. n. 5. & qu. 7. n. 2. cum communi, quòd quantum non potest naturaliter producere vel recipere formam aliquam corpoream seu naturalem, nisi ipsum quantum sit modo quantitativo seu extensivo, hoc est, circumscriptivè in loco. I.

(Quantum nequit naturaliter producere, vel recipere formam corpoream nisi sit modo extensivo in loco.)

Nota Secundò ex libro de anima, quòd sensus capi possit dupliciter. Primò: Pro quadam potentia formaliter tantùm distincta ab anima physicè productiva sensationis. Secundò pro quodam composito ex anima & organo, vel potius pro potentia competente tali composito, quæ sit principium principale productivum sensationis ab ipsóque formaliter distincta, organum autem ipsum est quædam pars integralis corporis organici essentialiter composita ex materia prima & partiali quadam forma corporeitatis. II.

(Sensus dupliciter potest accipi.)

Nota, quod organum sit subjectum proximum speciei sensibilis, ùt docet Scot. 1. d. 3. q. 6. n. 18. sensum verò secundo modo esse principium proximum recipiendi sensationem, sicut & producendi, ex quibus patet, quòd tàm species sensibilis, quam sensatio, id est, operatio sensûs requirat subjectum extensum, & quantum ex his III.

(Organum est subjectum proximum speciei sensibilis.)

Dico Primò: *Christus ut in Eucharistia nullam operationem sensus externi & interni potest producere.* Ita Doct. Subtil. hic q. 1. d. 10. n. 5. Suarez disp. 53. Sect. 3. & communis, & ratio fundamentalis est: Quia ut agens naturale producat in se vel in alio for- IV.

(Christus ùt in Eucharistia nequit producere operationem sensûs externi & interni.)

formam aliquam materialem vel extremam poſtulat paſſum ſibi localiter & extenſivè præſens, ùt omnes concedunt, & Probatur ex Primo Notabili, ſed ſenſatio eſt forma materialis & paſſum, in quo poſſit recipi, non habet ſe hoc modo in Evchariſtia, ergo. Alia ratio eſt, Quia ad ſenſationem ſaltem externam requiritur ſpecies producta ab objecto, ſed objectum non poteſt hanc producere, niſi objectum ſit extenſivè in loco, cùm hæc ſit qualitas materialis.

Arguitur Primò: Senſatio eſt in potentia vitali, nempè ſenſitiva, tanquam ſubjecto proximo, ſed hæc potentia non eſt ſubjectum quantum. ergò. Probat: minor: Quia potentia vitalis quæcunque eſt propria paſſio animæ, ergò & potentia ſenſitiva. ergò non eſt ſubjectum quantum, ſicut nec anima. Reſpondeo, Diſtin: mino: potentia vitalis incorporea, qualis eſt intellectus & voluntas &c. Concedo, corporea ſaltem in quacunque ſui acceptione, nego, quia ùt in Notabili dictum eſt, vel potentia ſenſitiva eſt compoſitum quoddam ſubſtantiale ex anima & organo, vel quædam propria paſſio ejuſdem formaliter diſtincta ab ipſo, ad Prob: diſtin: anteced: eodem modo, & primum conſequens, & nego ſecundam conſequentiam.

V. Potentia ſenſitiva in aliqua acceptione eſt ſubjectum quantum.

Arguitur Secundò: Senſatio ſenſûs interni, v. g. Phantaſiæ, non poſtulat præſentiam, vel exiſtentiam objecti, ergò poteſt competere Chriſto in Evchariſtia. Probatur conſeq. Quia non eſt ratio, ob quam non poſſet convenire, niſi quia objectum debet eſſe localiter præſens ad hoc, ut cum potentia producat ſenſationem vel ſpeciem. Reſpond. Negando conſeq. ejuſque probationem: Ratio enim eſt alia, quia ſubjectum ſenſationis cujuſcunque debet eſſe quid extenſum localiter, tale autem nullum eſt ibi.

VI. Cur ſenſatio ſenſus interni nequeat competere Chriſto in Evchariſtia.

Dico Secundò: *Quamcunque ſenſationem habet Chriſtus primò in cœlo, eandem habet concomitanter in Evchariſtia.* Ita Doctor ibi n. 23. & patet ex prima dicti, quia ſenſatio eſt qualitas abſoluta, ergò ſi ineſt corpori in uno, ineſt & ipſi in quocunque ſit loco. Patet conſeq. Quia nullum abſolutum ſaltem habens omnia requiſita ad ſui conſervationem in uno loco, deſinit ineſſe ſuo ſubjecto in alio, propter novum reſpectum præſentiæ ad alium locum, ſed ſenſatio Chriſti habet in cœlo omnia requiſita ad ſui conſervationem, ergò.

VII. Senſationem, quam habet Chriſtus primò in cœlo, habet concomitanter in Evchariſtia.

Arguitur Primò: Forma aliqua abſoluta, quæ dependet in ſuo fieri & eſſe ab aliquo objecto localiter præſente, non poteſt ineſſe corpori in aliquo loco, in quo ipſum corpus non eſt præſens, ſed ſenſatio eſt talis, & objectum non eſt præſens in Evchariſtia, ergò. Reſpond. diſtin. major. Non poteſt ineſſe ſeu inſieri, primò concedo, concomitanter nego. Patet enim juxta omnes, quòd color, albedo, & ſimiles qualitates, dependent in ſuo fieri à loco, & etiam ab agente præſente, ubi primò fiunt, poſſunt tamen ineſſe concomitanter ſuo ſubjecto, ubi ſubjectum non eſt præſens eidem loco vel agenti.

VIII. Objectioni reſpondetur.

Arguitur Secundò: Senſatio eſt cognitio intuitiva, ergò ſenſatio competens CHRISTO in cœlo, non competit ipſi in Evchariſtia. Probatur conſeq. Quia cognitio intuitiva eſt rei præſentis cognoſcenti, ſed objectum, quod eſt in cœlo, tantum non eſt præſens Chriſto in Evchariſtia, ergò nec ejus cognitio intuitiva ineſt ipſi in Evchariſtia. Reſpond. Negando conſeq. ad probationem diſtin. major. Eſt objecti præſentis cognoſcenti in aliquo loco, in quo eſt cognoſcens, concedo, in omni, nego: Nam præſentia non requiritur ad hoc, ut objectum terminet, cognitionem, ſed ad hoc, ut cauſet, ergo non requiritur præſentia ejus, niſi ubi cognitio primò cauſatur.

IX. Præſentia non requiritur ut objectum terminet, ſed ut cauſet cognitionem.

Dices: Qui habet ſenſationem, v. g. viſionem hìc, videt hìc, ſed non poteſt videre hìc, niſi quòd hìc eſt præſens, ergò. Probatur min. Quia cognitio intuitiva objecti neceſſariò tendit

X. Cognitio intuitiva non debet tendere in præſentiam rei formaliter.

tendit in præsens ùt præsens formaliter. Respond. Negando minor. ejusque probationem: Non requiritur enim ad cognitionem intuitivam, quod tendat in ipsam præsentiam rei formaliter, sed solùm in rem ipsam tàm clarè ac si esset præsens.

XI. DEUS de potentia absoluta potest quāvis sensationem producere in Christo, casu quo tantùm esset in Evcharistia, non concurrente potentia sensitiva, & specie.

Dico Tertiò: *DEUS de potentia absoluta potest quamcunque sensationem producere in Christo casu quo esset tantùm in Evcharistia, non concurrente potentia sensitiva, & sinè concursu speciei.* Ita Scot. 1. q. 4. n. 5. & 3. d. 2. q. 1. n. 4. ubi dicit, quod potest producere omnem effectum sinè causa secunda, quæ non sit de ejus essentia; ratio unica & generalis est, quia quidquid absolutum potest DEUS producere mediante causâ secundâ, quæ non est de essentia ejus, potest & sinè illa, sed potest sensationem mediante objecto præsente, specie & potentiâ producere, ergò & sinè quolibet ex his. Patet major: Quia potest DEUS supplere causalitatem cujuscunque causæ externæ maximè efficientis respectum effectûs absoluti, cujus productio nullam specialem imperfectionem arguit in ipso; talis autem est sensatio. ergò.

XII. Cognitio intuitiva potest supernaturaliter esse objecti non præsentis.

Arguitur: Si DEUS posset producere sensationem sine concursu objecti, posset & ipso absente, sed hoc non. ergò. Prob: minor: Quia cognitio intuitiva non potest esse, nisi objecti præsentis. ergò nec sensatio. Respond. Negand. minor: ad probationem distin: anteced: non potest naturaliter concedo, supernaturaliter nego.

XIII. Non est de essentia cognitionis intuitivæ objectum esse præsens actu.

Dices: Ad essentiam ejus spectat, quòd objectum sit præsens, quia hæc est differentia essentialis ejus, per quam distinguitur ab abstractiva, & ponitur etiam in definitione ejus, ergò. Respond. Objectum esse præsens actu, non esse differentiam essentialem ejus nec spectare ad essentiam, sed differentiam ejus essentialem esse, quòd sit repræsentativa objecti tanquam præsentis, hoc est, quòd sit tàm perfecta, & tàm clara notitia rei quod ipsam repræsentet non secus, ac si esset actù præsens, vide de hoc fusè in libro de anima.

QUÆSTIO TERTIA.

An Christus ut in Evcharistia possit videri oculo corporeo?

I. Opiniones variæ recensentur.

PRima Opinio est, quòd Christus ùt sub modo Sacramentali possit videri oculo corporeo, etsi nunc divinitùs impediatur propter fidem, pro hac Suarez citat Ocham in 4. d. 4. Major. Gabr. & c. Nominales. Secunda negat hoc posse fieri, etiam de potentia DEI absoluta, ita Richardus hìc d. 10. ar. 5. q. 7. Capreolus & Durandus ibi q. ult. Tertia tenet hoc naturaliter fieri non posse, sed benè supernaturaliter modo infra dicendo, ita cum nostro Doct. infra & D. Thoma hìc d. 10. q. 1. art. 4. utraque Schola & passim RR. sed de modo est difficultas, pro quo

II. Corpus ab oculo videri potest dupliciter.

Nota Primò: Corpus ab oculo videri posse dupliciter: Primò tanquam objectum motivum, & terminativum, quod fit, quando per modum objecti non tantùm terminat visionem in se tendentem, sed etiam in ratione objecti effectivè causat visionem, quod est hic movere. Secundò, ùt objectum terminativum tantùm, quod fieret casu, quo visio tenderet in objectum, objecto non concurrente effectivè ad ejus productionem, ùt fit modò in cognitione abstractiva illius.

III. Christus ùt in Evcharistia videri posse, intelligitur dupliciter.

Nota Secundò: Christum ùt in Evcharistia videri posse, intelligi dupliciter. Primò, in sensu reduplicativo, quòd ipsa præsentia Sacramentalis simul cum corpore terminet & causet visionem, & per consequens videatur. Secundò, in sensu specificativo, quòd solum corpus, quod est sub præsentia independenter ab ipsa terminet & causet visionem, manendo tamen sub præsentia.

IV. Præsentia Sacramentalis nequit esse obje-

Dico Primò: *Corpus Christi ùt in Evcharistia in sensu reduplicativo non potest esse objectum motivum vel termi-*

[margin: ...ctum terminans vel causans visionem sensitivam, etiam de potentia absoluta.]

terminativum visionis, seu, quod idem est, ipsa præsentia Sacramentalis non potest esse objectum etiam partiale terminans vel causans visionem sensitivam, etiam de potentia DEI absoluta. Est communis & probatur: Quia visus de potentia DEI absoluta non potest ferri in aliquod objectum, nisi in suum sensibile proprium vel commune, sed illa præsentia neutrum est, ergò. Probatur major: Quia nulla potentia potest elevari ultra suum objectum adæquatum, objectum autem visus est sensibile proprium vel commune, ergò. Prima pars min. patet: Quia sensibile proprium visûs est color, vel lumen, sed illa præsentia nullum horum est, ergò. Secunda probat: Quia sensibilia communia sunt tantum quinque, nempe numerus, motus, quies, figura, & magnitudo, sed illa præsentia nullius horum rationem habet, ergò.

V. Aliæ Rationes ad idem.

Dices: Hanc præsentiam reduci ad motum, quia per motum ibi intelligitur passio terminus motûs, nempe præsentia localis, & secundariò quælibet præsentia.

Contra & probatur Secundò: Præsentia est Relatio, ast nullus sensus de potentia DEI absoluta cognoscit Relationes, ergò. Probatur major: Quia Relatio est extra rationem objecti adæquati sensûs, aliàs sensus defactò aliquam relationem cognosceret, quòd est falsum, aliàs Nominales non negarent dari relationes, quas sic viderent.

Probatur Tertiò: Objectum adæquatum cujuscunque sensus est ens naturale, id est, producibile viribus naturæ, sed hæc præsentia non est talis, ergò.

VI. Corpus Christi, ùt in Eucharistia in sensu specificativo nequit naturaliter causare vel terminare visionē corpoream.

Dico Secundò: *Corpus Christi, ùt in Eucharistia in sensu specificativo non potest naturaliter ad visionem corpoream effectivè concurrere, vel eam terminare, probabile tamen est, quòd de potentia DEI absoluta posset utrumque ipsi competere.* Prima Pars est Doct. Subt. supra q. 9. n. 5. & patet, quia Christus eatenus dicitur videri, quatenus colores ejus videntur, sed colores Christi in Eucharistia non possunt videri seu causare vel terminare visionem corpoream, ergò. Prima Pars minoris quantùm ad causare patet, quia nullum agens quantum potest naturaliter efficere formam corpoream in aliquo passo, nisi ipsum agens sit localiter extensum & aproximatum passo, sed colores Christi non sic se habent in Eucharistia, sicut nec ipse Christus, ergò non potest concurrere vel ad speciem, vel ad visionem producendam in oculo. Secunda Pars quantum ad terminare, patet hinc, quia nullum objectum potest naturaliter terminare visionem extensam & corpoream, nisi ipsum sit localiter extensum, ergo.

VII. De potentia tamen absoluta probabiliter illi cōpetere potest utrumque.

Secunda Pars Conclusionis probatur: Quia Christus in Eucharistia habet principium formale objectivè terminandi & efficiendi visionem, & solùm ipsi deest conditio quædam positiva naturaliter requisita ad agendum, sed DEUS potest supplere defectum cujuscunque conditionis talis, maximè si effectus sit absolutus, & nullum det principium agendi physicum, ut in proposito, ergò. Major patet: Quia tale principium est sensibile proprium visûs, nempe color, & nil deest, nisi extensio in ordine ad locum, hæc autem non est nisi conditio tantùm requisita ad agendum, ergo. Minor etiam probatur: Quia potest DEUS supplere concursum subjecti ad visionē, gratiæ ad actum moritorium, luminis gloriæ ad visionem beatificam, & generaliter cujuscunque causæ extrinsecæ, ergò & à fortiori supplere defectum conditionis positivæ, qualis est hæc localis extensio.

VIII. Posset Deus visionem Corporis CHRISTI causare in oculo corporeo tàm beato, quàm non beato, licèt illud nusquam esset nisi in Eucharistia.

Dico Tertiò: *DEUS posset visionem Corporis Christi causare in oculo corporeo tàm beato, quam non beato, licet illud nusquam esset, nisi in Eucharistia.* Est contra Suarez disp. 53. sect. 4. Scoti tamen ubi supra primæ & tertiæ Sententiæ, ùt patet ex dictis supra & probatur Primò: Quia DEUS potest causare visionem alterius corporis in oculo Christi, ergò & Cor-

& Corporis Christi in alio oculo, quia modus existendi Sacramentalis non magis impedit terminationem visus in objecto, quàm receptionem ejus in subjecto. Secundò, Generaliter, quidquid absolutum potest DEUS producere concurrente causâ secundâ efficiente, potest & sinè illa ùt supra dictum est, sed potest hanc visionem mediante corporeo localiter præsente, ergo & sinè illo.

Arguitur Primò: Præsentia localis potest videri ab oculo, quia potest oculus discernere inter præsentiam & distantiam, ergò & Sacramentalis. Respond. Nego conseq. Quia oculus non tendit, nisi in localiter extensum. Secundò: Quia non tendit, nisi in ens naturale, Sacramentalis autem præsentia est neutrum. Deindè falsum est, quòd oculus tendat in ipsam præsentiam formaliter sumptam, vel discernat ipsam â distantia formaliter sumpta, aliàs species & conceptus præsentiæ esset ejusdem rationis apud omnes, quod falsum est, cùm hi dicant esse relationem, illi absolutum, sed solum tendit in colorem, vel lumen, quod est præsens, intellectus autem propter species perfectiores & imperfectiores rei discernit, an sit præsens, an distans.

IX. Oculus nequit videre præsentiã localem formaliter.

Arguitur Secundò contra Secundam, juxta Nominales: Si esset aliquid impediens Corpus Christi videri in Eucharistia, esset ipse modus existendi Sacramentalis, sed hic non, ergò. Probatur minor: Quia præsentia localis solùm ideò requiritur ad agendum, ut agens & passum sint propinqua, sed Sacramentalis præsentia non impedit, sed auget hanc propinquitatem, quia ponit totum Corpus Christi in singulis partibus Hostiæ, & sic totum magis propinquum agenti, quàm si esset extensum ibi. Respond. Nego min. & probationis major. Quia non ideò tantùm requiritur, quòd sint propinqua, sed ut modo proportionali & convenienti naturæ effectûs & agentis, quæ sunt ambo ex sua natura extensa, sint propinqua, nempe localiter & extensivè.

X. Modus existendi Sacramentalis impedit Corpus Christi videri in Eucharistia.

Arguitur Tertiò: Lux si esset punctalis, posset naturaliter videri ab oculo, ergò Corpus Christi in Eucharistia, quia non est hic sub ratione minus visibilis, quàm forma punctalis. Antecedens patet, quia talis diffunderet se sphæricè per medium ad oculum. Rspond. Negando anteced. ejusque probationem.

XI. Lux punctalis non posset naturaliter videri ab oculo.

Hic adverte Primò: Quòd posset dici, quòd Christus videatur oculo corporeo tanquam contentum in continente. Secundò: Quod D. Thomas dicat, quòd oculus Christi defactò videat se ipsum in Eucharistia.

XII. Quomodo posset dici Christum videri oculo corporeo.

QUÆSTIO QUARTA.

An possit intellectus creatus naturaliter cognoscere existentiam Christi in Eucharistia?

I. Sententiæ Authorum referuntur.

PRima Sententia negat ita D. Thomas 4. p. d. 10. q. ult. D. Bonavent. Richard. & passim Thomistæ. Secunda affirmat ita Scotus 4. d. 10. q. 8. Occham q. 5. & passim Scotistæ & Nominales, qui intelligunt hoc de essentia humanitatis in Eucharistia in sensu tàm reduplicativo, seu specificativo, seu clarius, tàm de existentia illius, quàm de præsentia Sacramentali. Ex Thomistis autem aliqui admittunt, substantiam Christi posse naturaliter ab intellectu cognosci, præsentiam verò, omnes negant.

II. Intellectus creatus duplex est.

Prænota Primò: Intellectum creatum esse duplicem, unus est dependens â sensibus in operando, qualis est intellectus animæ conjunctæ corpori corruptibili, & hic nil intelligit, nisi mediantibus speciebus sensuum externorum vel phantasmatibus, nam licèt aliquando imperfectè concipiat res insensibiles ùt DEUM & Angelum, hoc tamen fit concipiendo objecta sensuum in aliquo abstracto gradu, & derivando eundem conceptum ad tales res. Alius est independens â sensu, qualis est Angeli, animæ separatæ vel conjun-

conjunctæ corpori glorioso, & hic non operatur per species sensibiles, sed immediatè accipit species intelligibiles ab ipsis rebus naturalibus quibuscunque.

III. Quæ cognitio naturalis, & supernaturalis. Nota Secundò: Quòd illa cognitio dicatur naturalis, vel naturaliter elici, quam intellectus elicit cum concursu ordinario DEI nullo alio physicè concurrente quàm objecto vel specie ab objecto transmissa, sicutècontra dicitur supernaturalis, quæ fit mediante concursu extraordinario, vel lumine interno, nec specie impressa ab objecto, sed â DEO specialiter producta.

IV. Entis supernaturalis triplex acceptio. Nota Tertiò: Variè dici aliquod ens supernaturale: Primò, quòd est extra ordinem omnem naturæ, seu rerum creatarum, quæ modo solus DEUS est ens supernaturale. Secundò, quod est productum â solo DEO, idque extraordinario modo, & aliàs â causa creata produci non repugnat, sic visus restitutus cœco dicitur supernaturalis, sed hæc supernaturalitas est prorsus accidentalis rei. Tertiò, quod non potest produci sinè speciali DEI concursu vel auxilio extraordinario, & hoc dupliciter: Primò, quòd auxilio DEI speciali vel concursu extraordinario simul cum causa creata producitur, quales sunt actus meritorii, fruitionis & visionis beatificæ. Secundò, quod non debetur naturæ rerum, nec potest produci sine concursu DEI extraordinario nullâ causâ secundâ concurrente, & sic producitur gratia, præsentia Sacramentalis.

V. Intellectus creatus potest per fidem supernaturalem & naturalè cognoscere existentiam Christi in Evcharistia. Dico Primò: *Intellectus creatus potest obscurè & per fidem etiam naturaliter cognoscere existentiam Christi in Evcharistia.* Est communis & Prima Pars, scilicet, quòd per fidem supernaturalem, patet, quia sic nos defactò cognoscimus. Secunda, quod etiam per fidem naturalem seu naturaliter, patet Primò, nam sicut alia mysteria fidei dæmones coguntur credere, ita & hoc, juxta illud D. Jacobi, Dæmones credunt & contremiscunt. Secundò, quia sic defactò credunt Lutherani, cùm nullam fidem divinam habeant, quia hæc stare cum hæresi non potest, omnes etiam credere possunt fide humana, credendo testimoniis aliorum.

Dico Secundò: *Intellectus viatoris seu dependens â sensibus non potest naturaliter cognoscere intuitivè existentiam Christi in Evcharistia.* Ita Scotus supra n. 6. & omnes, & patet ex dictis supra, quia talis intellectus nil potest cognoscere naturaliter saltem intuitivè, nisi ex sensibilibus prius â sensu cognitis, sed nulla sunt in proposito sensibilia, ex quibus sic cognitis possit existentia Christi cognosci, quia accidentia ipsius Christi non possunt hic sensu percipi, & accidentia Panis non ducunt in naturalem cognitionem Christi, sed solius esse Panis, cùm nihil naturaliter significent nisi Panem, ergo. VI. Intellectus viatoris nô potest naturaliter cognoscere intuitivè existentiã Christi in Evcharistia.

Dico Tertiò: *Intellectus independens â sensibus potest naturaliter videre substantiam Corporis Christi, etsi nusquam sit nisi tantum in Evcharistia.* Ita Scotus supra num. 7. Majo. Bassolius, Rubion, Occham, Gabriel, & alii Nominales, & ex aliis Cajetanus, Ægidius & Suarez supra Sect. 5. & Probatur Primò, quia intellectus dependens â sensu, potest naturaliter videre suum objectum materiale, & per se independenter â quocunq; accidentali ejusdem, sed substantia Corporis Christi est objectum naturale, & per se talis intellectus & præsentia ad species est modus accidentalis ejus, ergo. Major probatur Primò: Quia talis intellectus potest primò cognosere illud, quod ex sua natura est prius altero, sed substantia est prior suo accidente, ergo. Major patet: Quia talis intellectus cognoscit res sicut cognoscibiles sunt, sed illa res est prius cognoscibilis, quæ est prior natura, quia cognoscibilitas est propria potentia essentialis talis rei, & per consequens res prior habet potentiam priorem, ergo. VII. Intellectus independens â sensibus potest naturaliter videre substantiam Corporis Christi, etsi nusquam sit in Evcharistia.

Probatur Secundò eadem Major & Conclusio: Quodcunq; in suo esse est independens ab alio, illud & VIII. Alia Ratio ad idem.

in cognosci intuitivè, etiam ab intellectu non alligato sensui, est independens ab eodem, sed substantia quæcunque est independens in suo esse à præsentia quacunque, cùm sit prior naturâ & realiter distincta ab hoc, ergo. Major patet ùt supra, quia aptitudo ad cognosci etiam intuitivè ab intellectu præsente est propria potentia objecti naturalis intellectûs, ergo.

IX. Item alia à paritate.

Probatur Tertiò Conclusio: Potest naturaliter ab intellectu cognosci & videri humanitas Christi non cognitâ unione hypostaticâ, & accidentia separata non cognito modo existendi extra subjectum, quem tamen Thomistæ volunt esse modum positivum distinctum ab eadem entitate, ergo & substantia Corporis Christi, & quodcunque subjectum naturale non cognito modo accidentali ejus. Item juxta Thomistas potest naturaliter videri anima separata non visa gratia informante, ergo. Adde quòd ipsa præsentia poterit naturaliter cognosci. Unde

X. Intellectus independens à sensibus à Deo non impeditus potest videre naturaliter præsentiam Sacramentalem.

Dico Quartò: *Intellectus independens à sensu, nisi à DEO impediatur, potest naturaliter videre ipsius præsentiam Sacramentalem naturaliter.* Ita cum Scoto supra num. 8. & in Respons. ibi secunda Opinio, & Probatur præsentia Sacramentalis continetur intra latitudinem objecti naturalis & adæquati intellectus independentis à sensu, ergo potest naturaliter ab hoc intuitivè cognosci, quia objectum naturale potentiæ potest ab ipsa videri naturaliter, si sit ipsi præsens. Antecedens patet: Totum ens saltem creatum est objectum naturale intellectûs maximè abstracti, ergo à sensibus.

Respondent: Quòd totum ens creatum ordinis naturalis, non verò supernaturalis sit objectum naturale, sed contra Primò, per hoc quòd sit naturale vel supernaturale non variatur natura alicujus entis in se. Sed tantùm dicit diversam habitudinem ad causam producentem, sed diversa habitudo ad aliud, & aliud agens non facit aliquid in se esse aliud & aliud, juxta D. Aug. 3. Trinit. ergò nec facit illud aliud & aliud in esse intelligibilis.

XI. Supernaturalitas non variat naturam entis in se, aut in esse intelligibilis.

Contra Secundò & efficaciùs: Illa præsentia eatenus dicitur supernaturalis, quatenus à solo DEO produci potest, & non debetur naturaliter corpori, sed hoc non impedit, quo minus naturaliter videri possit, ergo. Probatur major: Quia quod à solo DEO produci potest, ùt anima & Angelus potest naturaliter videri, & quod non debetur naturaliter corpori, potest etiam videri, ùt patet de ubi gravis sursum, de calore aquæ, & aliis violentis, & etiam miraculosis, quæ non debentur naturis rerum.

XII. Alia Ratio quòd præsentia Sacramentalis possit naturaliter videri.

Tertiò, visus de potentia absoluta DEI non potest etiam partialiter concurrere ad cognitionem soni vel saporis, sed ratio hujus non est alia, nisi quia sapor vel sonus sunt extra latitudinem objecti naturalis, & adæquati ejus, ergo intellectus non potest de potentia DEI absoluta concurrere etiam partialiter ad cognitionem præsentiæ Sacramentalis, vel alterius entis supernaturalis, si sit extra latitudinem objecti naturalis & adæquati ejus, consequens est falsum, ergò.

XIII. Item alia.

Arguitur Primò: Substantia non potest naturaliter videri, id est, intuitivè cognosci, nisi cognoscatur etiam ejus præsentia, sed præsentia Christi in Evcharistia non potest naturaliter cognosci intuitivè, ergò nec substantia. Major patet: Quia non potest naturaliter produci, nisi producatur aliquod ejus ubi, ergo nec naturaliter cognosci, nisi cognoscatur ejus ubi. Respond. distin. major. Nisi cognoscatur ejus præsentia, si illa sit naturalis, transeat, si supernaturalis, ùt in proposito, nego. Respond. Secundò nego major. cujus falsitas patet ex dictis.

XIV. Substantia potest naturaliter cognosci non cognitâ ejus præsentiâ saltem supernaturali.

Arguitur Secundò Con. 4. Præsentia Sacramentalis est ens supernaturale, hoc est, à solo DEO producibile, ergo non potest cognosci nisi supernaturaliter. Probatur conseq. Primò, quia quod non potest produci

produci nisi supernaturaliter, non potest nisi supernaturaliter cognosci, ergo. Secundò, quia entitas hujus præsentiæ est supernaturalis, ergo & cognoscibilitas, quia potentia est talis, quale subjectum. Respond. nego conseq. ad primam Probat. nego anteced. Patet enim, quòd anima rationalis vel Angelus cognoscatur naturaliter, licèt solùm supernaturaliter, hoc est, à solo DEO, possit produci. Ad Secundum disting. primum consequens, ergo & cognoscibilitas est supernaturalis in produci, seu in ordine ad causam producentem, concedo, quia posito quòd sit aliquid reale formaliter distinctum à suo subjecto, nempe præsentia, à solo DEO producitur, in ordine ad terminari, seu ad cognitionem, ad quam terminatur, nego. Nam cùm præsentia possit cognosci cognitione tàm naturali, quàm supernaturali, & cognoscibilitas ejus non sit aptitudo ejus ad cognosci, seu cognitio qua cognoscitur, sequitur, quòd illa cognoscibilitas non necessariò terminetur ad cognitionem supernaturalem, & per consequens ipsa non sit supernaturalis in ordine ad cognitionem.

XV. Supernaturale potest cognosci naturaliter.

Arguitur Tertiò: Quia si Angelus vel anima posset naturaliter videre hanc præsentiam, hoc fieret per propriam speciem ipsius præsentiæ, sed hoc non est possibile, ergo. Major patet: Quia ad visionem requiritur necessariò species, sed aliena, v.g. substantiæ Christi, vel alia, non sufficit, quia talis est improportionata, ergo propria requiritur. Patet & minor: Primò, quia quod est ordinis supernaturalis, non imprimit sui speciem potentiæ naturali, ergò. Secundò si imprimeret, cognitio postea per hanc elicita non esset naturalis, ergo. Patet anteced. Quia illa cognitio esset supernaturalis, ad quam aliqua causa supernaturalis concurrit, ad talem concurreret ipsa præsentia, quæ est supernaturalis & objectum ejus, ergo. Respond. Nego minor. ad primam probationem nego anteced. ad secundam nego etiam anteced. cujus probationem disting. ad quam concurrit aliqua causa supernaturalis ab objecto vel specie ab ipso producta distincta, concedo, indistincta nego, in proposito autem ipsa præsentia tantum per modum objecti concurrit, & species ab eo producta per modum causæ partialis.

XVI. Præsentia Sacramentalis potest producere sui speciē.

Arguitur Quartò: Si Angelus posset intuitivè videre præsentiam Christi in Eucharistia, quando actu ibi est, potuit & abstractivè illam cognoscere esse possibilem antequam fieret, sed hoc est contra PP. quia hoc mysteriam vocant ineffabile & super omnem intellectum. Respond. Primò negando sequelam majoris: Quia potest res videri mediante specie quando est, quæ non potest saltem in suo esse specifico abstractivè cognosci, & ut possibilis quando non est, quia tunc deest species repræsentativa ejus vel alterius ei similis. XVII.

XVII. Res existēs potest videri, etsi non ut possibilis.

Respond. Secundò nego minor. Quia ex eo, quòd sit ineffabile, non potest inferri, quòd non posset cognosci saltem in confuso, quòd sit possibile, sed solùm quòd non possit cognosci ab intellectu ligato sensibus defacto, vel ab ullo tanquam certitudinaliter futurum. XVIII.

XVIII. Angelus potuit aliquo modo cognoscere possibilem præsentiam Sacramentalem.

Arguitur Quintò: Intellectus non potest naturaliter videre DEUM, ergo nec aliud ens supernaturale. Respond. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia DEUS est objectum voluntarium, & sic intellectus creatus non potest habere ipsum sibi naturaliter præsentem, ùt possit ipsum intueri, alia verò sic. XIX.

XIX. Cur ens supernaturale possit videri naturaliter, & non Deus.

QUÆSTIO QUINTA.

An Christus in Eucharistia existens posset per aliquam naturalem virtutem transmutare aliquid aliud á se?

Adverte Primò ex Scoto d. 10. q. 7. n. 2. quòd potentiæ hominis sint in duplici differentia, aliquæ corporeæ, quæ non conve- I.

I. Potentia hominis sunt multiplices.

niunt animæ per se primò, sed toti composito ex anima & corpore, ex his etiam aliquæ sunt magis corporeæ, & quæ sequuntur naturam corporis mixti, ùt potentiæ vegetativæ, aliæ minus, quæ magis accedunt ad naturam animæ, & sequuntur corpus animalium quà tale, ùt potentiæ sensitivæ, aliæ verò sunt spirituales, quæ animæ per se primò & toti ratione animæ competunt, & hæ iterum sunt duplices, aliæ merè spirituales, quæ in sua entitate sunt spirituales, & habent operationes seu effectus spirituales, ùt intellectus & voluntas, aliæ spirituales non merè, quæ nempe licèt in entitate sint spirituales, cùm animæ primò competant, tamen habent effectus corporeos & externos, nempe præsentias locales, qualis est præsentia qua anima vel Angelus possunt movere corpus per se primò, & vocatur potentia locomotiva non organica, quia non dependet ab organo, sicut & potentia, qua movetur una pars corporis per aliam & post aliam dicitur potentia motiva organica, & aliter progressiva.

II. Quid potentia locomotiva non organica & organica.

III. Quo sensu Scotus actiones potentiæ motivæ inorganicæ vocet corporalem & spiritualem.

Adverte Secundò, quod Scot. ibi num. 2. vocat actionem potentiæ motivæ non organicæ corporalem ex parte termini, nempe præsentiæ localis, quæ in corpore per eam producitur, & spiritualem ex parte fundamenti, nempe ipsius potentiæ, & hinc potentiam ipsam placuit vocare suo modo spiritualem; sicut & actionem potentiæ merè spiritualis, vocat merè spiritualem ex parte termini & fundamenti, id est, effectus & potentiæ.

IV. Christus ut in Evcharistia nequit per potentiam corpoream producere in alio qualitatem corporeã.

Dico Primò: *Christus ut in Evcharistia non potest per aliquam potentiam corpoream transmutare aliquid aliud à se seu producere in alio qualitatem corpoream.* Est Doct. Subt. & communis. Et Ratio est jam sæpè assignata, quia ad hoc requiritur approximatio localis agentis ad passum, hanc non habet Christus hic, ergo.

V. Potest autem aliud passum capax immutare per actionem potentiæ merè spiritualis.

Dico Secundò: *Christus ut in Evcharistia potest transmutare aliud passum capax per actionem potentiæ merè spiritualis.* Ita Doct. Subt. n. 9. Probatur: Christus in Evcharistia naturaliter potest illuminare Angelum sibi præsentem, vel animam Sacerdotis, seu producere intellectum in intellectu ejus, ergo. Patet anteced. Primò, quia agens, quod potest producere aliquam qualitatem in se ipso, potest & producere eandem in quocunque subjecto capaci debitè approximato, sed anima Christi potest producere intellectionem in se ipsa, & anima Sacerdotis vel Angelus est subjectum capax ejusdem, & potest esse debitè approximatum, quia potest esse præsens ipsi præsentia definitiva, cum alterius præsentiæ non sit capax, ergò. Major patet Primò: Quia est proportio activi naturalis ad passivum naturale, quod in ipso producit formam, quam potest producere & passivum recipere, si sit debitè applicatum. Patet Secundò anteced. Quia unus Angelus potest producere intellectionem in intellectu alteriꝰ Angeli, ùt fusè prob. Scot. 2. d. 9. q. 2. & alii.

VI. Anima Christi in Evcharistia potest per potentiam locomotivã inorganicam movere aliud corpus sibi præsens circumscriptivè.

Dico Tertiò: *Anima Christi in Evcharistia potest per potentiam locomotivam non organicam movere aliud corpus sibi circumscriptivè præsens.* Ita Scot. ibi n. 4. Tatar. & alii Scotistæ ibi; & Probatur Primò: Angelus defacto potest movere, imò defactò movet corpus per potentiam motivam non organicam, cùm sit sinè corpore, ergo & anima Christi potest per talem potentiam similiter corpus aliquod movere. Probatur: Quia nulli naturæ, maximè animæ Christi debet negari, quod est in anima perfectionis, nisi in hoc manifestè appareat contradictio, sed in anima Christi esset perfectionis movere sic corpus, quia est mobilis quædam activitas, & nulla apparet in hoc contradictio, quia species vel aliud vicinum est capax illius effectûs scilicet præsentiæ localis, & agens nempe anima habet activitatem ùt supponitur, & nulla deest conditio requisita ex parte passi vel agentis, ergo. Major patet ex illo Aristotelis 7. de generatione in fine, digni-

significanda est natura semper secundùm melius quantum possibile est. Et hinc colligit Scot. quòd probabiliter Christus usus sit hàc potentiâ aliquoties, vel movendo species à loco in locum, vel movendo suum corpus, quod elapsum est de manibus Judæorum.

VII. Christus potentiâ locomotivâ inorganicâ quandoque usus est.

Arguitur Primò contra Secundam: Si Anima Christi produceret intellectionem in alio, aliud diceretur intelligens per eandem, sed hoc est falsum, ergò. Probatur minor: Quia nullus dicitur intelligere, nisi qui elicit intellectionem, nam intellectio est actio vitalis. Respond. Nego min. ad probationem nego antecedens, ejusq; probationem, nam licèt intelligere ut fit naturaliter & ordinariè importet duo, nempe productionem & receptionem intellectionis in eodem principio, tamen propriè non dicit, nisi recipere intellectionem, quia, ùt ait Philosophus, intelligere est quoddam pati.

VIII. Intelligere quid importet.

Arguitur Secundò contra Tertiam: Si anima moveret, tunc corpus per actum voluntatis ipsum moveret, aliàs non liberè sed necessariò velit nolit moveret, sed voluntas non agit ad extra maximè in corpus, ergo. Respond. disting. major. moveret imperativè per actum voluntatis, concedo major. executivè vel formaliter, nego major. voluntas enim imperat potentiæ locomotivæ sicut aliis potentiis, & illa exequitur formaliter causando motum, sicut potentia Angelica movet.

IX. Voluntas imperativè, potentia locomotiva verò formaliter & executivè movet.

Arguitur Tertiò: Illa potentia non organica est eadem necessariò cum organica, vel diversa, non primum, quia organica non potest aliud corpus movere, nisi partes movendo, & unam partem post aliam, non organica verò movet corpus per se primò, ergo nec secundum, quia non sunt multiplicanda entia, &c. Pro solutione nota Scot. in hac difficultate videri varium suprà namque q. 7. n. 4 & 5. & 1. insinuat, quòd sit diversa potentia, postea autem d. 49. q. 14. docet, quòd sit prorsus eadem, unde quia in hoc secundo loco magis resolutivè loquitur, & videtur retractâsse, quod ante dixit. Respond. Quòd sit eadem & cum dicit, quòd organica non potest movere nisi partes, disting. pro statu viæ, concedo, gloriæ, nego. Etsi enim eadem sit potentia in utroque statu, non potest tamen eodem modo agere pro utroque, nam in statu viæ anima dependet â dispositione corporis in agendo, & partes corporis sunt magis dispositæ ad motum quàm aliæ, & has anima primò movet, & his mediantibus postea alias minus dispositas quod est moveri organicè; in statu gloriæ autem anima erit independens, & partes omnes erunt æquè dispositæ, & sic poterunt simul moveri.

X. Potentia non organica est eadem cum organica, non tamen eodé modo agit pro statu viæ & patriæ.

Dices: Hæc potentia non reducitur ad actum pro hoc statu, ergò est frustranea. Respond. Nego conseq. Quia etiam aliqui sensus, v. g. odoratus, gustus, in patria non reducentur ad actum; non erunt tamen frustra, quia pertinent ad perfectionem naturalem ejus in quo sunt, & eorum fuit usus in via, sicut & hujus potentiæ in patria. Deindè falsum est antecedens: Nam si illa sit eadem cum organica, deducitur ad actum organicum pro hoc statu movendo corpus progressivè per partes, & sic tantùm impeditur in modo causandi.

XI. Potentia quæ non reducitur ad actum, nô est semper frustranea.

Dices Secundo: Eadem potentia operativa, seu sensitiva, non potest esse simul organica & non organica, ergo nec eadem factiva, seu locomotiva. Anteced. patet: Quia anima non potest independenter ab organo aliquid videre, audire, &c. alias anima separata posset has & similes sensationes habere, ergo. Respond. Nego conseq. Ratio disparitatis est ex Doct. Subt. 4. d. 49 q. 14. n. 8. & 9. quia actus potentiæ sensitivæ tres conditiones debet habere, nempe quòd sit actus immanens, extensus, & vitalis, & ex prima postulat quòd recipiatur in principio, â quo producitur, ex secunda, quòd illud principium sit extensum, ex tertia, quòd sit vitale, & ex his omnibus,

XII. Cur Potentia eadem sensitiva nequeat esse organica & non organica, sic verò locomotiva.

bus, quòd sit compositum ex anima & organo, seu potius potentia per se primò huic composito competens, & hinc sequitur, quòd actus ille dependeat necessariò ab organo, & per consequens potentia ipsum efficiens non potest esse in organo; Potentia verò locomotiva non habet actum immanentem, vel ex genere suo vitalem pro effectu, sed formam in alio passo productam, nempe ubi, quæ indifferenter potest recipi in principium vitale & organicum, & in aliud non tale, & hinc potentia ipsam producens, potest esse organica & non organica.

QUÆSTIO SEXTA.

An possit Corpus Christi in Eucharistia moveri?

I. Motûs seu mutationis duplex acceptio.

Quæstio intelligitur de motu non solùm locali, sed quocunque alio, pro quo nota Primò ex Doct. Subt. hic d. 10. q. 9. motum seu mutationem, ùt extendit se ad divisibilem & indivisibilem, dupliciter sumi, Primò strictè prout ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & ubi, ad quæ solùm dari motum docet Philosophus 5. Physic. Sect. 29. Secundò latè prout dicit acquisitionem cujuscunque formæ etiam non pertinentis directè ad prædicta quatuor genera, & hoc modo ubi Sacramentale potest esse terminus motûs seu mutationis.

II. Præsentia Christi ad ubi specierum, est similis Sacramentali ad species.

Nota Secundò: Quòd præsentia, quam habet Christus ad ubi specierum sit similis Sacramentali præsentiæ ejus ad species, quia per eas Christus totus est in singulis partibus istius loci, non secus ac sub singulis partibus specierum, & hic suo modo est Sacramentalis, & non potest produci, nisi ab eo, â quo Sacramentalis.

III. Cur Christus ut in Eucharistia nequit moveri primò mutatione propriè â virtute creata materiali.

Dico Primò: *Corpus Christi ùt in Eucharistia, non potest moveri primò motu vel mutatione propriè dicta â virtute creata materiali, sed benè â divina.* Est Scot. supra n. 2. & Prima Pars Probatur Primò ex dictis suprà: Quia virtus creata quæcunque potens agere in corpus, necessariò postulat illud esse localiter extensum, nam sine hac extensione non potest primò recipere formam extensam, sed Corpus Christi in Eucharistia nòn ita se habet, ergo. Secunda etiam patet: Quia Corpus Christi est ex se passum capax termini talis motûs, & solùm deest ipsi hic conditio requisita naturaliter, nempe extensio localis. DEUS autem potest hanc supplere, ergo. Hinc benè adverte, quòd non dicamus, quòd Christus ipse, sed quòd Corpus Christi non possit moveri motu strictè dicto, nam anima Christi potest moverì â seipsa, vel Angelo ad intellectionem vel nolitionem, imò objectum quodcunque præsens causat effectivè intellectionem in ipsa.

IV. Benè autē â Divina virtute.

V. Corpus CHRISTI movetur concomitanter animi motu ad formam absolutam, quo movetur primò ut in cœlo, non tamen motu locali.

Dico Secundò: *Corpus Christi in Eucharistia movetur concomitanter omni motu ad formam absolutam, quo movetur primò ut in cœlo, non tamen motu locali, vel alio simili.* Ita Scot. ibi est communis pro utraque parte. Prima patet: Quia quomodocunque formam absolutam acquirit Primò ùt in cœlo, eandem acquirit concomitanter in Eucharistia, ergo. Secunda est probata suprà disp. 6. q. 11.

VI. Christus ùt in Eucharistia potest moveri primò motu latè sumpto.

Dico Tertiò: *Christus ùt in Eucharistia potest moveri primò motu latè sumpto, non tamen ab alio agente, etiam per accidens quàm â solo DEO.* Prima Pars est Scot. ibidem & certa, quia Christus ad motum specierum movetur ab uno loco ad alium, quia dependet & acquirit præsentiam ad locum specierum, sicut & ipsæ species, sed non dependet ad ubi propriè dictum, quia tale hic non habet, sed ubi quasi Sacramentale, nec movetur in cœlo hoc motu, ergo movetur Primò ùt in Eucharistia. Secunda Pars est Scot. Gabriel, Tatar. &c. contra D. Thom. 3. p. q. 76. art. 6. Cajetanum, Sotum, Suarez, Vasq. & passim RR. qui dicunt, quod tunc per accidens â Sacerdote moveatur. Probatur tamen Primò: Quod movet corpus aliquod, sive per se, sive per accidens, debet necessariò physicè producere terminum talis motûs,

VII. Sed non ab alio agente etiam per accidens quàm â solo Deo.

tûs, sed nullum agens creatum potest physicè producere terminum motûs, quo Christus movetur à loco in locum ad motum specierum, ergò nullum creatum per se vel per accidens movet Christum tali motu, major patet, quia terminus motus debet ab aliquo physicè produci, sed non ab alio, quàm â causante motum, ergò. major probatur, quia præsentia Christi ad locum, in quo sunt species, est terminus motûs, sed hæc non potest produci ab agente creato, quia nullum agens creatum potest ponere totum Christum præsentem singulis partibus loci specierum, ergò nec singulis partibus loci specierum, quod tamen ad hunc motum requiritur. ergò.

VIII. Instantia Vasquez refellitur. Dices cum Vasq. quòd Christus non habeat aliud, ubi ad locum specierum, quàm ipsum ubi specierum, quod ubi cùm sit per se specierum & per accidens Christi, ita & motus ad ipsum terminatus erit per se specierum & per accidens Christi. Sed Contra. Ubi specierum est extensum & circumscriptivum, ubi Christi inextensum, cùm Christus sit totus in singulis partibus istius loci, hostia verò minimè, sed una pars ejus in una parte, & alia in alia.

IX. Alia ratio, quòd virtus creata nequeat movere Corpus Christi in Eucharistia. Probatur Secundò: Virtus creata non potest corpus aliquod, nisi localiter extensum, movere â loco in locum, sed Corpus Christi hîc non est tale. ergò.

Dices, quòd non possit per se, benè tamen per accidens ratione alterius per se moti, sicut per accidens movetur grave ratione navis, & anima rationalis ratione Corporis per se moti. Sed Contra Primò nil movetur primò per accidens ad motum alterius per se moti, nisi quod est annexum illi alteri vel tanquam pars in toto, vel tanquam forma in subjecto, vel per aliam naturalem conjunctionem, sed Corpus Christi nullô modô ex his est annexum speciebus, sed ex libero DEI decreto. ergò. vel sic: quando aliqua conjunguntur præcisè per actum voluntatis contingenter se habentis ad illam conjunctionem, si unum illorum sit mobile improportionatum alicui moventi, & alterum proportionatum, tunc agens, quod movet per se primò, illud proportionatum non propterea movet illud improportionatum per accidens, sed præcisè per actum voluntatis Divinæ conjungitur Corpus Christi speciebus, & est mobile improportionatum virtuti creatæ. ergò virtus creata movens species per se, non movet illud per accidens. Major patet Primò. Quia nil movetur per accidens ad motum alterius, nisi quod isti alteri, vel tanquam pars toti, vel tanquam forma subjecto, vel ex alia naturali necessitate est annexum, v. g. grave ei, cui innititur, sed quod est conjunctum præcisè per actum voluntatis contingenter se habentis, nullô modô ex his est conjunctum, patet secundò in exemplo, quia si Angelus voluntariè ponat se super lapidem, si moveo lapidem, non propter hoc moveo Angelum etiam per accidens, cùm non sit mobile mihi proportionatum, vel naturaliter connexum lapidi.

X. Quod movetur per accidens ad motum alterius per se moti.

XI. Corpus Christi cõjungitur speciebus tantùm ex Decreto Dei.

XII. Anima Christi nequit movere Corpus Christi, nec anima separata per se animam Christi in Eucharistia.

Arguitur Primo: Anima Christi in Eucharistia potest per potentiam loco motivam non organicam movere aliud corpus, ergò & Christi. Respond. Nego consequ. Quia Corpus Christi non est extensivè in loco, sicut aliud. ergò nec naturaliter capax motûs localis. Dices, anima separata potest movere localiter per se animam Christi in Eucharistia, ergò & movere Corpus Christi per accidens propter connexionem naturalem ejus cum anima. Antec: patet Primò, quia potest movere corpus debitè suo modo naturali existens, ergò & animam similiter existentem. Respond. Neg. anteced: ad probat: distin: conseq: Si anima sit conjuncta corpori, quod pro tunc non potest moveri, nego, si non, concedo.

XIII. Quod movetur ad motum alterius, non semper. Arguitur Secundò: Quod movetur ad motum alterius, illud movetur per accidens, sed Corpus Christi movetur ad motum specierum, ergò

movetur per accidens. ergò &c. Respond. Neg: Major: nam requiritur ulterius, quòd ex necessitate quâdam naturali sit alteri conjunctum, non verò voluntariè. Dices: Quod continetur in alio, movetur saltem per accidens ad motum ipsius. ergò. Respond. distin: anteced: quod continetur voluntariè in altero, nego anteced: quod continetur naturaliter, concedo anteced:

Arguitur Tertiò cum Cajetano: vel Scotus vult, quòd Christus sit unitus speciebus formaliter per actum voluntatis, vel per aliud eodem actu causatum, sed primum dici nequit, quia ille actus non est formalis unio inter hæc extrema, cùm ille sit in DEO, hæc in rebus unitis, si secundum dicatur, illud causatum non potest esse aliud, quàm ubi Sacramentale, sed hoc ubi est nexus quidam naturalis, ergò propter nexum naturalem Christus movetur, & sic per accidens. Respond. Quòd nullo modo sit formaliter unitum, sed tantùm externè per Decretum DEI tenens sic conjunctum seu fixè præsens, quæ præsentia neque est nexus naturalis, neque se solâ ullo modo sufficiens, ut moveatur Christus ad motum specierum, sicut nec præsentia gravis ad aërem, ut illud grave moveatur per accidens ad motum aëris, vel ècontra, quòd ergò tunc moveatur, provenit præcisè ex decreto, quòd DEUS voluit inseparabiliter conservare præsentiam Christi ad species, quamdiu illæ manerent, & ipsum movere, quando illæ moventur, neque hìc sunt nova miracula, quia virtute institutionis hujus Sacramenti & primi illius decreti, sic semper nunc movet.

XIV. Quod Christo moveatur ad motum specierum, provenit præcisè ex Decreto Dei.

Arguitur Quartò: In Confessione Berengarii supra cit. habetur, quòd Christus manibus Sacerdotis contrectetur, frangatur, dentibus atteratur, deglutiatur, ergò à Sacerdote Corpus Christi saltem per accidens movetur, quia hæc non possunt fieri sine motu. ergò. Respond. Nego conseq: Quia ibi ponitur contentum pro continente, nempè Christus pro Sacramento continente, nam CHRISTUS non dicitur propriè frangi, &c. sed species, & licèt propriè deglutiatur, tamen motus deglutionis non fit à Sacerdote, nisi occasionaliter, effectivè autem à solo DEO. Si quis autem velit dicere, quòd Christus moveatur per accidens à Sacerdote tanquam à causa morali illius motus, non verò physica, posset benè dici, quia propter motum specierum à Sacerdote factum tanquam causam moralem DEUS movet Christum.

XV. Christus movetur per accidens à Sacerdote ut à causa morali.

DISPUTATIO SEXTA.

DE Accidentibus Panis & Vini post Consecrationem.

QUÆSTIO PRIMA.

An aliqua accidentia in Eucharistia sint sine Subjecto, & quæ?

I. Aliqua accidentia panis & vini post consecrationem manent sine omni subjecto.

DIco Primò: *Aliqua accidentia Panis & Vini post Consecrationem manent sine omni prorsus subjecto.* Est communis PP. & DD. & de Fide ex Concil. Constanti. Sess. 8. Florent. in Decreto Eugenii, & ex Trident. Sess. 13. Can. 2. ibi: *Manentibus duntaxat speciebus panis & vini*; ex quibus sic Probatur Conclusio, manent in Eucharistia species seu accidentia panis & vini destructâ substantiâ utriusque, sed illa non insunt Corpori Christi: Tum, Quia non denominatur ab illis, v.g. rotundum &c. Tum, Quia accidentia propria ejus concludunt

dunt aliqua ex his, ut quantitas quantitatem specierum humiditatem, siccitatem &c. nec insunt aëri: Tum, Quia expellunt aërem è loco suo: Tum, Quia aër non potest recipere colores, sed major est controversia, quæ accidentia hic sint sine subjecto. Pro quo

Nota, quòd subjectum aliud est proximum, in quo proximè seu nullo mediante formâ inest, esto ipso mediante insit remotè alteri, in quo ipsum insit aliud ultimum, in quo forma ita recipitur, quòd ipso mediante non possit in aliud recipi. Quæstio autem intelligitur de utroque, hoc est, quæ accidentia sint sine omni subjecto, & intelligitur etiam tantùm de absolutis, nam certum est, quòd accidentia respectiva, quæ fundebantur proximè in substantia panis & vini, ut identitas, distinctio, productio &c substantiâ ipsâ pereunte pereunt, quæ verò proximè in speciebus, & non terminabantur ad panem, manent, ut similitudo, æqualitas &c.

II. Quæstio movetur tàm de subjecto proximo, quàm remoto accidentium absolutorum.

III. Sententiæ tres diversæ referuntur.

Prima sententia est quodlibet accidens Panis & vini esse hic sine ullo subjecto. Ita Occham hic quæst. 4. & tract. de Eucharistia. quæ. 17. Gabriel, Major, Aureolus, & passim Nominales ex suo illo principio, quòd non detur quantitas distincta à subjecto & qualitatibus.

Secunda sententia est: nullum accidens hic esse vel esse posse sine subjecto propter quantitatem, ita Ægidius & alii.

Tertia, solam quantitatem de facto esse hic sine subjecto, aliâ autem posse esse sine subjecto, licèt de facto non sint, ita Scot. hic d. 18. quæ. 2. D. Thom. utraque Schola & passim RR.

IV. In Eucharistia probabilius remanet aliqua quantitas distincta à qualitatibus panis & vini.

Dico Secundò: ***In Eucharistia ut probabilius est, remanet aliqua quantitas distincta à qualitatibus panis & vini.*** Ita tertia & communis sententia; Scot. non adeò expressè eam docuit, sed magis supponere quàm probare dicitur. Probatur Primò, in Eucharistia manet aliqua entitas extensa & impenetrabilis, Prima, quæ à suo loco excludit quodcunque aliud quantum ùt experientia certum est, sed illa non est entitas alicujus qualitatis, ergò est quantitatis. Prob: minor, quia qualitas est penetrabilis, nam à suo loco non excludit primum subjectum vel alia ejus accidentia.

Respondent neg: min: dicuntque quòd qualitas penetret cum aliis rebus subordinatis, hoc est, cum subjecto & aliis accidentibus ejusdem, cum aliis verò non subordinatis, qualia sunt alia subjecta earúmque qualitates, minimè.

Contra Primò subordinatio hæc non potest esse aliud, quàm respectus unionis in loco accidentium inter se, vel ad idem subjectum, vel alius singularis, sed respectus talis non mutat naturam accidentis absoluti, ergò non facit, quòd illud penetrativè cum aliquibus existere possit, & cum aliis etiam ejusdem speciei nequeat.

V. Subordinatio vel unio non facit quòd qualitas cum aliquibus existere possit penetrativè, cum aliquib' non.

Secundò tollatur è medio solùm illa subordinatio seu unio qualitatum inter se & ad subjectum, & tunc vel penetrabunt se invicem, vel non? Si sic, ergò subordinatio illa vel unio nil facit ad penetrationem, cùm detur penetratio illâ ablatâ, ergò qualitates duarum hostiarum poterunt se mutuò penetrare, cùm ad hoc non requiratur unio; si non, ergò illæ entitates, quæ ante erant in eodem loco, nunc occupabunt diversa, & se mutuò ab invicem expellent, quod est falsum, quia revera hæc virtus excludendi se mutuò non inest ipsi à naturâ, aliàs si inesset illa unio non posset eam à suo effectu impedire. Probatur Secundò, quando hostia jam frigida incipit calefieri, primus gradus caloris tunc productus in hostia, vel est sine omni subjecto, vel in aliquo, si primum, sequitur Primò, quòd causa creata possit creare, quia producet extra subjectum. Secundò sequitur, quòd ille gradus non expellat gradum aliquem frigoris,

VI. Alia ratio ad idem.

VII. Qualitates contrariæ non repugnant, nisi in ordine ad subjectum.

quod est falsum. Patet sequela. Quia contrariæ qualitates non habent inter se repugnantiam, nisi in ordine ad idem subjectum, ergò una non repellit aliam, nisi succedat expulsio in eodem loco. Tertiò sequitur, quòd ille gradus faciat hostiam magis extensam uno gradu, & contra quot addentur gradus in aliis partibus, tot accipiat hostia gradus extensionis. Probat: sequela, quia ille gradus est se ipso quantus juxta adversarios, ergò & impenetrabilis, ergò excludit quodcunque aliud accidens, quod non est ejusdem subjecti à suo loco, atqui frigus & alia accidentia hostiæ non sunt ejusdem subjecti, ergò: Si secundum, ergò illud subjectum erit qualitas. Probatur consequen: Primò, Quia non est frigus, nam frigus non potest esse subjectum caloris, quia forma in suo esse dependet, & conservatur à subjecto, contrarium verò à contrario minimè, nec alia qualitas. Tum, Quia non potest dici quæ: Tum, Quia pono, quòd aliqua alia forma ipsi introducatur, & sic non potest esse subjectum talis. Probatur Secundò consequen: juxta adversarios nulla qualitas recipitur in alia, quia debent esse qualitates hic extra omne subjectum. Vide plura in Logica.

VIII. Quantitas est subjectum proximum qualitatum naturalium in Evcharistia.

Dico Tertiò: *Quantitas est subjectum proximum qualitatum naturalium in Evcharistia.* Patet ex dictis, quia quantitas recipit aliquas hìc, ùt ex secunda ratione præcedentis patet. ergò, patet consequentia Primò, quia non potest dari ratio, quare potius una insit, quàm alia, secundò, quia omnes qualitates hìc uniuntur quantitati, sed non aliâ unione quàm formæ ad subjectum, ergò major patet. Quia nisi essent unitæ non dividerentur ad divisionem quantitatis, nec moverentur ad ejus motum, probat: & min: quia non uniuntur tali, qualis est inter partes continui, aliàs qualitates essent in alio loco quantitatis, sicut partes continui sunt in diversis locis, sed non datur alia, nisi formæ ad subjectum.

IX. Quantitas sola in Evcharistia est sine subjecto.

Dico Quartò: *Quantitas est hìc sine omni subjecto, & quidem sola.* Ita Scot. ubi suprà num. 15. tanquam probabile, & prima Pars patet Primò, quia quantitas est hìc distincta à qualitatibus, ùt patet ex conclusione secunda, & non potest assignari, in quo sit substantia, ergò extra subjectum. Secundò, prima & secunda simul probantur, quia de Fide est aliquod accidens, esse hìc sine subjecto, sed illud non est qualitas, ut probatur ex conclusione secunda, nec relatio, quia hæc non potest esse sine subjecto, ergò sola quantitas.

X. Non repugnat qualitates esse in Evcharistia sine subjecto, licet de facto non sunt.

Dico Quintò: *Non repugnat qualitates hìc esse sine subjecto, etsi ita de facto non sint:* Ita communis contra secundam, & probatur qualitas, non magis dependet à quantitate, quàm quantitas à substantia, sed non repugnat quantitatem esse sine substantia. ergò. Secundò, qualitas non magis dependet à quantitate, quàm à substantia, cùm hanc naturaliter postulet, & ab ea sæpè producatur & generetur, ùt patet de calore in igne, frigore in aqua &c. Sed potest esse sine substantia, ergò & sine quantitate.

XI. Qualitates sublata quantitate nequeunt esse extensæ impenetrabiliter.

Arguitur Primò contra secundam: Sublatâ omni quantitate realiter distincta, qualitates in Evcharistia possunt esse extensæ in ordine ad locum, ergò & sublatâ quantitate realiter distinctâ possunt esse quantæ, & sic frustra ponitur distincta. Prob: anteced: Quia partes earum non confluunt ad punctum sublato quocunque realiter distincto, quia non possent sic ex sua natura moveri, nisi ex sua natura postularent esse in puncto, & sic de facto essent violenter extensæ in loco, ergo. Respond. Distin: anteced: possunt esse extensæ impenetrabiliter, nego, penetrabiliter concedo, & nego consequ: Quia non sunt propriè quantæ sine impenetrabilitate.

Dices:

Digitized by Google

XII. Nec possūt esse impenetrabiles ratione propriæ entitatis. Dices: Qualitates possunt esse impenetrabiles ratione propriæ entitatis tàm benè, quàm ratione quantitatis, quia non est ratio, cur impenetrabilitates competant potius quantitati per se, quàm qualitati. ergò. &c. Respond. Nego anteced: ejusque probationem, ratio enim est, quia non solùm qualitates diversæ rationis, sed partes ejusdem numero qualitatis penetrant se mutuò in eodem loco & subjecto, nam sicut albedo & dulcedo, ita plures intensivè gradus caloris penetrant se in eadem parte subjecti, diversæ autem partes quantitatis nunquam naturaliter penetrant. ergò.

Arguitur Secundò: Contra secundam illud Philos. 4. Metaphys. tex. 14. accidens non accidit accidenti, nisi quia ante accidunt subjecto eidem, nil hoc illi magis, quàm illud accidit huic, ergò nullum accidens inest alteri proximè. Respondet Scot. Primò, Philosophum ibi tantùm velle, quòd accidens non insit alteri accidenti separato, quia putabat, quòd accidens sine concursu sui proprii subjecti non potest sustentare aliud, unde ly quia idem

XIII. Quo sensu dicat Philosophus, quod accidens non accidat accidenti. ibi est quod quando. Respondet Secundò Scotus & facilius, quòd loquatur tantùm de accidentibus disparatis seu qualitatibus, nam exemplificat ibi de albo & musico, & sic nego.

Arguitur Tertiò: Eâdem inhærentiâ qualitas inhæret quantitati & substantiæ, sed inhærentia ejus ad substantiam est hìc destructa, ergò & ad quantitatem. Major probatur Primò, quia positâ unione formæ ad proximum subjectum, & aliâ unione ejusdem subjecti ad remotum, & sublato quocunque alio, dicitur illa forma inesse remoto. Secundò, Scientia inhærens animæ non habet ullam aliam inhærentiam ad corpus, cùm ipsa sit spiritualis, & sic independens à materiali. Tertiò, Quia nulla relatio potest existere sine actuali inhærentia ad illud, cui inhæret, sed relatio v. g. quantitatis, quæ fuit antè in quantitate conjuncta remanet nunc in eadem separata, ut docet Scot. 1. p. n. 15. ergò hæc qualitas non habuit distinctam inhærentiam ad subjectum ab ea, quam habuit ad quantitatem: Prob: & min: quia si illa non est destructa, ergò qualitas per eam inhæret substantiæ, quod est erroneum. Respond. concessa majo: ob rationem allatam neg: min: Quia illa manet manentibus proximis ejus extremis, quæ sunt qualitates & quantitas, ad probationem nego conseq: quia deest conditio requisita ad talem denominationem, nempe unio termini proximi ad remotum, nempe quantitatis ad subjectum. XIV. Qualiter eâdem inhærentiâ inhæret quantitati, quâ antea.

Dices: Respectus perit pereunte termino etiam remoto, sed substantia erat terminus saltem remotus illius inhærentiæ, si tantùm erat ibi unica, ergò. Majo: patet. Quia respectus essentialis terminatur ad quemcunque, seu respicit quemcunque terminum. Min: etiam probat: quia terminus inhærentiæ est illud, cui forma inhæret, sed qualitas inhærebat substantiæ. ergo. Respon. nego majo: ejusque probationem, nam respectus solùm dicit essentialem terminationem seu ordinem ad terminum proximum, ad remotum verò minimè. XV. Respectus non perit pereunte termino remoto.

Dices Secundò: Dependentia qualitatis saltem connaturalis ad substantiam perit destructâ substantiâ, quia ante dependebat â substantiâ tanquam posterius naturâ â priori conservante, ergò & inhærentia. Respond. nego consequ: quia respectus dependentiæ ad prius naturâ, & respectus unionis sunt diversi, etjam quando sunt inter eadem extrema, ùt tradit Scot. 3. d. 1. qu. 1. nu. 3. qualitas autem non habet diversos respectûs unionis ad substantiam & quantitatem, sed benè diversos respectus dependentiæ ad prius naturâ, & sic potest retinere dependentiam ad quantitatem sublatâ dependentiâ ad substantiam, ùt innuit Scotus hìc dist: 12. quæst. 2. num. 15. & 19. XVI. Dependentia qualitatis ad substantiam perit, non verò inhærentia.

QUÆSTIO SECUNDA.

An accidentia separata possint agere sicut conjuncta?

I. Triplex actio potest convenire accidentibus. Nota ex Scoto hic d. 12. q. 3. n. 7. quòd triplex possit considerari actio convenire accidentibus, prima generativa substantiæ, secunda actio intentionalis, quâ per modum objecti concurrunt ad sensationem vel intellectionem, quæ dicuntur intentiones, tertia realis, quæ non ut subjectum, sed alia causa effectus producit alias formas accidentales maximè contrarias.

II. Sententia D. Thomæ & Scoti. Prima Sententia est, quòd possint quacunque actione ex his agere etiam producendo physicè substantiam tanquam causæ instrumentales, non verò principales, ita Div. Thom. Cajet. Suar. Vasq. & passim Thomistæ. Secunda negat accidenti separato, sicut & conjuncto actionem productivam substantiæ, alias duas concedit, ita Scotus & alii.

III. Actio tàm intentionalis, quàm realis competit accidenti separato, sicut conjuncto. Dico Primò: *Actio non tàm intentionalis, quàm realis, competit accidenti separato sicut & conjuncto.* Ita Scot. hic dist. 12. q. 3. nu. 7. & communis, & ratio communis est, quia activitas ad agendum utraque actione est propria passio accidentis, & sic competit ipsi etiam separato, nulla autem conditio requisita ad agendum deest ipsi propter separationem, cùm jam sit extensivè in loco sicut antè, ergò. Deindè est experientia, quòd species vini agant in passum approximatum.

IV. Instantiæ respondetur. Dices: Albedo separata non potest movere oculum ad sui visionem, ùt docet Scot. supra q. 2. n. 7. ergò. Respond. distin: anteced: separata à quantitate transeat, à substantiâ, ùt hìc tantùm intendimus, negatur, quia tunc non esset quanta, sicut modò est.

V. Accidens separatum nequit physicè producere substantiam. Dico Secundò: *Accidens separatum non potest physicè producere substantiam ejus entitatem attingendo, sive ut causa principalis, sive ut instrumentalis.* Ita Scot. hìc dist. 12. q. 3. n. 7. & sequ. D. Bonav. ibi art. 2. q. 3. Richardus, Durandus, Pohan. omnes Nominales cum Scotistis 1. p. quam ipsi adversarii admittunt, est certa, quia nulla causa potest esse causa principalis physica effectûs se perfectioris, sed substantia quæcunque est perfectior quocunque accidente. ergò. (am ùt causa principalis.)

VI. Nec ùt causa instrumentalis. Secunda probatur Primò, quia conjunctum non attingit physicè productionem substantiæ, ùt suppono ex physica, ergò nec separatum. ergo. Secundò, quia accidens se solo & sine concursu substantiæ non potest physicè producere substantiam, sed in proposito nulla est substantia, quæ concurreret physicè cum accidentibus separatis. ergò.

VII. Accidens separatum non agit in virtute substantiæ. Respondent: Quod accidens hìc agat in virtute substantiæ, v. g. vini, quod erat sub speciebus. Sed contra illa virtus perit, vel remanet in accidentibus, si primum, ergò nihil juvat ad physicam actionem, quia quod non est, non potest agere; si secundum, ergò non potest attingere productionem substantiæ, quia ipsa virtus est accidens, accidens autem cùm sit instrumentum substantiæ, non potest attingere productionem substantiæ sine concursu principalis agentis, quod est substantia.

VIII. Cajetani responsio impugnatur. Respondet Cajeta: & alii, quòd virtus hæc substantiæ nihil aliud sit, quàm ipsa accidentia, seu qualitates remanentes, quia substantia, inquit, quando est præsens, non habet actionem distinctam ab actione accidentis, sed sola actione quantitatis producitur substantia. Sed Contra Primò, illa causa, quæ sine concursu unius, alterius causæ producit effectum, non est causa instrumentalis, sed principalis, seu potius totalis, ergò si accidentia etiam conjuncta producunt effectum sine concursu alterius causæ, non erunt causæ instrumentales, ùt volunt Adversarii. Anteced: patet, quia instrumentum non agit sine agente principali, tunc autem accidens non habebit aliquod principale agens, cum quo agat. ergò.

Proba:

Proba: min: Quia substantia tunc nihil agit propriâ actione, sed quod sic nihil agit, non est agens principale physicum, quia non datur agens sine actione.

IX. Accidens se solo nequit producere substantiam. Contra Secundò, & probatur Tertiò Conclusio nulla causa secunda se sola & sine concursu alterius potest naturaliter producere effectum se perfectiorem, sed substantia est perfectior quocunque accidente. ergò nullum accidens se solo naturaliter potest producere effectum se perfectiorem, sed substantia est perfectior quocunque accidente, ergò nullum accidens se solo potest naturaliter producere substantiam, sed accidens separatum quidquid producit, naturaliter producit, quia tunc eodem modo agit, sicut conjunctum. ergò.

X. Substantia ad actionē specierum producta, vel ab aliqua causa secunda, vel à solo Deo producitur. Dico Tertiò: *Quando ad actionem specierum aliqua substantia producitur, illa vel ab aliqua causa secunda, vel à solo DEO producitur.* Ita omnes citati pro præcedenti conclusione, & Patet ex dictis, quia quando species v. g. vini alterant aliquod passum, v. g. aquam usque ad aliquem gradum corruptioni proximum, tunc cùm desinit vinum vel alia causa particularis, quæ producat formam vini, ad quam illæ alterationes præviæ disponunt, cœlum vel alia causa universalior, vel saltem DEUS producit tunc formam in illo passu, quia quando deest causa particularis, tunc recurrendum est ad causam secundam universaliorem, & quando utraque deest, recurrendum est ad Authorem naturæ, qui naturæ defectum supplet.

Arguitur Primò: Destructo priori naturâ destruitur posterius, sed inesse accidentis est prius naturâ, quàm agere, ergò. Probat: mino: Quia quod immediatius convenit alicui, illud præsupponitur necessariò ad quodcunque aliud, quod mediatiùs competit eidem, sed inhærere convenit immediatiùs accidenti, quàm agere, quia naturaliter non potest esse sine inhærere, benè tamen sine agere. Respondet Scot: neg: min: intelligendo per prius naturâ necessariò prærequisitum, nam utrumque est accidens accidentis, & neutrum dependet essentialiter ab altero, ad prob: dist: majo: Si illud, quod immediatiùs fuerit, sit causa mediata convenientis, vel effectus necessariò propinquior eidem causæ, concedit, si non, ùt in proposito, negat. XI. Inesse accidentis non est prius, quàm agere.

Arguitur Secundò: Actiones sunt suppositorum secundùm Philosophum 1. Metaphys. Sed accidens separatum non est suppositum, ergò. Respondet Scotus, negando primò illud haberi ibi, sed tantùm, quod actio sit circa singularia. Respondet Secundò, quòd actio sit suppositi; tanquam ultimi denominati, non tamen tanquam solius denominati. Dices, forma non dicitur ordinariè agere, sed subjectum ejus. ergò. Respondet Scotus, forma informans transeat, per se seu seorsim existens, ùt hìc negatur. XII. Quo sensu actio sit suppositi.

Dices ergò forma substantialis separata potest naturaliter producere aliam formam, & consequenter generare substantiam compositam. Scot. supra nu. 33. movet, sed non solvit hoc dubium. Responderi tamen potest negando consequ: juxta Scot: infra, ratio disparitatis Prima est, quia forma separata non est quanta, cum quantitas proximè recipiatur in composito, nullum autem agens habet modum convenientem ad agendum actione materiali in quantum, nisi ipsum sit quantum, sed hæc ratio non dicitur sufficiens, quia qualitas separata à quantitate dicitur posse agere in aliud, sed Scotus videtur hoc etiam negare, ubi suprà n. 17. & q. 2. n. 7. Secunda ratio, quia nullum agens potest esse principium totale producendi se perfectius, sed tunc forma substantialis separata produceret se perfectius, nempe totum compositum, nam non posset aliam formam producere, nisi in materia, aliàs crearet, formam autem non potest producere in materia, nisi producendo compositum, aliud autem est de forma acci- XIII. Forma substantialis separata, nequit generare cōpositum. XIV. Alia ratio ad idem.

accidentali, quia illud non producit aliquid unum se perfectius, sed solùm similem formam in subjecto, cum quo non facit unum per se, & ob hanc rationem Scot. 4. d. 43. q. 3. nu. 21. negat formam substantialem separatam posse se unire materiæ, ergò nec aliam similem, à paritate, & hinc Tertiò ratio est à priori, quia actio generativa totius est per se primò à toto composito, non autem à sola forma.

Arguitur Tertiò: Sequeretur, quòd gratia separata posset producere actum charitatis, vel species intelligibilis intellectionem, sed hoc est absurdum. Respondet Scot: suprà n. 47. distin: majo: quòd gratia separata, si sit præsens voluntati, produceret tanquam causa totalis, nego, tanquam partialis, si sit præsens voluntati, concedo, sed hoc nullo modo est absurdum, & idem dic de specie intelligibili, sensibili, habitu, & quâcunque causâ partiali, quia causa partialis absolutè non quærit unionem cum alia concausa partiali, ùt patet de objecto & intellectu, sed solùm simplicem præsentiam.

XV. Gratia separata ùt causa partialis potest producere actum Charitatis.

Arguitur Quartò: Species vini separatæ possunt corrumpere quantitatem necessariò requisitam ad formam aquæ ipsi admixtæ secundùm omnes gradus, ergò & ipsam formam aquæ, ergò & introducere formam talem, quia non datur corruptio sine generatione: Prob: anteced: quia aliàs accidentia ignis separata, etsi tàm magna ac sphæra ignis non poterunt corrumpere guttam aquæ admixtam, sed hoc non, ergò. Respond. Nego antecedens & probationis min: Quia qualitas separata non aliter agit, quàm conjuncta, conjuncta autem non potest destruere ultimum gradum qualitatis oppositæ vel necessariò requisitæ ad conservandum formam substantialem passi.

XVI. Species vini separatæ nequeunt corrumpere quantitatem necessariò requisitam ad formam aquæ.

Dices: Potest destruere reliquos omnes gradus, & illi sunt ejusdem rationis cum ultimo, ergò & ultimum. Respond. Neg. conseq. Quia forma substantialis passi non conservat alios, quia non sunt naturaliter necessarii ad ipsius esse, hunc autem conservat, quia est necessarius, ut cùm ipsa sit nobilior & fortior in hoc conservando, quàm qualitas opposita introducendo gradum ipsi incompatibilem, sic non expellitur à qualitate contrariâ.

XVII. Cur qualitas separata nequeat destruere ultimum gradum qualitatis oppositæ.

Dices ergò, hic ultimus gradus nunquam poterit naturaliter destrui, quia non potest dici à quo. ergò nec forma substantialis passi corrupti, quod est apertè falsum. Respond. Negando conseq. ejusque probationem, quia licet non destruatur formaliter ab alio gradu contrario, destruitur tamen propter defectum subjecti suo modo, nam cùm antecedens alterans destruxerit reliquos gradus qualitatis oppositæ usque ad illum ultimum antecedens forma substantialis alterantis introducit formam substantialem novam, per quam formaliter expellitur forma substantialis passi, & ex consequenti gradus ille ultimus propter defectum subjecti; si verò alterans, ùt fit in Eucharistia, non habeat formam substantialem, tunc Sol, Cœlum, vel alia causa naturalis universalis, vel hac deficiente solus DEUS introducit formam illam substantialem, illa autem sic producta statim producit qualitates connaturales & necessariò requisitas ad sui conservationem, de quo vide fusam & selectissimam doctrinam Scot. 4. d. 12. q. 3. num. 26. usque ad 32.

XVIII. A quo gradus ille ultimus destruatur.

QUÆSTIO TERTIA.

An agens creatum possit agere in species Eucharisticas, vel ipsas corrumpere?

QUadruplex circa species potest considerari actio. Prima terminata ad quantitatem, secunda ad qualitatem, Tertia ad novum ubi, & rarefactio potest reduci ad hanc vel præcedentem, quia in ea specialiter acquiritur novum ubi, & secundùm plerosque nova quantitas

I. Quadruplex actio circa species considerabiles.

titas. Quarta ad substantiam, sed de hoc quarto & rarefactione in sequentibus, de aliis hic

II. Agens naturale potest movere species separatas localiter.

Dico Primò: *Agens naturale potest movere species separatas localiter.* Ita omnes, & patet, quia in motu locali non producitur, nisi ubi circumscriptivum, sed species separatæ sunt capaces talis ubi, cùm de facto tale habeant, & agens naturale debitè approximatum habet virtutem producendi tale, ergo.

III. Agens naturale potest absolutè corrumpere qualitates contrarias specierum introducendo oppositas.

Dico Secundò: *Agens naturale potest absolutè corrumpere qualitates contrarias Specierum introducendo oppositas.* Est Scot. supra d. 3. & qu. 4. n. 19. & communis, & Probatur, Quia agens habens sufficientem virtutem producendi aliquam formam contrariam potest illam producere in subjecto capaci debitè approximato, si nullum aliud adsit impedimentum, sed quantitates Specierum sunt subjectum capax formarum contrariarum, æquè sic debitè approximatæ, qua extensivè in loco vicino; nec potest assignari impedimentum, ergò agens creatum potest producere qualitates contrarias in ea, & per consequens destruere eas, quas quantitates ibi nunc habet.

IV. Quantitas in Eucharistia nequit corrumpi ab aliquo agente creato.

Dico Tertiò: *Quantitas in Eucharistia non potest corrumpi ab aliquo agente creato.* Ita Scot. supra & communis extra Godofredum, & Probatur Primò: Quia nulla forma potest naturaliter destrui, nisi propter defectum subjecti, vel propter subtractionem actionis conservantis, vel propter formam contrariam formaliter ipsam expellentem, sed quantitas separata non habet subjectum, nec actione agentis naturalis conservatur separata, nec habet ullam formam sibi contrariam. ergo.

V. Alia ratio ad idem.

Secundò: Quia nullum agens naturale potest annihilare, aliàs posset creare cùm eadem potentia ad utrumque requiratur, sed destructio quantitatis hic est annihilatio. ergò.

Arguitur Primò: Contra secundam Species separatæ non possunt corrumpere ultimum gradum formæ contrariæ in aliquo subjecto, cui est connaturalis, ergò nec aliud quale vel agens naturaliter potest corrumpere ultimum gradum qualitatis contrariæ, quæ est in speciebus. Respond. cum Scoto suprà q. 3. n. 31. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia quantitas hæc Specierum non est in aliquo subjecto determinante sibi aliquem gradum ejus ad sui conservationem, & sic non est hic aliqua causa, quæ conservat ultimum gradum ejus. Contra. Actionem agentis contrarii, quando autem qualitas connaturalis est in substantia, ipsa substantia conservat ultimum gradum ejus, contra actionem agentis contrarii, donec ipsa prius destruatur.

VI. Cur species separatæ nequeant corrumpere ultimum gradum formæ contrariæ, agens autem naturale ultimum gradum qualitatis contrariæ specierum.

QUÆSTIO QUARTA.

An possit aliquis liquor infundi speciebus, manente CHRISTO sub ipsis?

I. Potest infundi liquor speciebus, manente Christo sub ipsis.

Dico Primò *quòd sic*: est Scot. suprà q. 4. & communis, & patet, quia Christus non desinit esse sub speciebus, nisi quando ipsæ corrumpuntur, sed potest alium vinum ejusdem speciei cum priori admisceri speciebus absque ulla illarum corruptione, imò & vinum alterius specieri, vel aqua sine ipsarum corruptione, saltem usque ad notabile tempus, quia alteratio, per quam corrumpitur, cùm fit inter formas materiales contrarias, non potest fieri, nisi successivè.

II. Qualitates specierum possunt cõtinuari cũ quantitate liquoris admixti falsum ejusdem speciei.

Arguitur Primò: Hinc sequeretur, quòd species separatæ possent continuari cum aliis accidentibus in subjecto existentibus, v. g. qualitates specierum cum quantitate liquoris admixti, sed hoc est falsum, ergò. Patet major, quia non aliter alius liquor admisceri potest, quàm dividendo partes specierum ab invicem, atque tunc quantitas ejus continuaretur cum qualitate specierum, sicut & una aqua admixta alteri aquæ continuatur cum ea, ejus-

ejúſque quantitas cum qualitate ejus. Prob: min: Quia agens naturale non poteſt producere unionem, inter has duas quantitates. Reſpon. conceſſa majori, ſi vinum admiſceatur ejuſdem ſpeciei cum priore, licèt dubium ſit, quando admiſcetur alterius ſpeciei liqvor, & in hoc ſenſu nego minorem ejúſqve probationem.

Dices : Saltem agens naturale non poteſt producere continuantia puncta, inter has duas qvantitates, aliàs crearet, nec deſtruere puncta continuantia, qvæ ante erant inter partes diviſas qvantitatis ſpecierum, aliàs annihilaret, cùm utraqve puncta ſint extra omne ſubjectum, ergò nec poteſt aliquid miſcere his.

III. In continuatione partium fortè non producitur, niſi reſpectus unionis.

Scot. ſuprà qvæſt 12. num. 25. Videtur docere, qvòd in continuatione partium non producatur aliud, quàm reſpectus unionis, nec in diviſione deſtruatur, niſi ille reſpectus, & ex conſequenti videtur negare deſtrui vel produci ibi aliqua puncta, & ſecundùm hanc viam facilis eſt ſolutio. Quia productio hujus reſpectus non eſt creatio, ſed quædam corruptio, & utrumque poteſt fieri ab agente naturali ; ſed quia Scot. ipſe alibi, & maximè 2. d. 2. q. 9. n. 27. cum communi admittit hæc

IV. Puncta cõtinuantia producuntur ab agẽte naturali; vel potiùs à ſolo Deo.

puncta. Reſpond. hæc puncta produci & deſtrui ab eodem agente, à quo deſtrui vel produci poſſunt puncta ſubſtantialia, in quibus hæc nata ſunt ſubjectari, v. g. puncta ſubſtantiæ vini, nam ſi hæc dicantur produci & deſtrui virtute naturalis agentis, ita & puncta quantitatis ſeparatæ. Si verò quod facilius eſt, à ſolo Deo dicantur produci & deſtrui, & motum localem ſolùm fieri ab agente naturali, idem dicendum eſt in propoſito.

V. Puncta cõtinuantia quantitatẽ ſpecierum quantitati corporis admixti, nõ producuntur in punctis terminantibus illud corp⁹.

Quòd autem puncta continuantia quantitatem ſpecierum quantitati corporis admixti non producantur in punctis terminantibus illud corpus, patet, Primò, quia puncta quantitatis, quæ ante unionem erant in punctis ſubſtantiæ illius, adhuc remanent, ergò non ſuccedunt ipſis nova puncta. Secundò, non datur motus ab una forma ad aliam ejuſdem ſpeciei, ſed hæc puncta ſunt ejuſdem ſpeciei, ergò. Unde nego conſequentiam, quia agens naturale rectè dicitur miſcere aliqvid his ſpeciebus, per hoc ſolum, qvòd cauſet motum liqvoris dividentis ſpecies.

VI. Corp⁹ Chriſti non eſt ſub accidẽtibus liqvoris admixti nec ſub termino copulante liquorem cum ſpeciebus.

Dico Secundò : *Corpus Chriſti non eſt ſub accidentibus liqvoris admixti, nec ſub termino copulante liqvorem cum ſpeciebus.* Eſt communis, & patet ex dictis, qvia Chriſtus non eſt præſens Sacramentaliter, niſi tantum accidentibus panis & vini, quæ aderant tempore Conſecrationis, ſed accidentia liqvoris, nec terminus hæc copulans, ſunt talia. ergo.

VII. Cur aqua admixta benedictæ ſit tota benedicta, & non ſi ſpeciebus admiſceatur alius liqvor, totum ſit cõſecratum.

Arguitur : Quando aqvæ benedictæ admiſcetur magna copia alterius aqvæ, tunc tota aqua ex utraque reſultans ſit benedicta, ergò & qvando ſpeciebus vini admiſcetur alius liqvor, totum qvantum indè reſultans ſit conſecratum, & continet Chriſtum. Reſpond. Neg: conſeq: & ratio à priori eſt diverſa inſtitutio utriuſqve, nam Eccleſia inſtituit aqvam benedictam, & voluit expreſsè aqvam aliam ipſi involubili qvantitate admixtam eſſe etiam benedictam, DEUS verò hoc inſtituit Sacramentum, & non voluit aliud admixtum induere rationem Sacramenti.

VIII. Quid faciendum, ſi vinum album miſceatur ſpeciebus vini rubri, & integro dolio vini una gutta conſecrata.

Qværes : Qvid ſit faciendum, ſi vinum album ſpeciebus vini rubri admiſceatur, vel è contra. Reſpond. Paſſim eſſe certum apud DD. qvòd tunc neutrum corrumpatur ab altero, qvia eſto hæc vina ſint diverſæ ſpeciei, non habent tamen qvalitates corruptivas contrarias, & ſic debet illud totum bibi à Sacerdote ſolo poſt ſumptionem Calicis, ſed major eſt difficultas, ſi integro dolio vini una gutta conſecrata admiſceatur. nam Sot: & Palud: probat, tale vinum poſſe more profano bibi, ſed meliùs Suar: & alii cenſent, tale vinum debere ad uſus ſacros applicari, qvia licèt totum non ſit ſacratum, tamen propter guttam admixtam,

ſub

sub qua Christus semper manet, & propter contactum aliarum partium ad hanc debet totum cum reverentia ita applicari.

QUÆSTIO QUINTA.

Quando Christus desinat esse sub speciebus?

I. Christus manet quam diu accidentia non ita mutantur, quòd panis & vinum corrumperetur, si sub illis esset.

DIco: *Tamdiu manet Christus in Eucharistia, quàm diu accidentia panis & vini non ita mutantur, quòd panis & vinum si esset sub illis, corrumperetur, quando verò accidentia hæc sic mutantur, tunc Christus desinit esse sub illis.* Prima Pars est Scot. hic quæst. 6. D. Thom. & communis contra quosdam, qui putabant, quando species veniunt ad stomachum vel alium locum immundum, vel sumuntur ab aliquibus brutis, Christum non esse sub illis.

Probatur Primò ex praxi Ecclesiæ, quæ Christum semper colit, & adorat sub his speciebus, in quocunque sit loco etiam sordido, quamdiu manent incorruptæ.

Secundò: Quia Christus transactâ Consecratione est sub speciebus permanenter, ergò & quamdiu ipsæ semper manent incorruptæ. antec: est de Fide ex Trident. Sess. 13. Can. 4. Consequ: verò probatur, Quia aliàs Ecclesia esset exposita inevitabili periculo erroris in cultu & usu hujus Sacramenti, quia non esset moraliter certa, quòd CHRISTUS hic & nunc esset sub speciebus, nec consequenter sciret, quando deberet sumere, vel adorare, vel non.

II. Accidentibus verò sic mutatis desinit sub illis esse Christus.

Secunda Pars est Scot. ibi & communis, & patet Primò, Quia CHRISTUS non manet in Eucharistia, nisi sub signo sensibili à se instituto, sed nullum tale signum est hic, quando species panis & vini ita corrumpuntur, quòd ipsa panis & vini substantia desineret adesse, quia licèt tunc succedant alia accidentia sensibilia, illa tamen non sunt à DEO instituta. Secundò, quia si Christus maneret Sacramentaliter destructis illis speciebus, plurima inde sequerentur inconvenientia, v. gr. quòd esset aliquando sub accidentibus elementi ignis, vermis, aliisque similibus, in quæ accidentia specialiter convertuntur.

Arguitur: Quantitas Specierum positâ quâcunque alteratione manet, sed CHRISTUS manet quamdiu hæc manet, quia sub hac immediatè, sub qualitatibus verò mediatè constituitur. ergò. Major patet, quia hæc non destruitur, propter defectum actionis conservativæ, nam solâ actione Divinâ conservatur, sed hæc non est causa, cur deficiat: nec propter defectum subjecti, vel formam contrariam, cùm neutrum habeat: Pro responsione

Nota: Quòd aliqui existiment, quando Species corrumpuntur, quantitatem earum remanere, & subjectari in substantia ipsis succedente, alii verò, & maximè Scot. tenent quantitatem & qualitates specierum corrumpi, & novam quantitatem cum sua substantia succedere, unde Respond. Negando maj: & probationis antec: pro prima parte, quia quando agens naturale alterat usque ad ultimum gradum qualitatis conservativæ panis vel vini, tunc DEUS destruit quantitatem, & creat novam substantiam cum sua quantitate in loco specierum, ut mox dicetur, quia quod fieret, si substantia panis & vini adesset, hoc DEUS per se facit in speciebus, quando ab agente naturali fieri nequit, agens autem naturale corrumperet substantiam panis & vini si adesset, quando fieret prædicta alteratio, & propter defectum subjecti destrueret etiam quantitatem, & reliqua accidentia, quæ tunc essent in substantia corrupta.

III. Dum agens naturale alterat usq; ad ultimũ gradum qualitatis conservativæ panis vel vini, tunc Deus destruit quantitatem, & creat novam substantiam.



QUÆSTIO SEXTA.

Quomodo ex speciebus corruptis generetur Substantia?

I. Variis modis generatur substantia vel ejus pars ex speciebus.

Experientia constat variis modis generare substantiam, vel partem substantię ex speciebus; constat enim ex ipsis corruptis generari vermes, projectas in ignem, converti in substantiam ignis, eas sumptas converti in substantiam viventis, & partem viventis generari ex eis. Prima Sententia tenet, quando corrumpuntur species, tunc redire substantiam panis & vini numero & specie eandem, & ex ea tales substantias ab agente naturali generari, ita Innoc. l. 4. cap. 11. Bonav. Alensis &c. Secunda, ex quantitate specierum educi formam substantialem & generari compositum, quia illa quantitas per se subsistit tanquam materia, ita D. Thom. hic q. 77. a. 1. & sæpius Ferariens. & alii. Tertia, quòd in instanti corruptionis specierum DEUS producat materiam primam novam, & agens naturale ex illa producat formam, & generet compositum, ita Cajet. Sot. Sed Cajet. dicit, quantitatem specierum tunc converti in illam materiam primam, Soto verò negat. Quarta negat, quæ ab his afferuntur, & dicit substantiam Christo succedentem, secundùm se totam à solo DEO produci. Ita Scot. hic d. 12. q. 6. n. 12. Durandus Maj. & alii, quos sequitur Vasqu. 10. p. de Eucharistia.

II. Quadruplex sententia refertur.

III. In corruptione specierum nõ redit substantia panis & vini eadem, vel diversa.

Dico Primo: *In corruptione specierum non redit substantia panis & vini eadem vel diversa.* Ita Scot. suprà n. 3. & probatur Primò, quia si redit, redit vel ante vel post corruptionem, non primum primò, quia sic essent duæ substantiæ simul, nempè Christi & accidentium, sicut sub speciebus, quod non. Secundò, quia vel tunc species informarent substantiam panis & vini, vel non, si non, ergò illa nil juvat ad generationem alterius substantiæ speciebus corruptis, si sic, ergò Christus non manet sub ipsis, quia non manet, nisi sub speciebus separatis: nec secundum, quia substantia panis & vini non est sine propriis & connaturalibus accidentibus, speciebus autem corruptis hæ non remanent, sed aliæ contrariæ, ergo.

IV. Alia Ratio ad idem.

Probatur Secundò: Nulla substantia producitur in corruptione specierum, nisi ad quam disponunt qualitates productæ ab alterante & corrumpente, species autem illæ non disponunt ad substantiam panis & vini, aliàs non corrumperent qualitates proprias utriusque.

V. Substantia de novo succedens non educitur ab agente naturali ex quantitate specierum.

Dico Secundò: *Substantia de novo succedens non educitur ab agente naturali ex quantitate specierum.* Ita Sco. suprà & communis, & probatur Primò, quia si forma vermis educeretur ex quantitate tanquam materia, sequeretur, quod vermis constaret essentialiter ex rebus diversorum prædicatorum, quia constaret quantitate ut materia, & forma substantiali propriâ, quod non est dicendum. Probatur Secundò, Quia quod educitur, dependet planè & ab illo, ex quo educitur, tanquam à causa materiali. ergo. Prob. minor: Quia, si esset materia substantiæ, vel esset materia ex qua, & sic quantitas esset de essentia substantiæ, vel esset materia in qua, & sic esset subjectum sustentans substantiam, quorum utrumq; repugnat.

VI. Probabilius substantia Christo hic succedens producitur tota à solo Deo, quàm quòd agẽs naturale educat ejus formam ex materia immediatè creata à DEO.

Dico Tertiò: *Probabilius est, quòd Substantia Christo hic succedens à solo DEO tota, secundùm materiam & formam producatur, quàm quòd agens naturale educat ejus formam ex materia immediatè à DEO creata.* Est Doct. Subt. suprà nu. 32. Vasqu. suprà n. 26. & aliorum, & probatur, quia non debet aliqua actio hic de facto attribui agenti naturali, quàm naturaliter & ex modo naturaliter agendi agentis exercere non potest, sed non potest sic exercere actionem eductivam formæ substantialis ex dicta materia. ergo. maj: patet, quia extraordinarii DEI concursus cum causa secunda non sunt multiplicandi sine necessitate, hic autem nulla est necessitas, cum DEUS se solo possit com-

commodè producere formam substantialem, sicut & materiam talis substantiæ. Probat: & mino: Quia agens naturale ex suo naturali & ordinario modo agendi nunquam producit, vel producere potest aliquam formam substantialem in materia, qvin prius producat dispositionem præviam in passo, cujus illa materia est pars, sed in proposito non producit talem dispositionem in passo, cùm hic nullum sit tale passum ante eductionem formæ. ergo. Maj: patet: Qvia qvando agens naturale habet duas actiones subordinatas naturaliter, seu qvarum una præpostulat aliam circa idem passum, non potest naturaliter agere secundùm posteriorem, qvin prius agat secundùm priorem circa idem passum, sed agens naturale, qvod educeret dictam formam, habet actiones tales, nempè alterativam passi secundùm qvalitatem & eductivam formæ substantialis, hæc enim præreqvirit illam, ergò non potest agere secundùm hanc, qvin prius agat secundùm illam saltem naturaliter.

VII. *Deo dispensante oppositasententia probabilis est.* Posui hìc Conclusionem tantùm ùt probabilem, qvia si DEUS dispenset in hac subordinatione actionum agentis naturalis, non video implicantiam, qvare agens naturale non posset producere prædictam formam, ùt tertia Sententia vult, maximè cùm juxta nos nulla in materia prima præreqviratur dispositio ad formam substantialem, sed nuda recipiat formam.

Arguitur Primò: Species nutriunt, ut omnes concedunt, ergò in corruptione specierum producitur aliqva substantia, sed non alia, qvàm panis vel vini, ergo. Probat: conseqv. nutritio est conversio alimenti in substantiam viventis. ergò si hic est nutritio, erit etiam alimentum

VIII. *Speciesquo sensu nutriant.* qvoddam. ergo. Respond. neg: conseqv: ad probatio: dist: majo: nutritio ùt est mutatio, concedo, qvia sic est transitus partialis unius substantiæ in aliam alteri substantiæ aggeneratam. Nutritio ùt est actio, nego, nam nutritio ùt actio capitur dupliciter, strictè pro actione aggenerativa partis substantiæ viventis ex materia alimenti, & latè pro actione aggenerativa partis substantiæ viventis absolutè, sive fiat ex prævio alimento, sive non, & sic capitur in proposito, qvando dicitur, qvòd species nutriant, qvia hic nullum præcedit alimentum.

Arguitur Secundò Contra tertiam productio substantiæ, qvæ succedit Christo in Eucharistia, est qvædam aggeneratio, & per conseqvens generatio, ergò non fit à solo DEO, qvia actio solius DEI nunqvam est generatio, sed tantùm creatio, patet, qvia est actio nutritiva, ergò & aggeneratio. Respond: Qvidqvid dicant aliqvi, negando conseqv: ejùsqve probationem, qvia DEUS potest producere dependenter à materiâ, sicut & causa creata, & per conseqvens generare, nec ad hoc reqviritur, qvòd materia præexistat, ùt aliundè suppono; nec refert etiam, qvòd Scotus ibi superiùs dicat, qvòd DEUS creat hanc substantiam, qvia ibi sumit creare latè pro producere independenter à materiâ præexistente, non absolutè à materiâ, ùt propriè capitur. IX. *Actio solius Dei non tantum est creatio, sed etiam potest esse generatio.*

Arguitur Tertiò: Agens naturale de facto in via Scoti nullam dispositionem prærequirit in materia prima, sed in nudam ejus entitatem introducit formam substantialem, ergò agens naturale potest in materiam nunc creatam in eodem instanti naturaliter introducere formam substantialem. Probatur conseqv: Qvia si qvidqvam obstaret, esset prævia Dispositio, sed hæc non prærеqviritur, cum materia careat omni dispositione, qvando introducitur forma, ergo. Respond. X. *Agens naturale nequit in materiam nūc creatam in eodem instanti naturaliter introducere formam.*

Neg. conseqv. & probationis major:

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Ministro.

QUÆSTIO PRIMA.

Quisnam sit legitimus Minister ad validè consecrandum?

I. Errores Lutheri & Calvini referuntur.

PRima Sententia est, non modò Sacerdotes malos posse, sed & laicos bonos posse hoc Sacramẽtum conficere. Secunda, quemlibet baptizatum posse conficere, sed extra necessitatem non debet aliquis hoc præsumere, nisi vocatus, ita Lutherus de captiv. Babyl. cap. de Ordine 1. lib. de Missa privata, & de actione Sacerdotali dicit, ipsum diabolum posse validè conficere. Tertia, quòd hoc Sacramentum sicut & Baptismi sit nullum, si ab alio, quàm à publico Ministro conficiatur, sed ministrum tunc putat posse institui à Republica & Magistratu. Ita Calvin. lib. 4. Institu. c. 10. cum suis. Sed ùt Bellarminus lib. 4. de Evchar. cap. 16. & passim RR. advertunt, non satis consequenter loquitur Calvinus, quia, si Evcharistia non sit aliud, quàm nuda figura Corporis Christi existentis in Cœlo, & solum operari excitando fidem, non est ratio, quare non posset fieri à quolibet indifferenter, cùm quilibet æquè posset excitare fidem, utendo hâc Cœremoniâ.

II. Soli Sacerdotes validè possunt consecrare Evcharistiam.

Dico Primò: *Soli Sacerdotes possunt validè consecrare Evcharistiam.* Hæc est de Fide, & Prob: Primò ex Concilio Lateran. sub Innocentio II. ubi dicit, hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus; & Trident. Sess. 22. cap. 1. & Sess. 23. cap. 1. & 4.

III. Ratio fundamentalis ad idem.

Probatur Secundò: & est ratio fundamentalis ex illo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quibus arguo sic: iisdem prorsus Christus dedit potestatem conficiendi, quibus dedit præceptum conficiendi hoc Sacramentum, sed solis Presbyteris dedit præceptum conficiendi, ergò & potestatem, minore conced: hæretici, & est evidens, aliàs omnes hæretici peccarent de facto contra hoc præceptum. Major verò probat: Quia illis dedit potestatem hanc, quibus loquitur, dum ait: Hoc facite &c. nam nusquam legitur, dedisse hanc potestatem nisi his, atqui iisdem præcepit facere, quod ipse fecit, & per consequens conficere hoc Sacramentum, quia iisdem verbis præcipit. ergò.

IV. Item Auctoritate Patrum.

Probatur Tertiò ex Patribus: Ignatio in Epistola ad Trallenses, ubi ait, esse infideli deteriorem, eum qui audet aliquid facere circa altaris ministerium, nisi fuerit Presbyter vel Episcopus. Clemente lib. 2. cap. 37. Corpus laici sine Sacerdote aliquid attentans, frustra facit. Tertul. l. de Scripto. ubi ridet Marcionistas, quòd Sacerdotale officium laicis committerent, & quod hodie habent Sacerdotes, qui cras essent futuri laici. Cypriano lib. 1. Epist. 2. & 9. & lib. 3. Epist. 15. non solùm non posse Evcharistiam conficere, nisi Sacerdotes, sed etiam inde colligit, non esse veram Evcharistiam apud hæreticos, cùm non habeant verum Sacerdotium. Idem censent alii successivè PP. ùt videre est apud Bellarminum lib. 4. de Evchar. cap. 16. & præter illa, de quibus suprà Tract. I. Disp. VI. nullum reperio argumentum hæreticorum in contrarium, imò hodiè plerique Lutherani relinquunt opinionem Lutheri propter evidentes rationes Sententiæ Catholicæ.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

An omnis Sacerdos, etiam excommunicatus, degradatus &c. possit validè hoc Sacramentum conficere?

I. Sacerdos etiam excommunicatus, hæreticus &c. validè consecrat, modò requisita adhibeat.

DIco ad Quæst. *Quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, hæreticus, degradatus, &c. potest validè conficere hoc Sacramentum, modò requisita adhibeat.* Est Scot. hic d. 13. q. 2. n. 4. & seq. Est communis Cathol. & patet, quia ad validè consecrandum non requiritur alia potestas, quàm Ordinis potestas, hæc autem semel collata non potest auferri per hæresim, excommunicationem, degradationem, vel quidquam aliud, quia semper manet manente charactere Sacerdotali, qui est indelebilis, ergo. &c.

II. S. Augustinus objectè loquitur de potestate licitè consecrandi.

Arguitur Primò: Caput quidam q. 1. ex D. Aug. habetur, quòd degradatus non habet potestatem consecrandi, licèt habeat potestatem baptizandi. Respond. Primò: Illa verba non esse D. Augustini, sed Gratiani. Secundò, esse intelligenda de potestate licitè, non validè consecrandi.

III. Cur Evchariſtiæ & nō Pœnitentię Sacramentum validè conficiatur ab hæretico.

Arguitur Secundò: Sacramentum Pœnitentiæ non potest validè confici ab hæretico, vel degradato, ergò nec Evchariæ. Respond. nego consequ: Quia illud pendet à potestate jurisdictionis, hoc verò non, sed à sola potestate Ordinis.

IV. Episcopus vel Ecclesia nequit potestatem consecrandi auferre.

Arguitur Tertiò: Ille, qui aliquam potestatem dat, potest eandem denuò auferre, sed Episcopus, vel Ecclesia, potestatem conficiendi hoc Sacramentum dat, ergò potest & auferre. Respond. Distin: majo: Qui principaliter transeat, ministerialiter negatur. Juxta illud Pauli Secunda ad Corinth. ult. non dedit vobis DEUS potestatem in destructionem, sed in ædificationem &c. Episcopus autem non dat hanc potestatem, nisi ut Minister DEI, qui est causa principalis.

QUÆSTIO TERTIA.

An plures Sacerdotes possent simul eandem numero hostiam consecrare?

DIco Primò: *Quilibet ex talibus consecrat, si simul prolationem formæ absolvant, imò quòd quilibet ex eis sit tunc causa totalis Consecrationis, modò absolutè & independenter ab alio intendat consecrare.* Prima Pars est communis, etsi quidam Scotistæ teneant, unum solum ex eis consecrare, quem DEUS vult, & probatur, quia quilibet ex eis adhibuit requisita ad Consecrationem, & unus non potest impedire alterum, ut docet Scot. hic d. 6. q. 2. n. 2. cùm omnes habeant æqualem virtutem agendi. ergo. — I. Quilibet ex pluribus Sacerdotibus cōsecrat, si simul prolationem formæ absolvant.

Secunda est contra Suarem Sec. 6. qu. 4. est tamen conformis Scoto loc. citato; & supra insinuavi de Baptismo Disp. 9. q. 2. & 3. eámque tenet Vasquez hic & communis, & patet Primò, Quilibet ex ipsis eodem conatu eâdémque actione consecraret, si nullus ex aliis concurreret: ergò quilibet est causa totalis consecrationis, quia talis est, quæ sine concursu alterius efficeret eadem actione & facilitate. Secundò, unus non dependet ab alio in agendo, ergò non est causa partialis, ergò &c. — II. Imò quilibet est causa totalis consecrationis, modò absolutè & independēter ab alio intendat consecrare.

Dico Secundò: *Si unus ex prædictis absolvat formam ante alios, ille solus consecrat, alii nihil efficiunt.* Est communis, & ratio est, quia Sacerdos non aliter consecrat, quàm convertendo panem in Corpus Christi, nec sic convertit usque ad ultimum instans prolationis formæ, nullus autem ex dictis excepto primo proferente sic convertit, quia non est ibi materia seu panis convertendus in fine prolationis, quam facit. ergo. — III. Si unus ex illis absolvat formā ante alios, ille solus consecrat.

Arguitur Primò contra primam: Ex institutione Christi unus Minister debet necessaria ad hoc Sacramentum totaliter præstare, ergò Christus non voluit, quòd plures simùl conficiant hoc Sacramentum. Respond. — IV. Christus voluit unum esse causam totalem & sufficientē, non autem plures non posse tales esse.

spond. neg. consequ. quia solùm sequitur ex anteced: quòd voluerit, quòd unus sit causa totalis & sufficiens, non verò quòd plures non possent esse tales.

V. Minister principalis consecrans tenetur sumere hostiam, non autem secundarius.

Arguitur Secundò: Consecrans tenetur ex præcepto Divino sumere hostiam consecratam, ergò si singuli consecrant, singuli tenentur sumere, quod est falsum. Respond. pro nunc distin: anteced: consecrans tanquam minister principalis & totius Sacrificii transeat, tanquam secundarius ut in proposito negatur, deinde fortè non esset tantùm incommodum, si admittatur conseq.

VI. Objectio notabilis desumpta ex neo-ordinatis cũ Episcopo formam proferentibus.

Arguitur Tertiò: Ex Secunda sequeretur, quòd illicita sit consuetudo Ecclesiæ, quâ simùl plures ordinati solent cum Episcopo consecrante simùl proferre formam super eandem hostiam. ergo. anteced: patet, quia ex hoc gravia sequerentur incommoda, nam sequeretur Primò, quòd Episcopus, qui est sacrificans principalis aliquando nihil efficiat, videlicet quando alii ipsum præveniunt in prolatione formæ.

Secundò sequeretur, quòd plerique ex his & fortè omnes, excepto uno aliquo super hostiam jam consecratam frustra proferrent formam, & per consequens irreverenter, cùm sit moraliter impossibile, quòd omnes simùl in eodem indivisibili puncto temporis absolvant, & per consequens necessariò unus præveniat alios. Itaque in assignando modo ad evitandum hæc & similia incommoda, multùm laborant & diffident DD.

VII. Responsio Durandi rejicitur.

Respond. ergo Primò Durandus, concedendo, illam consuetudinem esse illaudabilem, & idcircò revocandam, ac proinde ipse meritò temeritatis notatur, quia consuetudo, quæ in tota Ecclesia Græca, & Latina, passim à tot sæculis viguit, esto non sit in singulis Diœcesibus (Gabriel enim loc. 6. dicit, suo tempore non fuisse in usu in Archi-Episcopatu Moguntino, vel etiam aliis Episcopatibus ei subjectis) non debet censeri illicita maximè cum modo præcipiatur in Missali Romano novo.

VIII. Responsio D. Thomæ, Alensis, &c. impugnatur.

Respond. Secundò D. Thom. q. 80. art. 2. & omnes ferè alii neg: anteced: dicuntque omnes illos referre debere suam intentionem consecrandi ad unum instans, & per hoc illa incommoda evitari. Idem etiam censet Innocen. 3. lib. 4. cap. 15. Alensis hic q. 10. memb. 5. art. 2. Ledesma & alii, qui illud instans volunt esse instans, in quo Episcopus absolvit prolationem. Sed contra hanc responsionem facit Primò, quòd forma ex institutione Divina operetur suum effectum in instanti determinato nempe ultimo suæ prolationis juxta communem, ergò non potest suspendere ejus efficientiam, vel facere, quod in alio & alio instanti efficiat, aliàs posset mutare institutionem Divinam. Secundò, quia illud instans, licèt sit aliquid determinatum, v. g. in quo Episcopus vel ultimus absolvit formam, remanent tamen dicta incommoda, quia etiam sic unus prævenit alterum.

IX. Responsio Richardi refutatur.

Respond. Tertiò: Richardus hic d. 13. art. 2. q. 1. & alii, quòd prædicti ordinati debeant proferre verba tantùm materialiter & sine intentione consecrandi, sed solùm ex intentione ostendendi, seu causa ostendendi ordinationem esse jam susceptam, & per hoc evitantur prædicta incommoda; sed contra hæc etjam facit, quòd in novo Pontificali admonetur Episcopus, ut tardè & altâ voce formam proferat, quatenus cœteri, quãtùm fieri potest, prolationem simùl cum ipso perficiant, ergò voluit Pontificale, quòd haberent intentionem consecrandi, aliàs esset perindè sive ante sive post ipsum proferrent. Secundò, in consecratione novi Episcopi alii Episcopi proferunt formam significativè, & cum intentione consecrandi, ergò & Sacerdotes in proposito, cum ex Pontificali non magis colligi possit, illos magis debere hoc, quàm hos facere.

X. Responsio Suarez &c. refellitur à Vasquez.

Respond. Suar. & Conig, & alii, Primò noviter ordinatos debere formam

mam proferre, ita ut conentur ante Episcopum eam non conficere. Secundò, habere intentionem conditionatam, nempe consecrandi cum Episcopo, si possent, si non, tantùm proferendi verba materialiter. Verùm Vasqu. putat esse implicantiam in hoc adjecto, nam ùt habeat intentionem consecrandi sub conditione, debet necessariò proferre verba formaliter & significativè, sed simul cum hoc proferre materialiter, ut non sufficiant adConsecrationem, est impossibile.

XI. Quam intentionem consecrandi neo-ordinatus habere debeat. Respondent tandem alii, Neomystam seu noviter ordinatum debere habere intentionem consecrandi sub conditione, nempe si non præveniatur ab aliis, si verò præveniatur, intentionem non consecrandi, & hæc responsio est tenenda, quia salvat prædicta incommoda, & dicitur in praxi aliis tutior, & meo judicio est in se opinio Suar. Conig. Cajet. &c. quia hi Authores procul dubio non putabant eadem verba significativè & materialiter simul proferri, sed benè ministrum posse habere intentionem proferendi significativè, si ab alio in Consecratione non præveniatur, si secus, proferendi materialiter, sive sine intentione consecrandi.

QUÆSTIO QUARTA.

Quis possit licitè ministrare seu dispensare hoc Sacramentum?

I. Minister alius consecrativus, alius dispensativus. NOta Primò: Quòd Minister alius est consecrativus seu effectivus hujus Sacramenti, per quem nempe ipsum Sacramentum conficitur, alius dispensativus seu collativus, per quem fidelibus distribuitur, seu dispensatur, & de hoc quæstio movetur.

II. Minister dispensativus alius ordinarius, alius non ordinarius. Nota Secundò: Ministrum collativum alium esse ordinarium, nempe qui ex officio vel ordinaria potestate dispensat, alium non ordinarium, nempe qui ex speciali commissione accepta ab habente ordinariam ministrat.

Dico Primò: *Jure Divino nec Diaconus, nec Laicus, nec alius, quàm Sacerdos potest ex officio vel ordinariâ potestate hoc Sacramentum aliis ministrare.* Ita Richardus d. 13. art. 1. q. 3. Paludanus, Durandus, & alii, quos sequuntur Suar. hìc Disp. 12. Sect. 7. Vasqu. Disp. 29. cap. Conig. & alii. 1. pars Conclusionis de Diacono est contra Sotum hìc Disp. 13. qu. 1. art. 2. ubi dicit, quòd Diaconus possit sanguinem ex officio, non tamen corpus dispensare, & Probatur Primò ex Clemente Rom. libro, Apostolicar. consuetudinum cap. 28. aliàs 3. 4. ubi de Diacono sic ait: *Non baptizat, non offert oblationem ab Episcopo vel Presbytero factam, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam minister, qui ministrat Presbyteris*, ergò Diaconus nulli ministrat hoc Sacramentum, nisi tanquam Presbyteri Commissarius vel vicem gerens. III. Diaconus Jure Divino nequit ex officio dispensare Eucharistiam.

IV. Alia Probatio ejusdem. Secundò ex illo D. Ambrò. lib. 10. Offic. c. 21. quod canit Ecclesia in Officio S. Laurent. *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* ergò, Diaconus seu Laurentius non ex officio, ùt vult Soto, sed ex Commissione habuit Sanguinis dispensationem.

V. Nec laicus, nec alius, quàm Sacerdos, potest ex officio Evchaistiam ministrare aliis. Secunda Pars & tota Conclusio probatur Primò ex Trident. Sess. 13. cap. 8. ibi: *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia DEI mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communicationem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent*, ergò à tempore Apostolorum, quia semper laici debebant Evcharistiam non ab aliis laicis, vel à Clericis, sed à solis Sacerdotibus, tanquam à ministris ordinariis, accipere, ergò hæc potestas erat Juris Divini, quia semper erat à tempore Apostolorum, quos non est verosimile hanc dispensationem, si esset aliàs illimitata, ad solos Sacerdotes limitasse. Probatur Secundò, quia Sacerdos tanquam mediator dat munera populi ad DEUM, & DEI ad populum, ergò mixtum DEI munus, ad Sa- VI. Aliæ rationes ad idē.

ad Sacerdotem pertinet hoc distribuere.

Tertiò: Quia nullus habet potestatem ordinariam hoc Sacramentum ministrandi, nisi qui eam accepit à DEO, sed DEUS solis Sacerdotibus dedit hanc potestatem, ergò. min: patet: Tum, Quia solis Apostolis eorumque Successoribus, Luc. 22. dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem*: Tum, Quia de eis solis 1. ad Corinth. 4. dicitur, quòd sint dispensatores mysteriorum Dei. ergo.

VII. Sacerdotes spectato jure Divino solo possũt dispensationem Evcharistiæ aliis aliquando cõmittere, urgente gravi causa.

Dico Secundò: *Sacerdotes Jure Divino non tenentur per se solos hoc Sacramentum aliis ministrare, sed possunt solo hoc jure spectato ejus dispensationem aliis aliquando committere urgente gravi causa.* Ita suprà citati contra Sotum ibi dicentem, quòd solus Sacerdos teneatur Jure Divino per se ministrare corpus extra casum necessitatis. Probatur Primò & Secundò ex verbis Divi Clementis & S. Laurent. Conclusione primâ citatis.

Tertiò ex Concil. Carthag. 4. Can. 38. ubi habetur, ut Diaconus præsente Presbytero Evcharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.

VIII. Idem adhuc stabilitur ex Concilio Niceno.

Quartò ex Concil. Nicæno 1. Can. 14. ubi præcipitur, ne Diaconi Evcharistiam Presbyteris ministrent, neque præsente Episcopo ipsi per se, sed post Presbyteros de manu Episcopi vel Presbyteri eam accipiant, Episcopo tamen absente & Presbytero ipsi per se proferant & edant.

IX. Et Justino.

Quintò ex Justino, in secunda Apologia referente consuetudinem Ecclesiæ suo tempore sic, postquam & is, qui præest, consecrans egit, & populus omnis benedicit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendo panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt, atqui hic cibus apud nos Evcharistia nominatur &c.

Ex his manifestè sequitur, quòd Sacerdotes non teneantur per se non solùm Sanguinem, sed etiam Corpus Christi administrare, sed posse utriusque dispensationem aliis committere, ùt constat maximè ex verbis Clementis supra indifferenter in utroque, & verbis Justini expresse de utroque loquentibus, nec potest dici, ùt ait Sot. hæc fieri ex dispensatione Ecclesiæ, quia Ecclesia non potest dispensare in eis, quæ sunt Juris Divini.

X. Nec Diaconis, nec laicis dispensatio Evcharistiæ ex commissione Presbyteri prohibetur Jure Divino.

Dico Tertiò: *Nec Diaconis, imò nec Laicis hæc dispensatio ex commissione Presbyteri vel Episcopi prohibetur Jure Divino.* Ita Suar. & Vasqu. ubi suprà Prima Pars est evidens ex dictis, quia Canones citati Conclusione secundâ hoc permittunt, sed non possent permittere, si esset prohibitum Jure Divino, quia in hoc Ecclesia non potest dispensare. ergo. Probatur Secunda Pars Primò, quia Lex Divina naturalis hoc non prohibet, ùt per se notum est, nec est positiva, quia non potest dici quæ.

XI. Ecclesia primitiva id laicis aliquando permisit.

Probatur Secundò: Quia Ecclesia primitiva legitur, aliquoties laicis permisisse se vel alios communicare, ergo. anteced: patet Primò ex Euseb. lib. 7. c. 36. ubi narrat, quòd quidam Sacerdos cum quodam puero miserit partem Evcharistiæ ad communicandum quendam infirmum. Secundò ex Tertull. l. 2. ad uxorem. cap. 3. Clemente Alex. &c. ubi referunt, Evcharistiam domi à laicis servari, & tempore opportuno sumi.

XII. Jure Ecclesiastico permittitur Diaconis in necessitate dispensare Evharistiã ex commissione Sacerdotis.

Dico Quartò: *Jure Ecclesiastico nunc permittitur Diaconis, ut in necessitate possint dispensare Evcharistiam ex commissione Sacerdotis vel Episcopi, Laicis verò & aliis Clericis minimè.* Prima Pars est Alensis hic 2. p. q. 10. memb. 3. Richardi, Paludani, & communis, & patet, quia Jura Ecclesiastica antiqua hanc dispensationem Diaconis concedunt, ut jam visum est, & illa nusquam leguntur revocata per alia jura opposita. ergo.

Secun-

XIII. Non verò laicis & aliis Clericis.

Secunda Pars eſt Suarii & Vaſq. ubi ſuprà, & communis ſaltem extra articulum mortis, & Probat: Primò: Quia Canones, qui expreſsè concedunt Evchariſtiæ diſpenſationem aliis, quàm Presbyteris, nunquam faciunt mentionem Clericorum inferiorum, laicorum, ſed ſolùm Diaconorum, ergò videntur tacitè illud prohibere.

Secundò, conſuetudo Eccleſiæ, quæ vim legis habet à tot ſæculis, eſt in contrarium.

XIV. Idem ulterius evincetur.

Tertiò, quia expreſsè prohibetur cap. 2. & 24. de Conſecratione. diſt. 2. cap. pervenit &c. ibi: *Pervenit ad noſtram notitiam, quòd quidam Presbyteri, laico, vel fœminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis*; quod horribile & deteſtabile Synodus cenſet, & interdicit, ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat, ſed omnis Presbyter infirmum per ſe communicet.

Arguitur Primò contra primam: paſſim legitur Diaconum miniſtràſſe Sanguinem in primitiva Eccleſia, ùt patet ex antiquis Lyturgiis, & verbis S. Laurentii ſuprà, ſed perrarò Corpus, hæc differentia non aliundè provenit, quàm quòd Sanguinem ex officio, Corpus verò ex commiſſione miniſtrabat. ergo. Reſp. Negando min: ratio namq; illius differentiæ prima eſſe poteſt, quòd Diaconus dabatur Coadjutor Sacerdoti communicanti multitudinem Communicantium ſub utraq; ſpecie, & cùm diſpenſatio Corporis ex inſtitutione Chriſti ſit prior Communione Sanguinis, eum Sacerdos exercebat tanquam dignior, Diaconus verò ſequebatur diſpenſando Sanguinem. Secunda, quia Corpus nudâ manu tractatur, Sanguis verò minimè, cum ſit in vaſe, & ſic potius diſpenſatio illius debuit eſſe celebrantis, hujus verò non.

XV. Cur olim potius Sanguinem, quàm Corpus miniſtràrit Diaconus.

XVI. Sacerdotibus jure divino relinquitur poteſtas comittendi aliis diſpenſationem Evchariſtiæ.

Arguitur Secundò contra ſecundam; Sacerdotes acceperunt divinum præceptum, ſicut & poteſtatem diſpenſandi, ergò nulli alii etiam ex eorum commiſſione poterunt adminiſtrare. Prob: conſeq: quia nulli alii poſſunt adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, etiam ex ſpeciali commiſſione, preter eos, qui acceperunt præceptum illud adminiſtrandi, ergò nullus etiam hoc. Reſp. neg. conſeq. ejúsq; probationis conſeq. quia preceptum adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ datur ſolis Presbyteris, & ita quòd ipſi ſoli in propria perſona illud adminiſtrent, ſed Jure Divino relinquitur ipſis poteſtas comittendi aliis diſpenſationem Corporis & Sanguinis Chriſti, urgente neceſſitate, quamdiu Eccleſiæ ſic placet.

XVII. Cui adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ nequeat alteri à Sacerdore committi.

Arguitur Tertiò: Qui Sacramentum Pœnitentiæ conficit, tenetur illud aliis adminiſtrare. ergò & hoc. Reſpond. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia efficere Sacramentum & idem aliis adminiſtrare in aliis Sacramentis, quæ tantùm conſiſtunt in fieri, non diſtinguitur, nam uſus Sacramenti & ipſum Sacramentum eſt idem, in hoc verò cùm habeat eſſe permanens diſtinguuntur, cùm ergò ſoli Presbyteri debeant conficere Sacramentum Pœnitentiæ, ita & ſoli adminiſtrare, quia hæc duo in iſto non diſtinguuntur, in hoc verò cùm diſtinguantur, æquum erat, quòd qui teneretur ad unum, non ſemper per ſe teneretur ad aliud.

XVIII. Non eſt côtra Jus Divinum, quòd Laicus miniſtret Evchariſtiam.

Arguitur Quartò: Concil. Rhemenſe dicit, eſſe horribile & deteſtabile, quòd laicus vel fœmina adminiſtret hoc Sacramentum, ergò eſt contra Jus Divinum naturale, quòd Laici adminiſtrent. Reſpond. Negando conſequ: Tum, Quia illud poterat eſſe horribile non ratione facti in ſe, ſed ratione circumſtantiarum, nempe ratione irreverentiæ, ſcandali &c. maximè, ſi à fœmina adminiſtraretur, ùt ibi inſinuatur. Tum, Quia quod ſtrictè prohibetur ab Eccleſia, poteſt dici horribile facere in oppoſitum.

XIX. Eccleſia nunc non permittit Laicis adminiſtrare Evchariſtiam.

Arguitur Quintò: Jus Divinum & etiam Eccleſiaſticum antiquum permittit Laicis diſpenſationem hujus ex Commiſſione Epiſcopi, ergò nunc illis non eſt prohibita, quia hæc permiſſio nullo jure eſt revocata. Reſpond. neg. conſequ: ejúſque probationem, nam eſt revocata per

Digitized by Google

consuetudinem contrariam in tota Ecclesia, & Canonem Concil. Rhem. ubi suprà.

XX. Regina Scotiæ habuit dispẽsationem.

Dices: Regina Scotiæ Martyr Sanctissima ante annos paucos legitur, paulò ante mortem se ipsam communicâsse. ergò hoc est modò licitum. Respondet Vasquez, quòd habuerit dispensationem ad hoc, vel certè processit ex consilio prudentum, & juxta opinionem probabilem, quia putatur, hoc licere in extrema necessitate, de quo infrà.

XXI. Concilium Rhemense non adimit potestatem Presbyteris committẽdi aliis ministrationẽ Eucharistiæ si adsit necessitas, vel rationabilis causa.

Arguitur Sextò: Concilium Rhemense, ubi suprà mandat Presbyteris, quòd ipsi per se ministrent hoc Sacramentum, ergò non possunt ampliùs hoc aliis committere. Respond. Neg: consequ: saltem in casu necessitatis, quia Concilium tantùm ostendit, quòd debeant per se facere, antequam committant fœminis vel laicis, non verò absolutè prohibet illud, quòd alia Jura & Praxis Ecclesiæ Romanæ modò permittit, nam cum summus Pontifex solenniter celebrat, sumit Sanguinem de manu Diaconi, ex quo etjam facto sicut ex verbis Clementis & Justini suprà citatis, potest ulteriùs colligi, quòd ad hoc non requiritur magna necessitas, sed solùm rationabilis causa cum commissione Ecclesiæ, nec refert, quòd Concil. Carthaginense suprà videatur hoc permittere solùm, si necessitas urgeat, quia tantùm per hoc intelligit urgentem causam, quia loquitur de necessitate, quæ occurrit præsente Presbytero, summa autem necessitas non posset esse ipso præsente, quia ipse tunc posset ministrare.

XXII. Diaconus quandoq; sine expressâ licentiâ Presbyteri, potest dispensare Eucharistiam.

Quæres Primò: An Diaconus sinè expressâ licentiâ Presbyteri possit hoc Sacramentum ministrare? Respond. cùm D. Thom. quæst. 82. art. 2. Soto Vasqu. &c. & commun. quòd sic, si necessitas urgeat, & ipse sit absens, quia tunc sufficit ejus licentia præsumpta; imò si Sacerdos sit præsens, & neget licentiam, posset in casu necessitatis sine ejus licentia dispensare, quia tunc potest recurrere ad voluntatem interpretativam Episcopi, vel Pontificis. Ita Suar. Vasqu.

XXIII. Laicum vel Clericum inferiorem in articulo mortis posse dispensare Eucharistiam negat Vasquez & cæt.

Quæres Secundò: An in casu extremæ necessitatis, v. g. articulo mortis, posset laicus vel Clericus inferior dispensare Eucharistiam? partem negativam tenet Vasquez suprà, pro qua facit Primò, quia Concil. Carthag. & Consuetudo docent, quòd non. Contra autem legem nec virtute Epikeiæ, nec aliter quidquam debet fieri, nisi quando perniciosum & injustum est ipsam legem observare, in proposito autem non est ita, cùm hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem. Secundò, quia si liceret contra Legem Ecclesiæ hoc facere, liceret etiam contra eandem consecrare Eucharistiam sine veste sacra, lumine aut Sacrificio Missæ, ut communicetur ægrotus, hoc autem non. ergo.

XXIV. Affirmat Suarez &c. & quare.

Partem affirmativam ùt probabilem insinuat Suarez, Conig, & alii Primò: Quia Jus Divinum hoc ipsis permittit, & antiquum Ecclesiasticum, & alii Canones non videntur loqui de casu extremæ necessitatis. Secundò, Quia factum Reginæ Scotiæ, de quo suprà hoc confirmat:

XXV. Utrumque probabile est.

Ego neutram partem audeo approbare, neutram & præferre, quia rationes utriusque satis congruæ, & Authores graves, unde utraque, ùt probabilis potest teneri.

XXVI. Sacerdos extra Missam quando se possit communicare.

Quæres Tertiò: An Sacerdos extra Sacrificium Missæ possit se ipsum communicare? Respond. cum Cajetano & Vasqu. ubi suprà, quod sic imò & Diaconus etiam extra articulum mortis, modò desit alius, qui possit eum communicare.

QUÆSTIO QUINTA.

An omnibus Sacerdotibus, etiam Religiosis liberum hoc Sacramentum administrare?

Quæstione præcedenti dictum est de potestate Ordinis, respectu hujus Sacramenti, in hac verò de potestate jurisdictionis respectu

I. *Potestas jurisdictionis ordinaria, alia delegata.*

spectu eorum, quibus debet administrari, pro quo Nota, quòd potestas jurisdictionis sit duplex, alia ordinaria, quam quis ex officio sine ulteriori privilegio habet, alia delegata seu ex commissione, quam quis habet per privilegium seu concessionem ejus, cui competit potestas ordinaria.

II. *Jurisdictio requiritur ad licitam administrationem Eucharistiæ.*

Dico Primò: *Non potest quilibet Sacerdos licitè administrare hoc Sacramentum indifferenter cuicunque, sed ad hoc potestas jurisdictionis requiritur respectu ejus, cui administratur.* Ita Suarez suprà Sect. 2. Vasqu. cap. 2. & communis, & patet Primò ex Concilio Carthag. 1. cap. 7. ubi præcipitur, quòd nullus Clericus vel Laicus sine licentia sui Episcopi in aliena parochia communicet, quibus in locis licèt prohibitio directè tantùm se teneat ex parte communicantium, tamen obligatio cadit tàm in communicantes, quàm in administrantes juxta communem.

Secundò: Quia si quilibet indiscriminatim administraret, tolleretur è medio gubernatio & hierarchia spiritualis Ecclesiæ.

III. *Pastor suis tantùm ovibus administrare potest.*

Ex his sequitur Primò: Quòd Pastor possit hoc Sacramentum administrare propriis ovibus, & non aliis, quia in ordine ad alios deest ipsi jurisdictio, per Pastorem autem intelligitur Episcopus respectu suorum, & Papa respectu omnium Fidelium.

IV. *Peccat mortaliter administrans sine potestate, privilegio, vel licentiâ saltem præsumpta.*

Sequitur Secundò: Quòd peccet mortaliter, qui hoc munus obit sine potestate, privilegio, vel licentiâ, proprii Pastoris saltem præsumpta, interpretativam autem ejus voluntatem seu præsumptam ejus ratihabitionem, quæ ex rei necessitate ex benignitate Pastoris vel affectu erga Communicantes, administrantes, aut ex mutua familiaritate præsumi potest, sufficere volunt Navar. Suar. Vasqu. & communis, ubi suprà.

Dices: Non sufficit præsumpta ratihabitio ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, ergò nec ad hoc. Respond. Neg. consequen: Disparitas, quia jurisdictio non prærequiritur ad substantiam actûs dispensandi Eucharistiam, sed ad debitum modum, & ordinem dispensandi illam, cùm hæc dispensatio non sit jus dicere, vel sententiam ferre, vel aliud ad hæc spectans; jurisdictio autem prærequiritur ad substantiam absolutionis, cùm jurisdictio sit potestas jus dicendi, & sententiam ferendi, absolutio autem sit quædam sententia, cùm absolvere sit sententiam ferre, & jus dicere: nullus autem potest jus dicere, aut sententiam ferre, nisi actu habeat potestatem judiciariam. ergò. V. *Cur præsumpta ratihabitio non sufficiat ad Pœnitentiæ Sacramentū administrandum.*

VI. *Mendicantes, ex Privilegiis possunt ministrare Eucharistiā in suis Ecclesiis omnibus, quovis tempore, excepto Paschate.*

Dico Secundò: *Religiosi mendicantes per potestatem delegatam, seu ex Privilegiis Pontificum possunt ministrare Evcharistiam in propriis Ecclesiis quibuscunque Fidelibus, quocunque anni tempore, excepto Festo Paschæ Resurrectionis sine licentia Parochorum.* Est Suar. & Vasq. Roderici. Rom. 1. quæ. 56. ar. 3. & communis. Ita expressè concessit Nicol. 5. & Six. 4. Fratribus Min: de observ. ùt constat ex monumentis Minor: fol. 114. concess. 149. & 105. & supplemento fol. 18. concess. 160. ita etiam concesserunt iisdem Julius 2. & Leo 10. ùt habetur in supplemento ibi, & refert Rodriqu: suprà, & PP. etiam Societ. Paulus 3. ùt refert in Compend. Privileg. verbo Evcharistia, sed circa hæc privilegia dubitatur, quòd per festum Paschæ intelligatur.

VII. *Duplex sententia quid intelligatur per Festūm Paschæ.*

Navarr. cap. 7. Summæ. nu. 52. & Compilatores privilegiorum Societ. intelligunt ipsum diem Paschæ Resurrectionis, ita quòd nullatenus liceat Religiosis isto die administrare vel causâ devotionis, vel ad præceptum adimplendum, quia sic sonat *ly dies*, quod ponitur in Bulla Nicol. V. & Leonis X. alii verò per Festum Paschæ intelligunt eum diem temporis Paschalis, quo suscipiens intendit satisfacere præcepto Ecclesiæ de Communicatione Paschali, ita quòd sola Communicatio, quæ fit animo satisfaciendi præcepto ibi prohibeatur, ita Rodriqu: Suar. & Vasqu. &

Bonacinna Tom. 1. Disp. 4. quæ. 7. punct. 2. n. 9.

VIII. Per diem Paschæ intelligitur dies, quo quis intendit satisfacere præcepto Communionis annuæ.

Dico ergò Tertiò: *Cum hac secunda opinione per diem Paschæ debere intelligi diem temporis Paschalis, quo quis intendit satisfacere præcepto communionis annuæ.* Probat: Primò, quia dicta exceptio seu prohibitio facta specialiter in Paschate est in favorem Parochorum, & in signum potestatis ordinariæ ipsorum super oves suas, ipsi soli vel aliis de eorum licentia poterit Evcharistiam ministrare, quando subditi ex præcepto Ecclesiæ tenentur eandem suscipere, sed si per Festum vel diem Paschæ non intelligeretur dies, quo adimpletur hoc præceptum, sed ipse primus dies Paschæ, ut prima sententia vult, sequeretur, quòd hæc prohibitio esset frustra, quia sic subditi nunquam possent communicare de manu vel licentia Parochi, & satisfacere præcepto communicando apud Religiosos, aliquo die à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè (ipso die Paschæ Resurrectionis excepto.)

IX. Idem ulterius probatur.

Probatur Secundò: Pontifices non prohibent Fideles communicare aliquo die apud Religiosos, nisi quo obligant eosdem alibi communicare, alias impedirent devotionem, & bonum spirituale ipsorum, contra rationem maximè tàm sancto tempore, sed non obligat Fideles ad communicandum Dominica Resurrectionis apud Parochum, vel alibi, & per hæc facilè satisfit fundamento oppositæ sententiæ, quia Pontifices diem vel Festum Paschæ non intelligunt ita rigorosè, ut tunc fiat præjudicium jurisdictionis Parochorum, in quorum favorem illæ Bullæ sunt datæ, ut non impediatur devotio Fidelium, sed per hoc tantùm intelligunt diem, quo quis intendit satisfacere præcepto Ecclesiæ.

Circa dicta nonnulla oriuntur dubia. Primum, an liceat Religioso extra propriam Ecclesiam Evcharistiam ministrare aliis? Secundum, quam Censuram incurrat Sacerdos Religiosus vel sæcularis ministrans sine licentia Parochi? Tertium, an ministrans cum licentia Parochi debeat esse approbatus ab Episcopo? Quartum, an alii Sacerdotes in Ecclesiis Religiosorum de eorum licentia possint administrare? Quintum, an possit probabiliter sustineri, quòd Religiosi in Festo Paschæ modò suprà dicto possit administrare Evcharistiam. Pro solutione

Nota juxta opinionem Cajeta. Suarii, Vasqu. & communem antiquorum & RR. Religiosos non posse administrare in die Paschæ, seu quo satisfit præcepto Ecclesiæ, nec etiam per modum viatici infirmis, juxta tamen particularem Roderici sententiam, de quâ infrà, posse, unde resolvendo tria priora dubia, secundùm hanc communiorem sententiam.

Dico Quarto: *Religiosi sine licentia Parochi saltem præsumta non possunt licitè administrare Evcharistiam, tanquam viaticum subditis Parochi morientibus, imò nec ullo modo extra propriam Ecclesiam sub Excommunicationis pœnâ reservatâ summo Pontifici.* Prima Pars est Suar. & Vasquez. suprà habetur expresè in privilegio cit. Paul. III. concesso PP. Societ. Secunda est Cajetani, Suar. Vasqu. Sylvestri suprà, & communis, & habetur in Clementi. Religiosi de privilegiis, in qua pœna excommunicationis reservata Papæ infligitur Religiosis, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Evcharistiæ administrare præsumpserint, sine licentia Parochialis Presbyteri. Circa hæc tamen.

X. Religiosi sine licentia Parochi ejus subditis nequeunt ministrare Evcharistiã ut viaticũ, nec ullo modo extra propriam Ecclesiam sub Excommunicatione reservata Papæ.

Nota Primo: Per Presbyterum Parochialem intelligi ipsum Papam, Episcopum, imò & Vicarium Parochi, & etiam ipsum Parochum, licèt non sit Sacerdos, cùm habeat jurisdictionem, secundùm quam potest alterum subdelegare.

XI. Ignorantia, licentia præsumpta extrema necessitas excusant.

Nota Secundo: Quod hæc jura non obligant ministrantem ex ignorantia vel licentia præsumpta, vel etiam in casu extremæ necessitatis; unde quidquid sine fundamento dicat Navar. cap. 21. num. 52. & Sylvester,

ster, si aliquis sit in articulo mortis, & non sit alius, qui posset vel velit ministrare ei, potest Religiosus ipsi administrare, & etiam Sacerdos sæcularis, ut docent Angelus verbo excommunicatio Henriqu. Tom. 2. lib. 8. cap. 55. Rodriqu. suprà art. 5. Suar. Vasq. & communior, & patet Primò ex privilegio dicto Paul. III. ubi additur, nisi necessitas urgeret, ergo ibi excipitur casus necessitatis. Secundò, ex ipso jure naturæ hoc dictante, & præsumpta semper licentia Episcopi vel Papæ.

XII. Sacerdos sæcularis sine licentia Parochi ministrans Eucharistiam, non incurrit censuram, licèt graviter peccet.

Dico Quinto: *Sacerdos sæcularis ministrans Eucharistiam sine licentia Parochi nullam incurrit censuram, licèt graviter peccet.* Ita Suar. suprà Sect. 2. Vasqu. cap. 7. Conig. &c. & ratio est clara, quia nulla jura talem pœnam his expressè infligunt.

XIII. Instantia respondetur.

Dices: Jura infligunt pœnam excommunicationis Religiosis sic facientibus, ergò & Sæcularibus. Respond. Neg. consequen. Quia argumentum à simili non valet in Legibus pœnalibus.

Dices Secundo: Qui exercet actum Ordinis, quem non habet, est irregularis; ergò & qui communicat aliquem, quem non potest licitè communicare. Respond. Nego consequ. Quia in hoc non est defectus Ordinis, sed jurisdictionis, illi autem pœna solùm infligitur propter defectum Ordinis, non verò jurisdictionis.

XIV. Sacerdos non approbatus ab Episcopo, potest Eucharistiam ministrare.

Dico Sexto: *Sacerdos, qui cum licentia Parochi, aut ex privilegio potest hoc Sacramentum ministrare, non tenetur necessariò esse approbatus ab Episcopo.* Ita Suar. Vasqu. & Rodriq. ibi, & patet Primò, quia nullum jus hoc exprimit. Secundò, quia non requiritur tanta Scientia, industria, aut alia sufficientia in ministris hujus, sicuti in ministro Sacramenti Pœnitentiæ. Tertiò, quia Leo X. ubi suprà expressè concessit singulis Sacerdotibus regularibus, etiam non Confessariis, quòd possent hoc administrare.

XV. Sacerdotes sæculares possunt Eucharistiam ministrare in Ecclesia Mendicantium de eorum licentia.

Dico Septimò: *Possunt Sacerdotes sæculares in Ecclesia Mendicantium de eorum licentia hoc Sacramentum administrare quibuscunque Fidelibus.* Ita Rodericus suprà art. 3. & patet Primò ex Praxi. Secundò ex indulto Julii II. Concesso Fratribus Minoribus apud Rodriqu. ibi, in quo conceditur, ut in Ecclesiis suis, quoties opus fuerit, possint ministrare, & ministrari facere Sacramentum Eucharistiæ Curialibus, Mercatoribus, Peregrinis, & Viatoribus, ac alis quibuscunque Personis.

XVI. Mendicantes possunt ministrare Eucharistiã extra proprias Ecclesias non sumentibus per modũ Viatici, & Communionis Paschalis.

Dico Octavo: *Quilibet Sacerdos Mendicantium sine aliqua censura potest liberè & licitè ministrare Eucharistiam extra proprias Ecclesias quibuscunque Fidelibus, saltem non sumentibus eam per modum viatici, vel animo satisfaciendi Comunionis Paschalis præcepto.* Ita Roderi. ubi suprà ar. 3. & insinuat Suar. suprà sect. 2. §. Sed quæres. in fine, & prob: Primò ex tribus Privilegiis Nic. 8. Sixti 4. & Leon. 10. Conclusione sequenti allegandis, quorum singulum concedit nostris potestatem ministrandi Eucharistiam, sine illa particula, *in propriis Ecclesiis*, vel alia restringente, & nullam faciunt mentionem recursus ad licentiam Parochorum, imò Leo X. concedit expressè sine licentia Parochorum. ergo. Patet Secundò ex quotidiana praxi, quâ tot Religiosi coràm Pastoribus communicant alios, non petendo eorum licentiam.

XVII. Probabile est Mendicantes posse Eucharistiam in propria Ecclesia ministrare sumentibus, ut Communionem Paschalem.

Dico Ultimò: *Probabile est, quòd Religiosi Mendicantes possunt ministrare Eucharistiam in propria Ecclesia ipsa die Paschali, seu quo sumentes intendunt satisfacere præcepto communionis annuæ.* Ita Roder. Tom. I. q. 56. art. 3. & patet Primò ex indulto Nicol. V. apud Roderi. ibid. quo anno 1458. 4. Cal. Octob. concessit Monasterio B. M. de Quadalupe Ord. S. Hieronymi, quod ejus Confessores, inquit, Sacramentum Eucharistiæ quibuscunque personis ad prædictum Monasterium confluentibus etiam in die Paschatis ministrare liberè & licitè possint Diœcesanorum, aut cujuslibet alterius licentiâ

centiâ minimè requisitâ, hoc autem indultum postea ex Concessione Pii IV. expedita per Pium V. est factum commune singulis Monasteriis mendicantium. ergo. Patet Secundò ex indulto Julii II. de quo suprà Conclusione septima, in quo nulla fit restrictio, nec excipitur dies Paschæ, vel alius, nec ulla alia fit restrictio, nisi ad propriam Ecclesiam.

XVIII. Non incurrunt propterea Excommunicationem. Arguitur Primò: Religiosi sic administrantes sunt excommunicati, ùt patet ex Clement. Religiosi supra allegata. ergo. Respond. Negando anteced: Tum, Quia alia jura, quæ dant hanc licentiam, sunt posteriora illa Clementinâ, & sic tollunt ejus vigorem: Tum, Quia Religiosi sic facientes, nil modò faciunt contra illam Clementinam, nam per Parochum in illa Clementina juxta Cajetan. verbo excommunicatio c. 64. Sylvestrum, Navar. Suar. Vasqu. & communem intelligitur etiam Episcopus vel Pontifex, Religiosi autem non administrant Eucharistiam sine licentiâ Pontificum, ùt patet ex dictis privilegiis, ergo nec sine Parochorum.

Arguitur Secundò contra Octavam: Hæc privilegia non sunt modò in usu, ut patet ex communi praxi, sed privilegia per non usum abrogantur. ergo. Min: patet, Quia Pontifices nunquam confirmant privilegia, nisi quatenus sunt in usu, sed privilegia non valent, quæ non confirmantur. ergo. Respond. Nego Min: & Prob: Majo: Nam privilegia Minorum sunt confirmata â Pio IV. & Sixto I. sine illa Clausula, quatenus sunt in usu. Sed cum alia, nempe ex certa Scientia & plenitudine potestatis, quæ Clausula confirmat etiam ea, quæ non sunt in usu. Deinde falsum est, quòd per hoc, quòd non confirmentur ea, quæ non sunt in usu, revocentur. XIX. Privilegia per non usum non sunt abrogata.

Adde, quòd non usus privilegiorum non deroget ipsa ignorantibus juxta communem; circa hæc tamen privilegia mònet, & rectè, idem Rodericus, quòd non debeant Religiosi publicare, se habere generalem licentiam communicandi Fideles in die Paschali, cùm Episcopi & Parochi hoc ægrè ferrent, unde possunt eis uti prudenter & cautè, maximè ubi urget aliqua necessitas, & non timetur scandalum, vel irritatio Cleri sæcularis. XX. Regulares debet cautè uti privilegio ministrandi aliis Communionem Paschalem.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE

Præcepto hujus Sacramenti.

QUia Præceptum hujus Sacramenti respicit Ministrum & suscipientem, ideò hæc Disputatio participat in difficultatibus cum præcedenti & sequenti, unde quæ in una desiderantur, in aliis videantur.

QUÆSTIO PRIMA.

An teneatur Sacerdos consecrare sub utraq; specie & quo præcepto?

I. Sententiæ Authorum referuntur.

OMnes conveniunt, quòd per se teneatur consecrare sub utraque specie, sed quo præcepto, & an semper, controvertitur. Prima sententia quoad præceptum tenet, quòd præcepto solo humano Ecclesiæ teneatur, ita Adrianus de Eucharistia qu. 6. Navar. num. 91. Sanchez. &c. citantes pro se D. Thomam hìc q. 11. art. 1. ibi, ubi ait: rationem esse tantùm, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ.

Secunda, quòd non solùm humano, sed etiam Divino teneatur, ita Cajet. hìc q. 80. ar. 12. Marsilius, Gabriel,

briel, Paludanus & alii, quos sequitur Suar. hic disp. 43. sect. 3. imò & Scotus expresse in 4: dist. 8. q. 3. §. *Dico quod in isto casu*, licèt à nullo citetur.

II. Sacerdos tenetur cōsecrare sub utraq; specie jure humano.

Dico ad Quæstionem: *Sacerdos tenetur jure humano & Divino, consecrare sub utraque specie.* Ita secunda sententia, & prima Pars patet Primò, ex capite comperimus de Consecr. dist. 2. ubi loquens de hoc Sacramento, ait, non posse absque grandi Sacrilegio dividi mysterium, atqui hoc Sacrilegium adminus erit contra præceptum Ecclesiæ. ergo.

Secundò: Quia in variis Conciliis præcipitur, ut si Sacerdos statim post Consecrationem Corporis moreretur, aut infirmetur, alius succedat consecraturus Sanguinem, ne Sacramentum imperfectum relinquatur.

III. Ac etiam Jure Divino.

Secunda Pars probatur Primò: Quia in eo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, præcipitur Consecratio sub utraque specie. Sed hoc est præceptum DEI, ergo. major patet Primò, Quia præcipitur Apostolis, & eorum Successoribus facere, quod Christus fecit, sed Christus consecravit sub utraque specie. ergo.

Secundò: Quia ibi saltem præcipitur effectio hujus Sacramenti, sed non sub una tantum specie; Tum, Quia de hac re nullum est testimonium: Tum, Quia non est ratio, cur potius sub hac specie, quàm sub illa, aut è contra. ergò sub utraque.

IV. Idem ulterius evincitur ex Tridentino.

Probatur Tertiò: Quia Trident. explicat jam dictum locum Scripturæ Sacræ de Consecratione sub utraque specie, antecèd: patet ex Sess. 22. cap. 1. ibi: *Dominus noster in Cœna novissima Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & iisdem, eorùmque Successoribus ut offerrent, præcepit, per hæc verba, Hoc facite in meam Commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.* Hæc Concil. Ubi ex dicto loco colligit necessitatem consecrandi sub utraque specie, & dicit, quòd Christus præceperit Apostolis, quòd sic offerant, ergò putat esse de hac re præceptum Divinum.

Arguitur Primò: Quando dicitur, *Hoc facite &c.* ibi non præcipitur nisi Consecratio Corporis, ergo. anteced: probatur. Quia illa verba non ponuntur post utramque, sed solùm post Corporis Consecrationem. Secundò, quia non dicitur hæc, sed hoc facite, ergò non utraque. Respond. Neg. antec: ad probatio: primam respondetur, licèt verba illa non ponantur post utramque, tamen Christum dedisse præceptum post utramque, ùt patet: Tum ex verbis Lucæ ibi: *Similiter & Calicem &c.* nam si similiter & eodem modo, ergò præcepit hìc sicut ibi: Tum ex Pauli 1. ad Corinth. 11. ubi sicut prædicta ponit post Consecrationem Corporis, ita post Consecrationem Sanguinis ponit hæc, *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam Commemorationem.* Et hinc patet ad secundam, quia in verbis æquivalentibus, ubi dicitur, *Hoc facite*, ùt patet ex his, *Similiter & Calicem*: Tum, Quia ly hoc refertur ad totam actionem consecrandi sub utraque specie.

V. Christus dedit præceptum consecrandi post utrāq; speciem.

Arguitur Secundò: Juxta Lucæ 24. tantùm consecravit in pane coram Discipulis in Emaus, ergò & idem licèt Sacerdoti suppositâ communiori sententia, quòd Christus ibi Eucharistiam consecraverit, quam sequitur ipse Calvinus. Respond. Neg. consequ: Quia Christus non tenebatur ad sua præcepta, sicut nos, sed ibi usus est suâ potestate excellentiæ, eo maximè fine, ut communicando duos Discipulos, qui non erant Apostoli vel Sacerdotes in speciebus panis tantùm, ostenderet Communionem sub utraque specie non esse necessariam laicis.

VI. Ex facto Christi in Emaus non rectè deducitur consequentia ad alios Sacerdotes.

Arguitur Tertiò: Potest una species sine alia in altari conservari, & à fidelibus sumi, ergò & sine alia consecra-

secrari. Prob: consequ: Quia si quidquam obstaret, esset vel maximè, quòd non esset ibi aliàs integrum Sacramentum, sed hæc non obstat, aliàs obstaret, quo minus sumeretur sub una specie. ergo. Respond. Negando consequentiam, & probationis majorem, quia integritas quidem requisita obstaret non Sacramenti, sed Sacrificii; quia ad integrum Sacrificium utraque Consecratio requiritur, Christus autem præcepit integrum Sacrificium Ministris, licèt non integrum Sacramentum, hoc est, sub utraque specie omnibus sumentibus, vide plura in sequ.

VII. Integritas Sacrificii petit Consecratione sub utraque specie.

QUÆSTIO SECUNDA.

An possit aliquis in aliquo casu etiam ex dispensatione Ecclesiæ consecrare in una tantum specie.

I. Triplex Sententia refertur.

PRima Sententia tenet, quòd sic, etiam sine ullâ dispensatione, cùm præceptum de hac re sit humanum, quòd non semper obligat, quando necessitas oppositum postulat, ita Adrianus suprà quæ. 6. Major. Paluda. &c.

Secunda tenet, neminem hoc posse privata authoritate, quia res est gravissima, sed benè ex dispensatione Pontificis accedente publica & gravissima causa, ita Gabriel lect. 52. dub. 3. Sancti. hic repetitione 1. cap. 5. Angelus, Albertus Magnus, & alii, & fundamentum ejus est, quia vel præceptum de hac re est humanum, & sic res est clara, vel Divinum, & Papa in Divino potest dispensare, ùt facit in voto, Matrimonio rato &c.

Tertia tenet, ob nullam necessitatem, & ex nulla dispensatione vel interpretatione hoc posse fieri, ita Sylve. hic quæ. 5. Suar. suprà sect. 4. Vasqu. disp. 233. cap. 30. citans Scotum & alios.

II. Sacerdos ob nullam necessitatē potest ex proposito

Dico Primò : *Sacerdos ob nullam necessitatem publicam vel privatam potest ex proposito consecrare sub una tantum specie sine dispensatione*, Ita citati pro tertia sententia. Probatur, quia si hoc liceret ob aliquam necessitatem, maximè liceret ob illam, qua aliquis agonizans tenetur ex præcepto communicare, ùt ipsi adversarii volunt, sed propter hoc non licèt, ergò ob nullam necessitatem. Probatur Minor Primò, Quia ob illam necessitatem non potest Sacerdos consecrare sine vestimentis sacris, sine missali, vel extra Sacrificium Missæ, juxta omnes etiam adversarios, imò nec potest, si non sit jejunus juxta communem, ergò nec consecrare in una specie non consecrando in altera. Prob. conseq: quia ratio, ob quam non potest Sacerdos in istis casibus licitè consecrare, est talis, quia præceptum de communione in articulo mortis, sive humanum sive Divinum sit, cùm non sit de medio necessario ad salutem, non obligat cum tanta violatione hujus sacratissimi ritûs, & irreverentiâ Sacramenti, sed eadem ratio currit in proposito. Probatur Secundò minor, quia majoris momenti est integritas Sacrificii, reverentia Sacramenti, & conformitas cum consuetudine universalis Ecclesiæ inviolabili in re hac gravissima, quàm illa privata necessitas ægrotantis, maximè cùm Sacramentum hoc non sit necessarium ad salutem, hoc patebit ulterius ex sequentibus.

consecrare sub una tantum specie.

Arguitur Primò : Agonizans tenetur Jure Divino communicare, sed hoc præceptum est gravius præcepto consecrandi sub utraque specie. ergo. Probatur min: Quia præceptum de fine est gravius, quàm præceptum de medio, sed Communio est finis, & Consecratio medium ad illum finem, ergò præceptum de Communione erit gravius. Respond. Neg. min: ad probati: distin: major: de fine principali & communi, pluribus conc: maj: de fine partiali & privato, maximè si medium sit commune, nego majo: Sic autem est in proposito, quia Communio unius privati hominis est finis privatus & particularis Consecrationis, Consecratio autem ipsa est medium gene-

III. Præceptum consecrandi sub utraque specie est gravius præcepto Communionis in agone.

generale ad omnem Communionem, unde tantùm ad summum sequitur, quòd præceptum de Communione in communi, non autem de hac in particulari sit gravius præcepto de Consecratione.

IV. Hostiâ cõsecratâ imminente periculo mortis non teneretur consecrare sanguinem. Arguitur Secundò: Sequeretur si hostiâ jam consecratâ immineret præsens periculum mortis alicui, si expectaret Consecrationem Sanguinis, quòd tunc Sanguinem teneretur consecrare, sed hoc non, quia Lex Divina positiva non obligat cum periculo mortis. Resp. Suar. Sect. 1. talem sumptâ hostiâ ante Consecrationem Sanguinis posse fugere, si aliunde non timeatur scandalum, vel contemptus Religionis Catholicæ. Resp. Secundò, quidquid sit de hoc casu & ista responsione probabili, negando illud sequi ex nostra Conclusione, quia illud non fieret à proposito, ùt Conclusio loquitur, sed violenter & coactè.

V. Nequit Papa vel Ecclesia dispensare in ullo casu ut fiat consecratio in una tantùm specie. Dico Secundò: *Non potest Papa vel Ecclesia dispensare, ùt in ullo casu fiat Consecratio in una tantùm specie.* Ita Tertia sententia, & omnes, qui dicunt, Papam non posse dispensare in Lege Divina, & Probatur Primò: quia Papa non potest dispensare, ut non Sacerdos conficiat Evcharistiam, nec ut Sacerdos consecret Calicem in sola aqua. ergo nec ut Sacerdos consecret in una tantùm specie. Probat: consequ: Quia ratio quare non potest dispensare in primo vel secundo casu, non est alia, nisi quia illa sunt prohibita Jure Divino, sed hoc est etiam ita prohibitum. ergo &c.

VI. Papa nequit dispẽsare in ullo Præcepto Divino. Probatur Secundò ratione generali, quia Papa non potest dispensare in ullo Præcepto Divino, sed Præceptum de Consecratione in utraque specie est Divinum, ùt suprà prolatum est, ergo &c. Major patet, quia aliàs posset dispensare in materia, forma, & ministris cujuscunque Sacramenti, nam si potest in una Lege Divina, potest in omni.

Arguitur Primò: Licèt Papa non possit dispensare in aliquo, quod est de Essentia Sacramentorum, potest tamen dispensare in iis, quæ spectant ad usum vel dispositionem eorundem, modò non sint de substantia Sacramentorum, ergò & in hoc, quòd fiat Consecratio in una specie, antecedens patet ex Triden. Sess. 20. cap. 1. ut suprà citati &c. Respond. Primò: Neg: consequen: Quia Consecratio non spectat ad usum vel dispensationem, sed ad effectionem Evcharisticam. Respondeo Secundò, Concil. tantùm loqui de iis, quæ spectant ad dispositionem Sacramentorum, & non præcipiuntur aliquo Præcepto Divino, quia si sic præcipiantur, esto non sit de substantia Sacramentorum, non potest Papa dispensare, aliàs posset dispensare in Ministro Evcharistiæ, cùm persona ministri non sit propriè de substantia Sacramentorum. VII. Consecratio nõ spectat ad usum vel dispensationẽ, sed ad effectionẽ Evcharistiæ.

VIII. Papa nequit propriè dispẽsare in votis, juramẽtis & matrimonio rato. Arguitur Secundò: Papa potest dispensare in Votis, Matrimonio rato, & juramentis &c. ùt constat ex praxi communi, hæc tamen obligant Jure Divino, ergò & in proposito. Respond. breviter cum Suar. & Vasqu. suprà, & communiori sententia, (Res enim hæc ad materiam de Legibus spectat,) Papam non posse dispensare propriè in ullo ex prædictis, videlicet, quòd stante v. gr. voto vel juramento tollatur obligatio ad illud implendum, quod est propriè dispensare, sed tantùm irritat ipsum Votum vel Juramentum, & promissionem ab homine DEO factam tanquam Vicarius Christi remittit, & dissolvit Contractum Matrimonii, qui aliàs erat perpetuò continuandus, his autem irritatis & dissolutis cessat eorum obligatio.

IX. Ecclesia nequit interpretari Legem Divinam de Cõsecratione sub utraq; specie. Arguitur Tertiò: Saltem Ecclesia potest interpretari, quod hæc Lex Divina in aliquibus casibus non obliget; ergò potest declarare, quòd aliquis non teneatur ad eam in certis casibus. Respondeo, Negando anteced: Primò: Quia interpretatio talis deberet fieri uno ex duobus modis, Primò, virtute Epikeiæ seu æquitatis, quæ est correctio

ctio Legis in casu singulari, ex eo, quòd si in eo casu servaretur, esset evidenter injusta, & talis non cadit in Legem Divinam. Secundò, Declarando mentem CHRISTI esse, illam Legem hìc & nunc non obligare, non solùm autem Papa potest sic declarare, sed etiam alii viri graves. Adde, quòd nulla hìc potest esse sufficiens ratio, cur Pontifex illud praeceptum aliud interpretaretur.

Arguitur Quartò: Volaterranus & Onuphrius in suis Historiis referunt, Innoc. VIII. concessisse Norvegiis, quòd possent consecrare in specie panis tantùm, quia vinum non habent, nec possunt illud consecrare prae frigiditate loci. Respond. Illa testimonia esse fabulosa, & patet Primò, quia Volaterranus ait, Pontificem concessisse, posse Calicem consecrari sine vino, quod est apertè falsum, & omnium judicio impossibile. Onuphrius verò tantùm sequitur Volaterranum omittendo ly *Calicem*. Secundò, quia continuâ experientiâ constat, & vina ferri in Norvegiam, & ibidem ad tempus conservari posse. Ex his collige, eum, qui jam consecravit in aqua, putans esse vinum, teneri ad consecrandum denuò de vino, & ad sumendas species vini consecrati, quia quidquid sine fundamento dicat Adrianus, vel alii, nec à Precepto consecrandi & sumendi sub utraq; specie excusatur sine ratione scandali, quia illud est pupillorum, sive per hoc. quòd non sit jejunus, ut docet Scot. suprà d. 8. q. 3. Vasquez & alii.

X. Testimonium Volaterrani & Onuphrii de dispensatione cū Norvegiis est fabulosum.

QUAESTIO TERTIA.

An celebrans teneatur sumere Sacramentum à se confectum, etiam sub utraque specie, & quo jure?

I. Celebrans tenetur sumere utrāque speciem jure humano.

DICO Primò: *Celebrans teneatur jure humano ad sumptionem Evcharistiae etiam sub utraque specie*. Est communis, & patet Prima Pars ex Cap. relatum, de Consecratione d. 2. ibi certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti, & sequitur, talis à Communione uno anno se repulsum noverit, in Concil. Tolet. cap. 53. & Trid. Sess. 13. cap. 8. ubi dicit: ex Traditione Apostolica haberi, quòd Sacerdos celebrans se communicet. Secunda de utraque specie patet Primò ex cap. Comperimus de Consecrat. dist. 2. ubi praecipitur Sacerdotibus, ut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia, inquit, divisio unius ejusdémque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. Secundò ex Trid. loc. cit. quia loquitur de Comunione in communi, & idem docet Sess. 21. loc. mox citando, sed non est adeò certum, an hoc sit etiam Jure Divino praeceptum, ut testatur Suar. hìc disp. 75. sect. 5. in fine, & insinuat facilè Scotus hìc dist. 8. qu. 8. 24. & seq.

Dico Secundò: *Probabilius est, quòd Jure Divino teneatur celebrans ad sumptionem sub utraque specie*. Ita Vasqu. & Suar. suprà, & passim RR. & Probatur ex Lucae 22. *Hoc facite in meam Commemorationem*, quia ibi praecipitur Sacerdotibus facere, quod fecit Christus, sed Christus consecravit & communicavit sub utraque specie, ergò Sacerdotes tenentur ad utrumque.

II. Probabilius etiam Jure Divino.

Dices, tantùm ibi praecipi Consecrationem sub utraq; specie. Contra Primò praecipitur, ut dictum est, quod CHRISTUS fecit, ergò utrumque. Secundò, si non praecipitur Communio sub utraque specie, ergò vel praecipitur sub una tantùm, vel relinquitur liberum communicare vel non communicare sub utraque specie, sed primum dici non potest. Primò, quia non potest assignari sub quâ determinatione. Secundò, quia aliàs illa alia species, quam non teneretur Sacerdos sumere, posset sic perpetuò manere, ut nullus omninò teneretur eam sumere: Tum, Quia si Sacerdos non tenetur, ergò nullus alius: Tum, Quia si sit species vini, nullus Laicus tenetur ad eam sumendam, absurdum autem est è contra

III. Instantia refellitur.

tra institutionem & finem Eucharistiæ, quòd nullus teneretur ad eam sumendam, quia sic frustra institueretur; nec secundum dici potest ob rationem proximè dictam, quia si Sacerdos ad Eucharistiam sumendam non tenetur, ergò nullus alius saltem sub specie vini, ergò frustra erat instituta.

IV. Celebrantē Jure Divino teneri ad sumptiones sub utraque specie, ulterius ostenditur.

Probatur Secundò ex Trid. Sess. 21. cap. 1. ubi declarat & docet Synodus nullo Divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque sumendum, ergò Concil. innuit Clericos conficientes teneri ad sumendum sub utraque specie. Tertiò ex illo Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.* modo infrà Quæst. 6. in Objectionibus dicendo.

V. Cur Neo-ordinati non sumāt utramque speciem.

Arguitur: Quando plures ordinati consecrant simùl cum Episcopo, non sumunt Eucharistiam sub utraque specie, ergò consecrans non tenetur &c. Respond. Distin: conseq: qui est principalis Sacrificii, nego, qui non est, concedo, & sic in proposito.

QUÆSTIO QUARTA.

An omnes teneantur Eucharistiam sumere ex præcepto Ecclesiæ, & quando?

I. Quo tēpore ex præcepto Ecclesiæ obliget Comunio Paschalis baptizatos adultos.

Dico Primò: *Omnes & soli baptizati adulti ratione utentes tenentur ex præcepto Ecclesiæ sumere Eucharistiam à Dominica Palmarum inclusivè, usque ad Dominicam in Albis inclusivè regulariter loquendo.* Est communis quoad omnes partes, & patet ex cap. Omnis utriusque sexus de pœnitentia & remissione, ibi omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam gravem causam ad tempus ab hujusmodi susceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Ex quibus tota Conclusio patet, nam per ly fideles ibi intelliguntur soli baptizati, cùm Ecclesia nullis aliis præcipere possit. Per ly qui ad annos discretionis &c. intelliguntur adulti ratione utentes, unde pueri & stulti non obligantur hoc præcepto. Per Pascha intelliguntur 15. prædicti dies, & ex praxi Ecclesiæ & declaratione Eugenii IV. teste Navarro cap. 21. num. 45.

Dixi regulariter, quia in quibusdam particularibus locis, ubi Consuetudo aliter obtinuit, posset longius tempus ratione Paschæ intelligi, & sic Mediolani, Conimbriæ, & quibusdam aliis, maximè Hispaniæ partibus, censetur huic præcepto sat facere, qui aliquo die quadragesimæ communicant.

De loco etiam & Ministro hujus Communionis annuæ dictum est suprà disp. 9. q. ultima, reliqua vide in dubiis sequentibus.

II. Sacrilega Communione non satisfit præcepto annuæ Communionis.

Dico Secundò: *Qui dicto tempore sacrilegè, seu in statu peccati mortalis communicat, non satisfacit præcepto annuæ Communionis.* Patet, quia oppositum damnavit, & prohibuit Innocentius Papa XI. anno 1679. die 2. Martii.

III. Non communicans in Paschate tenetur ad Communionem quāprimum moraliter potest.

Dico Tertiò: *Probabilius est, eum qui sua culpa, vel ob impedimentum non communicavit in Paschate, teneri ad Communionem, quamprimùm moraliter potest.* Est contra Victori. Sotum, Medinam, Silve. Bonacin. Tom. 1. q. 7. puncto 2. a. 13. & alios, qui oppositam sententiam, sat quidem probabilem tenent, sed hæc est multò tutior, eamque tenent Navar. cap. 21. num. 45. Vigerius in institutionibus cap. 16. hic disp. 70. Azorius 1. p. lib. 7. cap. 41. Nugnus. q. 89, art. 11. &c. hic disp. 9. q. 3. & probabilem putat Conig & Bonac. suprà, & ratio fundamentalis est, quia in prædicto præcepto principaliter præcipiuntur duo, Primum, quòd sumptio Eucharistiæ fiat semel in an-

in anno, seu ultra annum non differatur, ut patet ex illis verbis, semel saltem in anno confiteatur suscipiens Evcharistiam &c. Secundum, quod est minus principaliter intentum est, ut primum melius servetur, seu quòd hæc fiat in Paschate, & patet ex illis suscipiens reverenter in Pascha saltem, ergò, si non obligemur ad hoc secundum, quando Pascha transit, quia perit tempus, quo possit fieri, obligamur ad primum, quia tempus satisfaciendi adhuc restat.

Arguitur Primò: Qui contra præcepta Ecclesiæ omisit hodie legere horas, in die festo audire Missam, aut in vigilia jejunare, non tenetur cras vel alio die satisfacere omissum præstando, ergò, nec qui Communionem in Paschate omisit, tenetur postea communicare. Secundò, & est probatio consequentiæ, præceptum affirmativum præcipiens aliquid certo tempore, non obligat semper, sed pro tempore à Legislatore præfixo, ut patet de jejunio, Missa, &c. ergò, nec præceptum de Evcharistia, nisi tantùm in Paschate.

IV. Cur omittens Horas, Missam hodiè, non teneatur ad ea cras, omittens verò communionem Paschalem, teneatur ad eam postea.

Respond. Ad Primum neg: consequ: Ratio disparitatis est, quia Missa & Jejunium primariò propter reverentiam ipsius diei & horæ Canonicæ tanquam debitum est die quocunque, Communio autem Paschalis non est instituta primariò propter ipsam temporis Paschalis reverentiam, vel tanquam certum onus talis temporis, sed primò est absolutè præcepta, & illud tempus tanquam aliis congruentius, non ad finiendam, sed solvendam obligationem est præfixum. Ad Secundum dist: majo: præceptum quo actus aliquis præcipitur tanquam certum onus, vel propter reverentiam talis temporis conce: quo absolutè res præcipitur, si tempus præscribatur non ad finiendam, sed ad solvendam ipsius præcepti obligationem, ut in proposito, nego.

Quæres Primò: Si aliquis in Quadragesima prævideat, quòd non possit in Paschate habere occasionem communicandi, an teneatur anticipare Communionem.

V. Probabiliter tenetur anticipare Communionem Paschalē prævidens, se non habiturū occasionem in Paschate.

Respon. Primò probabiliter quòd sic, quia teneri homo censetur ad substantiam actus præcepti, licèt circumstantiam temporis adimplere nequeat, maximè si actus non præcipitur propter honorem, vel tanquam aliquod onus istius temporis, ut in proposito. Secundò, quia quis tenetur audire Missam horâ, v. g. nonâ, si prævideat, quòd isto die nullam aliam habere possit. Tertiò, quia in hebdomada sancta tenetur communicare, si prævideat, quòd septimanâ sequenti non possit communicare, verùm licèt hæc Responsio sit in praxi tutior, quia tamen non habet de facto Patronos, nisi aliquos.

VI. Oppositum est etiam probabile.

Respond. Secundò probabiliter, quòd non teneatur, ratio est, quia nullus vi alterius præcepti tenetur ad anticipandum actum præceptum, nisi per talem anticipationem satisfaciat obligationi præcepti, atqui sic anticipans non satisfacit obligationi hujus præcepti. ergò. Major patet, quia lex non obligat, nisi ut impleatur, ergò ad actum, quo impleri non potest, non obligat. Minor probatur, quia talis teneretur postea in Paschate communicare, si nullum interveniret impedimentum, quia hoc Lex præcipit. ergò. ita tenet Suar. disp. 70. sect. 3. Conig, Reginal. Azorius &c. Si quis tamen vellet primam sententiam sequi, ad hoc dicere posset, vel quòd tunc non teneretur talis denuò in Paschate, vel quòd in hoc præcepto duæ involvantur obligationes, una ad non differendam Confessionem ultra annum, alia ad communicandum in Paschate. Et sic nos teneri in dicto casu ad anticipationem ad satisfaciendum primæ obligationi, postea tamen debere communicare ad satisfaciendum secundæ, cui nondum satisfecimus. Ad rationes primæ responsionis, Respond. generaliter hominem teneri ad anticipandum actum pro quocunq; tempore, quo potest satisfacere obligationi

tioni præcepti casu, quo postea non daretur occasio satisfaciendi, aliàs minimè, in exemplis verò allatis potest satisfacere, ùt notum est, in proposito minimè, quia præceptum de Communione determinat sibi tempus, quod nondum advenit.

VII. Quando pueri teneantur ad Communionem.

Quæres Secundò: Quando pueri teneantur ad Communionem. Respondent varii variè. D. Thom. quòd anno 10. vel 11. Cajet. quòd 11. Soto 12. alii verò passim, quòd non sit certa de hac regula, sed sit relinquendum judicio prudentis Confessarii & parentum; saltem juxta communem prærequiritur præmissa Confessio, & quòd sint sufficienter instructi in rebus fidei, maximè in præsenti mysterio, ita ut cognoscant esse cibum non corporalem, sed spiritualem animæ.

VIII. Inservientes Religiosis degentes in Monasteriis non tenentur comunicare in Parochia.

Quæres Tertiò: An ii, qui inserviunt Religiosis, teneantur in Paschate communicare in Parochia? Respond. Quòd sic, nisi degant in ipsis Monasteriis, quia tales possunt communicare domi, sicut possunt sepeliri inconsultis Parochis. Ita Bonacin. suprà Sanc. & alii.

QUÆSTIO QUINTA.

An teneamur ex Præcepto Divino ad Evcharistiæ sumptionem?

PRima Sententia est negativa, ita Alensis 4. p. q. 11. n. 2. ar. 4. Bocà hic dist. 12. 2. p. ar. 1. q. 1. S. Thom. 4. d. 6. q. 4. & dist. 12. q. 3. ar. 2. Gabriel, Silvester &c. Secunda affirmativa. ita Innoc. 3. lib. 4. c. 34. Durand. Cajet. & alii.

I. Fideles tenentur sumere Evcharistiam ex præcepto divino.

Dico ad Quæstionem: *Fideles tenentur ad sumendum hoc Sacramentum ex Præcepto Divino.* Ita præter citatos Suar. suprà d. 69. q. 1. Vasqu. disp. 213. cap. 2. Angles qu. 2. art. 9. Connig. & passim RR. Et Probatur Primò ex illo Joann. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* His namque verbis significatur necessitas hujus sumptionis seu obligatio, sed non alia, quàm præcepti: Tum, Quia Evcharistia non est necessaria necessitate medii, ùt suprà disp. 2. q. 1. probatum est: Tum, Quia quicunque actus necessarius ad salutem necessitate medii, est etiam necessarius necessitate præcepti, sed præceptum hoc est Divinum, ergo.

II. Illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis,* intelligitur de manducatione reali Evcharistiæ.

Dices cum Gabriel Lect. 84. & 87. Cajet. & aliis Interpretibus istius loci, ibi non agi de manducatione reali Christi in Evcharistia, sed spirituali per fidem. Sed Contra. In illo agi de manducatione reali in Evcharistia, docent Primò PP. Origenes Hom. 7. in 16. Numerorum. Cyprianus in Sermone de Cœna, & lib. 1. contra Judæos cap. 22. Hilarius lib. 8. de Trinit. Basilius in Regula morali, regula 21. cap. 1. Chrysostom. hom. 45. & 46. in Joan. Ambrof. 4. de Sacramentis cap. 1. & lib. 5. cap. 1. D. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 20. & 24. & lib. 1. contra Julia. cap. 4. Hieronymus in magnis Commentariis in cap. 1. Epist. ad Ephes. & Epist. 150. q. 2. & passim alii PP. apud Vasq. suprà disp. 159. cap. 4. Secundò idem docet, & censetur esse jam de fide, Concil. Trident. Sess. 13. cap. 2. & Sess. 21. cap. 1. Cabilonense 2. cap. 6. Senonense cap. 10 & Alexandrinum in Epistola ad Nestorium.

IV. Præceptum Divinum de sumptione Evcharistiæ ulterius probatur.

Secundò: Probari Conclusio solet ex illo Lucæ 22. *Hoc facite in meam Commemorationem*, in quibus non tantùm Apostolis & eorum Successoribus censetur præcipi Evcharistiæ effectio, sumptio, & dispensatio, sed etiam omnibus fidelibus ejus sumptio, quòd licèt nec ex Scriptura, nec in se sit sat evidens, probari tamen sat efficaciter censetur & ipsa Conclusio.

Tertiò: Ex interpretatione Trident. Sess. 13. cap. 2. ibi: *Salvator noster discessurus ex hoc mundo, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit; suámque annunciare mortem, donec ad judicandum veniat.* Sumi autem voluit hoc Sacramentum

tum tanquam spiritualem cibum animarum &c. nam ex his JESUS præcepit nobis, id est, omnibus Fidelibus, quia termini sunt generales, & non est ratio, cur potius iis, quàm istis & singulis colere memoriam Passionis suæ in sumptione Eucharistiæ, atqui non potest memoria Passionis in sumptione Eucharistiæ esse præceptum, nisi ipsa sumptio sit præcepta.

IV. Tridentinũ non rectè explicat Cajetanus. Dices cum Cajeta. præcipi quidem, non sumptionem, sed memoriam Passionis, casu quo sumptio fieret. Contra Primò: Trident. dicit, præcepit memoriam Passionis in sumptione, non si fieret, vel casu, quo fieret sumptio. Secundò sequeretur, quòd teneamur actualiter esse memores Passionis, quando sumimus Eucharistiam, & sic distracti non possent satisfacere huic præcepto.

QUÆSTIO SEXTA.

Quos & quando hoc Praceptum obligat?

I. Soli adulti ratione utentes obligantur ad Eucharistiã sumendam. Dico Primò: *Soli adulti ratione utentes obligantur hoc præcepto & omnes, etiam non baptizati.* Prima Pars est communis, & patet Primò: Quia soli ratione utentes habent actiones liberas, ergò & soli sunt capaces obligationis. Secundò ex Trident. Sess. 21. cap. 4. ubi definit, parvulos nullâ necessitate ad Communionem teneri, & Can. 4. damnat eum, qui dicit, Eucharistiam esse eis necessariam, & idem patet de amentibus ob paritatem rationis.

II. Etiam non baptizati. Secunda Pars est Suar. disp. 69. Vasqu. disp. 214. cap. 4. & aliorum contra Sotum, & patet Primò, quia verba Christi sunt generalia, & quantum est de se æquè possunt intelligi de omnibus, sed omnes sunt capaces talis præcepti, non quidem immediatè, sed mediatè, & post Baptismum solvendi.

Secundò: Quia si aliqua ratio obstaret, esset, quia obligatio hujus præcepti, supponit jam Baptismum, sed hæc ratio nulla est, quia licèt sumptio Eucharistiæ præsupponat Baptismum in sumente, tamen ejus obligatio non supponit Baptismum, sicut ejus obligatio non præsupponit Confessionem peccati baptizati, si ejus sumptio supponat eandem.

III. Refertur duplex sententia de sumptione Eucharistiæ in articulo mortis. Sed major est controversia, an in articulo mortis, vel quando hoc præceptum obliget. Prima sententia est, neminem teneri saltem Jure Divino communicare in articulo mortis, ita Rodericus in summa cap. 64. Silvest. Armilla, Cajetanus, Victoria in summa verbo Eucharistia, vel Communio, & alii. Secunda, teneri Jure Divino ad Communionem in articulo mortis, ita Duran. 4. d. 6. qu. 2. Gabriel ibid. qu. 1. Soto disp. 12. q. 1. ar. 11. Suar. & Vasq. loco cit. Conig, Reinaldus, Valentia, & passim RR. neutra quidem ex his habet rationes efficaces, unde & si utraque sit probabilis, tenendo secundam probabiliorem.

IV. Agonizantes tenentur sumere Eucharistiam. Dico Secundò: *Agonizantes tenentur sumere Eucharistiam, & hoc probabiliter Jure Divino.* Prima Pars est certa ex Concil. Nicæno Can. 13. ubi præcipitur, ut cum iis, (scilicet publicè pœnitentibus de his namque loquitur) qui credunt vitâ discessuri antiqua lex servetur, nempe ut ultimo & necessario viatico non priventur. Idem decernitur in Concil. Arelatensi 2. Can. 2. & Arausiano 10. Can. 3.

V. Probabiliter Jure Divino. Secunda Pars minus certa & propter Authores saltem probabilis patet Primò: Quia Nicænum supra vocat viaticum necessarium, atqui non vocaret necessarium, si solo jure humano teneremur ad illud, ùt patet de aliis, quæ jure humano præcipiuntur, nam non dicitur Missa absolutè necessaria, nec jejunium necessarium ad salutem. ergo.

Secundò: Quia non jejunus potest communicare in articulo mortis, quia censetur, quod præceptum de Communione in articulo mortis sit Divinum, cui omninò cedit Ecclesiasticum de jejunio.

Tertiò:

Digitized by Google

VI. Idem adhuc probatur.

Tertiò: Quia si præceptum de Communione obligat Jure Divino aliquo tempore, censetur tunc præcipuè obligare, quando ipsius impletio est necessaria ad consequendum finem, propter quem fuit institutum ipsum Sacramentum, sed illa impletio præcipuè necessaria in articulo mortis, quia tunc finis ejus, qui est corroboratio virium spiritualium, & perseverantia in gratia, est maximè homini necessarius, ergò & impletio.

Quarto: Quia suppositis principiis fidei de institutione & effectibus hujus Sacramenti, esto de hac re nullum exstet præceptum positivum expressum, censetur ratio naturalis dictare, quòd homo teneatur ad ejus sumptionem omni cessante impedimento, ergò suppositis principiis fidei talis obligatio est juris Divini saltem naturalis, antecedens patet: Tum, Quia ejus omissio esset tunc scandalosa: Tum, Quia signum animi ingrati & suæ salutis quasi incurii.

VII. Probabiliter etiam sæpius in vita tenetur quis sumere Evcharistiam.

Dico Tertiò: *Probabile etiam est, quòd non tantùm in articulo mortis, sed etiam sæpius in vita teneatur quis ad sumptionem Evcharistiæ.* Ita D. Thomas qu. 80. art. 10. Piligianus dist. 9. q. 3. art. 9. Suar. & Vasqu. suprà, Conig hic q. 80. Henriq. lib. 8. cap. 4. de Evcharistia. Bonacin. contra Vasq. suprà cap. 3. & ratio unica est, quia præceptum affirmativum, quamvis per se non determinet tempus, non habet tamen ex sua ratione, quòd tantùm semel in vita obliget, sed hoc præceptum est affirmativum, ergò non tantùm semel obligat, ergò sæpius. Major patet, quia præceptum de amando DEUM, vel credendo in DEUM non obligat tantùm semel, sed sæpius, juxta communem, ergò præceptum quoque de Communione. Patet consequentia, si obligatio semel tantùm communicandi non colligatur ex generali ratione præcepti affirmativi, non potest colligi ex propria ratione hujus præcepti, sed potius oppositum cùm sit propter charitatis robur, & perseverandum in gratia, hæc autem potius postulat plures Communiones, quàm unam.

Arguitur Primò contra primam. Illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* comprehendunt omnes etiam pueros & amentes, ergò & hæc: *Nisi manducaveritis &c.* Respondeo, neg. consequ. quia in illis importatur necessitas medii, in his verò solùm præcepti. VIII. Cur præceptum de Baptismo comprehẽdat pueros & non de Evcharistia.

Arguitur Secundò. D. Augustin. Epist. 106. & 107. & lib. 1. contra Julianum. cap. 4. & lib. 1. de peccatorum meritis & remissione. cap. 20. & lib. 4. cap. 4. imò & Innoc. Epist. 26. dicunt, parvulos debere sumere Corpus & Sanguinem Christi, & hoc colligunt ex illo Lucæ: *Nisi manducaveritis.* Respond. eos PP. loqui de manducatione spirituali Corporis Christi, quæ fit per unionem fidei & Charitatis cum Christo & Baptismo, ùt aptè colligitur ex loc. cit. D. Aug. lib. 3. cap. 4. IX. S. Augustinus & Innocentius explicantur.

Dices: In primitiva Ecclesia dabatur Communio infantibus, ùt docent Cyprianus & alii, sed non ob aliam causam, nisi quia erat necessaria Jure Divino. ergò. Respond. nego min: sed ideò, quia hoc erat in quibusdam Ecclesiis permissum, & in se utile, quia illis per hoc conferebatur gratia, nec tamen hinc sequitur, quòd licèt modò dare parvulis, quia consuetudo generalis Ecclesiæ jam oppositum docet. X. Cur olim infantibus data Communio.

Arguitur Tertiò: Præceptum de Baptismo est affirmativum, & tantùm semel obligat in vita. ergo & præceptum de Communione. Respond. neg. consequ: nam præceptum Baptismi licèt ex ratione generica precepti affirmativi non habeat, quod obliget tantùm semel, tamen ex sua ratione specifica hoc habet, cùm habeat quosdam effectus irreiterabiles, nempe Characterem & introductionem in familiam Christi; Præceptum verò Communionis neque ex ratione generica, neque specifica hoc habet, sed potiùs oppositum, cùm ejus effectus sæpè necessarii XI. Cur præceptum Baptismi semel & Communionis sæpius obliget.

sarii postulent frequenter suæ causæ applicationem.

XII. Unde colligatur Præceptum Divinum Cõmunionis.

Arguitur Quartò: Si essent aliqua Scripturæ verba, ex quibus colligi possit, nos Divino Jure obligari ad Communionem, maximè sunt illa, *nisi manducaveritis &c.* Sed ex illis non potest colligi, nos in articulo mortis, vel sæpius, sed tantùm semel obligari, quocunque illud tempore fiat. ergo. Respond. distin. minor: ex illis verbis nudè sumptis transeat, ex illis & simùl naturæ rei præceptæ, adjuncto usu Ecclesiæ, qui est optimus legum interpres, negatur, hoc autem modo nos colligimus, non autem ex solis verbis.

XIII. An qui paucis diebus ante articulum mortis cõmunicavit, ad eam teneatur postea.

Quæres: An qui uno vel paucis diebus ante articulum mortis communicavit, postea teneatur post inchoatum tempus articuli. Respondet Vasqu. suprà num. 14. quòd sic, quia præceptum non potest adimpleri ante præfixum tempus, & sine intentione. Respondet tamen Suar. Soto, & alii, quòd non; sed prior opinio censetur tutior & probabilior, licèt secunda sit benigna.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum Præceptum Divinum de Sumptione Eucharistiæ obliget Laicos ad communicandum sub utraque specie?

Hic est lapis angularis, & Petra Scandali, qui in ruinam, & resurrectionem multorum est positus, & in quem miseri Hussitæ impingentes colliserunt Capita sua, asserentes, ex Evangelii textu quemlibet etiam Laicum obligari Jure Divino ad communicandum sub utraque specie, nec sine utriusque speciei participatione posse salutem consequi, & ex hoc velut Adulterini filii in Matrem insurgentes, dixerunt, Ecclesiam Orthodoxam, non Matrem, sed Novercam se exhibere, subtrahendo filiis alterum Uberum suorum, videlicet Calicem, quasi alterum sine altero nihil haberet Ubertatis.

Exorta est Primò & concitata hæc Controversia Pragæ in Bohemia, teste Bellarmino lib. 4. de Eucharistia. cap. 20. circa annum Christi 1412. Authoribus Petro Dresnensi, & Jacobello Misnensi, quorum primus, teste Æneâ Sylvio, in Historia Boëmorum c. 35. cùm incidisset in textum illum Scripturæ Joannis 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, cœpit admirari, & apud se conqueri, quare contra tàm apertum Domini Præceptum Laici omnes fraudentur Usu Calicis, & ex hoc alteri, qui publicum tunc egit Pragæ Concionatorem, suggessit, ut ex pulpito doceret Populum, eos sine Communione Calicis, & utriusque speciei Participatione non posse salvari: quem errorem secuti sunt postmodum, & adhuc amplectuntur Hussitæ, & Lutherani, gloriantes, se invenisse apertum Evangelii textum contra Usum & Doctrinam Ecclesiæ Romanæ. I. Authores & initium hujus Controversiæ.

Dico: *Nullâ necessitate salutis, nec ullâ Lege Divinâ vel Ecclesiasticâ tenentur Laici communicare sub utraque specie.* Est communis Sententia, & unanimis Consensus Catholicorum omnium, & de fide definitum in variis Conciliis, præsertim in Concilio Constantiensi Sess. 13. ad annum Christi 1415. his verbis: *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, Populum Christianum debere sacrum Eucharistiæ Sacramentum sub utraque Panis & Vini specie suscipere, & non solùm sub specie Panis, sed etiam sub specie Vini Populum Laicum passim communicent, & communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam Sacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc est, quòd hoc præsens Consilium Sacrum generale Constantiense in Spiritu Sancto legitimè congregatum, adversus hunc errorem Saluti fidelium providere satagens maturâ plurium Doctorum tàm Divi-*

II. Laici nullâ lege teneantur cõmunicare sub utraque specie.

III. Authoritas Concil. Cõstantiensis.

Divini, quàm humani juris deliberatione præhabitâ declarat, decernit, & definit, quòd licèt Christus Dominus post Cœnam instituerit, & suis Discipulis administraverit sub utraque specie Panis & Vini, hoc Venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante Sacrorum Canonum Authoritas, laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quòd licèt etiam primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum, sub utraque specie à Fidelibus reciperetur, posteà a conficientibus sub utraque specie, & à Laicis tantummodò sub specie Panis susciperetur, cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus & Sanguinem tàm sub specie Panis, quàm sub specie Vini veraciter contineri.

IV. Item Basileensis. Idem habet Concilium Basileense Seff. 30. Et postmodùm sub Excommunicationis Pœna præcipit, non communicare Laicos, nisi sub una specie, & oppositum sentientes, tanquam erroneos, & hæreticos damnat.

V. Ac Tridentini. Idem in terminis definit Concilium Tridentinum Seff. 21. Can. 1. ad annum Christi 1562. his verbis: *Si quis*, inquit, *dixerit, ex DEI præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Evcharistiæ Sacramenti sumere debere, Anathema sit.*

Et nè quis prætendat, Ecclesiam à se ipsa, & non à Christo in hoc edoctam, non solùm asserit, sed etiam evidentissimè demonstrat Tridentinum C. I. ejusdem Sessionis: *Itaque*, inquit, *Sacra ipsa Synodus à Spiritu Sancto, qui Spiritus est Sapientiæ, & Intellectus, Consilii, & Pietatis edocta, atque ipsius Ecclesiæ Judicium & consuetudinem secuta declarat ac docet, nullo Divino Præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Evcharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salvâ fide dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat, nam etsi Christus in ultimâ Cœnâ Venerabile hoc Sacramentum in Panis & Vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio extendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur, sed neque ex sermone illo Joa. 6. rectè colligitur utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse, utcunque juxta SS. Patrum, & Doctorum interpretationem intelligatur, namque qui dixit, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis Vitam in vobis, dixit quoque, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam, Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique, qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus, qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

Et quamvis pro veritate Conclusionis ejusque probatione hæc sufficerent, pergit nihilominus ulterius Concilium, & à fundamentis hanc suam interpretationem, & mentem deducens ait ibidem C. 2. VI. Alia Tridentini Authoritas ad idem. *Declarat prætereà S. Synodus, hanc Potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salvâ eorum substantiâ ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret, id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cùm ait, Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI, atque ipsum quidem hâc potestate usum fuisse satis constat, cùm in multis aliis, tùm in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum; Cætera, inquit, cum venero, disponam, quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem, licèt ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissimè jam mutatâ illâ Consuetudine gravibus, & justis causis adducta, hanc consuetudinem*

nem sub altera specie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit.

VII. Item alia ejusdem. Denique, nè quid huic Probationi deesset, supradictæ adulterinæ Querelæ materné respondens subjungit ibidem Cap. 3. *Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse etiam sub alterutra tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt.*

VIII. Laicos non obligari ad Communionem sub utraque, evincitur argumento deducto ex Tridentino. Probatur Conclusio Sextò, formando argumentum ex Probationibus Concilii Tridentini, sic Christus Dominus in illo Cap. Joannis 6. æqualiter promittit Vitam æternam sumentibus Panem illum Cœlestem, nullâ factâ mentione Calicis, ac promittit Manducantibus Carnem & simùl bibentibus Sanguinem seorsim, & sub diversis speciebus, ergò ad acquirendam salutem, & vitam æternam, non est necessaria utriusq; speciei sumptio. Consequentia patet, Probatur Antecedens. Quia sicut in illo Cap. dicitur: *Quis manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem; habet vitam æternam*, ita ibidem dicitur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et illud: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Ergò æqualiter promittitur in Scriptura vita æterna manducantibus solùm Panem, sine ullâ mentione alterius speciei, ac sumentibus utramque simùl speciem.

IX. Christus promisit vitam æternam manducantibus solum Panem. Nec valet dicere: Christum non promisisse vitam æternam manducantibus solùm panem, nisi simùl bibant ejus Sanguinem, cùm in eodem Cap. dicat: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quia præterquam quòd hoc sit contra expressa verba Scripturæ, quæ nullâ factâ mentione Sanguinis aut Calicis, promittit vitam æternam manducantibus Panem, adhuc verus Intellectus illius Loci in quantum se extendet ad Laicos, non est de manducatione Corporis, & bibitione Sanguinis seorsim aut sub diversis speciebus, sed de vera, & reali sumptione Corporis & Sanguinis Domini; sive sub una, sive sub utraque specie, ut exponunt Patres, & Doctores communiter: Deindè peto ab Adversariis, dum Christus promittit vitam æternam manducantibus Panem illum, quid nomine Panis intelligitur? Vel enim intelligit nomine Panis solam speciem Panis, & sic habetur intentum: quis tunc sensus erit, qui manducat Evcharistiam sub specie Panis, vivet in æternum: vel intelligit realem sumptionem sui Corporis & Sanguinis, & hoc potest tàm benè sub una specie fieri, ac sub utraque.

Vel denique nomine Panis intelligit ibi utramque speciem Panis & Vini, & hoc non potest dici, Tum, Quia nomine Panis, nullus rectè intelligitur, aut venit intelligenda species Vini; Tum etiam, Quia licèt in illo Cap. 6. Joannis præcipiat Christus manducare suam Carnem, & bibere Sanguinem, nullam nihilominùs facit mentionem utriusque speciei Panis & Vini, non enim dixit: Nisi manducaveritis meam Carnem sub specie Panis, & biberitis Sanguinem sub specie Vini, &c. habebitis vitam in vobis, ergò ad habendam vitam sufficit realis sumptio Corporis, & Sanguinis Christi, sive sub una, sive sub utraque specie, nec aliud ipse præcepit. X. Idem ulterius ostenditur.

Dices: Christum meminisse sufficienter utriusque speciei Panis & vini, dum ibi præcepit Fidelibus manducare suum Corpus, & bibere Sanguinem, quia non potest Sanguis Christi aliter consecrari, aut bibi, quàm sub specie Vini, sicut nec Corpus aliter manducari, quàm sub specie Panis, ergò hoc ipso, quòd Christus præceperit Apostolis eorumq; Successoribus, ac Fidelibus omnibus manducare suum Corpus, & bibere Sanguinem, præcepit id fieri sub utraque XI. Instantia diluitur.

Digitized by Google

utraque specie Panis & Vini, sed Contra Primò, si per Bibitionem Sanguinis intelligeret ibi Christus realem ejus sumptionem sub diversa specie, frustrà promisisset ibidem vitam æternam manducantibus solum Panem, nullâ factâ mentione Vini, aut alterius speciei.

XII. Verè manducatur Caro, & bibitur Sanguis Christi sub una specie.

Contra Secundò: Tàm verè & realiter manducatur Caro Christi, & bibitur ejus Sanguis, sub una, ac sub utraque specie; ergò æqualiter satisfit isti Præcepto sumendo unam ac utramque speciem. Probatur antecedens: & peto ab Adversariis, dum manducatur Caro Christi sub specie Panis, an simùl sumatur ejus Sanguis (sive id manducando vel bibendo, quod parùm refert) vel non? Si primum, ergò verè & realiter manducatur ejus Caro, & Sanguis bibitur sub una specie, æquè ac sub utraque: Si secundum, ergò non sumitur Panis vivus, sed Corpus Christi mortuum sine sanguine vel anima, contra apertum illius testimonium Joannis 6. *Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendi, si quis manducaverit, &c.*

Instatur. Sumi quidem verè, & realiter Carnem & Sanguinem Domini sub sola specie Panis, sed per talem sumptionem ejus Sanguinem non bibi, sicut Christus præcepit, non enim ait Dominus, nisi sumpseritis Carnem & Sanguinem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis; sed *nisi manducaveritis ejus Carnem, & biberitis ejus Sanguinem &c.* Contrà, dum sub sola specie Panis verè & realiter sumitur Caro & Sanguis Christi, Sanguis tunc manducatur, vel bibitur? si manducatur, hoc est contra Naturam rei liquidæ, cùm sola res solida manducetur, si bibitur, ergò habetur intentum, quòd sub una specie æquè manducetur Caro Christi, & bibatur ejus Sanguis, ac sub utraque.

XIII. Quando Sanguis similiter tùc bibitur, ad sensum Scripturæ.

Deindè mirum est, quantam vim ponant Adversarii in hoc *Bibere Sanguinem*, cùm tamen ad mentem, & sensum Scripturæ sufficiat, quòd verè, & realiter sumatur Corpus & Sanguis, sive hoc fiat sub una, sive sub utraque specie: quia non aliter bibitur Sanguis Christi, aut manducatur Caro, quàm sumendo species, sub quibus verè & realiter continentur, sed Caro & Sanguis Christi verè & realiter continentur sub sola specie Panis, æquè ac sub utraque; Ergò sumendo solam speciem Panis verè manducatur ejus Caro, & Sanguis bibitur.

Opponitur I. Illud sæpius repetitum Joan. 6. *Nisi manducaveritis Carnem, & biberitis ejus Sanguinem*, ex quibus tanquam infallibili fundamento inferunt Adversarii, teneri omnes etiam Laicos sub interminatione Divini Judicii communicare sub utraque specie: sed ad hoc jam satis responsum est, teneri quidem quemlibet etiam Laicum ad manducandum Carnem Domini, & ejus Sanguinem bibendum, sed non sub diversis speciebus, sicut nec ullibi in Scriptura præceptum est sub utraq; specie sumi: nec aliud ibi Christus præcepit, quàm suum Corpus & Sanguinem verè & realiter sumi ab omnibus fidelibus, sive hoc fiat sub una, sive sub utraque specie, cùm certum sit ex Tridentino jam citato totum atq; integrum Christum cum sua Carne & Sanguine, æquè sub una specie, ac sub utraque contineri. XIV. Ex illo Joan. 6. *Nisi manducaveritis, &c.* tantùm obligantur etiam Laici manducare Carnem, & bibere Sanguinem Christi, sed non sub diversis speciebus.

Opponit Secundò Calvinus lib. 4. Institut. c. 17. Edictum æterni DEI est, ut omnes bibant Sanguinem Christi, Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Iisdem quippè dictum est *Bibite*, quibus dictum est *Manducate*; ergò vel non tenentur omnes manducare Carnem, vel tenentur omnes bibere Sanguinem. Respondeo, nec hoc aliud probare, quàm omnes teneri ad verè & realiter sumendum Corpus, & Sanguinem Domini, non tamen sub diversis speciebus: quia hoc nullibi invenitur præceptum. XV. Nec aliud probat Calvinus ex illo Matth. 26. Bibite ex hoc omnes.

Sed Contra, inquit Calvinus, quo oraculo revelata est nobis ista interpretatio, ergò Apostolis, & Sanctissimis illis Patribus primitivæ Ecclesiæ per mille & amplius annos fuit abscon-

XVI. Etiam in primitiva Ecclesia, fuit usus unius speciei.

abscondita? Respondetur, hanc interpretationem non fuisse absconditam, aut ignotam Apostolis, vel Patribus Primitivæ Ecclesiæ, qui licèt plerumque communicârunt Populum sub utraque specie, nunquam tamen docuerunt, hoc esse necessarium, aut sub una specie non posse tàm benè, ac sub utraque fieri, sicut ipsi sæpiùs leguntur fecisse, prout de S. Ambrosio scribit Paulinus in vita ipsius, & de S. Basilio, & aliis scribunt alii, & manifestè constat ex antiquissima Consuetudine primitivæ Ecclesiæ, quâ solebant olim Fideles Evcharistiam in Pyxide, vel linteolo domum secum deferre, ibique ad privatam Communionem ad magnam anni partem reservare, & statutis temporibus ante Cibum eam sumere, prout tradunt antiqui Patres communiter, & ipsi Adversarii fatentur; quod tamen nonnisi de sola specie panis potest verificari. Constat ergò nobis illa interpretatio ex oraculo Spiritûs Sancti, qui propterea promissus est, & missus, ut Ecclesiam suam doceret omnem veritatem, etiam in Scripturis absconditam, ex quo edocta pro rerum, temporum, & locorum varietate Sacramenta dispensat salvâ eorum substantiâ, prout suscipientium utilitati, & Sacramentorum venerationi magis expedire judicat.

XVII. Christiani omnes æqualiter obligantur manducare Carnem & bibere Sanguinē sub una specie, non sub diversis.

Arguitur Tertiò: Æqualiter obligantur Christiani omnes ad bibendum Sanguinem Christi, & ad ejus Cœnam manducandam, ergò vel non tenentur omnes manducare Carnem Christi, vel tenentur omnes bibere ejus Sanguinem. Consequentia patet. Probatur Antecedens, Tum, Quia æqualiter de omnibus Joan. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Tum etiam, Quia omnibus iisdem, quibus dictum est, Matth. 26. *Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum, &c.* dictum est etiam eodem loco de Sanguine: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus, &c.* ergò æqualiter, & eodem modo præcipit Scriptura Manducationem Carnis, & bibitionem Sanguinis, adeòque vel tenentur omnes ad utramque speciem, vel ad nullam. Respondetur, teneri quidem quemlibet Christianum manducare Corpus Domini, & Sanguinem bibere, non tamen sub diversis speciebus, cùm utriusque speciei nullam faciat Scriptura mentionem, nec aliud intendat, quàm omnes obligari ad veram & realem sumptionem Corporis & Sanguinis Domini. In formâ ergò respondetur distinguendo antecedens, æqualiter obligantur manducare Carnem, & bibere Sanguinem sub una eademque specie, concedo antecedens; sub diversis speciebus nego antecedens, & eodem modo distinguo consequens; nec aliud convincit prima probatio.

XVIII. Solis Apostolis fuit dictum: Bibite ex hoc omnes.

Ad secundam probationem respondet Becanus: illud *Bibite ex hoc omnes* fuisse solis Apostolis tunc præsentibus dictum, sicut Lucæ 22. iisdem dicitur: *Accipite, & dividite inter vos; &c.* & Marci 14. & *Biberunt ex eo omnes*, quod de solis Apostolis tunc præsentibus potest intelligi.

Sed contra hoc instant Hæretici, quod iisdem & in eodem loco fuerit dictum, ut bibant Sanguinem, quibus dictum est, ut manducent Carnem; ergò vel ex posteriori loco non tenentur omnes manducare Carnem, vel ex priori tenebuntur omnes bibere Sanguinem. Respondet Becanus neque ex uno neque ex altero loco colligi Præceptum, respectu omnium Fidelium de comestione Carnis, aut Bibitione Sanguinis: quia, inquit, utrumque fuit solis Apostolis dictum, sed ait Præceptum illud colligi ex illo Joann. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, &c.*

XIX. Præcepto Joan. 6. satisfit sumēdo unam speciem.

Sed contra adhuc instant æqualiter in isto loco præcipitur manducatio Carnis, & bibitio Sanguinis, ergò vel utrumque, vel neutrum obligat. Respondet ibi quidem præcipi Manducationem Carnis & bibitionem Sanguinis, & ex hoc omnes obli-

obligari ad verè & reealiter sumendum Corpus & Sanguinem Domini, sed quia hæc tàm benè inveniuntur sub una, ac sub utraque specie, hinc sufficienter satisfit isti Præcepto, sumendo unam solam speciem, maximè cùm utriusque speciei ibi nullam faciat mentionem.

Dices: Quidquid Christus dixit Apostolis in Persona illorum, intelligitur dixisse omnibus Christianis, juxta ipsius illud testimonium Marci 13. *Quod vobis dico, omnibus dico*, ergò si Apostolis fuit dictum, ut bibant omnes ex Calice, idque sub diversa specie, à specie Panis, idem etiam intelligitur dictum omnibus Christianis. Respondeo, Negando Antecedens. Si enim omnia, quæ Christus dixit Discipulis, intelligeretur omnibus Christianis dixisse, deberemus omnes ire per mundum & prædicare Evangelium omni Creaturæ, neque aliis præter Apostolos dictum est à Christo Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte*, de vigilantia, quam ibi præcepit Apostolis, & quam debent adhibere ante diem mortis, & adventum Judicis, ne mors imparatos inveniat; Unde ibidem ante prædicta verba posuit Evangelista: *Vigilate ergò, nescitis enim, quando Dominus veniat serò, an media nocte, an manè, nè cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes*, & postea immediatè subdit, *quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*, quod omnibus, non minus quàm Apostolis, incumbit facere.

XX Non omnia dicta Discipulis intelliguntur dicta omnibus Christianis.

Arguitur Quartò: Apertè præcipitur Apostolis Lucæ 22. ut alios communicent sub utraque specie: *Hoc*, inquit, *facite in meam Commemorationem*, id est, sicut ego feci, & tradidi vobis meum Corpus & Sanguinem, ita & vos facite aliis, sed Christus distribuit Apostolis utramque speciem, ergò & ipsi eorum successores deberent idem cum aliis facere. Respondetur, verba ista non poni, nisi post sumptionem Corporis sub specie Panis, nec apud alios, quàm apud Lucam loco citato: & apud Paulum 1. Corinth. 11. inveniri; adeóq; ex illis non posse colligi Præceptum de sumptione Calicis, aut Sanguinis, sub specie Vini, licèt enim Paulus repetierit quodamodo prædicta verba post sumptionem Sanguinis, non tamen, nisi cum hac moderatione, hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam Commemorationem, ubi non præcipitur absolutè sumptio Calicis, sed præcipitur solummodò, ut quoties bibitur, hoc fiat in Commemorationem Domini, ejusque Passionis & Mortis, sicut alibi in Evangelio dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus*, sed sub conditione, si volumus esse perfecti.

XXI. Præceptum de sumenda utraque specie à laicis, non evincitur ex Luc. 22. & 1. Cor. 11.

Arguitur Quintò: Apostolus 1. Corinth. 11. expressè fatetur, se accepisse à Domino non solùm Potestatem distribuendi Evcharistiam, sed etiam modum, quo deberet eam distribuere; *Ego enim*. inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in quâ nocte tradebatur, accepit Panem, & gratias agens, fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam Commemorationem; Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam Commemorationem, &c.* Et paulò pòst: *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*; Ergò nulli licet aliter distribuere, aut sumere Evcharistiam, quàm sub utraque specie.

XXII. Objectio contra unam speciem ex 1. Cor. 11. desumpta, mirè placita Luthero.

Probatur Consequentia: Quis non vult aliter distribuere aut sumere Evcharistiam, quàm eo modo, quo Christus instituit, & Apostolis distribuendum tradidit, sed Christus instituit Evcharistiam sub utraque specie, & Apostolis juxta Pauli testimonium sic distribuendum commisit, atque ipsi Apostoli sic semper postmodùm exercuerunt, ergò nulli licet aliter distribuere, aut sumere. Mirè sibi in hoc argumento complacet Lutherus lib. de Captivitate Babylo-

bylonica. cap. de Eucharistia, ubi ait: Apostolum hìc obstruxisse omnium Ora; sed quàm sit infirmum argumentum, facilè constabit cuivis distinguenti inter hæc tria, institutionem scilicet, traditionem, & præceptum, quæ in re ipsa sunt longè diversa, licèt ab Adversariis confundantur. Fateor itaque Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, & Apostolis sic tradidisse, fateor etiam, ipsos Apostolos eorumque Successores ad longum tempus utplurimùm usos tali modo communicandi Laicos, maximè in Ecclesiis, licèt interdum & sæpiùs unâ tantùm specie eos communicaverint: Quia, ùt scribit Becanus lib. 1. Controversiarum c. 9. à tempore Christi & Apostolorum usque ad Annum Christi 1412. liberum semper fuit in Ecclesia sub una vel utraque specie communicare, donec insurrexerunt quidam Hæretici, qui ejus Consuetudinis obligationem, & absolutam necessitatem asseruerunt, quorum errorem, ut supprimeret Ecclesia, eam Consuetudinem in Concilio Constantiensi penitùs abrogavit, cùm nec Christus unquam præcepit Communionem sub utraque specie, nec Apostoli ejus necessitatem aut obligationem docuerunt, sicut nec ullus Adversariorum potest ostendere. Licèt enim in primitiva Ecclesia fuerit talis Consuetudo, communicandi Laicos sub utraque specie, nullus tamen ante Petrum Dresnensem docuerat, hoc esse necessarium, aut Lege Divinâ præceptum; Unde ipsi SS. Patres sub una specie sæpiùs communicârunt, & aliis tradiderunt, prout de S. Ambrosio scribit in ejus vitâ Paulinus, & de S. Basilio Amphilochius, & manifestum est ex consuetudine Veteris Ecclesiæ, quâ solebant olim Fideles Eucharistiam in Pyxide vel Linteolo domum secum deferre, ibique ad tempus pro privata Communione ab ipsis fieri solita reservare, sicut tradunt antiqui Patres communiter, & ipsi Adversarii fatentur, quòd nonnisi de sola specie Panis potest verificari. In forma ergò respondeo, concedendo Authoritatem Scripturæ, & negando Consequentiam, ejusque probationis majorem quoad primam partem, licèt enim Christus instituerit hoc Sacramentum sub utraque specie, & Apostolis tradiderit, non præcepit tamen hoc ab aliis fieri, sicut nec præcepit sumi Eucharistiam post Cœnam, aut lotis prius pedibus, licèt ipse post Cœnam Legalem, & lotis prius Discipulorum pedibus hoc Sacramentum instituerit, & Apostolis tradiderit; neque verum est, Christum ita commisisse hoc Sacramentum Apostolis, ut voluerit ipsos obligare ad distribuendum Laicis sub utraque specie, aut fideles ad utriusque speciei sumptionem adstringere.

XXIII. A tempore Christi & Apostolorum usque ad annum 1412. liberum fuit in Ecclesia sub una vel utraque specie communicare.

XXIV. Christus non præcepit Laicis Communionem sub utraq; specie.

Arguitur Sextò: Gelasius Pontifex in cap. de Consecratione. dist. 2. docet apertè absolutam necessitatem utriusque speciei ad satisfaciendum Præcepto Divino; *Comperimus*, inquit, *quòd quidam sumpta tantummodò Corporis sacri Portione à Calice sacri Cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi, aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius & ejusdem Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*, ergò ex mente Pontificis, grande est sacrilegium, & gravis transgressio Præcepti Divini communicare Laicos, aut sumere Eucharistiam sine utraque specie. Respondet Becanus, Pontificem ibi ex proposito egisse contra Manichæos Romæ simulantes, se esse Catholicos, qui sub specie Panis cum reliquis communicârunt, sed à Calice Sacri Cruoris omninò abstinebant, existimantes, vinum esse fel Draconum, nec credentes, Christum pro nobis ullatenus Sanguinem fudisse, ut tradit Augustinus de Hæresibus c. 46. quorum proinde errorem, ut melius declinarent Catholici, possentque Manichæi faciliùs ab ipsis discerni, præcepit Pontifex, ut omnes sub utraque specie communicarent, per hoc non existimans, utramque speciem esse per se necessariam,

XXV. Cur Gelasius Pontifex præceperit Communionem sub utraq; specie juxta Becanum.

sariam, aut unam sine altera non posse legitimè sumi; Sed ne Catholici abstinentes quoque à Calice paulatim imbuerentur errore Manichæorum, & videantur utique ob easdem causas abstinere à Calice, propter quas abstinebant Manichæi; nec per ista verba: *Divisio unius & ejusdem Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*, intendit Pontifex, non licere quandoque unam speciem absque altera, absque sacrilegio sumere, sed non posse abstineri à Calice, aut talem divisionem fieri ex motivo, quó abstinebant Manichæi sine gravi sacrilegio, & inferendæ hæresis suspicione, cum quo benè stat, quòd per se loquendo, & ex aliis motivis licitis, & honestis licitum fuerit quandoque à Calice abstinere, & solam speciem Panis sine specie Vini sumere, sicut ex hactenus dictis sæpiùs fuisse factum constat, unde negat Consequentiam.

XXVI. Gelasius Pontifex solùm fuit locutus de Sacerdotibus juxta alios.

Respondent Secundò alii: Pontificem fuisse ibi locutum de solis Sacerdotibus, quibus ex officio, & ratione Sacrificii incumbit ex obligatione utramque speciem consecrare, & sumere, de quibus proinde solis videtur Gratianus istum locum intelligere, cùm eidem Capitulo in Jure hunc titulum præfixit: *Corpus Christi sine ejus Sanguine Sacerdos non debet accipere*, eodem modo explicant Gelasium Zepherinus, in notis ad vitam Pelagii, quæ habetur in Tom. 2. Conc. Fol. 465. & Baronius Tom. 6. Annal. ad annum Christi 496.

Dices: Si præteritis temporibus fuerat Jure Divino, liberum Christianis omnibus communicare sub unâ, vel utrâque specie, quâ Authoritate potuit, aut prohibuit Ecclesia, ut nonnisi sub una tantùm specie communicarent? aut si hoc potuit, cur non possit eadem authoritate utramque speciem ipsis adimere, aut in aliis Sacramentis, puta Baptismo, vel Confirmatione unam partem, alterâ relictâ abolere. Respondetur, in Præcepto Divino de sumptione Eucharistiæ duo considerari & distingui, scilicet substantiam Præcepti, & Modum observandi ipsum, Substantia Præcepti in eo consistit, ut quis verè & realiter sumat Corpus & Sanguinem Domini; Modus autem in eo consistit, quòd hoc fiat sub una vel sub utraque specie, possunt & in Sacramentis duo scilicet distingui, alia, quæ spectant ad substantiam, & essentiam Sacramentorum, & alia, quæ spectant ad Circumstantias, & modum participandi ipsa: In prioribus non potest Ecclesia dispensare, aut quidquam circa ipsam mutare, sicut nec unquam fecit aut faciet, sed in posterioribus, quæ ad substantiam Sacramentorum aut Præcepti Divini non spectant: Declarat Tridentinum Sess. 21. C. 2. *Fuisse semper in Ecclesia potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione salvâ illorum substantiâ, ea statuere vel mutare, quæ suscipientibus utilitati, & ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaverit, cùm in hoc secundum Apostolum Prælati Ecclesiæ sint Ministri Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI*, itaque potuit Ecclesia pro diversis temporibus & occasionibus statuere, ut fideles sumant Eucharistiam, nunc sub una, nunc sub utraque specie, prout suscipientium utilitati, aut ad supprimendos tunc insurgentium errores expedire judicaret, prout Gelasius Pontifex, cùm tempore suo videret Manichæos ex falsa superstitione abstinere semper à Calice, statuit, ut fideles ad tempus sub utraque specie communicarent.

XXVII. In Præcepto Divino de sumptione Eucharistiæ, ac de aliis Sacramentis, distinguenda est substantia præcepti & modus.

XXVIII. Ecclesia nihil potest mutare circa substantiam, sed benè quoad circumstantiam & modum.

Contra verò Patres Concilii Constantiensis, cùm viderent Hussitas in Bohemia urgere utramque speciem, tanquam ad salutem necessariam, usum utriusque speciei respectu Laicorum, prohibuerunt, & potiùs sustulerunt, prohibentes sub Excommunicationis pœna, ne Laici ampliùs sub utraque specie communicarentur; sicut in simili circa Baptismum pro diversis temporibus, & occasionibus statuit Ecclesia, ut nunc per unam, nunc per trinam immersionem

sionem conferatur, neque hinc sequitur posse similiter Ecclesiam utramque speciem adimere Laicis, quia hoc spectat ad substantiam Precepti Divini, ut sub una vel utraque specie Evcharistiam sumant, nec proinde potest Ecclesia quidquam circa hoc mutare.

XXIX. Referuntur causæ, ob quas Ecclesia prohibuit Laicis sumptioně alterius speciei.

Et si quæras, ob quas causas ademit Ecclesia Laicis participationem alterius speciei, aut prohibuerit, ut non nisi sub una specie communicent. Respondetur, plures ad hoc causas concurrisse: *Primò*, ad reprimendum errorem Waldensium & Utriquistarum, qui negabant sub speciebus Panis Sanguinem, aut sub speciebus Vini contineri Corpus.

Secundò, ad excludendum errorem Hussitarum, qui licet admiserunt Corpus, & Sanguinem Christi verè & realiter contineri sub una specie, æquè ac sub utraque, dixerunt nihilominus, utramque speciem Jure Divino esse necessariam ad salutem, nec sine iis posse quenquam salvari.

Tertiò, ad salvandum Uniformitatem & Concordiam in Populo Christiano circa Usum hujus Sacramenti, sunt enim plurimi, qui nec Calicem gustare possunt, ut sunt Abstemii, vel si possunt, ex eodem Calice tamen cum aliis accipere horrent, & sunt plures Regiones, quæ difficillimè possint habere vinum in tanta copia, ut omnes possint de Calice participare.

Quartò, ad cavendum irreverentiam, & profanationem tanti Sacramenti, quæ facilè possit contingere, si in tanta hominum multitudine sub specie Vini exhiberetur.

Quintò denique, quia ut mox videbimus æqualem fructum spiritualem percipiunt per unius, ac utriusque speciei participationem, cùm totus Christus æqualiter sub una, ac sub utraque specie contineatur.

XXX. Ecclesia nō fraudat laicos paternâ hæreditate.

Arguunt denique Adversarii ad Tribunal Justitiæ appellantes, Christus in ultimo suo Testamento & Cœna legavit omnibus suis Filiis Corpus & Sanguinem suum; ergò injustè fraudantur Paternâ Hæreditate Laici. Sed boni Advocati non advertunt Hæreditatem nobis relictam non esse Panem aut Vinum, aut eorum species, sed Corpus & Sanguinem Domini, quæ æquè continentur sub una ac sub utraque specie, nec ea subtrahit Ecclesia ulli debitè accedenti.

Sed Contrà: Longè majorem utilitatem, & spiritualem fructum confert utraque species simùl sumpta, quàm una ex ipsis sine altera; ergò injustò fraudantur Laici hâc utilitate, & portione hæreditatis. Pro solutione hujus sit

QUÆSTIO OCTAVA.

Utrum majorem Gratiam, aut spiritualem fructum conferat Communio sub utraque specie, quàm sub una?

I. Quid sentiunt Calvinistæ.

UT inter Sententias Hæreticorum, & quorundam Catholicorum in proposito discernam, Adverto hic breviter Calvinistas, qui non admittunt realem præsentiam Corporis & Sanguinis Domini sub speciebus Panis & Vini, eáque dicunt, ab eis tàm procul abesse, quantùm Cœlum à terra, nec aliter à nobis, quàm solâ fide suscipientium manducari, docere hic consequenter, majorem gratiam conferri per utramque speciem, quàm per unam: quia per utriusque speciei susceptionem magis, quàm per unius excitatur eorum fides, & devotio, ita docet Calvinus lib. 4. Institutionum. c. 16. Lutherani etiam, qui admittunt realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus: quia tùm eorum aliqui, maximè Valdenses dicunt, sub specie Panis solam Carnem, & sub specie Vini solum Sanguinem contineri, docentque igitur, per utramqve speciem longè majorem gratiam conferri, qvàm per unam: Et licèt Hussitæ admittant præsentiam Corporis & Sanguinis sub una specie, non minùs, qvàm sub utraqve:

II. Quid Lutherani & Hussitæ.

que: quia tamen putant Jure Divino nos obligari ad susceptionem utriusque speciei, hinc docent per utramque speciem majorem gratiam, quàm per unam conferri; nec desunt DD. Catholici, qui licèt aliis fundamentis innitentes eandem quoad hoc cum illis doctrinam tenent, dicentes, majorem gratiam conferri Christianis per utriusque speciei susceptionem, quàm per unius, quorum fundamenta inferius videbimus.

III. Communicans sub utraque specie non accipit majorem fructum aut utilitatem, quàm sub una.

Dico: *Nullum majorem fructum aut utilitatem accipit homo per se loquendo, communicando sub utraque specie per modum unius refectionis, quam non accipit communicando sub una.* Est communis sententia Theologorum, quam Bellarminus lib. 4. de Sacramentis c. 3. dicit, esse in Concionibus ad Populum amplectendam, & licèt in nullo Concilio expressè definiatur, nec proindè sit de fide, satis tamen colligitur ex Concilio Basileensi, ubi concessus est Bohemis usus Calicis An. Christi 1437. hac tamen conditione, ut crederent non plus fructus sumi ex duabus speciebus, quàm ex una; & ex Concilio Tridentino Sessione 21. c. 1. ubi definit, nullam esse obligationem sumendi utramque Speciem quoad Laicos, & cap. simul, ac Canone 3. definit totum atque integrum Christum sub una specie verè & realiter sumi, ac proindè inquit, quantum ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessaria, ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt.

IV. Per se loquendo, & dum utraq; sumitur, per modû unius refectionis.

Dixi in Conclusione, *Per se loquendo*: Quia per accidens, & ex opere Operantis potest contingere, ut per utramque speciem accipiat quandoque quis majorem Gratiam ex sumptione utriusq; speciei quàm unius, si scilicet post sumptionem primæ speciei eliciat aliquem actum devotionis & amoris Dei antequam secundam speciem sumat: Dixi etiam, *Per modum unius Refectionis*: Quia si interjecto longo temporis intervallo, puta, uno die acciperet unam speciem, & alio die, vel horâ, alteram speciem, acciperet sine dubio majorem Gratiam, quàm per sumptionem unius speciei in una refectione facta; non minùs, quàm per sumptionem ejusdem speciei diversis temporibus factam.

Probatur Conclusio: Si per susceptionem utriusque speciei Panis & Vini in una Refectione factam major gratia fuisset collata, quàm per susceptionem unius speciei, hoc fieret virtute Specierum Sacramentalium, tanquam causæ instrumentalis moralis, vel ratione Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus contenti, vel ratione utriusque, sed neutrum dici potest. *Probatur Minor*: Species Sacramentales Vini superadditæ speciebus Panis non habent per se loquendo majorem virtutem causativam Gratiæ, quàm habent ipsæ species Panis, sed plures species Panis, aut plures hostiæ consecratæ, & in una Refectione simul aut successivè susceptæ, non causant in homine majorem gratiam, quàm causaret una species, vel hostia ex ipsis, ut ipsimet Adversarii fatentur, ergò neque species Panis & Vini in una Refectione simul aut successivè suceptæ, causabunt majorem Gratiam, quàm causaret una ex ipsis sine altera. Min: præterquam quod ab Adversariis admittatur, inde constat, quod si ex pluralitate hostiarum aut specierum Panis major Gratia fuisset collata, deberent Sacerdotes consecrare semper, & sumere plures hostias & particulas, quo majorem Gratiam recipiunt, & Consequentia patet à paritate rationis.

V. Non confertur major gratia per sumptionem utrisq; speciei virtute specierum Sacramentalium.

Nec refert, quod species Panis & Vini sint diversæ speciei, & diversimodè, quasi significent Corpus & Sanguinem Domini, quia nec ex diversitate specifica ipsarum, nec ex diverso modo significandi potest hæc major Gratia provenire. Quod sic ostendo; Si unâ die sumeretur Eucharistia sub specie Panis, & alterâ die vel horâ sub specie Vini, non contulissent duæ istæ species majorem Gratiam, quàm si diversis illis tem-

VI. Nec ex diversitate specifica ipsarum, nec ex diverso modo significandi.

temporibus duæ species Panis, aut duæ hostiæ consecratæ acciperentur; ergò neque species Panis & Vini simùl sumptæ causabunt majorem Gratiam, quàm duæ species Panis, aut duæ hostiæ simul sumptæ, sed plures hostiæ in una Refectione simùl aut successivè sumptæ, non causant majorem Gratiam quàm causaret una ex ipsis; ergò neque species Panis & Vini simùl & in eadem refectione acceptæ majorem Gratiam causabunt, quàm una ex ipsis sine altera. Min.

VII. Nec major illa gratia provenit ratione Corporis & Sanguinis Christi sub diversis speciebus contenti.

Quòd nec ratione Corporis & Sanguinis Christi sub diversis speciebus contenti possit hæc major Gratia provenire. Probatur, quia si ex his oriretur, major illa Gratia esset ideò, vel quia res contentæ sub speciebus essent duæ & diversæ, quarum quælibet operatur aliquid in anima suscipientis, vel quia una quidem & eadem res sub utraque specie continetur, sed ea bis sumitur, cùm sumitur utraque species, non autem nisi semel, quando una tantùm species accipitur. Primum dici non potest: quia de Fide est ex Concilio Constantiensi, Sess. 13. Basil. Sess. 3. & Tridentino Sess. 21. c. 3. *Totum atq; integrum Christum*, qui est res & signatum hujus Sacramenti cum Carne, Sanguine, Anima, & Divinitate sub quacunque specie ex ipsis verè & realiter contineri: Nec secundum dici potest, quia sive Christus semel aut pluries in eadem refectione sumatur, eandem Gratiam causat in anima, alioquin qui plures Hostias, aut plures partes ejusdem Hostiæ in eadem Refectione sumerent, majorem Gratiam acciperent, quàm qui unam solam Hostiam sumeret, & qui Calicem guttatim & per partes ebiberet, majorem reciperet Gratiam, quàm qui unâ vice totam exhauriret, cum per singulas divisiones utriusque speciei totus atq; integer Christus sumatur, ac proinde, quo major esset Hostia, aut plus Vini poneretur in Calice majorem gratiam quis reciperet, cum sub singulis utriusque speciei partibus totus Christus continetur, & sumitur; quæ tamen omnia sunt absurda, nec ab ipsis Adversariis admittuntur; ergò per sumptionem utriusque speciei in eadem Refectione non causatur major Gratia, quàm per sumptionem unius. Adde, sic longè meliùs & efficaciùs compesci ora Hæreticorum, qui calumniantur Ecclesiam injustè & cum magno Fidelium detrimento spoliâsse Laicos alterius participatione speciei, dum per utramque speciem non plus Gratiæ, aut spiritualis fructûs accipiunt, quàm per unam. Sed in contra

Arguitur Primò: Totus atque integer Christus continetur sub speciebus Vini consecrati, non minùs quàm sub speciebus Panis, ergò sub speciebus Vini sumptus causabit aliquam gratiam distinctam ab ea, quam sub specie Panis causat. Antecedens est de Fide. Probatur Consequentia. Quodlibet Sacramentum novæ Legis est ex se signum practicum, & efficaciter causativum gratiæ in quocunque subjecto capaci ipsius, & non habente obicem, sed species Vini consecrati est verum, & propriè dictum Sacramentum, & quidem numero ad minus distinctum à specie Panis; ergò causabit in quocunque subjecto non habente obicem, propriam & peculiarem Gratiam distinctam à Gratia causata per aliam speciem, ex quo ulterius evidenter sequitur utramque speciem ritè & sine obice susceptam causare majorē gratiam, quàm unam ex ipsis. Respond. Idem argumentum in terminis posse formari de duabus Hostiis consecratis, aut duabus particulis ejusdem hostiæ, sub quarum qualibet non minus continetur totus atq; integer Christus, quàm sub speciebus Panis & Vini, & de quibus nihilominùs docent Adversarii, quando in una refectione vel Convivio sumuntur, non conferri majorem Gratiam per plures, quàm per unam.

VIII. Objectioni respondetur per instantiam de duabus Hostiis consecratis.

Respondetur ergò Secundò, concedendo antecedens, & distinguendo Consequens, causat gratiam distinctâ ab ea, quam causat species Panis, quando interpolatim & diversis temporibus

poribus, vel refectionibus sumūtur, concedo Consequentiam; quando in una Refectione, aut per modum unius Convivii sumuntur, nego Consequentiam, & eôdem modô distinguo

IX. Una species seorsim sumpta, causat diversā gratiam, sed non simul sumpta cū alia.

Probationis Consequens; causabit diversam Gratiam ab ea, quæ causatur per aliam speciem, quando seorsim, & in diversa Refectione sumuntur, concedo, quando in una eademque Refectione sumuntur, nego Consequentiam: Fateor equidem, species Vini consecrati esse per se signum practicum, & efficaciter causativum Gratiæ in subjecto non habente obicem, eamque re ipsâ causare, quoties, & quando seorsim, & sine specie Panis sumitur, sed quando in eadem Refectione, aut simùl cum specie Panis accipitur; nullum alium effectum, nec ullum habet gradum Gratiæ distinctum ab effectu alterius speciei.

Instatur. Species Panis & Vini seorsim & diversis temporibus ac Refectionibus susceptæ causant diversas & distinctas Gratias in anima suscipientis: Ergò etiam simùl & in eadem Receptione acceptæ, easdem Gratias causabunt. Antecedens est nostrum, & probatur Consequentia: Quotiescunque subjectum est capax ulterioris Gratiæ, & Sacramentum ex se causativum ipsius, nec adest aliquod Impedimentum, vel Obex ex parte suscipientis, toties causabit in ipso Gratiam, nisi à DEO specialiter impediatur, sed sumptâ specie Panis anima est adhuc capax ulterioris Gratiæ, & species Vini consecrati sunt ex se causativæ ipsius, nec est ullus obex ex parte Sumentis unam vel alteram speciem, ut suppono, ergò causabunt ulteriorem & distinctam Gratiam in anima, ab ea, quam causârunt species Panis, sive in una, sive in diversa Refectione sumantur.

X. Instantiæ responde-tur.

Respondeo Concedendo antecedens nego Consequentiam, ad cujus Probam distinguo Majorem, toties causabit in anima Gratiam distinctam ab ea, quæ causatur per alteram speciem simùl, & in eadem Refectione susceptam, nego Majorem, eandem Gratiam cum altera sua Conspecie, concedo Majorem, & nego Consequentiam, pro cujus notitia

Adverto, nec unam, nec utramque Speciem Eucharistiæ habere ex se aut ex natura rei virtutem causandi Gratiam in Anima suscipientis, sed ex sola Institutione, & beneplacito Christi, qui ad applicationem talis signi voluit & decrevit conferre semper & infallibiliter suā Gratiam ritè, & sine obice suscipienti, nec aliter eam Gratiam de facto causari, quàm eô modô, quô Christus voluit, & instituit, & ex hoc dico, Christum absolutè voluisse, & instituisse, causare Gratiam in anima, ad Susceptionem unius vel alterius speciei, & quidem diversam & distinctam, quando diversis temporibus, & Refectionibus sumuntur, sed quia totus atque integer Christus cum Corpore, Sanguine, & anima æquè continetur sub una specie ex ipsis, ac sub utraque, dico Christum sic voluisse & instituisse hanc Gratiam conferre, ut quando utraque species in una Refectione sumitur, non majorem nec minorem conferat Gratiam virtute Sacramenti, quàm si una species sola sumeretur: quia sive una, sive utraque species simùl sumatur, pro una spirituali Refectione à Christo reputatur, atque adeò intuitu utriusq; eandem atque æqualem confert Gratiam.

XI. Christus instituit & voluit, ut utraq; species simùl sumpta, nō conferat majorem gratiam.

Et si dicatur, hoc à nobis gratis dici, aut quæratur, unde nobis constet, Christum ita instituisse hanc Gratiam ad sumptionem utriusqve speciei, quàm unius tantùm largiri? Dico, hoc imprimis nobis cōstare ex communiori Theologorum Sententia, quæ id communiter docet; Secundò constat idem ex declaratione Concilii Moguntinensis Anno 1349. celebrati, ubi hæc Veritas in terminis habetur c. 32. *Cum*, inquit Concilium, *nemo fidelium dubitet, Veritatem Sacro-Sanctæ Eucharistiæ non ex speciebus pendere, sed ex vivifica Christi Carne & Sanguine provenire, nec hoc etiam quisque fidelium dubitare debet, illum sub una specie communi-*

XII. Unde id constet.

candi morem ad salutem sumentium æquè utilem & efficacem esse, quàm alteram sub utraque specie, cùm constet non minùs accipi in una, quàm in utraque. Tertiò denique constat ex omnibus rationibus, quas pro Conclusione nostra adduximus, quæ ex contrario seqvuntur.

Arguitur. II. Si una eademque Gratia cōferatur per sumptionem utriusq; speciei, quæ per sumptionem unius fuisset collata, ergò vel tota illa Gratia communicatur â specie Panis, antequam sumatur species Vini, vel â sola specie Vini posterius sumpta, nil cooperante specie Panis, vel partim ab una specie, vel partim ab altera. Si primum, sequitur speciem Sacramentalem Vini ritè, & sine Obice susceptam nullam causare Gratiam in subjecto capaci ipsius; adeóque nullô modô habere rationem signi Sacramentalis, utpote, quod semper, & infallibiliter causat illud, quod significat, dummodò in subjecto non sit obex, & ulteriùs frustrà sumi etiam â Sacrificantibus, cùm nullum effectum in ipsis operetur: Si secundum, idem sequitur de specie Panis, quod non habeat rationem Sacramenti, nec utiliter aut cum fructu â Sacrificantibus suscipiatur: Si denique tertium, sequitur evidenter plus Gratiæ, & spiritualis fructûs causari per utramq; speciem etiam simùl sumptam, quàm per unam ex ipsis, cùm non nisi Pars Gratiæ per unam speciem, & alia per alteram speciem causetur.

XIII. Objectioni respondetur per instantiam de tribus particulis Hostiæ, & pluribus Hostiis parvis.

Respondetur, Argumentum æquè probare de tribus particulis ejusdem Hostiæ; quas quotidie in Sacrificio Missæ accipimus, & de pluribus hostiis parvis, quas quandoqve contingit Sacerdotem sumere, eas inaniter, & sine ullâ utilitate sumi, nisi ultimæ particulæ causent peculiarem & distinctam Gratiam ab ea, quæ causatur per priores particulas.

Respondetur Secundò: Perindè esse quid in proposito dicatur, quòd scilicet Gratia per utramque speciem Panis & Vini collata conferatur immediatè post sumptionem primæ speciei, non tamen sine relatione, & ordine ad secundam speciem in eadem Refectione sumendam, vel post sumptionem secundæ speciei cum relatione & ordine ad primam, ita ut quotiescunqve ambæ species Panis & Vini, in eadem Refectione sumantur, integrent unam causam Moralem Instrumentalem, quæ movent DEUM ad conferendam Gratiam suscipienti, ita ut effectus ab utraqve specie suô modô dependeat, non tamen ita, ut pars effectûs correspondeat uni speciei, & altera pars seorsim alteri, sed taliter, ut totus & integer effectus ab utraqve specie simùl sumpta æqvaliter dependeat, non enim aliter, aut magis movetur DEUS ad conferendam Gratiam homini ex sumptione utriusqve speciei in eadem Refectione, quàm si unam solam sumeret, nec dum sumitur utraqve species, movetur DEUS ab una sola specie ex ipsis ad conferendam Gratiam, sed ab utraqve simùl, sive interim Gratia conferatur immediatè post sumptionem primæ vel secundæ speciei, sicut dum sumuntur plures Hostiæ consecratæ, aut plures partes ejusdem Hostiæ non conferuntur plures gradus Gratiæ juxta pluralitatem Hostiarum, nec movetur DEUS ab una Hostia ex ipsis ad conferendam Gratiam, sed ex omnibus simùl, & in eadem Refectione sumptis: Nec hinc valet inferre alterutram speciem ex ipsis frustrà sumi, quia etsi non requiratur utraqve species ad rationem Sacramenti, aut fructum Gratiæ consequendum, requiritur tamen ad rationem Sacrificii, quòd DEUS voluit â Sacerdotibus sub utraqve specie offerri; sicut posteà videbimus.

XIV. Gratia totà ab utraque specie simul sumpta æqualiter dependet, sive confertur immediatè post sumptionem primæ, sive secundæ speciei.

XV. Cūr utraq. species non sumatur frustra â Sacerdotibus sacrificantibus.

Arguitur Tertiò: Alius est effectus Cibi, & alius Potûs, Cibus enim famem sedat, Potus sitim extingvit, sed Evcharistia sub specie Panis est Cibus, & sub specie Vini est Potus, ergò sub utraqve specie plures effectus dicit, quàm sub una. Respond. distingvendo Minorem, Evcharistia sub specie Panis est solummodò

XVI. Evcharistia sub specie Panis est simul Cibus & Potus.

modò Cibus, nego, est Cibus simùl & potus, concedo, & nego Consequentiam, quia cùm Cibus & Potus in proposito non sint aliud, quàm Corpus & Sanguis DOMINI, juxta illud ipsius testimonium, *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est Potus*, atque illa sub qualibet specie seorsim æquè contineantur, ac sub utraque simul hinc tam species Panis sine specie vini habet rationem Cibi & Potus, quàm è contra species Vini sine specie Panis.

Arguitur Quartò: Si quis in triduo Mortis Christi consecrâsset, & sumpsisset Evcharistiam, non percepisset tantam Gratiam, aut Spiritualem fructum ex susceptione unius speciei, quantam percepisset ex susceptione utriusqve simul, ergò neqve nunc communicando sub una specie percipit homo tantam Gratiam, quantam percepisset communicando sub utraqve; Consequentia patet à paritate rationis, quia Evcharistia non est jam alia, aut majoris efficaciæ, quàm tunc fuisset. Respondet Becanus negando Antecedens: Quia, inquit, vis & efficacia Sacramenti Evcharistiæ non pendet præcisè à Carne & Sanguine Christi, sed etiam & maximè à Divinitate seu Persona Verbi cum eis conjuncta, unde cùm Divinitas manserit semper conjuncta cum Carne facta, etiam separatione Sanguinis, hinc ait in triduo Mortis majorem Gratiam contulisset utraqve species, quàm una ex ipsis: sed qvidqvid sit, de hoc admisso Antecedente nego Consequentiam & Paritatem, Disparitas est, qvòd sicut in illo triduo Christus fuit verè mortuus, & non solùm Corpus ab Anima, sed etiam Caro à Sanguine separata, ita si quis in illo triduo consecrâsset, non potuisset sub specie Panis, nisi solam Carnem sine Sangvine sumere, & sub specie Vini solum Sangvinem sine Carne, adeóqve non est mirum, quòd utraqve species tunc contulisset majorem Gratiam, qvàm una tantùm, cùm sub una specie non nisi solam Carnem, vel solum Sangvinem suscepisset, nunc autem, qvia Christus resurgens ex mortuis, jam ampliùs non moritur, neqve mors illi ultrà dominabitur, ita ut non solùm Caro & Sangvis cum Divinitate, sed etiam inter se, & cum Anima sint conjuncta, hinc Consecrans Evcharistiam ponit totum atque integrum Christum cum Carne, Sangvine, Divinitate, & anima sub qvalibet specie seorsim, tàm benè ac sub utrâqve, adeóque non majorem Gratiam aut specialem fructum percipit ex susceptione utriusqve simùl speciei, qvàm unius tantùm ex ipsis, cùm non minùs contineatur totus ac integer Christus sub una, qvàm sub utraqve.

XVII. In triduo mortis utraque species non contulisset majorem Gratiam juxta Becanum.

XVIII. Dato quòd tunc contulisset majorem Gratiam, cur non conferat nunc.

Dices: Concilium Tridentinum SS. 21. c. 3. supponit majorem Gratiam conferri per utramq; speciem, qvàm per unam ex ipsis, ergò. Probatur Antecedens: Ex his ejus verbis: *Insuper declarat Concilium, quamvis Redemptor noster in supremâ illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, fatendum tamen esse, etiam sub alterutra specie totum atque integrum Christum, verùmque Sacramentum sumi, ac propterea, quòd ad fructum attinet, nulla Gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*, ergò supponit Concilium, Laicos per privationem alterius speciei defraudari aliqvâ Gratiâ, licèt ea non sit necessaria ad salutem. Respondetur negando Antecedens, ejusqve Probationis Consequentiam, ibi namqve egit ex proposito Concilium contra Hæreticos, qvi dixerunt, utriusqve speciei perceptionem esse necessariam ad salutem, adeóqve per privationem alterius speciei Laicos Gratiâ ad salutem necessariâ injustè defraudari, contra qvos definit Concilium, nullâ eos Gratiâ privari.

XIX. Tridentinum non supponit côferri majorem gratiam per utramque speciem.

DISPUTATIO NONA.

DE Evchariſtiæ Sumptione & Diſpoſitione ad eam.

QUÆSTIO PRIMA.

An communicans in peccato mortali de novo peccet?

I. Multipliciter poteſt fieri Communio in peccato.

POteſt aliquis quadrupliciter in peccato communicare, Primò: Si in ipſa Communione ſpeciale peccatum mortale committit. Secundò, ſi accedit cum Conſcientia peccati ante commiſſi, de quo non dolet. Tertiò, ſi cum Conſcientia peccati, ſed de quo dolet, idqve non confitetur. Qvartò, ſi in peccato ante commiſſo, cujus nunc non recordatur, accedit, & hoc dupliciter, nempe, ſi nunc ex ignorantia craſſa, nunc ex inculpabili, &c.

II. Communicãs in mortali, vel in actuali Cõmunione novũ mortale comitens, ſuperaddit ſacrilegium ab his diſtinctum.

Dico Primò: *Qui cum Conſcientia peccati mortalis communicat, vel in actuali Communione committit aliquod novum peccatum mortale, ſuperaddit peccatum ſacrilegii ab his diſtinctum.* Eſt communis pro utraq; parte, & patet ex illo 1. ad Corinh. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*, ſed qui actu peccat, vel cum Conſcientia peccati mortalis communicat, manducat indignè: Tum, Quia ponit obſtaculum effectui Sacramenti: Tum, Quia ſi is non manducet indignè, ſequitur, quòd nullus manducat indignè. ergò. Idem docent paſſim PP. & maximè Hieronym. Epiſt. 22. ibi: *Ebrietati ſacrilegium copulantes*, ajunt: *Abſit, quòd ego à Sanguine Domini abſtineam*, & Chryſoſtomus Epiſt. 3. in Epiſtolam ad Epiſ. *Regem utique non audeas oſculari, ſi os tuum oleat graviter, & Regem Cœlorum impudens oſcularis, animâ tuâ vitiis olente.*

III. Communicãs in mortali ex ignorantia craſſa oblito, peccat mortaliter.

Dico Secundò: *Qui in peccato mortali, cujus ex ignorantia craſſa eſt oblitus, communicat, peccat mortaliter, ſi poſt diligens examen ſit oblitus, non peccat.* Prima Pars eſt Scot. hic d. 9. q. 1. & communis, & probatur ex illo Pauli ſuprà: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat, &c.* nam ad dignè communicandum requiritur diligens examen Conſcientiæ, ùt patet ex ly *probet*, ùt exponit Trident. Seſſ. 13. cap. 7. Sed qui ex craſſa negligentia obliviſcitur peccati commiſſi, non præmittit diligens examen. ergo. Secunda pars eſt Scoti ibi & communis, & patet ex dictis, quia talis ſeipſum probavit, ergò poteſt de illo Pane & Calice ſumere &c.

IV. Secus ſi ſit oblitꝰ poſt diligens examen.

V. Conſcius mortalis non confeſſi tenetur præmittere Communioni Confeſſionem.

Dico Tertiò: *Habens memoriam peccati mortalis, quod nunquam eſt confeſſus, non ſufficit, quòd eliciat attritionem vel contritionem de tali, ſed tenetur ſub pœna novi peccati mortalis præmittere Confeſſionem, antequam communicet.* Eſt Communis, & patet ex Trident. Seſſ. 13. cap. 7. ibi: *Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum, probet ſeipſum homo, Eccleſiaſtica autem Conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur ſaltem abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Evchariſtiam accedere debet, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit.* Ex quibus habetur, quòd non tantùm Concil. definierit, non ſufficere contritionem in conſcio peccati, ut dignè commnnicet, ſed etiam hunc eſſe ſenſum illius præcepti, *Probet autem*

tem seipsum homo &c. Ex his sequitur, quòd suscipiens Sacramentum hoc teneatur de facto esse in Gratia.

Arguitur : Qui vult suscipere Sacramentum Confirmationis vel Baptismi, & est in peccato mortali, non tenetur sub peccato mortali præmittere Confessionem, sed sufficit ipsi sola Contritio, ergò & qui vult suscipere Eucharistiam.

VI. Disparitas de suscepti-one Eucha-ristiæ & a-liorum Sa-cramanto-rum.

Respondeo, nego Cosequentiam. Ratio disparitatis est, quia Sacra Scriptura requirit specialem præparationem ad hoc Sacramentum, & Ecclesia declaravit illam præparationem debere esse Confessionem, quando aliquis est in peccato, ad alia autem Sacramenta non declaravit Ecclesia talem præparationem requiri.

VII. An & qualiter peccet communicans in veniali.

Quæres: An peccet qui in peccato veniali communicat. Respond. Primò cum communi, quòd non peccet mortaliter. Secundò etiam cum eodem communi, quòd venialiter quando communicat ob finem venialem, v. g. vanam gloriam.

Respondet ulterius Suarez, quòd peccet venialiter, Primò: Quando novum aliquod peccatum veniale, v. g. iræ, vanæ gloriæ, &c. committit, dum actu communicat, etiam peccato ab his distincto. Secundò, quando cum multitudine venientium sine dolore communicat: Tum, Quia ponit obicem alicui effectui Sacramenti, nempe remissioni venialium, fervori charitatis: Tum, Quia aliqua irreverentia ipsi Sacramento fit: Tum, Quia sic docet D. Ansel. in 1. ad Corinth. 11. dicens indignè accedit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, quæ non est confessus.

Respondet tamen Vasqu. Disp. 20. cap. 2. cum Richardo, Majore, Soto & aliis, quòd sic communicans nullum novum peccatum veniale committat, nam sufficit, quòd non ponat obicem effectui principali Sacramenti, seu gratiæ secundæ, nec est peccatum, nec irreverentia impedire effectum ejus secundarium, cùm nullo jure teneatur communicans ad carentiam venialis. Ad authoritatem dicunt Primò, Commentarium non esse Anselmi, sed Henrici. Secundò, dato, quòd sit, per multa levia intelligi mortalia minus gravia, aliàs, si per levia intelligantur venialia, sequeretur contra omnes, quòd talis peccaret mortaliter, quia indignè accederet, sed prima opinio magis placet: Tum, Quia magis pia: Tum, Quia meliores habet rationes.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quo jure teneatur existens in peccato præmittere Confessionem?

I. Variæ Sententiæ referuntur.

PRima Sententia est, nullum esse præceptum saltem antiquum obligans ad præmittendam Confessionem, ita Cajet. 3. p. q. 8. art. 5. dicens, suo tempore nullum extitisse tale præceptum. Secunda, quòd sit Juris Divini naturalis præsupposita institutione Sacramenti, ita Silvester, Petrus, Soto, & alii. Tertia, quòd sit Juris Divini positivi, ita Suar. Disp. 66. Sect. 3. Vasq. Disp. 207. cap. 4. & alii. Quarta, quòd non sit Juris Divini saltem positivi, sed benè humani, ita Medina de Confess. qu. 17. Palati. Navar. in summa cap. 31. n. 49. & innuit Scotus hìc dist. 9. q. 9. in fine, hæ duæ posteriores sunt sat probabiles; licèt quarta sit tenenda tanquam Scoto conformior.

II. Præceptum præmittendi Confessionem Cōmunioni à cōscio mortali, est antiquum.

Dico Primò : *Præceptum de præmittenda Confessione ante Communionem interveniente conscientiâ peccati mortalis, non est in Ecclesia novum, sed antiquissimum.* Ita omnes aliæ contra primam, & est jam propè de Fide ex Trident. suprà Sess. 13. cap. 1. ubi ait, quòd *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat &c.* Quod si Con-

consuetudo Ecclesiæ, ergò præceptum antiquum. Idem etiam patet ex Cypriano Epi. 10. 12. & 14. in quibus passim reprehendit, non tantùm peccatores accedentes ad Communionem sine præmissâ Confessione, sed etiam Pastores eos admittentes ad Communiones, & D. August. Ep. 118. cap. 8. & Author operis de salutaribus documentis apud D. August. Tom. 4. Cap. 33. ubi loquens de sumptione Eucharistiæ ait: quando enim illud accipere debemus, ante ad Confessionem & Pœnitentiam recurrere debemus, nè cum proditore Judâ pereamus.

III. Probabilius non est Juris Divini positivi, sed humani seu Apostolici.

Dico Secundò: *Probabilius est, quòd conscius peccati mortalis non teneatur jure Divino positivo ad Confessionem præmittendam Communioni, sed solùm humano seu Apostolico.* Probatur Primò, si teneremur jure Divino ad Confessionem sic præmittendam, maximè sic teneremur illo præcepto, quod habetur 1. ad Corinth. 11. ibi: *Probet autem seipsum homo*, quia non potest aliud assignari, sed illud est præceptum non Divinum, sed Apostolicum ipsius Pauli. ergo. Min: Probatur Primò ex Trid. suprà Sess. 13. Cap. 7. ubi postquam dixit hominem debere accedere ad hoc Sacramentum cum magna reverentia, subdit rationem ex Apostolo sic: *Cum*, inquit, *illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus, qui manducat & bibit indignè judicium sibi &c. quare Communicanti revocandum est in memoriam ejus præceptum, probet seipsum homo &c.* ergò Concil. vocat illud præceptum, Apostoli præceptum: Tum, Quia ly ejus ibi non refertur ad Dominum, sed ad Apostolum, ùt ipse Vasqu: fatetur, aliàs textus non haberet congruum sensum: Tum, Quia Paulus non dixit illa verba *probet seipsum homo* recitativè, & in persona Christi, sed significativè & in propria persona, & patet etiam ex contextu. Probat: Secundò eadem min: ex contextu, quia postquam Apostolus versu 26. & 27. retulisset, quæ à Christo acceperat circa institutionem ad usum hujus Sacramenti. Deinde suis verbis infert quædam, quæ ex illis sequuntur, dicens: itaque quicunque biberit Calicem Domini indignè reus erit Corporis & Sanguinis Domini, ac postremò ostendens, quid faciendum sit, ut quis dignè communicet, subdit: Probet autem &c. ubi aptè Apostolus aliquid præcipit Corintheis, quod non tenebantur jure aliquo positivo Divino facere, aliàs ipse illud, sicut & alia præcedentia, in persona Christi protulisset; dixi jure positivo, quia suppositâ institutione hujus Sacramenti probabiliter Jure Divino naturali, seu secundùm dictamen rectæ rationis conscius peccati mortalis tenetur se ipsum probare, & examinare Conscientiam, ita ut reddat se in statu gratiæ, non tamen præcisè per Confessionem, sed vel per hanc, vel per Contritionem, quia non censetur sola ratio naturalis dictare, quòd per solam Confessionem teneatur ponere se in statu gratiæ; unde quod modo requiratur talis præparatio fieri Confessionem, quando aliquis est conscius peccati mortalis, provenit ex dicto Apostolico præcepto exposito per Trident. suprà.

IV. Ratio ad idem.

Probatur Secundò Conclusio ratione, quia Christus non solet dare præcepta circa modum sumendi Sacramenta, nisi quæ sequuntur ex eorum institutione, sed quòd ante Communionem peccator contritus debeat confiteri, non habetur ex institutione Eucharistiæ. ergò. Major patet, quia Christus reliquit dispositioni Ecclesiæ omnes ritus, qui non habentur expressè ex eorum institutione, ùt patet de admiscenda aqua vino, & similibus, minor etiam patet: Tum, Quia nullus Scripturæ locus, nec ratio naturalis supposita institutione hujus Sacramenti hæc dictat, nam ratio naturalis non dictat, nisi quòd aliquis adhibeat moralem, non autem summam diligentiam, ùt sit in statu gratiæ, dum suscipit hoc Sacramentum, hoc facere potest per solam contritionem, ergò. Adde, quod Trident. suprà de novo præ-

præcipiat, Confessionem sic esse præmittendam, ergò nec indicavit ante esse præceptum Divinum de hac re, aliàs solùm declararet illud esse præceptum Divinum, non autem adderet novum.

Arguitur Primò: Prohibemur Jure Divino communicare indignè, ergò & obligamur Jure Divino præmittere Confessionem, quando sumus conscii peccati mortalis. Probat: anteced: Quia prohibemur aliquo jure ante prolatum illud præceptum: *Probet semetipsum homo*, sed non humano, ergò Divino. Major patet: Tum, Quia Paulus ante illa verba arguit peccati Corinthios: Propterea, quòd communicent indignè, sed non arguit ipsos, ùt faciunt contra suum præceptum, cùm illud nondum sciverint, nec fuerit ante datum: Tum, Quia ante ista verba dixit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, & biberit Calicem DOMINI indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, sed non potest aliquis peccare indignè communicando, nisi hoc sit aliqua lege prohibitum. Probat: etiam minor: Quia, si quod esset, maximè esset Pauli, sed Paulus ante illud: *Probet seipsum homo* &c. nullum præceptum dedit de hac re. Respond: distin: antecedens jure Divino positivo nego, naturali, quod solùm probat probatio antecedentis concedo, quia suppositâ institutione & re hujus Sacramenti ratio naturalis dictat, quòd non debeat aliquis accedere conscius peccati mortalis, nisi prius illud expurgando per aliquod remedium sufficiens, sive illud sit Confessio, sive Contritio, & hinc Paulus, ubi suprà non ex aliquo præcepto positivo, sed ex sola institutione Sacramenti intulit esse peccatum grave indignè communicare, nam postquam retulit verba Christi de institutione hujus Sacramenti immediatè subjungit itaque quicunque manducaverit &c. quasi diceret, ergò peccat indignè communicans, & ideò ipse arguebat Corinthios, quòd contra suum præceptum, non positivum Christi, sed contra rationem naturalem suppositâ Institutione Sacramenti facerent indignè communicando, & hinc nego Consequentiam, quia ratio naturalis non dictat, nisi quòd conscius peccati expiet suum peccatum aliquo sufficienti remedio, sive illud sit Confessio, sive Contritio, non autem, quòd præcisè per Confessionem. Unde quòd in conscio non sufficit Contritio, sed prærequiratur Confessio ad dignè communicandum, provenit ex præcepto Apostolico nobis sic declarato per continuam Ecclesiæ Consuetudinem, & tandem per Decretum Concil. Trident. suprà.

V. Non prohibemur cõmunicare indignè jure Divino positivo, sed naturali.

VI. Ratio naturalis solùm dictat mortale esse præviè expiandũ aliquo remedio.

Arguitur Secundò: Trident. suprà docens, esse præceptum de præmittenda Confessione ante Communionem, non dicit, illud præceptum esse introductum Consuetudine Ecclesiæ, sed per Ecclesiæ Consuetudinem declarari seu cognosci, ergò innuit, quòd illud præceptum non sit Ecclesiasticum, sed Divinum. Respond. nego Consequ: Quia Consuetudo Ecclesiæ potest declarare non solùm Divinum, sed etiam Apostolicum præceptum, & sic cùm ex verbis Apostoli præcisè sumptis non possit cognosci, an illa probatio debeat fieri per solam Contritionem, an per Confessionem debeat fieri, id Ecclesia declaravit.

VII. Ex Tridem. non deducitur præceptũ præmittendi Confessionem esse Divinum.

Arguitur Tertiò: Si hoc præceptum non esset Divinum, Pontifex in eo posset dispensare, sed hoc non, cùm nunquam hoc factum sit. ergo. Respondeo: Pontificem posse in hoc dispensare, si legitima occurrat causa, unde si dispensare non potest, non provenit ex parte præcepti, sed quia fortè nunquam potest esse justa causa dispensandi.

VIII. Papa in hoc præcepto potest dispensare.

Arguitur Quartò: S. Cyprianus suprà Epist. 11. a. 2. 14. & lib. de lapsis, docet peccatores facere contra Legem Evangelii, si sine judicio ad Communionem accedant, ergò Jure Divino tenemur Confessionem præmittere. Respond. neg:

IX. S. Cyprianus explicatur. Consequ: Quia Cyprianus ibi loquitur de lapsis in idololatriam, qui cum Ecclesiæ judicio erant exclusi à Sacris, non poterant ad eadem admitti sine violatione Legis Evangelii, id est, sine injuriâ potestatis Clavium seu ligandi atque solvendi Ecclesiæ per Evangelium datæ, unde facere contra Legem Evangelii, ibi est facere contra potestatem Clavium per Evangelium datam.

QUÆSTIO TERTIA.

An possit aliquis in aliquo Casu communicare non præmissa Confessione, esto sit conscius Peccati?

NOta, quòd non licèt communicare in ullo casu non præmissâ Confessione, vel saltem Contritione, in quantum moraliter fieri potest.

I. Contritio sufficit ante Communionem urgente necessitate & deficiente Confessario. Dico Primò: *Potest aliquis absque præmissâ Confessione & solùm contritus de peccatis communicare, quando necessitas magna urget, & deest copia Confessarii.* Ita Trident. Sess. 13. cap. 7. in fine, & est communis omnium, sed qualis vel quanta necessitas, vel quanta inopia, vel absentia Confessarii requiratur, non parum controvertitur.

II. Excusatur à Confessione communicaturus in periculo mortis, in defectu Cõfessarii. Dico Secundò: *Necessitas communicandi non præmissa Confessione censetur esse sufficiens, quando vel Communicaturus est in periculo mortis, vel quando alius in periculo mortis, quem vult communicare, & non adest Confessarius.* Ita Suar. disp. 66. Sect. 4. Vasqu. disp. 208. cap. 2. Sotus verbo Evcharistia n. 31. Toletus 86. cap. 16. Valentia, Conig, Bonacin. Tom. 1. q. 6. puncto 1. & alii. & ratio est, quia cum tanto incommodo proprio vel alieno, nempe omissione viatici necessarii, præceptum positivum maximè humanum non obligat.

III. Item Sacerdos in die festo obligatus celebrare ex officio coram populo, alio nõ præsente. Dico Tertiò: *Necessitas excusans à præmittenda Confessione est, quando Sacerdos in die festo tenetur ex officio celebrare coram populo, si nullus alius adsit, qui ejus vices suppleat.* Ita Angles q. 2. ar. 4. Nugrus quæ. 80. ar. 4. Suar. Conig, Bonacinna, & expressè traditur à Trident. ubi suprà, & de se probatur, quia gravis necessitas censenda est, quando Pastor tunc debet servire populo, & populus ex præcepto audire Missam, undè non placet, quod ait Vasq. suprà, quòd talis non teneatur ratione officii tantùm, nisi immineret periculum scandali, vel infamiæ, inquam, non placet: Tum, Quia inde sequeretur, quòd Pastor non teneretur celebrare festo die, si posset honestè se occultare, quod censetur durum: Tum, Quia Trident. suprà nullam ponit talem limitationem, sed ait generaliter sic: *Quòd à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris.*

IV. Cur Pastor proprius excusetur, & non alius Sacerdos. Arguitur: Alius Sacerdos, cui ex officio hoc non incumbit, non potest celebrare absq; præmissa Confessione, ut populus in festo audiat Sacrum, ergò nec proprius Pastor. Respond. concesso antecéd. si nullum sit scandali periculum, nego Consequentiam. Et ratio est: Tum, Quia ille ex officio tenetur ad celebrandum, hic verò non: Tum, Quia huic & non illi censetur Concil. hoc concedere.

V. Scandalum vel gravis infamia excusant à Confessione ante Communionem, si desit Confessarius. Dico Quartò: *Eum, qui sine gravi infamiâ vel scandalo non potest Communionem omittere, posse communicare sine præmissa Confessione, si desit Confessarius.* Ita Doct. Subt. d. 9. q. 3. n. 3. Azorius, Reinaldus, Suar. Vasq. Conig, & alii suprà. Et Probatur sicut secunda Conclusio, hic autem benè advertendum, quòd per scandalum hìc non intelligitur admiratio populi, sed occasio detrahendi, temerè judicandi.

Et hinc sequitur Primò, Eum, qui est in aliquo loco in die festo, vel alio, in quo non potest omittere Sacrum sine nota infamia, vel scandalo, posse celebrare sine præ-

præmissa Confessione. Secundò, similiter & eum, qui indutus sacris vestibus ivit ad altare. Tertiò, & eum, qui de facto accessit ad locum publicæ Communionis, oblitus alicujus peccati, si inquam, neuter potest recedere sine scandalo, vel infamiâ; nam si possunt sic recedere, tenentur secundùm communionem; sed quid de eo, qui jam inchoavit sacrum?

Respondent aliqui, si recordetur ante Consecrationem, quòd teneatur interrumpere sacrum & recedere, si non potest sine nota infamiæ, confiteri in ipso altari, ita censetur Vasq. tenere suprà n. 11. & alii. Respondeo tamen &

VI. **Qui inchoavit Sacrū, non tenetur recedere, ut confiteatur.**

Dico Quintò: *Quod probabilius est, quòd talis non teneatur recedere ab altari rumpendo sacrum.* Ita D. Bonav. hic d. 13. 1. p. qu. 1. in initio. Suar. Petigianus dist: 9. q. 3. Henriq. lib. 8. cap. 46. n. 3. Suar. 1. p. Sco. 4. Valentia, Reinaldus &c. Sed si potest sine gravi nota, debet in ipso altari confiteri ante Communionem, & si recordetur post Consecrationem, sed quia in Missis saltem privatis vix unquam sine infamia vocari potest Confessarius, & Confessionem excipere, ideò Vasqu. putat suprà, ipsum non teneri ad Confessionem in altari maximè post Consecrationem, sed tantùm ad Contritionem, Ratio Conclusionis est, quia non magis censetur infamia, vel aliud notabile damnum nostrum excusare à præmittendâ Confessione, quàm ipsa reverentia & majestas Sacrificii Missæ, quod post inchoationem saltem si notabilis pars ejus sit absoluta, non potest rumpi sine irreverentia notabili. ergo.

VII. **An teneatur confiteri in altari.**

VIII. **Qui celebravit ex justa causa sine Cōfessione tenetur confiteri, quamprimum moraliter potest.**

Dico Sextò: *Sacerdos, qui in aliquo ex prædictis vel aliquo necessitatis casu absque Confessione præmissâ celebraret, tenetur, quam primum moraliter potest confiteri.* Ita communis, & est expresse à Trident. tradita suprà cap. 7. ibi: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit quamprimum confiteatur.*

Arguitur: Laicus qui necessitate urgente sine prævia Confessione communicat, non tenetur confiteri, quamprimum moraliter potest. ergò nec Sacerdos. Respondet Navar. Neg. anteced. Sed malè, cùm nullo præcepto ad hoc teneatur. Unde Respondeo neg: Consequentiam: Tum, Quia Concil. tantùm loquitur de Sacerdote, nec valet argumentum à simili in Legibus pœnalibus: Tum, Quia expresse à proposito censetur hoc præcipere solis Sacerdotibus, nam cum immediatè ante facit mentionem Sacerdotum & non Sacerdotum, postea tamen de solis Sacerdotibus facit mentionem, & ratio motiva esse potuit, quòd Sacerdotibus possit talis casus sæpius contingere.

IX. **Laicus cōmunicans sine Confessione, nō tenetur quamprimum confiteri.**

X. **Quando censeatur deesse copia Confessarii.**

Quæres: Quando censetur deesse copia Confessarii. Respond. Primò: Quando nullo modo haberi potest. Secundò, quando solùm adest non approbatus ab Episcopo. Tertiò, quando nullus adest, cui posset confiteri sine Interprete. Quartò, quando præsenti non potest confiteri sinè gravi periculo infamiæ, scandali, vel damni alicujus corporalis, vel spiritualis, v. g. quòd peccata revelet, ad inhonesta trahat, certè complicem sit ex Confessione cogniturus, vel in re aliqua magni momenti noceat; aliqui tamen putant, quòd debeat mortalia peccata tunc confiteri, ex quibus talia non timet, aliis, ex quibus timet, suppressis, ut Suar. Conig, Reginal. Bonacinna & alii. Quintò probabiliter, quando habes à quorum vel aliquo, vel pluribus, puta reservato, non potest Confessarius absolvere, ita Vasqu. suprà Victoria, Soto, & alii, verùm teneri tunc ad ea, quæ non sunt reservata confitenda suppresso reservato, probabiliter satis tenet Suar. suprà Sect. 4. Reinal. Nugnus, Conig, & alii, quos sequitur Bonacinna suprà n. 31. Sed de his infrà fusius in materia de pœnitentia.

QUÆSTIO QUARTA.

An Sacerdos possit vel debeat negare Eucharistiam peccatori?

I. Publico peccatori publicè petenti, neganda est Eucharistia.

Dico Primò: *Publico peccatori publicè petenti Eucharistiam, neganda est.* Ita D. Thom. qu. 80. ar. 6. & Communis. & patet Primò, quia Sancta non debent dari canibus, id est, peccatoribus.

Secundò, ex Clemente lib. 9. Constitutionum. cap. 32. Con. Arelatensi 1. cap. 4. & 5. & multis aliis juribus, quibus publici peccatores, ut usurarii, meretrices, & similes, à Communione expelli præcipiuntur.

Tertiò, ex PP. Cypriano lib. 1. Epis. 10. ubi petenti quid cum talibus faciendum, Respondet sic: *Puto, nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ Disciplinæ congruere, ut pudor & bonor Ecclesiæ tàm turpi & infami contagione fœdetur.* Chrysostomus hom. 83. in Matth. & alii PP. idem docent.

II. Non verò occulto petenti publicè.

Dico Secundò: *Peccatori occulto, publicè & coram iis, quibus ignotum est ejus peccatum, non est Communio neganda.* Ita colligitur ex Concil. Affrican. tempore Bonifacii I. cap. 99. & Concil. Vasensi I. Can. 8. quæ habentur cap. 1. & cap. placuit, 6. qu. 2. in quibus insinuatur, nè Episcopus, qui alienum peccatum novit, quod probare non potest, neminem propterea à Communione publicè expellat, eámque tenet Alensis, D. Bonav. & Thom. & omnes Scholastici; sed in reddenda ejus ratione non parum dissident. Sed aliis omissis

Probatur Primò ab incommodis, quæ indè oriuntur, ac Primò, Quia sæpè, vel plerumque, minister hæreret perplexus, nescius quid deberet agere, dum dubitaret de dignitate Communicantis. Secundò, quia adstantes sæpe scandalizarentur, existimantes, per injuriam Communicaturum expelli. Tertiò, quia aliàs plurimi & sæpe etiam justi diffamarentur maximè ex imprudentiâ ministrorum.

III. Alia ratio ad idem.

Et hinc Probatur Secundò: Quia magis obligat præceptum justitiæ de non infamando proximum, quàm præceptum Religionis de non administrando Sacramento, nisi solis dignis, quando hæc duo simul concurrunt, ergò magis teneor communicare indignè suscipientem, quàm ipsum infamare, eum à Communione expellendo. Anteced: autem patet, quia obligatio misericordiæ præferenda est obligationi Religionis, ùt ex illo Oseæ 6. probatur. Misericordiam autem volo & non Sacrificium, ergò & obligatio justitiæ.

Arguitur, Quando simul concurrunt duo mala, quorum alterum debet necessariò eligi, illud eligendum est, quod in se minùs malum est, sed hic occurrunt duo mala simul, nempe indigno Eucharistiam ministrare, & infamare proximum, & hoc posterius est minus malum, ergò. Patet minoris Prima Pars, probatur Secunda pars, quia illud est minus malum, quod opponitur virtuti minori, sed infamare proximum opponitur Justitiæ, ministrare indigno virtuti Religionis, sed virtus Religionis est major justitiâ. ergo. Respond: neg: min: Quia revera licet absolutè, & sine circumstantia aliqua ex parte objecti excusante, sit malum ministrare Eucharistiam indigno, tamen ministrare ipsi, nè alius per me infametur, nullo modo est malum, vel contra virtutem Religionis, quia ratio naturalis non dictat, nec DEUS ipse voluit, quòd DEUS à me virtute Religionis colatur inferendo damnum proximo.

IV. Indigno ministrare Eucharistiam in casu non est malum.

V. Peccatori occulto petenti occultè neganda est Eucharistia etiam in Paschate.

Dico Tertiò: *Peccatori occulto occultè petenti etiam in Paschate & à proprio Pastore vel alio, Eucharistia neganda est. Saltem nisi peccatum notum sit Sacerdoti solùm ex Confessione.* Est contra Sotum, est tamen D. Bonavent. hic d. 9. art. 3. q. 4. D. Thom. Alensis, Richardi, Majoris, & aliorum, quos refert & sequitur Vasqu. suprà cap. 5. & Suar. Sect. 3. & ratio ejus

ejus est, quia ratio præcipua, ob quam debemus Evcharistiam peccatori petenti dare, est, nè ipsum infamemus, nam hâc ratione cessante peccaremus contra virtutem Religionis ministrando, & consequenter cooperando indignè communicanti, sed hæc ratio cessat in proposito, cùm non sit periculum infamationis, deindè, quia publicè petenti denegandum est, ergò occultò occultè petenti ab omnimoda paritate rationis. Occultè censetur hic petere, qui nullo, vel uno, vel altero præsente, qui peccatum novit, petit.

VI. Talis non habet jus illam petêdi à Pastore.

Arguitur Primò: Peccator tempore, quo obligatur communicare, habet jus petendi Evcharistiam à proprio Pastore, ergò Pastor tenetur tunc ipsi ministrare. Respond. quòd non habet jus aliquod in Pastorem, obligans ipsum, ut cooperetur in peccato ipsi, sed solùm in bono.

VII. An Sacerdos, qui novit peccatû solum ex Confessione, possit occultè petenti negare Evcharistiam.

Arguitur Secundò: Si tantùm Pastor novit ejus peccata ex Confessione, tunc saltem non potest ei negare occultè petenti, aliàs faceret contra sigillum, ergo. Respondeo: Propter hoc dixi in Conclusione: *Saltem nisi peccatum sit notum, &c.* nam de hac re est sententia prima, quòd non potest tunc negare, quia aliàs violaret sigillum ita S. Anton. 3. p. q. 14. cap. 12. Adrianus quolib. 1. Silvester & Navar. cap. 21. num. 55. Secunda, quòd possit, nec hoc est ullo modo contra sigillum, quia monere peccatorem de peccato in Confessione audito ad proprium ejus bonum, non est contra sigillum, & repellere indignum à Communione est actus spectans ad potestatem Clavium, quæ ad hoc data est, ut qui eam habet, dignos admittat, & indignos à Communione repellat, ita tenent D. Thom. hic d. 9. q. 1. art. 5. Alensis 4. p. q. 49. n. 1. Durandus, Ledesma, Angelus, Major, Victoria, Suar. suprà Sect. 3. Vasq. cap. 1. & alii, & hæc tenenda est propter rationem dictam & Authores graviores.

VIII. Quis sit censendus publicus & notorius peccator.

Quæres Primò: Quis censendus sit publicus & notorius peccator? Respondeo cum Vasq. suprà & aliis, multis modis peccatum dicatur publicum vel notorium in jure, in proposito tamen quantùm ad effectum negandæ Communionis, ut aliquis dicatur publicus vel notorius peccator, non sat esse, quòd crimen ejus sit notum in vicinia, sed requiri, quòd sit notum aliquo ex tribus modis, nempè vel per sententiam Judicis, vel per propriam Confessionem in judicio factam, vel per tantam evidentiam rei, ut nullâ tergiversatione celari possit, ubi communicat.

IX. An liceat præbere Communionem in purgationem delicti.

Quæres Secundò: An liceat præbere Communionem in purgationem delicti? Respondeo cum communi hoc dupliciter contingere posse. Primò, ut per hujusmodi Communionem DEUS faciat miraculum, & sic est illicitum secundùm D. Thomam & communem. Secundò, si imponatur talis Comunio per modum juramenti, & talis fuit olim in Ecclesia licita, modò tamen juxta D. Thomam est prohibita. Suar. tamen putat esse licitum, si voluntariè à reo & in casu gravissimo assumatur. Vasq. & probabiliter, vult planè esse illicitum propter contrariam consuetudinem.

QUÆSTIO QUINTA.

An communicans teneatur esse jejunus?

I. Jejunium aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum.

Nota, quòd jejunium aliud est naturale, in quo prorsus nil per modum Cibi, potûs, vel medicinæ sumitur à medio noctis. Aliud Ecclesiasticum, in quo non sumitur Cibus in notabili quantitate extra unam refectionem, undè ei non obest, quidquid per modum Medicinæ, vel si parum per modum Cibi sumatur. Sic utrumque tollit jejunium naturale.

II. Communicans ex præcepto Ecclesiæ tenetur esse jejunus.

Dico Primò: *Quilibet communicans tenetur ex præcepto Ecclesiæ esse jejunus, etiam jejunio naturali.* Prima Pars est communis Catholicorum, & probatur ex Concil. Carthag. 3. Can. 20. ubi præcipitur, quòd hoc Sacramentum non nisi à jejunis cele-

bretur, excepto die anniversario Cœnæ Domini, hâc enim solâ die in Ecclesia Africana ad tempus licebat non jejunis & etiam vesperi sumere Eucharistiam, imò celebrare, sed ex dispensatione, ùt constat ex sexta Synodo, Can. 29. item ex Concil. Africano sub Bonifac. 1. Can. 8. Conc. Matisconensi 2. Can. 6. Bracar. 1. Can. 6. Constan. Seff. 13. ubi damnantur hæreses secus docentes, & multis aliis.

III. Jejunio naturali. Secunda Pars de jejunio naturali est contra Godfredum & Joann. Parisiensem; ex Scholasticis eam tenet D. Thom. 3. p. q. 50. art. 8. Sco. 4. d. 8. q. 3. Richard. Durandus, Gabriel & communis, & patet Primò ex Concil. Toletano 7. Can. 2. ubi definit, nè ullus aliud, quod ægritudinis causa conceditur, in perniciem suam facere præsumat, v. g. ut post cibum potúmque quantumvis minimum sumptum Missam celebret. ergò Concil. requirit jejunium naturale, ùt patet ex ly minimum.

IV. Quid hoc jejunium violet. Secundò ex cap. *ex parte* de celebratione, & praxi Ecclesiæ; huic verò jejunio naturali obstat, quidquid per modum Cibi vel potûs sumitur, & sic sumens tenetur sub peccato abstinere, secus si guttula, dum os lavatur, exiliat in guttur, vel aliquis liquor, vel cibus sumeretur in os, & mox ejiceretur, vel saliva, vel humor ex capite defluens, vel reliquiæ cibi hærentes inter dentes, licèt magis expediret expui, si commodè fieri possit, si tamen notabilis quantitas aquæ vel alterius casu deglutiatur, abstinendum esset, sicut & si ante medium noctis aliquis apponeret saccharum ori, & post medium deglutiret, tunc enim deberet abstinere, juxta Suar. & communem.

V. Præceptum de jejunio ante Communionem est antiquissimum. Dico Secundò: *Præceptum de jejunio ante Communionem est laudabile & antiquissimum in Ecclesia.* Ita communis contra Luther. & alios hæreticos. Probatur Primò ex prædictis Conciliis. Secundò ex Tertulliano l. 2. ad Uxor. cap. 5. ubi loquens de Eucharistia ait: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum sumes.* Cyprian. lib. 2. Epis. 63. Epiphan. lib. 3. contra hæreses. cap. ult. ubi narrat Consuetudinem introductam ab Apostolis fuisse, jejunandum esse usque ad horam nonam, fer. 4. & pro Sabbatho, id est, feria 6. quibus diebus sumebatur Eucharistia, die verò Dominicâ Communionem fieri summo mane, ne cogerentur Fideles diutius jejunare, Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Corinth. 11. *Tu autem priusquam accipias*, nempè Eucharistiam, *jejunes, & aliquomodo dignus communicare videaris.* D. August. Epist. 118. ubi probans, licèt Apostoli non communicârint jejuni in Cœna, Consuetudinem tamen hanc esse ab ipsorum tempore, subdit, *ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi, nam ideò per universum orbem mos iste servatur.*

Arguitur: Christus dedit Communionem post Cœnam, ergò & nos sic possumus; & Apostolus 1. Corinth. 11. ait: *Si quis esurit, domi manducet.* ergò vult, quòd manducemus ante Communionem. Respond. neg: Consequ: Quia *Salvator*, juxta S. August. Ep. 11. *quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat.* Apostolus autem ibi increpat ipsos, vel quòd jejuni, sed ebrii manducent, ùt vult D. August. loco citato, vel saltem ut non inebrient se in Ecclesia statim post Communionem, sed postea comedant domi. VI. Objectioni responde*tur*.

VII. In articulo mortis potest quis communicare non jejunus. Quæres Primò: An in aliquibus casibus liceat non jejuno communicare? Respondeo, quòd sic: Primò, ægrotis solùm in morali articulo mortis, puta, quando probabiliter non sunt 24. horis postea vel circiter superviĉturi, & hoc toties, quoties sunt in tali articulo, etiam in eadem infirmitate, licèt tamen Sacerdoti non jejuno celebrare, Primò, in casu mortis violentæ, si Communio non potest anticipari, vel differri, ùt docet Suar. Disp. 66. Sect. 5. Reginald.

naldo. Bonacinna, & alii communiter.

VIII. Ac etiam Sacerdos casu quo loco Sanguinis sumpsit aquâ.

Secundò, casu, quo loco Sanguinis Sacerdos sumpserit aquam, tunc enim tenetur denuò consecrare & sumere Sanguinem, quòd commodè fieri potest, si loco ablutionis sumat Vinum, & super ipsum proferat formam incipiendo ab illis verbis: *Simili modo. &c.*

IX. Item si post Consecrationem recordetur, se non esse jejunum.

Tertiò: Si in altari saltem post Consecrationem recordetur, se non esse jejunum, si verò ante Consecrationem, D. Thomas & alii tunc putant, esse tutius recedere, si sine scandalo fieri potest. Suar. tamen, & alii, putant, hoc non esse necessarium, quòd certè censetur probabilissimum, quia præceptum Ecclesiæ non censetur obligare, quando majestas & reverentia Sacrificii inchoati postulat, idem esse continuandum.

X. Aut si Sacrificium post Consecrationem perficiendum sit ab alio.

Quartò: Si celebrans moreretur vel cadat in deliquium animi post Consecrationem Corporis, & ante Consecrationem Sanguinis, vel hujus vel illius sumptionem, tunc alius etiam non jejunus tenetur Sacrificium perficere incipiendo, ubi alter desiit, secus si id contingat ante Consecrationem Corporis, quia eo usq; essentialia non sunt inchoata.

XI. Sacerdos potest reliquias sumere non jejunus antequam ex Altari discedat.

Quintò: Si in patena, corporali, vel Calice maneant reliquiæ ex Sacramento, potest enim tunc, antequam ex altari discedat, easdem sumere, secus si recesserit ex altari, nisi in casu, quo aliàs servari non possunt, si verò reliquiæ illæ sint in Ciborio, & in illo Sacrificio non sint consecratæ, debent sumi post sumptionem Sanguinis immediatè, aliàs non, quia non censetur pars istius Sacramenti.

Sextò: Si timeatur incursus hostium, vel aliorum, qui gravem injuriam Sacramento sunt illaturi, tunc enim potest sumi à non jejuno, etiam laico, ùt docet Vasqu. suprà, & alii.

XII. An post pollutionem liceat communicare.

Quæres Secundò: An peccet qui post pollutionem accedit ad Communionem. Respon. cum Suar. Bonacin. Henriq. & aliis negativè, si ipse non peccaverit mortaliter in ipsa pollutione, vel si sic, si peccatum illud ante Communionem est confessus, verùm juxta Suar. Reinald. Bonav. & alios, requiritur, quòd talis habeat aliquam justam causam celebrandi, vel communicandi, si polluta provenerit ex propria culpa.

XIII. An Sacerdos comunicans teneatur esse indutus stolâ.

Quæres Tertiò: An Sacerdos communicans teneatur esse indutus stolâ. Respond. quòd Concil. Bracarense sub pœna Excommunicationis præceperit, quòd sic, sed quia hoc non censetur usu receptum, probabilius est, quòd non teneatur ad hoc sub pœna peccati mortalis, ùt docet Suar. suprà disp. 6. 8. sect. 1. Reinal. Azorius, Conig, & alii.

DISPUTATIO DECIMA.

De Effectibus Eucharistiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

An hoc Sacramentum per se conferat gratiam, & deleat peccatum?

I. Error Hæreticorum.

HOc Sacramentum suâ Institutione delere pecata mortalia, & per Consequens conferre gratiam primam, docent Lutherus lib. 1. de Capt. cap. de Eucharistia. Calv. lib. 4. cap. 13. Kemnit. & alii, juxta tamen communem Catholicorum

II. Sacramentum Eucharistiæ per se non confert primã gratiam, nec remittit mortalia.

Dico Primò: *Hoc Sacramentum per se non confert primam gratiam, nec per consequens remittit per se peccata mortalia.* Probatur Primò ex Trident. Sess. 13. Cap. 2. ubi dicit sic: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit, qui manducat*

cat me, & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, (id est, venialibus) *& à peccatis mortalibus præservemur.* ergò Concilium censet, quòd per se non conferat gratiam vel deleat peccatum. Probatur Consequentia Primò, quia Concilium dicit, quòd hoc Sacramentum præservet à mortalibus, non quòd liberemur. Secundò, quia dicit, quòd liberemur per hoc à quotidianis seu venialibus, non verò quòd à mortalibus. Tertiò, quia dicit esse Cibum, quo spiritualiter alitur vivens vitâ Christi seu spirituali, quod facit gratia secunda, non verò dicit, per ipsum nos Primò vivificari, quod facit gratia prima, remittens mortalia.

III. Idem ulterius ostenditur.

Probatur Secundò: Quia PP. & Concilia præcipiunt, neminem admitti ad Eucharistiam, nisi à peccatis emundatum, sed hoc frustrà præciperetur, si hoc Sacramentum per se remitteret mortalia, & conferret gratiam primam, ùt per se notum est, ergo. Major Primò probatur ex Concil. Arelaten. 1. & 5. ubi publici peccatores à Communione expelli præcipiuntur, & Trid. suprà Sess. 13. cap. 7. ubi dicit, non sufficere Contritionem, sed Confessionem debere præmitti, quando accedens est conscius peccati mortalis. Secundò, ex Clemente Romano lib. 7. cap. 2. in fine, ibi: Si quis Sanctus est, accedat, si quis non est, curet, quòd fiat per pœnitentiam ly pri: suprà Epis. 10. ubi reprehendit eos, qui ad Eucharistiam admittebant peccatores nondum absolutos. Ambros. lib. 6. in Lucam. Cap. 37. ibi: In hoc mysterio hic ordo servetur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimoniam mensa cœlestis exuperet. Idem docet Basil. lib. 2. de Baptism. Cap. 2. Chrysostomus hom. 30. in Gene. & 83. in Matth. D. August. tract. 26. in Joannem. Leo Cyrillus & alii PP. Bellarmin. lib. 4. cap. 17. Suar. & Vasqu. suprà disp. 205. cap. 1.

IV. Etiam ex fundamento Hæreticorum.

Tertiò, hoc Sacramentum non operatur suum effectum in eo, qui non habet fidem præviam, sed sola fide juxta illos delentur peccata mortalia, ergò hoc Sacramento non delentur.

V. Qui sint effectus per se Sacramenti Eucharistiæ.

Dico Secundò: *Effectus per se hujus Sacramenti est augmentum gratiæ per modum nutrimenti, & insuper remissio venalium peccatorum cum præservatione à mortalibus.* Hæc quoad omnes partes est de Fide ex Trident. loco citato, ubi dicitur Cibus vitæ spiritualis, & per Consequens augmentum seu nutrimētum gratiæ, quòd remittat etiam venalia, & præservet à mortalibus, nempè per quoddam speciale gratiæ auxilium, quod semper datur in hujus Sacramenti perceptione, ùt communior opinio tenet.

VI. Quo sensu Patres remissionem peccatorũ tribuant Eucharistiæ.

Arguitur Primò: PP. sæpè adscribunt huic Sacramento remissionem peccatorum, seu quòd sanet morbos, tollat mortem, lavet animam &c. ergò per se remittit peccata. Antecedens patet ex Chrysost. Hom. 45. in Joann: Hoc nostrarum animarum salus est, hoc sanatur anima, hoc ornatur. Ex Ambros. de Benedicti: Patriar: cap. 9. Panis hic remissio peccatorum est, &c. Respondet Suar: Disp. 63. Sect. 2. PP. loqui de remissione venalium quoad culpam, vel mortalium, quoad reatum temporalis pœnæ, vel quoad præservationem à futuris mortalibus, &c.

VII. Eucharistia per accidens remittit mortalia.

Potest tamen aliter dici, hoc Sacramētum remittere per accidens, etiam peccata mortalia, quando suscipitur ab attrito non habente copiam Confessarii, & putans se esse contritum, ùt infrà dicetur.

VIII. Sanguis in Cruce effusus est causa meritoria remissionis peccatorum.

Arguitur Secundò: In forma Sanguinis habetur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sed ibi est sermo de effusione Sanguinis in hoc Sacramento, quando bibitur, ergò Sanguis, quando bibitur, remittit peccata. Respondet Bellarm. Negando minor: nam sermo est de Sanguine effuso in Cruce, qui est causa meritoria, propter quam nos accipimus omnem gratiam Sacramentalem cum remissione peccatorum.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

An hoc Sacramentum saltem per accidens conferat primam gratiam?

I. Eucharistia non remittit mortale accedenti sine contritione vel attritione, licèt bonâ fide accedens invincibiliter ignorãs peccatum, denuò non peccet.

DIco Primò: *Hoc Sacramentum non remittit peccatum mortale, nec confert gratiam primam existenti in peccato mortali, licet qui sinè Contritione vel attritione, bona tamen fide accedit invincibiliter ignorans peccatum suum, denuò non peccat.* Hæc est communis & certa, & patet ex dictis supra de Sacramentis in genere & Baptismo, nam si Baptismus non remittit peccatum, nec confert gratiam adulto, nisi sit dispositus saltem per supernaturalem attributionem, ergò nec Eucharistia, cùm non sit per se instituta ad delenda peccata, sicut Baptismus est, dixi tamen (talem denuò non peccare) quia ignorantia invincibilis ipsum excusat, ex quo patet, quòd aliquis possit communicare sine culpa, non consequendo tamen gratiam.

II. Probabiliter Eucharistia confert primã gratiam accedenti cum attritione putatâ contritione.

Dico Secundò: *Probabile est, quòd Sacramentum hoc conferat gratiam primam & remissionem peccatorum ei, qui cum attritione supernaturali accedit, putans, eam esse veram Contritionem, quando habet necessitatem communicandi, & deest ipsi Confessarius.* Est contra Gabrielem, Majorem, Palud. & alios, quos refert & sequitur Vasqu. suprà cap. 4. eam tamen tenet noster Doctissimus Vega. lib. 9. supra Trident. cap. 34. Richardus hìc dist. 9. art. 2. q. 1. Sotus disp. 11. q. 1. art. 4. Ledesma, Sanchez, & est multò conformior Doct. Subt. 4. d. 9. qu. 1. & PP. mox citandis imò Alensi, D. Thom. & multis aliis, quos falsò per se citat Vasquez.

III. Authoritas Justini ad idem.

Probatur Primò ex Justino in Responsione ad 44. Dialog. cum Triphone, ibi: *Visione quidem ea, quæ* Isaiæ 66. ostensa, *visio est, Christi mysterium enunciabatur, qui in solio gloriæ suæ sedet, esuque carnis Sanctæ suæ peccata scelestorum, impiorumque hominum expiat*, & paulò pòst, *quæ sancta nempe Caro Domini Conscientiam eorum, qui eam edunt, ab omni scelere expiat*, ergò si esu Carnis Christi peccata & omnia scelera impiorum expiantur, & non sine attritione, ùt patet ex Conclusione prima, sequitur, quòd in habente attritionem: omitto frivolam responsionem Vasqu. ad hoc sic, quòd per esum Carnis Domini intelligatur hic esus, qui fit per fidem tantùm, nam sic posset quis respondere ad omnia loca Sacræ Scripturæ & PP. quæ habentur de manducatione Eucharistiæ, cùm nullus possit inveniri evidentior.

Probatur Secundò ex Cyrillo lib. 4. in Joannem, cap. 17. ubi de Sacramento hoc ait: Quòd non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellat. Tertiò, ex D. Damasceno lib. 4. de fide cap. 14. *Corpus & Sanguis Christi est ad animi & corporis nostri incolumitatem tendens, &c. verùm ad necessariam Conservationem & substantiam tendit, atque omnne incommodum propulsat, eamq; vim habet, ut spurcitiem omnem abstergat.* Probatur etiam ulterius ex Chrysost. & Ambros. q. 2. cit. qui dicunt, quòd hoc Sacramento lavetur anima, & fiat remissio peccatorum. IV. Item Cyrilli & aliorum Patrum.

Arguitur: Attritio etiam supernaturalis non est dispositio sufficiens ad effectum hujus Sacramenti, quando quis non putat esse Contritionem, vel se esse sufficienter dispositum, ergò nec est sufficiens, quando sic putat. Anteced: patet, quia aliàs hoc Sacramentum per se conferret primam gratiam, sicut Baptismus: Consequentia patet: Quia nostrum putatum non potest de non sufficiente facere sufficientem. Respond. distin: Consequens, ergò nec est sufficiens, per se considerata transeat, non est sufficiens cum illo adjuncto, nempè cum putare, vel judicio attriti, quòd sit contritio, vel quòd sit ipse sufficienter dispositus, nego: Ad probationem distinguo, nostrum putare per se, unde consideratum concedo, ex ordinatione Divina assumptum cum illa attritione pro integra & sufficiente dispositione. nego. nam DEUS voluit, quòd illa duo, nempè attri-

V. Quo sensu attritio putata contritio sufficienter disponat ad primam gratiam.

attritio, & confidentia attriti de statu gratiæ & sufficienti dispositione integrent unam sufficientem dispositionem pro Eucharistia in certo casu, nempè quando non adest copia Confessarii, ùt nobis constat ex tot authoritatibus evidentibus PP. quæ nullo alio sufficienti modo possunt explicari.

QUÆSTIO TERTIA.

Quando Sacramentum conferat suum effectum?

I. Sensus Quæstionis aperitur.

DUO sunt circa hanc Quæstionem in Controversia. Primum, quo tempore seu instanti incipiat Sacramentum operari? Secundum, an toto tempore, quo Communio durat, operetur?

II. Eucharistia non confert gratiã ex opere operato, nisi in actuali manducatione.

Dico Primò: *Hoc Sacramentum non confert gratiam ex opere operato, nisi in actuali manducatione, quo autem manducationis instanti, incertum est.* Prima Pars est communis contra Majorem, & probatur, quia Christus promisit gratiam se in Eucharistia manducantibus, ergò hæc gratia vi Sacramenti confertur, quando fit manducatio. Probatur Consequentia Primò: Quia aliàs non esset verum in rigore, quod manducantibus daretur, sed eis, qui manducârunt, vel manducabunt: Tum, Quia nulla est ratio, quare potius antè, vel post daretur.

III. Quo autem instanti manducationis incertum est.

Secunda Pars patet: Quia alii dicunt, quando sumitur Sacramentum in ore. Alii, quòd in illo instanti, quo deglutitur & transit illum terminum seu partem gutturis, quâ transitâ Cibus dicitur manducari. Alii, quòd in eo, in quo venit ad stomachum. Alii, quòd in eo, quo in stomacho incipit converti. Unde, cùm nulla sit apud homines certitudo, & res sit soli DEO nota, patet, quòd sit incertum, in quo instanti operetur, certum tamen hic cum communiori videtur, non requiri, quòd tota manducatio sit completa, aliàs citiùs moriens non acciperet gratiam Sacramentalem.

IV. Eucharistia probabiliùs confert ex opere operato gratiã in aliquo determinato instanti.

Dico Secundò: *Probabilius est, effectum hujus Sacramenti ex opere operato quoad gratiam habitualem non conferri successivè, & continuo toto tempore, quo Christus sub speciebus manet, sed in aliquo determinato instanti.* Ita Suar. suprà Sect. 4. & communis contra Majorem. Primò, quia omnia alia Sacramenta operantur suum effectum seu gratiam in quodam certo & determinato instanti. ergò & hoc

Secundò, Quia hoc Sacramentum in aliquo determinato instanti causat suum primarium effectum, nempè præsentiam Corporis Christi, ergò & secundarium, qui est gratia.

V. Aliæ rationes ad idē.

Tertiò, & à priori: Quia Sacramentum quomodocunque confert gratiam homini benè disposito per modum naturæ, seu agentis naturalis, sed natura in instanti producit suum effectum in passo benè disposito, si nullum sit impedimentum, ùt patet de producente formas substantiales, qualitates connaturales, & alia, quæ non habent resistentiam contrarii vel alterius impedimenti, ergò & Sacramentum, cùm nullum sit impedimentum.

Quartò, Quia si successivè & toto tempore, quo Christus manet sub speciebus, sequeretur, quòd sumens Christum sub speciebus majoris quantitatis majorem acciperet gratiam, quia tales difficiliùs corrumpuntur. ergò.

VI. An & qualem unionem habeat Christus cum corpore communicantis.

Quæres: An Christus habeat aliquam unionem cum Corpore Communicantis? Respondeo, quòd sic propter multa PP. loca, sed præter realem contactum non est ibi aliqua alia unio physica, sed tantùm moralis, quia quidquid dicat Vasqu. non decuit, nec verisimile est esse aliquam unionem formalem inter nostrum sordidum & abjectum corpus, & Corpus Christi, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum

AMEN.

DISPU-

DISPUTATIO UNDECIMA.

DE

SACRIFICIO MISSÆ.

PROOEMIUM.

DE

VOCE MISSÆ.

DE Origine vocis Missa non parùm inter Authores controvertitur. Alciatus, Covar. Canus, & alii Hæbraicon esse volunt, & significare oblationem, nam quod hebraicus textus Dev. 16. Misha vocat, latinus vertit oblationem, verùm Bellarmino, Vasqu. & aliis hæc opinio non placet: Tum, Quia Græci non utuntur hâc voce, sed voce lyturgia: Tum, Quia multi PP. hebraicæ linguæ peritissimi, ùt Justinus, Origenes, Hieronym. & alii, imò Syrii & Merovitæ, qui caldaicè celebrant, eâ non utuntur. Verùm vel non videtur multùm obstare, potest enim esse non hebraica, licèt apud prædictos tunc non erat in usu, ad hoc mysterium significandum, sicut nunc SS. & alii utuntur multis vocibus Græcis & Latinis, quæ apud multos Latinos antiquos non reperiuntur in eâdem significatione. Aldrinus, Bellarminus, Suar. Vasqu. & alii Latini putant esse dictum â mittendo seu dimittendo populo, sicut latinè dicimus Senatum mittere pro dimittere. Unde Missa Primò & Ethimologicè idem est, quod dimissa vel dimissio, sicut apud Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap 10. & Cyprianus Epi. 10. dicitur remissa peccatorum pro remissione, ùt notant Javellus, Senanus & alii. Duplex autem in Sacrificio solebat esse dimissio. Prima in fine Canonis, dum Diaconus dicit, ite missa est. Alia missio seu dimissio est post offertorium ante Canonem inchoatum, ubi sub simili forma Catechumeni dimittebantur, & hinc certa est distinctio Missæ in Catechumenorum & Fidelium Missa. Secundò, Missa significat eam partem sacri, quæ prædictam dimissionem præcedit, puta aliquando eam, quæ præcedit Canonem,

aliquando & sæpè ipsum Canonem, maximè qua continet veram rationem Sacrificii. Tertiò, significat totum Sacrum, prout utramque prædictam partem amplectitur, ùt patet apud Ambros. Epist. 33. ibi: *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione* &c. Ex quibus patet, quòd frustrà nobis objiciant hæretici, quòd Missa non habeatur in Sacra Scriptura, nec uspiam â Christo instituta, quia non contendimus de voce Missa, sed de re per eam significata, quocunque vocetur nomine, nec etiam de ipsa secundùm se totam, seu an omnia, quæ continentur in Sacro, sint immediatè â Christo instituta, cùm admittamus esse ibi aliquas orationes, preces, & cæremonias ab Apostolis & Ecclesia institutas, sed solùm volumus ratione Sacrificii, seu oblationem corporis & sanguinis Christi, quæ in Missa continentur, esse â Christo instituta, & Ecclesiæ tanquam Dominicæ Passionis memoriale & antidotum salutare relictam. Sed accipe prius Canones Concilii Tridentini de hac materia.

Canon I.

SI quis dixerit, in Missa non offerre DEO verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam Commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.

Canon

Canon IV.

SI quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud DEUM obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.

Canon VI.

SI quis dixerit, Canonem Missæ continere errores, ideóque abrogandum esse: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm Officia pietatis: anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoq; abrogandas: anathema sit.

Canon IX.

SI quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse: aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem: anathema sit.

QUÆSTIO PRIMA.

In quo consistat ratio Sacrificii ut sic?

1. *Variæ opiniones recensentur.* PRima opinio est, quòd ómnis Cæremonia, vel Opus, quod nos reddimus DEO, dum Eum colimus, sit propriè dictum Sacrificium, ita Melanton.

Secunda, quidquid ómninò DEO offertur, esse verum Sacrificium, ita Calvinus lib. 4. instit. cap. 18. reprehendens primam opinionem, à quâ tamen ejus opinio non censetur multùm differre.

Tertia communis Catholicorum, ut ly Sacrificium latè & metaphoricè sumptum extendatur ad opera bona maximè propitiatoria seu placantia DEUM, Sacrificium nullo modo

comprehendere cogitationes bonas internas, nec quamcunquè externam, sed esse specialem quandam cultûs Divini Cæremoniam, & signum quoddam sensibile, ab aliis signis & operibus bonis sæpè distinctum modo infrà dicendo.

II. Non omne opus bonū in honorē Dei præstitum, est Sacrificium propriè.

Dico Primò: *Non omne opus bonum, in honorem DEI propositum, habet rationem Sacrificii propriè dicti.* Probatur Primò, Misericordia est opus bonum in honorem DEI præstitum, sed non est Sacrificium; ùt putat ex illo Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* ergo. Secundò obedientia non est propriè dictum Sacrificium, ùt patet 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victima.* Tertiò, ad Sacrificium requiritur hostia, seu res aliqua, quæ offertur ab actione offerendi distincta, ergò non sufficit sola actio bona. Antecedens patet Genes. 22. ibi: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Quartò, in Lege nova tantùm est unicum Sacrificium, ergò non omne opus bonum &c. Antecedens patet ex August. lib. de Civit. cap. ult. *Ea non esse Sacrificia Martyrum, novit, qui novit unum, quod offertur Sacrificium Christianorum Christus*, & in Psalm. 95. *Magnus erat, & sine modo numerus Sacrificiorum in Lege, quæ omnia nova superveniens gratia, uno amplectitur Sacrificio unam & veram statuens hostiam.*

III. Sacrificium describitur.

Dico Secundò: *Sacrificium rectè definitur, quòd sit signum sensibile ex instituto, significans subjectionem hominis ad DEUM, quod consistit in aliqua externa actione, qua res aliqua sensibilis & permanens DEO tanquam Domino Omnipotenti seu Authori vitæ & mortis, solemni ritu offertur, & quodammodo transmutatur.* Ita in re Bellarmin. cap. 2. Vasqu. Disp. 228. cap. 3. Suar. & alii RR. & probatur: Hæc definitio constat genere & differentiâ propriâ & adæquatâ definiti. ergo. Anteced. patet, quia genus est signum sensibile ex instituto, ùt habet D. Thomas 22. qu. 8. art. 3. & colligitur ex D. August. lib. 10. de Civit. cap. 5. ubi ait: *Sacrificium visibile esse invisibilis Sacrificii Sacramentum*, ubi per Sacramentum intelligit signum sacrum divinitus institutum, & per Consequens sensibile, & per Sacrificium insensibile actum internum Religionis, quo DEUS cognoscitur ùt supremus Dominus.

Differentia autem adæquata & propria importatur per reliquas particulas, per quas specificatur specialis ordo rationis formalis illius signi, seu ordo significationis ejus ad extrema sua, nam per ly *subjectionem hominis ad DEUM*, importatur signatum seu terminus illius significationis, nempè actus internus Religionis, quo DEUM ùt supremum Dominum colimus, per quod excluditur Sacramentum, quod gratiam pro termino habet, & quod habet signum cultûs hominis vel idoli. Per ly *quod consistit*, scilicet quoad suum materiale *in externa actione* importatur fundamentum dictæ significationis, quod debet esse actio seu actus externus sensibilis, per quod excluditur quicunque actus internus Religionis, qui licèt in sua entitate sit nobilior, & ab August. metaphoricè vocetur Sacrificium invisibile, non est tamen propriè & absolutè Sacrificium, sed solùm impropriè & metaphoricè.

IV. Sacrificium significat subjectionē hominis ad Deum.

V. Consistit in actione externa.

Per ly *rei sensibilis & permanentis* significatur materia, circa quam illa actio versatur, quæ debet esse sensibilis & permanens per singula Sacrificia veteris Legis, & per hoc excluduntur genuflexiones ad orationes, Psalmodiæ & similes Orationes transeuntes; virtutes enim versantes circa permanentem materiam.

VI. In Sacrificio offertur res sensibilis & permanens.

Additur: *DEO tanquam Domino mortis*, ùt denotetur ratio specialis, sub qua Sacrificium referatur in DEUM, nempe in Dominum ita Omnipotentem, ut sit Author Conservationis & Destructionis rerum, nam summa subjectio, quæ per Sacrificium significatur, postulat, ut cognoscamus, DEUM posse nos pro nutu voluntatis destruere & conservare, & hinc sicut res permanens, quam

VII. Deo ut Domino vitæ & mortis.

quam ipsi, quasi loco nostri offerimus, denotat nostram vitam esse in manu DEI, ita destructio ejusdem indicat, nostram mortem esse in manu Ejus. Et per hanc excluditur accensio cereorum, in Ecclesia, combustio Thuris, & similes Cæremoniæ, quæ nunc sunt in Ecclesia, quia per hæc non offertur DEO phase, ut Authori vitæ & mortis, sed adhibentur in signum reverentiæ vel mysteriorum, quæ in officio vel Sacrificio continentur.

VIII. In Sacrificio res, quæ offertur, aliquo modo immutatur. Additur etiam in Definitione, *quòd illa res quodammodo immutetur:* Tum, Quia protestatio summæ nostræ subjectionis, & summæ potentiæ DEI per Sacrificium singula hæc postulat, ut jam dictum est: Tum, Quia quodlibet veteris Legis Sacrificium fuit figura quædam Passionis Christi, quæ est Sacrificium omnium maximum, & in quolibet tanquam signum mortis Christi fiebat destructio seu immutatio rei oblatæ, ut animalium per occisionem, similæ, thuris, salis per combustionem: vini, sanguinis, aquæ per effusionem, & per hæc excluduntur simplices oblationes cereorum, & aliarum rerum permanentium, ut auri, gemmarum, catenarum &c.

Arguitur Primò: Multa opera bona etiam interna vocantur Sacrificia. ergò. Antecedens patet ex illo Psalm. 50. *Sacrificium DEO spiritus contribulatus.* & 31. *Sacrificium laudis honorificabit me.* & ad Rom. 6. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam &c.* & ad Hebræ. *talibus enim hostiis promeretur DEUS*, pro Responsione: Nota, Sacrificium sumi maximè tripliciter, Primò, & propriè prout jam definitum est. Secundò, pro re ipsa, quæ offertur, & sic capitur ad Hebr. 5. dum dicitur, quòd offerat dona & Sacrificia pro peccatis. Tertiò, impropriè & metaphoricè pro quocunque opere habente aliquam similitudinem cum vero Sacrificio seu placante DEUM, & sic capitur in locis in argumento citatis. Si enim per spiritum contribulatum ibi intelligeretur Sacrificium propriè dictum, Sacra Scriptura contradiceret sibi ibi, ut paulò antè dixerat, Sacrificium propriè dictum non placere DEO, dicens: *Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis*, adde, quòd sicut similia opera vocantur Sacrificia in Sacra Scriptura, ita in Sacra Scriptura communiter vocatur altare, non tamen propriè dictum.

IX. Sacrificii triplex acceptio.

X. Quo sensu S. Augustinus omne opus Sanctum dicat Sacrificiū. Arguitur Secundò Illud Augustin. lib. 10. Civit. cap. 6. *Proinde verum Sacrificium est omne opus sanctum, quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus DEO, relatum scilicet ad illum finem bonum, quo veraciter beati esse possimus.* Respond. S. August. ibi non loqui de Sacrificio visibili vel externo, sed de invisibili seu interno, quia paulò antè cap. 1. divisit Sacrificium in utrumque: internum, licèt in re sit impropriè dictum Sacrificium, vocatur ab August. verum Sacrificium non veritate essentiæ, sed ratione effectûs, quia placat DEUM, & sic obtinet effectum Sacrificii propriè dicti, in simili sensu Christus Joann. 15. vocat se vitem veram, quia præbet fidelibus perfectiorem effectum, quàm vitis naturalis.

XI. In Sacrificio Melchisedech res oblata fuit mutata. Arguitur Tertiò Contra secundam. In Sacrificio Melchisedech res oblata non fuit mutata, nempè panis & vinum. Respondet Bellarmin. fuisse aliquomodo mutatum, licèt modus ille in Sacra Scriptura non exprimatur. Respondet Vasqu. panem fuisse mutatum per coctionem in clybano, quia panes propositionis, qui in Sacrificio offerebantur, sic leguntur mutati, Lev. 2. cap. cùm obtuleris Sacrificium coctum in clybano de simila panes quinque absq; fermento, vinum autem fuisse mutatum per aspersionem ejus super panem sic decoctum, quia sic alia vina in Sacrificium oblata leguntur offerri pro libamine.

XII. Definitio Sacrificii non convenit combustioni thuris. Arguitur Quartò: Thuris combustioni convenit data Definitio. ergo. Respond. Nego anteced. quia licet thus sit res permanens, significet hominis subjectionem ad DEUM, & sui

& sui combustione in cultum DEI destruatur, non offerri tamen DEO tanquam Domino vitæ & mortis, sed adhibetur ad Divini officii vel Sacramenti majestatem commendandam, & ad excitandas mentes Fidelium in contemplationem eorum, quæ in hoc Sacrificio vel officio continentur, ùt expresſè docet Trident. Seſſ. 22. cap. 5.

Arguitur Quintò: Ad rationem Sacrificii ſpectat, quòd fiat ſolemni ritu, vel à legitimo miniſtro inſtituto. ergo. Probat: anteced: Quia res, quæ DEO offertur, ex profanâ debet fieri ſacra, quia ſacrificare eſt Sacrum facere, non poteſt autem fieri Sacra, niſi ſolemni ritu, & per miniſtrum ad hoc ſpecialiter inſtitutum. ergo.

XIII. Ad Sacrificium ùt ſic eſſentialiter non requiritur miniſter ſpecialiter inſtitutus.

Reſpond. Nego anteced: & probationis min: licèt enim in Lege ſcripta & gratiæ requiratur miniſter ſpecialiter inſtitutus ad munus Sacrificii, & ſpecialis Cæremonia, hoc tamen non requiritur tanquam aliquid eſſentiale Sacrificii ùt ſic: ſed ex Præcepto Divino ita præcipientis, ante Legem verò latam jure naturæ, quo Sacrificium introductum eſt, poterat quiſque offerre DEO Sacrificium per ſeipſum, ſub quocunque ſigno ad placitum ad hoc idoneo, præſertim ſi homines non in Civitatibus vel ſocietatibus, ſed quiſque per ſe ſeorſim habitaret; Deindè, quia antequam Aronitici Sacerdotes eſſent inſtituti, Judæi indifferenter immolabant, ùt habetur Dev. 12. Qualiter fiat mutatio in re oblata in Sacrificio Miſſæ, vide infra.

XIV. Sacrificium non debet neceſſariò eſſe ſignum à Deo inſtitutum.

Petes: An Sacrificium debeat eſſe neceſſariò ſignum à DEO inſtitutum. Reſpondeo quòd non, quia licèt omnia Sacrificia Veteris & Novæ Legis ſint ita inſtituta, tamen ſecundùm ſolum Jus Naturæ poterat aliqua Reſpublica, vel Legis-Lator inſtituere aliquod ſignum, in quo tota ratio Sacrificii conſiſtat.



QUÆSTIO SECUNDA.

An in Miſſa verum ac propriè dictum Sacrficium offeratur?

I. Sacrificium aliud eſt Honorarium.

PRænoto, quòd Sacrificium propriè dictum tripliciter aſſignari ſoleat. Primum dicunt Honorarium, quo DEUS in ſe tanquam Omnipotens Dominus ſeu Animator vitæ & mortis colitur, quale maximè erat holocauſtum.

II. Aliud Propitiatorium.

Secundum, Propitiatorium, quod ulterius pro peccato offerebatur, & dicebatur hoſtia pro peccatis.

III. Aliud Pacificum, idq; vel Eucharisticum, vel Impetratorium.

Tertium dicitur Pacificum, eſtq; duplex, unum Euchariſticum, ſeu Regratiatorium, quod in gratiarum actionem offerebatur pro beneficiis acceptis, alterum Impetratorium pro beneficiis accipiendis oblatum. Undè Lutherus admiſſa priori parte Miſſæ rejicit Offertorium & Canonem, ubi de Oblatione Corporis Chriſti fit mentio, & in libro de Miſſa privata, edito anno 1528. fatetur, ſe à diabolo ſeductum, & perſuaſum eſſe non per ſomnum, ſed palàm, cùm vigilaret, quòd Miſſa ſit ſumma abominatio.

IV. In lege nova eſt Sacrificium propriè dictũ.

Dico Primò: *In Nova Lege eſt propriè dictum Sacrificium.* Eſt de Fide, ùt mox patebit, & Probatur Primò: In Lege Nova eſt propriè dictum Sacerdotium, & Sacerdotes. ergo. & propriè dictum Sacrificium. Conſequ: patet ex illo ad Hebræ. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, hic quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* & ibid. cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerenda munera & hoſtias conſtituitur*, undè & neceſſe eſt, hunc habere aliquid, quod offert. Anteced. probat: fusè in materia de Ordine, & eſt evidens ex illo Act. 14. *Cùm conſtituiſſet illis per cunctas Eccleſias Presbyteros.* & ibi cap. 20. *quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos.* & ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, alios Doctores.*

Proba-

V. Authoritas S. Augusti ni ad idem. Probatur Secundo: Omissis aliis ex August. l. 20. de Civit. cap. 2. ibid. *Sacrificamus* DEO *illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari novi testamenti manifestatione præcepit.* & l. 8. cap. ult. *qui novit unum, quod* DEO *offertur Sacrificium Christianorum.* Hanc probant rationes sequentes.

VI. In Missa offertur verum & propriè dictũ Sacrificium. Dico Secundo: *In Missa offertur verum & propriè dictum Sacrificium.* Est de fide ex pluribus Concil. maximè Laodiceno Can. 19. & 15. Ephesino. Can. 32. Trulano Sextæ Synodi. Toletano cap. 5. Bracar 3. Can. 1. & Trident. Sess. 15. cap. 1. d. 2. & Can. 1. & 2do. & probatur primò: Christus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech ex Psal. 109. Sed Melchisedech Rex salem, panem, & vinum obtulit, erat enim Sacerdos DEI altissimi, Gen. 14. ergò & Christus obtulit Panem & vinum. Quòd autem ipse fecit, hoc mandavit fieri ab Ecclesia in suam Commemorationem. Probatur Consequ: Primò, Quia ex his verbis Genes. habetur, quòd Christus erat Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech aliquo speciali modo, quo non fuerit secundùm ordinem Aaronis vel alterius, maximè cùm obtulerit Sacrificium cruentum in Cruce sicut Aaron animalia, & sic possit dici ordinis Aaron, nisi mysterium speciale esset, propter quod diceretur secundùm ordinem Melchisedech, sed non alio speciali modo, quàm quòd obtulerit panem & vinum. ergò.

Dices: Christum obtulisse Panem & vinum, sed solùm in nocte Cœnæ.

VII. Christus non solùm in nocte Cœnæ obtulit panẽ & vinum, sed & nunc offert. Contrà, & Probatur Secundò Consequentia, non solùm in nocte Cœnæ, sed in æternum, id est, quamdiu mundus erit, est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, ergò in æternum sacrificat sicut Melchisedech, deindè quod in nocte Cœnæ ipse fecit, præcepit Ecclesiæ semper facere in sui memoriam.

Probatur Tertiò: Quia ex eo, quòd sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, debet & in æternum secundùm hunc ordinem Sacrificium offerre, quia, ùt ait Paulus ad Hebræ. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, &c.* Sed non offert in æternum secundùm hunc ordinem aliud, quàm Panem & Vinum: Tum, Quia Sacrificium Crucis semel obtulit: Tum, Quia non erat illud secundùm ordinem Melchisedech, qui non legitur aliquid cruentum obtulisse.

Probatur Conclusio Secundò ex illo Malachiæ 1. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, &c. offertis super altare meum panem pollutum, &c. non est mihi voluntas in vobis, ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, &c.* Sed hic est sermo de oblatione seu Sacrificio, quod fit in Missa. ergo. VIII. In Missa offerri proprium Sacrificium evincitur ex Malachiæ 1. cap.

Dices: Ibi esse sermonem de Sacrificio impropriè dicto, nempè orationibus & aliis operibus bonis. Sed

Contra, & Probatur minor Primò Sacrificium Judæorum, quod ibi reprobatur, fuit Sacrificium propriè dictum, ut patet ex textu, ergò & aliud, quod approbatur, & isti præfertur, & est propriè dictum. Secundò dicitur ibi, & in omni loco sacrificari una oblatio non oblationes, ergò non est sermo de operibus bonis, quæ erant plura & diversa, in diversis locis, quæ etiam non dicuntur sacrificari. Tertiò oblatio illa dicitur munda, ergò per illam intelligitur oblatio, quæ fit in Missa, non verò opera alia. Probatur Consequentia: Quia non solùm Christus, sed hostia etiam, quæ in Missa offertur, est mundissima, opera autem etiam meliora fidelium juxta hæreticos sunt coinquinata, immunda, & peccata fœda. Quartò, Quia de Sacrificio Missæ omnes PP. intelligunt prædictum locum, ùt Justin: Martyr in Dialogo cum Triphone *de nostris, quæ in omni loco offeruntur Sacrificiis, hoc est, pane Evcharistiæ, &* IX. Qui textus nequit explicari de aliis bonis operibus.

poculo similiter Eucharistiæ jam tunc locutus Malachias prædixit quidem nos glorificare nomen ejus, vos autem profanare, idem prorsus docet Iræneus lib. 4. cap. 37. Cypri. lib. 1. contra Judæos cap. 16. Chrysost. in Psalm. 95. D. August. lib. 18. Civit. cap. 36. Hieronym. Damasus, & alii passim PP.

X. In Missa offerri proprium Sacrificium ostenditur ex Luc. 22. cap.

Probatur Conclusio Tertiò ex illis verbis: *Hoc facite in meam Commemorationem*, Luc. 22. Christus jussit Apostolos & Ecclesiam post se facere, quod tunc ipse fecit, sed ipse tunc obtulit Sacrificium incruentum Corporis sui & Sanguinis. Patet Primò ex textu, quia ibi dicitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, id est, offertur.

XI. Ly *datur* non rectè explicatur pro *dabitur*.

Dices: Per ly *datur* ibi intelligi *dabitur*, seu *tradetur*, ut sit sermo de futura oblatione in Cruce.

Contra: Censetur Paulus intelligere illud de oblatione incruenta, quæ fit in Missa, quia 1. ad Corinth. loc. cit. loquens de hac oblatione Christi, ait: quod pro vobis frangitur, Corpus autem Christi post ejus Passionem nullo modo frangitur pro nobis, nisi quatenus in Sacrificio Missæ franguntur species Panis ipsum continentis. Deindè Christum ibi obtulisse Sacrificium incruentum Corporis, docet Iræneus lib. 4. cap. 32. Cyprian. lib. 2. Epis. 3. Ambros. in Psalm. 38. Conclusione 3. Vide plura de hoc apud Bellarm. lib. 1. cap. 12.

XII. In Missa offerri proprium Sacrificium probatur ex Act. 13. cap.

Probatur Quartò ex illo Actor. 13. cap. *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus, &c.* Quia per ly *ministrantibus* ibi debet intelligi Sacrificantibus: Tum, Quia Apostoli jejunantes & manentes in fixo loco, non poterant commodiùs aliter ministrare: Tum, Quia revera textus originalis Græcus ibi habet Lyturgion, quod significat sacrificare. Unde Erasmus vertit ex ipso sacrificantibus pro ministrantibus, ergò Apostoli obtulerunt Sacrificia, sed non alia, quàm Missæ. ergò.

XIII. Et antiquis Lyturgiis.

Probatur Quintò, ex omnibus antiquis Lyturgiis Sancti Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysost. & aliorum, in quibus passim occurrit nomen Sacrificii, Victimæ, oblationis, quarum singulæ vix differunt à Canone nostro Missæ nisi in verbis quibusdam parum mutatis.

XIV. Item ex Patribus.

Probatur Sextò, ex unanimi consensu PP. omnium Sanctorum. Clemente Rom. lib. 6. constit. cap. 23. ibi: *pro Sacrificio cruento naturali incruentum ac mysticum Sacrificium instituit.* Justin. in Dialogo, ùt patet ex ejus verbis suprà relatis. Iræneo lib. 4. cap. 32. *Eum, qui est ex creatura, panem accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est Corpus meum, & Calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos suum Sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, offert DEO in universo mundo.* Euseb. Cæsarien. lib. demonstrationis Evangelii cap. ult. *Sacrificamus DEO plenum & odorem adferens, & sacro-sanctum sacrificium sacrificamus novo more, secundùm novum testamentum hostiam mundam.* Ambros. in cap. 1. Lucæ, *quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur &c.* Cyprián. lib. 2. Epis. 3. *Quis magis Sacerdos DEI summi, quàm Dominus noster JESUS Christus, qui Sacrificium DEO Patri obtulit, & hoc ipsum, quod obtulit Melchisedech, panem & vinum, hoc est, Corpus suum & Sanguinem.* D. August. in Psal. 33. Concl. 3. *Ipse de Corpore & Sanguine suo sacrificium instituit secundùm ordinem Melchisedech.* Quid modò ulteriùs? idem (ùt modò coguntur ipsi Adversarii fateri) docuerunt postea omnes sequentium sæculorum Patres, omnes Ecclesiæ Latinæ, Grææ, & Barbaræ, ita quòd Canon Missæ à tempore Gregorii Magni per 1000. ampliùs annos manet idem prorsus absque alio addito.

XV. Inconvenientia quæ sequerëtur, si in Missa non offerretur verū Sacrificiū.

Ex quibus infero ergò, in Missæ habetur verè & propriè dicti Sacrificii ratio, ùt nos docemus, vel revera sequitur Primò, Ecclesiam Christi sponsam saltem à 1000. & amplius

plius annis periisse, quæ tali errori in præcipuis fidei mysteriis servivit.

Secundò sequitur, falsam esse pronuntiationem Christi: Matth. 16. quòd portæ inferi adversùs eam non prævalebunt. Tertiò, DEUM malle Luthero, & Calvino, & id generis Apostatis ostendere veritatem in gravissimis fidei mysteriis, quàm ulli ex tot millibus Sanctorum, qui tot sæculis in Ecclesia floruerunt, & toto animi & corporis nisu in cinere, cilicio, lachrymis, & proprii sæpè sanguinis effusione DEI voluntati satisfacere studuerunt.

XVI. Impudens Respõsum Calvini & Lutheri.

Non aliter ad hæc Respondet Calvinus lib. 4. cap. 18. quàm quòd pestilentissimo errore Sathan totum ferè orbem obcœcaverit, ut crederet, Missam esse Sacrificium, & ibi, si cogitamus, inquit, Domini, non hominum Cœnam esse, non est cur ulla hominum authoritate, aut annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri. Lutherus verò solita scurrilitate de Missa privata ait, quid enim curamus, si clament Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres, quia, ùt dixi, hominum dicta & facta in tàm magnis causis nil curamus, scimus enim ipsos Prophetas primò lapsos fuisse, ubi DEI judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeóq; ipsos Angelos.

Arguitur ex Luthero, & est fundamentum præcipuum suæ doctrinæ de Cœna Domini: Evcharistia est Sacramentum & Testamentum Christi, ergò non potest esse Sacrificium: anteced: patet ex illo 1. ad Corinth. 12. *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine*, consequ: probatur Primò: Quia Sacrificium est, quod nos offerimus Deo, Sacramentum autem, quod nobis datur à DEO, & testamentum nobis relinquitur tanquam aliquid continens promissionem hæreditatis. Secundò, ridiculum est dicere, quòd per testamentum detur aliquid testatori ab hærede, ergò cum Sacramentum Evcharistiæ sit testamentum, ridiculum est, quòd per ipsum aliquid offeratur DEO. Respond. Nego consequ: ad primam probationem Respondeo Primò: Idem quod DEUS nobis dat vel donat in signum promissionis hæreditatis posse optimè & sine ulla inconvenientia iterum offerri DEO in signum subjectionis, & per consequens in Sacrificium. Adde, quòd Christus sit, qui nobis reliquit illud testamentum, & Christus ipse sit, qui tanquam causa principalis sacrificans offert pro nobis idem signum, quod sic reliquit, non verò solùm tanquam ejus ministri.

XVII. Fundamẽtum Lutheri solvitur.

Ad Secundum respondeo, quòd nil dicat ad rem: quia nos per testamentum Christi nil damus DEO, qui non est adhuc testator, vel etiam Christo, qui est testator, nec etiam per Evcharistiam aliquid ipsi offerimus, sed ipsum Christi testamentum non formaliter, sed materialiter sumptum, & ipsam Evcharistiam DEO offerimus; & sicut non repugnat eandem rem, quatenus est signum efficax gratiæ, esse Sacramentum, & quatenus est instrumentum publicum Divinæ promissionis esse simul testamentum, licèt Sacramentum & testamentum formaliter sumptum, sint diversa, ità non repugnat, eandem rem, quatenus est signum protestativum subjectionis nostræ ad DEUM, esse victimam seu sacrificium, licèt sacrificium sumptum sit longè diversum ab utroque.

XVIII. Idem potest esse Sacramentũ & testamẽtum.

Arguitur Secundò ex Luther. Non legitur in Evangelio, Christum obtulisse in Cœna Evcharistiam Patri in Sacrificium, sed solùm distribuisse Discipulis, ergò non obtulit. Respond. Nego consequ: Tum, Quia pro rei veritate sufficiunt alia Sacræ Scripturæ testimonia & plurima allata Lyturgiarum Concil. & PP. Tum, Quia non habetur expresè in Sacra Scriptura, quòd obtulerit prius agnum Paschalem, antequam comederit, & tamen nemo de re hac dubitat.

XIX. Christus in Cœna obtulit Patri Evcharistiã in Sacrificium.

Arguitur Tertiò: Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, ergò non sunt in Ecclesia

alii Sacerdotes, nec per consequens Sacrificium. Probatur consequ: quia illi alii secundùm nos sunt Successores Christi, non possunt autem succedere, nisi propter mortem ejus, cui succedunt; quia juxta Paulum ad
XX. Sacerdotes non sunt Successores sed ministri & vicarii Christi. Hebræ. 7. causa multiplicationis Sacerdotum est, quia morte prohibeantur permanere, Christus autem manet Sacerdos in æternum, ergò. Respond. Neg. consequ: ad probat: nego majo: quia Catholici, ùt Lutherus fingit, non dicunt, quòd illi sint Successores Christi, sed solùm ministri, & vicarii ejus, causa autem multiplicationis Sacerdotum in eadem nostra dignitate erat mors, non autem in diversa. Aaron autem, dum viveret, multos sub se habebat Sacerdotes.

Arguitur Quartò: Non potest offerri Sacrificium Missæ sine injuria Sacrificii crucis. ergò. Probat: anteced: quia Sacrificium ex se ipso semel oblato habet vim justificandi omnes, & delendi omnia peccata, ùt patet ad Hebræ. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel*, item: *Unâ oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos*, ergò multiplicare tot Sacrificia Missæ nihil aliud est, quàm negare virtutem hanc
XXI. Sacrificiū Missæ non derogat Sacrificio Crucis. Sacrificio Crucis. Respond. nego anteced: Cum in ea vix aliud sit, quàm continua commemoratio Crucis. Ad probationem nego Consequ: quia illa virtus debet applicari per vera instrumenta, quorum unum est Sacrificium, sicut & Baptismus juxta ipsum, unde si argumentum concluderet, Sacrificium non esse necessarium, vel derogare virtuti Sacrificii Crucis, probaret idem etiam de Baptismo, & quibuscunque aliis Sacramentis. Apostolus autem per illa verba & alia, quæ ibi habet, solùm vult, Christum non esse amplius passurum pro nobis, nec velle offerre Sacrificium cruentum sæpius; sicut veteris Legis Sacerdotes, sed solùm semel.

XXII. Ut sanctificemur oblatione. Dices: Juxta Apostolum sanctificati sumus per illam unicam oblationem etiam in sempiternum, ergò frustrà adhibetur alia. Respondeo, sensum esse, quod illa sit causa sufficiens sanctificationis nostræ in genere causæ principalis meritoriæ, modò per sua instrumenta, nempè Sacramenta & Sacrificium benè applicetur, non verò, quòd de facto simus sanctificati per ipsum sine ulla ulteriore applicatione. Christi requiritur, ut nobis applicetur, per Sacramenta & Sacrificiū.

Arguitur Quintò, ex D. Paulo ibi, ubi est remissio peccatorum, ibi non est oblatio pro peccato, sed in Lege nova per Sacrificium Crucis est remissio peccatorum, ùt patet ex locis citatis, ergò in Lege nova non debet esse oblatio &c. Respond. Primò ad summum ex hoc sequi, quòd non sit in Lege nova Sacrificium expiatorium, non verò Sacrificium veneratorium; sed revera nec hoc ipsum ullo modo sequitur, undè potest responderi Secundò, Paulum ibi loqui de Sacrificiis Judæorum, qui in Lege gratiæ offerebant eadem Sacrificia pro peccatis, quæ in Lege veteri; deindè dato, quòd non de his solis sit locutus. XXIII. Illud Div. Pauli, ubi est remissio peccatorū, ibi non est oblatio, explicatur.

Respondeo Tertiò: Mentem D. Pauli esse, ubi est remissio peccatorum, ibi non esse oblationem, per quam illa sunt remissa, nempè cruentam, imò adhuc nec incruentam pro iisdem, si cruenta sit sufficienter applicata pro ipsis, unde pro peccatis jam ante remissis non est opus Sacrificio Missæ, sed benè pro peccatis in pretio & causa remissis, ut actu per eandem debitè applicatam remittantur, sicut ipsi Adversarii quærunt Baptismum & prædicationem, ùt per Sacrificium Crucis actu remittantur peccata.

Arguitur Ultimò Joan. 4. Mulier ad Christum ait: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, & Christus subjungit, erit tempus, cùm nec hic, nec in Jerusalem, sed in omni loco adorabunt Patrem in Spiritu Sancto & veritate; atqui ibi mulier per ly *adorârunt* intelligit propriè sacrificârunt, ergò postea non erit Sacrificium propriè, sed solùm in Spiritu & oratione. Respondeo, nego Consequentiam, nam potius hic locus XXIV. Textus Joan. 4. objectus potius favet nostro Sacrificio.

locus facit pro nobis, nam si per ly *adorârunt*, in primo loco intelligitur propriè sacrificare, ergò & subintelligitur in secundo, ergò erit apud nos juxta promissionem Christi propriè Sacrificium in Spiritu & veritate, hoc est, non modo cruento & corporeo, sed incruento & spirituali, & in veritate, id est, non in figura, sicut in veteri Lege, sed in re secundùm veritatem per figuras veteres significatam, & hoc est Sacrificium Missæ juxta communem PP. expositionem, quos apud Bellarm. videre est.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid sit, quod in Sacrificio Missæ propriè offertur?

I. Referuntur sententiæ diversæ.

PRima Opinio dicit, in hoc esse duo Sacrificia, primum oblationem Panis & Vini, in quo res oblata est ipse Panis & Vinum. Secundum, oblationem Corporis & Sanguinis Christi, in quo res oblata est ipsum Corpus & Sanguis, ita Richar. & alii. Secunda, rem, quæ hìc offertur, intrinsecè constare ex Corpore & Sanguine Christi, ac simùl ex speciebus continentibus. Suar. hìc Disp. 75. Sect. 1. Tertia est, quod nostræ Conclusiones sequentes tradunt.

II. Res, quæ in Missa offertur propriè, non est Panis.

Dico Primò: *Res, quæ in Missa propriè offertur in Sacrificium, non est Panis.* Ita Sco. quodl. 20. & communis. Probatur Primò: Quia oblatio Panis & Vini, quæ fit ante Consecrationem, non est Sacrificium propriè dictum, ùt patet, ergò nec ipse Panis vel Vinum res oblata in Sacrificio propriè dicto, quale est Missa. Secundò: Quia unum est Sacrificium in Lege nova juxta Concil. PP. & Doctorem, sed res illius non est Panis aut vinum, sed Corpus & Sanguis Christi juxta Triden. mox citandum & PP. ergò. Dixi, quòd propriè offertur in Sacrificium, quia Panis & Vinum offeruntur à Sacerdote oblatione latiùs sumpta, ùt infrà patebit, imò in ipso Sacrificio indirectè tanquam terminus à quo Conversionis, & materia, ex qua fit Conversio, offeruntur.

III. Sed Corpus & Sanguis Christi, ut sub speciebus vi consecrationis continentur, primò & per se offeruntur.

Dico Secundò: *Res, quæ in hoc Sacrificio offertur, primò & per se est Corpus & Sanguis Christi, quatenus sub speciebus Panis & Vini vi conversionis ponuntur, & continentur; totus Christus hìc consequenter offertur.* Prima Pars est in re Scoti ibi, & Probatur Primò ex Trident. Sess. 22. cap. 1. ibi: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus Panis & Vini DEO Patri obtulit.*

Secundò ex Patribus, Justino, Iræneo, Cypriano & aliis suprà qu. 2. Conclu. 2. citatis, qui disertè asserunt, Christum obtulisse Corpus & Sanguinem suum. ergò.

Tertiò: Quia idem est res Sacrificii cruenti Crucis, ac incruenti Missæ, juxta Chrysost. hom. 17. in Epist. ad Hebræ. August. Concione 1. in Psal. 34. Hieron. Theophylact. & alios Patres & SS. passim, atqui quod primò, & per se in Sacrificio cruento offertur, est Corpus & Sanguis Christi juxta illud Evangelii: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis &c.

IV. Christus totus offertur consequenter in Sacrificio.

Secunda Pars patet Primò, ex Trident. loc. cit. ibi: *Novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, ergò Christus immolatur. &c.

Secundò ex D. Ambrosio suprà ibi: *Maximè dum sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.* & Chrysost. *se ipsum offerendum præcepit &c.* Dixi in Conclusione, quòd res per se primò oblata sit Corpus & Sanguis, quia eadem res hìc offertur, quæ patitur & effunditur in Cruce, in Cruce autem per se primò patitur Corpus, & effunditur Sanguis, Christus autem non primò, tamen per se patitur & offertur, scilicet ratione Corporis sibi intrinseci. Dixi etiam, quòd Corpus Christi, quatenus continetur in Eucharistia, offeratur, non verò absolutè, quatenus

nus in Cœlo, quia hìc offertur quatenus aliqua actio sensibilis circa ipsum versatur, vel ad ipsum terminatur, nulla autem actio talis versatur, vel terminatur ad ipsum, quatenus est in Cœlo, sed solùm quatenus hìc.

V. Res, quæ propriè & directè in Sacrificium offertur, non includit essentialiter & intrinsecè species.

Dico Tertiò: *Res, quæ hìc offertur propriè & directè in Sacrificium, probabiliter non includit essentialiter vel intrinsecè species.* Censetur esse contrà Suar. ubi suprà, est tamen Conig dub. 4. Et Probatur Primò: Illud, quod hìc offertur, debet immutari, sed hoc non convenit speciebus, ùt per se notum est. ergò.

Secundò: Quia aliàs non esset hic idem Sacerdos & hostia, ùt volunt Patres, cùm Sacerdos non includat intrinsecè illas species, & per Consequens Christus hìc esset tantùm pars hostiæ, quod est absurdum.

Tertiò: Illæ Species non includuntur in re oblata in Sacrificio Crucis, ergò nec in re oblata hìc & juxta PP. & SS. sit eadem res utrobique.

Arguitur Primò contra Primam. Illud S. Cypriani Epist. 63. *Panem & Calicem vino mixtum obtulit.* Alexandr. I. Epist. I. *Panis tantùm & Vinum aquâ permixtum in Sacrificio offeruntur.* ergo. Responderi potest Primò, ùt suprà, quòd offerantur non propriè & directè, sed tanquam terminus, à quo Conversionis & materia, ex quâ hoc fit. Respond. Secundò: Per Panem ibi intelligi Corpus Christi sub speciebus Panis, & per Vinum aquâ mixtum intelligi Sanguinem sub speciebus Vini aquâ mixti.

VI. S. Cyprianus & Alexander I. explicantur.

Dices Primò: Ergò ipsæ species erunt de intrinseca ratione Sacrificii, seu rei oblatæ, quia sic Panem offerri est species Panis, ùt continentis Corpus Christi offerri. ergo. Hoc autem est contra secundam Conclusionem. Respondeo, negando majorem ejúsque probationem, quia Panem offerri non est species Panis, ut continentes Corpus Christi offerri, sed est Corpus Christi contentum sub speciebus Panis offerri.

VII. Instantiæ respondetur.

VIII. Irænaeus exponitur.

Arguitur Secundò: Irænaeus lib. 4. cap. 32. his verbis: Sed & suis Discipulis dans Consilium primitias DEO offerre, ex his creaturis docuit & asserit, ipsum Panem naturalem non verò Christum hìc offerri, quia per primitias ex creaturis non intelligit aliud, quàm verum Panem & Vinum. Respond. Neg. anteced: ejúsque probationem, quia non dicit creaturas panis & vini, sed potius ex creaturis panis & vini, nempè in Corpus & Sanguinem Christi conversis debere primitias DEO offerri, quod & nos docemus.

IX. Panis offertur oblatione latè sumpta.

Arguitur Tertio: In Missa post offertorium panis & vinum sub certa forma verborum offeruntur. ergo. Respond. Non offerri ibi in Sacrificium propriè dictum, sed oblatione latius sumptâ.

X. Quo sensu dicatur hostia.

Dices: Panis ibi vocatur hostia immaculata, postea Sacrificium DEO præparatum. Respondeo, eatenus vocari hostiam & Sacrificium, quatenus est materia ex qua, & via quædam ad veram hostiam, quæ Christus est.

Arguitur Quarto ex Suar. contra secundam. De ratione visibilis Sacrificii est, ut res, quæ offertur, sit visibilis, ergò res oblata in Sacrificio Missæ includit intrinsecè species. Probatur Consequ: Quia ipsum Corpus Christi, ùt existens sub speciebus, non est visibile. Respond. Nego Consequ: ejúsque probationem, quia non sequitur, quòd res principaliter oblata, sit sensibilis in se, vel accidentibus propriis, sed sufficit, quòd in aliquo continente sit sensibilis, ut patet de vino contento in vase clauso, & hostiis contentis sub linteo, vel patena, quia juxta ipsum Suar. Sed in materia de Evcharistia sunt res visibiles & materia consecrabilis.

XI. Res principaliter oblata quomodo sit sensibilis.

Arguitur Quinto: Illud August. quòd habetur in capite, *Hoc est*, de Conseratione d. 2. *Hoc est, quod dicimus,*

cimus; hoc est, quod modis omnibus probare contendimus Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare visibili Sacramentorum specie, & invisibili Domini nostri JESU Christi carne & Sanguine. Respondeo, Sanctum August. tantùm velle, hæc duo, nempe Corpus Christi & species panis esse in Sacrificio conjuncta, non verò quòd Sacrificium intrinsecè & essentialiter ex ipsis constet.

XII. S. Augustinus explicatur.

XIII. Instantia respondetur.

Dices: Succedit immediatè ibi, sicut Christi Persona constat & conficitur DEO & homine, sed Persona Christi constat intrinsecè & essentialiter DEO & homine, ergò & Sacrificium speciebus & Corpore Christi, &c. Respondeo, nego Consequentiam; tamen propter hoc, & in favorem sententiæ Suarii, quam propter alias rationes puto esse probabilem & tenendam.

XIV. Probabilius res in Sacrificio oblata totaliter considerata includit essentialiter species cum Corpore & Sanguine Christi.

Dico ultimo: *Probabilius est, quòd res hic oblata totaliter considerata includat essentialiter species cum Corpore & Sanguine Christi.* Probatur Primò, & efficaciter ex cap. hoc est de Consecratione dist. 1. desumpto ex D. August. libro Sentent. prosper. hoc est, quod dicimus, hoc est, quod modis omnibus probare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare &c. suprà, atqui per Sacrificium hìc, ùt per se constat, intelligitur res oblata in Missa, non verò actio sacrificandi, quia hæc non constat Corpore Christi vel speciebus, ergò res oblata intrinsecè constat speciebus & Corpore Christi, sicut Christus DEO & homine intrinsecè constat.

Probatur Secundò: Res, quæ offertur in Sacrificium, debet in sui oblatione immutari, ùt patet ex dictis suprà qu. 1. & dicendis qu. sequ. Sed non est aliqua res in Sacrificio Missæ oblata, quæ ita immutetur propter compositum quoddam ex Corpore & Sanguine Christi, ùt patebit ex Quæ. sequ.

XV. Oppositæ rationes solvuntur.

Quoad Rationes autem tertiæ Conclusionis, in quantum valent contra hanc ad primam Respondeo neg. min: quia species immutantur in sumptione seu Communione, quæ est de ratione Sacrificii, ùt infrà. Ad Secundam Respondeo, esse eandem rem oblatam utrobique, quæ est Corpus Christi, non autem secundariò oblatam, quales sunt species. Ad Tertiam similiter eadem res est seu hostia principaliter oblata, & idem Sacerdos, non verò secundariò oblata, ùt Sacerdos secundarius seu minùs principalis.

QUÆSTIO QUARTA.

In quo consistat ratio Sacrificii Missæ?

Quæstio est de Sacrificio sumpto non pro re oblata, sed pro actione sacrificandi, circa quam variæ sunt opiniones, quarum nulla est de Fide vel contra Fidem. Prima, quòd perfecta ratio Sacrificii reperiatur in ea oblatione Panis & Vini, quæ in Missa ponitur post offertorium ibi: *Suscipe Sancte Pater &c.* ita censetur docere Sco. 4. d. 16. q. 2. n. 16. sed falsò.

I. Quæstionis sensus aperitur, & variæ referuntur opiniones.

Secunda sententia dicit, totam essentiam ejus consistere in ea oblatione, quæ fit post Consecrationem ibi: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.* ita Roffensis, Echius, & alii, & per ea Suar. Vasq. Conig, & alii communicant Sco. ubi suprà.

Tertia: Totam essentiam consistere in sumptione Eucharistiæ, Ledesma.

Quarta: Totam essentiam ejus consistere in Consecratione sub utraque specie, non verò in una sola. Vasqu. hìc disp. 222. cap. 5. & sequ. Suar. disp. 75. Sect. 5. Conig, Bassol. Pitigianus & alii.

Quinta: Licèt tota essentia non consistat in oblatione sequente Consecrationem, eam tamen esse de Essentia, ita à Castro, Sotus, Canus, & alii.

Sexta: Fractionem hostiæ & mixtionem esse de essentia, ita Canus, Sotus & alii.

Septi-

Septima: Sumptionem esse de essentia ita infrà citandi, hæ autem tres posteriores sententiæ dicunt, etiam Consecrationem esse de essentia ejus, ex omnibus etiam hoc notis practicè colligendum est, quàm sit Sacerdoti formidandum, nè aliquod ex prædictis in Missa omittat, quia in tanta opinionum varietate soli DEO nota est veritas, tamen

II. Oblatio præcedens Consecrationem nō spectat ad essentiam Sacrificii.

Dico Primò: *Nec oblatio, quæ præcedit, neque quæ sequitur Consecrationem spectat ad essentiam Sacrificii propriè dicti, neque alterutram ad ejus essentiam spectare docuit Scotus.* Prima Pars Probatur Primò, quia si illa oblatio spectaret ad essentiam Sacrificii Missæ, Panis esset directè res oblata in Missa, quod primò improbatum est, nam inde sequeretur, vel Christum nullo modo offerri, vel plura alia Sacrificia in Missa esse contra PP. & CSS.

Secundò: Quia licèt hæc oblatio sit antiquissima Cæremonia, non reperitur tamen in omnibus Lyturgiis antiquis, sicut in nostra Missa.

Tertiò: Quia illa oblatio est tantùm præparatoria, seu quædam Cæremonialis præparatio materiæ, ex qua fit verum Sacrificium, ùt patet ex illis verbis Ecclesiæ ibid: Veni Sanctificator, & benedic hoc Sacrificium tuo nomini præparatum.

Quartò: In re ad rationem Sacrificii nullo modo spectat in actu signato per verbum offerendi exprimere nos offerre aliquid, hæc autem oblatio est talis. ergò.

III. Oblatio sequens Consecrationē non est de essentia Sacrificii.

Secunda Pars etiam probatur Primò: Quia oblatio sequens Consecrationem non fuit semper in usu in Ecclesia, nam ùt refert Gregor. Magnus lib. Epis. Epistola 63. Apostoli (intellige aliqui, vel aliquando) omissa omni aliâ oblatione verbali statim post Consecrationem immediatè subjungebant Pater noster. ergò. Dixi aliqui vel aliquando, nam in Lyturgiis S. Jacobi, & S. Clement. non solùm hæc verbalis oblatio, sed etiam totus Canon nostræ Missæ quoad substantiam habetur. Undè vel Apostoli postea mutabant illum ritum, quem commemorat S. Greg. vel saltem non omnes eo usi fuerunt. Secundò patet: Nam Christus non legitur usus hâc, nec ullâ probabilis ratio adferri potest, quæ id suadeat. Tertiò, quia ad rationem Sacrificii non spectat verbalis expressio nostri obsequii seu oblationis, ùt jam dictum est.

IV. Scotus non docet oblationē præcedentem vel sequentem consecrationem spectare ad essentiam Sacrificii.

Tertia Pars de mente Scoti patet 1. q. 4. d. 13. q. 2. nu. 6. ubi citatur in oppositum, contendit oblationem & Consecrationem distingui, per oblationem autem intelligit eam, quæ præcedit vel sequitur oblationem, non verò eam, in qua consistit ratio Sacrificii Missæ, ùt patet ex his ejus verbis, offertur enim hostia non consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum, sicut Evcharistia consecrata in pixide est Sacramentum, licèt enim, ùt ibi sit, sit Sacrificium, nisi aptitudinaliter, ubi per Sacrificium intelligit simpliciter tantùm oblationem: Tum, Quia hanc solam & non Sacrificium Missæ. Probat ibi à Consecratione distingui, ùt patet ex textu: Tum, Quia utitur verbis Ecclesiæ, quæ oblationem Panis vocat Sacrificium, dum dicit: Benedic hoc Sacrificium tuo Sancto nomini præparatum, sicut & panem vocat hostiam: undè vel Scotus non tenuit rationem Sacrificii propriè dicti consistere in oblatione panis, vel certè Ecclesia, cujus verbis utitur, id docuit, quod tamen Adversarii minimè admittunt.

Probatur Secundò: Quia Scot. quodl. 20. expressissimè tenet, rem hìc oblatam esse Corpus & Sanguinem Christi, ergò saltem non voluit in oblatione Panis, de quo suprà, consistere rationem Sacrificii, & ibi sub dubio reliquit, an in Consecratione, an in sumptione, an in utroque simul consistat ratio Sacrificii, ergò non voluit, quòd consistat in aliqua oblatione.

V. Objectioni respondetur.

Arguitur Primò: In omni Sacrificio habetur oblatio rei sacrificandæ, sed in Sacrificio Missæ nulla est

alia

alia distincta ab eâ, quæ præcedit, vel sequitur consecrationem, ergo. Probatur min: quia in Consecratione non fit oblatio, aliàs deberet supponere id, quod consecratur, & offertur. Respond. neg: maj: & probatio: min: quia per hoc, quod res præsentetur DEO ad colendum ipsum, sufficienter offertur DEO, sive tunc prius extiterit, sive ante, hoc autem fit in Consecratione. ergo.

VI. Tridentin. accipit pro eodem cõsecrare & offerre. Dices: Trident. Sess. 23. cap. 1. & Can. 1. definit, Sacerdotibus traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi, ergò distinguit potestatem consecrandi à potestate offerendi. Respond. neg: Consequ: pro eodem enim accipit consecrare & offerre, nam in forma Ordinationis Presbyteri solùm ponitur potestas offerendi, si autem esset diversa à potestate consecrandi, deberet & hujus ibi fieri mentio, cùm sit præcipua.

VII. Nec hostiæ fractio, nec mixtio est de essentia Sacrificii Missæ. Dico Secundò: *Nec Hostiæ fractio, nec mixtio est de essentiâ Sacrificii Missæ.* Prima Pars probatur Primò: Quia DEUS non fregit hostiam post Consecrationem, sed antè, ùt suprà dictum est de Eucharistiâ, ergò fractio non est de essentia.

Secundò: Quia in Lyturgia Basilii nulla fit mentio fractionis.

Tertiò: Quia si casu hostia in Calicem cadat ante fractionem, non debet indè extrahi, aut frangi, ùt habent Rubricæ Missal. ergò. Secunda similiter patet Primò: Quia mixtio non habetur in omnibus Lyturgiis, v. g. Basilii & aliis. Secundò: Quia Christus non fuit usus mixtione.

VIII. Buccella intincta data Judæ, non fuit Eucharistia. Arguitur contra Conclusionem: Christus dedit buccellam intinctam Judæ, hæc autem erat hostia immixta in sanguine. ergo. Respond. neg: mino: Quia illa buccella non erat Eucharistia, ùt definit Julius I. Epist. ad Ephes. & dicit Bracar. 3. cap. 1. Sed buccella panis intincta in embamma, hoc est, in jusculum aliquod delicatius, juxta Cornel. à Lapide super c. 13. Joan.

Dices: Judas ex Joann. 13. postquam accepisset buccellam, exivit continuò, ergò vel illa buccella erat Eucharistia, vel saltem Judas non communicavit in Cœna. Respond. neg: Consequ: Quia licèt aliqui probabiliter putent, sumptionem istius buccellæ fuisse ante sumptionem Eucharistiæ, & ly *continuò exivit*, ibi non referri ad sumptionem buccellæ, sed ad verba CHRISTI facta post ipsam, dum dixit, quod facis, fac citò, tamen probabilius censetur, illam buccellam datam fuisse Judæ, postquam sumpserat Eucharistiam, Primò, quia sic sentit Div. Augustin. Tract. 62. in Joannem, Beda & alii. Secundò, quia Lucas post Consecrationem hoc contigisse testatur, his verbis: *Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa &c.* Hæc enim post verba Consecrationis habet & Distributionis Eucharistiæ. IX. Probabiliùs data illi fuit post sumptam Eucharistiam.

Duo adhuc supersunt, de quibus potest esse quæstio, an in utroque vel alterutro consistat essentialis ratio Sacrificii, *Consecratio* videlicet, & *Sumptio* Sacramenti à Sacerdote, nam de ea Sumptione, quæ fit à populo per manus Sacerdotis, constat, non spectare ad essentiam, vel integritatem hujus Sacrificii; aliàs enim in Missa privata, ubi nemo præter Sacerdotem communicat, non esset verum Sacrificium: Et quidem Consecrationem ad essentiam, & intrinsecam rationem Sacrificii spectare docent communiter Theologi contra Aretinum Dist. 13. in 4. quæst. 2. art. 3. Sed de sumptione multum inter se variant, quibusdam asserentibus, eam spectare ad essentiam Sacrificii, aliis docentibus, eam ad solam ejus integritatem & participationem spectare. X. Sumptio, quæ fit à populo, nõ est de essentia vel integritate Sacrificii.

XI. Essentia Sacrificii Missæ probabilius in sola Consecratione consistit. Dico: *Longè probabilius videtur, totam ac essentialem rationem Sacrificii Missæ in sola consecratione compleri.* Hanc Conclusionem probabilem tantùm asserui propter diversas præcipuorum DD. de hac re sententias,

tias, cùm enim quæstio in proposito magis sit de voce, & nomine Sacrificii, quàm de re ipsa ejus essentia in sola Consecratione, sive in ea simùl ac sumptione additâ etiam secundùm aliquos, secundâ oblatione consistere, modò secundùm fidem admittatur in Missa verum ac propriè dictum Sacrificium novæ Legis Deo offerri.

XII. Authoritas ad idem. Colligitur nihilominus Conclusio ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 5. *Deindè*, inquit, *postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsâ propitiationis hostiâ, obsecramus DEUM pro communi Ecclesiæ pace, &c.* ubi supponit Cyrillus per Consecrationem peractum jam esse Sacrificium: & Concil. Toletano 12. c. 5. & habetur c. relatum de Consecratione. dist. 2. *Relatum*, inquit, *est nobis, quosdam è Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sacræ gratiam sumere, quoties Sacrificium in una die videmus offerre, sed in uno die, si plurima per se offerant DEO Sacrificia, in omnibus se oblationibus à Communione suspendunt, & in sola tantùm extremi Sacrificii oblatione Sacræ Communionis gratiam sumunt, quasi non sit toties illi vero Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Christi immolatio facta constiterit &c.* ubi apertè distinguit Concilium inter Sacrificium, & S. Communionem, quam non Sacrificium, sed Sacrificii participationem vocat.

XIII. Item Ratio. Quod ulterius confirmatur ratione, Character & potestas Sacerdotalis per se primò ordinatur ad actum essentialem Sacrificii, sed in Missa nulla est actio soli Sacerdoti propria, præter Consecrationem: nam Diaconus potest seipsum communicare, & Laicus Evcharistiam sumere. ergò in sola Consecratione consistit essentia Sacrificii. Deindè Christus est principalis offerens in hoc Sacrificio, sed nulla actio præter Consecrationem fit hìc in Persona Christi. ergo. Denique in ipsa Consecratione inveniuntur ad rationem Sacrificii superiùs requisita. ergò.

Arguitur Primò: Si Sumptio non esset de essentia hujus Sacrificii, non esset Jure Divino tàm inseparabiliter annexa, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ præcipit, ut, si Sacerdos post Consecrationem completam moriatur, vel non possit sumere Sacramentum, alius Sacerdos etiam non jejunus substituatur, qui Sacramentum sumat, ac Sacrificium peragat, ergò signum evidens est Ecclesiam sentire, Sumptionem esse de essentia Sacrificii. Deindè hoc ipsum satis insinuat Toletanum 12. cap. 5. *Quale*, inquit, *erit Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Sed Respond. hæc tantùm probare Sumptionem Evcharistiæ esse de integritate hujus Sacrificii, & Jure Divino ipsi annexam, ac necessariò requisitam ad ejus fructum & effectum percipiendum. XIV. Sumptio est tantùm de integritate Sacrificii Missæ.

Arguitur Secundò: Feriâ sextâ Parasceves peragitur verum Sacrificium Missæ, sed tunc nulla fit Consecratio, ergò Sacrificium Missæ non consistit in Consecratione. Probatur Major: Quia Sacerdos in illo die æquè ac in aliis dicit Missis: *In Spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à Te DOMINE, & sic fiat Sacrificium, &c.* Sed hæc possunt cum veritate dici, nisi in illo die obtulisset verum Sacrificium. ergo.

Confirmatur, adductio victimæ immolandæ non est Sacrificium, sed per Consecrationem fit sola adductio Corporis & Sanguinis Christi. ergo.

Respondetur, Feriâ sextâ Parasceves non peragi Sacrificium, cùm in illa nulla fit Consecratio, neque in ista Oratione aliter accipitur Sacrificium, quàm juxta tunc temporis exigentiam pro re sacrificata, & contenta sub specie panis, unde nego Consequentiam. Ad Confirmationem Respond. non quamcunque adductionem victimæ habere rationem Sacrificii, sed eam, qua victima in Altari DEO offertur, nam victi- XV. Feriâ sextâ Parasceves non fit Sacrificium. XVI. Quæ adductio victimæ habeat rationem Sacrificii.

mam

nam in altari ponere, est reipsâ illam DEO offerre, & quia vi Consecrationis Corpus & Sanguis Christi ponitur in altari, hinc verbis Consecrationis vera & solemnis oblatio celebratur.

Arguitur Tertiò: Ad rationem Sacrificii requiritur, ut res oblata aliquam patiatur mutationem juxta Definitionem Sacrificii superius positam, sed res principaliter oblata in Sacrificio Missae nullam patitur in Consecratione mutationem, ergò ratio Sacrificii in sola Consecratione non subsistit. Probatur min: Res hic principaliter oblata est Corpus & Sanguis Christi, sed haec in Consecratione nullam patiuntur mutationem. ergò. Respond. inprimis per Consecrationem ex re profana fieri rem sacram, nam per eam panis convertitur in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem, nec ex hoc inferri debet, quòd panis sit ilud, quod hic sacrificatur aut offertur, nam licèt communiter illud dicatur sacrificari, quod ex profano fit sacrum, si postea maneat, sicut in Sacrificiis veteris Legis plerumque fiebat, in proposito autem, quia panis post Consecrationem non manet, sed simpliciter desinit esse, hinc non ipse panis, sed illud, quod ex pane factum est, seu in quod panis est conversus, hic principaliter sacrificatur.

XVII. Quomodo res oblata mutetur in Consecratione.

Deindè per Consecrationem Res hic principaliter oblata ordinatur ad veram realem, & externam sui mutationem, & destructionem, nam per eam Corpus Christi accipit formam Cibi, Cibus autem ad comestionem, ac per hoc ad sui destructionem ordinatur, quod in proposito sufficit. Nec refert, quòd Corpus Christi nullam in se laesionem patiatur, neque suum esse naturale amittat, dum manducatur Evcharistia, nam amittit esse Sacramentale, desinit esse realiter sub speciebus, desinit esse cibus sensibilis &c. quod ad rationem Sacrificii sufficit.

Arguitur denique, si tota essentia Sacrificii Missae consisteret in sola Consecratione, vel consisteret in sola Consecratione speciei panis, vel in Consecratione utriusque simul speciei: Non primum, quia non est major ratio de una, quàm de altera specie; Nec secundum, quia ratio Sacrificii potest consistere, & perfici sinè Consecratione utriusque speciei. ergò. Sed Resp. Solutionem hujus objectionis patere ex Disputatione de praecepto hujus Sacramenti.

XVIII. Objectioni responde-tur.

QUAESTIO QUINTA.

Utrum Sacrificium Missae sit propitiatorium aut impetratorium?

I. Varia erat in Lege veteri Sacrificia.

SIcut in Veteri Lege Sacrificium aliud offerebatur per modum *Holocausti*, cujus finis erat solus DEI Cultus, & Honor; Et aliud per modum *Hostiae pro peccato*, quod non tantùm intendebat Cultum Divinum, sed etiam remissionem peccatorum, & propitiationem DEI nobis indignantis, quod proinde Propitiatorium appellabatur. Ac tandem aliud per modum *Hostiae pacificae*, quod offerebatur ad agendam gratiam pro beneficiis acceptis, vel ad nova & ulteriora beneficia impetranda, quod proindè Impetratorium dicebatur, ita in proposito quaeritur, utrum Sacrificium Missae sit non tantùm repraesentativum Passionis, aut Mortis Christi, aut memoria Sacrificii Crucis, sed etiam Propitiatorium pro poenis & culpis nostris vel alienis, & Impetratorium beneficiorum, quae per ipsum nobis vel aliis à Domino impetrantur.

II. Sacrificium Missae est Propitiatorium.

Dico: *De Fide est, Sacrificium Missae esse Propitiatorium simul, ac Impetratorium.* Est expressè definita in Concil. Tridentino Sess. 22. Can. 3. *Si quis, inquit, dixerit, Missae Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.* Et idem habetur c. 2. ejusdem Sessionis.

Probatur Conclusio : Antiqua Sacrificia Legis novæ, & Mosaicæ, quæ erant figuræ, & signa quædam hujus Sacrificii erant propitiatoria, nam Job. 1. legitur, ipsum quotidie obtulisse Sacrificium pro peccatis filiorum suorum ; & Job. ultimo jussit Dominus, ut amici Job offerant Sacrificium pro peccato suo, & Levitici 4. 5. & 6. præscribuntur varia Sacrificia pro peccato. ergò à fortiori in hoc Missæ Sacrificio erit vera Propitiatio pro peccatis. Id ipsum constat ex Apostolo ad Hebræ. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccato.* ergò &c. Undè August. lib. 36. in Leviticum : *Illis*, inquit, *Sacrificiis* (scilicet veteris Legis) *unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Et Chrysostomus lib. 6. de Sacrif. *Sacerdos*, inquit, *pro universo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatórque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modò, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat &c.* Idem habent alii Patres communiter.

III. *Ac Impetratorium.* Quòd autem Sacrificium Missæ sit Impetratorium constat : Tum verbis Tridentini suprà citat. Tum ex Sacrificiis antiquæ Legis, quæ hostiæ pacificæ dicebantur, & ordinariè in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel pro novis ulterioribus impetrandis offerebantur, ut constat ex 2. Reg. ultimo, ubi David obtulit Pacifica pro peste avertenda, & impetravit ; & Onias obtulit hostiam salutarem pro vita temporali Heliodori, quam similiter impetravit 2. Machab. 3. & plura similia, quæ passim habentur in Scriptura, ergò à fortiori hoc Sacrificium habet vim impetrandi.

Arguitur Primò : Si Sacrificium Missæ esset Propitiatorium, vel impetratorium, hoc conveniret ipsi vel ex opere operato, vel ex opere operantis, sed neutrum dici potest. ergo. Probatur minor non ex opere operato, aliàs semper impetraret illis, pro quibus offertur, vel remissionem peccati, vel auxilia Gratiæ, quod est falsum, nec ex opere operantis : Quia operans sæpissimè est in peccato mortali. Respond. hoc Sacrificium habere vim expiandi, & impetrandi, ex opere operato etiam aliter, quàm Sacramenta, cùm hæc sint instrumenta immediata justificationis, Sacrificium verò mediatum, quatenus eo placatur DEUS & confert iis, pro quibus offertur, dona Gratiæ, & Pœnitentiæ, per quæ ad susceptionem Sacramentorum disponuntur ; quamvis non semper aut in omnibus sortiatur suos effectus, sed solùm quando DEUS opportunum judicaverit, maximè quoad temporalia Beneficia, quæ petuntur. IV. *Sacrificium habet vim expiandi & impetrandi ex opere operato, aliter quàm Sacramenta.*

Arguitur Secundò : Si Sacrificium Missæ esset propitiatorium, tunc Communio unius prodesset alteri, sed hoc est falsum. ergo. Prob. min: Baptismus unius non prodest alteri, nec potest unus pro alio baptizari, ergò nec Sacrificium unius pro alio offerri, aut Communio prodesse. Respond. neg. min: ejusque probationis Consequ: multùm enim interest inter susceptionem Sacramenti & Sacrificii oblationem, nam susceptio Sacramenti ordinatur ad impetrandum beneficia aliis, pro quibus offertur, unde sumptio Eucharistiæ à Sacerdote facta in esse Sacramenti soli sumenti prodest, in esse verò Sacrificii, seu ut est Sacrificii consummatio prodest illis, pro quibus oblatum est Sacrificium. V. *Sumptio Eucharistiæ in esse Sacrificii prodest alteri, non verò in esse Sacramenti.* Ex his patet ad aliam objectionem distin: min: sine sanguinis effusione noviter aut in hoc Sacrificio facta, non fit propitiatio, nego min: sine sanguinis effusione semel in Cruce perfecta concedo : neque ad illam effusionem repræsentandam requiritur in proposito aliud, quàm ut Corpus directè & vi verborum ponatur sub speciebus, sanguis verò non nisi per concomitantiam. Unde nego Consequentiam. VI. *Sine qua effusione sanguinis non fiat propitiatio.*

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

Quantus sit valor Sacrificii Missæ, & quibus, aut qualiter applicari possit?

I. Ad Sacrificii Missæ valorem requiritur meritum alicujus offerentis.

AD valorem Sacrificii Missæ præter bonitatem rei oblatæ, requiritur secundùm omnes Meritum alicujus offerentis, sive Sacerdotis, sive Christi, sive Ecclesiæ: quia ùt ait Scotus Quodlib. 20. n. 21. *Oblatio non est accepta, nisi sit offerentis accepti*, juxta illud Genes. 4. *Respexit DEUS ad Abel, & ad munera ejus*, prius ad Abel, quàm ad munera, & Lucæ 21. *Vidua hæc paupercula, plus quàm omnes in Gazophylacium misit*, quia ex voluntate magis accepta, nam secundùm Gregorium super illud Matth. 4. *Ambulans JESUS &c. Non pensat DEUS quantum in ejus Sacrificio, sed ex quanto deferatur affectu.* Hinc Scotus loco suprà citato notat in Sacrificio Missæ tres concurrere offerentes, Primus

II. Triplex est offerens.

ac principalis est Christus ipse, qui, ùt declarat Tridentinum Sess. 22. c. 2. in hoc Sacrificio est hostia simul & offerens mediante tamen Ministerio Sacerdotis, ùt ibidem loquitur.

Secundus offerens est persona celebrantis, quæ tanquam Minister Christi & Ecclesiæ hoc Sacrificium Missæ offert, & cujus Meritum, quia Personale est, & sæpè nullum, non est in illud principaliter, aut infallibiliter valor, aut virtus hujus Sacrificii refundenda, ac proindè excogitandus tertius offerens, nempe Ecclesia militans, cujus nomine, fide, ac mandato Missa celebratur; & quia Ecclesia ex DEI promissione & assistentia nunquam est sine aliquibus justis, hinc Sacrificium Missæ nunquam offertur absque eo, quòd aliquis offerens sit DEO acceptus: quia & Meritum Christi offerentis semper est vivum, & Meritum Ecclesiæ interpellantis semper est acceptum, unde in Canone Missæ oramus: *Ne respicias Domine peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ.*

Nunc quæritur, quantus sit valor hujus Sacrificii, non solùm ùt est actio Ministri ministrantis, sed etiam in quantum est opus, mediante ipso, Christi, & Ecclesiæ, an scilicet sit finitus vel infinitus, & si finitus, an tantum valeat pro multis, quantum pro uno solo? Deindè, quibus aut qualiter applicari possit. III. Status quæstionis exponitur.

Dico Primò: *Valor Sacrificii Missæ est simpliciter finitus.* Est Scoti suprà loco citato, & Communis contra Cajetanum, & Vasq. & alios. Probatur Primò omnibus rationibus, quibus in Materia de Incarnatione probari solet Sacrificium Crucis, aut alia opera meritoria Christi non fuisse infiniti valoris intensivè: quæ à fortiori concludunt de Sacrificio Missæ, cùm enim Sacrificium Missæ offeratur in memoriam Sacrificii Crucis, à quo proindè suum valorem participat, si Sacrificium Crucis non sit infiniti valoris intensivè, longè minùs erit Sacrificium Missæ, & licèt Sacrificium Crucis fuerit quodammodo infiniti valoris extensivè, hoc est, ex se sufficiens pro infinitis hominibus redimendis, si essent, aut debitè ipsis applicaretur, virtus tamen Sacramentorum aut Sacrificii Missæ istum valorem non applicat, nisi finito modo: Quia Causa applicans non participat in eodem gradu perfectionem causæ principalis. ergò valor Sacrificii Missæ est extensivè & intensivè finitus. IV. Valor Sacrificii Missæ simpliciter est finitus.

Deindè, si valor Sacrificii Missæ esset infinitus, frustrà applicarentur plures Missæ ad eandem rem impetrandam, frustrà pro eadem animâ applicarentur plura Sacra, celebrarentur Exequiæ, aut Anniversariæ, sed hoc est contra mentem & praxim Ecclesiæ. ergo. Probatur major, si valor unius Sacrificii esset infinitus, æquivaleret infinitis Sacrificiis, essetque ex se sufficiens, & efficax ad impetranda omnia, quæ desiderantur. ergò frustrà &c. V. Aliæ rationes ad idem.

Denique ex contraria sententia sequeretur, unico Missæ Sacrificio posse totum purgatorium exhauriri, cùm ejus valor sit infinitus, & pœnæ omnes

omnes Purgatorii finitæ, quod rectè retraheret fideles à curandis Sacris pro animabus Purgatorii ad summum eorum detrimentum.

VI. Valor Sacrificii pluribus applicatus, non prodest tantum cuilibet, quantum si uni applicaretur.

Dico Secundò: *Valor Sacrificii pluribus applicatus, non tantum prodest cuilibet, quantum si uni soli applicaretur.* Est etiam communis, & sequitur evidenter ex præcedenti Conclusione: Cùm enim valor hujus Sacrificii sit finitus, & limitatus, quantò magis dividitur, aut pluribus applicatur, tantò minùs de valore cuilibet continget, cùm, juxta Philosophum, quodcunque finitum ablatione finiti minuitur, ac tandem consumitur. Quod ulterius constat ex communi praxi Ecclesiæ, quæ docet per unum Sacrùm non satisfieri pluribus, quorum cuilibet ratione debiti stipendii debetur Sacrum; ex quo evidenter sequitur, Ecclesiam sentire Sacrificium Missæ applicatum pro pluribus, non tantùm cuilibet prodesse, ac uni soli, cui totaliter applicatur.

Arguitur Primò: Christus, qui in Sacrificio Missæ offert, & offertur, est infiniti valoris & meriti saltem extensivè, ergò hoc Sacrificium habet valorem pro infinitis hominibus, si ipsis applicaretur; ergò ulterius tantùm valet pro omnibus applicatum, ac pro uno solo. Probatur Prima Consequentia, Quia non aliâ ratione Sacrificium Crucis dicitur infiniti valoris extensivè, nisi quia fuit Personæ offerentis, & oblatæ infinitæ dignitatis. ergò cùm eadem Persona sit in Sacrificio Missæ offerens, & oblata, erit infiniti extensivè valoris.

Confirmatur: Hoc Sacrificium quoad victimam, quæ in eo immolatur, est idem cum Sacrificio Crucis, sed illud fuit infiniti valoris extensivè, ergò & hoc.

VII. Cur Sacrificium non sit infiniti valoris, cum Christus, qui offertur, sit infiniti valoris & meriti.

Respondetur Primò, Negando primam Consequentiam, Quia licèt in utroque Sacrificio idem sit offerens principalis, & qui offertur, alio tamen & alio modo, nam in Cruce solus Christus fuit offerens, & hoc immediatè, hìc autem non, nisi mediante ministro, & Ecclesia; In Cruce fiebat principalis oblatio, in Missa fit quasi applicatio cruentæ oblationis in Cruce factæ, & hoc ipsum finito modo, ùt dictum est.

Respondetur Secundò: Quamvis Christus, qui est principalis offerens, & res oblata in hoc Sacrificio, sit infiniti meriti, possetque, si vellet, dare talem valorem Sacrificio Missæ, ut tantum valeret pro pluribus, quantum pro uno solo oblatum, sicut in Sacrificio Crucis factum cernimus, de facto tamen non ita voluit, sed statuit, ut singulis oblationibus, & Sacrificiis, certa mensura Dominicæ Passionis applicaretur, & correspondeat, idque rationabilissimè, ut hoc modo Sacrificium tàm proficuum, & sanctum magis frequentaretur, & Cultus DEI, ac memoria Sacrificii Crucis sæpius celebraretur, sine quo Religio Christiana non potest subsistere; Per quod patet ad Confirmationem, licèt enim hoc Sacrificium quoad rem oblatam sit idem, & ejusdem valoris cum Sacrificio Crucis, diversa tamen hìc, & ibi est oblatio & Persona immediatè offerens, nam actio Sacerdotis, qui hìc est immediatus offerens, est finiti valoris, Actio autem Christi in Cruce immediatè offerentis, erat extensivè infiniti valoris; unde negatur Consequentia.

VIII. Hic & in Cruce diversa est oblatio & Persona immediatè offerens.

Arguitur Secundò: Ecclesia aliqua collegiata, quæ obligatur ad plura Anniversaria eodem die celebranda, in quo tamen secundùm consuetudinem illius Ecclesiæ non potest nisi unum Sacrum pro mortuis legi, potest utrique obligationi per unum Missæ Sacrificium satisfacere, ùt habet Scotus Quodl. 20. nu. 30. ergò signum est unùm Sacrificium applicatum pro pluribus tantum valere pro quolibet, ac si pro uno solo offeratur.

IX. Quo sensu dicat Scotus duplici obligatio- [illegible] posse sa- [illegible]eri per [illegible]um Sacrificium?

Respondetur ex ipso Scoto ibidem num. 32. Si talis consuetudo nota sit illis, qui eodem die curârunt Anniversaria legi in ista Ecclesia, tunc supponitur quòd velint esse contenti uno illo Anniversario, applicando illud partialiter utrique obli-

obligationi, & sic utrique fiet satis, si verò obligans ignoret talem Consuetudinem, debet certior fieri, & si nollet acquiescere, debet Ecclesia ejusmodi Sacro renunciare, sicut ab initio non debuit suscipere ejusmodi obligationem, cui non potest in solidum satisfacere.

X. Sacrificium Missæ potest offerri pro fidelibus vivis, & defunctis in purgatorio existentibus.

Quoad secundam Quæstionis Partem quæritur, pro quibus possit hoc Sacrificium offerri? Respondetur inprimis: Certum esse ex Tridentino Sess. 22. Can. 3. posse hoc Sacrificium offerri pro fidelibus vivis, & etiam defunctis in purgatorio existentibus: *Si quis*, inquit Concilium, *dixerit*, *Missæ Sacrificium non esse propitiatorium, vel soli prodesse sumenti*, *neque pro vivis & defunctis offerri debere*, *anathema sit*; tales enim omnes sunt capaces effectûs hujus Sacrificii, ùt vivi Propitiationis peccati, & acceptionis Gratiæ, & defuncti satisfactionis pro pœna.

XI. Ac etiam aliquomodo pro Beatis.

Secundò offerri pro Beatis non ad impetrandam illis gratiam, vel alicujus pœnæ remissionem, cùm nihil horum indigeant, sed ùt ait Trident. Sess. 22. c. 3. *Ut ipsi pro nobis intercedant in Cœlis, quorum memoriam agimus nos in terris, non enim*, ait Tridentinum, *ipsis Sanctis, sed DEO, qui eos coronavit, in gratiarum quasi actionem offertur Sacrificium.*

XII. Offertur etiam licitè & validè pro conversione Infidelium & Paganorum.

Tertiò, licitè & validè offertur hoc Sacrificium pro conversione Infidelium & Paganorum, qui nondum sunt baptizati, quia etiam pro illis fuit Sacrificium Crucis oblatum, nec ulla impedit Ecclesiæ prohibitio; unde 1. ad Timoth. 2. monet Apostolus pro talibus orandum: *Obsecro*, inquit, *primum fieri omnium obsecrationes, orationes, postulationes, Gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostrò DEO, qui omnes homines vult salvos fieri &c.* Qem locum exponit Chrysostomus de Regibus adhuc Gentilibus; & in oblatione Calicis oramus quotidiè pro nostra & totius mundi salute.

Quartò: Non potest hoc Sacrificium offerri pro Angelis, vel animabus in inferno damnatis, ut ab inferis liberentur, cum de fide sit contra Origenem, damnatos æternâ pœnâ fore cruciandos, juxta illud Matthæ. 25. *Eiscedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed dubitant aliqui, an saltem hoc Sacrificium possit ipsis prodesse ad aliquam pœnæ remissionem, vel mitigationem? Præpositus affirmat suffragia, & Sacrificia nostra eousque prodesse damnatis, ut illis multiplicatis tota tandem illorum pœna tollatur usque ad diem Judicii, post quem reassumptis corporibus, & cessantibus suffragiis cruciandi sunt in æternum. Antisiodorensis ait, per suffragia nostra non minui pœnas damnatorum, sed eos tantùm corroborari, ùt pœnas minùs sentiant. Alii putant, minui pœnas damnatorum indirectè, quatenus illi videntes nos pro se orare, & ipsorum recordari aliquam inde consolationem percipiunt. XIII. Pro damnatis nequit offerri Sacrificium Missæ.

Sed veritas Catholica ab omnibus amplectenda affirmat, suffragia vel Sacrificia nostra non prodesse damnatis sive ad pœnæ remissionem, vel alleviationem, nam ùt communiter docet Ecclesia: *Ex inferno nulla est redemptio.* Unde ex Scriptura docent Concilia & PP. pœnas damnatorum esse æternas, & hinc graviter peccaret, qui pro damnatis oraret, aut Sacrificium offerret. Nec refert, quòd anima Trajani Imperatoris precibus S. Gregorii dicatur ab inferis liberata, quod etjam de aliis Gentilibus ad vitam revocatis, ac tandem salvatis legitur. Quia præterquam, quòd ista tanquam Apogrypha à pluribus rejiciantur, præsertim à Baronio ad Annum 119. Certum est, si tales animæ fuerunt demùm salvatæ, nunquam fuisse pœnis inferni ultimatè adjudicatas. XIV. Nec prodest illis ad remissionē pœnæ, vel alleviationem.

Quintò denique: Non potest hoc Sacrificium pro Excommunicatis licitè offerri. *Ex cap. à nobis, & cap.* XV. Nequit Sacrificium Missæ licitè offerri pro Excommunicatis.

cap. Sacris de sententia Excommunicationis. Neque à fortiori pro hæreticis aut schismaticis, cùm tales hoc ipso sint excommunicati; nam Ecclesia tales privavit communibus & publicis suis suffragiis, quod non tantùm verum est de nominatim excommunicatis, & publicis Clerici percussoribus, quos ex Concil. Constantiensi tenemur vitare, sed etiam de quibuscunque excommunicatis: quia in Jure Canonico æqualiter privantur omnes suffragiis Ecclesiæ.

XVI. *Ad quem fructum spirituale valeat pro illis oblatum.*

Sed an Sacrificium pro talibus oblatum valeat ipsis ad spiritualem aliquem fructum, si præter censuram nullum aliud impedimentum habeant, ut si eos peccati pœnituerit, & ex hoc in gratia existant? Affirmat Suarez de censuris Disp. 9. Sect. 2. quoad fructum, qui consequitur ad essentiam Sacrificii, quia hic à solo Christo pendet, nec potest ab Ecclesia impediri;

XVII. *Licitè potest Sacrificium Missæ offerri indirectè pro conversione hæreticorum.*

licitum tamen est indirectè ad minùs orare & offerre hoc Sacrificium pro Conversione hæreticorum, in quantum directè offertur pro Ecclesiæ incremento: & Fidei Catholicæ dilatatione, unde in Missali Romano extat propria Missa ad tollendum schisma, ubi licèt pro Ecclesiæ pace Sacrificium offeratur, implicitè tamen & indirectè offertur pro schismaticis, ut convertantur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Resolvuntur varia dubia circa præsentem Materiam.

Quæres Primò: Qualiter valor hujus Sacrificii possit aliis applicari? Respondet Scotus Quodl. 2. n. 3. & alii Theologi communiter post ipsum valorem hujus Sacrificii, & cujuscunque orationis esse triplicem, & juxta hoc posse tripliciter applicari:

I. *Quis valor generalissimus Sacrificii Missæ.*

Primus Valor est generalissimus, quem Ecclesia generalissimè intendit applicare omnibus fidelibus vivis & defunctis, sed speciali aliquo modo summo Pontifici, Imperatori, Regi, Episcopo, & aliis fidelibus, quorum meminit Sacerdos in Sacrificio, sive præsentes sint, sive absentes, quem fructum quisque recipit majorem, vel minorem, juxta Christi determinationem, & Ecclesiæ intentionem, & propriam cujusque dispositionem & cooperationem, & quoad hunc valorem applicatio Missæ est ab ipsa Ecclesia determinata, nec proindè potest à Sacerdote mutari, aut aliis applicari, unde sacrificans neminem ex tota Ecclesia debet, aut licitè potest, à participatione Sacrificii positivè excludere, sed omnes habitualiter ad minus includere.

II. *Quis valor specialis seu specialissimus, & cui conveniat?*

Secundus Valor est specialis, qui ab aliquibus specialissimus dicitur, & ipsi soli sacrificanti, oranti specialiter convenit, nec ordinata voluntate debet secundùm Scotum, aut fortassis potest, inquit, alteri dari, vel applicari, quia magis tenetur quisque ex charitate se ipsum diligere quàm alium, imò secundùm Azorium, & alios Theologos non potest hic valor ullo modo licitè aut validè aliis, quàm ipsi sacrificanti applicari, quod etiam satis indicat Scotus num. 16.

III. *Quis valor medius seu specialis.*

Tertius Valor est medius, qui etjam ab aliquibus specialis dicitur, & competit illis, pro quibus Sacerdos specialiter intendit, & re ipsâ offert, & applicat Sacrificium juxta communem praxim Ecclesiæ, quæ hoc Sacrificium modò pro uno, modò pro altero offerre consuevit, & hunc valorem pro aliis applicat Sacerdos, quoties pro ipsis orat vel sacrificat.

IV. *Quomodo intelligatur se obligare Sacerdos ad Missam celebrandam pro Eleemosyna.*

Tria hic occurrunt admonenda. Primum est, quando Sacerdos obligat se ad celebrandum Missam juxta intentionem dantis Eleemosynam, pro Celebratione ejus, non debere id intelligi per Conventionem strictè Legalem, vel per Commutationem rei spiritualis pro temporali, quia hoc est Simoniacum, nec valet, inquit Scotus, dicere, quòd Sacerdos pro temporali Eleemosyna suum laborem corporalem commutet: *Quia*, inquit, *non est verisimile, quòd aliquis ipsi vellet tantum dare pro labore corporali in illo actu impenso*, sed debet intelligi tanquam Commutatio liberalis Eleemosynæ spiritualis

pro

pro Eleemosyna corporali, juxta illud 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus, nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, qui enim altari deserviunt, de altari participant*, nam, ut ait ipse Christus, *dignus est operarius mercede suâ*; itaque offerens Eleemosynam corporalem, mendicat spiritualem, & offerens spiritualem, non nisi titulo mendicationis potest exigere eleemosynam corporalem, uterque tamen, factâ mutuâ illâ ac liberali promissione, manebit strictè obligatus in conscientia ad satisfaciendum obligationi acceptæ.

V. Quomodo facienda applicatio media pro pluribus.

Secundò monet Scotus, quando facienda est applicatio illa media pro pluribus partialiter, nec est certa regula statuens, cuinam ex illis specialiter sit facienda, tutiùs semper esse generalem quandam applicationem facere dicendo, v. g. *Digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis, quibus nosti me teneri, & in illo gradu, in quo nosti me obligari.*

VI. Non satisfit applicando sacra ex fundatione simul pro aliis, qui dant stipem.

Tertiò monet in communi, quòd in Ecclesiis curatis, & collegiatis, ubi ex fundatione Ecclesiæ debent pro Fundatoribus tot sacra legi, non satisfieri applicando illa sacra pro his, & simùl pro aliis, quibus ex acceptâ stipe consimili obligatione in solidum obligantur, quia ex fundatione supponitur jam applicatio determinata ad istos in speciali: Similiter in Communitatibus Religiosis non debent inferiores aliter, quàm juxta intentionem superioris, sua sacra applicare, nisi superior ipse tacitè vel expressè concesserit, quia superior se in illis, & pro illis obligavit, adeóque tenetur inferior suam applicationem juxta ejus intentionem facere.

VII. Regularis inferior applicado Missam contra voluntatem superioris, graviter peccat.

Sed quid, si inferior scienter, & contra intentionem & voluntatem superioris applicet suum sacrum ad propriam, vel alterius intentionem? Respondetur: Inferiorem imprimis applicando scienter suum sacrum contra positivam voluntatem superioris gravissimè peccare, non tantùm contra obedientiam, si sub obedientia fuit prohibitum, sed etiam, quia communi bono, cujus administrationem habet superior, grave damnum intulit, tenetur enim inferior ùt membrum Communitatis ad omnes contractus, quos de communibus operibus fecit superior.

VIII. Applicatio ejus tamen valet.

Sed quid si inferior non obstante suo peccato applicet Sacrificia contra voluntatem superioris, cujus applicatio tunc valebit, subditi, an superioris? Respondetur, applicationem Sacrificii Missæ Sacerdotis subditi per se loquendo, & quoad validitatem non dependere ab obedientia, & voluntate superioris Regularis: quia in iis, quæ sunt simpliciter ordinis Sacerdotalis, seu quatenus subditus est Sacerdos, & Minister Christi, non est subditus, sed liber & alterius fori, maximè in ordine ad validè facienda, quæ sunt ordinis Sacerdotalis, unde quamvis Prælatus præcipiat subdito, nè celebret, quamvis celebrando peccet, validè tamen celebrat: quia Missa habet suum valorem ex opere operato. Si tamen superior intuitu eleemosynæ, vel alterius beneficii, ex quo ipse & Communitas sustentatur, obligavit se & Communitatem ad tot sacra quotidie legenda, & inferior ex alterâ parte alteri se obligavit contra voluntatem superioris, putant non improbabiliter aliqui superioris applicationem in tali casu valere apud DEUM, & non inferioris, quia superior in tali casu potior est Jure, utpotè qui se, & inferiores ad tale debitum justè obligavit, & in cujus justa voluntate voluntas inferioris est alligata, inferior verò injustè censetur se obligâsse contra voluntatem superioris, potéstque superior ipsius contractum in hoc præscindere.

IX. In certo tamen casu nec valeret inferioris applicatio, sed superioris.

X. Quando facienda applicatio Missæ.

Quæres Secundò: Quando facienda sit applicatio Missæ, ut ejus fructus sequatur? Respondetur Primò, suadendum esse cuilibet, ut ante Missam, dum format sibi intentionem celebrandi, applicet ejus fructum illis, pro quibus intendit celebrare, si verò ex oblivione, vel inadvertentia hoc omisit, sufficit secun-

dùm omnes, si ante Consecrationem ejus fructum applicet, quia ibi incipiunt essentialia Sacrificii, imò addit Marchantius sufficere, si ante sumptionem ejusmodi applicatio fiat, quia, inquit, sumptio est ultimum complementum totius Sacrificii.

XI. Cujus sit taxare eleemosynam & stipendium pro Missa.

Quæres Tertiò: Ad quem spectet taxatio Eleemosynarum, & stipendiorum, quæ pro celebratione Missarum à Fidelibus offeruntur? Respondetur, summi Pontificis & Episcoporum in suis Diœcesibus esse stipendia pro Missis celebrandis taxare, consideratis circumstantiis loci, temporis, Personarum, & occupationum, ùt decernit Trident. Sess. 25. de Reformatione c. 4. neque potest in hoc respectu omnium Regionum & Personarum eadem taxatio fieri.

XII. Quædam dubia proponuntur.

Sed dubium est *Primò*, an qui tenuem nimis Eleemosynam, puta mediam partem stipendii taxati accepit ab uno pro sacro legendo, & aliam mediam partem ab alio possit per unam Missam utrique obligationi satisfacere, aut teneatur pro quolibet integram Missam applicare?

Secundò dubitatur, an qui magnum nimis numerum Sacrorum vel ad fundationem, vel aliô modô pro tenui Eleemosyna acceptavit, posset minuere numerum, aut reducere ad tot Sacra, ut cuilibet justum stipendium correspondeat?

Tertiò dubitatur, an saltem possit Sacerdos fructum, qui sibi specialiter debetur, tradenti Eleemosynam applicare, sicque pro una Missa sive ab eodem, sive à diversis, duas taxatas Eleemosynas accipere, unam, quatenus ipsi valorem medium, & alteram, quatenus applicat ipsi valorem sibi debitum.

Quartò denique, an Parochus diebus istis, quibus ex officio tenetur Missam pro Parochianis offerre, possit pro ea ab aliis stipem accipere, eisque fructum Sacrificii applicare.

XIII. Accipiens medium stipendium à duobus, nequit unâ Missâ satisfacere utrique.

Ad Primum Respondetur: Non posse utrique obligationi taliter contractæ per unam Missam satisfieri, quia licèt Sacerdos ab initio non tenebatur, nec fortassis debuit tam exiguum stipendium pro integro sacro accipere, ex quo tamen semel acceptavit, & liberè pro eo sacrum promisit, tenetur juxta intentionem dantis integrum Sacrum applicare; scienti enim, & volenti, ac liberè consentienti non fit injuria.

XIV. Qui magnum nimis numerum Missarum pro tenui eleemosyna acceptavit, nequit illum minuere privatâ authoritate.

Ad Secundum Respondetur, non posse Sacerdotem in tali casu minuere numerum Sacrorum, nec talem reductionem privatâ Authoritate posse fieri, nam Trident. Sess. 25. de Reformatione cap. 4. concedit hoc solis Episcopis in Diœcesana Synodo vel Abbatibus, & Generalibus Ordinum in Capitulis Generalibus, ut re diligenter perspectâ, ac necessitate consideratâ, ea in hoc puncto statuant, quæ magis ad DEI honorem, & Cultum, ac Ecclesiarum utilitatem viderint expedire, non desunt tamen aliqui Authores à Bonacinna disp. 4. q. ultimâ, puncto 7. §. 2. n. 8. citati, qui docent Sacerdotem, cui exigua Eleemosyna offertur pro Celebratione Missæ, posse illam & plures similes usque ad debitam taxam accipere, & pro omnibus unâ Missâ sacrificare, modò in receptione cujuslibet partis taceat, nec integram Missam expresse promittat, aut Juri suo vel debitæ taxæ cedere intendat, ita Corduba, Azorius, Sotus, & alii, quibus tamen in hoc non consentit Bonacinna: quia revera aliquam deceptionem id sonat, cùm Eleemosyna quantumvis exigua integrum Sacrum petat, nec nisi ex suppositione integræ applicationis quidquam dedisset.

XV. Non satisfacit Sacerdos pro duplici justo stipendio applicando fructum medium & sibi debitum.

Ad Tertium Respondetur: Cum Bonacinna loco citat. n. 15. negativè: Tum, Quia, ùt suprà ostensum est, specialis ille valor Sacrificii ex natura sua pertinet ad Sacerdotem, non minùs quàm valor Generalis totius Ecclesiæ, nec potest una vel altera à Sacerdote mutari vel aliis applicari: Tum etiam, Quia non potest Sacerdos certè scire, se esse in gratia, aut capacem fructûs hujus sacrificii, adeóque fructum sibi in Sacrificio debitum non potest alteri certitudinaliter applicare, aut pro eo stipendium recipere: Tum denique,

Quia

Quia ignoratur, utrum valor specialis Sacerdoti correspondens sit æqualis valori medio, qui potest & debet tradenti stipendium applicari, adeòque non potest intuitu utriusque valoris duplicatum stipendium accipere, quidquid in contrarium dicat Navarrus in Manual. c. 25. nu. 92. & pro se objicit, quòd Sacerdos possit medium istum valorem sibi ipsi applicare, & per hoc duplicem fructum recipere, ergò etiam, inquiunt, poterit suum fructum alteri applicare, & consequenter amplam Eleemosynam accipere. Ad Respon: negò Consequentiam. Disparitas est, quòd valor medius sit applicabilis ipsi, quem Sacerdos elegerit, sive sit persona propria, sive aliena, adeòque benè poterit istum valorem sibi ipsi applicare, sed valor specialis Sacerdoti celebranti ex natura rei debitus, est alteri applicabilis, sicut nec valor generalis toti Ecclesiæ debitus, adeòque intuitu istius valoris aliis applicandi nullum poterit Sacerdos stipendium accipere.

XVI. Parochus tenetur aliquando vi officii applicare Missam pro suis Parochianis.

Ad Quartum denique Respondetur teneri Primò, Parochum vi sui officii aliquando applicare Sacrum pro suis Parochianis, ùt docet Trident. Sess. 23. C. 1. de Reformatione. Sed quia non semper tenetur Parochus pro suis Parochianis Missam applicare, sicut nec quotidie celebrare, sed sufficit secundùm aliquos, ut in festis solemnioribus pro ipsis Sacrificium offerat, quibus addunt alii dies Dominicos, hinc certum est, posse ipsum aliis diebus, quibus celebrat accipere stipendium pro Sacro.

XVII. Nequit Missa anticipate applicari pro oblaturis postea eleemosynam.

Quæres Quartò: An Sacerdos aut Superior Regularis, qui hic & nunc nullam habet Eleemosynam pro Sacris legendis possit anticipando unum aut plura Sacra legere, applicando valorem ipsorum illis, qui postmodum Eleemosynam pro Sacrificio sunt oblaturi, ita ut per anticipata illa Sacra noviter offerentibus satisfiat, eorúmque intuitu possint debitum stipendium postmodum pro Sacris oblatis accipere? Respondetur negativè: Quia talis modus præter nimiam cupiditatem lucri, quem præ se fert, multùm retraheret homines ab Eleemosynis in futurum dandis pro Celebratione Missarum, dum quilibet sibi facilè persuaderet Sacerdotem accipere stipendium pro Celebratione Missæ, & obligationi non satisfacere, & sanè ridiculum videretur, si Sacerdos offerenti Eleemosynam diceret applico tibi Sacrum, quod ante duas aut tres septimanas legi, cùm offerentes Eleemosynam non sint præsumendi in talem satisfaciendi modum velle consentire, unde S. Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum anno 1605. 15. Novembris ex mandato Clementis VIII. strictissimè prohibet ejusmodi applicationem aut reservationem fieri, talémque Consuetudinem tanquam periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explodit, & improbat.

Quæres Quintò: An possit Sacerdos pluries de die celebrare, sive ad lucrandam stipem, sive ad satisfaciendum officio, vel ex aliis motivis licitis? Respondetur Primò: Sacerdotes teneri aliquando, & etiam plùries in anno celebrare, nisi justo impedimento excusentur, ùt constat ex ipsius Christi mandato, Lucæ 22. *Hoc facite in meam Commemorationem*, quibus verbis, inquit Tridentinum Sess. 22. C. 1. præcepit Christus Apostolis, eorúmque in Sacerdotio Successoribus, ut hoc Sacrificium offerant, quòd etiam ad hoc sæpius in anno teneantur, docet Trident. Sess. 23. C. 14. de Reformatione. *Curet*, inquit, *Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam animarum habuerint tam frequenter, ut muneri suo satisfaciant, Missas celebrent. &c.* Unde *cap. Dolentes. de Celebrat. Missa.* graviter reprehenduntur nonnulli Sacerdotes, qui vix quater in anno celebrant, & ibidem suspensione à Divinis, & aliis pœnis plectuntur. XVIII. Sacerdos tenetur in anno aliquando celebrare, etiam pluries.

Nunc ad Quæstionem principalem Respondetur: Per se loquendo & extra XIX. Per se non licet pluries eodem

die celebrare, excepto Natali Domini. & extra casum necessitatis non licere Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare, exceptâ nocte Nativitatis Domini, ita habetur expresse Cap. Consuluisti. de Celebrat. Missar. ubi Innocentius III. *Respondemus*, inquit, *quòd excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessaria suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodò celebrare*, ubi per ly *sufficit* intelligunt communiter Authores *possit*, quia de tali posse interrogavit Episcopus Vigorensis, cui in illo capite respondit Pontifex, & *Cap. Sufficit. de Consecr. d.* 1. Idem docet Alexander II. *Sufficit*, inquit, *Sacerdoti, unam Missam in die una celebrare*, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Quæ autem necessitas requiratur aut sufficiat ad bis, aut sæpius de die celebrandum, non ita conveniunt inter se Doctores, quibusdam plures casus necessitatis, aliis pauciores assignantibus, præcipui sunt sequentes.

XX. Habens duas Parochiales Ecclesias, potest in casu bis de die celebrare.

Primò: Ne populus aut illius pars notabilis die Dominica, vel Festo solemni Missâ careat, ut si unus Sacerdos præficiatur duabus vel tribus Ecclesiis Parochialibus, neque aliter possit utrique populo providere, aut satisfacere, nisi utrobique in eodem Festo celebrando, tunc enim, nisi Lex aliqua specialis aut Consuetudo Patriæ sit in contrarium, poterit Sacerdos ad satisfaciendum duo ad minùs sacra eodem die Festo celebrare, & hoc deberet â diligentibus Pastoribus ubique practicari, maximè in locis, in quibus vel propter paucitatem Sacerdotum, vel paupertatem Parochiarum plures Parochiæ uni Sacerdoti committuntur.

XXI. Potest idem bis de die celebrare in peregrinatione solemni, vel Dedicatione Basilicæ.

Secundus Casus necessitatis est: ubi habetur solemnis Peregrinatio, nec Peregrinorum multitudini unâ Missâ satisfieri potest, quod etiam in Dedicatione alicujus Basilicæ, ubi tantus est Populi concursus, ut in eadem non possit totus populus Missam audire, admittit S. Leo Epistola 81. C. 2.

Tertia Necessitas censetur, quando in Paschate ex aliqua inadvertentia non essent sufficienti numero hostiæ consecratæ ad communicandum populum, vel quando ad communicandum infirmum in articulo mortis deesset hostia consecrata: In his enim casibus propter moralem necessitatem licitum est, se loquendo, bis de die celebrare, nisi specialis prohibitio, aut Consuetudo locorum obstet. His addunt alii Casum sepulturæ faciendæ, benedicendi Nuptias, item propter peregrinos advenientes, ut Sacrum audiant, maximè si sint Personæ spectabiles, in quibus & similibus ajunt, licitum esse Sacerdoti duas Missas de die celebrare, & refert Baronius ad Annum 816. S. Leonem unâ die septies vel nonies celebrâsse; Sed in his standum est legitimè locorum Consuetudini, illud communiter docent omnes, Ecclesiam non permittere pluralitatem Sacrorum, nisi Sacerdoti jejuno, nec ordinariè permittere eodem die plura, quàm duo Sacra legi, exceptâ Nocte Nativitatis Domini. XXII. Referuntur adhuc alii casus, in quibus licet bis celebrare de die.

Quæres denique: An liceat Sacerdoti ante lectum Matutinum Sacrum legere? Respondetur, mirabilem esse discordiam DD. in præsenti puncto apud Bonacinnam, Disp. 4. de Eucharistia; Plurimi enim putant peccatum mortale committi, ab eo, qui ante lectum Matutinum præsumit legere Sacrum, nisi necessitas aut alia justa causa excuset, quales possunt esse Infirmitas, nimia Occupatio, Necessitas proximi, nimia retardatio populi, &c. pro qua sententia refert Bonacinna 36. DD. Alii plures, cum quibus Bonacinna ipse putant in proposito peccatum ad minus veniale committi, eóque gravius, quò minor est necessitas, & major negligentia celebrantis. XXIII. Celebrare ante lectū Matutinū alii putant esse mortale, alii Veniale.

Alii denique, cum quibus teneo, docent, nullum nec quidem veniale esse peccatum, celebrare Sacrum ante lectum Matutinum, si non fiat in fraudem, aut ex contemptu; XXIV. Si non fiat in fraudē, aut ex contemptu, nullum est peccatum.

ptu. Ita præter alios Marchantius Tomo 2. Tract. 2. part. 2. tit. 4. q. 2. Et ejus ratio fundamentalis est, quòd nullo præcepto Divino vel Ecclesiastico præcipiatur Matutinum legi ante Celebrationem Missæ, aut prohibeatur Missa celebrari ante lectum Matutinum; ubi autem non est lex, ibi nec prævaricatio Legis. Deinde nulla est connexio quoad tempus vel ordinem inter officium horarum, & Sacrificium Missæ, adeóque poterit pro libitu ante vel post lectum Matutinum Missa absque omni scrupulo celebrari, licèt consultiùs sit & ordinatius Matutinum ante Sacrum persolvere.

Nec refert, quòd Pius V. in initio Rubricarum Missalis districtè præcipiat in virtute S. obedientiæ, Missam celebrari juxta ritum Missalis, & etiam inter ritus Missalis contineatur, ut Sacerdos prævià Confessione, cùm opus fuerit, & saltem Matutino cum laudibus absoluto orationi aliquantulum vacet, priusquam Missam celebret. Respondetur: Præceptum illud Obedientiæ cadere tantùm super ritus præceptivos, & præcipuos, ex quibus Missa constituitur, nihil autem habet officium horarum cùm ritibus Missalis, aut Sacrificio Missæ commune, & quod dicitur in Rubricis Missalis de recitando Matutino cùm laudibus ante Missam, congruitatis est & devotionis, non autem obligationis, sicut & id, quod sequitur, Orationi aliquantulum vacent, quod certum est sub præcepto non obligare.

XXV. Objectioni in Rubricis Missalis fundatæ respondetur.

Vel secundùm alios Rubricæ loquuntur de Missis Conventualibus à Canonicis cantari solitis, quæ in probabiliori sententia, quam sequitur Mattha, Dorotheus, Nugnus &c. non possunt licitè ante lectum Matutinum in choro celebrari.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Ritibus in Missa observandis.

I. Ritus essentiales Missæ qui & quàm obligent.

Ritus in Missa observandi sunt in duplici differentia, alii sunt essentiales, qui ad essentiam spectant, Materiam scilicet, Formam, Consecrationem, Intentionem Ministri, & Sumptionem Sacramenti pertinent, & ad hos observandos tenentur Sacerdotes sub gravissimo Sacrilegio.

II. Ritus accidentales qui, & quotuplices.

Alii sunt Ritus accidentales, qui ab Ecclesia ob reverentiam, & majorem solemnitatem Sacrificii sunt superadditi, & hi sunt adhuc in triplici differentia. Alii enim spectant ad integritatem actionis externæ Sacrificii. Alii concomitanter velut, sed ex necessitate referuntur; &, Alii sunt merè directivi; ad integritatem Missæ spectant ab Introitu usque ad offertorium; ab hoc usque ad Canonem, & ab hoc usque ad finem Missæ, & qui ex his aliquam notabilem partem scienter omitteret, peccaret mortaliter; Notabilem autem partem putat Marchantius, & Sabarella, si quis totam Epistolam cum Graduali omitteret, oblationem, aut aliquam partem Canonis. Ritus concomitantes ex necessitate requisiti sunt, locus sacer, tempus opportunum, Altare cum suis Paramentis, vasa sacra, & Ornamenta Sacerdotalia.

III. Locus pro celebranda Missa debet esse sacer, & consecratus vel benedictus.

Et imprimis ex parte loci requiritur, quòd sit sacer ab Episcopo, vel alio habente authoritatem consecratus vel benedictus *ex Cap. Nullus Presbyter de Consecrat. dist.* 1. ubi Sylvester Papa decernit, ut nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de extero voluerit esse Sacerdotii, & *Cap. Missæ solemnia de Consecratione. dist.* 5. *Missarum*, inquit, *Solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Unde Trident. Sess. 22. in Decreto de observandis, & vitandis in Celebratione

Missæ præcipit Ordinariis locorum, nè patiantur in privatis domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad Divinum Cultum dedicata Oratoria ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus vel Regularibus quibuscunque peragi non obstantibus Privilegiis, & exemptionibus quibuscunque.

Extant tamen Privilegia post Tridentinum concessa Religiosis Mendicantibus, virtute quorum possunt in quocunque loco decenti cum Altari portatili, etiam sine licentiâ Episcopi Missam celebrare.

IV. Non interdictus. V. Nec pollutus. Secundò requiritur, ut locus non sit interdictus. Tertiò, quòd non sit pollutus publicâ & notoriâ Sanguinis humani, vel seminis effusione, ex Cap. Si Ecclesia de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris, polluitur item Ecclesia, si in ea sepeliatur Excommunicatus aut Hæreticus, *ex Cap. Constituisti. de Consecrat. d.* 1.

VI. Quo tempore possit celebrari Missa. Ex parte temporis, Ecclesiæ Antiquæ fuit ordinatio, ut ab Aurora usque ad Meridiem Missæ celebrentur, sed in plerisque jam locis videtur hoc consuetudine sublatum, dum pluribus horis ante Auroram maximè in hyeme solent Sacra legere, & post meridiem, secundùm Bonacinnam, Marcantium, ubi urget necessitas, aut alia justa causa potest Sacerdos absque scrupulo una hora post meridiem celebrare, sicut quibusdam Religiosis concessum est Privilegium celebrandi usque ad horam tertiam, vel secundam.

VII. Altare debet esse lapideum, consecratum, &c. Quoad Altare sive Portatile sit seu mobile, sive fixum & stabile, debet esse lapideum, *ex Cap. Altaria. de Consecrat. d.* 1. Secundò debet esse ab Episcopo consecratum, *ex Cap. Ministrare. d.* 26. *q.* 3. Tertiò debet esse tantæ capacitatis, ut possit totam hostiam cum majore parte pedis Calicis in se continere. Quartò non debet esse enormiter fractum, *ex Cap. Quid in dubiis de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.* Quintò, denique debet esse ornatum tobaliis ad minus duabus, ùt ait Marcantius, unâ plicatâ, & corporali de syndone mundanâ, quod cooperiat ad minus locum Calicis & Hostiæ.

Vasa sacra intelliguntur in proposito Calix cum Patenâ, quæ Primò debent esse aurea vel argentea, ex *Cap. Ut Calix. de Consecrat. dist.* 1. ubi excluditur lignum propter porositatem, & vitrum propter fragilitatem. VIII. Calix & Patena nequeunt esse ex ligno vel vitro.

Secundò, debet esse Calix cum Patena ab Episcopo per Unctionem, & singularem benedictionem consecratus, ùt habetur Titul. de S. Unctione, in fine. IX. Debent esse consecrata.

Denique, circa Ornamenta Sacerdotalia habetur Præceptum in *Cap. Vestimenta. de Consecrat. dist.* 1. ut nullus Sacerdos celebrare præsumat absque vestibus sacris, & ab eo, qui potestatem habet benedictis. X. Et Vestimenta Sacerdotalia benedicta.

Ritus directivi dicuntur illi, qui in Sacrificio quidem ex Rubricis Missarum adhibentur, sed ad ejus necessitatem, vel integritatem non spectant, ùt sunt Versiones ad populum, Cruces, Elevationes Manuum, Tunsiones pectoris, sed horum omissio plerumque est venialis, nisi ex Contemptu, gravi injuriâ, vel proposito fiat, & tunc est mortalis. Et hæc de Sacramento Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ ad supremi rerum Moderatoris DEI Gloriam, Gloriosissimæ Matris Mariæ, Apostolorum Petri & Pauli, ac Sanctorum Francisci & Antonii, ac omnium Sanctorum Honorem dicta sufficiant. XI. Ritus directivi qui, & quomodo obligent.



TRA-

TRACTATUS V.
DE
POENITENTIA.
PROOEMIUM.

Misericors & Miserator Dominus noster & pientissimus Unguentarius JESUS Christus cognoscens vitam humanam, diuturnitate temporis tàm corporis quàm animi morbos, & defectus contrahere, quartum unguentum confecit ex Fistula, quæ arbor est aromatica, & de emissionibus Paradysi in altum consurgens, & sese suprà se elevans, teste *Gilberto Porretano serm. 36. in Cantica.* Apposité equidem Sapientissimus Medicus attingens à fine usque ad finem omnia fortiter & suaviter ex fistula conficit medicamentum, proportionem namque debet cura, & medicatio morbo. Animæ morbus, S. Francisco teste, *Fistula est*, ulcus videlicet manans, callosum sinuosum, ex abscessibus malè curatis originem trahens, & hominem abjectum despectum, pérque omnia miserum reddens, sic quoque ait Gilbertus, *Fistula est, quando sponsa excedit DEO*, per peccatum scilicet: Pro fistula igitur ex fistula unguentum salutis conficit unguentarius, qui ex malis bona scit elicere. Per fistulam igitur, per Pœnitentiam resurgere, & ad Cœlestia consurgere debet quisquis infelicis fistulæ peccato laborat; quàm autem necessarium sit hominibus ulcerosis hoc medicamentum, ipse Medicus inculcat apud Evangelistam suum dicens: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et Gilbertus consulit: *Quasi fistula, quæ crescit in aquis, ita inter orationum lacrymas exurgas in altum.* Porrò

ego

ego omnibus animarum curam gerere volentibus super veritatem hanc adjicio, nisi pœnitentiam sciveritis, omnes simùl errabitis, Confessariis namque si alicubi, hìc in penetrandis & dissolvendis difficultatibus studium est necessarium ; Et nunc, verba sunt Malachiæ Prophetæ cap. 2. *Ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes, si volueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis - - - labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus populi, quia Angelus Domini exercituum est:* videlicet ut peregrinantes à Domino ducant, & hinc euntes, & indè revertentes: ut, de quo olim non facto lamentatur Ezechiel, *infirmum consolident, ægrotum sanent, confractum alligent, abjectum reducant, & perditum quærant*, ne audire cogantur Supremi Judicis terribilem apud Matth. comminationem : *Væ vobis Duces cæci !* sanè væ ! *si enim cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Certò hìc valeo illud viri Æthiopis usurpare, & quomodo possunt intelligere, ut faciant ista, si non aliquis ostenderit illis, & si non ipsi sedulò, & indefessè scientiæ huic profundæ, & tanto officio debitè sese applicuerint ? Sed prius relege Concilii Tridentini circa hanc materiam Canones, qui sunt sequentes :

Canon I.

SI quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum : anathema sit.

Canon II.

SI quis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post Naufragium tabulam appellari : anathema sit.

Canon

Canon III.

SI quis dixerit, Verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda, de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit.

Canon IV.

SI quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: anathema sit.

Canon VI.

SI quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino: aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi Præcepta & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam Confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle Divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demùm non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam. aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexûs Christi Fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi Fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ: anathema sit.

Canon IX.

SI quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata Confitenti: modò tantùm credat, se esse absolutum: aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos ipsum absolvere possit: anathema sit.

Canon X.

SI quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & absolvendi non habere: aut non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi Fidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta

& in

& in cœlo: & quorum remiseritis peccata, remittantur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit: secreta verò per spontaneam confessionem: anathema sit.

Canon XI.

SI quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quo minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat: anathema sit.

Canon XII.

SI quis dixerit, totam pœnam simùl cum culpa remitti semper à DEO, satisfactionémque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

Canon XIII.

SI quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè DEO per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam: anathema sit.

Canon XIV.

SI quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus DEI, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

XV.

SI quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum: & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas Confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi: & fictionem esse, quòd virtute Clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Pœnitentia ut Virtute.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Pœnitentia? Quidquid Pœnitere?

I. Etymō Pœnitentiæ. EX diversa acceptione ly Pœnitere, imò ex diversis actibus Pœnitentiæ diversæ ejusdem adferuntur Descriptiones. Et inprimis nonnulli volunt, Pœnitentiam aliud non esse, quàm *Pœnæ tenentiam*, verùm ut patebit ex prima Conclusione, id perperam asseritur, licet nominetenus originem sic trahat. Actus autem, ex quibus alii suas reales assumunt definitiones vel descriptiones enumerat D. Paulus 2. Corinth. 7. dicens: *Ecce enim hoc ipsum*

II. Actus Pœnitentiæ enumerati à D. Paulo. *secundùm DEUM contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*; cum paulò antè dixisset: *Tristitiam*, quæ secundùm DEUM est, pœnitentiam in salutem stabilem operari. In quo textu sentiunt Patres, communiter Divum Paulum sequentes enumerare actus Pœnitentiæ, videlicet, *solicitudinem* expiandi delictum: *defensionem* eorum, qui nos ad pœnitentiam inducunt, sicut Paulus ad Corinth. contra Pseudo-Apostolos defensus fuit, cùm ob incæstum pœnitentiam egissent: *Indignationem* contra peccatum: *Timorem*, nè homo recidat in peccatum: *Desiderium* satisfaciendi: *Æmulationem & Zelum* contra peccatores: Et tandem *Vindictam*, id est, Peccatorum castigationem, ita Theod. Theoph. Ambros. S. Thomas, &c. Nam in textu allegato particula *Sed* significat Imò, seu, *sed* &, ut sensus sit, Contristatio mea operata est in vobis non modò solicitudinem, sed & defensionem, sed &, &c.

Ex his enumeratis actibus quatuor tamen potiores sunt: Primus est *Volitio detestandi peccatum*, quod Scotus appellat velle imperativum, quia voluntas imperat Intellectui ejusdem considerationem &c. Secundus *detestatio, nolitio facti, dolor, & Tristitia de commisso*: Tertius *Acceptatio tristitiæ seu pœnæ inflictæ sibi*: Quartus, *Patiens ejusdem pœnæ sufferentia*: Nam licèt habeant semper pro objecto peccatum aut pœnam vel tristitiam, habent tamen omnes illi actus sub diversa, quasi specie, ratione, scilicet sub diversis considerationibus. His præmissis III. Pœnitentiæ actus potiores quatuor.

Dico Primò: *Pœnitentia nequit dici pura pœnæ tenentia.* Ita Doctor Subt. 4. d. 14. q. 1. a. 6. 7. &c. Probatur Primò: Quia damnati tenent pœnam intensivè & extensivè gravissimam, & tamen non dicuntur pœnitere, ergò pœnitere non est pura pœnætenentia. Probatur Secundò: Pœnitentia debet esse satisfactiva & reconciliativa Personæ offensæ, sed per puram pœnæ tenentiam nec homines quidem reconciliantur, & placantur, ut patet de servis sustinentibus invitè pœnas inflictas &c. ergò. IV. Pœnitentia nequit dici pura pœnæ tenentia.

Dico Secundò: *Pœnitentia debet esse Pœna voluntaria de peccatò commisso, quoad aliquem actum ex quatuor specificatis.* Ita Doctor suprà cit. ubi Nota, quod quamvis generaliter loquendo quæcunque afflictio, & quodcunque disconveniens etiam corpori dici possit pœna, propriè tamen est tristitia in parte intellectiva, residens ex iis, quæ nobis nolentibus acciderunt, ut loquitur D. Augustinus. Hoc posito probatur Conclusio: Quia Pœnitentia est honesta, actusque laudabilis (de ea etenim V. Pœnitentia debet esse pœna voluntaria de peccato, quoad aliquem actū ex quatuor suprà specificatis.

Digitized by Google

etenim hic ago, ut est actus, ex quibus multiplicatis generatur habitus) atqui actus laudabilis & honestus debet esse voluntarius, ergo. Deindè, Est meritoria, est præcepta à DEO, ergo. Tertiò, Quia illi tantùm, secundùm communem modum loquendi, dicuntur agere pœnitentiam, qui voluntariè assumunt pœnam, ut patet discurrenti per omnes pœnitentiæ actus, & per omnes pœnalitates, quas sibi aliquis etiam in corpore affligere potest vel solet. Quartò: Ex modo loquendi ipsiusmet Sacræ Scripturæ, quæ toties quoties pœnitentiam inculcat, aliud non intendit, quàm voluntariam pœnam, ergò, Pœnitentia debet esse voluntaria Pœnæ tenentia. Sed in Contrarium

VI. Illi tantùm dicuntur agere pœnitentiam, qui voluntariè assumunt pœnam.

Arguitur Primò: Nemo potest dici puniri in eo, quod vult, ut patet in damnatis animabus & Angelis, quæ nullam haberent pœnam ex præsentia ignis ejusque intensissimâ consideratione, si non nollent eum considerare, in eoque detineri, quia etiam pœnalitates volitæ & voluntariæ sunt pro solatio. ergo. Respond. Dist. ant. quod vult absolutè cum involuntario secundùm quid, nego ant. Sine omni involuntario concedo ant. Et ad rationem & paritatem de damnatis dico, eos nullo modo velle pœnam consequenter non pœnitere, Pœnitens ergo vult pœnam, quia est conformis Justitiæ, quæ exigit pro peccato pœnam. Non vult autem, seu habet tamen admixtum involuntarium respectu voluntatis amantis proprium commodum & delectabilia, Quod patet de morte Christi, quæ fuit voluntaria, quatenus conformis voluntati amanti Redemptionem humani Generis, Involuntaria, quatenus discordabat à voluntate amante conservationem vitæ propriæ, undè etiam prorupit in illa verba: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste.* Sicut autem Mors Christi est voluntaria simpliciter, involuntaria secundùm quid, ita pœna pœnitentis est voluntaria simpliciter, involuntaria secundùm quid. Deindè, licèt Pœna non sit voluntaria simpliciter quoad actum primum, tamen simpliciter potest esse voluntaria quoad actus alios, videlicet, in quantum Tristitia illa voluntariè acceptatur, & patienter sufferiur. Sed

VII. Potest quis dici puniri in eo, quod vult absolutè cum involuntario secundùm quid.

VIII. Pœna pœnitentis est voluntaria simpliciter, involuntaria secundùm quid.

Arguitur Secundò: Pœnitentia debet esse pœna voluntaria, ex quatuor actibus specificatis, sed pœna potior & propriè loquendo est Tristitia de commisso peccato, ergò etiam Pœnitentia debet esse Tristitia. Atqui, subsumò, frequenter evenit, quod in pœnitente nulla causetur Tristitia, ut patet in Maria Magdalena Pœnitentium Magistra, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum; Patet hoc idem in pluribus aliis, qui dolent de peccatis, absque eo, quod habeant tristitiam. ergo. Respond. Primò, distinguendo subsumptum, frequenter evenit, quod in pœnitente nulla causetur tristitia formalis transeat Virtualis: nego subsumptum, & hæc fuit in Maria Magdalena, nam ut benè Doctor Subtilis 2. d. 6. qu. 2. Omnis Nolitio causatur ex aliquà volitione, & omnis amor concupiscentiæ ex amore amicitiæ, Nolitio ergo causatur ex volitione, quia nihil odi, nisi pro quanto aliud amo, v. g. Si odi Paulum, est quia diligo aliquid, cui judico, Paulum esse disconvenientem, quare si aliquis haberet perfectum actum amoris DEI, ad illum nata est sequi omnis detestatio peccati, si occurreret memoriæ, & talis amor dicitur virtualis peccati detestatio.

IX. In pœnitēte, si non formalis, saltem causatur tristitia virtualis.

Ad alteram instantiam Respond. Distinguendo ant. Absque eo, quod sequatur Tristitia in effectu concedo, in affectu nego. Dupliciter etenim potest quis sibi infligere pœnam, nimirum in effectu, quando actualiter sequitur Tristitia: & in affectu, quando applicat causas immediatas productivas Tristitiæ, sive sequatur, sive non, sicut dicitur Justitiarius in affectu, qui applicat media ad puniendos delinquentes, licèt punitio non sequatur ex impedimento altiori, fortiori, &c. aut ex aliis rationibus,

X. Dupliciter quis potest sibi infligere pœnam, in effectu, & in affectu.

bus, sic quoque evenit in Pœnitentibus quibusdam, qui applicant omnia media ad causandam Tristitiam, & dolorem, ob naturalem dispositionem tamen neutrum sequitur, tales tamen non possunt dici non pœnitere, sed saltem pœnitere in affectu.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm Pœnitentia sit Virtus, eaque specialis, & qualis?

QUantum ad primam partem Quæstionis minor, major quoad secundam & tertiam est difficultas, quæ oritur ex illis quatuor diversis actibus, nempè ex actu imperativo volendi detestationem, per quem voluntas imperat peccati considerationem, veluti Divinæ Majestatis offensivum & adversum, cùm sit summè diligenda, deindè ut illud nolit & detestetur; secundus est detestatio ipsa & nolitio, quare hic actus est prioris objectum intentionale, & ab ipso revera distinctus, quidquid dicant Recentiores, tenentes oppositum, eò quod detestari actualiter peccatum, involvit simpliciter velle illud detestari, Nam licèt si ipsis videatur, revera tamen sic non est, nam loquendo de voluntate formali & expressa vindicandi peccatum, revera non semper coincidit cum actuali detestatione, contingere etenim potest, quempiam perfectè detestari peccatum sine tali voluntate expressa vindicandi peccatum, videlicet ex motivo Charitatis, Spei, Timoris, Gratitudinis, Religionis &c. Imò etiam quando simul concurrunt, sunt distincti & diversi, Quia velle vindicare peccatum, ad ponendam æqualitatem inter DEUM & peccatorem est actus prosecutionis, nam imperare pœnam, & desiderare eam, est volitio, non fuga aut nolitio; detestatio autem peccati est nolitio & actus fugæ, ergo. His præmissis

I. Voluntas expressa vindicandi peccatum, & actualis detestatio peccati distinguuntur.

II. Pœnitentia verè est virtus.

Dico Primò: *Pœnitentia est verè virtus.* Ita Doctor Subtilis 4. d. 14. qu. 2. Probatur Primò, Quia præcepta Divina non dantur, nisi de actibus virtutum, sed de Pœnitentia agenda est præceptum, ergò, probatur minor, Matth. 4. *Agite pœnitentiam, &c.* ergo. Probatur Secundò, Quia Pœnitentia, si consideretur habitualiter, est habitus electivus secundùm rectam rationem; est per se principium actûs laudabilis: Est Dispositio perfecti ad Optimum, nempè ad DEUM. Et est qualitas, quâ benè vivitur, & nemo malè utitur. Sed in Contrarium sic

Arguitur. Virtus debet habere pro objecto bonum, sed pœnitentia non habet pro objecto bonum, sed malum, nempè peccatum, in quo nihil est bonitatis, ergo. Respond. negando minorem cum probatione. Peccatum enim, licèt in se nihil habeat bonitatis intrinsecæ, & ùt secundùm se consideratur, habet tamen aliquid bonitatis extrinsecæ, nempè quod sit detestabile & punibile, quod est rectæ rationi conforme. III. Peccatum habet aliquid bonitatis extrinsecæ.

Instatur: Verecundia non est Virtus, quia supponit turpitudinem, ùt docet Aristoteles, sed pœnitentia etiam præsupponit Turpitudinem peccati commissi, ergo. Respond. Dist. maj. Verecundia Passio non est virtus, concedo majorem, Verecundia habitus electivus moderans appetitum circa delectabilia Visûs & Tactûs, nego majo. Aristoteles loquitur tantùm de Passione. IV. Quæ Verecundia sit virtus, quæ non.

Dico Secundò: *Pœnitentia non est virtus Theologica, sed Moralis.* Ita Bassolius, Mastrius, Aretinus &c. Probatur: Virtus Theologica debet habere DEUM pro objecto, & non aliquid creatum, nempè commissum peccatum, tanquam punibile & vindicabile, quæ omnia sunt creata, ergò. Sed V. Pœnitentia non est virtus Theologica.

Dices: Pœnitentia respicit Deum tanquam offensum peccato, placabilem per pœnitentiam, ergo. Respond. Negando Consequentiam, Quia etiam Religio respicit DEUM ut colendum, quæ tamen non est virtus Theologica, quia non respicit DEUM VI. Pœnitentia non respicit Deum intrinsecè & in recto.

DEUM ùt finem & objectum intrinsecum, sed extrinsecum, intrinsecè enim respicit Cultum Divinum & DEI, sic quoque pœnitentia respicit intrinsecè vindicabilitatem peccati, & extrinsecè DEUM tanquam offensum per peccatum, consequenter non est virtus Theologica. Verbò dico rem clarius, Pœnitĕtia & Religio non respiciunt Deum in recto, sed in obliquo, in recto autem vel cultū vel vindicabilitatem, quæ sunt creata.

VII. Pœnitentia ùt habitus inclinans ad volendum vindicare peccatum, est virtus specialis.

Dico Tertiò: *Pœnitentia secundum primum actum considerata, seu pro habitu inclinante advolendum vindicare peccatum est virtus propriè dicta & specialis.* Hæc est Doct. 4. d. 14. qu. 2. a. 1. Fabri, Aretini, Tartareti, Hiquæi, Mastrii &c. Contra Joannem Maironium, Rubionem &c. Et Probatur Primò: Illa est specialis Virtus, & à cœteris distincta, quæ peculiare objectum formale habet ab aliis, sed pœnitentia habet hoc, ergò, patet Major, Probatur Minor, Pœnitentia respicit peccatum ùt vindicabile, punibile & expiabile per pœnam, sed hoc objectum est honestum, & per nullam aliam virtutem attingitur, ergo. Probatur minor quoad primam partem; Quia honestum & laudabile est velle punire id, quod DEUS vult punitum & vindicare, quod est offensivum Summæ DEI bonitatis, sed peccatum est offensivum DEI, vultque DEUS illud punitum, ergo. Probatur minor superior, videlicet quòd nulla alia virtus hoc objectum sic attingat, per inductionem omnium virtutum tàm Theologicarum, quàm Moralium, Fides enim non attingit objecta sua, nisi ùt revelata; Spes ut Bona possidenda; Charitas bonum fruendum: Fortitudo, ùt ardua aggredienda, Temperantia ùt Mediocria ad temperandum delectabile gustûs & tactûs: Denique neque Justitia commutativa aut distributiva sub hac ratione peccatum attingunt, ergò.

VIII. Alia ratio ad idem.

Probatur Secundò: Pœnitentia habet particularem difficultatem attingendi suum objectum distinctam ab aliis virtutibus, earúmque difficultatibus, sed ubi talis est specialis ratio, specialis debet esse Virtus, ergo. Probatur major, Quia Pœnitentia non obstantibus illecebris & delectationibus peccatorum, etiam eas expertus sit quispiam, adhuc robur & vires præstat ad illud detestandum, & vindicandum, sed hoc non præstant aliæ virtutes, quia illæ tantum aversantur peccata, prout sibi sunt contraria, seu quispiam expertus sit, seu non, ergò. Confirmatur. Quia peccatum considerari potest non solùm, ùt habet malitiam oppositam cuicunque virtuti, sed etiam ùt est offensa & injuria DEI ùt Supremi Judicis, & Supremi Domini, ergò sub hac ratione particulariter vindicari debet. ergo. Sed in contrarium

Arguitur: Detestari peccatum non est specialis virtutis, sed pœnitentia inclinat ad detestandum peccatum, ergò non est specialis virtus, Probatur major, Quia quælibet virtus, ùt inclinat ad bonum, detestatur malum oppositum illi bono, v. g. Justitia inclinans ad reddendum cuique quod suum est, non vult aliena retinere, vel rapere, & sic de cœteris. ergo. Respond. Dist. detestari peccatum ùt malum est & impeditivum boni, quod per se respicit virtus, non est specialis virtutis, concedo majorem, detestari peccatum ùt vindicabile, nego majorem, vel distingue aliter majorem, detestari peccatum odio repulsæ vel abominationis, non est propriæ virtutis & specialis, concedo majorem odio vindictæ, nego majorem, Pœnitentia autem inclinat ad detestandum odio vindictæ, ergo. IX. Detestari peccatum ùt vindicabile, seu odio vindictæ est virtutis specialis.

Instatur: Una virtus non potest opponi omni vitio, sed pœnitentia opponitur omni vitio, & omni peccato, ergò nequit esse una virtus specialis. Respond. Dist: majo. Sub motivo speciali, sub quo unum vitium distinguitur ab alio, & singula singulis opponuntur virtutibus, concedo maj: Sub motivo universali, in quo secundùm eandem ratio- X. Una Virtus sub motivo universali potest opponi omni vitio.

nem

nem conveniunt, nego maj: singula autem peccata in hoc conveniunt, quod sint vindicabilia, ergo.

XI. Pœnitentia supra dicta non est virtus intellectiva, sed appetitiva.

Dico Quartò: *Pœnitentia hæc non est virtus Intellectiva, sed appetitiva.* Est Scoti & Scotistarum supra. Probatur, Quia Pœnitentia secundùm primum actum non est, nisi velle imperativum detestandi peccata. Sed hoc non convenit potentiis intellectivis, sed appetitivæ, quæ tàm sibi, quàm aliis imperat juxta D. Augustinum dicentem: Nihil esse ita in potestate Voluntatis, quàm ipsa Voluntas. ergò. Probatur Secundò: Virtus intellectiva inclinat habentem ad esse verum & non esse verum, sed Pœnitentia ùt volens vindicare peccatum, non dictat de vero, vel non vero, sed de re aliqua fugienda vel amplectenda, ergò non est virtus intellectiva, sed appetitiva. Sed

Dices: Gemere de peccatis est actus Pœnitentiæ, sed gemere est actus intellectûs, ergò Pœnitentiæ actus est actus Intellectûs, consequenter virtus intellectiva; Probatur min: Quia secundùm D. Hieron. gemere spectat ad Synderesim. Respond. Dist. maj. Gemere est actus Pœnitentiæ imperatæ, concedo maj. Imperantis & elicientis nego majorem. Itaque gemere, si habet rationem Pœnitentiæ, debet à voluntate & ab habitu Pœnitentiæ imperari, Voluntas enim non modo primo & per se in se ipsa elicere potest pœnitentiæ actum, sed etiam imperare omnibus suis potentiis subordinatis, in quas dominium habet, quare si gemitus præcedat voluntatis imperium non erit actus pænitentiæ, sed passio, &c.

XII. Gemere est actus pœnitentiæ à voluntate imperatus.

XIII. Pœnitentia ùt volens vindicare peccatum commissum, non est virtus ad alterum, non ad se.

Dico Quinto: *Pœnitentia ùt volens punire & vindicare peccatum commissum non est virtus moralis ad se, sed ad alterum.* Ita Doctor Subtilis suprà. Probatur, Quia non est ordinatus per se & ex se ad moderanda delectabilia gustûs & tactûs, ergò non est ad se, quia illæ virtutes morales tantùm sunt ad se, quæ circa hæc objecta de se versantur. Confirmatur, Quia velle vindicare in alio peccatum, non est actus ad se, ergò nec velle vindicare in se est ad se actus.

Dices: Manifestum esse actum pœnitentis esse circa seipsum, & non circa alterum, quia seipsum quis castigat & non alterum, ergo. Respond. Dist. ant. Est circa seipsum & seipsum castigat ùt seipsum, nego antecedens, ùt alterum, concedo: Nam ùt subtiliter discurrit Doctor Iste pœnitens punit quatenus est Dei Minister, punitur autem, quatenus est reus, Nam eadem ratione castigaret hic homo, qui est Minister, reum, si reus esset distinctus à Ministro, & DEUS concederet illi talem facultatem.

XIV. Pœnitens castigat se ùt alterum.

Dico Sextò: *Ex omnibus Virtutibus ad alium, quæ sub genere Justitiæ continentur, Pœnitentia non est alia quàm Justitia vindicativa.* Ità Scotistæ communiter, cum suo Magistro. Et quidem de Latria, Dulia, Hyperdulia, Epicheia, Benevolentiâ, Affabilitate, Beneficentiâ, Pietate, Observantiâ, Misericordiâ, & Gratitudine non potest esse dubium, illud tamen est de Religione, Amicitiâ, Pace, quia per pœnitentiam homo reconciliatur & pacificatur cum DEO. Item de Justitia Commutativa & Distributativa, quia pro delicto commutatur pœna, & tantum dandum est de tormentis, in quantum se quisque glorificaverit. Verùm

XV. Pœnitentia spectat ad Justitiam vindicativam.

Probatur: Non esse Virtutem Religionis, quia Religio respicit cultum DEO debitum offerendum non ex quocunque motivo, sed ob summam ejus excellentiam, & quia est principium creationis & Gubernationis rerum omnium, atqui pœnitentia sub hoc motivo DEUM non respicit, ergo. Confirmatur: Peccata Religioni opposita sunt, Idololatria, Blasphemia, Perjurium, &c. Sed peccatum Pœnitentiæ oppositum, quod est Impœnitentia, non est aliquod ex illis, ergò nec Pœnitentia est Religio.

XVI. Non ad virtutem Religionis.

Dices: Sicut sacrificamus Deo pro beneficiis acceptis, sic sacrificamus

XVII. Sacrificatio pro remissione pec-

catorum est actus à Pœnitentia imperatus.

mus quoq; pro remissione peccatorum, sed primum fit ex virtute Religionis, ergò & secundum. Resp. concedendo totum, sed quid sequitur: Nunquid quòd Poenitentia sit Religio? Nequaquam, sed quod actus Sacrificii & actus hic religiosus sit imperatus à virtute poenitentiæ, sicut etiam imperantur alii virtutum actus.

XVIII. Pœnitentia non est Amicitia vel Pax.

Probatur quoq; non esse amicitiam aut Pacem: Quia vindicta, quam Amicitia & Pax infligunt, quandoq; iis, quos ad amorem & pacem volumus reductos intendit correctionem, & amicitiam, quæ aliâ viâ rehaberi non possunt, sed vindicta poenitentiæ per se non prætendit talem correctionem, ergò Poenitentia non est Amicitia vel Pax. Probatur min: Quia DEUS verè vindicat & punit peccatum in damnatis, ex quibus tamen non speratur correctio, similiter Judex terrenus homicidas punit poenâ capitis, & exilio perpetuo, à quibus tamen nec sperat, nec sperare potest correctionem, ergò poenitentiæ vindicta non respicit principaliter & per se correctionem & amicitiam, sed tantùm per accidens sequitur, per se enim solùm prætendit adæquare poenam statutam cum culpa, à qua poena poenitens se liberat per vindictam in se ipso exercitam. Sed

XIX. Pœnitens non est crudelis, & cur?

Dices: Quicunq; punit alterum sine spe correctionis, crudelis est & Tyrannus, ùt patet de Judice homine, ergò etiam poenitentia crudelitas est, quia vindicat per se & principaliter peccatum sine spe correctionis; Imò etiam ipse DEUS crudelis est, quia damnatos sic punit. Respond. Negando ant: Vel potius distinguendo, si faciat vindictam propter se ipsum, concedo, si faciat propter altiorem finem & majus bonum, nego, Judices ergò homines puniunt propter bonum commune, DEUS propter Legem Divinam: Et Poenitens ut Legi satisfaciat.

XX. Pœnitentia non est Justitia Commutativa rigorosè.

Probatur: Pœnitentiam non esse Justitiam Commutativam vel Distributivam, saltem propriè & in rigore loquendo, Quia in Justitia commutativa intercedit propriè datum & acceptum, utriusq; æqualitas, sed hæc non interveniunt in Poenitentia, quia homo nihil habet de suo, quod DEO dari possit, nec etiam aliquid æquivalens DEO reddi pro offensa potest, ergò nequit esse Justitia Commutativa. Deinde nequit etjam esse Distributiva,

XXI. Nec Distributiva.

Quia hæc versatur propriè circa Distributionem bonorum, servatâ proportione Geometrica tàm inter bona, quæ distribuuntur, quàm inter personas, quibus fit Distributio, sed Poenitentia nec servat æqualitatem & proportionem istam in bonis, nec inter personas, inter quas intervenit, ùt de se patet, ergò. Dixi propriè, Quia Justitia punitiva & præmiativa ad alterutram reduci possunt in sensu minus rigoroso, servatâ quâdam analogiâ ad se invicem.

XXII. Pœnitentia est Justitia vindicativa.

Probatur tandem, Poenitentiam esse Justitiam vindicativam, Primò ex Authoritate Patrum, D. Augustini lib. de vera & fal. Poenit. cap. 8. *Pœnitentia est doloris vindicta puniens in se, quod dolet commisisse.* D. Chrysost. Glossa in Psalm. *Irascimini, &c. Quid justius quàm ùt suis quisq; irascatur peccatis potiùs, quàm alienis, seque puniens per pœnitentiam se Deo offerat.* Secundò ex ratione: Velle punire alterum, est actus ejusdem speciei, cùm actu, quo quis vult punire se ipsum, sed primus est actus Justitiæ vindicativæ, ergò & secundus, probatur maj: Quia habet idem objectum.

XXIII. Alia Ratio ad idem.

Deindè DEUS ex Justitia punit peccatores, ergò etiam Poenitentia est Justitia, antecedens patet ex Concilio Tridentino dicente Sess. 14. cap. 2. *Ad Novitatem* Spiritus *& Integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus Divina id exigente Justitia, pervenire non possumus.* Quia idem est finis exequentis Legem, & Legem ordinantis, ergò cùm Divina Justitia exigat, Justitia humana erit Poenitentia exequens Legem illam.

XXIV. Pœnitentia non est virtus per se infusa.

Dico Septimò : *Pœnitentia non est virtus per se infusa.* Ita Scotistæ apud Mastrium, Fabrum, &c. Probatur Primò : Ex omnibus illis mediis, quibus probatur non dari virtutes morales, per se infusas, atqui Pœnitentia est virtus moralis, ergo. Probatur Secundò efficaciter: Nulla virtus infunditur homini, nisi in instanti suæ Justificationis, ut patet de parvulis &c. & ipsi adversarii id fatentur, sed in instanti justificationis pœnitentis antecedenter habet homo pœnitentiam & dolorem de peccatis, ergò ipsa non erit virtus per se infusa, major patet, probatur minor, Quia DEUS neminem justificat, nisi dolentem & contritum : Tum, Quia dolor & Contritio sunt præviæ Dispositiones ad Justificationem, Prævia autem dispositio non potest produci ab eadem causa, ad quam disponit, ut patet, quia calor dispones subjectum ad recipiendum ignem, non perducitur ab ipso igne recepto, sed à calore & ipso igne antè existente, ergo Pœnitentia disponens ad Justificationem non producetur ab ipso habitu infuso Pœnitentiæ in ipsa Justificatione. Confirmatur, Quia idem nequit esse causa & effectus sui ipsius.

Dices : Concilia & Patres clamant, dispositionem sufficientem ad recipiendam gratiam & justificationem debere esse supernaturalem, sed Pœnitentia est dispositio talis, ergò est supernaturalis. Respond. disting: majorem, debere esse supernaturalem quoad habitum nego, quoad auxilium concedo majorem: Quia Concilium Trid. definiens contra Pelagianos & Semi-Pelagianos, actus illos non fieri ex solis liberi arbitrii viribus, tantùm anathematizat Seff. 6. cap. 5. & 6. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti gratiâ, atque ejus adjutorio &c.* non verò debere esse habitum, & per hoc patet etjam ad alias authoritates D. Augustini dicentis, DEUM dare & infundere pœnitentiam, quia gratuito dat & infundit auxilium supernaturale. Itaque

XXV. Dispositio ad justificatione debet esse supernaturalis quoad auxilium, nō quoad habitum.

Dico Octavò : *Habitus Pœnitentiæ naturalis est, actus tamen supernaturales sunt non in substantia, sed in modo.* Ita D. Bonaventura, Scotus, & Discipuli ejus. Probatur Prima Pars : Ex omnibus actibus cujuscunque virtutis, natus est generari habitus, ergò & in istis, quia actus respectu generationis habitus est agens naturale non impeditum. XXVI. Habitus Pœnitentię est naturalis.

Secundò : Si quis in statu peccati multoties jejunaret, acquireret habitum jejunii, ergò & si sæpè doleat de peccato, quia non debet esse deterioris conditionis dolens extra & in statu gratiæ, quàm jejunans.

Tertiò : Actus Fidei & Spei generati ab actibus supernaturalibus, sunt tantùm naturales in substantia, ergò etiam habitus Poenitentiæ, ex paritate rationis, antecedens patet ex dictis de virtutibus. XXVII. Actus Pœnitentiæ sunt supernaturales, non in substantia, sed in modo.

Probatur Secunda Pars, Quia concurrit principium supernaturale. Probatur Tertia Pars, Quia Actus Pœnitentiæ in Entitate haberi possunt cum generali DEI concursu solis naturæ viribus ; Tum, à Paritate de actibus supernaturalibus Fidei, Spei, & Charitatis, quos etiam non nisi supernaturales in modo suprà docui.

Dico Nonò : *Pœnitentia ut est Nolitio & detestatio peccati, similiter & acceptatio pœnæ, secundum se considerata, non sunt una specialis virtus, sed generalis, id est, omnium virtutum.* Ita Scotus supra, Brancatus, Mastrius &c. Probatur ex Scoto citato art. I. Quæcunque virtus inclinans ad complacendum in aliquo bono honesto, inclinat etiam ad detestandum & fugiendum inhonestum oppositum illi honesto, v. g. Castitas inclinat ad complacendum in actu casto, inclinat quoq; ad detestandum actum libidinosum : Humilitas inclinans ad complacendum in actu humili, inclinat quoque ad odio habendum actum superbiæ ; Temperantia complacens sibi in mediocritate XXVIII. Pœnitentia ut est nolitio & detestatio peccati, & ut acceptatio pœnæ, secundùm se spectatæ, non sunt una Virtus specialis, sed generalis.

critate cibi & potûs, statim odio habet Commessationes & Ebrietates, & sic de cœteris, ergò Detestatio secundùm se considerata non est specialis virtus, sed generalis, id est, omnium virtutum actus. Probatur etiam de Acceptatione gratanter, suppono autem, Tristitiam esse objectum de se nolibile, & per accidens fieri volibile, quia nec potio amara per se, sed propter bonum sanitatis est volibilis, sic est de Tristitia: hoc supposito, Probatur, Acceptatio Pœnæ potest esse indifferenter cujuscunque virtutis actus, ergò non est specialis; Probatur ant: Quia ejusdem virtutis est acceptare objectum & media ad illud objectum consequendum, sed per unamquamque virtutem potest acceptari pœna & Tristitia inflicta pro peccato tanquam medium, ergo.

XXIX. Alia ratio ad idem. Confirmatur: Nam si aliquis ex actu Charitatis, quo diligit Deum super omnia, acceptet pœnam, talis actus erit Charitatis; similiter si quis ex motivo spei, erit actus spei: si ex motivo & amore Charitatis acceptat pœnam pro peccato opposito Castitatis, talis acceptatio spectabit ad Castitatem; Cum enim pœna per se non sit acceptabilis, consequenter spectabit ad virtutem, per quam acceptatur, Quælibet namque Virtus inclinat ad acceptandam pœnam aliquam pro peccato commisso contra illam virtutem, sicut inclinat ad detestandum malum ipsi oppositum.

XXX. Pœnitentia ùt est actus patienter ferendi pœnam, non est virtus specialis, sed generalis. Et quod dixi de acceptatione, idem existimo sentiendum de pœnitentia, prout dicit actum patienter ferendi pœnam inflictam, Nam si patienter feram ex dilectione, erit dilectionis, & sic de cœteris; nisi quis mallet, quod probabilius judico, dicere, esse actum Patientiæ, cujus est officium firmare animum contra Tristitiam, & pœnam, ne per impatientiam prostratus remuneret, & recalcitret contra pœnam.

XXXI. In Adamo innocente fuit Pœnitentia. Quæres: An pœnitentia fuerit in Adamo innocente? An in Beatis, Beatissima Virgine Maria & Christo Domino? Respond. Affirmativè, non tamen secundùm omnem effectum: Et quidem de Adamo patet, quia habuit omnes habitus moralium virtutum infusos, inter quos solemnis est Pœnitentia: Tum, Quia status innocentiæ erat compatibilis cum peccato veniali, ergò de illo poterat dolere & illud detestari, Tum, Quia Pœnitentia significat voluntatem detestandi peccatum etiam ab alio commissum, quod potest detestari tanquam Legislator, & vindex Judexq; ordinarius, vel tanquam delegatus.

Patet quoque de Beatis, nam ex illis aliqui peccarunt, alii non; Qui peccarunt, habent talem habitum, cum in via doluerint, & pœnitentiam egerint, habitus autem in via acquisiti manent in patria ad majorem gloriam accidentalem, & gaudium, licèt nullos habeant actus, imò & actum habere aliquem possunt, nempè detestari in aliis peccata, ob quod etiam censeo, pœnitentiam esse in Beatis nunquam lapsis, & gaudent de peccatorum remissione, quod gaudium probabiliter ex habitu provenire potest. XXXII. In Beatis est Pœnitentia.

Et secundùm hanc considerationem tàm in B. Virgine, quàm Christo Domino admitti potest Pœnitentiæ habitus, maximè cùm Christus sit constitutus Judex vivorum & mortuorum, & insuper passus sit pro peccatis omnium hominum, qui fuerunt actus solemnissimi pœnitentiæ satisfactivi pro peccatis, non quidem suis utpote in quo nullus dolus inventus est, sed totius mundi. XXXIII. Ac etiam in Christo & B. Virgine in aliquo sensu.

QUÆSTIO TERTIA.

De Objecto materiali & formali Pœnitentiæ?

SUppono tanquam certum Pœnitentiam habere, sicut alias virtutes morales, objectum materiale & formale, seu *quod* & *quo*, seu in quod tendit, & rationem sub qua tendit. Utrumque examinandum est.

 Et bre-

Et breviter expediendo cùm satis liqueat ex dictis.

I. Peccatum mortale, veniale, actuale, ac habituale est objectũ materiale pœnitentiæ.

Dico Primò : *Peccatum tàm mortale, quàm veniale, tùm actuale quàm habituale est materiale objectum Pœnitentiæ.* Est communis & indubitata. Probatur, Quia Pœnitentia respicit aliquod odibile & punibile, sed quodvis ex enumeratis est odibile & punibile, ergò. Confirmatur, Quia si aliquod maximè veniale non esset sufficiens objectum, sed hoc est, Tum, Quia est materia Sacramenti, Tum, Quia potest quis de ipso dolere & habere displicentiam : Tum, Quia ad minus potest aliquis de eo atteri &c.

Dices : Sine Pœnitentia cadente super veniale potest aliquis salvari, ergò non est objectum pœnitentiæ. Respond. Dist. Consequ: Necessarium objectum concedo : Sufficiens nego Consequentiam.

II. Peccatum semel remissum potest esse objectum Pœnitentiæ.

Dico Secundò : *Peccatum semel dimissum potest esse objectum Pœnitentiæ Virtutis.* Est etiam communis, Probatur ab Experientia plurimorum Sanctorum, ùt Petri, Magdalenæ, &c. qui pluribus annis peccata sua, etiam postquam Dominus respexisset, & multa peccata dimisisset, defleverunt. Deindè, si quis careret peccato, potest ad perficiendum Sacramentum Pœnitentiæ aliquod peccatum dimissum confiteri, sed Confessio Sacramentalis nequit haberi absque pœnitentia, secundùm attritionem ad minus, ergò peccatum dimissum potest esse objectum pœnitentiæ.

III. Pœnitentia potest sortiri effectũ primarium circa peccatum remissum.

Dices : Pœnitentia non potest sortiri effectum suum de peccato remisso, ergò non potest circa illud versari, probatur antecedens, quia effectus est dimissio. Respond. Negando antecedens, aut potiùs distingue, Non potest sortiri suum effectum primarium, nego : Secundarium, seu quem accidentaliter tantùm & ab extrinseco respicit, concedo antecedens, quia effectus primarius Pœnitentiæ est voluntaria detestatio & tenentia pœnæ, sive peccatum dimittatur sive non, ùt patet in attritione nuda, quæ est vera pœnitentia ; & tamen peccatum non dimittit, dimissio itaque peccati est effectus secundarius à DEO dependens.

Dico Tertiò : *Pœna qualibet sive spiritualis sive corporalis, quâ utitur Pœnitentia virtus ad vindicandum peccatum, est objectum materiale ejus, non tamen est objectum ipse reatus pœnæ.* Probatur Prima Pars, Quælibet virtus non tantùm respicit pro Objecto finem intrinsecum, sed etiam media : atqui Pœnitentia habet pro fine peccatum vindicandum, & pro mediis pœnas, ergo. Probatur Secunda Pars, Quia reatus non est culpa, neque delictum, quia non est contra Legem ullam DEI, sed nihil est vindicabile, nisi quod habet rationem delicti & culpæ, ergò. Confirmatur : Quia reatus est quid in voluntarium, est enim à Legislatore, & non à reo. IV. Pœna quævis, quâ utitur Pœnitentia virtus ad vindicandum peccatum, est objectũ materiale ejus. V. Reatus pœnæ non est objectum Pœnitentiæ.

Nec refert, quod peccans prævideat se talem incursurum per actum peccandi, quæ prævisio facit, ut reatus sit volitus in causa à peccante : Non refert, inquam, Quia talis prævisio non facit eum voluntarium, nisi objectivè, non verò formaliter, sicuti non est voluntarium formaliter patibulum furi, licèt prævideat se suspendendum, si in furto deprehendatur. Confirmatur, Quia reatus nihil est, nisi obligatio ad pœnam sequens peccatum, atque adeò non est punibile & vindicabile, sed est denotativum obligationis & punitionis. Sed in Contrarium VI. Reatus positis actibus pœnalibus remittitur per accidens.

Arguitur Primò : Reatus Pœnæ est quid necessariò connexum malo culpæ, ergò est etiam objectum, sicut culpa : Probatur consequ: Ideò peccatum est objectum pœnitentiæ, quia est vindicabile per actus pœnales, sed ipse reatus est quoque sic vindicabilis, quia positâ pœnâ statim remittitur reatus ac ipsa culpa, ergò. Respond. negando Consequ: cum minori probationis, ad cujus rationem dico positis actibus pœnalibus statim remitti reatum, dum remittitur culpa & pœna, &

na, & consequenter per accidens ad horum per se dimissionem, quia ille dependebat ab istis, quibus dimissis etiam dimittitur reatus.

VII. Objectum formale virtutis Pœnitentiæ non est compensatio DEO facienda pro injuria.

Dico Quartò: *Objectum formale Pœnitentiæ Virtutis non est Compensatio DEO facienda pro injuria commissa, non etiam Juris Divini Reparatio; Nec ex his subsequens cum DEO Pacificatio & Reconciliatio.* Ita Doctor Subtilis 4. d. 14. q. 2. & d. 15. q. 1. ac Scotistæ communiter contra Recentiores, nam Vasquetz sentit Compensationem esse formale Objectum, cùm enim peccator luit pœnam, ait, eum aliud non intendere, quàm compensare DEO offensam: Suarez autem & amicus dicunt DEUM habere jus & Dominium super omnes actiones, ùt secundùm ejus voluntatem fiant, quod jus per peccatum læditur, ideò per pœnitentiam resarciri debet, adeóque Reparatio & Resarcitio Juris Divini est objectum formale Pœnitentiæ. Lugo autem tenet ultimum, Quia Peccator non intendit aliud, quàm Reconciliationem & Pacificationem cum DEO, ergò ista est objectum formale. Verùm contra Vasquez

Probatur Conclusio Primò: Tum, Quia virtus Pœnitentiæ Primò & per se constituitur per pœnæ tenentiam, & non per compensationem, actúsque volendi tenere pœnam, est primus actus, non verò volendi Compensationem, ergo. Tum, Quia Pœnitentia directè satis passionem respicit, & non satisfactionem, quod patet in Justitia punitiva DEI, qualis est etiam Pœnitentia ex dictis, qui justè punit peccatum in inferno, absque satisfactione. ergo.

VIII. Illa compensatio tantùm materialiter subsequitur Pœnitentiam.

Nec refert, quod etiam per Pœnitentiam fiat satisfactio & compensatio, quia hæc tantùm per accidens & materialiter subsequitur, nam etiam ex actu pœnitendi sequitur actus Religionis, sacrificii &c. & tamen Pœnitentia non est actus Religionis. Deindè etiam per actus benedicendi DEUM sequitur aliqua compensatio pro peccatis saltem venialibus; ex quo tamen non sequitur, quòd benedictio per se compensationem respiciat, sed tantùm materialiter.

Probatur Secundò contra Suarez: Tum, Quia etiam per actus aliarum Virtutum potest reddi æqualitas, & Jus DEI resarciri, nam per actus multiplicatos latriæ resarciri potest peccatum Idololatriæ, & per actus benedicendi, peccatum blasphemiæ: Tum, Quia nullus finis extrinsecus specificat actum vel habitum virtutis, sed Jus Divinum in nostras actiones, & æqualitas DEI in suis bonis extrinsecis, est finis extrinsecus, utpote cum Pœnitentia & Justitia punitiva directè & per se immediatè eum non respiciat, sed pœnitentiam, ergo. IX. Reparatio Juris Divini non est objectum formale virtutis Pœnitentiæ.

Probatur Tertiò contra Lugonem, Pœnitentia per se & de se tantùm respicit æqualitatem pœnæ ad culpam, ut Justitia punitiva servetur, ergò per accidens est, si per pœnitentiam DEUS placetur. Deindè Amicitia & Pax cum DEO est finis Charitatis, ergò non Pœnitentiæ. Universaliter ergò probatur, quod assignati modi boni non sint, Quia Augustinus suprà citatus definit Pœnitentiam, *quod sit doloris vindicta, puniens in se, quod dolet se fecisse.* Ubi de nullo alio motivo mentionem facit præter punitionem Delicti, ergò alii omnes sunt quid extrinsecum, aut effectus aut finis secundarius pœnitentiæ. X. Nec Pacificatio cum DEO.

Dico Quintò: *Objectum formale est vindicabilitas peccati, seu peccatum, ut est per aliquem actum satis passivum vel satisfactivum vindicabile & punibile.* Ita Doctor Subtilis cit. & sic sentit etiam D. Thomas p. 3. q. 85. a. 3. Probatur Primò ex refutatione aliarum sententiarum. XI. Vindicabilitas peccati est objectum formale Pœnitentiæ.

Probatur Secundò: Peccatum est materiale objectum Pœnitentiæ, ergò illud est formale, sub quo Pœnitentia tendit in illud, atqui non tendit in illud sub alia ratione, quàm sub vindicabilitate, ergò. Probatur subsumptum Primò: Non sub ratione XI. Ratio ad idem.

tione mali simpliciter, prout est privativum virtutis, quia sic respicitur, & respuitur à qualibet virtute, cui est oppositum: Non sub ratione offensæ DEI, quia sic respicitur, & respuitur à Charitate, cujus est velle in DEO omne bonum, & nolle omne malum tàm intrinsecum, quàm extrinsecum: Non etiam sub ratione injuriæ, quia sic respicitur à Justitia Commutativa, quæ dictat compensationem pro offensa Dei faciendam, & præscindit à pœnali & non poenali satisfactione, ergò sub ratione vindicabilitatis, cum alia non sit amplius assignabilis. Probatur idem subsumptum Secundò, Quia illud statuendum est objectum formale Poenitentiæ, quod nobis per fidem innotescit, sed fides agens de poenitentia eámque requirens, semper vult pro peccato sumptam poenam, nam Ezech. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam pro peccatis suis.* Jerem. 8. Nullus est, qui agat poenitentiam pro peccato suo, & alibi dicitur alios in fletu & planctu, in jejuniis, in cinere & cilicio poenitentiam egisse, quæ omnia non sunt nisi opera poenalia vindicativa peccatorum, ergò. Denique non potest tendere in peccatum sub aliqua ratione Virtutis Theologicæ vel Moralis, ùt suprà insinuavi, ergò præcisè sub ista

QUÆSTIO QUARTA.

De Pœnitentia Imperfecta.

I. Actus Pœnitentiæ alius Contritio, alius Attritio.

Habitus Pœnitentiæ duos solemnes actus habet, quorum unus dicitur imperfectus, perfectus alter, & sic una est actualis Poenitentia imperfecta, perfecta altera, Prima dicitur sic, quòd ex se præcisè non habeat annexam justificationem, sicut semper annexam habet Perfecta, uno nomine Perfecta dicitur Contritio, Imperfecta appellatur Attritio, & incipiendo ab imperfectioribus de hac in Quæstione præsenti agendo, omnes Difficultates circa eam occurrentes, quantùm potero breviter, & quantùm valuero, solidè expediam. Itaque

II. Cur uterq; appelletur dolor?

Notandum Primò: Tàm Contritionem, quàm Attritionem à Patribus & Conciliis frequenter appellari Dolorem, revera tamen non est dolor, sed talis dicuntur, quod sint natæ causare dolorem in subjecto capaci, seu sunt dolor effectivè, non entitativè.

III. In quibus Contritio & Attritio conveniant & disconveniant.

Notandum Secundò: Attritionem & Contritionem in quibusdam convenire, Primò enim conveniunt, quòd utraque sit detestatio & displicentia de peccato, utraque fiat cum proposito emendandi, & utraque sit cum spe veniæ obtinendæ, ac deniq; quod utraque sit causativa doloris in subjecto capaci, dico capaci, quia in Beatis est peccatorum Detestatio, & Displicentia sine dolore. Econtra autem disconveniunt in aliis, Primò, quòd una de se habeat annexam Justificationem, & sit ad eam ultima dispositio, non verò altera: Secundò, quòd sint ex diversis motivis, de quibus ad præsentem Quæstionem.

IV. Attritionis motiva sunt Consideratio turpitudinis peccati, & metus Gehennæ ac pœnarum.

Dico Primò: *Attritionis motivum duplex est, nempe Consideratio Turpitudinis peccati, & metus Gehennæ ac Pœnarum.* Ita Trident. Sess. 14. cap. 4. dicens: *Illam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati Consideratione, vel ex Gehennæ & Pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cùm spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum DEI esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi Justitiam parat.* Duplicis autem hujusmodi motivi ratio est: Quia Peccator resipiscens vel dolet, quia peccatum in se malum est & deforme, vel quia est sibi causa mali temporalis vel æterni, ergò adæquatum motivum Attritionis erit duplex assignatum. Sed in Contrarium sic

Arguitur: Motivum Attritionis debet esse honestum, sed motivum ex metu poenarum non est honestum, ergò non erit verum motivum.

vum. Major patet, Tum, Quia Attritio est virtus, quæ habet pro objecto honestatem, Tum, Quia est dispositio ad supernaturalem gratiam, & debet fieri ex motivo supernaturali, cùm sine gratia actuali elici nequeat: Probatur ergò minor: Primò: Quia non est honestum, quod ex commodo procedit & amore proprio, atqui dolere ob pœnam est tale, ergo. Secundò: Quia turpe est magis odisse pœnam, quàm culpam, ergò. Respond. Negando minorem, cujus primam probationem distingvo, Non est honestum, quod fit ex commodo & amore concupiscentiæ naturali, concedo, ex commodo proprio & amore concupiscentiæ supernaturali, nego. Itaque talis actus honestus est, quia etiam actus Spei Theologicæ est Amor Concupiscentiæ. Deindè honestum est, quòd materia est Præcepti vel Consilii, sed Christus Dominus jubet nos habere talem metum, ùt patet ex illo Lucæ 12. *Timete eum, qui potest corpus mittere in gehennam.* Secundam Probationem quoque distinguo, Turpe est, magis odisse pœnam, quàm culpam comparando eas ad se invicem, & præ pœna eligere culpam, concedo ant: sine tali comparatione considerando unam, ùt motivam detestationis alterius, nego ant: & consequentiam.

V. Motivum ex metu pœnarum quoſensu sit honestum.

Arguitur Secundò: Nequit esse motivum attritionis, quod involvit actualem complacentiam de peccato, & affectum saltem virtualem, sed metus pœnæ virtualem complacentiam & affectum includit, ergò, probatur minor: Tum, Quia talis non detestaretur peccatum, nisi esset pœna, ùt patet ex Doct. 4. d. 20. q. 1. §. *In ista Quæstione*, ubi dicit: Impœnitentem usque ad periculum vitæ non posse excitare displicentiam de peccato, nisi ex pœnis, præsumitur etenim, quòd si remotus esset à pœna, non extorqueret à se displicentiam, sicut nec prius: Tum, Quia affectum virtualem involvit, ubicunque conditio adest, atqui hic non detestaretur, nisi esset pœna, ergo. Tum, Quia talis non habet propositum universale non peccandi, sed solùm quando non est pœna, ergo.

Respond. Negando min: Cum sua prima probatione, quia attritus non detestatur peccatum sub conditione pœnæ, sed absolutè & efficaciter, quia movetur à pœna, quam vult effugere. Ad secundam dico quoque, pœnam non esse conditionem, sed rationem motivam. Ad Tertiam Respond. Negando antec: Quia quilibet dolens de peccatis ob pœnam censetur, non velle amplius peccare, nec est necesse, ut in attritione explicitè tales conditiones apponat, sed sufficit, ut simpliciter doleat, quod peccaverit, si tamen aliquis talem conditionem apponeret, censeo, eum non atteri, sed peccare denuò.

VI. Metus pœnæ non includit virtualem affectum ad peccatum.

Dico Secundò: *Sub metu Pœnarum, qui est alterum motivum, comprebenduntur omnes pœnæ, tàm æternæ damni & sensûs, quàm temporales in Purgatorio, & in vita præsenti, ùt Fames, Pestis, Bella, &c. Considerata tamen ut à DEO inflictæ, ac insuper Timor de amissione Beatitudinis & aliorum Bonorum, quibus per peccatum privamur.* Est communis. Et Probatur Prima Pars ex Concilio Trident. cit. dicente: *Hoc enim Timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & Misericordiam à Domino impetrarunt.* Tum, Quia DEUS sæpè comminatur tales pœnas Peccatoribus, nisi Pœnitentiam egerint.

VII. Metus pœnæ æternæ damni, sensûs, ac temporalis purgatorii, est motivû Attritionis.

Probatur Secunda Pars: Quia pœna assumpta vel passa ex motivo politico naturali, aut civili inflicta ab homine, non sufficit ad Attritionem, ergo. Probatur ant: Nam metus ab homine seu per vindictam, seu per sententiam non avertit hominem plenè à peccato, sed solùm ab externo, nec convertit ipsum ad DEUM, atqui per Attritionem homo debet ab interno & externo peccato averti, & ad DEUM converti, ergò non sufficit motivum humanum.

VIII. Item metus pœnæ temporalis in hac vita, considerata ùt à Deo inflictæ.

Proba-

IX. Ac timore de amissione Beatitudinis &c. Probatur Tertia Pars: Quia Amor & Desiderium Beatitudinis, vel potius Nolitio & Detestatio peccati propter amorem Beatitudinis & alia bona spiritualia consequenda spectat ad eandem rationem formalem, nam ad eandem pertinet amare aliquod ejus bonum, & detestari carentiam, atqui &c. ergò.

X. Quævis turpitudo peccati moralis, dummodo supernaturaliter sit nota, est sufficiens motivum attritionis. Dico Tertiò: *Quæcunque Turpitudo moralis peccatorum, sive dicat oppositionem alicui perfectioni Divinæ supernaturaliter cognitæ, sive non, dummodo sit supernaturaliter, seu per fidem nota, est sufficiens motivum Attritionis.* Ita Brancatus, Suarez, Aversa, &c. apud Mastrium. Nota autem per turpitudinem peccati per analogiam ad turpitudinem corpoream hîc intelligi difformitatem aliquam, quæ reperitur in actu peccati, & ratione illius in anima peccante, etiam postquam peccavit, v. g. Irreverentia, Injuria, offensa, irreligiositas, Ingratitudo erga DEUM, Contemptus, Negatio amicitiæ DEI, Juris ad Gloriam, ad opera meritoria, & plurima alia &c. Probatur itaque Conclusio Primò: Quia Concilium non restringit Turpitudinem ad illam tantùm, quæ opponitur alicui perfectioni Divinæ, sed indefinitè loquitur, ergo.

XI. Aliæ rationes ad idê. Secundò: Quia omnis Turpitudo seu Deformitas assignabilis in peccato, si est moralis & supernaturaliter nota, opponitur bonitati morali, ergo.

Tertiò: Omnis talis Turpitudo potest specificare actum bonum fugæ seu odii causantis tristitiam, est enim conforme rectæ rationi odio habere peccatum, quia habet aliquam deformitatem contra rectam rationem, ergò spectat ad Pœnitentiæ virtutem, cùm nulla sit aliàs assignabilis, ergo. Sed in Contrarium

Arguitur Primò: Si quælibet Turpitudo est Attritionis motivum, sequeretur, Attritionem non differre à Contritione, hoc est contra Trident. ergo. Probatur sequela, Quia in peccato est maxima Turpitudo, quæ dicitur *irreverentia*, *injuria*, *DEI offensa*, ergò si hæ sunt motiva Attritionis, non differet à Contritione, quia etiam Contritionis motiva sunt similes turpitudines. Respond. Negando sequelam, cum Consequentiæ probatione, cujus rationem distinguo: sunt motiva Contritionis sumendo ea reduplicativè, *ut Deum afficientes*, concedo, specificativè nego Consequentiam, Itaque quamvis quodlibet peccatum sit turpitudo, sicut & quælibet turpitudo offensa DEI, non tamen sub quacunq; consideratione, ex his est motivum Contritionis vel Attritionis, nam si consideretur peccatum sub ratione difformitatis cujusdam reddentis actum, & animam non pulchram, sed turpem & indecoram, carentem formâ pulchritudinis moralis, tunc est motivum attritionis: Si verò consideretur peccatum, habens illam turpitudinem ùt offensivam & læsivam DEI, quatenus per hoc est quasi vilificatus & contemptus, tunc est motivum Contritionis. XII. Sub quatione DEI offensa.

Arguitur Secundò: Offensa DEI etiam est turpitudo, & tamen specificat Contritionem, ergò turpitudo peccati non specificat attritionem: Antecedens patet, Quia offensa DEI non est pulchritudo actûs, nam non habet collectionem omnium eorum, quæ requiruntur ad pulchritudinem moralem, ergo. Respond. Dist. ant: Offensa DEI ùt afficit actum, est turpitudo tantùm, nego ant: & consequ: Itaque formalitas offensæ DEI dupliciter considerari potest, Primò, quatenus afficit actum, & sic si quis odit offensam DEI, ùt est difformitas quædam actûs peccaminosi atteritur tantùm: Secundò quatenus afficit DEUM, seu quatenus concipitur ùt aliqua formalitas læsiva bonorum DEI, & sic si quis odit peccatum quatenus offensa DEI, aut ipsam offensam quâ talem, conteritur. XIII. Offensa Dei dupliciter considerari potest.

Dixi in Conclusione: *Supernaturaliter & per fidem nota*, Quia in peccato possumus diversas considerare

XIV. In peccato potest cõsiderari turpitudo naturalis & supernaturalis.

rare turpitudines, naturales, videlicet, & supernaturales: Exemplum primi: Propter furtum, Fornicationem, Adulterium &c. contrahitur infamia Civilis, & turpitudo, ob quam censetur politicè indignus aliorum consortio & convictu; si quis igitur ex motivo hujus turpitudinis de peccato doleret, non sufficienter attereretur: Exemplum secundi reperitur in quolibet peccato, quod committitur contra Legem DEI, in quo est negatio

XV. Naturalis non est sufficiens motivum Attritionis.

bonitatis moralis, quæ in actu adesse deberet, quod nobis ex revelatione constat, & hæc turpitudo semper est motivum sufficiens ad Attritionem: Quare autem hæc sufficiat, & non prima, si rationem à priori quæras, aliam dare nequeo, quàm DEI voluntatem, à posteriori autem congruentia videtur esse, Cùm enim Attritio sit dispositio, saltem de congruo, ad gratiam supernaturalem, conveniens est, ut quoque ex motivo supernaturaliter noto eliciatur.

XVI. Motivum Attritionis saltem extrinsecè terminari debet ad Deum.

Dico Quartò: *Ut quis sufficienter atteratur, & cum Sacramento justificetur, requiritur, ut motivum Attritionis, aliquomodo saltem extrinsecè terminetur ad DEUM, non tamen est necesse, ut fiat sub ratione Dilecti vel diligibilis, elicitè vel imperatè.* Hæc est communior opinio apud Mastrium contra quosdam Scotistas. Et Probatur Prima Pars, Quia si nullo modo referatur ad DEUM motivum, v. g. Pœnæ & Gehennæ, actus ex illo elicitus seu Detestatio peccati ob Gehennam non esset sufficiens dispositio ad Justificationem in Sacramento, quia detestans sic peccatum in illo actu sisteret, nec ad timorem filialem ordinaret, & ex-

XVII. Non tamè sub ratione dilecti vel diligibilis, elicitè vel imperatè.

cluderet finem ultimum, ergò semper necesse est, ut motivum Attritionis aliquo modo feratur ad DEUM, v. g. ad DEUM, tanquam justum peccati vindicem, timens enim pœnam aliquam, debet ipsam timere tanquam ab aliqua determinata persona infligendam, & consequenter timet & ipsam Personam, maximè si novit eam austeram esse, ergo. Probatur Secunda Pars: Quia sub ratione dilecti vel diligibilis est motivum Contritionis. Sed in Contra sic

Arguitur: Peccatum est aversio à Deo, & offensa ejus, ergò conversio debet fieri ex dilectione Dei elicitè vel imperatè; atqui per attritionem convertitur aliquis ad DEUM in Sacramento, ergò debet fieri ex dilectione, probatur utraque Consequentia: Quia sola Charitas refert ad finem ultimum affectu Justitiæ, ergò. Probatur antecedens ex 1. Corinth. 13. *Si Charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* & 1. Johan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Respond. Dist. utramque Consequentiam, debet fieri ex dilectione æquivalenter, concedo, formaliter vel virtualiter, aut elicitè vel imperatè, nego Consequentiam; Sacramentum enim Pœnitentiæ æquivalet Charitati imperanti vel elicienti, unde si tantum motivum aliquomodo extrinsecè referatur ad DEUM in Sacramento statim justificabit: ad loca allegata Scripturæ; Respond. ea esse intelligenda de necessitate charitatis ad hoc, ut opera sint meritoria de condigno vitæ æternæ. Sed

XVIII. Attritio debet fieri ex dilectione æquivalenter.

Dices: Omnis actus, qui est dispositio ad Gratiam & Justificationem, oriri debet ex Charitate, sed Attritio est talis dispositio, ergo. Respond. distinguendo majorem, Qui est dispositio se sola sufficiens ad justificationem, concedo, qui est sufficiens virtute Sacramenti, nego majorem, & distinctâ similiter minori, nego consequentiam.

XIX. Dispositio se sola sufficiens debet fieri ex Charitate.

Dico Quintò: *Attritio quantum ad entitatem actûs nequit fieri Contritio, neque quantum ad intensionem actûs, benè tamen quoad æquivalentiam.* Hæc est communis contra quosdam Antiquiores. Et Probatur Prima Pars: Quia Attritio & Contritio, ut sic distinguuntur specie, sed implicat duos actus specie distinctos, unum posse fieri alium, ergò. Major patet, Tum ex Concilio

XX. Attritio nequit fieri Contritio quantum ad quantitatem actûs.

cilio Trident. Tum ex communi acceptione, Tum, Quia actus specificantur penes objecta formalia diversa, ergò.

XXI. Nec quantum ad intensionem. Probatur Secunda Pars: Quia Actus quantumcunque intensus Attritionis si fiat ex eodem motivo, nunquam fiet alterius speciei, quia intensio non variat speciem, ùt patet, quare falsum est, quod Faber tenet Attritionem intensam Contritionem esse, aut dari Attritionis speciem secundùm gradualem perfectionem.

XXII. Benè tamē quoad æquivalentiam. Probatur Tertia Pars: Tum, Quia Actus Attritionis potest continuari usque ad Sacramentum Pœnitentiæ, & etiam post ipsum, atqui ante erat puræ Attritionis, post verò est meritorius de condigno, ac si esset perfectæ Dilectionis, ergò æquivalenter erit Contritio; Et in hoc sensu antiqui Scholastici dicebant, Attritionem posse fieri Contritionem. Tum, Quia æquivalens Contritio est illa, quæ tantum præstat, quantum ipsa vera Contritio, atqui Attritio cum Sacramento tantum præstat, ergo. Et hinc est illud vulgatum Theologorum & Patrum axioma: *In Sacramento Hominem attritum fieri contritum*, ubi adverte, axioma notanter dicere Attritum fieri Contritum, non verò Attritionem fieri Contritionem, contra eos, qui ex hoc axiomate Contrarium deducere intendunt. Sed sufficitnè Attritio, ut quis in Sacramento conteratur? Respondeo, &

XXIII. Attritio etiam cognita quà talis sufficit cum Sacramento ad justificationem consequendam. Dico Sextò: *Attritio etiam cognita, ùt talis est sufficiens Dispositio, ut quis in Sacramento conteratur, & Justificationis Gratiam consequatur.* Hæc est etiam communior Scotistarum contra Fabrum. Et Probatur Primò ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi dicit: *Quod, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad Justificationem peccatorem deducere nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat.*

Probatur Secundò: Quia aliàs Sacramentum Pœnitentiæ nihil operaretur absolvendo, sed solùm declarando, quæ sunt inconvenientia, sequeretur enim Sacramentum Pœnitentiæ non esse mortuorum, sed vivorum, quia supponeret contritum, contritio autem vivificat, ergo.

Probatur Tertiò: Quia Lex Christiana dicitur gratiæ, & ad remissionem peccatorum facilior, quàm Lex vetus, sed hoc non potest verificari, nisi ex eo, quòd Sacramentum justificet cum solà Attritione, ergò.

Dices: Omninò Sacramentum justificare cum Attritione, dummodò hæc putetur esse Contritio, non verò si cognoscatur esse Attritio. Sed contra, Æstimatio nostra non facit ad sufficientiam dispositionis, ergò si Attritio est sufficiens, hanc habebit independenter ab æstimatione, patet antecedens, quia sufficientia illa est ex acceptatione DEI, ejusque gratuita ordinatione. XXIV. Æstimatio nostra non facit ad sufficientiam dispositionis.

Dices Secundo: Peccator convertens se ad Deum, debet detestari peccatum super omnia saltem appretiativè, atqui hoc non potest facere, nisi ex motivo dilectionis, ergò. Respond. negando minorem, Quia detestatio peccati appretiativa potest haberi in omni eo motivo, quo paratus est abstinere ab omni commodo suo, in quo peccatum invenitur, quàm velle consentire in peccatum, sed hoc potest inveniri etiam in motivo infra Deum, ergò. XXV. Detestatio appretiativa peccati, ex quo motivo posse haberi.

Dices Tertiò: Nemo sufficienter est dispositus ad Sacramenti gratiam recipiendam, qui accedit cum obice, atqui sciens se solùm esse attritum, & accedens ad Sacramentum, accedit cum obice, quia cum Conscientia peccati mortalis, sed peccatum mortale est obex gratiæ, ergò. Respond. Dist: major: Qui accedit cum obice repugnante effectui, ad quem Sacramentum ordinatur, concedo: cum obice non repugnante, nego majorem, minorem, XXVI. Sciens, se solùm esse attritum, non accedit cum obice ad Sacramentum.

rem, & consequentiam, cujus probationis min: Distinguo, sed peccatum mortale est obex, si quis in illo sibi complaceat, concedo, si illud detestetur & proponat non peccare imposterum, nego minor: & consequentiam.

XXVII. Attritio in Sacramento debet esse formalis & expressa detestatio peccati.

Dico Septimò: *Attritio debet esse in Sacramento formalis & expressa detestatio peccati.* Ità communior contra Navarrum, Emanuelem, &c. Probatur Primò: Quia hoc Sacramentum est institutum per modum Judicii Voluntarii reconciliativi, sed in nullo judicio potest quis reconciliari ob offensam, nisi quis formaliter & expresse detestetur, ergo.

Secundò: Qui vult Sacramentaliter reconciliari, debet expressè & formaliter confiteri peccatum, quod occurrit memoriæ, ergò etiam debet expressè & formaliter in mente illud detestari, à paritate rationis.

XXVIII. Nec sufficit virtualis.

Tertiò: Si virtualis detestatio sufficeret, maximè, si quis ob adulterium, in quo sibi adhuc complacet, vel actum omnem suspendit, dolet, se non dolere, atqui iste actus non est sufficiens, ergò. Probatur minor: Tum, Quia iste actus non est nisi dolor de carentia doloris, sed dolor de carentia doloris non est de peccatis; Tum, Quia sicut præceptum de dilectione proximi non impletur, si doleas, quòd eum non ames, ità nec si doleas, quòd non detesteris; Non enim ideò proximum amas, quia doles te non amare eum: Tum denique, Quia talis dolor non numeratur inter motiva Attritionis à Concilio Trident.

XXIX. Dolor & detestatio non debet antecedere Confessionem, sufficit, quod adsit ante absolutionem.

Dico Octavò: *Dolor & Detestatio peccati non est necesse, quòd antecedat Confessionem, sed sufficit, quod adsit ante absolutionem.* Ita Mastrius, Suarez, Lugo, contra Coning, &c. Probatur Primò: Quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur Confessio, dolor & Propositum cum absolutione, & finaliter sola absolutione perficitur, ergò satis est, quod adsit, quocunq; demum tempore adsit.

Secundò: Consultius videtur esse, ut doceat post Confessionem, quia per enarrationem eorum potest per exhortationem Confessarii, vel propriam considerationem turpitudinis peccati excitari efficacius ad ea detestanda.

Tertiò: Si quis Primò recenseret sua peccata omnia, & postmodùm diceret: *De his & omnibus doleo*, non deberet à Confessario urgeri, ad eorum repetitionem, ergò hæc praxis est sufficiens signum, talem dolorem & detestationem non debere necessariò antecedere.

QUÆSTIO QUINTA.

De Pœnitentia Perfecta.

Contritio Pœnitentia perfecta appellatur ob rationes supra allegatas, & à Theologis communiter definiri solet, quod sit: *Dolor*, vel *Odium*, aut *Detestatio peccati commissi ex motivo Charitatis & Dilectionis DEI procedens cum proposito non peccandi de cætero, confitendi & satisfaciendi.* Et colligitur ex Concilio Trident. Nam Sess. 14. cap. 4. eam sic describit: *Quod sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Deinde Sess. 6. cap. 6. & Sess. 14. cap. 4. requirit quòd Pœnitentia, quæ hominem cum DEO reconciliat, debeat à Charitate procedere, & eà perfecta esse; item in Sess. 14. cit. ait: Justificationem non esse adscribendam Contritioni *sinè Sacramenti voto, quod in illa includitur*, adeóque requiritur propositum confitendi & satisfaciendi, cum hæc Sacramentum Pœnitentiæ exigat, combinando ergò omnes & singulas partes, clarè patet, definitionem esse bonam, & de mente Concilii Tridentini. I. Contritio definitur.

Ex ea tamen graves oriuntur inter Scholasticos difficultates: Nam imprimis controvertitur de motivo Contritionis, an necessariò debeat procedere de Dilectione DEI? Secundò: An actus Contritionis debeat habere Intensionem vel Extensionem gradualem? Tertiò: Quale debeat

debeat esse propositum emendandi, seu non peccandi de cœtero, & confitendi? Quartò: An super omnia, & super quæ peccata debeat cadere Contritio? De quibus omnibus in hac quæstione. Unde

II. Contritio debet procedere ex charitate & dilectione Dei. Dico Primò: ***Motivum Contritionis, prout ab Attritione distinguitur, & est proxima ultimáque dispositio ad Justificationis gratiam consequendam absque Sacramento in re suscepto, Est Dilectio DEI, seu debet procedere ex Charitate & Dilectione DEI.*** Ita communis Sententia Theologorum. Et Probatur Primò ex Trident. Sess. 6. cap. 6. ubi docet, exordium Justificationis esse à Dilectione DEI, sic enim habet: *Disponuntur autem ad ipsam Justificationem, dum excitati à Divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM, &c. & dum sese peccatores esse intelligentes, à Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam DEI misericordiam se convertendo in spem eriguntur fidentes DEUM propter Christi merita sibi propitium fore, illumque tanquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem.* Item Sess. 14. cap. 4. affirmat, Pœnitentiam, quæ extra Sacramentum hominem cum DEO reconciliat, esse à Charitate perfectam.

III. Authoritas S. Scripturæ ad idem. Probatur Secundò: Ex authoritate Scripturæ Zachariæ 1. *Convertimini ad me in toto corde vestro, & ego convertar ad vos.* Luc. 7. *Remittuntur & peccata multa, quia dilexit multum.* 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Confirmatur, Tum, Quia Pœnitentia, quæ fit ob solum timorem gehennæ, vel timorem pœnæ temporis, non justificat, ut patet de Saule, Antiocho, Esau, &c. sicut nec qui pœnitet ob solam amissam gloriam & beatitudinem æternam, quia talis Pœnitentia oritur ex amore proprio, qui secundùm D. August. lib. 14. Civit. cap. ult. ædificat civitatem Babylonis: Tum, Quia axioma Theologorum est, Omnia opera mortua esse, quæ non fiunt ex Charitate, ergo.

Probatur Tertiò: Ex S. Augustino lib. de vera & falsa Religione. *Sine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam consecutus est;* & Serm. 7. de tempore, *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor DEI.* IV. Ex S. Augustini.

Probatur Quartò: Ratione: Tum, Quia Contritio debet esse ultima dispositio ad Justificationis gratiam & peccatorum remissionem, ergò debet includere aversionem à peccato, & Conversionem ad Deum, ut patet ex Zachariæ 1. cit. Subsumo, atqui Aversio non est aliud, quàm odium & detestatio peccati; Et conversio aliud non est, quàm actus amoris, ad illum quippe me dicor convetere, quem incipio diligere, ergò Contritio includit amorem DEI: Tum, Quia tenemur habere peccati odium, ergò etiam DEI dilectionem: Probatur consequentia: Quia ideò detestor aliquid, quia alterum diligo, ergò: Quod confirmo, Quia Contritio est detestatio peccati propter DEUM, ergò debet aliquem actum circa Deum involvere, atqui nullum aliàs quàm actum dilectionis, ergo. Sed in contra sic V. Ratio ad idem.

Arguitur: Alteruter actus superfluit, ergo. Probatur ant: Quia si dolor ipse sufficit, superfluit dilectio: & si dilectio adest, superfluit dolor, quia ipsa dilectio est sufficiens ad peccatorum remissionem. Respond. negando antecedens, & dico nec dolorem ipsum sufficere, nec regulariter Charitatem, Quia si peccatorum memoria occurrit, non sufficit diligere, sed etiam requiritur detestari: Deindè dilectio præcedere debet ex Concilio Trident. per modum dispositionis, adeóque nunquam superfluit, Nam licèt quandoque sola dilectio sufficere posset, nempè in casu, quo quis diligeret Deum, & nullorum peccatorum recordaretur, non sufficit tamen, dum peccata menti occurrunt. VI. Nec solus dolor, nec sola dilectio sufficit regulariter ad justificationem.

Instatur. Sapientiæ 1. dicitur: *Ego diligentes me diligo.* Ergò in casu, quo dile- VI. Instantiæ responde-tur.

dilectio præcedit pœnitentiam, detestatio non est amplius necessaria, quia in gratia jam est, qui à Deo diligitur. Respond. negando Consequentiam, Quia DEUS non diligit quemcunque diligentem, sed dilectione perfectâ, talis autem ante actum pœnitentiæ imperfectè diligeret, undè notanda sunt verba Concilii Tridentini, quod non dicit hominem per spem conceptam de Misericordia DEI &c. ubi supra, diligere Deum, sed tantùm *incipere diligere*, si autem quæras, quomodo possunt dici incipere diligere, cùm Charitatem infusam non habeant, quæ est principium dilectionis, Respond. Per hoc, quod per auxilia specialia adjuventur.

VIII. Ad Contritionem sufficit quandoque dilectio virtualis.

Dico Secundò: *Non est necessarius semper formalis actus dilectionis in contritione perfecta, sed sufficit quandoque virtualis.* Hæc colligitur ex Scoto 4. d. 14. qu. 2. §. ad secundum. Eamque tenent Scotistæ communiter contra Thomistas, & probatur Primò ex Scriptura, Quia hæc sæpe sæpius soli detestationi, dolori, & odio peccati justificationem attribuit, ergò hæc sola sufficit: Probatur Consequentia, Quia ex eo, quod Scriptura attribuat dilectioni remissionem peccatorum, dicitur hanc esse necessariam ad justificationem, ergo. Probatur igitur antecedens, Ezechielis 33. *Si averterit se peccator ab injustitia sua, &c.* & 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Psalm. 32. *Confitebor adversum me justitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* 2. Reg. 12. legitur, David solummodò dixisse: *Peccavi Domino*, recognoscendo suum errorem, eúmque detestando, & tamen mox à Nathan audire meruit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* ergo.

IX. Ratio ad idem.

Probatur Secundò: Tum à pari: Quia licèt ad Contritionem requiratur propositum emendationis vitæ, votum Sacramenti, tamen non est necessarium, quòd illa habeantur formaliter, sed sufficit virtualiter, ergò: Tum ex praxi, Quia Fideles disponentes se ad pœnitentiam magis in se conantur excitare dolorem de peccatis, quàm habere formalem actum dilectionis: Tum, Quia Concilium in definitione Contritionis nullam facit mentionem actûs Charitatis, nec videtur ulla necessitas tàm inseparabilis connexionis, ergo. Sed in contrarium

Opponuntur Primò Authoritates tàm Scripturæ, quàm Concilii Tridentini, & Augustini pro prima Conclusione allatæ, quæ omnes requirunt ad Justificationem, Dilectionem & actum Charitatis, ergo. Respond. Primò: Patres & Scripturam loqui de Contritione perfectissima, & ex motivo principalissimo elicita. Respond. Secundò: Patres tantùm requirere dilectionem virtualem, non verò formalem, vehemens enim odium & peccatorum detestatio, virtualiter includit amorem. X. Authoritates oppositæ explicantur.

Instatur. Concilium Tridentin. Sess. 14. Differentiam inter attritionem & contritionem assignans, expressè semper mentionem facit de actu Amoris DEI, dicit namq; cap. 4. *Contritionem Charitate formatam ad Justificationem disponere*, ergo. Respond. Negando Consequentiam, Quia per hoc non facit Tridentinum differentiam præcisè, quòd Contritio ex amore formali vel virtuali procedat, sed quòd huic competat, ex alterutro procedere; Attritioni verò non competat ex amore procedere, sed timore pœnarum & gehennæ &c. Denique, si verba Concilii benè perpendantur, satis insinuant, non esse semper necessariam dilectionem ad Contritionem, nam expresè dicit, *aliquando* Charitate formatam esse contingere. Sed pro Lugone XI. Quam differentiam inter Contritionem & Attritionem ponat Tridentinum.

Opponitur Secundò Illud Deuteron. 4. *Cum quæsieris Dominum DEUM tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum*, ubi docet modum, quo pœnitens ad Deum per contritionem converti debet, sed ex toto corde quærere non convenit, nisi dolori, ex motivo charitatis elicito, qui debet esse ex toto cor- XII. Quid importet DEum quærere ex toto corde.

de, & super omnia. ergo. Respond. Negando minorem: Quia DEUM ex toto corde (in sensu Scripturæ) quærere, non magis importat amorem DEI super omnia, quàm illud diligere ex tota fortitudine, Deut. 6. & ex totis viribus, Lucæ 10. significat intensionem dilectionis secundùm actum intensissimum, quem fortitudo & vires voluntatis elicere possunt, atqui ex mente Theologorum ad Dilectionem non requiritur summa actûs intensio, ergò nec ibi requiritur formalis dilectio, ut dicatur, quis DEUM ex toto corde quærere. Deindè Moyses, nullam facit mentionem expressam dilectionis, sed tantùm per totum illud caput hortatur Israëlitas, ut servent præcepta Domini omnia, & non aliqua tantùm, quod significat ex toto corde quærere. Ex ratione autem.

Arguitur: Actus spei, quo peccator sibi affectat DEUM & ejus possessionem, & ex tali motivo præcisè dolet de peccatis, non conteritur, sed tantùm atteritur, quia dolet solùm de peccatis ex motivo Attritionis, ergò etiam quo dolet quis de peccatis suis sine dilectione, solùm atteritur, & consequenter, si conteritur actum dilectionis habere debet.

XIII. Cur actus & motivū spei non sufficiat ad Contritionem.

Probatur Consequentia. Quia antecedens patet: Actus spei est nobilior & perfectior, quàm sit actus Justitiæ vindicativæ, quia ille actus est virtutis Theologicæ, hic autem solummodo moralis, ergò si prior non sufficit ad Contritionem, nec posterior. Respond. Negando Consequentiam, cum Consequentia probationis, Quia ex eo, quòd aliquid alio perfectius sit, non sequitur etiam aptius esse ad talem finem, v. g. ad Justificationem, nisi etiam ultra dicat perfectam conversionem ad DEUM, ut sibi potiùs DEUM præferat, quàm se DEO, actus autem spei, magis ad seipsum amandum inclinat, bonumque suum affectat magis quàm DEI, Actus autem pœnitentiæ detestatur peccatum præcisè, quia est contra DEUM, ùt offensivum ejus, unde potiùs eligit sibi quodcunq; malum, quàm Deum offendere.

XIV. Contritio non attingit justificationem effectivè.

Dico Tertiò: *Contritio non attingit justificationem effectivè, nec formaliter, sed tantùm dispositivè.* Ita communior, contra Vasquetz, Tannerum, &c. Probatur Prima Pars, Quia Justificatio fit per gratiam, atqui gratiam non attingit contritio, ergò nec Justificationem.

XV. Nec formaliter.

Probatur Secunda Pars: Tum ex Concilio Trident. Sess. 6. cap. 7. ubi ait: *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed quâ nos justificat, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justè nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem;* ergò Contritio non est formalis causa Justificationis: Tum, Quia etiam extra Sacramentum justificatur homo per habitum infusum, ùt docet Trident. atqui si Contritio esset formalis, non justificaremur per habitum, ergo. Tum, Quia Scriptura & Patres docent, quod pœnitentibus ex misericordia & singulari DEI beneficio detur Remissio peccatorum, & Justificatio tanquam novum beneficium, ùt Isaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quia multus est ad ignoscendum,* ergo.

XVI. Sed tantùm dispositivè.

Probatur Tertia Pars: Tum ex refutatione priori, Tum, Quia Trident. Sess. 6. cap. 6. & 8. & Sess. 14. cap. 4. enumerat Contritionem tanquam dispositionem ad justificationis gratiam consequendam. Nec obstant Scripturæ loca, quæ Charitati & contritioni attribuere videntur justificationem, quia hoc verum est in eo sensu, quo attribuitur etiam Eleemosynæ peccatorum remissio, nempe meritoriè & dispositivè. Sed

XVII. Contritio non tollit formaliter peccatum.

Dices: Contritio formaliter tollit peccatum, ergò formaliter justificat.

stificat. Probatur antecedens, quia formaliter tollit quidquid est aversivum à DEO, atqui, &c. ergo. Respond. negando antecedens, cujus probationis antecedens distinguo, quidquid est aversivum actu, vel affectu, & cum inclinatione ad recidivandum, secundùm esse physicum concedo antecedens, Quidquid aversivum est habituale & morale, nego antecedens & consequentiam: Itaque hoc morale destruit sola gratia justificans.

XVIII. Contritioni semper conjungitur gratia justificans & habitus Charitatis in eodem instanti temporis.

Dico Quartò: *Contritio semper habet sibi conjunctam gratiam justificantem, & Charitatis habitum in eodem instanti temporis, verumtamen non disponit ad Justificationem ut formata est abeo.* Ita Doctor 4.d.14.q.2. & Scotistæ communiter ac plures Recentiores; Probatur Prima Pars ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi dicit, Contritionem habere justificationis gratiam conjunctam, & per hoc distinguit eam ab Attritione, ergò. Tum, Quia Attritio cum Sacramento habet semper justificationis gratiam conjunctam, ergò & Contritio, Quia Contritio tantum præstat, quantum Attritio cum Sacramento.

XIX. Contritio non dispo nit ad justificationem ut formata est gratiâ habituali.

Probatur Secunda Pars: Tum, Quia nulla forma disponit ad effectum formalem, quem includit, alioquin disponeret ad se ipsam, sed Contritio est Dispositio ad gratiam justificantem tanquam effectum, ergò non potest gratiam formalem sanctificantem includere. Tum, Quia Contritio se habet per modun meriti de congruo, atqui meritum præcedit prœmium actu exhibitum, ergò patet major: Quia Contritio est ille actus, cujus intuitu DEUS infundit gratiam habitualem.

XX. Ad Contritionem nõ requiritur summus conatus.

Dico Quintò: *Ad veram & formalem rationem Contritionis non requiritur summus conatus, neque determinatus aliquis gradus intensionis, sed sufficit quicunque, dummodo legitimus, & debitè circumstantiatus sit cum odio & detestatione peccatorum appretiativa, comparativè scilicet ad omnes alias Creaturas, & omnia alia mala, quæ non sunt peccata.* Ita Doctor Subtilis, quem sui sequuntur communiter contra Adrianum, qui summum conatum, & contra Fabrum, qui determinatum gradum requirit. Probatur Prima Pars de summo conatu. Primò: Quia voluntas non apponit totum conatum, quem potest sine ingenti diligentia & difficultate, nam in summo conatu includitur id, quod facilè, difficilè, & difficillimè potest voluntas, ergò talem conatum non est necesse apponere: Probatur consequentia, Quia tale grave præceptum non constat, cùm jugum Christi suave sit, & onus ejus leve.

XXI. Alia Rationes ad idem.

Secundò: Præcepta DEI talia sunt, quòd nobis semper constet de eorum adimpletione, saltem probabiliter, si enim constaret, quòd quis non adimplesset, maneret adhùc obligatus ad illud implendum, sed nequit homini ullô modô constare, quod opponat in detestatione peccati totum conatum, ergò neque dici potest, quòd homo peccator pœnitens teneatur ad talem conatum.

Tertiò: Ad hoc, ut homo se avertat à DEO, non requiritur summus conatus, imò si deliberatè tantùm velit occidere, furari &c. avertit se à DEO, ut est certum apud omnes, ergò etiam ut homo sese convertat ad DEUM, non requiritur summus conatus, cùm DEUS pronior sit ad miserendum, quàm ulciscendum.

Quartò: Quia Scripturæ textus oppositi, quod toto corde &c. ad DEUM peccator convertere debeat, aut toto corde eum diligere perperam intelliguntur de summo conatu, cùm aliud non velint, quàm toto corde diligi debere, sic videlicet, ut nulla pars cordis maneat in affectu ad peccatum; Aut ex toto corde, quòd nihil maneat in corde, quod amori DEI esset contrarium, & oppositum, ergò.

XXII. Ad Contritionem nõ requiritur determinatus gradus intensionis.

Probatur Secunda Pars: Primò, Quia DEUS non permittit Ecclesiam suam versari in ignorantia eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, juxta illud

illud Joann. 14. *Cùm venerit Paraclitus, ille docebit vos omnia.* Sed Ecclesia ignorat, quantus debeat gradus Contritionis, nam nec à Pœnitentibus tales gradus requirit, nec Confessarios monet, ut ad tot vel tantos gradus pœnitentes stimulent, sed sufficit ipsis, si videat eos habere aliquem dolorem cum proposito emendationis, &c. ergò.

Secundò: Non est dignum Misericordiâ & Providentiâ Divinâ, ut nobis præcipiat tales actus, de quibus nobis constare non potest, sed si Contritio v. g. requireret quinque gradus, nunquam nobis cōstaret saltem probabiliter, quòd talem actum eliciussemus, ergò.

XXIII. Ad Contritionem sufficit quicūque gradus saltem sit cum detestatione peccatorū appretiativa.

Probatur Tertia Pars: Contritio est actus Charitate perfectus, Deum formaliter vel virtualiter diligendo, sed actus Charitatis debet esse super omnia appretiativè ad minus, ergò & Contritio, ita videlicet, quod si daretur peccatori optio, potiùs deberet eligere mortem quantumcunque acerbam & ignominiosam, quàm velle peccâsse, aliàs non diligeret DEUM super omnia, imò plus diligeret hanc vitam temporalem, & consequenter amitteret æternam, juxta Matth. 10. *Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam.* Confirmatur, Quia tantum debet esse odium peccati, quantus debet esse amor, quia odium est propter amorem sive virtualiter sive formaliter, ergò.

XXIV. Alia ratio ad idem.

Probatur Secundò, eadem Pars: Contritio debet inferre effectum efficacem non peccandi mortaliter de futuro, sed talem non inferret, nisi detestaretur peccatum super omnia mala, ergò. Probatur minor, Quia si quis haberet æqualem aut majorem dolorem de aliquo malo, non haberet quis affectum efficacem omittendi malum peccati, nè incurreret illud malum, ergò non haberet affectum efficacem omittendi omne peccatum. Sed contra Partem primam sic

XXV. Quomodo intelligendum: *Facienti quod in se est, Deus non deest.*

Arguitur: DEUS non promittit gratiam, nisi facienti quod est in se, atqui promittit Contritio veniam & misericordiam, ergò debet facere quod in se est, subsumo: Sed qui non conteritur secundùm summum conatum, non facit quod in se est, quia adhuc aliquid in ipso est, quod non facit, ergò. Respond. dist. maj: Nisi facienti *quod in se est*, secundùm dispositionem moralem ad gratiam consequendam, concedo: *Quod in se est* secundùm ultimum posse potentiæ, nego majorem, & distincto similiter consequenti, negatur consequentia, quia axioma illud Theologicum: *Facienti quod in se est, Deus non deest*, non habet hunc sensum, quòd homo debeat adhibere ultimum conatum; sed quòd homini facienti *ex parte sua*, quod necessarium est ad gratiam, DEUS etiam facit illa, *quæ ex parte sua* necessaria sunt ad salutem. Contra Secundam Partem

XXVI. Virtus in quo medio consistat.

Arguitur Secundò: Contritio est virtus, sed virtus debet consistere in medio, ergò & Contritio: Subsumo, sed quod est in medio, habet determinatum gradum, ergò & Contritio: Respond. distinguendo minorem, consistit in medio actûs, nego, in medio rei, vel rationis, concedo, & nego consequentiam, sed ad idem

Arguitur Tertiò: Si quilibet gradus Contritionis sufficeret ad Justificationem, quilibet peccator certus esse posset de Justificatione sua, sed, &c. ergò. Probatur sequela: Per fidem cognoscit quilibet, quòd Peccator exercens actum pœnitentiæ quæ sit Contritio justificetur, sed talis sciret se elicuisse actum Contritionis, ergò sciret se justificatum. Respond. Dist: maj: Sciret scientiâ physicâ vel fidei, quibus nequit subesse falsum, nego majorem, sciret opinativè transeat, quia ex parte motivi & aliarum circumstantiarum potest aliquid deesse, quare talis non modò non sciret, sed adhuc cum timore & tremore deberet operari suam salutem. Contra tertiam Partem

XXVII. Scientiâ physicâ vel fidei neqvit quis scire se justificatum.

Arguitur Quartò: Contritio non debet ita nolle super omnia peccatum,

XXVIII. Contritio debet esse super om-

nia mala possibilia, non Chymerica. catum, ut potiùs nolit ipsum, quàm intrinsecum malum DEI, hoc est v. g. quàm DEUM non esse, aut nolle in ipso aliquam perfectionem, ergò non debet esse super omnia mala. Respond. Concesso antecedente distinguo consequens: super omnia mala possibilia nego consequentiam, impossibilia transeat, unde si occurreret alicui hujusmodi comparatio mali peccati cum malis chymericis impossibilibus, posset se sic expedire dicendo: Nolo facere comparationem cum malis chymericis, quia de hujusmodi malis nihil mihi ex revelatione constat, scio etenim impossibilia esse, nec DEO tales actus placere.

Instatur: Poena aeterna quid possibile est, & malum non Chymericum, sed horrendissimum, sed non videtur, quòd posset quis velle potiùs subire poenas inferni, quàm non peccasse, quia vult continuum peccatum, & est disordinatissimum velle, ergò. Respond. Dist: min: Non potest quis velle potiùs poenas inferni, quàm peccatum, si considerentur poenae secundùm se praecisè, ùt non habent annexa alia mala & peccata, nego minorem. Ut habent illa annexa, concedo, Quare si consideretur infernus, ùt habet peccatum perpetuum inseparabiliter conjunctum, non potest quis velle potiùs infernum quàm peccatum, quia non possum potiùs nolle unum peccatum, quàm alterum, praesertim quod non sit levius, peccata autem inferni comittenda non sunt leviora, quàm peccatum in hac vita, ergò.

XXIX. Quo sensu quis potiùs debeat velle poenas inferni, quàm peccatum.

XXX. Contritio de pluribus peccatis ad hoc, ut culpa remittatur & poena, debet esse certae intentionis.

Dico Sextò: *Quando Contritio est de pluribus peccatis ad hoc, ut simùl & culpa remittatur & poena, non sufficit quicunque actus, sed requiritur, quòd sit certae & determinatae intensionis:* Ita Doctor Subtilis, in 4. d. 15. quaest. 1. a. 4. sub littera G. ubi haec habet: *Contritio de pluribus simùl in generali potest una correspondere pluribus peccatis, sed tunc oportet ad hoc, ut sit satisfactio totalis, non diminuta, quod aliquid ejus sufficiat pro uno peccato, & aliquid pro alio, aliquid inquam & aliquid non de partibus integralibus in actu, sed de gradibus intensionis, ita scilicet quod sit in tanto gradu intensionis, quod in longè minori sufficeret pro uno, & in gradu, quem superaddit, sufficeret pro altero.* Ratio est, quia debet esse proportio poenae ad delictum, ergò.

Dico Septimò: *Ad veram Contritionis rationem non requiritur quoque aliqua gradualis extensio.* Est Doctoris supra & suorum communiter contra aliquos antiquiores, & Cajetanum. Probatur Primò authoritate Scripturae, Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua.* Job. 10. *Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi.* Jesaiae 30. *Ad vocem clamoris tui statim, ùt audierit, respondebit tibi.* ergò.

XXXI. Ad Contritionem nō requiritur gradualis extensio.

Probatur Secundò, authoritate Patrum Augustini, Ench. cap. 65. *Non tàm consideranda est mensura Temporis, quàm doloris, Cor contritum enim & humiliatum DEUS non spernit.* Chrysost. lib. de Reparat. laps. ubi ait: *Deus non spernit poenitentiam, si sincerè & simpliciter offeratur, quamlibet brevi tempore gestam suscipit.* Leonis Epist. 91. *Apud Deum nullas patitur veniae moras vera Conversio.*

Probatur Tertiò exemplo Mariae Magdalenae & Latronis.

XXXII. Ratio ad idem

Probatur Quartò Ratione: Primò, quia justus in eodem instanti, quo peccat, justitiam amittit, ergò etiam in eodem instanti, quo convertit se, justitiam acquirit. Secundò: Potest quis in instanti diligere DEUM, ergò etiam in instanti dolere de peccatis. Tertiò sequeretur dolentem de peccatis verâ Contritione & labore ac amore DEI posse damnari, sed hoc est, &c. ergò. Probatur sequela, Quia Peccator, post instans illius doloris & amoris posset mori, sed si requiratur ad Contritionem extensio durationis talis damnabitur, quia actus non erit gradualiter extensus, ergò. Quartò:

Nulla ultima dispositio requirit extensionem durationis, sed Contritio est, &c. ergò.

XXXIII. Ut Contritio sit remissiva culpæ & pœnę & satisfactiva de pluribus peccatis, requiritur gradualis extensio temporis & actûs.

Dico Octavò: *Ad hoc, ut Contritio sit remissiva culpæ & pœnæ simul & satisfactiva de pluribus peccatis, requiritur gradualis extensio temporis & actûs.* Ita communiter Doctores. Probatur Primò Ratione: Tum, Quia debet esse proportio pœnæ ad delictum: Tum, Quia Justitia vindicativa DEI non tantùm intensivè, sed etiam punit extensivè, ergò etiam Justitia vindicativa humana.

Probatur Secundò, authoritate Patrum Augustini lib. de vera & falsa pœnit. cap. 13. *Omnes fructus Pœnitentiæ parvos habere, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, & cum dolore vitam finiat.* Ita habent etiam alii Patres.

Probatur Tertiò ex Scriptura, Lucæ 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, ergò.

XXXIV. Contritio debet esse de omnib9 & singulis peccatis.

Dico Nonò: *Contritio ad Justificationem necessaria, sive intra, sive extra Sacramentum debet esse de omnibus & singulis peccatis, non est tamen necesse, ut singulis specialis & explicitus actus correspondeat, nec quod sese de singulis examinet ac reflectat, nisi in Ordine ad Confessionem, vel restitutionem.* Ita Doctor in 4. dist. 15. quæst. 1. & Scotistæ communiter, Cajetanus, Navarrus &c. contra Alensem, Richardum, Medinam &c. Probatur Prima Pars: Tum, Quia Deus promittit reconciliationem tantùm iis, qui ab omnibus iniquitatibus pœnitentiam egerint. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis.* Tum, Quia Contritio est Detestatio peccati propter DEUM super omnia dilectum, atqui hoc non posset esse, nisi esset de omnibus, alioquin haberet adhuc aliquem affectum ad aliquod peccatum, & consequenter DEUS non esset super omnia dilectus. Dixi autem *ad Justificationem necessaria*, Quia puto, quod quis verè de aliquo peccato dolere posset, absque eo, quod doleat, de altero attamen talis dolor non esset Contritio, sed actus aliquis imperfectus.

XXXV. Non tamen ita, ut singulis specialis actus correspondeat.

Probatur Secunda Pars: Tum, Quia ex Scripturis non habetur, quòd pœnitens debeat habere de singulis peccatis specialem Contritionem, sed potius oppositum colligitur ex textu præcitato. Tum, Quia nec ullum Concilium Oecumenicum quid simile requirit. Tum, Quia Contritio non est actus unus per aggregationem, sed simplex virtualiter sese extendens ad omnia mortalia, ergò. Tum, Quia ad propositum servandi præcepta omnia non est necesse, ut specialiter feratur super quodlibet præceptum, ergò nec ad dolorem de non servatis præceptis, Tum, Quia David, Magdalena, Latro, unico actu dolentes, justificati sunt, & imponere aliis tale jugum, valde intolerabile esset.

XXXVI. Nec quod de singulis fiat examé ac reflexio.

Probatur Tertia Pars: Tum, Quia sequeretur, quòd peccator non posset justificari in quocunque instanti, atqui hoc est refutatum suprà, ergò, probatur sequela, Quia deberet habere tempus & moram pro recognitione singulorum, item deberet de singulis dolere, non posset enim illa recogitare cum affectu, vel præcisione, ergò. Tum, Quia peccata vel sunt recogitanda, ut singulorum habeat singulas contritiones, vel ut habeatur postea generalis Dolor de iis, neutrum dici potest, ergò. Probatur minor: Non primum: Quia una alteráve Contritio superfluit, quoniam unum peccatum non dimittitur sine altero, ergò. Non etiam secundum: Quia sine speciali recogitatione talis generalis dolor haberi potest. Tum, Quia valdè durum est, peccatoribus gravibus & inveteratis tale examen imponere. Tum denique, Quia sequeretur, quòd Peccator necessariò & nolens, esse deberet in peccato mortali, quodq; non posset agere pœnitentiam, per illud nempè tempus

tempus, quod requiritur ad peccatorum recogitationem. Attamen hanc partem limitavi per tò *Nisi* &c. quare

XXXVII. Nisi in ordine ad Cōfessionem vel restitutionem.

Probatur Quarta Pars: Tum, Quia aliàs talis faceret Confessionem voluntariè nullam, & sine ulla necessitate ex mera libertate dimidiatam: Tum, Quia Scotus & Concilia requirunt, quòd accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ debeant diligens secundùm humanam fragilitatem examen præmittere, ergò: Tum denique, Quia hujusmodi examinis obligationem inducere possunt satisfactio debita, restitutio facienda &c. Sed contra secundam Partem

XXXVIII. Contritio debet esse specialis Conversio ad Deum ratione actûs & motivi, non terminativè.

Arguitur Primò: Omne peccatum est spiritualiter aversivum à DEO, ergò etiam contritio debet esse specialis Conversio ad DEUM, subsumo, sed per Contritionem convertit se homo ad DEUM, ergò debet de quolibet specialiter hoc facere. Respond. distinguendo Consequens, debet esse specialis Conversio ad Deum ratione actûs & motivi, concedo: Specialis terminativè ad singula aversiva, nego consequentiam, sufficit ergò, ut fiat ad omnia in genere, non autem requiritur, ut fiat in specie.

XXXIX. Cur omnia peccata teneamur specialiter confiteri, non verò de omnibus specialiter conteri.

Arguitur Secundò: Tenemur specialiter omnia peccata confiteri, quæ menti occurrunt, ergò etiam tenemur specialiter de omnibus conteri, quia ad Contritionem magis obligamur, ab ea etenim nulla excusat necessitas, sicut excusat à Confessione in pluribus casibus. Respond. Negando Consequentiam, disparitas est, Quia Sacramentum institutum est per modum Judicii, in quo solvere & ligare debent Judices Confessarii, atqui ligare & solvere nequeunt, nisi actor & reus causas & delicta specificè proponant, ergò.

XL. Disparitas inter medicinas corporales & spirituales.

Instatur. Infirmitates corporales diversæ diversas exigunt Medicinas, ergo etiam spirituales, diversas postulant contritiones. Respond. Negando Consequentiam, Quia in infirmitatibus corporalibus medicinæ sunt limitatæ activitatis, & operantur secundùm physicam suam virtutem, atque adeò pro morbis nulla datur Panacæa, in infirmitatibus spiritualibus autem applicatur Medicina, quæ ex Ordinatione Divina suam habet efficaciam, adeóque una pro omnibus sufficit, & hoc potest etiam morali exemplo declarari, nam homo pluribus injuriis offensus, unâ deprecatione potest placari. ergò.

XLI. Quo sensu etiam in morbis spiritualibus proportionata medicina debeat adhiberi.

Urgetur: Etiam in Spiritualibus morbis proportionata debet adhiberi medicina, juxta illud, quantum sese glorificavit, tantum date illi de tormentis, sed una Contritio non est proportionata pluribus peccatis, ergò. Respond. Distinguendo majorem, debet esse proportionata virtualiter concedo: formaliter secundùm correspondentiam actuum, nego majorem, distinguo similiter minorem. Vel, si mavis, distingue aliter: Debet esse proportionata etiam in actu, si sit satisfactoria pro pœna, concedo: si sit remissoria solius culpæ & pœnæ commutatoria, nego. Sed contra tertiam Partem

XLII. Authoritates Scripturæ explicantur.

Opponuntur plures Authoritates Scripturæ, Psalm. 76. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, Exercitabar & scopebam spiritum meum.* Isaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos.* ergò. Respond. Negando Consequentiam: Quia textus allegati solùm insinuant, quid Sancti Viri supererogatoriè fecerint, ad pleniorem & copiosiorem satisfactionem. Sed ex ratione

XLIII. Contritio non requirit easdem, sed majores dispositiones, quàm Sacramentum.

Instatur: Contritio non justificat, nisi cum voto Sacramenti, atqui Sacramentum requirit distinctam singulorum peccatorum cognitionem, ergò & Contritio, Quæ cum idem præstet, quod facit Sacramentum, videtur etiam easdem requirere dispositiones. Respond. Negando Consequentiam, Quia tantùm sequitur, quòd Confessurus velit sese examinare de singulis, & ea specialiter Clavibus Ecclesiæ subjicere. Ad rationem consequentis dico, quod Contritio non requi-

† Aaa 2

requirat easdem Dispositiones, sed majores etiam, nempè ut fiat ex altiori & perfectiori motivo, quod includat votum Confessionis, & consequenter implicitè voluntatem recognoscendi singula peccata, mox ùt illa erit confessurus.

XLIV. In Contritione necessariò involvitur propositũ emendationis.

Dico Decimò: *Propositum emendationis vitæ in Contritione necessario involvitur, idque regulariter debet esse formale, quamvis etiam quandoque virtuale sufficiat.* Ita D. Bonavent. Major, Vega, Adrianus, Aretinus &c. Probatur Prima Pars *ex Cap. Pœnitentia. d.* 4. *de Pœnit.* Concil. Florent. in Decreto Eugenii, *& Trident. Seß.* 14. *cap.* 4. id expressè definiente. Ratio etiam est, quia sine tali proposito nequit stare verus dolor & detestatio peccati, ergò: Prob: ant: nequit concipi, quomodo alicui displicere possint delicta præterita, tanquam DEUM offensiva, si affectus adhuc sit committere idem delictum imposterum, ergò probatur antecedens, Non verè pœnitet, qui habet propositum repetendi actum, ergò nec qui habet adhuc ad peccatum affectum, probatur antecedens: Tum, Quia talis affectus est propositum virtuale saltem: Tum, Quia propositum repetendi est peccatum, non pœnitet autem verè, qui verè actum peccaminosum elicit.

XLV. Propositũ hoc regulariter debet esse formale.

Probatur Secunda Pars: Authoritate Scripturæ, Ezechielis 18. & 35. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit præcepta mea, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Sic arguo: Ut justificetur quis, debet pœnitere & servare præcepta Domini, sed certum est, dum quis dolet de peccatis, non posse observare omnia præcepta in re, quia hæc sunt multa & varia pro temporis & conditionis diversitate, ergò in affectu & proposito; ergò sicut debet habere formalem dolorem, ita formale propositum.

Probatur Secundò eadem Pars ex authoritate S. Augustini & Ambrosii definientium pœnitentiam sic: *Pœnitentia est, peccata commissa plangere, & plancta iterum non committere*, id est, habere propositum, iterum non committendi, prout definitionem explicat Magister 4. dist. 14. & 15. & post ipsum Alexander de Ales & D. Bonaventura.

Probatur Tertiò Ratione: Quia Pœnitentia est actus perfectæ amicitiæ, sed amicitia ex æquo utrumque complectitur, velle scilicet amico placuisse, & propositum placendi semper imposterum. Tum, Quia Patres & Concilia requirunt dolorem de peccatis, & propositum emendationis vitæ, ergò hoc propositum debet esse formale, probatur consequentia; nequit esse virtuale, ergò: Probatur antecedens, Quia virtuale nihil aliud est, quàm dolor de peccatis, eorumque odium, sed tale non sufficit, quia Patres penes odium & dolorem, requirunt propositum, tanquam actum distinctum, ergò &c. XLVI. Ratio ad idem.

Et si quæras, quale debeat esse hoc propositum? an videlicet debeat se extendere ad omnia peccata in specie cavenda? Respond. Sufficere generale & confusum virtualiter extensivum ad omnes species, si vel occurrerent, vel repræsentarentur. Nisi enim esset efficax extendendi illud ad omnia peccata mortalia cavenda, jam maneret affectus ad aliquod, & sic non esset verus dolor, & vera pœnitentia. XLVII. Propositũ generale & confusum, sufficit ad Contritionem.

Probatur Tertia Pars: Tum exemplo David, qui fuit justificatus mox ut dixit: *Peccavi*, ubi nulla ultrà fit mentio alicujus propositi, ùt patet legenti textum, ubi solùm refertur Davidis vehemens dolor & detestatio, unde in locum allegatum sic ait D. Augustinus. hom. 41. *Tres Syllabæ sunt Peccavi, sed in his tribus syllabis flamma Sacrificii coram Domino ascendit in cœlum.* Tum, Quia Sacramentaliter debent absolvi agonizantes, licèt nullum propositum dent emendandæ vitæ, dummodò dolorem demonstrent, &c. Tum, Quia nimis durum videtur, quod si aliquis vehementer doleret de peccatis, XLVIII. Ac etiam quandoq; virtuale.

Digitized by Google

tis, & desuper statim moreretur, reum talem judicare æternæ damnationis.

Hinc existimo, vehementem dolorem, vehementem amorem, ad Justificationem sufficere, licèt formale non adsit propositum, & hoc quàm maximè verum est in articulo mortis, aut alio simili casu, ubi non est quis solicitus de vita futura, quare si vita futura & diuturnior affulgeat, & eam prævidere potest, formale propositum elicere debet.

LXIX. Ad Contritionem requiritur Confessionis propositum regulariter formale.

Dico Undecimo: *Propositum Confessionis quoque necessarium est ad Justificationis gratiam consequendam in Contritione, quod pariter loquendo regulariter debet esse formale & explicitum, quandoque tamen virtuale sufficit.* Ita Authores suprà, sequitur enim Conclusio ista ex priori; Et Prima Pars patet. Ex Concilio Trident. supra citat. quòd verò formale esse debeat, deducitur quoque *ex ipso Sess. 6. cap. 14.* ubi ait: *Unde dicendum est, Christiani hominis pœnitentiam, post lapsum, multò aliam esse à baptismali, eaq; contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem Sacramentalem Confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam &c.* Qui actus diversi sunt, & tanquam distincti & diversi à Concilio enumerantur, ergò.

L. Virtuale sufficit quandoque.

Probatur Tertia Pars: Tum in casibus superioris Conclusionis, v. g. Ignorantia, periculo mortis proximo &c. Tum, Quia sufficit propositum virtuale emendationis vitæ, ergò etiam virtuale Confessionis: Tum, Quia ad Justificationem propositum emendationis vitæ generale cum dolore videtur sufficere, ergò non requiritur formale Confessionis: Probatur Consequentia: Quia non sequitur formale velle servare jejunium in Quadragesima, ergò nec velle confiteri, à paritate, Quia sicut unum, ita & alterum includitur in illo generali, velle servare omnia præcepta Divina, sicut quodlibet particulare includitur in suo Universali.

QUÆSTIO SEXTA.

De Necessitate Pœnitentiæ.

Loquor hìc de pœnitentia Virtute, nam de Sacramento inferius fusior erit sermo. Unde

Dico Primò: *Pœnitentia virtus non est sic necessaria homini adulto peccatori, quin Deus absolutè ei peccatum dimittere possit absque illa.* Ita Mastrius, Aretinus, estque communis. Probatur, non implicat contradictionem, quin DEUS possit dispensare cum aliquo peccatore, ut non teneatur elicere actum Pœnitentiæ, sed solùm teneatur novam vitam inchoare, DEUM super omnia diligere, &c. ergò non est Pœnitentia simpliciter necessaria, probatur antecedens, Dilectio DEI, Observatio præceptorum ejus sunt actus distincti à formali detestatione peccati commissi, ergò potest DEUS hominem lapsum velle obligatum, ut primos eliciat, & faciat absque eo, quòd sit obligatus ad Detestationem. I. DEUS absolutè potest dimittere peccatum adulto sine virtute Pœnitentiæ.

Confirmatur: Quia licet impossibile sit diligere DEUM & complacere actualiter in peccato, tamen non est impossibile diligere DEUM, & actualem displicentiam de peccato non habere, ergò. Sed in contra.

Arguitur. Peccator non potest sine ulla mutatione transire à statu reprobi ad statum beati, ergò non potest peccatum dimitti sine aliquo actu Pœnitentis, antecedens patet, quia ubicunque est aliquis transitus, mutatio intercedere debet, in condonatione autem peccati peccator transit à statu reprobi ad statum electi, ergò. Respond. Primò: Peccator &c. absque ullo actu tendente in peccatum, ut destructivo ejus, nego antecedens, absque ullo actu vel habitu, quo fieret justus & beatus, concedo: Posset itaque DEUS condonare peccatum homini, & ipsi infun- II. Quæ mutatio tunc fieret peccatore.

infundere actum vel habitum Charitatis, & sic sufficienter mutaretur, non tamen cum proprio actu.

Respondetur Secundò: Dist: iterum ant: absque ulla mutatione intrinseca, nego. Extrinseca concedo: Posset enim DEUS condonare peccatum homini nihil ei conferendo, sicut condonant sibi homines, & tunc mutaretur adhuc extrinsecè, nempè ab habitu peccati ad ejus privationem. Sed

III. Cōdonatio extrinseca esset sufficiens ad salvandam mutationē requisitam

Instatur. Ista intrinseca condonatio non est sufficiens ad salvandam mutationem requisitam in transitu, ergò, probatur antecedens; Quia status peccatoris est quid reale, Condonatio autem quid morale, sed morale nequit salvare transitum à statu reali ad realem, ergò. Respond. Primò, Negando antecedens, cum major: Prob: Quia status peccatoris tàm moralis est, quàm condonatio. Respond. Secundò: Negando antecedens cum probatione, quia Condonatio posset fieri dupliciter vel per gratiæ infusionem, & sic esset revera realis mutatio, vel sine ea, & sic esset quidem moralis sufficiens tamen, Quia etiam paries transit de non esse viso ad esse visum sine aliqua forma intrinseca in parietate per solam extrinsecam denominationem.

IV. Pœnitentia virtus de Lege ordinaria peccatori est necessaria necessitate medii.

Dico Secundò: *De Lege ordinaria de facto Pœnitentiæ virtus homini peccatori viatori est necessaria, necessitate medii & præcepti tàm positivi, quàm naturalis.* Hæc est de Fide. Probatur Prima Pars: De necessitate medii. Ex Scriptura pluribus in locis, pro nunc sufficiat unicus, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ubi ly *Nisi* sufficienter insinuat necessitatem medii, sicut indicat in illo, Nisi quis renatus, quare etiam D. Petrus Act. 2. æqualiter utrumque prædicat necessarium, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Et Concil. Trident. Sess. 14. cap. 1. dicit: Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria.* Idem docet *Sess. 14. cap. 4.* Sed pro Luthero ejusque nefandis Assèclis,

Dices, Pœnitentiam quidem necessariam esse, verumtamen in Scriptura nomine *Pœnitentiæ* aliud non intelligitur, quàm cessatio à peccatis, & novæ vitæ inchoatio. Verùm, Respond. hanc detorsionem significationis Pœnitentiæ impiam esse, unde meritò ùt talis damnata fuit à Concil. Trident. quod Sess. 14. cap. præclarè demonstrat ex pluribus Scripturæ locis, Pœnitentiam non esse solam novæ vitæ inchoationem, his verbis: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem nōn solùm cessationem à peccatis, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*, juxta illud: *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Projicere autem à nobis non possumus peccata secundùm localem distantiam, sed secundùm moralem æstimationem, nolendo, eáque detestando, ultra quod debet fieri cor novum & novus spiritus, addit proindè Concilium: *Et certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit. Tibi soli peccavi, & malum coram Te feci: Lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ; & alios hujus generis; facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manâsse.* Attendant ad ista Lutherani, & resipiscant. V. Per Pœnitentiam non intelligitur sola cessatio à peccatis, & nova vitæ inchoatio.

Probatur eadem Pars Secundò: Ex Patribus August. lib. 50. *Nisi egeris Pœnitentiam, salvus esse non poteris*, atqui hoc non intelligimus esse necessarium ad salutem, sine quo etiam ignoranter quis salutem non consequitur: ergò Pœnitentia sic est necessaria, quia si aliquis subitaneè moreretur, & ad judicium perduceretur in statu peccati mortalis, talis etiamsi novam culpam impœnitentiæ non committeret, damnaretur, ergò. VI. Pœnitentiæ virtutem esse necessariam necessitate medii, ulterius ostenditur.

ergò. Augustino superadde Chrysost. hom. 19. in Act. Apost. &c.

Probatur Tertiò : Tum, Quia Pœnitentia dicitur secunda post Naufragium Tabula, ergò homini secundò naufraganti est tàm necessaria, ac prima in primo. Tum, Quia Necessarium est, quod sicut liberè homo per peccatum se avertit à Deo, & convertit ad Creaturam, itá etiam liberè per pœnitentiam avertatur à Creatura, & convertatur ad Deum.

VII. Pœnitentia virtus est necessaria necessitate præcepti positivi.

Probatur Secunda Pars Conclusionis : Tum ex authoritatibus Scripturæ allatis : Tum, Quia Pœnitentia est necessaria necessitate medii, ergò etiam præcepti, Quia illud, quod est medium ad salutem, si in actu humano consistat, etiam est de præcepto ; Et iterum, quia sicut finis est præceptus, ita etiam media, ergò.

VIII. Ac naturalis.

Probatur Tertia Pars : Jus Naturæ dictat, ut homo applicet ea media, quæ sunt necessaria ad consequendum finem, ad quem creatus est, quem intendere debet, sed Pœnitentia est tale medium, ergò. Secundò, Jus Naturale dictat summum bonum esse amandum, atqui summum bonum à peccatore amari non potest, nisi detestetur peccatum, ergò. Tertiò, Jus Naturale dictat, quemlibet debere se ipsum amare, sed qui diligit peccatum, & non odit illud, odit semetipsum, ergò. Quartò, Jus Naturale dictat, pro qualibet injuria satisfactionem præstandam, sed &c. ergò. Sed contra primam Partem

IX. Eleëmosyna non delet culpam.

Arguitur Primò : Homini lapso sunt alia media præordinata ad Justificationis gratiam acquirendam, præter pœnitentiam, ergò ipsa non est necessaria necessitate medii, probatur antecedens : Quia homo lapsus potest delere peccata eleëmosynis, &c. Respond. Negando antecedens, cum sua probatione, Quia Eleëmosynæ attribuitur peccatorum remissio quoad pœnam & satisfactionem, non verò quoád culpam, Pœnitentia autem culpam delet. Contra secundam Partem

X. Stante præcepto de Pœnitentia non sequitur non posse aliquem damnari cum uno solo peccato mortali.

Arguitur Secundò : Cuicunque præcepto opponitur omissio vitiosa, sed non pœnitentia, seu omissio pura pœnitentiæ, non est vitiosa, ergò Pœnitentia non est præcepta ; Probatur major. Alioquin sequeretur, neminem posse damnari cum uno solo peccato mortali, quod falsum est, quia ad damnationem unum peccatum sufficit, sequela tamen probatur, illud peccatum semper haberet sibi annexum istud non pœnitentiæ factæ, ergò. Respond. Negando minorem, Quia non sola impœnitentia, quâ quis decernit, se non velle dolere de peccatis, est peccatum, sed etiam quando occurrit præceptum obligans ad pœnitendum, si pœnitere omittat, unde nego sequelam probationis, Quia potest fluere tempus post peccatum commissum, in quo quis non recordetur de præcepto pœnitentiæ, & desuper repentinâ morte decedere, talis enim ob solum peccatum unum damnaretur, cui si occurrisset obligatio pœnitendi, & omisisset, jam duplex haberet. Contra tertiam Partem

XI. Lumine naturali notum est dari peccatum.

Arguitur Tertiò : Non est notum lumine naturali dari peccatum, aut id esse contra DEUM, ergò nec est lumine naturali notum, hominem debere pœnitere. Respond. Negando antecedens : Quia ubicunque est notitia DEI, notitia quoque est peccatum esse contra DEUM. Nam si Lex naturalis dictat, Convitium, Detractionem, Contumeliam displicere aliis, quia displicent nobis, magis sequitur lumen naturale, nisi extinctum sit, dictare cuiq; transgressionem contra præcepta DEI notam esse, sicut lumen naturale dictat, malum esse offendere proximum, quem si volo reconciliare, debeo punire delinquentem.

XII. Ad quod præceptum Decalogi reducatur Pœnitentiæ præceptum.

Instatur : Omnia Præcepta naturalia ad aliquod reduci debent ex Decalogo, atqui præceptum de Pœnitentia ad nullum reduci potest, ergò. Respond. Primò, Negando majorem : Respond. Secundò, Negando minorem, Quia reduci potest vel ad

vel ad primum de colendo DEO, vel ad quintum de non occidendo, quod refertur etiam ad se ipsum, & ad vitam suam spiritualem.

XIII. Lumen naturale dictat, quis actus Pœnitentiæ sit eliciendus.

Instatur Secundò: Præcepta naturalia dictant determinatum aliquem actum, sed lumen naturale non dictat, qualem actum pœnitentiæ quis elicere debeat, ergò. Probatur minor, quia lumen naturale non dictat, an quis Attritionem vel Contritionem, implicitam vel explicitam elicere teneatur, cùm nihil determinari possit, ergò. Respond. Primò, Negando majorem. Respon. Secundò, Negando minorem, ad probationem dico: Lumen naturale dictare, quod quis debeat elicere talem actum, qui sit peccati deletivus & reconciliativus, qui pro diversitate subjectorum, & circumstantiarum jam iste jam ille esse potest. Hinc

XIV. Pœnitentia præcepta non debet necessariò semper esse formalis, aut perfecta, sed sufficit quandoque virtualis.

Dico Tertiò: *Pœnitentia, quæ sub præceptum cadit, non necessariò debet esse semper formalis, aut perfecta, sed sufficit quandoque virtualis, & semper imperfecta cum Sacramento, etiam in articulo mortis.* Ità Aretinus, Faber, Mastrius &c. Prima Pars est contra Conum & Sotum, existimantes, etiam stante naturali oblivione teneri quempiam ad formalem detestationem peccati. Secunda contra Valentiam, Tannerum, sentientes post Sacramentum teneri quempiam ad Contritionis actum eliciendum, idque sine ullo dubio tenent in mortis articulo.

Probatur Prima Pars, (Supposito tanquam certo, quod formalis regulariter esse debeat) Tum ex omnibus illis locis Scripturæ, & Patrum, ex quibus probatum est suprà ipsam DEI dilectionem esse sufficientem ad justificandum hominem, atqui dilectio non est, nisi virtualis Pœnitentia, ergò. Tum, si non sufficeret virtualis pœnitentia, DEUS non diligeret diligentes se: & pro aliquo statu facienti, quod in se est, denegaret media sufficientia ad salutem, puta in casu, quo quis non recordaretur peccatorum ex naturali oblivione, aut ex vi tormentorum in Martyrio, ad quod de improviso quis tractus fuisset à Tyranno, qui vel interrogationibus, vel Pœnis eo ipsum posset adigere, ut supra peccata commissa sese non valeret reflectere.

XV. Pœnitentia imperfecta cum Sacramento semper sufficit.

Probatur Secunda Pars: Tum, Quia sequeretur, in statu novæ legis non esse faciliorem modum Justificationis quàm in antiqua, Tum, Quia Sacramentum cum Attritione facit hominem contritum, ergò Attritio cum Sacramento semper sufficit. Tum denique, Quia sequeretur, quod sicut ex Concilio Tridentino Contritio justificat cum voto Sacramenti, ita etiam Sacramentum justificaret cum voto Contritionis, quia secundùm Valentiam justificatus per Sacramentum tenetur postea elicere actum Contritionis. Quòd autem nec in articulo mortis loquendo *per se*, teneatur quis ad Contritionem, quæ est tertia Pars.

XVI. Etiam in articulo mortis.

Probatur tertia pars, Tum ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. universaliter docente Contritionem perfectam, vel Attritionem sufficere cum Sacramento ad salutem, ad impetrandam peccatorum remissionem, & gratiæ infusionem: Tum, Quia non est ratio, quare aliis temporibus Attritio cum Sacramento sufficeret, & non in articulo mortis. Tum, Quia aliàs gratis esset in Lege Nova mutatum præceptum Contritionis in Attritionem; Tum denique ex praxi omnium Confessariorum timoratorum, qui etiam in articulo mortis à pœnitentibus suis non exigunt Contritionem. In casu tamen, quo quis copiam Confessarii non haberet, assero, Contritionem omninò esse necessariam.

XVII. Non tenetur per se quis statim ad pœnitentiam post comissum peccatum.

Dico Quartò: *Per se loquendo non tenetur quis statim ad pœnitentiam post peccatum commissum.* Ita Doctores, Thomas, Bonaventura, Alensis, & Recentiores communiter. Probatur: Tum, Quia ex Lege nulla talis obligatio deduci potest. Tum, Quia Pœnitentia est sub Præcepto affirmativo, atqui tale non obligat imme-

immediatè & pro semper, ergò. Tum, Quia si quis teneretur statim pœnitere post peccatum commissum, sequeretur hominem peccatorem tamdiu actualiter peccare, quamdiu non pœnitet, sed hoc dicere plurimas induceret inconvenientias, difficultates, anxietates &c. Probatur tamen sequela, quia qui tenetur ad præceptum affirmativum pro aliquo tempore, peccat, si illo tempore non impleat, sed secundùm Adversarios statim post peccatum commissum tenetur quis pœnitere, ergò peccat continuò non implens. Verùm

XVIII. Scripturæ Oppositæ exponuntur.

Opponuntur Authoritates Scripturæ, in quibus damnatur Pœnitentiæ dilatio, ut Ecclesiast. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem.* Rom. 2. *Tu autem secundùm duritiem tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*, ergò. Respond. Primò: Allegata loca solùm continere consilium, non præceptum. Respond. Secundò, Scripturam solùm velle Pœnitentiam non esse differendam usque ad ultimam horam mortis; Aut tantùm velle desistentiam, & cessationem à peccato, non verò exigunt positivum actum detestandi peccata commissa. Sed

XIX. Quo sensu quis semper teneatur esse nō inimicus DEO.

Instatur: Semper tenetur homo esse non infensus & inimicus DEO, ergò positivè tenetur detestari peccata. Respond. Distinguendo Antecedens, semper tenetur homo esse non inimicus DEO actu, concedo; habitu, nego Antecedens & Consequentiam, excipe casum, quo currit præceptum de reconciliando se cum DEO. Ast ex ratione

XX. Cur quis teneatur statim restituere, & non pœnitere.

Arguitur Primò: Nunquam potest quis peccatum licitè committere, ergò nec licitè unquam in eo perseverare, probatur Consequentia, Quia ex eo, quod nunquam licitè aliquis furetur, ideò nunquam licitè furto ablatum retinet, ergò. Respond. Distinguendo consequens: Nunquam licitè aliquis in eo perseverat, continuando actum peccaminosum concedo, habitualiter manendo absque formali actu Pœnitentiæ, nego Consequentiam, Ad probationem dico, Disparitatem esse, Quia ideò quis tenetur statim ad restitutionem rei ablatæ, quia per absentiam semper damnificatur proximus in suo interesse, quòd si Deus etiam sic damnificari posset, omninò deberet quis etiam statim pœnitere.

Arguitur Secundò: Nemo potest pro aliquo tempore velle non converti ad DEUM, sed si quispiam non tenetur statim pœnitere post peccatum commissum, posset hic & nunc velle non converti ad Deum, ergò non potest quis non statim pœnitere. Respond. Distinguendo. Nemo potest &c. quando præceptum Conversionis obligat, concedo: extra tempus obligationis nego majorem, & dist. similiter min: nego Consequentiam. Verùm XXI. Potest quis velle non converti ad DEUM extra tempus obligationis.

Instatur. Nullum tempus datur, quò licitè quis potest velle perseverare in peccato, & in inimicitia Dei, ergò etiam nullum tempus, in quo posset quis velle non converti; Probatur Consequentia, Velle non converti est velle perseverare in peccato, sed &c. ergò. Respond. Negando Consequentiam cum majori suæ probat. Disparitas est, Quia velle perseverare in peccato, est actus intrinsecè malus, nam fertur super statum actualis peccati complacendo sibi in ipso; Velle verò non converti, non fertur super peccatum, sed solùm super actum pœnitentiæ, quem hic & nunc non tenetur elicere, & consequenter licitè eum non vult pro hic & nunc, ubi præceptum non est. XXII. Velle perseverare in peccato, est actus intrinsecè malus.

Dico Quintò: *Non modò in articulo mortis, sed etiam per decursum vitæ tenetur quis ad actum formalem vel virtualem pœnitentiæ de præcepto Divino.* Hæc est communior Veterum & Recentiorum contra Vasquem, Hurtadum &c. Et quidem hominem obligari in articulis mortis non est dubium, etiam obligari annuè ex præcepto Ecclesiastico certum est, quare probatur Conclusio de XXIII. Non modò in articulo mortis, sed etiam per decursum vitæ tenetur quis ad actum formalem vel virtualem pœnitentię ex præcepto Divino.

vitæ decursu: Primò ex authoritate Patrum, Augustini Tom. 3. Sent. Sent. 73. dicentis: *Remedia Conversionis ad DEUM nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus pereat correctionis tarditate, qui enim pœnitenti promisit Indulgentiam dissimulanti diem crastinum non promisit.* Et Serm. 37. *Age pœnitentiam dum sanus es, securus es, quando eo tempore pœnitentiam egisti, in quo peccare potuisti, si autem vis agere Pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Hinc ipsius proverbium: *Pœnitentia sera rarò vera.* Similia habent Origenes, Hieronym.

Secundò: Ex motivo tàm dilectionis DEI, quàm sui ipsius, Nam cùm quandóque homo teneatur diligere DEUM in vita, quandóque tenetur in vita peccator pœnitere, cum diligere non possit, sine peccatorum detestatione. Deindè, parum aut nihil se diligit, qui per totam vitam, aut saltem magnam partem periculo Salutis æternæ se exponit, tot bonis spiritualibus se privat, & tot actus inanes ad vitam æternam nihil conducentes elicit, ergò.

XXIV. Quo tempore obliget præceptum Divinum pœnitentiæ.

Quando autem sit illud tempus, in quo peccator tenetur pœnitere, ita ut si non faciat, peccet contra Præceptum Divinum, difficile est assignare, Ego censeo primò Teneri quempiam ad Pœnitentiam tunc, quando tenetur elicere actum Dilectionis, Spei, &c. Quia Amor DEI & Desiderium Beatitudinis inferunt Detestationem peccatorum: Secundò, tenentur citius, sæpius Religiosi. Tertiò, administrantes aliquod Sacramentum ex Ordinatione & Officio Ordinis, Sancta enim Sancte sunt tractanda. Quartò, in periculo morali vitæ, non quod uni aut alteri, sed plerisque solet accidere, & mors sequi ut bellum, iter longum, Navigatio. Quintò, in publica necessitate, ex publicis ærumnis, ut fame, peste, &c. Quia his & similibus pœnis frequenter DEUS Communitates punit ob peccata privatorum, Et in his & similibus. Imò ulterius

XXV. Peccator tenetur elicere aliquem actum pœnitentiæ, quoties peccata practicè occurrunt cum deliberatione.

Dico Sextò: *Piè tenetur, Peccatorem debere elicere aliquem actum Pœnitentiæ toties, quoties peccata menti practicè occurrunt deliberatè cogitando de commissis, vel deliberatè insistendo tali cogitationi, etiamsi per accidens inciderint. Secus si tantum speculativè incidant sine electione scilicet, & absque deliberatione.* Ita D. Bonaventura, Alensis, Scotus & Antiquiores Theologi. Probatur Primò, Tum, Quia talis, cui peccata cum deliberatione incidunt, quique eorum deliberatè recordatur, vel complacet sibi in illis, vel displicet sibi de commissis: Si primum? ergò actualiter peccat, si secundum? habetur intentum. Tum, Quia nullum tempus melius assignatur, quo quis ex Lege naturæ teneatur ad peccatorum detestationem, quàm illud, quando ei practicè ùt detestanda occurrunt, nam non potest assignari ratio, cur potiùs hoc tempore teneatur vel alio &c. ergò. Tertiò, non apparet motivum, per quod quis excusari possit in tali casu ab omni actu pœnitentiæ, præter difficultatem, sed seposito affectu & complacentia ad peccatum nulla penitus est difficultas, nam licèt esset quoad actum Contritionis, non erit tamen quoad Attritionem, qualem dico tunc sufficere, quia occurrente præcepto non tenetur quis semper perfectissimum actum illius præcepti elicere, v. g. in spe & charitate non teneor semper perfectissimum actum spei vel charitatis elicere, licèt tenear sperare & diligere, ergò licèt quis teneatur pœnitere, non obligatur tamen ad perfectissimam pœnitentiam; Et hanc ob causam dixi in Conclusione: *Aliquem actum Pœnitentiæ.*

Dices: Occurrente memoriâ peccatorum voluntas potest suspendere omnem actum, ergò nec necessariò sibi in peccato complacebit, nec necessariò illud debebit detestari, conse-

consequenter nec de illo pœnitere.

XXVI. Voluntas in deliberatis non suspendit suum actū. Respond. Voluntatem in deliberatis & ex electione assumptis propositis non suspendere unquam suum actum, quamvis metaphysicè possit. Deindè non sufficit suspendere actum in circumstantiis ad rectitudinem dandam obligantibus, prout contingit, quando Intellectus peccata practicè proponit detestanda, quia lumen naturale dictat, malum non posse amari, sed debere odio haberi.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Activitate Pœnitentiæ respectu Venialium.

Difficilius est quidem à peccato mortali resurgere, quàm à veniali, difficilius tamen est explicare, quomodo macula venialis peccati tollatur; suntque varii dicendi modi Doctorum, tàm de remissione in hac, quàm in altera vita, ego utrumque hic examinabo, & quoad hanc vitam loquendo de operibus, quæ non sunt actus Pœnitentiæ.

I. Peccata venialia remittuntur per actum Contritionis extra Sacramentum. Suppono Primò: Peccata venialia remitti per quemcunq; actum Contritionis extra Sacramentum, quia cum sit efficax ad remittenda peccata mortalia, magis valebit ad remissionem venialium. Similiter certum est peccata dimitti per Attritionem in Sacramento ob eandem rationem.

II. Omnia Sacramenta habent vim dimittendi venialia. Suppono Secundò: Omnia Sacramenta habere vim dimittendi peccata venialia, ad hoc enim particulariter instituta sunt, imò etiam Ceremonialia & omnia Sacramentalia, diversa tamen ratione, illa nempe ex opere operato, ista ex opere operantis, excitando scilicet in suscipientibus aliquem fervorem & Charitatis affectum.

III. Eandem vim habent bona opera ad hoc directa, aut à Deo acceptata. Suppono Tertiò: Omnia quoque bona opera hanc habere vim, si tamen ad hunc finem diriguntur, aut à DEO sine tali hominis directione acceptentur, nam ex se habent, quòd ita possint DEO placere, sicut venialia displicuêre, & habent sufficientem oppositionem destructivam, per directionem operantis, imò talis oppositio non requiritur, quia non causant physicè, sed moraliter. Quomodo autem causent, tota est difficultas in hac quæstione. Et

Dico Primò: *Peccata venialia etiam per solam Attritionem simplicem deleri posse extra Sacramentum, sive attendendo in generali ad omnia peccata, sive distinctè ad venialia.* Ità Doctor Subtilis 4. d. 21. q. 1. quem sequuntur sui communiter, & Recentiores plures, ut Suaretz, Coning contra Vasquez probatur, Quia non requiritur Contritio formalis vel virtualis, ergò sufficit Attritio. Probatur antecedens, sequeretur, quod æqualis satisfactio requireretur pro culpa gravi & levi, sed hoc videtur Justitiæ Divinæ dissonum, ergò. Probatur sequela, Quia pro deletione mortalis requiritur & sufficit Contritio virtualis vel formalis, ergò. Confirmatur. Attritio habet sufficientem oppositionem ad destructionem venialium, quia est æque Nolitio & detestatio peccati, Volitio autem optimè destruitur per nolitionem, ergò peccatum veniale actualiter vel habitualiter volitum per Attritionem. Sed in contra IV. Peccata venialia per solam attritionem deleri possunt extra Sacramentum.

Arguitur: Si per Attritionem venialia dimitti possent, sequeretur, nunquam venialia verè remitti posse in Pœnitentiæ Sacramento, atqui hoc est contra Concilium Trident. Sess. 14. docens etiam sola venialia esse materiam Sacramenti, probatur sequela, quia semper supponerentur remissa per Attritionem, ergò. Respond. Primò retorquendo argumentum, si per Contritionem venialia dimittantur, sequitur nunquam remittenda in Sacramento, quia jam præsupponuntur remissa, atqui hoc non obstante venialia per Contritionem dimitti possunt, ergò etiam per Attritionem. Respond. Secundò: Negando sequelam, cujus probationem distinguo, semper præsupponerentur dimissa, si semper ante habere- V. Cum quo stat posse etiam remitti in Sacramento.

beretur actus Attritionis, concedo, quando non haberetur, nego majorem; Itaque quando homo justus accedit cum solis venialibus, non est necesse, quod habeat formalem & actualem Attritionem, sed sufficit minor, v. g. sola non complacentia in venialibus, cum qua Sacramentum suum operabitur effectum ex opere operato, quamvis plus requiratur ad remissionem peccati mortalis, nempe actualis Attritio & Detestatio.

VI. Venialia etiam in peccatore dimitti possunt per solam attritionem sine remissione mortalium.

Dico Secundò: *Venialia peccata etiam in peccatore dimitti possunt per solam Attritionem absque dimissione mortalium*; Ita Heribarnes, Hiquæus, Mastrius ex Scoto id deducentes. Probatur Primò, in homine Peccatore remittuntur venialia absque mortalibus per Sacramentalia & pia opera, ergò etiam dimitti possunt per Attritionem, probatur antecedens ex D. Augustino Enchirid. cap. 71. dicente: *De quotidianis levioribus culpis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio Fidelium satisfacit, eorum enim est dicere Pater noster &c.* Nec valet dicere S. Patrem loqui de hominibus justis, Tum, Quia notanter dicitur *Fidelium*, & non Justorum. Tum, Quia non solùm Justorum, sed etiam Peccatorum est dicere Pater noster.

Probatur Secundò: Quia si non remitterentur per Attritionem maximè, quòd requiratur infusio gratiæ, atqui ad remissionem venialium non requiritur infusio gratiæ, ergò, major est Adversar. Probatur minor: Tum, Quia Veniale non inducit gratiæ exclusionem, ergò nec remissio requirit gratiæ infusionem: Tum, Quia etiam post mortem Justis dimittuntur venialia, ùt habet communis sententia, sed tunc aliqua gratia ampliùs eis non infunditur, ergò.

VII. Alia ratio ad idem.

Probatur Tertiò: Secundùm Adversarios, & veritatem, potest quandoque peccatum mortale remitti, sine remissione peccati venialis adjuncti, & unum veniale sine alio, v. g. quando aliquis in Pœnitentia recordatur alicujus peccati venialis, quod non proponit vitare, hoc non impedit remissionem mortalis, de quo summè dolet ob motivum supernaturale: ergò poterit similiter peccatum veniale remitti absque peccati mortalis adjuncti. Probatur Consequentia: Veniale non dicit necessariam connexionem cum mortali, quantum ad sui remissionem, neque ex Lege, neque ex Justitia, nam peccator potest satisfacere Pœnâ temporali, quæ ipsi remittitur in statu peccati, ergò etiam pro peccato, quod inducit debitum pœnæ temporalis, ùt est veniale peccatum. Consequentia patet, si status peccati non tollit potestatem satisfaciendi pro pœna temporali, non videtur tollere satisfactionem, quæ pro ipso peccato sufficit, cui tantùm debetur illa.

VIII. Item alia Ratio.

Probatur Quartò: Peccator potest exercere varia opera bona, ùt Jejunium, Eleëmosyna &c. quæ licèt non reconcilient hominē Deo, tamen tantùm participant de bono, quantum peccatum veniale de malo, ergò sicut existentia gratiæ sanctificantis non impedit, quo minùs quis peccet venialiter, ita nec existentia peccati mortalis, quò minùs benè agat convertendo se à veniali per opus aliquod bonum talis peccati deletivum. Deindè hæc sententia magis commendat DEI bonitatem & Justitiam, & contraria retardat à bono opere ob rigorem, si omnia opera peccatorum essent mortua, & vacua sine omni merito.

IX. Quo sensu dona iniquorum non probet Altissimus.

Opponitur illud Ecclesiastici 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus*, & ibidem: *Ab immundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur?* quasi diceret, nihil. Hinc opera peccatorum vocantur à Theologis mortua, sed probaret DEUS dona iniquorum, si propter ipsa remitteret peccata venialia in statu peccati. ergo. Respond. explicando Scripturam, & distinguendo Majorem, in ordine ad reconciliationem cum ipso, vel ad dandam Gratiam vel Gloriam, concedo majorem, in ordi-

ordine ad delenda venialia, quorum remissio non continet Jus ad vitam æternam, nego majorem, distinctâ similiter minore, negatur consequentia. Pariformiter solvenda est Confirmatio, opera sine Charitate nil prodesse in ordine ad reconciliationem, licèt benè in ordine ad aliquid aliud.

X. Remissio venialis per condignam satisfactionem non exigit infusionem gratiæ sanctificantis. Dico Tertiò: *Remissio Peccati venialis per condignam satisfactionem non exigit per se infusionem Gratiæ sanctificantis;* Est conformis Doctori, & eam tenent Lessius, Ledesma, Major, & alii contra Suarem, & Vasquem.

Probatur Primò: Veniale non includit privationem gratiæ, & compatitur cum ipsa ejúsque augmento etiam in perfectissimo gradu, committitúrque salvâ Charitate & amicitiâ DEI: ergò non requiritur ad ejus remissionem necessariò infusio Gratiæ sanctificantis. Secundò. Justo decedenti in veniali remittitur veniale, vel in instanti separationis animæ, ut tenet sententia satis communis, vel post mortem; quia est impeditivum Beatitudinis, ad quam decedens sic habet Jus, sed in instanti separationis, ut simpliciter possit contingere, nullum haberet actum meritorium novum: ergò nec ulla gratia de novo ipsi infunderetur in hac vel altera vita.

XI. Instantia præoccupatur. Nec valet dicere, in illo instanti separationis, vel postea infundi gratiam intuitu alicujus meriti præcedentis in hunc finem à DEO reservati, ut videtur tenere Scotus hic: Quia contra Primò veniale potuisset in illo instanti, intuitu meriti prioris remitti per singularem condonationem, ergò sine infusione Gratiæ. Secundò, dato, quod tunc infunderetur gratia intuitu meriti præteriti, non sequeretur indè, quòd ad remissionem venialis per se infunderetur. ergo. Sed contra Conclusionem.

Arguitur: Per remissionem peccati venialis in Justo, augetur gratia sanctificans priùs habita. ergò, remissio ejus non fit sine aliqua infusione gratiæ. Probatur antecedens, Quia commissio peccati venialis minuit gratiam sanctificantem priùs habitam, ergò ejus remissio eandem gratiam auget.

Confirmatur. Actus Dilectionis DEI, & alii meritorii augent meritoriè gratiam sanctificantem priùs habitam; ergò ejus remissio eandem Gratiam auget. Respond. Distinguendo antecedens; per Remissionem peccati venialis augetur per accidens & ratione adjuncti actûs meritorii, per quem remittitur, concedo antecedens, per se augetur gratia sanctificans istô fine, ut remittatur veniale, nego antecedens, ejúsque Probationis antecedens cum utraque Consequentia, quia neque per Commissionem peccati venialis, aut Remissionem augetur vel minuitur gratia sanctificans, benè tamen per actum merentem augmentum, aut ipsam infusionem gratiæ, per quod patet, ad Confirmationem, cujus Consequentia negatur ob rationem jam datam. XII. Per Remissionem venialis in jure non per se, sed per accidens augetur gratia sanctificans.

Instatur. Gratia sanctificans est gratia intensibilis, & remissibilis, sed non potest intendi aut remitti per aliud, quàm per Remissionem, aut Commissionem venialis; ergò. Probatur minor, non potest diminui aut remitti, nisi per aliquem actum demeritorium aut peccaminosum, sed non diminuitur per actum peccati mortalis, quia talis non diminuit, sed totaliter expellit gratiam sanctificantem, ergò per solos actus venialiter malos diminuitur. Respond. Negando minorem, ejúsque Probationis majorem, quia solus DEUS est, qui intendit & tollit efficienter gratiam sanctificantem, licèt per nos ipsos meritoriè augeatur, tamen per nullos nostros actus, quantumvis demeritorios potest diminui, aut per partes destrui, ita ut nunc unus gradus, nunc alius ipsius destruatur remanentibus aliis, DEO sic disponente, ut in ordine ad destructionem sit indivisibilis, debeatque vel tota simùl destrui, vel tota manere; & cùm dicitur, quòd sicut gratia XIII. Solus Deus intercedit & tollit efficienter gratiam sanctificantem.

gratia augetur in nobis per actus meritorios, ita debet diminui per actus demeritorios, negatur, quia in ordine ad destructionem est indivisibilis, non sic in ordine ad productionem.

XIV. Gratia sanctificans in ordine ad destructionem est indivisibilis, non sic in ordine ad productionem.

Fundamentum hujus est, quod gratia nullam habeat qualitatem contrariam, per quam naturaliter destruatur, sicut habent reliquæ qualitates. Deindè DEUS promisit actibus meritoriis augmentum gratiæ & gloriæ, è contra disposuit, ut per actus venialiter tantùm malos gratia habitualis non excludatur nec diminuatur, cujus beneplacitum in utroque nobis constat, tum ex eo, quòd sit magis pronus ad prœmiandum, quàm ad puniendum, tum etiam, quia Trident. Sess. 14. cap. 5. docet, nos per peccata venialia à gratia DEI non excludi, nec proinde obligari ad illa in Confessione exprimenda.

XV. Cur in Sacramento Pœnitentiæ detur gratia per se ad remissionem venialium.

Instatur Secundò: In Sacramento Pœnitentiæ gratia datur per se ad Remissionem venialium, quando illa sola quis confitetur, ergò semper. Respond. Negando Consequentiam. Ratio est, quia gratia, quæ datur in Sacramento Pœnitentiæ, est ex institutione Divina remissiva materiæ cujuscunq; per se subjicibilis clavibus, cujusmodi est culpa venialis, ex quo tamen non sequitur semper requiri gratiam ad ejus deletionem.

XVI. Quid mali inferat Commissio venialis, aut quid boni ejus remissio.

Quòd si quæras, quid mali inferat Commissio Venialis, aut boni ejus remissio? Respondetur inferre deordinationem contra Legem prohibentem ratione cujus DEUS quandoque subtrahit homini suam familiaritatem, & minuit gratiam actualem, aliáque auxilia, quibus melius & expeditiùs mereri possit quis, quæ auxilia aliàs esset daturus, ulterius illa multiplicata disponunt ad graviorem lapsum in ipsa peccata mortalia, Deò sic permittente, ut qui ex sua negligentia modica spernit, paulatim in majora decidat; Denique retardat animam à Gloria Cælesti, donec ab illis absolvatur, & pro illis solvat. Et sicut Commissio peccati venialis sine ullâ diminutione gratiæ sanctificantis hæc mala inducit, ità ejus Remissio sine augmento gratiæ eadem tollit mala.

XVII. Pœnitentia & alia pia opera debent veniale moraliter in justo per modū condignæ satisfactionis & meriti de condigno, in peccatore per modū meriti de congruo.

Dico Quartò: *Pœnitentia & alia pia opera delent veniale moraliter in homine justo per modum condignæ satisfactionis & meriti de condigno, in peccatore per modum meriti de congruo.* Ita Mastrius &c. Probatur Prima Pars, Quia Pœnitentia & alia opera non delent venialia physicè, ergò moraliter probatur antecedens. Tum, Quia physicè sese compatiuntur tàm cum Pœnitentia, quàm cum aliis operibus, sicuti se compatiuntur cum gratia: Tum, Quia Pœnitentia & alia opera non habent ullam oppositionem cum venialibus habitualibus, sed tantùm actualibus. Probatur Secunda Pars, Quia Pœnitentia & alia opera bona hominis justi sunt meritoria de condigno vitæ æternæ, ergò etiam sunt sufficientia ad delenda venialia. Patet ex hoc etiam tertia Pars.

XVIII. Sacramenta delent venialia ex opere operato.

Dico Quintò: *Sacramenta delent venialia ex opere operato, Sacramentalia verò & alia pia opera ex opere operantis.* Hæc est communis inter Catholicos. Et Prima Pars patet ex dictis de Sacramentis in genere, ubi dixi, omnia Sacramenta esse instrumenta Passionis Christi instituta ad sanctificandas animas & perfectè disponendas eas ad ultimi finis consecutionem, atqui Remissio venialium ad hoc requiritur, nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, ergò. Probatur

XIX. Sacramentalia non ex opere operato.

Secunda Pars, Quia si Sacramentalia ex opere operato delerent venialia, vel hoc haberent ex institutione Christi vel Ecclesiæ, neutrum dici potest, ergò: Probatur minor: Non primum, quia de hac institutione nullibi constat, Nec secundum: Quia Ecclesia non habet authoritatem instituendi signa efficacia & infallibilia, quæ essent deletiva peccatorum, & collativa gratiæ, ergo. Sed

Dices: Si Sacramentalia conferunt deletionem venialium ex opere

pere operantis frustra erunt instituta ab Ecclesia, & non habebunt majorem efficaciam, quàm quodcunq; opus pium, sed hoc utrumque est absurdum, ergò. Respond. Negando sequelam, neutrum enim sequitur, nam dum dico, Sacramentalia non causare gratiam ex opere operato, intelligo tantùm, quòd non habeant infallibilem efficaciam ex institutione DEI, non nego tamen, quin habeant particulariorem efficaciam præ cæteris piis operibus, quia Sacramentalia, pia opera in hoc excellunt, quia ipsis applicatur Sanctitas Ecclesiæ, quæ à Christo Sponso impetrat, ut in illis excitetur pii motus, ad deletionem venialium necessarii, atque adeò Sacramentalia habent aliquem modum medium inter Sacramenta & pia opera alia, & possunt dici in largiori acceptione causare ex opere operato, quatenus scilicet non ex opere proprio, sed ex opere alterius operantis effectus iste confertur.

XX. In quo Sacramentalia excedāt alia pia opera.

Instabis: Si requiritur alius actus, quem Sacramentalia excitare debent, potius huic actui adscribenda est remissio venialium, quàm Sacramentalibus, ergò. Respond. Negando antecedens: Quia in usu Sacramentalium utrumque requiritur & applicatio & pius motus, & unum absque alio non sufficit, per hoc tamen operatio Sacramentalium est efficacior: Tum, Quia non modò sua, sed etiam Ecclesiæ Sanctitas ei applicatur: Tum, Quia velocius & magis proximè motus ille pius per Sacramentalia impetratur, quàm per alia opera pia. Hinc

XXI. Cur remissio venialis potius Sacramentalibus adscribatur, quàm pio motui, quē excitant.

Dico Sextò: *Ad hoc, ut Sacramenta, Sacramentalia, & pia opera deleant peccata venialia, requiritur pius aliquis motus, quo homo justus cupit emundari ab omnibus venialibus, & redintegrari ad familiaritatem & amicitiam DEI.* Hanc deduco ex Mastrio, & probatur, quia ad deletionem Venialium cum talibus operibus non requiritur Contritio vel Attritio formalis; Nec sufficit gratiæ collatio & augmentum, quod Sacramenta præstant &c. Quia hæc est compossibilis cum quibuscunq; peccatis venialibus, ergò ut deleantur venialia, motus aliquis pius alius requiritur & sufficit, & talis non potest congruenter assignari, quàm desiderium hujusmodi, quia tale desiderium est virtualis peccatorum venialium detestatio. Confirmatur, Quia ut deleantur venialia, aliquo modo debet homo ea retractare, & de iis pœnitere, actúque super ipsa ferri, ergò non sufficit sola & nuda applicatio Sacramentorum &c.

XXII. Ut Sacramenta, Sacramentalia, & pia opera deleant venialia, requiritur pius motus, quo justus cupit emundari ab omnibꝰ venialibus.

Dico Septimò: *In altera vita possunt etiam peccata venialia dimitti non solùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam.* Ita Catholici. Probatur Primò ex illo Matth. 12. *Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo Sancti Patres deducunt esse quædam peccata, quæ in futuro sæculo dimittantur. Ita expressè D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 19. ubi dicit: *In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari.* Probatur Secundò: Quia potest quis decedere cum veris & meris venialibus, ergò in tali poterunt & debebunt dimitti venialia, antecedens patet, quia potest quis cum solis venialibus sine ullo dolore, reflexione & actu pio directo ad deletionem venialium subitò occidi, submergi, in amentiam cadere, & inter dormiendum lethaliter obdormire, ergò. Probatur consequentia: Talis non damnabitur, quia damnatio est propter sola mortalia, nec sine dimissione salvabitur, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum Cœlorum, ergò debebunt ei peccata hujusmodi venialia prius dimitti. Sed in contrarium

XXIII. Venialia possunt dimitti in altera vita quoad pœnam & culpam.

Dices: Peccata venialia non dimitti in altera vita, sed in ultimo termino continuativo vitæ, & de hoc intelligenda est Scriptura. Sed contra. Gratis retorquetur clarus sensus Scripturæ ad difficilem terminum vitæ continuativum. Contra Secundò: Ultimus terminus continua-

XXIV. Venialia non dimitti in ultimo termino continuativo vitæ ostenditur.

tinuativus iste vel est intrinsecus vitæ, vel morti, alterutrum enim esse debet, cùm enim mors & vita privativè opponantur, non poterit esse utriusque: Si intrinsecus morti, habetur intentum: Si intrinsecum vitæ, non fugitur difficultas, Quia in nullo instanti potest quis simul peccare, & peccatum retractare, sed in illo ultimo termino continuativo potest quis adhuc venialiter peccare, ergò tunc non potest peccatum retractare, & consequenter cum illo veniali morietur, adeóque in altera vita dimitti debebit.

XXV. Veniale nõ dimittitur in altera vita per actũ conversionis ad Deum & detestationis peccati venialis.

Dico Octavo: *Peccatum veniale non dimittitur in altera vita per aliquem actum bonum conversionis ad Deum, & detestationis peccatorum venialium, sed vel per satispassionem in purgatorio, vel per actum bonum elicitum à justo in hac vita directum ad hunc finem, & acceptatum à Deo.* Prima Pars est contra plures Antiquiores & Recentiores, Posteriores tamen duæ Partes & modi dicendi insinuantur & approbantur à Scoto 4. d. 21. qu. 1. Et sequuntur Faber, Aretinus, Gavatius apud Mastrium. Probatur Prima Pars: Tum, Quia Joan. 9. dicitur: *Operamini, donec dies est, veniet nox, quando nemo poterit operari.* Id est, faciendum est benè in vita, quia post mortem non poterimus amplius benè operari, id est, meritoriè ad salutem; Tum, Quia Nemo in altera vita est amplius viator, ergò nemo poterit mereri de condigno vel congruo remissionem venialium. Tum, Quia qua ratione quis posset mereri deletionem venialium, eadem posset quoque mereri augmentum gratiæ, gloriæ, & alia dona &c.

XXVI. Benè tamẽ per satispassionem in Purgatorio.

Probatur Secunda Pars: Culpæ venialis dimissio non est aliud, quàm temporalis pœnæ ipsi debitæ solutio, ergò soluta pœna sive in hac vita sive in futura, sive in inferno sive purgatorio, statim dimittetur culpa: Antecedens patet, quia post actum transeuntem culpa, quæ manet, non est aliud, quàm reatus & obligatio ad pœnam, ergò.

XXVII. Remissio culpæ & pœnæ in veniali se concomitantur.

Dices: Remissio culpæ & remissio pœnæ inter se multùm distinguuntur, ergò licèt per satispassionem pœna possit remitti, non tamen culpa. Respond. Distinguendo Antecedens, in peccato mortali concedò, in veniali nego: Itaque licèt præcisè secundùm formalitatem considerata remissio culpæ non sit remissio pœnæ, & è contra, attamen in veniali semper se concomitantur, quia hæc contrahit solummodò pœnam temporalem, consequenter ea persoluta cessat reatus ipse, peccati autem mortalis pœna est æterna, adeoq; culpa nunquam dimittetur, nisi mutetur in temporalem, vel in æternum patiatur.

XXVIII. Etiam in inferno potest quis satispati pro veniali.

Dices Secundò: Ad minus in Inferno non poterit quis satispati pro peccato veniali: Tum, Quia damnatus non est in gratia, adeóque ipsius passio non potest esse fructuosa; Tum, Quia in inferno nulla est redemptio. Respond. Negando Antecedens, ad primam probat. dico: Non requiri gratiam, nam sicut cùm ponitur veniale, non tollitur gratia, ita cùm auffertur, nec gratia adesse vel poni debet. Ad secundam: Respond. Distinguendo, Non datur redemptio de peccato ob quod quis in infernum truditur, concedo; ob quod quis non perdit amicitiam DEI, nego antecedens & Consequentiam.

XXIX. Veniale dimittitur in altera vita per actum bonum elicitum à justo in hac vita directũ ad hunc finem, & acceptatum à DEO.

Probatur Tertia Pars, Primò: Authoritate S. Gregorii super illud Matth. 12. *Qui peccaverit in Spiritum &c.* dicentis: *Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam verò parvæ in futuro, quæ quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, ut ibi dimittantur, promeruit.*

Probatur Secundò, Ratione Scoti: Bona Opera, & eximii actus Charitatis sunt sufficientes ad delendum peccatum in hac vita, ergò etiam sunt sufficientes, ut virtute illorum deleantur in altera vita, antecedens patet, quia tales actus sunt virtualiter pœnitentia, ergò posito etiam, quod semper aliqua pœnitentia

tia

Digitized by Google

tia requiratur, illi sufficientes erunt. Probatur igitur Consequentia principalis: Causa aliqua potens causare effectum, non causat eum, quamdiu impeditur, causat tamen statim, ut impedimentum cessat, sed tales actus sunt causæ deletivæ peccatorum venialium, ergò quamdiu impediuntur, non causabunt effectum suum, causabunt autem mox, ut impedimentum ablatum fuerit: subsumo, atqui deletio venialium in tali actu impediri potest per venialium continuationem, quæ continuatio cessabit post mortem, ergò tunc illi actus omnem effectum suum causare poterunt.

Ex quo sequitur, quòd si quis haberet aliquem actum heroicum charitatis relatum ad hunc finem, quòd etiam omnia venialia in vita deleret, si amplius non peccaret venialiter eliciens. Sed

XXX. Actus præcedentes physicè, manent moraliter. Dices: Tales actus supponuntur præcessisse, ergò non possunt delere peccata venialia subsequentia. Respond. negando consequentiam, quia licèt præcesserint physicè, manent tamen moraliter in acceptatione DEI, sicut omnia alia bona opera, unde sunt sufficientes ad eorum deletionem, quia magis DEO placuerunt, quàm displicuerint venialia. Sed contra secundum dicendi modum sic

Arguitur. Satispassio non potest habere vim deletivam peccatorum venialium, ergò: Probatur antecedens, quia satispassio tantùm tollit reatum pœnæ, & non reatum culpæ, sed reatus culpæ & reatus pœnæ distinguuntur, ergò licèt satispassio valeat ad delendam pœnam, non valet ad delendam culpam, probatur minor, Tum, Quia Scotus hoc ipsum ex Sanctis Patribus docet: Tum, Quia in præsenti vita, quando deletur culpa venialis, non deletur pœna pro illis debita, ergò etiam, quando in altera vita deletur pœna, non deletur culpa. Respond. Negando antecedens, cum sua probatione, vel potiùs distinguo minorem: Reatus pœnæ & reatus culpæ distinguuntur in mortali, concedo, in veniali nego minorem, sed quia hæc distinctio & opinio non est omnimodè conformis ad mentem Scoti. Respond. distinguendo majorem, satispassio tollit solùm pœnam, partialis concedo majorem, totalis nego major: Itaq; secundùm mentem Scoti in satispassione totali tollitur uterq; reatus, non verò in partiali, & hoc solùm volunt Patres Sancti, hocque est, quod contingit in via, Quia sicut in dimissione mortalis pœna æterna mutatur in temporaneam, ita in dimissione venialis mutatur major pœna temporalis in minorem. XXXI. Satispassio totalis tollit reatum pœnæ & culpæ.

Arguitur Secundò: Sicut peccatum est libera aversio à DEO, ita solutio & deletio peccati debet esse libera conversio ad DEUM, sed per satispassionem non fit libera conversio ad DEUM, quia ex aliena voluntate, nempe ex sententia supremi Judicis hanc subeunt, ergò per satispassionem animæ peccata non delent. Respond. Primò: Negando minorem, Quia animæ licèt per sententiam Judicis ad purgatorium detrudantur, acceptant tamen pœnam gratanter, conformantes sese Divinæ Voluntati, adeòque verè pœnitent de peccatis, nam ùt suprà dixi, Quartus actus tenendi pœnam, seu tenentiæ pœnæ, est grata & patiens acceptatio & toleratio. Respond. Secundò, Distinguendo: In mortali concedo, in veniali, negò. Patet, quia verè quis satisfacit peccato, v. g. læsæ salvæguardiæ, si ei etiam invito abscindatur manus, ergò non semper debet esse voluntaria. XXXII. Per satispassionem fit aliqualiter libera conversio ad Deum.

Dico Nono: *Probabilius est Justo decedenti venialia à DEO remitti in instanti separationis animæ intuitu præteritorum meritorum, quæ aliàs in vita habuit, quæque à DEO in hunc finem reservantur.* Ita Scotus hìc n. 8. quem sequuntur multi alii contra Alensem, qui dicit, illa remitti tunc ex efficacia gratiæ, Durandum, Suarem, Vasquem &c. requirentes actum Contritionis in illo statu. Probatur Conclusio. Modus remittendi peccata secundùm legem ordina- XXXIII. Probabilius est justo remitti venialia in instanti separationis animæ intuitu meritorum præteritorum, quæ à Deo in hunc finem reservantur.

riam est per actum meritorium, ultra quam legem sine fundamento alia statuitur, sed in illo instanti, in quo separatur anima, nullum potest habere meritum justus, ergò debet remitti veniale ob aliquod meritum superioris vitæ, non quidem ab ipso Justo, in hunc finem ordinatum, aliàs in vita peccatum ejus remitteretur, sed à DEO acceptatum, cujus providentiæ incumbit, Justo habenti perseverantiam finalem, & completum jus ad Gloriam providere de amotione omnium impedientium ipsum à consecutione talis gloriæ: hæc fuerunt impedimenta, nempe quia ipse justus non obtulit in vita expressè sua opera ad satisfaciendum venialibus peccatis, nec consequenter DEUS acceptavit, sed in morte cessant hæc impedimenta: quia merita adjuncta Perseverantiæ finali tribuunt ultimum & completum Jus ad Gloriam, Quod Jus aliàs fuit suspensum, donec poneretur conditio, à quâ dependebat, nempe perseverantia finalis: Quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Confirmatur. Causa impedita sublato impedimento habet suum effectum, sed merita Justi, si non essent impedita in vita, essent sufficientia ad deletionem venialium: ergò in morte sublato illo impedimento sunt efficacia ad hunc effectum.

XXXIV. Opera justi aliter habēt rationem satisfactionis in via, & in termino.

Arguitur. Opera Justi non habent rationem satisfactionis, nisi offerantur ab ipso in ordine ad hunc finem, & acceptentur à DEO similiter, sed neutrum horum fuit factum, ergò &c. Resp. distinguendo majorem, in statu viatoris concedo maj: in termino, nego majorem, quia eo ipso, quòd opera illa bona fuerint facta in Justitia ad finem Gloriæ consequendæ, ità etiam implicitè fuerunt oblata ad amovenda impedimenta, quæ oblatio licèt non sufficiat in vita, tamen quando non est amplius locus satisfaciendi pro peccato, congruum est Divinæ Bonitati, & Misericordiæ, ut ea tunc acceptet, nam ex omnibus aliis modis dicendi, hic est magis conformis legi ordinariæ, quia non admittit peccatum remitti sine merito, aut satisfactione, nec meritum ullum extra statum viæ admittit, à quorum aliquo alii modi dicendi deficiunt.

Dices cum Vasquetz: Casu, quo Justus non haberet ulla merita, sed solam Justitiam Baptismalem cum peccato veniali, remissionem venialis non consequeretur. Respond. quidquid sit de possibilitate casûs, quam negarent hi, qui tenent, hominem in primo instanti usûs rationis obligari ad perfectam Conversionem, remitti tunc veniale intuitu meritorum Christi, qui meruit habenti plenum & perfectum jus ad gloriam, ut impedimentum venialis peccati submoveatur deficientibus propriis meritis. XXXV. Quomodo justo non habēti merita, sed solam justitiam baptismalem, remitteretur veniale.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Efficacia Pœnitentiæ respectu Mortalium.

I. Varii errores circa irremissibilitatem peccatorum.

Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo, ait Christus Matth. 12. Ex quo loco hæretici in sensum reprobum traditi produxerunt, plura esse peccata, quæ dimitti non possunt per Pœnitentiam, Et inprimis Castro lib. 12. contra hæreses verbo *peccatum*, hæresi. 6. Item Vega noster super Concilium Trident. lib. 13. cap. 1. & seq. quinque solemniores errores enumerat: *Primus est*, Novati asserentis, peccata post Baptismum commissa esse omninò irremissibilia; *Secundus est*, Armachani, dicentis, esse quosdam Peccatores ità obstinatos in malo, ut pœnitere non possint, sicut quidam, ùt Apostoli, erant confirmati in gratia, ut secundùm legem ordinariam non poterant peccare. *Tertius est* quorundam Judæorum, existimantium tertium peccatum post receptam gratiam esse irremissibile. *Quartus est* quorundam dicentium, esse certum numerum pecca-

cato-

catorum, quem qui attigerit, de lege communi est irreparabilis, neque veniam consequi posse, etiamsi cursum hujus vitæ non concluserit, nisi ex privilegio supereminentis Misericordiæ DEI. *Quintus tandem est* perversissimus Lutheri docentis, omnia opera nostra esse peccata, licèt à DEO non imputentur, præter peccatum infidelitatis. Pro solutione tamen hujus quæstionis

II. Aliud est peccatum esse irremissibile, aliud quòd nunquam dimittetur.

Notandum: Aliud esse peccatum esse *irremissibile*, aliud verò, *quod nunquam remittetur: Irremissibile* dicitur, ex eo, quòd non sit institutum aliquod remedium, quo possit remitti, aut quod DEUS decreverit non velle illud unquam remittere. *Quod verò nunquam remittetur*, de facto est, quia peccator nunquam de eo condignam aget pœnitentiam. Quo præmisso

III. Peccata damnatorum sunt irremissibilia.

Dico Primò: *Peccata Damnatorum sunt irremissibilia.* Ita universaliter omnes contra Originem, qui in contemplatione summæ DEI Misericordiæ credidit aliquando, posse quempiam post certum annorum spatium ex inferno misericordiam consequi. Probatur Primò: *Quia ex inferno nulla est Redemptio*, & Psalm. 73. *Superbia eorum ascendit semper.* id est, ita sunt obstinati in malo & peccato, ut nulla culpa, quatenus DEI offensa, possit eis displicere.

Secundò: Quia pro remissione Mortalium Damnati nec satispati possunt, nec remedium est institutum, quo satisfacere valerent.

IV. Quid dicendum de anima Trajani.

Nec obstat authoritas & historia Joannis Damasceni tradentis, animam Trajani precibus S. Gregorii liberatam fuisse ex inferno; Nam inprimis hæc historia à pluribus negatur: Deindè supposito, quòd vera sit, intelligenda est nondum sententiam definitivam super eam à DEO latam fuisse ob prævisa merita & preces S. Gregorii.

V. Multi peccatores pœnituerunt & pœnitēt, quibus peccata

Dico Secundò: *Multi Viatores mortaliter lapsi pœnituerunt & pœnitent, quibus tamen peccata nunquam dimissa sunt, nec dimittentur.* Hæc est etiam extra dubium. Probatur ex Scriptura, nam ad Hebræos 12. dicitur de Esau: *Scitote, quia & postea cupiens hæreditate benedictionem reprobatus est, non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Qui textus, licèt agat de reprobatione à benedictione & hæreditate paterna, quam, licèt lacrymatus fuisset, ab Isaac impetrare non potit, metaphoricè tamen etiam insinuat, homines frequenter non consequi gratiam ob pœnitentiam de peccato, sicut totam hanc materiam idem D. Paulus ad Romanos applicat Prædestinationi Electorum & Reprobationi Damnatorum. Vide ibi. Confirmatur ex 2. Machab. 9. dicitur de Antiocho, *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat Misericordiam consecuturus.*

cata non sunt dimissa, nec dimittentur.

Probatur Secundò: Tum, Quia multi pœnitent de Peccatis ob fines naturales: Tum, Quia multi pœnitent solummodò attritione, atqui ex Definitione Concilii Tridentini sæpè citati, pœnitentes solùm attritè justificationis gratiam non consequuntur. ergò. VI. Ratio ad idem

Dico Tertiò: *Nullum est Peccatum quantumcunque grave, & quantumcunque multiplicatum, quod de se non esset remissibile, aut ad quod remittendum DEUS non daret auxilia sufficientia.* Hæc quoad primam partem est communissima; Quoad secundam fundatur maximè in authoritate Patrum & Congruentia, Quia decere videtur Divinam Misericordiam, quod omnibus peccatoribus adultis conferat aliquando gratiam sufficientem ad resurgendum. VII. Nō est peccatum tàm grave aut multiplex, quod de se non sit remissibile, aut ad quod remittendum Deus non daret auxilia sufficientia.

Probatur igitur Prima Pars: Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors peccatoris, ut non convertatur à viis suis & vivat*, ac iterum: *In quacunque die ingemuerit homo, omnium iniquitatum ejus non recordabor, ergò nulla gravitas, nullusque peccatorum numerus est, quia non sit remissibilis.* Sap. 11. ubi dicitur *DEUS dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam.* 12. *Admonere & alloqui,*

qui, *ut relicta malitia redeant ad te Domine*. Apocalypsis 3. dicitur in persona Dei, *Ego sto ad ostium, & pulso*. ergò.

Ratio etiam est: Quia nullum est peccatum, ac numerus, pro quo remedia, à Christo instituta, non essent sufficientissima ad eorum deletionem, unde Petro dicitur, non septies, sed usque septuagesies septies peccanti fratri dimittere debere, quod universi Sancti Patres interpretantur sic: *Toties, quoties peccaverit*, ponitur enim numerus determinatus pro indeterminato. Sed in contra

VIII. Sensus primus Scripturæ insinuätis, aliqua peccata esse irremissibilia.

Opponuntur plures authoritates Sacræ Scripturæ, quibus insinuari videtur aliqua esse peccata, quæ non sunt remissibilia, ut videre est apud Authores passim. Sed Respond. Negando Consequentiam; Primò quia plura loca loquuntur quod hujusmodi peccata non sint remittenda quoad pœnam temporalem, ita intelliguntur verba illa, Amos 1. & 2. *Super tribus sceleribus Damasci & Moab exaudiam eos, & super quartum non convertar ad eos*, id est, quòd si illi populi non abstinuerint à persecutione Gentis Judaicæ, quod propter tres persecutiones non punientur, propter quartam comminatur eis DEUS pœnam temporalem, scilicet mortem & subversionem Civitatis, in eodem sensu intelligenda sunt verba illa Genesis 15. *Nondum sunt completæ iniquitates Ammorrhæorum, nempe ut eos Deus destruat*.

IX. Sensus Secundus.

Secundò loquitur Scriptura frequenter de subtractione auxilii sufficientis ad pœnitendum ex occasione peccatorum, si nempe peccator ipse positivè vel negativè obicem ponat, & sic dicitur Exodi 7. *Induravit Deus cor Pharaonis &c.* Talis námque induratio est subtractio omnis auxilii, ùt patet, quia Pharao per demonstrationem tot signorum sufficientia habuit auxilia.

X. Sensus tertius.

Tertiò: Sæpè Scriptura dicit aliqua esse irremissibilia, quia prævidentur non remittenda ob impœnitentiam, sic Jerem. 17. dicitur: *Peccatum Judæorum Christum crucifigentium, esse scriptum stylo ferreo, & ungue adamantino*, id est, quòd non pœnitebunt de eo, quamvis possint, quia Prophetia non tollit usum liberi arbitrii.

Quartò: Intelligendum est τὸ *Impossibile* in Scriptura pro eo, quòd significat *difficile*. XI. Sensus quartus.

Quintò: In Scriptura frequenter comminatur DEUS irremissionem peccatorum, non quidem absolutè, sed sub conditione, scilicet, si illi non resipuerint, sic dicitur Jeremiæ cap. 14. *Noli orare pro populo isto*. 1. Reg. 15. *Ut quid tu luges Saul, cum ego projecerim eum, &c.* Sed pro Novatianis XII. Sensus quintus S. Scripturæ.

Opponitur expressa authoritas ad Hebræos 6. ubi D. Paulus ait: *Impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati, baptizati, rursus renovari ad pœnitentiam*, ergo post baptismum commissa peccata remitti nequeunt. Sed Respond. Negando Consequentiam, Quia D. Paulus tantùm hic docet, hominem post Baptismum lapsum amplius non posse renovari per Pœnitentiam præcedentem & disponentem ad Baptismum, aut per ipsum Baptismum, nam Judæi existimabant, Baptismum Christianorum esse toties reiterabilem, sicuti fuerunt Baptismata Judæorum, quæ reiterabant post singula peccata, undè ex hoc loco deducitur, Baptismum esse Sacramentum irreiterabile, ita hunc textum explicant Augustinus in principio Epist. ad Rom. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 2. Hieron. lib. 2. contra Jovinian. Chrysost. Theodo. Theoph. Oecum. Primasius, Hagm. Sed XIII. Textus S. Pauli ad Hebræ. 6. impossibile esse renovari ad pœnitentiam, explicatur.

Instatur. Textus Græcus habet renovare, expressè denotans, impossibile esse, quòd Sacerdotes per Sacramentum pœnitentiæ prolapsos renovent, unde ipse D. Paulus cap. 10. ait, & hoc confirmat, dicens: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis non relinquitur pro peccatis hostia*, id est, remedium vel venia, ergò textus iste intelligendus est de pœnitentiæ remedio XIV. Non debet legi renovare, sed renovari.

medio, quia Baptiſmus non vocatur hoſtia. Reſpond. Negando Conſequentiam, quia textus græcus corrigendus eſt, nam Chryſoſt. Oecum. Theoph. legunt *renovari*, ut habet noſtra verſio. Alter autem locus non impugnat priorem reſponſionem, & dico non deeſſe Patres, qui dicant, Per hoſtiam hic intelligi Baptiſmum, quia Baptiſmus eſt figura mortis Chriſti, qui fuit hoſtia, unde ſecundùm ipſos non relinquitur hoſtia pro peccato ſecundo iteranda, ita Chryſoſt. Ambroſ. Anſelm. Verùm Reſpond. Secundò, S. Paulum loqui de Judæis voluntariè peccantibus deficiendo ab accepta notitia fidei, his enim non relinquitur hoſtia; id eſt, difficulter tales reſipiſcunt: Vel non relinquitur illis hoſtia, & veniæ ſpes, quia talibus nec Chriſtus, utpote quem abnegabant, nec alius Meſſias venturus, utpote qui nullus eſt, Nec Legis Sacrificia utpote infirma etiam abolita prodeſſe poterant.

XV. Quid S. Paulus ad Hebr. 10. intelligat per *hoſtiam*.

Arguitur ex ratione in contrarium: Reprobi non habent potentiam ad pœnitendum finaliter, ergò aliquod peccati genus impedit DEUM, ne peccatorem adjuvet ad pœnitendum: Conſequentia probatur, talis impœnitentia non oritur ex defectu liberi arbitrii, quod per peccatum non deſtruitur, ergò ex defectu alterius cōprincipii, ſcilicet gratiæ, ergò datur aliquod peccatum præcedens finalem impœnitentiam, quod demereatur auxilia ad pœnitendum. Reſpond. diſtinguendo antecedens, Non habet potentiam proximam, concedo, remotam nego: Ad probationem Conſequentiæ, dico regulariter habere & arbitrium liberum integrum, & auxilium Divinum excitans & adjuvans paratum, dummodò utatur excitatione, quia tamen immerſus eſt cogitationibus abſtrahentibus à conſideratione talis auxilii, & trahentibus ad deſideria prava, ideò non habet potentiam proximam ad pœnitendum, hinc tamen non ſequitur, eſſe aliquod peccatum irremiſſibile, imò exindè

XVI. Reprobi habent aliquam potentiam ad pœnitendum finaliter.

QUÆSTIO NONA.

De Reviviſcentia meritorum & gratiæ in Pœnitentia, per peccata antecedenter mortificatorum.

QUod hic examinandum venit, eſt, an merita per peccatum mortificata redeant ad vitam gratiæ, & acceptionis, ſubſequente pœnitentiâ. Unde unum ſupponendum, alterum autem hic notandum.

Suppono igitur per quodlibet peccatum mortale gratiam ſanctificantem tolli, utpote cum hæc habeat cum illo ex ordinatione DEI omnimodam incompoſſibilitatem, Charitas etenim DEI non eſt in eo, qui peccat; Item, omnia merita noſtra per peccatum mortificari, id eſt, reddi infructuoſa pro præſenti injuſtitia, nam ùt dicit Ezechiel cap. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua & fecerit iniquitatem, - - - omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabor.* Hoc ſuppoſito

I. Per quodvis mortale gratia ſanctificans tollitur, & omnia meritamortificantur.

Notandum: Operà omnia moralia eſſe in triplici differentia: Alia enim ſunt viva, id eſt, ea, quæ ex Charitate pullulant: Alia *mortua*, quoad DEUM, ut ſunt omnia illa, quæ fiunt in peccato mortali, quæ licèt ſint moraliter bona, nullius tamen ſunt meriti apud DEUM, ex defectu gratiæ, quæ totius meriti fundamentum eſt. Et Tertiò ſunt *mortificata*, quæ ſcilicet ex gratia & ingratia elicita fuerunt, ſed per ſubſequens peccatum vitam meriti apud DEUM perdiderunt.

II. Quid opera viva, mortua, & mortificata?

His præmiſſis aliqui dicunt, pœnitentem non reſurgere, nec ad majorem, nec ad minorem gratiam, quàm ante habuit, ſed ad talem, qualis fuit conatus illius actûs, quo mediante reſurrexit. Ita Alenſis, D. Bonavent. &c. Alii è contra docent, pœnitentem ſemper reſurgere ad majorem gratiam & gloriam, ab ea quâ cecidit per peccatum, ita Gabriel, Occham, &c. Alii alia opinantur, & quilibet etiam hic in ſuo cona-

III. Variæ Sententiæ.

conatur abundare sensu; Ego interim

IV. Opera mortua nō reviviscunt per pœnitentiam ad vitam meriti vitæ æternæ. Dico Primò: *Opera mortua per pœnitentiam nunquam reviviscunt ad vitam meriti vitæ æternæ, valent tamen ad multa bona alia.* Hæc est communis Theologorum, & Probatur Prima Pars, quia reviviscere supponit vitam, atqui quæ mortua sunt opera, nunquam habuerunt vitam, ergò. Probatur minor, Quia vita & forma operum omnium est Charitas, *Fides enim per Charitatem operatur, & si charitatem non habuero, etiamsi montes transferam, nihil mihi prodest.* ergò.

V. Valent tamen ad alia multa bona. Probatur Secunda Pars: Ex Jure Canonico *Cap. Si quando. Cap. Cavendum, & Cap. Quid ergò de Pœnit. Dist.* 3. In quibus adstruitur multis malis hominibus propter opera eorum moralia multa evenire bona, ùt Fama, Honor, Potentia, &c. quod experientia constat de Turcis, Hæreticis, & aliis Infidelibus, quod Regius Psaltes considerans exclamat, Psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt Divitias, & dixi, ergò sine causa justificavi cor meum.* Et Jeremias vociferatur cap. 13. *Quare via impiorum prosperatur.*

VI. Virtute Pœnitentiæ in homine justificato redeunt merita, virtutes, & gratia amissa. Dico Secundò: *Virtute Pœnitentiæ in homine justificato redeunt merita, virtutes, & gratia amissa.* Ita Catholici Doctores omnes. Probatur ex illo Lucæ 15. ubi habetur Parabola de Filio Prodigo, cui redeunti à siliquis porcorum, peccatorum, reddita fuit stola prima, gratia restituta annulus datus, & calceamenta, quibus omnibus designatur ex Sanctorum Patrum interpretatione Gratia & reliquæ virtutes, supple ea, quæ per peccatum amitti solent, & destruuntur.

Secundò ex illo ad Hebræos 6. *Non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine Ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis;* quod declarans Glossa interlinearis ait: *Ideò de vobis confidimus, quia olim multa operati estis, pro quibus, si pœnitetis de malis, benefaciet vobis DEUS.* In hunc eundem sensum explicat præfatum textum Apostoli Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 16. Et potest tota Conclusio confirmari ex illo Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua,* sed si merita, & gratia non redirent, impietas impii multùm noceret, ergò.

Dico Tertiò: *Resurgens per Pœnitentiam, non semper resurgit ad tantam gratiam, quam amiserat peccando.* Ita Doctor Subt. D. 22. q. un. sub lit. G. Et Probatur, Tum, Quia Gratia datur juxta mensuram Contritionis: Tum, Quia cadens à Justitia non semper graviùs cadit, quàm ante ceciderat, ergò nec resurgens amplius, & magis resurgit, quàm antè steterat: Tum, Quia prima gratia potest esse major & minor, & consequenter minima, sed per Pœnitentiam acquiritur gratia prima, & major, minor, vel minima, loquendo semper de gratia secundùm entitatem suam. VII. Resurgens per pœnitentiam nō semper resurgit ad tātam gratiam, quam amiserat peccando.

Dices: Resurgens per pœnitentiam resurgit ad omnia merita prius habita, & etiam ad præmium debitum actui pœnitentiæ, per quem resurgit, ergò semper resurgit ad majorem gratiam, quia aliquid ultrà debetur actui pœnitentiæ. Respon. distinguendo antecedens, Resurgit ad omnia merita in acceptatione Divina posita & sibi recondita, concedo antecedens, seu ut dicam terminis ordinariis ad majus jus, concedo. Resurgit ad majorem gratiam, seu in majori gratia actu exhibita, nego antecedens: Hæc enim confertur secundùm cujuslibet dispositionem. VIII. Resurgit quidem ad majus jus, sed non gratiam actu exhibitam.

Dico Quartò: *Licèt quis non resurgat semper ad majorem gratiam, sed ad majorem, æqualem, vel minorem, secundùm dispositionem resurgentis, semper tamen resurgit quis per pœnitentiam ad majorem gloriam.* Hæc est Doctoris suprà, Aretini & aliorum Scotistarum. Et quoad primas partes patet ex Conclusione præcedenti; IX. Per Pœnitentiam semper quis resurgit ad majorem gloriam.

denti; Probatur igitur, quantum ad ultimam partem: Resurgenti per pœnitentiam restituuntur omnia merita per peccatum mortificata, & per actum contritionis denuò aliquid meretur, ergò resurgit ad majorem gloriam, patet antecedens, probatur Consequentia: Ubi est Resurrectio ad majora & plura merita, est resurrectio quoad majorem gloriam, cum gloria detur proportionatè ad merita, sed resurgens per pœnitentiam habet plura merita, nam habet & illa præcedentia, & hoc, per quod justificationis gratiam meretur, ergò.

X. Alia ratio ad idem. Probatur Secundò: Cuilibet merito debetur aliquis gradus gloriæ, quia justus & misericors DEUS unicuique reddet juxta opera sua, & quia nullum bonum opus vult esse irremuneratum, sicut nullum malum vult esse impunitum, sed si non resurgeret ad majorem gloriam, non redderet juxta opera cujuslibet, & aliquod opus maneret irremuneratum, videlicet aut unum ex mortificatis, aut illud, per quod resurrexit, cùm tamen neutrum dici possit, non quidem hoc, per quod resurrexit, cùm enim sit causa, cur alia fiant digna prœmio, magis ipsum debet prœmiari; nec etiam aliquod ex illis, quæ ante erant mortificata, quia non est potior ratio de uno, quàm de altero, ergò.

XI. Damnatus potest habere majus jus remotum ad gloriam, quàm salvatus, sed nō propinquum. Ex hac Conclusione Doctor Subtilis deducit duo Corollaria: Primum posse aliquem damnatum habere jus ad majorem gloriam, quàm salvatum; Quia potest quis damnatus habere majora & plura merita, quàm salvatus, v. g. Ille, qui per totam vitam benè egit, & finaliter cadit, & alius, qui totâ vitâ pessimè vixit, & finaliter convertitur, ùt Judas, & latro pius; Intellige tamen sanè de Jure remoto, non verò propinquo, hoc enim est suspensum & damnatum: Item intelligo hoc de Jure, quod præcisè correspondet meritis, non verò quod respondet gratiæ.

XII. Merita à mortificata, quâ talia proximè non merétur lapso gratiam resurgendi. Secundum: Merita mortificata, ùt talia, mereri aliquam gratiam lapso, ùt resurgat, alioquin qui caderet à multis meritis, jam meruisset, ùt resurgat ad primam gratiam, à qua lapsus fuerat: Intellige tamen quoque hoc Corollarium, de proximo & immediato merito, quia consideratâ summâ DEI Misericordiâ, apud quam in acceptatione sua, omnia opera nostra sunt recondita, faciliùs DEUS hujusmodi lapso dat gratiam; Tum, Quia habitum habet inclinantem ad bonum: Tum, Quia non habet habitus malos retrahentes in oppositum: Tum, Quia videtur Misericordiam DEI talibus fortius præbere ad resurgendum auxilium. Sed in Contrarium

XIII. Gloria non tantum correspondet gratiæ, sed & meritis. Arguitur Primò: Resurgit Pœnitens ad minorem gratiam, ergò etiam resurgit ad minorem gloriam: Probatur, quia gloria correspondet gratiæ. Respond. Negando Consequentiam cum sua probatione, quia gloria non tantùm correspondet gratiæ, sed & meritis, & Ratio est, quia gratia est tantùm Donum DEI, merita autem aliquomodo sunt opera hominis, atqe adeò, quando homo resurgit, resurgit ad omnem gloriam, quæ ipsi debetur ratione meritorum, sed ipsa gratia non reddit hominem dignum gloriâ, nisi insit, qualiter non putatur esse, quæ fuit & amplius non est, merita autem adhuc sunt in acceptatione DEI.

XIV. Pœnitens resurgit ad majorem gloriam correspondentem meritis. Instatur. Ponatur Petrus habere gratiam intensam ùt octo cui debeantur 30. gradus gloriæ, & merita ùt quatuor cui debeantur 15. gradus gloriæ, Petrus cadens à gratia, & resurgens, non resurget ad majorem gloriam, ergò. Respond. iterum distinguendo antecedens: Non resurget ad majorem gloriam debitam meritis, nego, gratiæ concedo: Quando ergò dico Pœnitentem resurgere ad majorem gloriam, intelligo de gloria correspondente meritis. Sed

Urgetur. Non est conceptibile, quomodo resurgat ad majorem gloriam, si non resurgat ad majorem gratiam

gratiam, ergò, probatur antecedens: Iste major excessus non potest adscribi meritis præcedentibus, nec habet aliquod aliud additum, cui adscriberetur præter gratiam, ergò: Probatur antecedens: Si aliquid maximè actum, per quem resurgeret, atqui huic non debetur majus prœmium, quia non est meritorius de condigno, utpote cùm sit sine gratia elicitus, & sola dispositio ad justificationis gratiam, ergò. Respond. Primò: Istum majorem excessum posse adscribi & meritis præcedentibus, & gratiæ denuò communicatæ, quæ simul aggregatum majus faciunt. Respond. Secundò: Posse etiam adscribi actui majoritatem aliquam non quidem in se præcisè considerato, sed in quantum actus ille adveniente gratia continuatur, v. g. Dolori vel Amori continuato in tempore justificationis.

XV. Major gloria in pœnitente resurgente, cui sit adscribenda.

Arguitur Secundò: Si Pœnitens resurgeret ad majorem gloriam, Peccator fructum ex lapsu reportaret, atqui hoc videtur inconveniens, ergò. Respond. Negando sequelam, Quia exiguum fructum, & magnum damnum ex lapsu Peccator reportat, Primò, quòd à gratia ceciderit, seque jure ad gloriam privaverit: Secundò: Quia totum tempus, quo fuit in statu Peccati mortalis, defluxit inane, ita quòd omnia opera in eo elicita erant mortua, & non meritoria vitæ æternæ.

XVI. Pœnitens resurgens ad majorē gloriam, non reprobat fructū ex lapsu.

Arguitur Tertiò: Peccata non redeunt secundùm totam pœnam damni & sensûs, ergò neque redeunt merita à paritate rationis. Respond. Negando Consequentiam, Disparitas est, Quia peccata jam fuerunt destructa secundùm ordinationem Divinæ Justitiæ non punientis bis in idipsum, merita autem nondum fuerunt prœmiata, consequenter ista, non illa redeunt. Verùm ista solutio mihi non satisfacit, quamvis in Schola nostra sit communis: Nam dicam etiam, merita fuerunt jam prœmiata semel per collationem gratiæ sanctificantis, quam merentur resurgentes de congruo ob merita antecedenter posita; Cui instantiæ si respondeatur, istud prœmium esse accidentale, gloriam autem esse prœmium essentiale; Tunc statim replicare possum, etiam peccata nunquam fuerunt essentiali pœnâ punita, ergò, si ob non prœmiationem essentialem merita redeunt, etiam ob non punitionem essentialem redire debebunt peccata, & è contra: si hæc non redeunt, nec redire debebunt merita. Fateor, instantias istas bonas, ultimam tamen resolutionem existimo esse suavem DEI dispositionem & ordinationem, Misericors enim DEUS pronior est ad prœmiandum, quàm ad puniendum, utrumque autem ex Sacro ejus Eloquio constat, scilicet & quòd de peccatis non velit bis judicare, & quòd unicuique secundùm opera sua velit reddere.

XVII. Cur etsi nō redeant peccata, redeant tamen merita.

Arguitur Quartò: Gratia est jus ad Gloriam, ergò si peccator resurgit ad majorem gloriam, debet habere antè majus jus, consequenter majorem gratiam, quod probatur: Quia aliàs sequeretur, quòd quis in cœlo majorem haberet gloriam cum minori gratia. Respond. Negando Consequ: ad probationem ejus Respond. Negando sequelam, Quia licèt resurgenti non detur eo tempore, quo resurgit major gratia, dabitur tamen in mortis articulo gratia correspondens suis meritis, quia gratia est prœmium accidentale, & sic quemadmodum merita tunc essentialiter prœmiabuntur, ita etiam prœmiabuntur accidentaliter.

XVIII. In Cœlo nō habebitur major gloria cum minori gratia.

QUÆSTIO DECIMA.

De Reviviscentia peccatorum post Lapsum à Pœnitentia.

I. Sensus Quæstionis aperitur.

Sicut in superiori Quæstione examinavi, an merita mortificata redeant per Pœnitentiam subsequentem, ita hic elucidandum est, an pariformiter redeant peccata post lapsum à Pœnitentia, quod intelligi multipliciter potest, videlicet vel de potentia ordinaria, vel extraordinaria,

ria, quoad actum ipsum malitiosum in entitate sua, vel quoad reatum & obligationem ad pœnam, aut culpam, vel ad circumstantiam aliquam aggravantem peccata subsequentia. Et ante resolutionem

II. Deus absolutè potest facere, ut in relapso redeat peccatum.

Suppono Primò: DEUM posse absolutè facere, ut in relapso redeat peccatum quoad esse materiale ipsius, v. g. actum furti, nam sicut potest reproducere colorem aliquem destructum, ita non implicat, quod producat hujusmodi physicum actum.

III. Nequit tamen reproducere peccatum quoad esse formale.

Suppono Secundò: Deum non posse reproducere actum peccaminosum quoad esse formale malitiæ, quia tunc DEUS esset Author ipse illius malitiæ, & si poneret talem actum in homine tunc Authore DEO efficeretur quis malus, sicut efficimur ipso donante boni, quod est contra fidem, & D. August. lib. 83. qq. qu. 3. dicentem: *Quod Authore Deo nemo fit deterior.*

IV. De potentia absoluta peccata dimissa, possunt redire quoad reatum ad pœnam æternam.

Suppono Tertiò: Per absolutam DEI potentiam peccata semel dimissa in pœnitentia redire posse quoad reatum & obligationem ad pœnam æternam, quia Deus potest dimittere priora peccata sub conditione, *si non recidivaverit*, quia hoc potest & homo facere; Imò post dimissa peccata potest ipsum absolutè ob culpam dimissam denuò, subsequente alia, ob priorem obligare ad pœnam. Quod confirmatur *ex cap. Episcopus,* 12. *q.* 2. ubi dicitur, quòd servus manumissus propter ingratitudinem potest iterum justè pœnæ servitutis subdi. His suppositis

V. Peccata dimissa, nec quoad culpam, nec quoad pœnam redeunt in relabentes.

Dico Primò: *Peccata semel dimissa per pœnitentiam, non redeunt, neque quoad pœnam, neque quoad culpam, etiamsi quis à pœnitentia relabatur.* Ita Doctor Subtilis. 4. d. 22. qu. unica. D. Thomæ Altisiodorensis & omnium Theologorum. Probatur Primò ex illo Ezechielis 18. *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius,* atqui si redirent, Deus recordaretur amplius, ergò. Nec dicas textum intelligendum conditionatè, videlicet, si in Justitia perseveraverit, nam licèt id dici posset, stante veritate propositionis, tamen ex subjecta materia sic non debent sumi, nam apud DEUM amplius non recordari, est, ita peccata dimissa esse, ut nec in se, nec moraliter, nec in imputatione DEI maneant, *Beati enim, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psalm. 31. id est, ùt interpretatur D. August. *Non amplius visa ad vindictam.*

VI. Aliæ Authoritates ad idem.

Probatur Secundò ex illo Nahum 1. *Non judicabit Deus bis in id ipsum*: Qui textus licèt litteraliter loquatur de punitione Populi Israëlitici, quem DEUS punierat tradendo decem tribus potestati Assyriorum, promittitque se hoc non facturum quoque cum reliquis duabus tribubus, quamvis, inquam, de ipsò sic intelligatur, veruntamen D. Hieronymus & Cyprianus hunc ipsum textum considerantes, magis spiritum, quàm litteram interpretantur de punitione peccatorum, Audi verba D. Cypriani Serm. de Pass. Domini, dicentis sic: *Eos, qui vitæ suæ quocunque articulo temporis verè sunt Judices non iterum judicari, quia cum Judicis & tortoris vices, sibi non parcens peccator assumit semetipsum persequens, dum Confessionem bonorat holocausti bujus incenso in conspectu DEI veniam impetrat - - - Non enim bis in id ipsum judicat DEUS, sed impœnitentes judicat, & damnat, pœnitentes verò, quia à se ipsis suscipit judicatos, absolvit, neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitia cœlestis apponit.*

Probatur Tertiò *ex Cap. finali. d. 4. de Pœnit.* ubi Gelasius Papa expressè dicit: *Divina Clementia peccata semel remissa in ultionem iterum redire non patitur.*

VII. Ratio ad idem.

Probatur Quartò Ratione: Quia DEUS non potest retractare suam voluntatem, neque agere contra absolutum suum Decretum, sed per priorem Remissionem abstulit simpliciter, & absolutè debitum

bitum culpæ & pœnæ, ergò non potest amplius peccata punire vel facere redire *ad pœnam*, dico notanter *ad pœnam*, quia licèt absolutè posset homini inferre damnationem æternam, & omne malum, non tamen sub pœnæ ratione, pœnæ autem ratio haberi non potest, nisi ob delictum, quod jam est dimissum ablatâ culpâ. Deindè, Potest peccator post dimissam culpam tantum satisfacere, quantum exigit Justitia Divina, quia æterna pœna fuit commutata in temporalem, hoc supposito, potest iterum labi, sed in tali casu non videtur, quomodo priora peccata redire possint ad pœnam, ergò. Sed in contrarium

VIII. Parabola Matth. 18. Objecta explicatur.

Opponitur Parabola Matth. 18. In qua Dominus jubet, servum, cui dimisit debitum, iterum propter illud puniri, eò quòd lapsus fuerat, & misericordiam non fecerit conservo suo: *& iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum, &c.* quem textum proindè Sancti Patres, & signanter Divus Augustinus assumunt, ut probent, peccata semel dimissa redire, unde Serm. 15. de Verbis DOMINI, cap. 6. ait: *Si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo.* Ergò peccata redeunt quoad pœnam. Respond Negando conseq: Quia in Parabolis attendi debet principalis intentio, quam cognoscere possumus ex ante- & subsequentibus, Christus ergò ibi solùm docet, quòd si nos non dimiserimus ex cordibus nostris offensas fratrum, nec Pater Cœlestis dimittet nobis. Itaque textus ille intelligendus est, quoad debitum substantiale, secundùm entitatem & durationem, non verò secundùm intensionem, id est, relapsus damnabitur pœna damni & sensus usque in æternum, non tamen propter relapsum punietur pœnâ intensiori; quare distinguere potes Consequens, ergò peccata redeunt quoad pœnam secundùm speciem pœnæ concedo; secundùm gradus intensionis nego consequentiam.

IX. Peccata dimissa redeunt per relapsum, quoad circumstantiam aggravantem ratione ingratitudinis.

Dico Secundò: *Peccata per Pœnitentiam & Contritionem semel dimissa redeunt per relapsum quoad circumstantiam aggravantem, nempè ratione ingratitudinis.* Ita Doctor Subtilis sup. Probatur, illud peccatum semper gravius est, duriusque & severius puniendum, quod pluribus vitiis obnoxium est, sed relapsus est peccatum pluribus vitiis obnoxium, ergò etiam est gravius &c. major patet, probatur minor. Nam inprimis habet suam malitiam ex se: Secundò, ex ingratitudine, quæ est maximum vitium, ita quod etiam Philosophi antiqui dixerint, Terram ingrato homine nihil pejus produxisse, & Seneca lib. 3. de beneficiis ait: *Ingratus est, qui beneficium se recepisse negat, ingratus, qui non reddit, ingratus, qui dissimulat, ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Recidivans autem hæc omnia suo modo committit, ergò ipsius delictum pluribus vitiis est obnoxium, ac consequenter gravius & durius puniendum, ergò peccata quoad circumstantiam aggravantem redeunt.

X. Alia Ratio ad idem.

Probatur Secundò: Quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid faciendum vel omittendum, tantò magis peccat, si transgrediatur, sed pœnitens quotiescunque pœnitet dignè, obligat se voto vel proposito ad non peccandum imposterum, quia sine tali proposito non est vera pœnitentia; & super hoc est etiam adstrictus ad non peccandum, eâdem lege, quâ innocens, ergò si transgrediatur, peccat contra duplicem legem, generalem nempe, & istam specialem de promisso servando, quod factum DEO maximè obligat, ergò. Sed in contra

Arguitur sic: Si peccatum relapsi circumstantialiter aggravaretur, sequeretur, peccatum minùs grave magis in inferno puniri, atqui hoc est contra Justitiam DEI, ergò. Probatur sequela: Sit peccatum

XI. Peccatum minus grave non punitur magis in inferno. tum dimissum: *homicidium*, & Relapsus sit furtum, *si furtum* aggravatur ex remissione homicidii, sequetur, quòd furtum magis punietur, quàm homicidium, atqui homicidium est gravius furto, ergò. Respond. Primò, Negando sequelam, quia Conclusio intelligitur de aggravatione ejusdem peccati, in eadem specie, non verò comparativè ad alias species. Respond. Secundò, Negando minorem. Quia non est inconveniens, quòd unum peccatum in specie vel genere levius ex circumstantia fiat alio gravius, ùt patet de furto rei sacræ, ex loco sacro, de violatione Personæ sacræ, quod gravius est quocunque adulterio, & homicidio &c. Sed

XII. Cadens ab Innocentia Quæres Primò: An gravius peccet cadens à Pœnitentia, quàm ab Innocentia? Respond. Cadentem ab Innocentia gravius peccare, quàm cadentem à Pœnitentia, Ratio est, Tantò gravius quis peccat, quantò beneficium collatum est majus, sed Innocentia est majus beneficium, quàm donum Pœnitentiæ, dicit etenim Div. Augustin. lib. 10. Confess. *Gratiæ tuæ Domine reputo quæcunque peccata non feci.* ergò. Tum, tantò pejor est casus, quantò melior est status, in quo fuit, sed &c. ergò. gravius peccat, quàm cadens à Pœnitentia.

Quæres Secundò: An circumstantia ingratitudinis necessariò sit confitenda? Respond. negativè, si non accedat contemptus; Ratio est, Quia non summè aggravat, nec speciem mutat, nec particulare desuper præceptum habetur. XIII. Circumstantia ingratitudinis nō est necessariò confitenda.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE

Pœnitentia ùt est Sacramentum.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quid sit Sacramentum Pœnitentiæ?

I. Deus potest instituere signum remissivum peccatorum.

SUPPONO tanquam certum, DEUM instituere posse aliquod signum, quod ex sua clementissima ordinatione esset remissivum peccatorum contra se commissorum, quia potest DEUS circa creaturas effectus invisibiles causare, & causatum potest signo aliquo sensibili & externo significare, quia hoc etiam facere possunt homines, qui animi affectiones ad extra signis manifestant, ùt patet de Assvero, qui per virgæ extensionem significabat suam clementiam, ergò etiam poterit DEUS remittere peccata, & ad hoc manifestandum signum externum instituere; Quod omninò extra controversiam existimo, imò ulterius

Dico Primò: *Non tantùm possibile est, sed est & congruum Divinæ Bonitati & Clementiæ instituere tale signum, quod sit peccatorum remissivum.* Ita Fides Catholica. Et probatur Primò, omnibus illis argumentis, quibus supra probatum est, congruum esse Sacramentorum institutionem. Probatur Secundò: Quia congruum est Divinæ Clementiæ, quòd redeuntes à viis suis pessimis suscipiat, quo posito, ut ab omnibus anxietatibus liberentur, & certò sciant certitudine saltem morali, se jam receptos esse; congruit, ùt signum aliquod instituat, per quod sciant, sibi peccata remissa esse, ergò. II. Signum tale institutere congruit Divinæ Bonitati.

Dico Secundò: *Misericordissimus Deus & Salvator noster JESUS Christus etiam de facto tale instituit signum, Sacramentum videlicet Pœniten-* III. Christus de facto instituit signum remissivum peccatorū, Sacramen-

tum scilicet Pœnitentiæ.

nitentiæ. Ita Fides Catholica. Probatur Primò ex illo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Ubi etiam unitur tempus Institutionis ejus, præmisit etenim Christus: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Matth. 16. *Quodcunque ligaveritis supra terram &c. & quodcunque solveritis &c. soluta erunt etiam in Cœlo.*

IV. Authoritas Conciliorum ad idem.

Probatur Secundò: Ex Definitione Ecclesiæ. Florentino sub Eugenio IV. ubi inter septem Sacramenta numeratur Pœnitentia: Tridentino Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta omnia novæ Legis non esse à Christo Domino instituta, aut esse plura aut pauciora, quàm septem,* v. g. *Baptismum, Pœnitentiam &c. anathema sit.* Idem habuit Sess. 14. cap. 1.

V. Ratio ad idem, & Patrum Authoritas ac Traditio.

Probatur Tertiò: Ratione. Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ùt dicit Catechismus Rom. atqui Pœnitentia est hujusmodi; ergò. Probatur Mino. Quia absolutio Sacerdotis est quoddam signum sensibile, ergò. Accedit ad hoc Authoritas Patrum, eorúmque Traditio & Receptio, atque Universalis praxis Ecclesiæ, &c. Videantur Patres: S. Dionysius epist. 8. ad Theophilum, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Augustinus, Hieronymus, &c. quamvis sæpius, ut etiamnum à modernis Sectariis fuerit impugnatum, ita quòd tandem ab Ecclesia definiri debuerit tanquam Articulus Fidei. Sed

VI. Cur Ecclesia decreverit, Pœnitentiam esse Sacramentum.

Dices: Si fuisset Pœnitentia Sacramentum à DEO institutum, non fuisset necesse, decernere hoc ab Ecclesia, ergò. Respondetur, negando ant: Quia ob petulantiam hæreticorum oppugnantium veritates Fidei, & in sensum reprobum trahentes Scripturam Sacram, determinare debuit Ecclesia tanquam dogma Fidei, quod jam antecedenter tale erat, sed nondum impugnatum. Sic Nicænum Concilium determinat tanquam dogma Fidei, *Consubstantialitatem Filii cum Patre*; Constantinopolitanum, *Spiritum Sanctum esse DEUM*: Ephesinum, *Unam in Christo esse Personam*: Chalcedonense, *duas in ipso esse naturas*: & sic de cœteris, ex quibus non sequitur, tales veritates esse inventa hominum.

VII. Sacramentum Pœnitentiæ est verè remissivum peccatorum.

Dico Tertiò: *Sacramentum Pœnitentiæ est verè remissivum peccatorum.* Ita Catholica Fides contra Sectarios, qui putant, Pœnitentiam non esse aliud, quàm annuntiationem & declarationem peccatorum remissorum, & ex Catholicis olim etiam sensit Magister Sententiarum Sacerdotem Evangelicum in absolutione aliud non præstare, quàm legalem, qui solùm leprosos ostendebat esse mundatos. Verùm

Probatur Primò: Ex illis duobus textibus Matth. 16. & Joan. 20. allatis suprà, qui in sensum hæreticorum nequaquam detorqueri possunt, absque eo, quod tota potestas Ecclesiastica tollatur, sic etenim dici posset, Pontificem non posse disponere, nec Censuris ligare, aut absolvere, sed solùm declarare non obligari reos &c. quæ sunt inconvenientissima, & urgent maximè contra Catholicorum opinionem, ita quod sententia Magistri jam olim fuerit compellata, ridenda & explodenda, nunc autem est erronea & falsa, Quod

VIII. Authoritas Trident. ad idem.

Probatur Secundò: Ex Authoritate Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 6. ubi dicit: *Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actûs judicialis, quo ab ipso velut à Judice sententia pronuntiatur*; quare Can. 9. contra Contrarium sentientes sic fulminat: *Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi vel declarandi remissa esse peccata confitenti &c. anathema sit.*

IX. Ratio ad idem.

Probatur Conclusio Tertiò Rationibus: Quia per hoc salus nostra maximis difficultatibus exponeretur,

tur, & difficilior esset, quàm in Lege antiqua, atqui hoc est inconveniens, ergò. Probatur sequela: Quia accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ semper deberet antecedenter elicere actum Contritionis, qui est difficillimus, ergò. Probatur antecedens: Nemo potest declarari mundus, & pronuntiari super eum dimissa ei esse peccata, nisi antecedenter fuerit mundus, vel ante dimissa sint peccata sua, sicut nemo potest declarari esse absolutum à vinculis, nisi vincula amplius non habuerit; ergò.

X. Aliæ Rationes ad idem. Probatur Quartò: Tollitur tota ratio Sacramenti, ejúsque solemnissimum prædicatum, quod sit *secunda Naufragii tabula*, quia nunquam liberaret peccatorem naufragantem à submersione maris inferni, sed aliud præhabere deberet.

Probatur Quintò: Quia decet, quod habeatur tale signum remissivum peccatorum, & non repugnat, conforme enim est Divinæ Clementiæ, plures præscribere vias & modos, quibus justificari & salvari possimus, adeóque dicendum non solam Contritionem, sed & Attritionem cum Sacramento vim absolvendi habere, ergò. Sed in contra pro Magistro Sententiarum

Opponitur Authoritas Patrum: D. Augustini supra Joan. 11. de suscitatione Lazari sic dicentis: *Nemo potest confiteri nisi suscitatus*, sicut Lazarus primò suscitatus fuit, & postea solvendus Discipulis traditus: Hieronymi in cap. 17. Matth. ubi dicit: *In Levitico legimus* de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote mundi fiant, non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus sit, quive immundus, & ita dicit se habere Episcopos nostros & Sacerdotes, ergò ex Patribus habetur, Sacerdotes non verè absolvere peccatores, sed solùm pronuntiare, & declarare absolutos. Respond. Negando Conseq.

Ad D. Augustinum dico, eum solùm velle suscitationem Lazari quandoque habere figuram resuscitationis peccatoris, tunc videlicet, quando ipse antecedenter fuit contritus, in eo enim casu traditur Discipulis solvendus & absolvendus à præcepto & obligatione Confessionis faciendæ, & absolvendus vi Clavium, quod ante factum erat vi solius virtutis, & tunc adhuc solvitur, quia ea ulterius pœna antecedenter ab æterna in temporaneam mutata, etiam quoad hoc diminuitur. Ita solvit, teste Aretino, Doctor Subtilis: Ego tamen dico, ut ante nempe suscitationem Lazari habere quandoque figuram resuscitationis peccatoris, sicut enim Christus Lazarum, ita & Apostoli aliique Discipuli mortuos verè suscitarunt, & non tantùm suscitatos solverunt, ergò. XI. S. Augustinus objectè explicatur.

Ad D. Hieronymum Respond. Veram esse paritatem Sacerdotum Legalium & gratiæ, quantum ad hoc, ut discernant inter mundos & immundos, sed non solam, quia in Lege Gratiæ insuper habent virtutem & potestatem, quòd si immundos eos agnoverint in anima, eos sanare & mundare possint, quòd non habebant Sacerdotes Veteris Legis, quod patet, Quia in Veteri Lege Deus non dedit Sacerdotibus aliquam Cæremoniam, cui ministratæ assisteret DEUS ad emundationem corporalis lepræ, sicut assistebat motui aquæ Piscinæ Probaticæ; in nova autem Lege dedit aliquam talem Cæremoniam, nempe Sacramentum Pœnitentiæ, cui ita assistit, ut administratione Sacerdotis facta DEUS principaliter peccata dimittat, sic namque dimittit Sacerdos peccata, sicut baptizat, & consecrat utrobique exercendo ministerium, & ministerialiter effectum suum causando, non verò principaliter, & hoc est, quod voluerunt Patres. XII. In quo Sacerdotes Legales & Gratiæ conveniant, & in quo discrepent.

Dico Quartò: *Sacramentum Pœnitentiæ benè describitur, quod sit Absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debitâ intentione prolatis à Sacerdote Jurisdictionem habente*, ex in- XIII. Sacramentum Pœnitentiæ describitur.

ex institutione Divina efficaciter significans absolutionem animæ à peccato. Ita Doctor Subtilis pene in terminis. Et Probatur: Tum ex Regulis bonæ definitionis: Tum per explicationem:

XIV. Quid intelligatur per ly *Absolutio.* Dicitur *Absolutio:* Id est quædam sententia judicialis, quâ Judex reum absolvit à peccato, delicto, vinculo &c. in hoc enim convenit Pœnitentia cum Judiciis aliis:

XV. Quid per ly *hominis Pœnitentis.* Dicitur *Hominis*, quia est ordinatum judicium pro hominibus viatoribus: Dicitur *Pœnitentis*, id est, verè dolentis & proponentis emendationem, seque accusantis tanquam reum per externam Confessionem, quia Judex homo non potest ritè dijudicare causam, nisi eam cognoscat, cognoscere autem nequit, nisi ei humano modo manifestetur.

XVI. Quid per ly *facta certis verbis.* Dicitur: *Facta certis verbis:* Per quod denotatur, quod absolutio debeat fieri vocaliter, quia Sacramenta verbis obstant tanquam forma, quare Sacerdos mutus non posset pœnitentem absolvere; Denotatur ibidem verba illa debere esse determinata, & à CHRISTO instituta.

XVII. Cur dicatur *cum debita intentione prolatis.* Dicitur ulterius *cum debita intentione prolatis.* Ad substantiam namque Sacramenti pertinet intentio Ministri, non quidem tanquam pars, sed tanquam connotatum, ad hoc ut sit actus humanus, quare si Sacerdos nullam haberet intentionem nihil conficeret.

XVIII. Et à *Sacerdote jurisdictionem habente.* Additur *à Sacerdote:* Nullus etenim potest hoc Sacramentum administrare, nisi sit Sacerdos, qui ulterius Jurisdictionem habere debet; nam cùm Sacramentum hoc formam habeat Judicii, non potest à quolibet administrari, sed ab illo, qui supra alterum authoritatem & Jurisdictionem habuerit, sententia etenim lata à non suo Judice nulla est, & ob id positum erat *jurisdictionem habente*, hæc etenim est tàm necessaria, quod si absolutio ab alio fiat, & absolvens peccet, & nihil faciat, ipseque confitens non sit absolutus.

Ponitur tandem: *Ex institutione Divina efficaciter significans absolutionem animæ à peccato:* Per quod duo insinuantur; Primò Institutio, nam sicut alia Sacramenta ab alio instituta, non sunt, quàm à Christo, ita nec hoc: Deindè insinuatur effectus principalis hujus Sacramenti, quod videlicet quantum est ex parte sua, sit signum efficax remissionis peccati & collationis Gratiæ, si in ea peccatum invenit, & nullum obicem ponit pœnitens. XIX. Per ly *ex institutione divina efficaciter significans absolutionem &c.* duo insinuantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo consistat formalis ratio Sacramenti Pœnitentiæ?

QUantum hæc Quæstio inter Authores est controversa, tantum est Nominalis: Omnes enim concedunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri actus Pœnitentis, nempè Contritionem, Confessionem & Satisfactionem in voto, cum ipsa Ministri Absolutione, ita quòd sine his in re, vel formaliter, vel virtualiter exhibitis Sacramentum confici non possit: Controvertitur tamen, an ista omnia dici debeant partes Essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, an solùm sint integrales, vel dispositiones præviæ requisitæ, an verò consistat ejus Essentia in uno tantummodò actu ex omnibus illis? I. In quo controvertitur. Et quidem Cajetanus, Soto, & Thomistæ docent, Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter dicere actus Pœnitentis connotando Absolutionem Sacerdotis. II. Variæ Sententiæ Authorum. Durandus autem docet, Sacramentum Pœnitentiæ tàm actus Pœnitentis, quàm ipsam Sacerdotis Absolutionem ex æquo importare: Scotus verò cum suis defendit Sacramentum in recto importare solam Absolutionem Sacerdotalem Ministri, in obliquo autem & connotato actus ipsos pœnitentis. Ad difficultatis igitur resolutionem progrediendo

III. Sacramentum Pœnitentiæ verè côstat materia & forma. Dico Primò: ***Sacramentum Pœnitentiæ verè constat materia & forma.*** Hæc absolutè negari non potest. Et pro-

Et probatur: Tum ex Florentino id determinante: Tum ex eo, quod idem in communi doceat, omnia Sacramenta novæ Legis perfici rebus ut materia, & verbis ut forma, ergò.

IV. Materia proxima sunt actus Pœnitentis, Forma Absolutio Sacerdotis. Dico Secundò: *Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt Actus Pœnitentis, nempè Confessio, Contritio, & Satisfactio in voto; Forma verò est Absolutio Sacerdotis.* Ita Authores passim, & Probatur: Tum ex Florentino citato, ubi ait: Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus Pœnitentis, Forma verò est Absolutio Sacerdotis: Tum ex Tridentino Seff. 14. Can 3. *Si quis negaverit, ad integram & perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem* (in voto) *quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur. &c. - - - - anathema sit.* Tum, Quia Forma Absolutionis in Pœnitentia habet verè rationem Formæ in genere moris, ut fatentur omnes, scilicet per modum determinantis, aut perficientis, ergò etiam actus pœnitentis verè debent habere rationem materiæ, quia forma cadit supra illos actus, eosq; determinat & perficit in ratione Sacramenti, ergò. Tum à pari, Quia in Baptismo non solùm verba, sed etiam Absolutio perficiunt Sacramentum. ergò.

V. Actus Pœnitentis sunt partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ considerati ut aggregatum constans rebus & verbis. Dico Tertio: *Actus Pœnitentis sunt partes essentiales Pœnitentiæ Sacramenti considerati, ut aggregatum quoddam constans rebus & verbis, & non tantùm integrantes.* Hæc est Mastrii, & Recentiorum, videturque esse contra Scotum, sed revera non est, benè tamen contra plures Scotistas, & ex Recentioribus contra Patrem nostrum Bernardum Sannis iteratum Ministrum Provinciæ Bohemiæ, & olim Collegam meum observandissimum. Probatur autem Conclusio Primò: Conceptus hujus Sacramenti adæquatus & totalis est, esse signum efficax gratiæ reconciliativæ hominis peccatoris cum DEO per modum Judicii absolutarii, sed hic conceptus essentialiter involvit omnes illas partes & actus pœnitentis, ergò. Major est omnium, & non potest negari: Probatur minor: Judicialis absolutio essentialiter importat accusationem, delicti recognitionem, sponsionem de non iterandò, & satisfaciendo de commisso, & sententiam Judicis, ut autem est reconciliativa cum DEO, & meritoria gratiæ Divinæ, debet esse dolorosa & emendatoria, sed omnia ista aliud non sunt, quàm actus pœnitentis, Confessio, quæ est cum decognitione Accusatio, Contritio, quæ dolet de commisso, & proponit non iterandum; sponsio autem satisfaciendi est votum satisfactionis, & Absolutio est ipsa sententia, ergò.

Probatur Secundò: Quia nihil obstat, quò minùs dicantur partes essentiales Pœnitentiæ Sacramenti, ergò. Probatur antecedens. Quia si quid obstaret maximè quod alioquin Sacramentum constaret ex rebus diversorum generum, vel quod non omnia importentur in recto; sed horum nihil obstat, ergò. Probatur minor: Non Primum; Quia etiam alia Sacramenta sic componuntur, & ex accidente & substantiâ unum totum accidentale constitui potest, ergò etiam ex rebus diversorum generum unum totum morale: Nec etiam Secundum: Quia etiam in Physicis plura inveniuntur, quæ sunt de Essentia unius, quorum tamen unum solùm importatur in recto, & alterum in obliquo, ut patet de Albo, quod involvit & subjectum & albedinem, & tamen in recto solam dicit albedinem, nam forma in abstracto & concreto idem significat, quamvis in modo differant, nempè unum cum ordine, & alterum sine ordine ad subjectum, ita quod etiam Doctor Subtilis doceat in Quarto: Nomen connotativum principalius significare formale connotando tantùm materiale. Sed in contra VI. Alia ratio ad idem.

Opponitur Authoritas Conciliorum Florentini & Tridentini, quæ actus

actus Pœnitentis non vocant materiam Sacramenti, sed quasi materiam, ergò. Deindè Scoti, qui docet, Sacramentum Pœnitentiæ consistere in sola absolutione, ergò. Respond. Negando utramque consequentiam: Quia Concilia non vocant actus Pœnitentiæ, *quasi materiam*, veluti qui non pertinerent ad essentiam Sacramenti, sed ideò *quasi materiam appellant*, quia materia propriè dicta est, ex qua fit aliquid cùm insit, hoc est, quæ manet & inest toti composito, atque adeò, quia Confessio non manet, quando est forma ipsa, seu absolutio, ideò non dicitur materia absolutè, sed *quasi*, quia *quasi materia* vocatur illud, ex quo, & circa quod, aut ob quod fit aliquid, licèt rei factæ non insit; quare prudentissimè & sapientissimè Concilia in cœteris Sacramentis consistentibus in fieri assignarunt materiam absolutè, quia in illis materia cum forma simul in Sacramento sunt. Ad Scotum autem dico, eum locutum fuisse vel in sensu Conciliorum modo explicato; unde etiam ipse non definit Pœnitentiam, quod sit *Absolutio* simpliciter, sed *Absolutio hominis pœnitentis*, per quod denotantur actus pœnitentis, ille enim tantùm censetur esse pœnitens, qui habet illos actus; Quod autem in definitione alicujus ponitur, est de essentia ejus suo modo, ergò. Vel dico, Scotum locutum fuisse in sensu sequentis Conclusionis. Sed ex Ratione in contrarium sic

VII. Quo sensu Concilia vocent actus pœnitentis quasi materiam.

VIII. Scotus explicatur.

Arguitur: Si Actus Pœnitentis essent partes essentiales materiales Sacramenti, sequeretur, non solùm Sacerdotem, sed etiam Pœnitentem esse Ministrum hujus Sacramenti, quia pœnitens causat omnes illos actus, ergò. Sed Respond. negando sequelam: Quia actus pœnitentis non sunt materia hujus Sacramenti, nisi in quantum subsunt Clavibus & Potestati Sacerdotali, cùm ergò penes solos Sacerdotes sit potestas Clavium, soli illi dicuntur absolvere: Deindè solus ille dicitur absolvere, qui habet authoritatem sententiandi, atque hanc habent soli Sacerdotes, ergò. Deindè non est inconveniens, quòd ille dicatur solus Minister, qui principalem actum ponit, atqui Sacerdotes principalem actum ponunt, ergò. Major patet: Quia in generatione suppositi cujuspiam causa efficiens dicitur totum Compositum producere, licèt nihil producat de materia, dummodò producat formam.]

IX. Cur. Pœnitens non sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Dices: Si actus pœnitentis essent essentiales partes Sacramenti, sequeretur, nunquam Sacramentum posse sine illis subsistere, atqui frequenter administratur sine istis actibus, ùt patet in moribundis, in naufragantibus, &c. qui non confitentur, & in pluribus aliis, qui non satisfaciunt pro peccato, ergò. Respondeo distinguendo sequelam sine illis actibus formalibus & explicitis, vel virtualibus & implicitis, concedo sequelam; sine formalibus & explicitis tantùm, nego, & distinguo similiter Minorem, & nego Conseq: Itaq; Moribundi & Naufragantes habent illos actus implicitè, virtualiter & in voto, quòd si tamen nec illos sic haberet, tunc censeo, non esse dandam ei absolutionem, quòd cùm non constet nobis, & videmus eos Christianè vixisse, potest eis hoc beneficium sub conditione impendi. Quoad Satisfactionem autem Respondeo, illam, quæ est executiva operis injuncti non esse partem essentialem, benè tamen illam, quæ est volitiva exequi, seu in voto.

X. Sacramentum Pœnitentiæ nequit existere sine actibus Pœnitentis vel formalibus, vel virtualibus & implicitis.

XI. Satisfactio in re non est pars essentialis, sed in voto.

Dico Quartò: *Considerando Sacramentum Pœnitentiæ pro aggregato ex rebus & verbis, in quo fundatur significatio sacramentalis ei propria, prout ab aliis Sacramentis distinguitur, tunc Essentia ejus in recto consistit in sola Absolutione, connotando in obliquo actus ipsiusmet Pœnitentis.* Ita Scotistæ omnes. Et probatur Primò: Sacramentum Pœnitentis non impetrat in recto, nisi quod est signum demonstrativum gratiæ, quodque efficit illud, quod significat, quia hoc est commune omnibus Sacramentis, atqui actus pœnitentis non

XII. Essentia Sacramenti Pœnitentiæ sumpti pro aggregato ex rebus & verbis, in quo fundatur significatio sacramentalis, consistit in recto in sola Absolutione.

non sunt signa demonstrativa gratiae, ergò non important in recto: Probatur Min: Quia tempore Confessionis nullo modo causatur gratia, quia illa etiam in mortali fieri potest, imò frequenter fit, & ideò fit, ut à mortalibus absolvatur, ergò. Haec prima probatio demonstrat actus poenitentis non importare in recto, ex quo sequitur, quod importet ergò absolutionem, & ex hoc

XIII. Alia Ratio ad idem.

Probatur Conclusio Secundò: Nullum nomen connotativum importat utrumq; aequaliter, sed unum in recto & alterum in obliquo, atqui Poenitentia est nomen connotativum significans & Absolutionem & actus poenitentis, ergò non importat utrumq; in obliquo; subsumo, sed actus poenitentis non importantur in recto ex priori demonstratione & proba, ergò importabitur in recto Absolutio. Confirmatur: Quia nullum compositum accidentale potest utrumq; importare in recto.

XIV. In concreto hoc Poenitentia Sacramentum principalius est Absolutio.

Probatur Conclusio Tertiò: In illo consistit sola & tota essentia in recto, quod est principalius in illo toto concreto, quod utrumq; nequit simul importare; atqui in hoc concreto *Poenitentia Sacramentum* principalius est absolutio, ergò illa importabitur in recto. Major patet, probatur Minor. Ex Concilio Trid. dicente Sess. 14. c. 3. *Sacramenti Poenitentiae Formam, in qua praecipuè ipsius vis sita est* &c. esse illa verba: *Ego te absolvo*: Tum, Quia absolutio est forma, sed forma est quid principalius, ergò: Tum, Quia in omni judicio principalissimum est sententia judicis, & non actus rei & accusantis, sed hoc Sacramentum est judicium, ergò: Tum, Quia illud principalius est, quod in definitione in recto importatur, atqui Poenitentia in recto definitur, quod sit absolutio, ergò.

XV. Confessio non importatur in recto.

Dices: Sicut Scotus definit Poenitentiam quòd sit *Absolutio hominis poenitentis* &c. ita alii definiunt, quòd sit Confessio legitimè facta, absolutione formata, ergò Confessio etiam in recto debet importari. Respond. Negando Consequentiam; Quia licèt ab aliis ita definiatur, ità tamen, si non malè, saltem innaturaliter fit; omnis enim definitio dari debet per illud, quod est principalius ex pluribus in composito aliquo deprehensis, & sine quo nunquam essentia illius compositi salvari potest, sed Poenitentia est quoddam compositum accidentale, in quo omnia ex aequo non possunt importari ex supra dictis, & sine Absolutione nunquam potest salvari ejus ratio formalis, potest tamen sine actibus poenitentis, saltem formalibus, ergò.

XVI. Probatur adhuc Sacramentũ Poenitentię confici per solam Absolutionem.

Probatur Conclusio Quartò: Sacramentum Poenitentiae, sicut & Sacramenta coetera, non conficiuntur per actionem suscipientis, sed Ministrantis, aliàs non esset necessarius Minister, sed Absolutio est actio Ministri, confessio autem & coeteri actus sunt suscipientis, ergò per solam Absolutionem conficietur & perficietur hoc Sacramentum. Confirmatur: Hoc Sacramentum remittit peccata virtute Clavium, sed Claves non sunt in poenitente, sed in Sacerdote, ergò &c. Sed in Contrarium probando, quòd actus poenitentis importentur in recto sic

Arguitur Primò: Illud importatur in recto, quod ex vi nominis intelligitur, sed ex vi nominis Poenitentiae intelligitur Dolor, detestatio, propositum, & actus poenitentis, non verò absolutio, quae non est Poenitentia, sed Poenitentis dimissio, ergò in actibus poenitentis consistet principalis ratio Sacramenti. Respond. Distinguendo Majorem: Si Nomen impositum sit ad denotandam essentiam, ex intrinsecis visceribus causae constituentis, concedo Majorem: Si impositum sit ex sola materiali aliqua parte, vel ab effectu, nego Majorem: & dist. similiter Min: nego Consequentiam. Et patet: Quia Sacramentum Regenerationis dicitur Baptismus à parte materiali minus principali. Ordinatio dicitur Ordo, qui est effectus Ordinationis Sacramentalis. &c.

XVII. Quando importetur in recto id, quod ex vi nominis intelligitur.

XVIII. Quando usus materię importetur in recto.

Arguitur Secundò: In omnibus Sacramentis consistentibus in usu, usus

usus materiæ est essentia Sacramenti, & importatur in recto, ùt Regeneratio dicitur *Ablutio*, Confirmatio appellatur *Unctio* &c. Sed Pœnitentia est Sacramentum consistens in usu, ergò ejus essentia erit materiæ applicatio, quæ sunt actus pœnitentis, ergò. Respond. distinguendo Majorem: Si usus materiæ sit signum efficax gratiæ, concedo majorem: Si usus materiæ non sit tale signum, nego Majorem. Itaque in Baptismo & Confirmatione, *Ablutio* & *Unctio* sunt signa efficacia Gratiæ Divinæ, ideóq; benè pro illis supponitur; in Pœnitentia autem usus materiæ non est signum gratiæ, sed Absolutio, ideóq; hæc & non illa in recto importatur. Et ad idem

XIX. In moralibus & materia & forma sola possunt esse essentia.

Arguitur Tertiò: Forma non est essentia alicujus compositi, sed Absolutio est forma, ùt patet ex Trident. Sess. 14. cap. 3. dicente verba: *Ego te absolvo*, esse formam hujus Sacramenti; ergò. Resp. retorquendo argumentum: Materia non est essentia alicujus compositi, sed ablutio & unctio sunt tantum materia, ergò non erunt essentia illorum Sacramentorum. Resp. Secundò: Distinguendo Majorem: Forma physica concedo, moralis, nego: Quia in moralibus & materia & forma sola possunt esse Essentia, ùt patet de Eucharistia, ubi species consecratæ materiales sunt Essentia, & sic sola forma est in Pœnitentia; Ratio hujus est, quia in Sacramentis illud dicitur Essentia, quod est signum efficax gratiæ, ergò. Sed probando utrúmque in recto importari.

XX. Actus rei & judicis non importantur æqualiter in judicio humano.

Arguitur Quartò: Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii humani, sed in judicio humano æqualiter importantur actus rei & sententia Judicis, ergò etiam in Sacramento Pœnitentiæ. Respond. Negando Minorem: intelligendo per ly *æqualiter*, quod tàm actus rei, quàm actus Judicis sint æquè principales, quia sententia Judicis omninò est principalior, quia hæc sola est litis terminativa.

QUÆSTIO TERTIA.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ?

I. Peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, venialia, sufficiens.

ACTUS Pœnitentis esse materiam proximam hujus Sacramenti patet ex dictis Quæstione præcedenti, nec aliquid de iis ultra examinandum restat: Quæstio ergò præcedit de materia remota, quæ ordinariè dicuntur esse peccata mortalia & venialia post Baptismum commissa, cum hac sola differentia, quod mortalia sint materia necessaria, venialia verò sint sufficientia, & mortalia etiam per Contritionem dimissa sunt necessaria ex præcepto, quod semel debeant subjici Clavibus Ecclesiæ.

II. Diversæ sententiæ circa iteratam Confessionem peccatorū Confessorum.

Et de his quoque nulla est amplius difficultas: tota ergò controversia, ob quam præsentem pono Quæstionem, est, propter peccata mortalia & venialia jam semel Sacramentaliter dimissa, an & quomodo possint esse materia circa quam Sacramenti Pœnitentiæ, ad hoc, ut & validè & fructuosè instituatur de iis: Nam Rubio censet hujusmodi Absolutionem illicitam esse, nisi pœnitens addat aliquod novum peccatum: Aliqui Nominales, & Gabriel ex ipsis existimant frustra talia peccata iterum confiteri, quia Absolutio nihil amplius operabitur ex eo, quòd non ampliùs possit verificari forma. Scotus verò docet Sacramentum hoc reiteratum validum esse, licitum, & fructuosum, non tamen quoad effectum secundum suum nempe remissionem culpæ temporalis, benè tamen quoad effectum suum primum nempè infusionem gratiæ, de cujus mente cum agitur, Scotistæ ambigendum non competit, ideò eidem inhærendo

III. Licitum est peccata jam confessa & absoluta denuò confiteri & ab iis absolvi.

Dico Primò: *Licitum est, omnia peccata semel jam confessa, & absoluta, iterum subjicere Clavibus Ecclesiæ, & denuò confiteri, ab iis absolvi.* Ita Doctor Subtilis in 4. D. 14. q. 2. dicens: *Non dico quod illicitum*

titum sit, vel impossibile iterari &c. Et probatur Primò ex Extrav. Prima Benedicti XI. de Privileg. ubi ait: *Quod licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre.* Item ex Can. *Quem Pœnitet:* de Pœnit: d. 1. ubi sic habetur: *Unde patet, quod quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò faciliùs consequetur misericordiam remissionis.*

IV. Ratio ad idem. Probatur Secundò: Ex praxi omnium Fidelium, qui sæpè non dubitantes de prioribus Confessionibus legitimè factis, denuò generales Confessiones faciunt, & priora repetunt peccata, non additis aliquibus novis, quòd confirmant statuta & ordinationes quorundam Regularium præcipientes vel annuas, vel sæpè repetitas fieri Confessiones generales, ergò.

V. Alia item Ratio. Probatur Tertiò: Quia non implicat vel repugnat, ergò. Prob: antecedens: Quia si repugnaret maximè quia obstaret periculum Sacrilegii, eò quòd forma caderet super eandem materiam, sicut est in subjecto Baptismatis, materia semel consecrata Eucharistiæ &c. sed hoc non obstat, quia licèt sit hoc periculum, dùm profertur super materiam proximam, non est tamen, quando profertur super materiam remotam, sicut nō est, quod eâdem aquâ plures homines baptizentur, & eadem forma proferatur, & eadem fœmina sæpius contrahat transeundo ad secundas & tertias nuptias, atqui hic solùmodò caderet forma super eandem materiam remotam, & circa quam, quia suppono, quòd nova materia propinqua adhibeatur, & nè hoc gratis videar supponere

VI. Ad licitam & fructuosam Confessionem peccatorū confessorū & absolutorum requiritur. Dico Secundò: *Ut peccata semel confessa & ritè absoluta, ac dimissa iterum licitè ac fructuosè subjiciantur Clavibus Ecclesiæ, præter Confessionem requiritur etiam novus dolor, detestatio de peccatis ac propositum emendationis.* Ita Navarrus, Conning, Bonacinna apud Mastrium. Probatur: Quia revera videtur Sacrilegium sine nova materia proxima novam applicare formam Sacramentalem, sed sine novo dolore & proposito solâ novâ Confessione non applicaretur nova materia, ergò: Probatur minor: Quia Confessio sola non est sufficiens nova materia, sed debet esse dolorosa, dolorosa autem Confessio involvit & detestationem peccati, & propositum emendationis, ergò. novus dolor ac propositum.

Confirmatur. Quia non exerceret quis actum Pœnitentiæ Virtutis novum, ex eo, quod solùm sua recognosceret peccata, ergò etiam non applicaret sufficientem materiam novam pro Sacramento per solam Confessionem, quia hæc non est, nisi sola peccatorum recognitio, eáque potest esse historica, fabulosa, curiosa, glorians &c. ergò.

Dico Tertiò: *Confessio iterata peccatorum jam semel remissorum, nullo etiam novo peccato superaddito, dummodò sit formata novo dolore, non solùm licita est, sed etiam multùm fructuosa & utilis.* Ita Authores supra citati. Probatur Primò ex citata Extrav. Benedicti XI. ubi additur, *ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre.* VII. Confessio iterata peccatorum, nullo etiam novo superaddito, si sit formata novô dolore, licita est, fructuosa & utilis.

Probatur Secundò, Ratione: Quia non modò licitè, sed etiam fructuosè pœnitemus de iisdem peccatis jam semel dimissis extra Sacramentum; ùt patet de S. Petro, qui totâ suâ vitâ dicitur deflevisse suum peccatum negationis, ergò etiam non modò licitè, sed etiam fructuosè pœnitemus sacramentaliter, dummodò semper nova adhibeatur materia; Probatur Consequentia: Quia Sacramentum Pœnitentiæ succedit Contritioni Legis antiquæ, eámque supplet, facilitat & adjuvat.

Confirmatur: Quia accedens post Contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ non modò licitè, sed etiam fructuosè accedit, ergò etiam accedens cum peccato jam semel confesso, licitè & fructuosè accedit: Patet antecedens, probatur conseq: VIII. Alia item Ratio.

Tum, Quia non minùs contritus, quàm secundò cõfitens accedit cum peccatis jam deletis & remissis, ac proindè sine materia absolvenda: Tum, Quia non minùs in uno, quàm in alio verba formæ verificari debent, ergò, si non obstat hoc in uno, nec obstabit in alio. Sed in Contrarium

Opponitur Authoritas Doctoris Subtilis in 4. D. 14. qu. 4. ubi dicit, quòd quamvis non sit illicitum iterare Confessionem peccatorum jam confessorum, non esse tamen fructuosum quoad secundarium effectum hujus Sacramenti, nempe quoad dimissionem pœnæ temporalis; & rationem addit, quia aliàs posset quis toties iterare Confessionem usque dum deleretur tota pœna temporalis, & sic non esset necesse aliàs satisfacere, quod est inconveniens, ergò. Respond. verum esse,

X. Scotus explicatur.

Doctorem Subtilem ista habere, & sic discurrere, sed dico, eum loqui ex suppositione, quòd in iteratione Confessionis sit eadem dispositio pœnitentis, quæ fuerat priùs, nec addatur ullus dolor novus de peccatis commissis, in qua suppositione omninò verum est, quòd Claves jam præstiterint totum beneficium, quod præstaree poterant; ast accedente novo dolore & novâ contritione advenit nova ratio & augendi gratiam, quæ est effectus primarius, & diminuendi pœnam temporalem, quæ est effectus secundarius, quia advenit nova materia, ratione cujus Claves iterum operari possunt. Nec ratio Scoti stante tali suppositione novi doloris urget, quia revera non est inconveniens, quòd quis per sæpe iteratam Confessionem mereatur absolutionem, & dimissionem totius pœnæ temporalis, sicut non est inconveniens, quòd mereatur eam per alia pia opera, cùm dolor, erubescentia &c. sint aptissima opera ad hunc effectum.

XI. Potest quis per sæpe iteratam Confessionem mereri dimissionem totius pœnæ temporalis.

XII. Nec per hoc evacuatur Extrema Unctio.

Instatur. Si hoc beneficium remissionis totius pœnæ temporalis præstare posset iterata Confessio, sequeretur, frustra esse institutum Sacramentum Extremæ Unctionis, quià hoc institutum est ad remittendam pœnam peccatis venialibus debitam &c. Sed &c. ergò. Respond. Negando Min: Quia non est inconveniens, quod respectu ejusdem morbi diversæ institutæ sint medicinæ, sicut de facto sunt diversa media ad remissionem venialium, ergò. Respond. Secundò, negando sequelam: Quia Extrema Unctio instituta est ad aliquos per se effectus, ad quos Pœnitentia non est instituta, quamvis per accidens aliquem ex illis præstare possit, sicut per accidens Eucharistia causat primam gratiam.

Arguitur. Ex ratione, quam Adversarii Achillem putant. Circa peccata jam semel dimissa & confessa absolutio nihil potest amplius operari, nec forma verificari, ergò peccata jam semel confessa non possunt amplius subjici licitè vel fructuosè Absolutioni: Patet Consequ: Probatur antecedens: Quia absolvi non potest, qui non est ligatus, atqui talis non est amplius ligatus, nec habet etiam obligationem subjiciendi Clavibus, ergò non potest circa eum Absolutio aliquid operari, vel forma verificari. Hoc est totum fundamentum; sed facilè respondetur negando antecedens: Quia sicut forma verificatur & operatur in peccatis dimissis per Contritionem, ita operatur & verificatur in peccatis jam confessis.

XIII. Absolutio circa peccata jam dimissa adhuc potest operari.

Respond. Secundò: Distinguendo Antecedens: Non potest operari &c. si non accedat nova materia, concedo, si accedat, nego: In proposito autem nostro accedit, atque adeò semper operatur, quod potest declarari exemplis, nam possum votum semel factum iterare, rem donatam denuò dare, ergò etiam potest eadem culpa iterum condonari, quod etiam humanitus fieri potest: Nam reconciliati duo Amici colloquentes de injuriis sibi hinc & illinc factis, iterum si eas recognoscant, & doleant, sibi invicem sæpius condonant. Sed

XIV. Præsertim accedente nova materia.

XV. *Cur innocens nequeat absolvi, possit verò semel absolutus*

Instatur. Innocens, qui nunquam cecidit in peccatum, non potest absolvi fructuosè & licitè, ergò nec etiam, qui jam semel sua peccata confessus & absolutus est; Probatur Consequentia: Quia talis æquiparatur Innocenti, ergò. Respond. negando Conseq: Disparitas est: Quia delinquens jam semel reus factus fuit, Debitor DEI quoad pœnam exsolvendam, unde DEUS sæpius eam potest condonare, & juri suo cedere, Innocens autem nondum fuit debitor, atque adeò nihil potest ei condonari.

QUÆSTIO QUARTA.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

FOrmam hujus Sacramenti sufficienter significant Concilia Florentinum & Tridentinum, habetúrque in Rituali Romano, & quolibet Diœcesano, atque adeò ibi videri potest; In hac proinde Quæstione difficultates circa eam emergentes examinandæ erunt. Unde

I. *Forma Sacramenti Pœnitentiæ debet fieri certis & determinatis verbis vocaliter prolatis.*

Dico Primo: *Forma hujus Sacramenti debet fieri certis & determinatis verbis vocaliter prolatis, non tantùm ut licitè, sed etiam ut validè administretur.* Ita Doctor Subtilis in 4. D. 14. quæ. 2. & sui contra Medinam, Soto, Adrianum &c. existimantes, hoc Sacramentum posse administrari nutu, signo &c.

Probatur Primò ex Authoritate Conciliorum Florentini & Tridentini, quæ expressa & determinata verba pro forma hujus Sacramenti assignant.

Secundò: Ex Institutione Christi, quæ nobis per traditionem, & continuam consuetudinem Ecclesiæ innotescit. Sed in Contrarium sic

II. *Sacramentum Pœnitentiæ in multis differt à judicio humano.*

Arguitur: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum Judicii, sed judicialis sententia potest fieri nutu, signo, & scripto, ergò etiam Sacramentalis. Respond. Distinguendo Majorem: in quibusdam concedo; in omnibus nego: Undè licèt in aliquibus subordinetur Judicio, in pluribus tamen ab eo differt; nam in Judicio humano & politico nullus potest esse simul testis & accusator, benè tamen in Pœnitentia, idem debet esse accusator, testis & reus, ergò. Item Judicium politicum potest esse coactum, hoc autem debet esse voluntarium: Judicium politicum confitentem reum damnat, hoc verò absolvit.

III. *Cur Matrimonium possit perfici sine verbis, & non Sacramentũ Pœnitentiæ.*

Arguitur Secundò: Matrimonium etiam ùt Sacramentum potest perfici signo, vel scripto, & fatetur ipsum Florentinum, ergò etiam hoc Sacramentum, quia ideò potest Matrimonium, quia contractus ùt sic fieri potest, ergò etiam Pœnitentia, quia Judicium ùt sic fieri potest signo vel scripto. Respond. Negando consequ: Disparitas est, ipsa Christi institutio, quæ nobis ex Patribus & Conciliis innotescit: Unde Florentinum dicit, etiam Matrimonium verbis regulariter perfici, per quod innuit aliquando aliter fieri posse, de Pœnitentia autem nihil simile innuit, ergò. Sed

IV. *Cur Confessio possit fieri, & pœnitētia imponi scripto, non verò dari Absolutio scripto.*

Dices: Oppositum satis innuere praxim & consensum Theologorum asserentium, Confessionem posse fieri scripto, & in scripto posse pœnitentiam imponi, ergò. Respon. Negando Consequ: Disparitas est in primo: Quia forma debet esse expressior, quàm materia: In secundo verò: Quia Absolutio est actus Sacramentalis, non autem Pœnitentiæ impositio. Per hoc etiam patet ad aliam instantiam de Absolutione à Censuris, quæ non est Sacramentalis.

V. *Forma necessaria Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba: Absolvo te.*

Dico Secundo: *Forma necessaria & sufficiens hujus Sacramenti sunt verba ista: Absolvo te, vel æquivalentia.* Hæc est communis inter Catholicos ex Conciliis Tridentino & Florentino.

Probatur ex illo Matth. 16. *Tibi dabo Claves regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris, erit solutum & in Cœlis.* Ex

qua authoritate sic argumentor: Sacerdotes sunt Judices à Christo Domino instituti, ergò debent uti illis verbis, quibus Principalis in absolvendo uti jussit, habentque usitatiorem significationem sui effectus: subsumo: Sed quando fuerunt instituti Judices, dixit Christus, *quorum solveritis*, ergò istis uti debent. Confirmatur: Ideò in Baptismo debent Ministri uti *tò baptizo*: Quia Christus dixit: *Euntes, baptizate eos &c.* ergò etiam debent uti: *Tò absolvo te*, quia Christus dixit: *Quodcunque solveris, erit solutum.* Et hæc probant verba illa esse necessaria, quæ fuit prima Pars.

VI. Forma sufficiens sunt eadem verba.

Probatur jam Secunda Pars: Quod sint sufficientia: Quia illa verba sufficiunt, quæ satis ex natura sua significant hominem à peccatis absolvi per Sacerdotem, sed illa verba ex sua significatione supposita hominum institutione hoc significant, nam quilibet videns hominem confitentem peccata, & audiens Sacerdotem dicentem, *Absolvo te*, intelligeret, talem hominem absolvi à peccatis.

VII. Vel æquivalentia.

Probatur Tertia Pars: Quia non videtur, quare non sufficeret ista forma: *Remitto tibi peccata tua*, nam sicut Christus Matth. 16. dixit: *Quodcunque solveris.* Ita Joann. 20. dixit: *Quorum remiseritis*, ergò, sicut ex priori sufficiens deducitur forma, sufficiens quoque deduci poterit ex posterioribus: Et sic olim Scotus docuit, verba Pœnitentiæ non esse necessariò tàm determinata, sicuti sunt in Baptismo & Eucharistia. Noto tamen, Sacerdotem non posse sine gravi culpa hâc vel simili uti, quia in materia gravi peccaret contra Ecclesiæ determinationem, quæ in Conciliis supra *Absolvo te*, præscripsit, & non alia. Sed

Arguitur: In Oppositum contra primam Partem: Nihil potest absolvi, nisi sit ligatum, atqui peccata non sunt vincula, quæ hominem ligent, ergò nemo potest in veritate Sermonis ab eis absolvi: Probatur Minor: Quia peccata sunt quædam injuriæ & offensæ, quæ usitatiori modo loquendi dimittuntur, & non solvuntur. Respond. Negando Min: Quia peccata sunt verè vincula spiritualia & moralia, quibus peccator ligetur ad pœnam æternam, unde dicit David Psal. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, & hæc vincula quamvis etiam sint offensæ, in Scriptura quoque dicuntur solvi, ùt patet tùm ex textu pro Conclusione citato, tùm ex illo Isai. 58. Dissolvite colligationes impietatis. Verùm

VIII. Peccata sunt verè vincula moralia, quæ possunt solvi.

Instatur: Vincula ista non manent, quia actu cessante transeunt, sed nihil potest solvi, quod non est, ergò. Respond. Distinguendo Majorem. Non manent physicè, concedo; moraliter, nego. Sed contra secundam Partem

IX. Peccata sunt vincula moraliter manentia.

Arguitur Secundò: Sacramentorum formæ debent explicitè significare quod efficiunt, atqui verba illa sola: *Absolvo te*, non significant explicitè quod efficiunt, ergò illa non sunt sufficientia: Probatur Minor: Quia *Absolvo te*, est se solo indifferens & indeterminatum, ut significet absolutionem à peccatis, vel à Censuris, ergò se solo non significat quod efficere debet. Resp. negando, Minorem cum suâ probatione, quia illa verba cadunt super Confessionem peccatorum factam, ideò ex illo actu Confessionis præmisso accipiunt suam apertam determinationem, sicut si coram Judice adduceretur reus catenis ligatus, diceretque Judex, solvite illum, omnes audientes intelligerent, eum solvi debere à vinculis, sic à pari. Sed

X. Per quid determinetur ly *Absolvo te*, ad absolutionem à peccatis.

Instatur: Nulla materia habet vim determinandi, atqui Confessio est materia, vel quasi materia, ergò non habet vim determinandi significationem formæ. Respondetur, Concedendo totum, quia Confessio non determinat formam, ejusque significationem, quam habet ex institutione hominum, sed quia præmittitur, facit occasionatè, ut intelligatur forma, quid absolvat. Ad idem

XI. Confessio quomodo ad hanc determinationem concurrat.

Argui-

XII. *Ex præcepto debent apponi in forma alia præter Absolvo te.*

Arguitur Tertiò: Concilia determinantia formam Pœnitentiæ post *Absolvo te*, addunt notanter particulam *&c.* atqui illa particula denotat, cœtera verba debere etiam apponi, ergò illa se solis non sufficiunt. Respond. distinguendo Minorem: debere apponi ex præcepto, concedo, ex necessitate nego: Ita Concilia illam particulam addunt, non ut denotent esse necessaria, sed quia certum est, illa duo, *Absolvo te*, esse de essentia, reliqua verò non, de quibus nihil determinant. Sed

Arguitur Quartò: In omni Sacramento, in cujus forma exprimitur actus Ministri, debet apponi aliqua expressio agentis principalis, sed in forma Pœnitentiæ exprimitur actus Ministri, ergò debet expressio fieri etiam agentis principalis, quod fit per illa verba: *In Nomine Patris, &c.* Probatur Major: Tum ex Sacramento Baptismi & Confirmationis: Tum, Quia Absolutio non attribuitur Ministro, sed agenti principali, & ob ista notanter addiderunt Concilia in fine etiam hujus formæ: *In Nomine Patris, &c.* Respond. Negando Majorem. Ad primam probationem dico, paritatem

XIII. *In hoc Sacramento non debet in forma fieri expressio agentis principalis per ly in Nomine Patris &c.*

in Sacramentis non currere, quia ritus Sacramentorum ex sua institutione sunt diversi, ideò argumentari ab uno ad aliud, non valet, in iis, in quibus genericè non conveniunt. Ad Secundam dico, certum esse Absolutionem non attribui Ministro, ut agenti principali, sed Ministeriali, & quia hoc jam intelligitur, ideò non est necesse, ut in forma exprimat, se facere *in Nomine Patris &c.*

XIV. *Forma Pœnitentiæ non debet proferri modo deprecatorio, sed indicativo.*

Dico Tertiò: *Forma Pœnitentiæ non debet proferri modo deprecativo, sed indicativo.* Ita Scotus, Div. Thomas, Alensis &c. contra quosdam ab ipsis citatos. Probatur Primò ex authoritate Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 3. dicentis verba esse: *Ego te absolvo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ Essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Ex quo sic argumentor: Si forma modo deprecatorio deberet proferri, preces spectarent ad Essentiam, imò ipsa forma esset preces, atqui preces non sunt necessariæ, ergò neque forma debet precario modo proferri. Confirmatur: Quia si forma modo deprecatorio deberet proferri, preces illæ essent necessariæ, quia illæ maximè proferuntur modo deprecatorio.

Probatur Secundò: Quia Sacramentum est institutum per modum Judicii, ergò forma debet proferri, ut solet sententia Judicialis, atqui talis non profertur modo deprecatorio, ergò. Confirmatur: Si Sacerdos deberet modo deprecatorio proferre, non differret Sacerdos Evangelicus à Legali, quia sicut iste solùm ostendebat mundum vel immundum, ità ille solùm oraret, ut mundaretur. XV. *Ratio ad idem.*

Probatur Tertiò: Quia nihil impedit, quò minùs modo indicativo proferatur, nam si aliquid obstaret, maximè quia sibi usurparet authoritatem DEI, quis enim potest peccata dimittere, nisi solus DEUS? Atqui hoc non obstat, ergò. Probatur Minor: Quia tò *Absolvo te*; indifferenter significat authoritatem ministerialem & principalem, & indifferenter usurpari possunt tàm à Principe, quàm à Judice substituto, ut patet, quia etiam Judex à Principe substitutus dimittens reum ait: *Absolvo te*, licèt id non faciat sua, sed Principis authoritate. Sed in Contrarium XVI. *Alia item Ratio.*

Opponitur Authoritas Patrum: Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Hieronymi in illud Psalm. 28. *Vox Domini intercidentis flammas* docentium, Absolutionem esse orationem; Leonis Papæ Epist. 89. seu 91. quæ refertur in cap. Multiplex. de Pœnit. D. 1. dicentis: *Indulgentia DEI nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri nequit.* ergò forma absolutoria, per quam DEI indulgentia acquiritur, deprecatoria esse debet. Respond. Negando Consequentiam: Quia Chry- XVII. *Patres quo sensu Absolutionem vocent Orationem.*

Chrysostomus & Hieronymus appellant Absolutionem *Orationem*, denominationem accipiendo ab aliquo ritu accidentali & prævio, sicuti Chrysmatis Sacramentum dicitur manuum impositio: Deindè dici potest Absolutio in largiori acceptione *Oratio*, quia per eam Sacerdos impertitur & impetrat beneficium absolutionis. D. Leo autem potest eodem modo explicari, vel dici, quòd loquatur de Orationibus antecedentibus & subsequentibus.

Arguitur ex ratione à pari. Primò: Forma Extremæ Unctionis est deprecatoria, ut patet ex Florentino, ergò etiam Forma Pœnitentiæ. Patet Consequentia: Quia non est major ratio de uno ac altero Sacramento, cùm utrumque sit ordinatum ad remissionem peccatorum.

XVIII. Cur forma Extremæ Unctionis sit deprecatoria, & non Pœnitentiæ.

Respond. Negando Consequentiam. Disparitas est ipsa utriusque Institutio & Beneplacitum Christi: Congruentia autem: Quia in Extrema Unctione Sacerdos & Minister non gerit se ut Judex, sed ut Medicus: Et effectus aliquis non semper & infallibiliter sequitur, nempe Curatio infirmi, quare congruum est, ut Sacerdos modo deprecatorio formam illam proferat.

XIX. Potestas patrandi miracula, & dimittendi peccata non fuit eodem modo data Discipulis.

Arguitur Secundò: Sicut Deus dedit Discipulis potestatem faciendi miracula, sic etiam dedit eis potestatem dimittendi peccata, sed miracula non faciebant imperando, sed deprecando, ùt patet ex illo Actorum 3. *In Nomine JESU surge & ambula*, ergò nec peccata dimittere debent modo indicativo, sed deprecatorio. v. g. DEUS det tibi Absolutionem. Respond. Negando Majorem: Quia unum fuit donum gratis datum transeunter manens in Apostolis, alterum autem permanenter manens in Ecclesia; una potestas habet infallibilem adnexum effectum, non altera. Respond. Secundò: Negando Minorem: Quia ipse textus allegatus valet in oppositum, nam Petrus & Joannes non deprecando, sed imperando sanârunt illum claudum; quare dici potest, quòd potestas faciendi miracula, non erat determinata quoad modum, an imperativè vel deprecativè facere deberent, potestas autem absolvendi habet determinatum unum modum, quod nobis ex Ecclesia constat.

XX. Forma Absolutionis nec licitè, nec validè potest absenti impendi per literas seu nuntium.

Dico Quartò: *Forma Absolutionis nec licitè, nec validè impendi potest absenti, per literas, seu per nuntium.* Hæc est de facto determinata ab Ecclesia contra obsoletam aliquam antiquam sententiam. Et probatur ex Clemente VIII. in Bulla nuper edita anno 1602. 19. Julii, ubi hæc Propositio: *Licet per Litteras sive per Internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; damnatur ut falsa, temeraria, scandalosa, prohibeturque sub pœna Excommunicationis soli Papæ reservatæ publicè vel privatim doceri.

XXI. Alia ratio ad idem.

Probatur Secundò. Ratione: Tum ex ipsa Forma: *Absolvo te*, quæ verba ad præsentem & non absentem diriguntur: Tum ex Conclusione prima; ubi dictum fuit de necessitate esse, quòd fiat verbis vocè prolatis, qualiter per Scripturam fieri non posset, nam licèt domui suæ Sacerdos dicere possit, *Absolvo te*, & hoc per internuntium significare ei, pœnitens tamen non fuisset præsens: Tum, Quia ad validam administrationem hujus Sacramenti debet cognosci status Pœnitentis, atqui iste non potest cognosci in absente, nam iste se omni momento variare potest: Tum, Quia Sacramentum hoc debet esse secretum, taliter autem non esset, quando fieret per litteras vel per internuntium.

Opponitur in Contrarium Authoritas Juris Canonici, & exemplum Thomæ Cantuariensis; Illud enim in cap. *Qualis*. 30. qu. 5. dicit: Pœnitentiam per scripturam esse admittendam: Iste verò in carcere detentus dicitur, Romam misisse pro Absolutione, ergò. Respond. Negando Consequentiam: Quia illud caput loquitur de Pœnitentia facta in scriptis præsente Sacerdote, non

XXII. Jus Canonicum objectum explicatur.

verò

verò absente. Imò si pœnitens absens peccata Sacerdoti per literas mitteret, & postea eum conveniret, rogando & accusando de omnibus in illo scripto contentis, censeo validam esse Confessionem & Absolutionem. Et Ratio est, Quia adsunt omnia necessaria ad legitimam Absolutionem. D. Thomas autem Cantuariensis petiit tantùm Absolutionem eventualem à censuris. Deinde planè dubitatur de veritate historiæ.

XXI. D. Thomas Cantuariensis petiit tantùm absolutionem à Censuris.

QUÆSTIO QUINTA.

An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe?

I. Sensus quæstionis exponitur.

Sensus Quæstionis est, an Sacramentum possit habere omnes suas partes essentiales applicatas cum intentione Ministri & suscipientis, quod est *esse validum*, adhuc tamen non conferre gratiam sanctificantem suscipienti ob ejus aliquam indispositionem, quod dicitur *esse informe*: Sicut Baptismus potest esse validus per ablutionem & essentialem formam, & tamen simul esse informis, eò quòd peccator sibi actualiter complaceat adhuc in aliquo peccato &c. In qua materia, Prima & communis sententia est affirmativa in Schola D. Thomæ & Recentiorum, & ordinariè explicant, hoc evenire posse in casu, quo quis pœnitens accederet cum dolore non sufficienti, quem tamen diversimodè inter se explicant. Secunda sententia est Scoti & plurium suorum cum quibusdam Antiquioribus & Recentioribus, eáque negativa, cum qua ad Quæstionem resolutivè.

II. Sacramentum Pœnitentiæ nequit esse validum & informe ratione Sacrilegii, & peccati mortalis commissi in acceptione ejusdem.

Dico Primò: *Sacramentum Pœnitentiæ nequit esse validum & simul informe ratione Sacrilegii, & peccati mortalis commissi in acceptione ejusdem, sicut potest esse Baptismus, & quædam alia Sacramenta.* Hæc est communis in utraque sententia. Et probatur: Tum, Quia ex Tridentino & aliis Conciliis suprà: Ad valorem hujus Sacramenti requiritur propositum non peccandi imposterum, sed tale propositum non habet, qui in eo actualiter peccat, ergò. Tum, Quia ubi est formalis impœnitentia nequit esse pœnitentia, sed in eo, qui actualiter peccat, est formalis impœnitentia, ergò. Tum, Quia nequit esse validum Sacramentum, ubi deest pars aliqua ejus essentialis, in casu deesset, ergò.

III. Nec ratione integritatis Confessionis.

Dico Secundò: *Neque ratione integritatis Confessionis potest Sacramentum pœnitentiæ validum esse & informe.* Est quoque communis. Et probatur ex eodem Tridentino requirente integram peccatorum Confessionem ad valorem hujus Sacramenti, quod ad minus verificari debet ex communi consensu Theologorum de integritate formali, ergò.

IV. Nec ex defectu doloris, vel Attritionis potest Sacramentum hoc esse validum & informe.

Dico Tertiò: *Sed neque ex defectu doloris vel Attritionis potest Sacramentum Pœnitentiæ validum esse & informe.* Ita secunda sententia contra primam. Probatur primò à pari: Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum & informe, ex ratione Sacrilegii in eo commissi, neque ex defectu integritatis Confessionis, ut tenent Authores primæ sententiæ, ergò neque ex defectu doloris & Attritionis: Probatur Consequentia: Quia ideò ex prioribus duobus Capitibus nequit esse validum & informe, quia partes illæ sunt essentiales, sed dolor & Attritio æquè est essentialis pars, ut patet ex Florentino, & ex ipsa ratione, quia dolor & Attritio maximè est actus Pœniteutiæ, & convertivus ad Deum, ergò.

V. Dolor sufficiens ad Sacramentū, sufficit etiam ad ejus effectum.

Dices: Dolorem in Sacramento Pœnitentiæ requisitum pati latitudinem, nam unus est, qui sufficit quidem ad valorem Sacramenti, sed non ad fructum ejus percipiendum. Sed contra Concilia non distinguunt de hac doloris & Attritionis diversitate, sed eundem, qui sufficiens est ad Sacramentum, sufficientem esse quoque insinuant ad effectum Sacramenti percipiendum, ut patet ex Tridentino, quod eun-

eundem dolorem, quem in Sess. 14. Cap. 3. docet esse materiam hujus Sacramenti; Cap. 4. statim supra docet eum disponere peccatorum ad impetrandam gratiam in hoc Sacramento.

VI. Probatur adhuc Sacramentum hoc non posse esse validum & informe.

Probatur Conclusio Secundò: Quando Sacramentum Pœnitentiæ est validum, validè est quoque forma data, quæ hic potissimam rationem habet Sacramenti, sed stante validitate formæ nequit Sacramentum Pœnitentiæ esse informe, ergò; Probatur Minor: stante validitate formæ verè absolvit, & vicissim pœnitens validè absolvitur, sed hoc stante implicàt, Sacramentum esse informe, quia forma est remissio peccatorum, quæ præstatur per Absolutionem, & factâ remissione peccatorum DEUS semper gratiam infundit, ergò.

Dices: Pœnitentem tali in casu tantùm inchoativè absolvi, & in actu primo, ita videlicet, quod absolvetur, mox ut obex ablatus fuerit. Contra: Talis in actu secundo virtute Sacramenti nunquam absolvi potest; quia subsequens dolor nullatenus respicit hoc Sacramentum, sicut dolor respicit Baptismum, aut aliud Sacramentum, quod validè, sed cum obice receptum fuerat.

VII. Alia item Ratio.

Probatur Conclusio Tertiò: Hoc Sacramentum est Reconciliativum cum DEO, ergò quicunque accedit ad illud, vult reconciliari cum DEO; subsumo: Sed qui vult reconciliari cum DEO, necessariò debet formaliter vel virtualiter averti efficaciter ab eo, quod est graviter offensivum DEI, atqui qui efficaciter avertit se ab eo, quod est offensivum DEI, ponit materiam non modò sufficientem ad valorem Sacramenti, sed etiam ad fructum ejus percipiendum, ergò. Sed in contrarium

VIII. Cur Sacramentum Baptismi possit esse validum & informe, & non Pœnitentiæ.

Arguitur Primò: Sacramentum Baptismi potest esse validum & informe, ergò etiam Sacramentum Pœnitentiæ à pari. Respond. negando Consequentiam; Disparitas est: Quia dispositio requisita ad Baptismum suscipiendum non ingreditur essentialem rationem Sacramenti Baptismi, actus autem ex parte Pœnitentis requisiti ingrediuntur essentialiter, ita ut quocunque deficiente Sacramentum sit nullum, sicut nullus esset Baptismus, si quis nullatenus haberet intentionem suscipiendi. Quare autem potius Baptismus validus esse possit & informis, Congruentia assignari potest ex eo, quia cùm sit remedium maximè necessarium ad salutem, quod iterari non potest, Congruum est, ut fictione recedente valere incipiat ad salutem, quod antea non valuit.

IX. Cur Baptismus possit esse validus & informis.

Instatur. Non minus necessaria est Pœnitentia post peccatum personale, quàm Baptismus post Originale, quia ad utriusque dimissionem requiritur utrumque Sacramentum in re vel in voto susceptum, ergò sicut ob hanc necessitatem potest dari Baptismus validus, & informis, ita etiam ob eandem necessitatem dari potest Pœnitentia valida & informis. Respond. Negando Consequentiam: Non enim præcisè ob istam necessitatem datur Baptismus validus & informis, sed quia in ejus essentia non necessariò includitur ipsiusmet suscipientis dispositio. Deindè, quia iterari non potest, unde DEUS utrique malo conveniens prævidit remedium, sed diversimodè applicandum.

X. Negatur Sacerdotem verè absolvere, & Pœnitentem absolvi, quin gratiam recipiat.

Arguitur Secundò: Tunc potest esse Pœnitentia valida & informis, quando Sacerdos verè absolvit, & Pœnitens absolvitur, & tamen gratiam non recipit: Sed potest Sacerdos verè absolvere, & pœnitens absolvi absque eo, quod gratiam recipiat, ergò: Probatur Minor: Potest Pœnitens bona fide, & inculpabiliter accedere ad hoc Sacramentum sine dolore requisito ad fructum hujus Sacramenti recipiendum, talis tamen absolvetur, quia adsunt omnia alia requisita ad valorem hujus Sacramenti, ergò tunc

tunc Absolutio erit informis. Respond. Negando Minorem cum sua probatione. Ratio est, quia vel pœnitens applicat dolorem sufficientem ad valorem Sacramenti, vel non; Si prius, jam erit Sacramentum formatum, quia idem dolor, qui est sufficiens ad Sacramentum, est etiam sufficiens ad fructum ejus: Vel non applicat dolorem sufficientem, & sic non erit validum Sacramentum, non refert, quod inculpabiliter hoc faciat, quia materia necessaria ad Sacramentum, etiam sine culpa prætermissa efficit Sacramentum nullum, ut patet de aliis Sacramentis, atqui dolor est materia necessaria, ergò.

Variis modis intendunt Adversarii ostendere suum Sacramentum validum & informe, quos oportet impugnare.

XI. Non subsistit modus Bonacinæ, Paludani & Capreoli salvādi hoc Sacramentum validum & informe.

Primò: Bonacina dicit ad valorem Sacramenti sufficere attritionem ex motivo naturali, ad effectum verò requiri Attritionem supernaturalem. Sed Respondetur, Negando totum, nam Tridentinum ad utrumque petit attritionem, quæ est donum Spiritus Sancti, & per Consequens supernaturale. Per idem rejicitur Paludanus & Capreolus existimantes, habentem dolorem de peccatis suis sine proposito efficaci emendationis suscipere Sacramentum validum & informe; Nam Tridentinum contrarium affirmat dicens, ad valorem Sacramenti requiri, quod peccator excludat voluntatem peccandi de cœtero.

XII. Nec modus Navarri.

Secundò: Navarrus dicit, non habentem dolorem sufficientem ad gratiam obtinendam etiamsi culpabiliter hoc ignoret, posse recipere Sacramentum validum & informe, sed hoc est impossibile, cum ipsius Confessio non sit integra, ex eo, quod non confiscatur tale peccatum. Imò si confiteretur millies, modò non habeat dolorem Sacramentum est nullum. Casu etiam, quo invincibiliter ignoret, dolorem esse necessarium, Sacramentum erit invalidum, quia licèt tunc non peccet de novo, tamen non ponit sufficientem materiam à Christo institutam.

XIII. Nec Suarez.

Tertiò: Suarez sic explicat hunc casum: Si quis accederet ad hoc Sacramentum cum dolore cadente super peccata, quæ facta diligenti discussione memoriæ occurrunt, non tamen super peccata invincibiliter oblita, talis dolor non esset sufficiens ad effectum hujus Sacramenti, benè tamen ad valorem. Sed Respondetur, posse cum tali dolore accedere ad hoc Sacramentum. Sed quæstio est, an ex affectu & motivo reconciliandi se cum DEO, accedat ille? Si sic, virtualiter ejus dolor se extendit ad detestanda omnia peccata etiam inculpabiliter oblita, cùm vi talis motivi includat voluntatem efficacem detestativam virtualiter omnium, quæ menti occurrerent, casu, quo occurrissent. Si verò accedendo cum dolore cadente super unum peccatum tantùm, & non cadente formaliter aut virtualiter super reliqua, quæ memoriæ possent occurrere; tunc non solùm non acciperet gratiam, sed nec etiam ullum Sacramentum. Cœterùm ut dolor dicatur virtualiter se extendere ad omnia peccata etiam oblita, non est necesse, ut procedat ex motivo formaliter & expresse universali cadente super omnia, ita ut pœnitens dispositus sit omnia peccata detestari, si actu menti occurrerent.

QUÆSTIO SEXTA.

In qua resolvuntur varia Quæsita circa Absolutionem Sacramentalem.

Quæres Primò: An Absolutio Sacramentalis possit dari sub conditione? Triplex est conditio, una de præterito, v. g. *Absolvo te, si non fuisti absolutus.* Alia de præsenti, v. g. *Absolvo te, si es dispositus, aut habes usum rationis, aut habeo ipse jurisdictionem.* Tertia

I. Absolutio data sub conditione de præterito valet.

de futuro, v. g. *Si cras restitueris, aut hanc Pœnitentiam absolveris.* Communis sententia est, Absolutionem datam sub primâ & secundâ cōditione esse validam, licèt nulla conditio sit regulariter apponenda. Exemplum primi assignant Theologi, Confessarius ex naturali quadam inadvertentia dubitat, an dederit Absolutionem pœnitenti, & timet de salute pœnitentis, si jam ipsum denuò non absolvat, timetque de irreverentia Sacramenti, si semel jam absolutum, de novo sine nova materia confessa absolvat, adeóque se incursurum peccatum, sive absolvat, sive non absolvat. Ad tollendam hanc perplexitatem dicunt Theologi, posse ipsum absolvere sub ista conditione de præsenti: *Ego te absolvo, si non fuisti à me antecedenter absolutus.*

II. Ac etiam sub conditione de præsenti.

Exemplum secundi ponit Marchantius pag. 246. sui Tribunalis in homine jam moribundo, & ad mortem vulnerato, in quem casualiter incidit Sacerdos, nihil sciens, an sit vel Hæreticus vel Catholicus, dispositus nec nè, quem ait Marchantius posse sub conditione absolvi dicendo: *Si es dispositus, & sufficienter de peccatis doles, ego te absolvo.* Quidquid sit de hoc, quem plures Casuistæ negant, licere talem absolvere defectu materiæ aut signi. Aliud exemplum statuitur de puero, qui confitetur, & dubitat, an habeat usum rationis, vel de phrenetico, de quo dubitat, an in actu Confessionis sit sanæ mentis: utrumque admittunt Authores posse absolvi, *sub conditione, si habent usum rationis.* Existi-

III. Non valet autem sub conditione de præsenti aut præterito, de re, cujus existentia nequit moraliter cognosci.

mat tamen Pater Pontius, & non immeritò, non valere Absolutionem sub conditione de præsenti, aut præterito, de re, cujus existentia non potest moraliter cognosci, nec à Sacerdote, nec à Pœnitente, v. g. si quis diceret: *Ego te absolvo, si Alexander magnus fecerit aliquid, de quo nulla habetur notitia in historiis, aut si magnus Turca jam dormit.* Ratio est, quia talis absolutio esset ridicula, nec est verisimile, quòd DEUS instituerit pro forma Sacramenti hujus formam ridiculam, quæ suspendit actum & effectum.

IV. Absolutio sub conditione de futuro est invalida.

Quartum: Ad conditionem de futuro communiter docent omnes, Absolutionem sub conditione de futuro esse invalidam, quia talis conditio suspendit actum & effectum Absolutionis, cùm non intendet Sacerdos in tali casu effectum Absolutionis impendere, nec re ipsâ impenditur, nisi adimpletâ conditione, sed non est in manu Ministri suspendere effectum Absolutionis, cùm ex opere operato effectum suum operetur, unde qui sic absolveretur, maneret adhuc ligatus etiam adimpletâ conditione, nisi denuò absolveretur.

V. Opinio Hicquæi & Pōtii circa Absolutionem sub conditione de futuro.

Hicquæus, quem sequitur Pontius, existimat conditionem de futuro, quod certò cognoscitur pro præsenti futurum, non impedire validitatem Absolutionis, eam verò, quæ est de futuro incerto impedire. Ratio primæ partis est, quòd conditio de futuro certo, non ita ex natura sua suspendit; quin Ecclesia possit colligere, reum esse absolutum de præsenti, nam qui diceret: *Absolvo te, si Antichristus est futurus;* videtur validè absolvisse, quia conditio est de præsenti veritate futuritionis, licèt objectum ejus sit futurum, quidquid dicant Konnik, & vulgò in contra.

VI. Quando Pœnitens à Confessionali recedens non absolutus possit absolvi.

Quæres Secundò: An Pœnitens à Confessionali recedens, & non absolutus, vel ex oblivione Confessoris, eò quòd erat multùm intentus in admonendo Pœnitente, circa gravitatem peccatorum, & modum vitandi occasiones eorundem, vel aliundè, possit absolvi? Respond. Si Pœnitens sit adhuc in conspectu Sacerdotis, & incommodum sit ipsum revocare pœnitentem propter nimiam multitudinem populi, posse taliter absolvi; quia in tali casu censetur adhuc moraliter præsens, & habere jus ad Absolutionem dandam, quam putat Pœnitens se accepisse. Si autem Pœnitens sit totaliter extra conspectum Sacerdotis, & tam

tàm procul abiverit, ut moraliter censeatur absens, non poterit Sacerdos sic absentem absolvere propter dicta immediatè.

Quæres Tertiò: An liceat in eadem Confessione sententiam Absolutionis sæpiùs repetere. Hic casus solet frequenter contingere, vel ob nimiam scrupulositatem pœnitentium, qui facto diligenti examine conscientiæ peccata confitentur, à quibus absolvuntur, nihilominùs ipsis post acceptam Absolutionem incidit scrupulus de aliqua circumstantia peccati prius confessi, quam proinde denuò confitentur, & ab eo volunt absolvi; vel quia ex naturali oblivione in Confessione non expresserunt aliquod peccatum, cujus recordatio primò incidit ipsis post acceptam Absolutionem, de quo proinde denuò se accusant, & Absolutionem petunt. Respond. cum Reinaldo, Marchantio & aliis; Si peccata sint venialia tantùm, aut mortalia aliàs remissa, Absolutionem non esse repetendam propter reverentiam Sacramenti, quia talia sunt materia libera Confessionis: Si verò sint mortalia nondum confessio ejusdem vel diversæ speciei, & non expressa in prima Confessione per particulam generalem, v. g. *plus vel minus*, quoad numerum, debet repeti & absolvi à novo, quia est nova materia & necessaria.

VII. Quando liceat in eadem Confessione absolutionem repetere.

Quæres Quartò: Quo tempore danda sit Absolutio Sacramentalis? Respon. quòd absolutâ Confessione omnium peccatorum. Contingunt tamen casus, in quibus audita Confessione potest Sacerdos Absolutionem ad aliud tempus differre, aut eâ nondum completâ Absolutionem anticipare. *Exemplum primi* habetur in illo, qui generalem Confessionem dividit in partes, ut distinctiùs & cum majori contritione confiteatur, non est absolvendus, nisi completa ultimâ Confessione. *Exemplum secundi* cernitur in moribundo, qui incipit peccata sua confiteri, & ingravescente morbo putatur statim expiraturus, quo in statu nondum completâ Confessione, sed auditô unicô peccatô est immediatè absolvendus. Similiter practicandum in periculo Naufragii, sed si pœnitens evadat periculum, debet peccata nondum confessa Clavibus subjicere.

VIII. Absolutâ Confessione omnium peccatorum danda est absolutio, exceptis quibusdam casibus.

Quæres Quartò: An in aliquô casu possit Confessarius Absolutionem Sacramentalem pœnitenti denegare? Hic casus ab Authoribus proponitur ita: quando ex notitia in Confessione vel aliunde evidenter habita, certò constat Confessario esse indispositionem aliquam in pœnitente, quæ opponitur fini Sacramentali, & obicem ponit ejus effectui, teneatur ipsi dare Absolutionem. Dixi *si certò constet Confessario*, quia si sit tantum dubium de indispositione in favorem pœnitentis est judicandum. Dixi *ex notitia in Confessione vel aliunde evidenter habita*: quia si ex relatione tantùm habet, pœnitentem habere tale peccatum, quod non vult confiteri, magis est credendum pœnitenti neganti hoc in foro, quàm illi referenti. Marchantius in suô Tribunali existimat, talem esse absolvendum, quia Confessarius est Judex in hoc foro, qui debet semper secundùm allegata & probata procedere & judicare; Sed communior est contraria sententia apud Bonacinam & alios; existimantes Confessarium non debere absolvere pœnitentem, casu, quo evidenter & propriis oculis immediatè ante Confessionem viderit ipsum committentem peccatum, quod non vult in Confessione fateri: quia tunc certò ipsi constat pœnitentem tunc mentiri; adeóque commissurum Sacrilegium, si absolvatur.

IX. Casus, in quo Confessarius debet negare Absolutionem Pœnitenti.

Nec obstat ratio Marchantii: Quia licèt in foro externo in ordine ad publicum bonum Reipublicæ requiratur publica scientia criminis, in foro tamen Pœnitentiali, quod est secretum, & ordinatum ad bonum privatum Pœnitentis, potest uti Confessarius sua certa & privata scientia.

X. Fundamentum Marchantii in Oppositum solvitur.

XI. Indiſpoſitiones, ob quas negãda eſt abſolutio, aſſignatur.

Indiſpoſitiones, ratione quarum tenetur Sacerdos Abſolutionem negare, aſſignantur à Marchantio, nempe defectus patens & culpabilis in formali integritate Confeſſionis, in Attritione, in propoſito emendationis, in nolitione reſtitutionis, aut reconciliationis omni inimico, in occaſionibus proximis peccatorum vitandis, in continua recidivatione non interpolata &c.

XII. Impoſitio manuum Sacerdotis non eſt de neceſſitate Sacramẽti.

Quæres Sextò: An requiratur neceſſariò manuum impoſitio Sacerdotis ſuper caput Pœnitentis? Apoſtoli omnia fermè ſpiritualia munera impoſitione manuum complere conſueverunt curando ægros, aut baptizando, aut confirmando, aut reconciliando; hujus impoſitionis manuum mentio habetur in Carthaginenſi III. & Nicæno Concilio, & Originem traxit ex alia Veteris Legis Ceremonia, quâ Sacerdos confitens peccata Populi, apponebat manum ſuper caput Hirci emiſſarii, qui fuit ſymbolum peccatoris pœnitentis: Significat etiam poteſtatem Sacerdotis ad remittenda peccata, nam per manus deſignatur operatio. Reſpondetur tamen, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quia plerumque abolevit, & Eccleſia habet poteſtatem variandi ritus & Ceremonias, ut definit Tridentinum Seſſ. 7. Can. 13. de Sacramentis in genere.

XIII. Verba illa: *A peccatis tuis*, quando de facto proferũtur, non cõcurrunt ſecundum ſe ad remiſſionẽ peccatorũ.

Quæres Ultimò: An quando de facto proferuntur illa verba: *A peccatis tuis*, ſecundùm ſe concurrant ad remiſſionem peccatorum, an verò antequam proferantur, pœnitens abſolvatur dictis: *Ego te abſolvo*, Reſpond. cum Hicquæo, Pontio, contra Vaſquez, quòd non concurrant: Ratio videtur hæc eſſe; Quia cùm illa verba: *Ego te abſolvo*, ex ſe ſufficiant, nec verba illa ſequentia diſtrahant ſignificationem eorum ad aliam ſignificationem, omninò debent cauſare gratiam in ultimo inſtanti, quo proferuntur, hoc autem ſuppoſito certum eſt, quòd ſequentia verba nihil operentur.

Confirmatur. Si Sacerdos, poſtquam pronuntiaret: *Ego te abſolvo*, moreretur, antequam proferret reliqua, abſurdum videretur, quòd non abſolverit aliter, ac ſi nullo modo proferret illa. Poſſet tamen fieri, quòd ſi Sacerdos intenderet non ſignificare Abſolutionem à peccatis, niſi per integram formam, non cauſaretur gratia per priora verba, niſi adderetur à *peccatis*; nam cùm priora verba poſſint ex ſe ſignificare aliam abſolutionem, quàm à peccatis, ab intentione Sacerdotis dependet, à quibus fit abſolutio. Quamvis enim intentio privata Miniſtri non poſſit mutare validitatem formæ, quando manet intentio faciendi, quod facit Eccleſia, & proferuntur verba ex ſe determinata ad ſignificationem, quam debet habere forma, tamen quando verba aliqua ſunt æquivoca, valdè probabile eſt, quòd dependeat ab intentione Miniſtri limitare illa verba ad ſenſum requiſitum, vel ad ſenſum oppoſitum, ſicut ab ipſius intentione dependet, quòd quando dicit: *Hoc eſt corpus meum*, forma ſit bona vel mala. Erit enim bona, ſi non intendit addere aliqua verba, quæ diſtraherent ly *Corpus* à ſignificando corpore, mala verò, ſi intendat talia addere.

XIV. In aliquo caſu non cauſaretur gratia, niſi verba à peccatis adderentur.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

DE

Primo Actu Pœnitentis, seu Dolore.

QUÆSTIO UNICA.

An & qualis Dolor requiratur ad hoc Sacramentum?

Quia agendo de Pœnitentiæ Virtute, (quæ aliud non est, quàm Dolor & Detestatio peccati;) Naturam ipsiusmet Doloris, qui extra vel intra Sacramentum justificat impium; satis propter materiæ connexionem explicui, hic pauca dicenda restabunt, in reliquis vel ad dicta me remittam, vel brevibus insinuabo. Itaque

I. Ut Sacramentum Pœnitentiæ validè & fructuosè suscipiatur, necessarius est dolor aliquis positivus, formalis & expressus.

Dico Primò: *Ad hoc Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum necessarius est aliquis dolor positivus, formalis & expressus.* Ita Doctores communiter: Et patet ex Concilio Florentino & Tridentino Sess. 14. cap. 3. & 4. ubi hæc veritas definita est. Ratio etiam est, Quia Dolor est pars essentialis hujus Sacramenti, ergò; probatur antecedens; Quia Confessio est pars essentialis, ergò & Dolor: Probatur Consequentia; Quia sine Dolore Confessio non esset, nam tunc se non haberet per modum dolorosæ accusationis, sed nudæ & puræ historiæ: Nec refert, quòd per se non sit sensibilis, quia sufficienter sit sensibilis per Confessionem, sicut in Matrimonio consensus essentiabiliter requisitus, fit sensibilis per verba vel alia signa.

II. Non sufficit se solùm negativè habere.

Ex hac Conclusione infero Primò: Eum, qui accederet cum integra peccatorum Confessione, absq; eo, quod sibi in illis complaceret, vel displiceret, sed solùm negativè se haberet, non absolvi.

III. Nec dolere se non posse dolere.

Secundò: Non poni materiam sufficientem ab eo, qui dolet se non posse dolere; Quia sicut Confessio est Accusatio de peccatis, & non de eo, quod se non possit accusare, ita etiam Dolor debet esse de peccatis, & non de eo, quod non possit dolere.

IV. Sufficit Attritio etiam cognita ut talis.

Dico Secundò: *Dolor ad hoc Sacramentum requisitus non est necessariò Dolor perfectus, seu Contritio, sed sufficit imperfectus, seu Attritio etiam cognita ut talis, dummodò facta fuerit ex motivo aliquo à Conciliis requisito.* Hæc patet ex dictis supra.

V. Quoties reiteratur Confessio, reiterari debet dolor.

Dico Tertiò: *Toties, quoties reiteratur Confessio, etiam reiterari debet Dolor, etiamsi fiat de peccatis jam confessis, & absolutis, & licèt nullum novum addatur,* Patet similiter.

VI. Dolor requiritur de omnibus mortalibus formaliter, vel virtualiter, non tamen specialis de quolibet speciali.

Dico Quartò: *Dolor requisitus debet esse de omnibus mortalibus, formaliter vel virtualiter, ita quod non possit unum detestari solum absque alio, non est tamen necesse, quod speciali fiat de quolibet speciali peccato.* Hæc etiam patet, Quia talis debet esse Attritio in Sacramento, qualis Contritio est extra Sacramentum, atqui Contritio debet esse de omnibus omninò peccatis mortalibus, ut suprà probatum est, ergò.

VII. Dolori debet annecti propositũ non peccandi.

Dico Quintò: *Dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet habere annexum propositum de cœtero non peccandi.* Ita Theologi omnes. Probatur ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi hoc propositum ponit in Definitione Contritionis, & Sess. 6. cap. 6. hoc propositum censet inter dispositiones ad justificationem requisitas. Et ratio est; Quia dolor nequit esse efficax sine tali proposito, uti supra docui, ubi etiam explicui, quale esse debeat.

VIII. Confitens sola venialia non tenetur ad formalem Attritioně

Dico Sextò: *Si Pœnitens habeat sola venialia, & accedat ad Sacramentum hoc, ad valorem ejus non est necessaria Attritio formalis de omnibus*

de omnibus, sed sufficit sola non complacentia, & voluntas suscipiendi Sacramentum.

mnibus venialibus, sed sufficit dispositio aliqua minor, seu sola non complacentia, & voluntas suscipiendi hoc Sacramentum. Ita Soto, Ledesma, Henriquetz, Mastrius &c. Et probatur: Tum, Quia sola Attritio sine Sacramento sufficit ad remissionem venialium in homine justo, ergò in Sacramento sufficiet dispositio aliqua minor, quia ad tollendum obicem, ne Sacramentum operetur, minus requiritur, quàm ad ipsum veniale tollendum: Tum, Quia ad tollendum mortale in Sacramento sufficit sola Attritio, sed minor requiritur dispositio ad tollendum veniale, ergò. Tum, Quia sequeretur quòd in Sacramento Pœnitentiæ nunquam remitterentur venialia, nam si requiritur Attritio prævia, ipsa semper tollet ea, quia est remedium sufficientissimum, consequenter Sacramentum nihil deprehendet, quod auferat. Sed in Contrarium

IX. Concilia loquuntur de accedentibus cum mortali.

Arguitur. Concilia & Patres ad valorem hujus Sacramenti requirunt Dolorem tanquam partem essentialem, ergò non sufficiet nuda non complacentia, sed debebit esse formalis Attritio. Respond. Concilia loqui de illis, qui accedunt cum peccato mortali; non verò de justis accedentibus cum venialibus solis, in his enim videtur sufficere virtualis Attritio, qualis esse censetur nuda non complacentia cum voluntate suscipiendi Sacramentum. Vel Respond. Secundò: Concilia requirere tantùm Dolorem & Attritionem de aliquo ex venialibus, non verò de omnibus; per hoc enim differunt venialia à mortalibus, quod de his omnibus debeat quis habere formalem dolorem, de illis autem sufficit dolor de uno, & in reliquis satis erit nuda non complacentia. Eligatur Responsio, quæ melius placuerit. Sed

X. Vel requirunt Dolorem de aliquo ex venialibus, non de omnibus.

XI. Confitens sola venialia, quale debeat habere propositum.

Quæres: An Pœnitens & Confitens sola venialia debeat etiam habere propositum, ea amplius non committendi? Respondetur, pœnitentem debere habere propositum cavendi omnia venialia, quantum ipsi ex Gratia Divina concedetur. Ratio est, Quia sicuti requiritur aliquis Dolor, ita requiritur etiam aliquod propositum, cum propositum in dolore includatur.

XII. Circa impossibile morale potest haberi propositum supposita Dei gratia.

Dices: Nemo potest velle, quod est moraliter impossibile, impossibilium enim non est voluntas, sed impossibile est, quòd aliquis caveat, omnia venialia supposita fragilitate nostra humana, ergò. Respond. Distinguendo Minorem: Sed impossibile est vitare omnia venialia ex impotentia hominis morali, concedo: physica, nego: Unde, licèt voluntas non possit habere propositum efficax circa impossibile physicum, potest tamen circa impossibile morale, supposito DEI auxilio & gratiâ Divinâ. Possent hic plures examinari Difficultates, sed facilè colliguntur & resolvuntur ex Disputatione prima. Nunc sit

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Secundo Actu Pœnitentis, seu Confessione.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quo jure Confessio sit necessaria ad hoc Sacramentum?

I. Confessionis Descriptio, & ejusdem explicatio.

Confessio, de qua hic agitur, benè sic describi potest, Quòd sit *Accusatio legitima sacramentalis de propriis peccatis facta coram Sacerdote, ad veniam impetrandam virtute Clavium.* Dicitur *Accusatio*, Quod habet rationem generis, & convenit cum accusationibus Judicialibus; & disconvenit adhuc per eandem particulam ab aliis propalationibus & manifestationibus peccatorum: Additur *Sacramentalis*, per quod disconvenit à Contritione, quæ est Confessio coram Deo, & ab aliis Confessionibus, v. g. fidei, laudis, Judicii forensis &c. *Legitima*: ponitur ob Confessiones, quæ licet fiant in ordine ad Sacramentum, aliquâ tamen conditione carent. Dicitur *de propriis peccatis*, ad denotandum sua & non alia confitentem adferre debere. Additur denique, *coram Sacerdote, &c.* per quod distinguitur à Confessione coram Judice, quæ communiter fit ad condemnationem, & non ad veniam impetrandam &c. His prænotatis ad Quæstionis resolutionem progrediendo.

II. Omnibus hominibus mortaliter lapsis necessaria est Confessio Sacramentalis necessitate præcepti, ac medii in re, vel in voto.

Dico Primò: *Omnibus hominibus mortaliter lapsis necessaria est Confessio Sacramentalis, non modò necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, in re vel in voto.* Ita Fides Catholica, & probatur Primò ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 2. Definiente Sacramentum Pœnitentiæ esse sic necessarium lapsis post Baptismum, sicut est necessarius, qui eum nondum receperunt; atqui Baptismus est necessarius necessitate medii & præcepti, ergò etiam erit Pœnitentia similiter necessaria: Subsumo; sed qua necessitate est Sacramentum Pœnitentiæ, eadem est Confessio Sacramentalis, quia Sacramentum Pœnitentiæ sine Confessione Sacramentali haberi nequit, ergò.

III. Confessio non est necessaria necessitate præcepti Legis Naturæ.

Dico Secundò: *Confessio non est necessaria necessitate præcepti legis Naturæ.* Ita Doctor Subtilis 4. d. 17. quæst. un. Probatur: Quòd necessarium est necessitate Legis Naturæ, obligat pro quocunque statu & tempore cujuscunque legis, atqui Confessio non obligat pro quocunque statu, ergò: Probatur Minor, Quia non obligabat pro statu Legis Mosaicæ, ut mox dicam, nec pro statu Legis Naturæ, in quo nihil ad salutem necessarium præter Remedium Legis illis, & Contritionem, ut per illud originale, per hanc actualia dimitterentur; Et pro statu Innocentiæ nec quidem obligare poterat, ergò.

IV. Alia ratio ad idem.

Probatur Secundò: Quia non est notum, lumine naturæ unum hominem posse esse, vel actu esse Judicem alterius super peccato occulto, DEUS enim scrutatur corda & renes, & homo non videt, nisi ea, quæ patent, ergò. Confirmatur: Quia Lumen Naturæ potius dictare videtur, ut occulta occultè, & soli DEO confiteamur, eáque nos ipsi castigemus. Verùm in oppositum

Opponitur Authoritas Scripturæ Job. 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi iniquitatem meam in sinu meo!* Quasi diceret non, ut patet ex Contextu, ita quòd

V. Textus Job. 31. objectio explicatur. quòd oppositum nempe abscondere peccatum sit gravissima iniquitas, sed Job non tenebatur, nisi ad Legem Naturæ, ergò: Quod confirmatur ex Glossa Gregorii in illum locum dicentis: *Verè humilis non solùm mala sua cognoscit, sed etiam voce Confessionis aperit*, atqui esse humilem ob peccata commissa, est de Jure Naturali, ergò etiam erit Confessio. Respond. Jobum loqui de Confessione aliqua generali, quâ se vel peccatorem agnoscat; vel quâ DEUM glorificabat, Confessione nempe laudis; vel etiam de mentali facta ipsi DEO, quia multi sunt, qui se excusant, & mentiuntur iniquitates sibi. Sed ex ratione in Contrarium sic

Arguitur: Hæc propositio est lumine Naturæ nota: *Quilibet reus debet adjudicari*: & simili ratione notum est: *Quòd nemo in propria causa debeat esse judex*: Ex quibus sic argumentor: Quilibet peccator est reus, & debet non à se, sed ab alio dijudicari propter peccatum commissum, sed dijudicari ab alio non potest, nisi fateatur illi peccatum suum, ergò quilibet peccator de Lege Naturæ debet confiteri: Et quod secretò, dictat quoque lumen Naturæ, quia dictat famam suam publicam conservare debere: Quòd verò Sacerdoti etjam videtur dictare Lumen Naturæ: Quia magis sunt ordinati ad interpellandum apud DEUM, quàm Laici, ergò à primo ad ultimum Confessio Sacramentalis est de Lege Naturæ. Respond. Concedendo istas duas propositiones vel esse Lumine Naturæ notas, vel ad minus plurimùm consonas, attamen in argumento inde formato distinguo Minorem: Ab alio dijudicari, qui sit homo, nego: Hoc enim notum non est Lumine Naturæ, sicut non est notum, quòd unus sit alterius Judex: Ab alio, nempè à DEO, concedo Minorem: Et hoc conforme est ad Lumen Naturæ, sicut enim totius Universi est Creator & Rector, ita etiam est bonorum Præmiator, & Punitor malorum, huic ergò ob culpas commissas Confessio fieri debet.

VI. Non est notum lumine naturæ, quòd peccator debeat judicari ab alio homine.

Dico Tertiò: *In Lege Moysis fuit quidem typus Sacramentalis Confessionis; de ipsa tamen nullum erat tunc Præceptum.* Est Doctoris suprà. Et probatur Prima Pars: Quia Misericordissimus DEUS ex infinita sua Providentia & Sapientia de omnibus Mysteriis difficilioribus, quæ facturus vel ordinaturus erat in Lege Gratiæ, aliquem eorum typum in Lege Mosaica prænuntiavit, ut tantò faciliùs moveremur ad credendum, & tantò celeriùs assentiremur, sed Confessio est tale Mysterium, idque grave & difficile, ergò prænuntiari & præsignari debuit; & quidem talem typum DEUM præsignasse patet ex Levit. 6. 7. & 16. de Hirco Emissario, super quem Sacerdos debebat confiteri peccata totius Populi, & eum postea emittere in solitudinem, & ex pluribus aliis Scripturæ locis, quæ Confessionem aliquam insinuant, ita quòd Thomas Valdensis existimaverit jam olim consuetudinem fuisse Confessionis; & Christum Dominum tantummodò eam confirmasse etiam pro sua Lege, sed perperam

VII. In Lege Moysis fuit typus Confessionis Sacramentalis.

Probatur Secunda Pars: Quia per totam Legem Antiquam non inveniuntur cuiquam datæ Claves Regni Cœlorum, potestas scilicet ligandi & solvendi, peccata dimittendi, cum tanta efficacia, quod etiam quidquid hìc solutum fuerit in terra, etiam pro soluto habebitur in Cœlo, ergò etiam nulla fuit instituta accusatio, post quam & in qua illa potestas exercenda esset. Sed in Contrarium

VIII. Sed nullum in ea Lege præceptū.

Opponuntur plurimæ authoritates Sacræ Scripturæ, quæ in Lege Mosaica insinuare videntur Præceptum Confessionis auricularis, quæ videri possunt apud Authores passim. Verùm Respondeo ad omnes omninò nihil concludere contra Conclusionem: Quia loquuntur vel tantùm figurativè: Vel de Confessione mentali, vel generali; vel de quibusdam

IX. Authoritates S. Scripturæ, quæ possent opponi, exponuntur.

busdam defectibus publicis, & transgressione legalium Ceremoniarum, pro quibus postea Sacerdotes Sacrificium offerebant, & Sacerdos generaliter peccata populi confitebatur, hâc vel simili formulâ: Peccavimus, injustè egimus, iniquitatem fecimus, &c. quæ Confessio publica Sacerdotis erat dispositio quædam ad Misericordiam DEI impetrandam, sicut & nos in Completorio, & alias frequenter publicas facimus Confessiones.

X. Confessio non est necessaria de præcepto Ecclesiastico tantùm. Dico Quartò: *Confessio non est necessaria de Ecclesiastico solùm Præcepto.* Videtur esse contra Glossam de Pœnit. d. 5. dicentem: Integram peccatorum Confessionem ex Ecclesiæ universalis consuetudine vel traditione inductam, & nullâ vel veteris vel novi Testamenti authoritate institutam: Glossam sequuntur Panormitanus, & Decius Juris Consult. Verùm

Probatur Primò: Confessio facienda non solùm est de peccatis externis, sed etiam internis, quæ nullo modo ad extra se produnt, ùt patet ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. & Can. 7. Sed nulla potestas humana talem præcipere potest, quia nulla potestas præcipit aliquid, cujus transgressionem punire nequit, omnis enim lex ex Aristot. 4. Ethicorum habet vim coactivam per pœnam, sed super interna non potest quis habere talem vim, *cùm cogitationis pœnam nemo mereatur juxta L. & ff. de Pœnis; & cap. cogitationis de Pœnit. d. 1. ac cap. Si omnia. 6. qu. 1.* Attamen fateor, hanc rationem non esse convincentem, ideò aliter

XI. Rationes ad idem. Probatur Secundò: Nullâ potestate Ecclesiæ potest institui aliquod essentiale, aut pars Sacramenti, sed Confessio est talis pars essentialis in Pœnitentia, ergò.

Probatur Tertiò: Si Confessio esset ab Ecclesia instituta, vix ita unanimiter fuisset ab omnibus Regnis & Provinciis, à Pontificibus & Imperatoribus, à Cardinalibus & Ducibus recepta, cùm hoc præceptum sit valdè arduum, & in difficultate omnia alia superans.

Probatur Quartò: Quia non invenitur tempus, quo Ecclesia tale onus & præceptum imposuerit, ante quod Sancti Viri non putaverint, Præceptum Confessionis non esse necessarium & obligatorium; nam illud cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit.* in quo præcipitur annualis Confessio est Innocentii III. in Concilio Lateranensi editum, cujus sæculum amplius, quàm per 800. annos antecessit Augustinus Doctor Solemnissimus & Prædicator eximius hujus Confessionis, ùt patet in lib. de vera & falsa Pœnitentia, cujus dicta aliqua refert Magister, signanter ex cap. 10. ubi dicit: *Eum, qui vult confiteri peccata sua, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem, qui sciat ligare & solvere &c.* Gratianus quoque eum dist. 5. & 6. de Pœnit. citat, & Magister præcessit Innocentium per 50. annos, quo Innocentius edidit Constitutionem *Omnis*; & tamen Magister determinavit, Confessionem esse necessariam, cujus doctrinam Innocentius contra Joachim Abbatem confirmavit, ùt habetur X. de Summa Trinit. & Fid. Cathol. cap. Damnamus. Hæc ergò determinatio *Omnis*, longè post Magistri determinationem edita est; atque adeò Decretalis non instituit Confessionem, nec præcipit tanquam prius non præceptum; sed tempus quoddam limitat, in quo omitti non debet; determinando etiam quædam alia circa Confessionem. XII. Alia ratio ad idem.

Dico Quintò: *Confessio Sacramentalis hominis lapsi est necessaria de Jure Divino Evangelico.* Ita Doctor, & Fides. Probatur Conclusio ex Concilio Constant. Sess. 8. sub Sixto IV. contra Petrum Oxoniensem dicentem contritum non obligari ad Confessionem; & omnium novissimè ex Trident. Sess. 14. cap. 5. his verbis: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post* XIII. Confessio hominis lapsi necessaria de Jure Divino Evangelico.

Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere: quia Dominus noster JESUS *Christus, è terris assumptus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate Clavium, remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient &c.* Et ibidem Can. 6. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino: anathema sit.*

XIV. Ratio Scoti ad idem. Probatur Secundò: Ratione Scoti hîc dist. 17. Omnes adulti, qui peccato mortali se inquinarunt, tenentur jure Divino pœnitentiam agere, ùt constat ex illo Matth. 4. *Pœnitentiam agite*, & Lucæ 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; sed medium necessarium ad faciendam pœnitentiam, si intendit quis se reconciliare DEO, est Confessio Sacramentalis facta Sacerdoti, ergò. Probatur Minor: Christus instituit Sacerdotes Judices super terram cum ea potestate, ut sine eorum sententia nemo post Baptismum in peccatum lapsus reconciliari posset, ùt patet ex illo Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Sed nequeunt Sacerdotes quorundam peccata dimittere, aut quorundam retinere, nisi utriusque peccata, & dispositiones intelligant, & sciant; atqui intelligere nequeunt, nisi per propriam Pœnitentis Confessionem, ergò talis Confessio est Jure Divino necessaria.

XV. Sed non convincit secundùm eundem. Scotus ipse dicit, hanc rationem sufficienter probare potestatem esse datam Sacerdotibus dimittendi, & retinendi peccata, sed inde non sequi, peccatorem obligari ad subjiciendum se Clavibus, cùm pateat remedium per Contritionem. Contra Nulli committitur potestas judiciaria ferendi sentētiam in causa aliqua, nisi alicui imponatur necessitas se subjiciendi ipsi, sed Sacerdoti committitur à DEO potestas judicandi in causa peccati, ergò imponitur alicui necessitas se ipsum submittendi in aliqua causa, sed nec hæc ratio convincit Scotum.

Undè paulò aliter arguit sic: Quicunque primam gratiam amittit, tenetur de necessitate salutis & præcepto Divino de diligendo DEUM super omnia, & semetipso agere quantum potest ad ejusdem gratiæ recuperationem, sed peccator per peccatum mortale amittit gratiam primam, potéstque eam recuperare per Sacramentum Pœnitentiæ, quod est ad hoc institutum, modò confiteatur peccata sua coram competente Judice, ergò ad hoc faciendum de necessitate salutis & præcepto Divino tenetur. XVI. Alia Ratio Scoti.

Nec valet dicere: Eum posse per contritionem perfectam recuperare primam gratiam: Tum, Quia nec contritio, nec ullus alius actus remittit peccata, aut confert primam gratiam, nisi in voto Confessionis & susceptionis Sacramenti, ergò, ubi adest commoditas, & copia Confessarii, tenetur homo ad ipsam Confessionem: Tum etiam, Quia in procuranda nostra salute tenemur viam certiorem & faciliorem sequi, sed via suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ per Confessionem est certior & facilior ad recuperandam primam gratiam, ergò tenemur illam viam sequi. Minor patet, Quia longè facilius est habere attritionem cum Sacramento, quàm perfectam Contritionem, nec potest ita facilè aut certò constare homini, se habere tàm perfectam Contritionem, ùt sine Sacramento sufficiat ad deletionem peccati, ergò via Sacramenti est longè facilior & certior. XVII. In procuranda salute tenemur viam certiorem & faciliorem sequi.

Hæretici communiter ad nostrum argumentum respondent, Sacerdotem in hac re non esse Judicem, sed Præconem DEI, neque per ullam potestatem absolvere, sed tantùm annuntiare Pœnitentibus remissionem peccatorum, & impœnitentibus damnationem. Sed contra eos

Probatur: Sacerdotes habere potestatem absolvendi, esséque veros Judices, & non solùm Præcones & An- XVIII. Sacerdotes esse veros Judices, ostenditur.

contra Hæreticos. & Annuntiatores : Quia Christus Joann. 20. dedit potestatem & Claves, quas promisit Matth. 16. & 18. quibus solverint aut ligarint Apostoli peccatores, sed Claves non solent dari ad significandum ostium esse clausum vel apertum, sed potius ad aperiendum vel claudendum : sic apud homines Claves solent dari Magistratibus in signum potestatis, & non, ut declarent portas esse clausas vel apertas : Ligare enim & solvere non significant denuntiare vel declarare, sed reipsa vincula injicere & demere.

Dices pro Hæreticis : Etiamsi Sacerdotes acceperint potestatem solvendi atque ligandi, neminem tamen obligari ad accedendum eorum Tribunal, quemadmodum cùm Regum Authoritate Judices publici constituuntur, possunt illi judicare omnes, qui ipsorum opera uti volunt, non tamen coguntur, qui lites habent, ad publicos illos Judices accedere, sed possunt Arbitros eligere, aut etiam ipsi per se causam componere, ergò. Respond. Magnam esse Disparitatem in utroque foro; Nam licèt possint privati homines lites, quas inter se habent, sine publicorum Judicum sententia inter se componere, non possunt tamen eas lites componere, quas cum Regē ipso habent, nisi illum adeant, quem suo loco Rex Judicem esse voluit : atqui peccata nostra sunt causæ, quas cum DEO ipso habemus, & Judicium de iis ferre solis Sacerdotibus concessit, ergò qui habent tales causas sine Sacerdotum Judicio cum DEO reconciliari non possunt.

XIX. Discrimen inter forũ humanum & sacramẽtale.

XX. Confessionem esse Juris Divini ulterius probatur.

Probatur Secundò : Esse Juris Divini; Nam quæ sunt Juris humani, reperiuntur initium sumpsisse ex Concilii alicujus Oecumenici, aut Summi Pontificis Decreto, sed Confessionem peccatorum in Ecclesia fuisse ante omnia Conciliorum, Pontificumque Decreta constat, ergò. Probatur Minor. Nam Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, atque Origenes non solùm primi Generalis Concilii Nicæni tempora antecesserunt, sed etiam omnium aliorum Conciliorum Provincialium, omniumque Pontificum Romanorum, qui de Sacramentali Confessione Sanctionem aliquam ediderunt, scribunt Confessionem fuisse in usu, quorum loca & simul eorum Patrum fusissimè possunt videri apud Bellar. tomo & l. 3. de Pœnitentia.

Quapropter dicendum, inquit Scotus lib. cit. num. 17. est, quod Confessio Sacramentalis sit de Jure Divino positivo, tradito à Christo Apostolis & Ecclesiæ, promulgato per Apostolos absque omni expressa Scriptura, sicut multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos promulgata sibi sine Scriptura : Cujus fundamentum potest esse illud Joan. 20. *Multa quidem & alia signa fecit* JESUS *in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta.*

XXI. Falsum est Nectarium & Chrysostomum abrogâsse Confessionem auricularem, ut vult Calvinus.

Arguit Primò Calvinus ex Tripartita Historia Sozomeni cap. 35. Nectarium Episcopum Constantinopolitanum abrogâsse Confessionem auricularem, seu secretam, quod & confirmavit ejus Successor Chrysostomus. Respond. assumptum esse falsissimum : Historia sic se habet; eo tempore, quò Novatiana hæresis grassabatur, quæ negabat relapsis post Baptismum Pænitentiæ locum, statuerunt Episcopi, ut in singulis Ecclesiis unus prudens & discretus Confessarius eligeretur, cui publici Peccatores modò solitò sua peccata secretò confiterentur, & pro Pœnitentia ea peccata publica, quæ ille mandaret, publicè etiam coram cœtu fidelium dicerent. Contigit autem, ut mulier quædam Constantinopolitana peccata aliqua publica commisisset, quæ, ùt narrat Socrates, qui eodem tempore floruit, Pœnitentiario confiteretur. Pœnitentiarius autem mulieri mandatum dat, ut jejuniis & continuis precibus simul cum Confessione publicâ se occuparet, dum enim illa diutiùs in Ecclesia morabatur post alios, occasionem accepit Ecclesiæ Diaconus, cum ea flagitium committendi; hinc

Diaconus ab Ecclesia ejectus est, & tumultus magnus populi factus; propterea Nectarius ad sedandum populum, Confessionem illam publicam & pœnitentiam meritò abrogavit, permittendo, ut quisque secundùm propriam conscientiam per Confessionem secretam ad Communionem accedat, nec aliud voluit Chrysostomus, ùt patet ex ejus verbis hom. 2. in Psalmum 50. ubi dicit: *Non dico, ut confitearis conservo tuo, & exprobret tibi &c.* Ex sola enim publica Confessione, vel quæ fit non Sacerdotibus, exprobratio sequi solebat, nunquam vocavit Sacerdotem conservum Pœnitentis, aut velle exprobrare publicè delictum, quod in Confessione secretò audivit, unde homil. 4. de Lazaro ait: *Non cogo te in medium prodire theatrum, aut multos adhibere testes, mihi soli dic peccatum privatum.*

XXII. S. Augustinus citatus contra Cõfessionem Sacramentalem, explicatur.

Arguitur Secundò: Ex Augustino lib. 10. Confess. c. 3. *Quid mihi est cum hominibus, qui audiunt Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint languores meos? Curiosum genus hominum ad cognoscendam aliam vitam, desidiosum ad corrigendam suam.* Respond. Ipsum in illis libris agere de Confessione suorum peccatorum ante Baptismum commissorum, quæ in illis libris DEO & hominibus aperit, ut indè cognoscatur, & laudetur Misericordia DEI, non autem de Confessione privata & Sacramentali, quam ipse pluribus in locis commendat, & præsertim lib. 5. Homiliarum, hom. 12. *DEUS noster, inquit, quia pius est & misericors, vult, ut ea confiteamur in hoc sæculo, nè pro illis confundamur in futuro.* Et hom. 49. *Agite Pœnitentiam, qualis in Ecclesia agitur, nemo sibi dicat occultè ago, apud DEUM ago, ergò sine causa dictum est, quæ solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis, ergò sine causa datæ sunt Claves Ecclesiæ, frustramur Evangelium DEI, frustramur verba Christi &c.* Fatemur peccata ante Confessionem actualem per veram cordis Contritionem condonari, sed in voto Confessionis, nec

XXIII. Quo sensu dicant Patres quidã soli Deo esse confitendum.

aliud intendunt SS. Patres, qui dicunt, soli DEO esse confitendum, in abscondito esse lugendum & lachrymandum &c. quàm quòd Confessio publica peccatorum, ex qua sequitur, infamia sit excludenda, non autem privata, quæ fit Sacerdoti vices DEI gerenti.

XXIV. Argumentum Kemnitii contra Confessionem.

Arguitur Tertiò: Ex Kemnitio: Non aliter dedit Christus potestatem Apostolis ad remittenda peccata, nec aliter eos misit, quàm ipse à Patre fuit missus, juxta illud Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, sed Christus sine ulla Confessione maximè auriculari absolvebat à peccatis, ùt patet de Peccatrice, & Paralytico, ergò non debent ejus Ministri exigere à Pœnitentibus singulorum peccatorum enumerationem. Confirmatur Primò: Scrupulosa illa enumeratio peccatorum est in se moraliter impossibilis juxta illud: *Delicta quis intelligit; & iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meum:* & inducit magnam conscientiæ anxietatem, ergò non est credibile, tale onus esse à DEO Pœnitentibus impositum. Secundò: Dura valdè & onerosa videtur Confessio Principibus & Regibus, quibus difficile est Sacerdotibus, qui & ipsi homines sunt, sua peccata quantumvis turpia & arcana, aperire. Denique, si esset necessaria, quid facient captivi Infidelium totâ vitâ, muti, surdi, & idiomatis ignari, quibus tamen ob defectum Confessionis, non est deneganda salus, ergò.

XXV. Eidem respondetur.

Respond. Distinguendo Majorem: quoad officium & finem, concedo Majorem; quoad potestatem, nego Majorem & Consequentiam. Misit ergò Christus Apostolos, sicut ipse fuerat missus à Patre, dando illis potestatem ligandi & solvendi, sicut ipse à Patre acceperat. Similiter ad reconciliandos homines DEO, ad Evangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam &c. tamen ipse Christus habuit potestatem excellentiæ independentem ab omnibus Sacramentis; Potestas verò Apostolorum & Sacerdotum est ministerialis

lis tantùm, & dependens à Sacramentis sensibilibus.

XXVI. Qualem diligentiam exigat Ecclesia ad confitenda peccata. Ad Confirmationem primam respond. Nec DEUM, nec Ecclesiam aliud à nobis exigere in proposito ad confitenda peccata, quàm moralem aliquam diligentiam, qualem homines in aliis rebus, quæ ipsis curæ sunt, solent adhibere, in reliquis autem, quæ diligenti memoriæ non occurrunt, ut oremus cum Psalmista: *Ab occultis meis munda me Domine.*

XXVII. Utilitates Confessionis. Ad secundam Confirmationem dico, non esse onerosum aut durum piis, & DEUM timentibus Principibus sua peccata coram Sacerdote vices DEI gerente aperire, quod si frigidis aut tepidis id appareat durum, ponderent plurimas utilitates, quæ inde sequuntur. Primò enim DEUS non extorquet Confessionem more Judicum hujus sæculi, ut condemnet, sed instar Medici, ut curet. Secundò: Æquum est, ut qui turpia impudenter commisit, ea confitens ruborem ferendo non nihil humilietur, cùm hic ipse rubor sit quædam satisfactio. Quid erubescimus peccata nostra uni privato homini ad strictissimum sigillum obligato aperire, quorum nihil occultabitur in die Judicii? Deinde plurima, quæ per Judices in foro externo nunquam emendari potuissent, facillimè in hoc foro corriguntur, dum restituuntur ablata, dimittuntur injuriæ, pacificantur discordiæ, dissolvuntur varii Contractus illiciti, &c.

XXVIII. An & qualiter Captivi, surdi, muti obligentur ad Confessionem. Ad Ultimum dico, Captivos illos, si nullo modo habere possint copiam Confessarii, debere se juvare per actum Contritionis, nec in tali casu teneri ad Confessionem, quæ supponitur ipsis impossibilis. Si muti, vel surdi possunt scribere, tenentur scriptò confiteri. Si verò non possint, confiteantur per nutum & signa, quod & facere tenentur ignoti idiomatis, casu, quo nullum Sacerdotem proprii idiomatis invenire possint.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quando & quos obliget Præceptum Divinum Confessionis.

I. Pueri, amentes & rationis incapaces, habentes sola venialia, non obligantur præcepto Confessionis. Supponitur Pueros, amentes, & incapaces rationis non obligari hoc præcepto, neque habentes sola venialia: Quia pœnitentia est secunda tabula post Naufragium, sed per venialia nullus naufragatur. Tota ergò Quæstio est de adultis peccatoribus, quorum aliqui sunt fideles Christiani, Hæreticorum alii infideles, & nullo modo baptizati: Quæritur ergò de utroque cœtu hominum, an & quando teneantur ex Præcepto Divino ad Confessionem?

II. Quivis adultus conscius peccati mortalis tenetur Jure Divino confiteri in articulo mortis. Dico Primò: *Quivis Adultus conscius sibi peccati mortalis tenetur Jure Divino confiteri, non solùm in articulo mortis, sed etiam quoties Eucharistia est sumenda, si adsit copia Confessarii.* Est communis Theologorum quoad baptizatos. Probatur Prima Pars. Quivis in articulo mortis conscius sibi peccati mortalis tenetur Jure Divino, & sub periculo æternæ damnationis se ponere in statu gratiæ, & in eo ex hac vita recedere, sed non potest inducere talem statum sine Confessione habitâ copiâ Confessarii, ergò. Probatur Minor: Quia nec actus Contritionis, aut ullus alius potest remittere peccatum, aut infundere gratiam sine voto & obligatione confitendi peccata, sed existens in articulo mortis non habet postmodum tempus, quo huic voto satisfaceret, ergò sub periculo damnationis, si adest commoditas, tenetur confiteri.

III. Per articulum mortis quid intelligatur. Per articulum mortis intelligunt Authores probabile periculum mortis secundùm judicium Prudentûm, ut cum aliquis ingreditur periculosam navigationem, publicum conflictum, cùm mulier tenera & debilis primò parit, vel solet habere partus difficiles, cùm per sententiam aliquis adjudicatur morti, hinc in jure communi cap. *Cùm infirmatur.*

tur. cautum est, ut cùm vocatur Medicus ad curandum infirmum, priusquam corporis curationem incipat, moneat infirmum ad faciendam Confessionem sive per se, sive per alium discretum Virum.

IV. Conscius peccati mortalis Jure Divino tenetur confiteri, quoties sumenda est Eucharistia, si adsit copia Confessarii.

Secunda Pars colligitur ex Trid. Sess. 13. Cap. 3. *Cùm*, inquit, *illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus, qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Evcharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris; quòd si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Et ibidem Can. 11. contrariam sententiam tenentem, docentem aut prædicantem excommunicat. An autem in administratione vel susceptione aliorum Sacramentorum teneatur Sacerdos peccator ad Confessionem Sacramentalem habitâ copiâ Confessarii, litigant Doctores pro & contra, & pertinet ejus discussio ad materiam de Sacramentis in Communi, quo recurrant, qui volunt. Sed contra Conclusionem

Arguitur. Ex Conclusione sequeretur, Infideles nondum baptizatos teneri ad Confessionem, cùm sint Adulti, sed hoc est falsum, nam sunt extra Ecclesiam, & hoc Sacramentum juxta Tridentinum Sess. 14. C. 5. est institutum pro lapsis post baptismum. Variant hìc Authores: pro responsione

V. Infideles nondum baptizati obligantur

Dico Secundò: ***Etiam Infideles nondum baptizati obligantur hoc præcepto.*** Hoc supponit Scotus suprà num. 10. quem sequuntur inter suos Adrianus, Richardus, Angelus, & alii contra Sotum, Medinam, Suarem, & Recentiores communiter. Jure Divino ad Confessionem.

Probatur Primò: Lex Evangelica promulgata est tàm Fidelibus, quàm Infidelibus, sicut & Remedia illius legis, qualia sunt Sacramenta, & eorum præcepta, ergò comprehendit tàm Fideles, quàm Infideles. Probatur Consequentia. Ad obligationem Legis, aut præcepti universalis affirmativi, non requiritur, ut omni tempore, statu, aut circumstantiis adimpleatur, sed in circumstantiis determinatis, quando occurrunt, sed hoc non tollit, quin aliquis obligetur ad talem legem, licèt non occurrant circumstantiæ, in quibus adimpleri debeat, ergò potest stare obligatio Legis & Præcepti, quamvis ad exercitium actûs non obliget, nisi particularis illa circumstantia occurreret. Probatur Minor: Ex Lege Naturæ quilibet tenetur succurrere proximo extremè indigenti, dum potest, etiamsi casus nunquam occurrat: Similiter quisque tenetur pro Republica vitam & bona exponere, quamvis necessitas determinata, in qua tenetur, ad hæc in exercitio non occurrat; ergò obligatio Legis non tollitur, quamvis particularis circumstantia operis perficiendi non occurrat, ergò similiter Lex Evangelica obligat infidelem, licèt non ad actum lege præscriptum pro statu Infidelitatis retentæ, & per Consequens obligat ad Confessionem.

VI. Item alterius probatur.

Probatur Secundò: Præceptum sumptionis Evcharistiæ obligat infidelem juxta Adversarios, ita, ut ante Baptismum obligationem habeat, quamvis eam adimplere nequeat, nisi post Baptismum, ergò similiter præceptum de Confessione. Solus Sotus ex Adversariis negat Antecedens; sed malè: Quia Christus Infidelibus nondum baptizatis dixit. Joan. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis &c.*

VII. Instantiæ responderur.

Dices: Cum Suaretz & Vasquetz negando paritatem: Quia Infidelis

fidelis susceptô Baptismô potest sumere Eucharistiam, Pœnitentiam verò non, ob defectum materiæ, nisi ulterius peccet, ad quam nullâ lege tenetur. Respondetur Primò Replicando: Pœnitentia obligat aliquando non habentes peccatum, v. g. qui jam verè est contritus, adhuc tenetur ad susceptionem Sacramenti.

VIII. ia adhuc ponsio.

Respond. Secundò: Sicut Præceptum Eucharistiæ obligat infideles in actu signato, quamvis non in exercito, nisi adimpleatur conditio prævia, nempè susceptio fidei & Baptismi in adulta ætate: Sic etiam Præceptum Pœnitentiæ obligat infideles suppositô Baptismô, & materia ipsius Pœnitentiæ, nempe peccato actuali mortali post Baptismum commisso, sed hoc sufficit ad obligationem: nam non aliter obligat fideles, quos secundùm omnes, non obligat in exercitio, nisi supponatur peccatum tale.

Unde si hæc Ratio eximit Infideles ab obligatione Præcepti Pœnitentiæ, eò quòd in tali statu non possent habere actum, per quem adimpletur Præceptum eodem tramite eximendi sunt ab ejus obligatione fideles justi pro statu Justitiæ, quod nullus dicet; sic etiam eximendi sunt infideles à præcepto restitutionis, modò non retineant rem alienam. Imò nullæ Leges præscribentes actum cum particularibus Circumstantiis habent rationem stabilis Legis aut Obligationis, quando non occurrunt Circumstantiæ particulares, in quibus ex præscripto Legis actus exexceri debet, quod videtur absurdum.

IX. x Evanlica oms obli-t, licèt as præcei non deât à quos in quos statu erceri.

Hinc ergò patet: Quod sicut Lex Evangelica data est Viatoribus omnibus, sic etiam obligat omnes Viatores, quamvis actus Præcepti non à quolibet in quocunque statu suo exerceri valeant aut debeant. Sic fidelis in statu mortalis peccati existens obligatur ad sumendam Eucharistiam, quamvis prius debeat confiteri habitâ copiâ Confessarii; sic Infidelis tenetur ad Confessionem obligantem ex Lege Divinâ, licèt prius debeat suscipere Baptismum, & postea habere materiam Absolutionis.

Arguit Suarez: Confessio non præcipitur Jure Divino, nisi quatenus est necessaria, sed non est necessaria Infidelibus, ergò. Minor patet: Quia possunt justificari solo Baptismo. Respond: Negando Minorem: Nam in Baptismo virtualiter impletur Præceptum Confessionis, si nullum peccatum post Baptismum committitur, & sic licèt Confessio actualis in illo statu illis non sit necessaria, est tamen virtualiter in Baptismo contenta. Nam Potestas DEI, qui tulit Legem, extendit se ad omnes homines totius Communitatis rationis capaces.

X. In Baptismo virtualiter impleatur præceptum Confessionis.

Dices: Tridentinum Sess. 14. Cap. 1. & 4. dicit, Confessionem post Baptismum omnibus lapsis Jure Divino esse necessariam, ergò supponit lapsis ante Baptismum non esse necessariam. Probatur Consequentia: Quia peccata ante Baptismum commissa non sunt materia hujus Sacramenti, aut delebilia per ipsum, ergò obligat tantùm post Baptismum. Respond. negando Consequentiam: vel distinguendo Consequens: Quantùm ad exercitium actûs, concedo Consequentiam; quantùm ad obligationem Legis universaliter latæ pro tota Communitate adultorum hominum, nego Consequentiam; ejusque probationis Consequentiam per eandem Distinctionem. Aliud est Legem obligare, aliud teneri ad actum Legis præstandum, qui exigit particulares Circumstantias ad sui exercitium, ùt patet in justo fideli, à quo non removetur obligatio Confessionis, licèt defectu materiæ ipsum non obliget ad exercitium.

XI. Confessiò lapsis antè Baptismû non est necessaria, quoad exercitium actûs, benè tamen quò ad obligationem Legis universaliter latæ.

Ex quo sequitur, non rectè excludi Obligationem hujus Legis, quæ Evangelica & universalis est, ab Infidelibus, aliàs essent Fideles deterioris conditionis, quàm Infideles,

fideles, qui ob incapacitatem culpabilem illorum non habent materiam pro eo statu. Deindè etiam juxta Adversarios ante Baptismum nequeunt communicare, & nihilominus tenentur ad susceptionem Eucharistiæ, ergò similiter in proposito.

XII. Cur ad præcepta Religionis non teneatur, nisi professus, infideles autem teneantur ad præcepta ante Baptismum.

Dices: Nemo tenetur ad Præceptum Religionis, nisi voverit ingressum illius, antequam sit professus in tali Religione, ergò licèt Infideles teneantur ad suscipiendam Fidem, non obligantur ad alia Præcepta, antequam ingrediantur Religionem Christianam, quod non fit nisi in Baptismo. Respond. negando Consequentiam; Maximè si sint media necessaria ad salutem. Disparitas est, quòd Præcepta Religionis sint humana & Ecclesiastica, quæ non obligant, nisi subditos, sic Infideles eximuntur à similibus, uti innuit Apostolus dicens: *Quid mihi est judicare de iis, qui foris sunt.* Præceptum autem Confessionis est Divinum, & obligans omnes homines ratione utentes, sive sint Fideles, sive Infideles, cùm ambo sint subditi Domini Dei.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quando Præceptum Confessionis obliget jure Ecclesiastico?

I. Præceptum Divinum Confessionis etiam obligat aliquoties in vita.

Supponunt Doctores communiter Præceptum illud Divinum Confessionis Sacramentalis non solùm per se loquendo obligare in articulo mortis, sed etiam aliquoties in vita; tamen, quia in ipso Jure non determinavit CHRISTUS, quo determinato tempore obliget; Videndum, quid circa hoc statuit Ecclesia. Licèt enim in Pontifice Romano non sit potestas instituendi Sacramenta, vel ea quoad substantiam mutandi, est tamen in eo potestas statuendi vel mutandi, quæ salvâ Sacramentorum substantiâ, & suscipientium utilitati, & ipsorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaverint, ut docet Tridentinum Sess. 21. Cap. 2. Quæritur ergò, quid Ecclesia statuerit circa tempus, quo Præceptum illud Divinum determinatè obligat.

Dico Primò: *Jure Ecclesiastico tenentur Fideles sua peccata ad minus semel in anno confiteri, tamen probabilius est, Ecclesiam præcepisse tempus tantum Confessionis exequendæ, non verò ipsam simpliciter Confessionem.* Prima Pars traditur expressè in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Idem statuit Tridentinum Sess. 14. cap. 5. & Can. 8. *Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam à Piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexûs Fideles, juxta Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno, &c. anathema sit.* Quod autem hìc sit Præceptum & non Consilium, ut dixerunt Durandus & Turrecremata, patet, Tum ex communi consensu Theologorum & Fidelium: Tum etiam ex gravi pœna apposita Transgressoribus sub privatione Ecclesiasticæ sepulturæ, & privatione ab ingressu Ecclesiæ &c. II. Jure Ecclesiastico tenentur fideles semel saltem in anno confiteri.

Secunda Pars est Scoti suprà, quem sequuntur Chanus, Suaretz, & alii contra Adrianum. Probatur ex Tridentino Sess. citatâ, ubi dicit: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut CHRISTI Fideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium & institutum intellexerat, sed ut Præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur &c.* ergò non præcipit obligationem absolutè ad Confessionem, sed ut obligationi Juris Divini satisfaciat; III. Probabilius Ecclesia præcepit tempus tantùm Confessionis exequendæ, non ipsam simpliciter Confessionem.

ergò

ergò solùm tempus determinavit,& hoc ipsum indeterminatè.

Arguitur contra secundam Partem: Confitendo semel in anno non satisfacit quis Præcepto Divino, ergò de Confessione hic est præceptum Ecclesiasticum. Probatur antecedens: Præceptum Divinum Confessionis tantùm per se obligat in articulo mortis, vel simili casu, sed satisfaciendo huic Præcepto non satisfacit Præcepto Confessionis in articulo mortis, cùm adhuc non obstante Confessione annuâ, ad id teneatur in articulo mortis, ergò Respond. Negando Consequentiam,& antecedens, cujus probationis majorem distinguo; obligatione, quæ Jure Divino determinat sibi tempus, transeat Major: obligatione, quæ non sic determinat, & cui satisfieri possit pro aliquo tempore indeterminato ante mortem, nego Majorem. Duplex est Confessionis obligatio, una in articulo mortis,& alia,quæ nullum sibi determinat tempus ante mortem, hanc obligationem limitavit Ecclesia, & ei in proposito satisfit, & non in priori. Sed aliqui negant, Ecclesiam protulisse unum Præceptum pro Confessione annuâ distinctum à Præcepto Confessionis, cum quibus

IV. Duplex est obligatio Confessionis, una in mortis articulo, alia, quæ nullũ tempus ante mortem determinat.

Arguitur Secundò contra primam Partem: Non potest Ecclesia præcipere, quod sub ipsius judicium cadere non potest, sed Confessio omnium peccatorum nequit cadere sub judicium Ecclesiæ, ergò. Probatur Minor: Vel peccata sunt merè interna,& hæc sub judicium Ecclesiæ, quæ interna hominum secreta non noscit, cadere non possunt: Vel si sunt externa,saltem Ecclesiæ constare non potest, an ea fideles confiteantur, cùm actus Confessionis sit occultus & secretus. Hæc quidem objectio magis pertinet ad materiam de Actibus humanis, & Legibus, quàm huc. Respondetur tamen distinguendo Minorem: Directè & quatenus peccata sunt purè interna, concedo Minorem: Indirectè & quatenus conjunguntur cum actu Confessionis externæ, qui directè præcipitur, nego Minorem, & Consequentiam. De hoc aliter suo loco.

V. Quomodo peccata interna cadant sub judicium Ecclesiæ.

Hic plura occurrunt dubia; Et Primò: Quo tempore anni teneamur ad Confessionem? Quantus & qualis sit annus discretionis? An Ecclesia possit præcipere Confessionem venialium? An satisfaciat Præcepto Ecclesiæ, qui fictè & invalidè confitetur? Quantùm ad Primum

Dico Secundò: *Ecclesia non determinavit suo Præcepto aliquod certum tempus intra annum, quo impleri debeat Confessio; unde in quacunque parte anni quis confitetur, illi satisfacit.* Ita communior Theologorum contra Sotum, & Medinam, existimantes obligare determinatè in Quadragesima seu Paschate. Probatur: Quia caput *utriusque sexûs* solùm præcipit Confessionem semel in anno, sed quocunque die intra unius anni circulum quis confitetur, verum est, quòd confiteatur semel in anno, ergò. Minor patet; Nam si alicui præciperetur, ut rosarium saltem in die legat, qualibet hora diei legendo satisfaceret, ergò similiter in proposito.

VI. Quacunq; parte anni quis confiteatur, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Arguitur: Tridentinum loco proximè citato dicit: *Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum Fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ &c.* Ergò tempus determinatum confitendi est Quadragesima. Respond. Negando Consequentiam: vel distinguendo Consequens: Tempus determinatum necessarium,nego Consequentiam. Tempus determinatum, quo commodiùs ordinariè fit Confessio, concedo Consequentiam: Quia illa consuetudo non est directè ex præcepto Confessionis orta, neque propter Confessionem introducta, sed propter Communionem Paschalem, qualem necessariò debet præcedere Confessio,si aliquis sit inquinatus peccato mortali.

VII. Consuetudo confitendi in Quadragesima cur introducta?

Dices: Consuetudo per decennium servata cum tacitô consensu

Principis obtinet vim legis, & obligat ad sui impletionem, sed Consuetudo confitendi tempore Quadragesimæ incepit ab ipso tempore, quo latum fuit præceptum de confitendo semel in anno, & communicandi saltem in Paschate, cui consuetudini omnes Pontifices tacitè consenserunt, hoc ipso, quod illam videntes approbarunt, uti fecit non solùm Tridentinum, sed etiam Sixtus IV. in Extravaganti: *Vices illius* de Tregua & pace; ubi præcipit Mendicantibus, ut desistant prædicare, Parochianos non teneri confiteri proprio Parocho in Paschate, ergò illa consuetudo obtinet vim legis, & obligat ad sui expletionem.

VIII. Illa consuetudo non incipit ratione sui. Respondetur distinguendo Minorem: Illa Consuetudo confitendi incipit ratione Communionis, transeat Minor: Quia ad dignè sumendam Eucharistiam Jure Divino facienda est Confessio, ubi est peccati mortalis conscientia. Ratione sui, nego Minorem. Aut Pontifices approbavêre hanc Consuetudinem independenter à Præcepto Communionis, sed si toto anno non confiteatur quis, datâ prima opportunitate, secundùm communiorem sententiam Doctorum talis postea tenetur confiteri, quia tempus annuum non est Confessioni præfixum, ut eo transacto extingueretur obligatio, sed nè ultra id tempus Confessio differatur, sicut in solutione debiti non præfigitur tempus ad finiendam obligationem, sed potiùs ad urgendam solutionem, & nè solutio absque Creditoris consensu ultra tempus præfixum differatur.

IX. Qui toto anno non confitetur, tenetur postea datâ primâ opportunitate confiteri.

X. Cur omittens Sacrũ audire die festo non obligetur datâ primâ opportunitate, sic verò obligetur non cõfitens ad Confessionem. Dices iterum: Omittens Sacrum audire in die festo, amplius non tenetur audire Sacrum data opportunitate primâ, ergò etiam in proposito. Respond. Negando Consequentiam: Quia Disparitas est, quòd Missa præcipiatur ut particularis cultus illius diei, & sic ejus obligatio cum ipso die transit, non sic in proposito; sed præcipitur Præcepto affirmativo Confessio annua, & ulteriùs ne differatur ultra annum, quod est quasi negativum præceptum.

Deindè dato, hanc obligationem non oriri ex natura præcepti, potest tamen desumi ex ratione Censuræ annexæ, à qua nemo absolvitur, nisi peractâ Confessione. Regula enim generalis est, pœnam non tolli sine congrua satisfactione, quæ in proposito est tantùm completio operis, seu Confessionis. Illa unica Confessione satisfacit præcepto utriusque anni, modò peccata utroq; anno commissa in Confessione aperiantur, secùs verò, si sola peccata prioris confiteretur.

XI. Prævidens moraliter se non habiturum occasionẽ confitendi tenetur eam anticipare datâ opportunitate. Addunt Doctores, prævidentem moraliter certò se non habiturum opportunitatem confitendi tota reliqua parte anni, aut fortassis totâ vitâ suâ teneri ad præveniendam Confessionem oblatâ opportunitate. Ratio est; Quia talis voluntariè se tunc exponeret periculo evidenti moraliter non implendi præceptum, ad quod tenetur, sicut qui prævidet se posse legere Vesperas post prandium, tenetur tempus anticipare, quamvis contrarium probabiliter etiam probent Authores. Ad satisfaciendum secundo dubio ratione puerorum

XII. Pueri ante annum duodecimum si conscii sint peccati mortalis, & sciant discernere inter bonum & malum morale, obligantur utroque Jure ad Confessionem. Dico Tertiò: *Pueri ante annum duodecimum, si conscii sint peccati mortalis, & sciant discernere inter bonum & malum morale, obligantur utroque jure ad hoc Sacramentum.* Ita Bonacina cum multis aliis, quos citat, est contra Antoninum, & alios existimantes, tales ante annum 12. vel 14. non pervenire ad annos discretionis.

Probatur Primò: Quia certum est, Ecclesiam sentire aliquem ad annos discretionis pervenire ante annum 12. vel 14. cùm sentiat sponsalia ante illam ætatem inita esse valida, si malitia suppleat ætatem.

Probatur Secundò: Quia deprehenduntur sæpiùs ante illam ætatem peccare, ut patet ex *Cap. de delictis puerorum*, ubi dicuntur impuberes præter vitia carnis alia peccata com-

committere posse; quis non audeat affirmare furta, mendacia, & perjuria non esse peccata, quibus plena est puerilis ætas, unde Gregorius in Dialogo, ùt citat Glossa, refert puerum quinque annorum damnatum fuisse ad mortem propter sua crimina, ergò tales doli sunt capaces, & consequenter Præcepti Confessionis, cùm Lex neminem excipiat, & in pueris habeatur necessitas, sicut & in aliis Peccatoribus.

XIII. *Etiam pueri tenentur præcepto Communionis.*

Arguit Soto: Pueri tàm citò non tenentur Præcepto Communionis, ergò nec Confessionis. Confirmatur: Ante illum annum non tenentur Pœnis & Censuris Ecclesiasticis, ergò nec Præceptis. Respond. Negando antecedens: Nam colligitur ex his verbis Cap. *Omnis utriusque sexus* de Pœnit. & Remiss. quæ de sola Communione dicuntur: *Nisi de proprii Sacerdotis arbitrio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi receptione duxerit abstinendum*, ergò nisi impediatur à Sacerdote, tenetur, quia exceptio firmat Regulam in contrarium.

XIV. *Prudentis Confessarii est discernere, an Puer habeat sufficientẽ Discretionem.*

Prudentis Confessarii est discernere, an Puer habeat sufficientem discretionem, nec nè; Quia quod Pueri hâc Lege teneantur, non tam ex annis, quàm ex discretione & instructione circa hoc Mysterium pendet, licèt regulariter completo septennio usus rationis habeatur; unde vix certa Regula assignari potest, quàm illa, quam assignat Scotus hic d. 13. n. 18. ostendendo modum discernendi usum rationis completum, nempè quando instructus respondet ordinatè ad interrogata, & percipit distinctè, quid sit justum & injustum in Lege Divina.

XV. *Etsi pueri ante annũ 12. non tenerentur ad Communionẽ, tenerentur tamen ad Confessionem.*

Respondetur Secundò: Negando Consequentiam: Quia major reverentia requiritur ad suscipiendam Evcharistiam, quàm ad Absolutionem, adeóque major ætas & discretio. Ad Confirmationem potest negari antecedens; Quia Cap. *Pueris de sententia Excommunicationis*. Puer excommunicatur pro injectione manûs in Clericum, licèt mitigata sit pœna. Verùm ante pubertatem probabile est, nullam incurrere pueros Censuram, nisi expresè includantur, quia odia sunt restringenda, & benignitas Ecclesiæ amplianda, quæ teneram ætatem non vult tàm rigorosè punire, sicut alios provectioris ætatis, unde ob hanc rationem concesso antecedenti potest negari Consequentia.

XVI. *Pueri antẽ pubertatẽ non incurrunt Censuras.*

XVII. *Ecclesia potest præcipere Cõfessionem venialium.*

Dico Quartò: *Ecclesia potest præcipere Confessionem venialium, licèt probabilius sit, id hactenus non præcepisse.* Prima Pars est contra Sotum, & alios. Probatur: Quia confiteri venialia est actus virtutis, ergò potest cadere sub præcepto Ecclesiæ, cùm hujus Sacramenti usus sit salutaris, & summè expediens ad vitæ Christianæ profectum. Confirmatur: Quicunque voveret singulis Dominicis se confessurum, tenetur confiteri, etiamsi non haberet alia, quàm venialia peccata, ergò non est contra naturam hujus Sacramenti aliquem adstringi ad Confessionem venialium, & consequenter, qui ex Præcepto Ecclesiæ tenetur confiteri ea, actum virtutis obedientiæ exerceret.

XVIII. *Sed probabilius eam hactenus non præcepit.*

Secunda Pars est communis: & Scoti loco citato, ubi dicit: *Dico igitur, quantum capio ex Statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad Confessionem venialium in quocunque statu.* Ratio est: Quia nullum planè exstat Præceptum, aut consuetudo vim Præcepti habens, ùt patebit solvendo objectiones.

XIX. *Ecclesia si præciperet Confessionẽm venialium, non mutaret materiam Sacramẽti.*

Arguitur Primò contra primam Partem: Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti, ergò nec de materia libera facere necessariam. Respond. Negando Consequentiam: Quia hoc non est mutare materiam, sed tantùm efficere, ut in defectum materiæ absolutè necessariæ, hæc sufficiens materia subjiciatur. Si verò Ecclesia præciperet, ut hæc sola subjicerentur Clavibus, fortassis mutaret materiam; sed negatur Ecclesiam hoc fecisse. Benè quidem potest hanc materiam subjicere Clavibus propter Cultum & Reverentiam

tiam ipsius Sacramenti, nè usus aboleatur.

XX. Ecclesia possèt præcipere Confessionem venialium, etiam sub mortali. Dices : Saltem aliter non potest, quàm sub veniali præcipere similium Confessionem, quia obligationis mensura debet ex materia desumi, quæ hìc est levis. Concedunt aliqui, sed nos negamus assumptum: Quia etiamsi Confessio venialium præsente aliâ materiâ gravi sit res levis, quatenus tamen necessaria ad usum & exercitium hujus Sacramenti, est res gravis; Si enim ex usu Religionis nemo confiteretur, nisi conscius peccati mortalis, facilè irreperet contemptus Sacramenti Pœnitentiæ, ideò ne talis contemptus perniciosus invalescat, ipsa Confessio facienda est materia gravis in talibus circumstantiis.

XXI. Benedictini non tenentur cõfiteri venialia sub culpa. Arguitur Secundò : Contra secundam Partem : Clementina. *Ne in agro Dominico :* præcepit Fratribus S. Benedicti, ut singulis mensibus confiteantur, ergò sæpius tenentur venialia confiteri, si alia non occurrant ex Præcepto Ecclesiæ. Respond. Negando assumptum : Quia est tantùm regularis constitutio ad pœnam potiùs obligans, quàm ad culpam.

XXII. Non satisfacit Præcepto Divino aut Ecclesiastico, qui fictè & invalidè confitetur. Dico Quintò : *Non satisfacit huic Præcepto Divino aut Ecclesiastico, qui fictè & invalidè confitetur.* Est communis. Et probatur Primò ex verbis Lateranensis Concilii 3. Conclusione, ubi dicitur, quòd omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteantur, sed Confessio ficta & invalida non est fidelis, ergò. Secundò : Non alia Confessio per Ecclesiam præcipitur, quàm quando est Præceptum Divinum adimplendum, juxta Tridentinum suprà, nam Ecclesia præscribit tantùm tempus, quo Præceptum Divinum est adimplendum, sed Præcepto Divino non satisfit per Confessionem invalidam : Quia semper manet obligatio peccata confitendi ritè & fideliter, aliàs nunquam sequeretur reconciliatio cum DEO, ergò.

XXIII. Ecclesia potest saltem indirectè præcipere actum internum. Arguitur : Ecclesia solùm externum actum Confessionis præcipere potest, sed talem habet invalidè confitens, ergò. Respondetur Primò, negando. Secundò, distinguendo Majorem : directè transeat Major : indirectè nego Majorem & Consequentiam, quia sicut potest præcipere susceptionem Sacramenti, ita & media interna ad hoc simpliciter necessaria.

Dices : Ergò qui inculpabiliter & ex oblivione naturali aliquod peccatum in Confessione omittit, non satisfacit Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis. Probatur Consequentia. Præcepto Ecclesiæ non satisfit, nisi etiam satisfiat Præcepto Divino, sed talis non satisfacit Præcepto Divino, cùm teneatur, dum de illis recordatur, confiteri. Respond. negando Consequentiam, cujus probationis minorem distinguo : Prout hic & nunc, seu in articulo mortis obligat, nego minorem; quia facit, quod est moraliter possibile; Prout obligat pro tota vita, & occurrente memoriâ peccati, transeat Minor : Quia adhuc manet obligatio Juris Divini aliquo tempore, quo recordatur sui peccati, illud confitendi, licèt non ex Præcepto Ecclesiæ illo anno. XXIV. Inculpabiliter omittens in Cõfessione peccatum, satisfacit Præcepto Ecclesiastico.

XXV. Præceptum Divinum Confessionis latiùs patet quàm Ecclesiasticum. Hinc latiùs patet Præceptum Divinum Confessionis, quàm Ecclesiasticum ; Unde quoties quis bonâ fide Sacramentum in re invalidum suscipit, excusatur ab omni obligatione, & Præcepti transgressione ; durante bonâ fide, tamen si contrarium veniat in ipsius memoriam, tenetur adhibere remedium.

QUÆSTIO QUARTA.

An Confessio Sacramentalis debeat esse integra?

UT Confessio sit Sacramentalis, aliquot Conditiones essentialiter exigit, aliquot ad melius esse, quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis, Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,

Inte-

Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

I. Conditiones Confessionis. Has Conditiones numerant Doctores absque ordine, easque, quae sunt essentialiter requisitae, videbimus inferius. Dicitur *simplex* absque superfluitate verborum: *Humilis* cum subjectione. *Pura*, non ad pravum finem. *Fidelis*, sine fallacia aut deceptione. *Frequens*, quoad devotos & perfectos. *Nuda*, non verborum obscuritate palliata. *Discreta*, non nimium descendendo ad Circumstantias non necessarias. *Libens*, non formidine poenae. *Verecunda*, de turpitudine peccati. *Integra* quoad numerum peccatorum & speciem. *Secreta*, ut communiter fit in occulto. *Lachrymabilis*, cum Contritione vel Attritione competenti, *Accelerata*, hoc est, quàm primum potest fieri. *Fortis*, nihil ex timore vel pudore omittendo. *Accusans*, non quaerendo excusationes in peccatis. *Parere parata*, in iis, quae prudens Confessarius mandat. Difficultas est de duabus, nempe ut sit *Integra* & *Secreta*; an sint essentialiter requisitae; De prima in hac quaestione, pro qua

II. Quid integritas materialis & formalis. Notandum: Duplicem in proposito assignari integitatem, una dicitur *Materialis*, alia *Formalis*. *Materialis* comprehendit omnia mortalia nondum legitimè confessa. *Formalis* est, quae etsi non comprehendat omnia mortalia nondum confessa, comprehendit tamen ea, quae hic & nunc juxta praesentes Circumstantias potest Poenitens commodè confiteri, talis reperitur in Confessionibus extraordinariis, quae fiunt tempore Naufragii, venenatae pestis, imminentis pugnae, aut similis necessitatis, ut quando sine gravi periculo aut damno proprio, vel tertii, non potest quis omnia peccata confiteri. Solet etiam attendi integritas in *specie*, *in numero*, *in qualitate*, & *circumstantiis* peccatorum, de quibus suo ordine & loco. Nunc praecisè in hac quaestione agam de Integritate Confessionis quoad numerum.

Adhuc in actu peccaminoso duplex considerari potest species, una *Physica*, altera *Moralis*. *Physica*, quae singulis actibus inest, quatenus quaedam entitates sunt. *Moralis*, quae inest actui vel omissioni ex difformitate ad hanc vel illam legem in genere moris. Potest autem eidem entitati actûs inesse multiplex malitia moralis in specie diversa, & diversis entitatibus una malitia. Exemplum primi: Titius unico actu physico cōcupivit tres foeminas, quarum una est Virgo, altera Maritata, tertia Religiosa: Hic unus actus includit tres malitias morales specie distinctas, ut stuprum, adulterium, & Sacrilegium. Exemplum secundi habetur in multis actionibus, quae praecedunt & ordinantur ad actum carnalem, & in eo, qui venenosas herbas quaesivit, concoxit, distillavit, miscuit poculo, ut inimicum intoxicaret, ubi plures actus specie physicâ distincti inveniuntur, unica tamen malitia moralis. His visis III. In uno actu physico potest esse multiplex malitia moralis specifica. IV. Et in multis actibus physicis una malitia.

V. Ad Confessionem validam per se requiritur, & sufficit, omnia mortalia quoad speciem moralem & numerum post diligens examen occurrentia aperire. Dico Primò: *Ut Confessio sit valida per se loquendo, requiritur, & sufficit, quod omnia peccata mortalia, quoad speciem moralem & numerum post lapsum commissa, & nondum confessa, quae post diligens examen conscientiae occurrunt memoriae, in Confessione aperiantur.* Est communis sententia Theologorum, & traditur expressè in Florentino: *Secunda*, inquit, *quasi pars Sacramenti Poenitentiae est oris Confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti integraliter confiteatur.* Et Tridentino Sess. 14. c. 5. & Can. 7. ubi definitur, Confitenda esse omnia & singula peccata mortalia, quorum memoriam Poenitens habet post diligentem sui discussionem, etiamsi occultissima sint. Ratio est: Quia hoc est Sacramentale Judicium, quod super cognita Sacerdos ferre debet; aequitas enim judicii integram Confessionem delictorum postulat, ut poena, VI. Ratio ad idem.

quam

quam Judex imponere debet, delicto proportionetur.

VII. Unũ mortale non dimittitur ordinariè sine alio. Confirmatur. Finis & scopus hujus Sacramenti est remissio peccatorum, infusio gratiæ sanctificantis, & reconciliatio cum DEO, sed nullum peccatum mortale potest de lege ordinaria sine alio mortali, cujus est conscius Pœnitens, remitti; nam impium esset à DEO dimidiam sperare veniam, sed qui scienter retinet aliquod peccatum cognitum, quod in Confessione non aperit, præter Sacrilegium, quod committit, dimidiam à DEO sperat veniam, ergò ut Confessio sit valida, aut cum fructu sequatur absolutio, aut non convincatur de sacrilegio Pœnitens, debet omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, proferre, & quæ potest, aut judicat prudenter fore proferenda, quoad speciem & numerum aperire.

VIII. Confessarius ut Medicus debet cognoscere omnes morbos animæ. Confirmatur Secundò: Hoc Sacramentum institutum est ad medicinam animarum, sicuti Ars Medica in Medicinam Corporis, sed in medicina Corporis non sat est, ut Medicus cognoscat unum morbum, sed etiam debet cognoscere omnes morbos Infirmi; cùm soleat unus morbus aggravari ex conjunctione alterius, & medicina, quæ prodest uni, sæpè obest alteri morbo, ergò nec in medicina animæ satis est, ut cognoscat Medicus Spiritualis unum morbum, sed etiam omnes Pœnitentis, quantùm fieri potest, debet scire, ut possit competens remedium adhibere, sed si memoriæ non occurrunt, inter invincibiliter & inculpabiliter oblita relinquuntur & delentur.

IX. Qualis diligentia in examine cõscientiæ sit adhibenda. Quæres: Qualis diligentia examinis Conscientiæ requiratur, aut sufficiat. Respond. cum Scoto hìc d. 17. quæst. unica. n. 19. Eam requiri & sufficere, quæ communiter ab hominibus adhiberi solet in rebus arduis & seriis, quæ ipsis sunt cordi, attentâ Personarum qualitate, statu, aliisq; Circumstantiis. Majori enim discussione indiget rudis & ignorans, quàm sapiens & doctus; qui valdè raro, quàm qui frequenter confitetur; qui multis & intricatis officiis, vel negotiis est occupatus, omnibusque peccandi occasionibus expositus, quàm qui tales occasiones non habet.

Quæres iterum: Quid faciendum, si adhibitâ hâc diligentiâ non possit adhuc Pœnitens certum numerum peccatorum inter eandem speciem recordari, aut certò conjicere? Respond. Tales, si certum aut determinatum numerum peccatorum non possunt exprimere, debere saltem numerum verosimilem, & quem ex prudenti æstimatione magis ad certum numerum approximare putant, exprimere, addendo semper particulam, *Plus vel minus*, v. g. qui duodecies peccavit, nec facto diligenti examine recordatur se peccasse ultra decies, sufficit numerum denarium aperire in Confessione, addendo *plus vel minus*, nec talis acceptâ absolutione tenetur postmodum se accusare de duabus aliis vicibus, quantumvis memoriæ occurrant, quia sufficienter per illam particulam intelliguntur in priori Confessione expressæ, secus verò si numerus prætermissus fuisset valdè excessivus. Si autem talem particulam omisisset, & postea recordaretur istorum duorum peccatorum, teneretur in proxima Confessione ea aperire. X. Si Pœnitens nequeat certum numerum cõjicere, debet saltem verisimilem exprimere.

XI. Quid agendum si nec probabilem, nec verisimilem possit conjicere. Quæres denuò: Quid agendum, quod si Pœnitentes nec probabilem nec verosimilem aliquem numerum peccatorum possint conjicere, sicut ordinariè contingit Usuariis, Meretricibus in lupanari expositis, Concubinariis, publicis Insidiatoribus viarum &c. qui singulis momentis ita sunt expositi ad peccandum, ut ex perpetua consuetudine peccandi nullum certum numerum peccatorum suorum probabiliter aut verosimiliter possint conjicere? Respondeo talibus, secundùm Doctores sufficere in Confessione aperire, statum & conditiones suas, significando tempus, quô in continuâ consuetudine peccandi permanserunt, nisi

nisi aliqua circumstantia mutans speciem interveniat. Unde qui uno aut pluribus annis retinuit apud se concubinam, sufficit ipsi dicere in Confessione, quod tot annis apud se talem tenuerit, cum qua non aliter, quàm si propria esset uxor, convixit in continuâ consuetudine peccandi: Ex his prudens Confessarius statum & malitiam Peccatoris ponderare poterit.

Arguitur cum Hæreticis: Peccata occulta, & maximè interna, non subjiciuntur Ecclesiæ judicio, ergò non sunt necessariò confitenda: Antecedens patet: Quia Ecclesia non judicat de occultis. Confirmatur: Lex gratiæ est longè suavior Mosaica, juxta illud Evangelii: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, sed esset durior & gravior illâ, si obligaret ad confitenda peccata interna, ergò. Respond. Distinguendo Antecedens: in foro contentioso, ubi proceditur secundùm allegata & probata, concedo antecedens: in foro Sacramentali & Conscientiæ, in quo Peccator de Lege Divina tenetur peccata sua quantumvis occulta confiteri, nego Antecedens & Consequentiam. Vel dic ea cadere sub judicio indirectò Ecclesiæ, quatenus sunt principia actuum externorum, quibus conjunguntur, vel conjungi debent, ut Confessio sit valida.

XII. Peccata occulta, & interna subjiciuntur Ecclesiæ judicio in foro Sacramentali.

Ad Confirmationem nego Minorem: Quia Lex Evangelica propter affluentiam gratiarum, quam tribuit, longè antecellit Mosaicam, & via Confessionis est longè facilior ad obtinendam remissionem peccatorum & recuperandam gratiam, quàm fuerit ulla alia via in veteri Lege.

XIII. Lex Evangelica non est propterea durior Mosaicâ.

Arguitur Secundò: Nullo Jure Divino aut Ecclesiastico tenetur homo cum sua aut Proximi famâ, aut damno notabili aperire omnia sua peccata Confessionis, sed dantur plura peccata, quæ hîc & nunc non possunt aperiri sine infamia Pœnitentis, aut Proximi, aut notabili damno utriusque, vel Reipublicæ, ergò. Probatur Minor: Potest contingere, ut Pœnitens probabilissimè judicet Sacerdotem revelaturum suum peccatum, ex quo sequeretur infamia propria vel aliena, gravis inimicitia, effusio sanguinis, notitia Complicis, ex quâ diffamatur, sollicitatio personæ Confitentis, maximè si sit fœmina, quæ per experientiam, vel ex aliis probabilibus causis timet se sollicitandam à Confessario, si confiteatur peccatum Carnis.

XIV. Quidam casus proponuntur in quibus peccata nequeunt Confessario aperiri sine notabili damno.

Ponitur etiam alius casus, quando aliqua Mulier peccat cum Sacerdote in loco, in quo nullus est præter Confessarium, & illum, cum quo peccat. An teneatur tunc significare se peccavisse cum Sacerdote? Si enim id fecerit, cognoscet Confessarius, quod ille Sacerdos peccaverit cum illa; Si dixerit verò, se peccavisse cum aliquo soluto, id non cognoscet, & tunc mutabitur species peccatorum. Multi alii casus adducuntur à Doctoribus, in quibus per accidens judicant, posse detruncari numerum peccatorum, quos, nè cogamur specialem quæstionem ponere, supradictis adjiciemus.

Prima causa excusans ab integritate Confessionis secundùm ipsos est ignorantia seu oblivio: Ratio est: Quia DEUS non exigit à nobis ultra posse, sed impossibile est moraliter loquendo, ut ea, quæ facta diligenti inquisitione ignoremus, aut oblivioni tradamus, nisi quando in memoriam redeunt, confiteamur, ergò tenentur tunc tales peccata sic oblita, quando in memoriam postea redeunt, confiteri. Excusantur etiam, qui inculpabiliter ignorant illud, quod omittunt esse peccatum mortale, licèt in rei veritate sit tale, sicut multoties contingit in Pueris, qui ex levitate quadam æstimant, non esse peccata, quæ revera sunt talia. Sed consultum foret, ut quando in provectiore ætate advertunt ea, quæ non sciverunt esse mortalia, ea sola confiteantur sine repetitione aliorum peccatorum, quæ tunc fuerunt con-

XV. Ignorantia seu oblivio excusat ab integritate Confessionis.

confessi; Consultum dixi, non obligatum.

XVI. Impotentia in gravi infirmitate. Secunda causa est impotentia illorum, qui gravi infirmitate laborant, vel totaliter obmutescunt, ut licèt velint, non possint omnia peccata sua integrè confiteri, his debent sufficere ea, quæ possunt confiteri: Imò casu, quo nullum peccatum exprimere valeant, modò dent aliqua signa Pœnitentiæ ante vel post adventum Confessarii, videntur capaces absolutionis. Praxis hujus fundatur in Carthaginensi III. C. 34. ubi mandat, ut ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium dixerunt, baptizentur, similiter & de Pœnitentibus agendum est. Et Carthaginensi IV. C. 76. Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos venit invitatus, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, testimonium dent, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Similiter & Arausicanum I. C. 12. Subitò, inquit obmutescens, baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsenti in suo motu.

XVII. In peste, naufragio, & prœlio. Ob similem Rationem excusant illam integritatem tempore pestis, naufragii aut prœlii, in quibus casibus, non potest Confessarius multorum integras Confessiones audire, nec omnia peccata unius; Imò Suaretz in tali casu suadet, plures simùl audire & absolvere, vel consultius in tanto periculo omnes ad generalia Signa Pœnitentiæ hortari, & omnes generaliter absolvere, quos constat talia signa edidisse.

XVIII. Monitio Marchantii circa agonizantem. Monet insuper Marchantius, cùm infirmum agonizantem quis videt & audit, ut auditis aliquibus peccatis absolutionem det, nè subitò expiret, & si supervixerit, prosequatur residuum, & rursus absolvatur. Eadem de causa excusant absolventem tempore pestis, modò probabiliter timeat sibi mortem, si diu cum infirmo moriente moretur, vel aliunde mortem sibi inferendam probabiliter conjiciat.

Multi alii casus assignantur à Casuistis excusantes integritatem Confessionis, sed semper addunt illos non excusare à Confessione aliorum peccatorum, ex quorum revelatione nullum tale incommodum timetur aut sequitur. Quia Præceptum, quod in toto impleri non potest, debet servari in eo, in quo potest; ùt patet in Præcepto, in jejunanda Quadragesima, qui enim non potest per totam Quadragesimam jejunare, tenetur saltem ad illam partem, quam potest: Similiter judicant, tales pœnitentes obligari ad quærendum Confessarium, cui ignotus est Complex, ut integrè confiteatur, quòd si non potest, occultat se quantum potest; nè ex notitia sui Confessarius veniat in notitiam Complicis.

Ratio horum est: Quòd quoties duo Præcepta quoad impletionem sunt impossibilia, adimplendum est, quod strictius obligat, sed in præsenti casu sunt talia, ergò. Minor patet: Nam est Præceptum positivum & Divinum integitatis Confessionis; est etiam Præceptum naturale ex justitia obligans de non informando Proximo, sed hoc ultimum magis obligat, quàm primum, ergò tenetur occultare Complicem, ne infametur. XIX. Ratio pro sententia de non manifestando Complice in Confessione.

Confirmatur: Magis tenetur servare incolumem famam Proximi, quàm propriam, quia est Dominus suæ famæ, non verò alterius, sed si scio pro certo Confessarium revelaturum meum speciale peccatum, possum licitè id ipsi non aperire confessis interea reliquis peccatis, ergò teneor etiam tacere ad consevandam famam Proximi.

Deindè propter vitandam mortē Proximi iminentem ex mea Confessione quoad aliquod peccatum, teneor reticere illud peccatū, sed sæpissimè pluris æstimatur fama quàm vita, ergò ad vitandam famam proximi teneor XX. Alia Ratio Scoti.

neor facere, maximè si est magna infamia, v. g. Si aliquis peccavit cum sua matre, quæ est notissima, & in bona opinione apud Confessarium, existimant Pœnitentem debere dicere, se habuisse rem turpem cum Consanguinea, & habuisse propositum peccandi cum Matre, postea verò habitâ Confessarii ignoti copiâ, obligari ad confitendum peccatum habitum cum Matre, nam externus actus est mortalis incestus, necessariò confitendus.

Quod si dicas: Sigillum Confessionis esse valdè secretum, & ideò non esse timendum de infamatione Proximi, casu, quo confiteretur Pœnitens tale peccatum noto Confessario.

XXI. Instantiæ obviatur. Contrà habetur: Sic non esse necessarium quærere Confessarium ignotum, quod non fatentur Adversarii, ergò cùm admittant, inquirendum esse Confessarium ignotum, quantùm possibile est, necessariò judicare debent, peccatum, ex quo sequitur infamia proximi, esse reticendum coram noto Confessario Complicis: tamen monent Authores secundæ sententiæ, quando Confessarius etiam notus est prudens & discretus, ut moraliter certum sit, illum non manifestaturum Complicem, & præterea judicaverit ipsi Complici conducere, ut in Confessione manifestetur, Pœnitentem posse illud peccatum in Confessione aperire, si præmisit privatam admonitionem, & non profuit. Ratio est: Quia, ùt supponitur, nullum in hoc facit damnum aut injuriam Complici, & multoties conducit ad ejus emendationem, sicut multoties confitentur Virgines & Maritatæ, quod nimis importunè à tali vel tali ad luxuriam sollicitentur, juxta hoc intelligi potest D. Bernardus C. ultimo de formula honestæ vitæ, ubi dicit: *De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcunque sit verum & honestum, nisi in Confessione, & hoc, ubi aliter non potes manifestare tuum peccatum.* Hæc sententia est probabilis propter multitudinem Authorum ei suffragantium, sed plures citantur pro contraria sententia.

Ratio eorum prima est: Quod integritas Confessionis sit de Jure Divino, quod potiùs hic debet servari, quàm fama Proximi aut Complicis, maximè quando Pœnitens non intendit eam lædere, sed potius præponere salutem animæ suæ, famæ proximi. XXII. Rationes pro sententia de manifestando complice in Confessione.

Secunda: Unusquisque videtur posse uti suo Jure, licèt aliquid incommodi alteri accidat præter utentis intentionem, quod patet inductione; licitum est contrahenti cum Gentili ad validitatem Contractûs Juramentum petere, nisi inde sequatur Proximi perjurium; licitum etiam est ad defensionem propriæ vitæ facere aliquid, ex quo indirectè sequatur mors alterius. Licitum etiam est ob propriam utilitatem animæ audire Sacrum vel Concionem, etiamsi inde sequatur scandalum Proximi: Quia magis teneor mihi ipsi, quàm alteri; atqui Pœnitens confitens omnia sua peccata, fungitur jure suo propriæ conscientiæ satisfaciendi, salutarem pœnitentiam recipiendo, & se ipsum deobligando à debito iterum tale peccatum cum Circumstantia Complicis alteri confitendo, ergò non tenetur cum præjudicio tantæ utilitatis Complicem tacere.

Tertia Ratio est: Quia sæpè contingit, quòd in præsentia Præcepti naturalis licitum sit operari secundùm Præceptum positivum, v. g. quilibet ex Præcepto naturali tenetur conservare propriam vitam, & tamen Monachus Carthusianus, qui ex instituto suæ Regulæ nequit Carnes manducare, licitè potest secundùm probabilem opinionem etiam, propter evitandam mortem, non comedere carnes: ergò in nostro casu, licèt sit Jus Naturale non informandi Proximum, propter Præceptum positivum integritatis Confessionis, ex qua sequuntur Pœnitenti maximæ utilitates prædictæ, licitum ei erit declarare Complicem. XXIII. Alia ratio ad idem.

XXIV. Item Ratio alia. Quarta Ratio est: Hoc Sacramentum est verum Judicium, sed judicio exteriori non solùm subditur Reus, sed etiam Complex; nam Socius criminis ratione delicti subditur ei, qui authoritatem habet in delinquentem, unde & testis & accusator, qui jus habet deferendi crimen, habet quoque jus deferendi Socium criminis, & Judex, qui authoritatem habet inquirendi delictum, habet etiam authoritatem quærendi Socium delicti, præsertim quando crimen est tale, ut nequeat sine Complice committi, aut sine notitia Complicis explicari.

Confirmant: Ex opposita sententia sequeretur, non obligare Conjugatos ad peccata confitenda, quæ in abusu Matrimonii committuntur, quando uterque est Confessario notus, & ex hoc pravi homines sumerent occasionem committendi gravissima peccata, si excusarentur ab integritate Confessionis propter personam Complicis.

Utraque harum Opinionum est probabilis secundùm Authores, & utriusque rationes pro & contra facilè possunt solvi. Primæ quidem, negando Præceptum illud de conservanda fama Proximi esse Juris naturalis strictè, sicut est principium practicum ex terminis notum, aut Confessio inde sequens, sed tantùm consonum ad illa, quæ sunt Legis Naturæ.

XXV. Jus Naturale duplex ex Scoto. Hanc Doctrinam pulchrè explicat Scotus hìc dist. 17. in prima resolutione quæstionis per totum usque ad numerum octavum, ubi distinguit inter duo Jura Naturalia; unum est, quod se habet per modum principii practici ex terminis noti, aut Conclusionis demonstratæ ex tali principio, & intimatum à natura Creaturæ rationalis, & obligans omni tempore. Alterum est Jus positivum scriptum aut communicatum per quandam promulgationem Creaturis Rationalibus ab eo mediatè vel immediatè, qui est Author Naturæ. De tali Jure sunt, & fuerunt omnia, quæ continentur mandatoriè in Sacra Scriptura, pro tempore, pro quo sunt aut fuerunt observanda.

Illa dicuntur de Lege Naturæ latè, prout Lex Naturæ distinguitur à Jure positivo proveniente ab aliquo, qui non est Author Naturæ. Hìc latè probat Confessionem Sacramentalem non esse de Jure Naturæ strictè sumptæ, etiamsi sit notum lumine Naturæ, quòd reus sit judicandus, quia ad hoc faciendum sufficeret Peccatori conteri, aut accusare se apud DEUM (adhærendo lumini Naturæ) aut punire peccatum per se ipsum. Nam nullus homo potest esse Judex peccati alterius hominis, nisi ex Commissione summi Judicis, sed esse Ministrum summi Judicis in vindicando vel puniendo peccatum, magis est concessum unicuique respectu sui, quàm uni respectu alterius, secundùm Legem Naturæ. XXVI. Confessio non est de Jure Naturæ strictè.

Quod si dicatur: In Republica humana unum debere esse Judicem alterius. Respondeo, verum esse in iis, quæ possunt sibi innotescere in illo Judicio, cujusmodi sunt publica tantùm, non verò secreta & occulta.

Ad Propositum nostrum hæc sunt principia practica (supponendo revelationem Complicis per Pœnitentem in hoc foro ad satisfaciendum integritati Confessionis non esse Principium practicum Legis Naturæ obligans in omni casu) ex quibus deduci deberet hæc Conclusio: Ergò in nullo casu potest Pœnitens revelare suum crimen, ex qua revelatione Confessarius deveniret in cognitionem Complicis, v. g. illud: Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis. Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Diliges Proximum tuum sicut te ipsum, quæ licèt inveniantur in Scriptura posita, tamen Lumine Naturæ videntur nota. Minor distinguatur sic: Sed Complex si esset in casu Pœnitentis, non confiteretur peccatum, ex quo aliquis deveniret in notitiam socii; Distinguo XXVII. Respondetur ad fundamentum Opinionis negantis manifestatione Complicis.

guo Minorem: Si prudenter ageret, ut recipiat fructum Sacrmenti; nego Minorem. Quoad servandam Legem Naturæ non est quærendum, quid velimus fieri nobis, sed quid secundùm rectam rationem judicamus esse nobis optandum, ut fiat: Quis ergò crederet Complicem optare se privari tali fructu, qui sequitur ex integritate Confessionis non obstante revelatione Complicis; Si minor non esset Legis Naturæ, quomodo Conclusio? Hinc patet secundum membrum distinctionis datæ, sic ergò interpretando Legem Naturæ, si est Naturæ, quâ teneor servare famam Complicis, dicendum est, prævalere virtutem superiorem Religionis, quâ præcipitur Confessio integra, quæ prævalet obligationi, quâ teneor famæ Proximi cum detrimento tali, cui ipse, & socius criminis aliqualiter renuntiavit in ordine ad Confessionem, quando aliter ejus integritas nequit salvari.

Dices: Hæc Ratio probaret, non esse reticendum peccatum in Confessione ob ullum damnum, etjamsi sequatur occisio Complicis, revelatio Confessionis, & fractio Sigilli &c. quod nemo admittit. Respond. Negando assumptum: Quia quando damnum sequeretur extrinsecè ex malitia aut imprudentia Sacerdotis, qui ex notitia habita in Confessione occasionem sumeret perdendi, damnificandi, aut publicè diffamandi Complicem revelando ejus peccatum, obligat Jus Naturæ celare ipsi peccatum, nè Sacramentum reddatur odiosum. In tali enim casu concurrit obligatio Justitiæ, Charitatis, & Religionis, seu Reverentiæ Sacramenti: Quando verò non sequitur aliud, nec timetur præter id, quod solùm ex vi Confessionis, ejusque natura sequitur, non incurritur obligatio Juris Naturalis tacendi peccatum.

XXVIII. In quo casu Jus Naturæ obliget celare complices.

Ratio est: Quia Præceptum integritatis Confessionis non obligat, nisi ad ea, quæ sunt per se connexa cum re præcepta. Cùm igitur diminutio famæ Complicis apud Confessarium sit per se connexa cum manifestatione proprii criminis, quæ est de integritate Confessionis Sacramentalis, cùm non excipiatur, servanda est. Rursus obligatio secreti non ita est stricta, sicut sunt principia naturalia, ex quibus deducitur: Principia enim practica universaliter sunt vera, à fine desumuntur & extenduntur ad media, in quibus versantur Conclusiones hìc & nunc deductæ ex ipsis, quando autem est aliquod medium ordinatum ad finem, quod hìc & nunc deviat à fine, ita ut nullo modo conducat ad ejus assecutionem, sed magis impedit tale medium, hìc & nunc non participet bonitatem finis, sed tale est secretum naturale in aliquibus Circumstantiis, v. g. inferentibus grave damnum contra bonitatem finis, contra salutem publicam & privatam, ùt in casu proditionis Patriæ, aut quo deponeret secretò quis se velle seipsum præcipitare, aut laqueo suspendere, in quibus casibus non oportet secretum servare, unde colligitur prima Principia practica non se extendere ad secretum in genere, tanquam ad Conclusionem necessariò deductam, sed tanquam ad materiam contingentem, in certis Circumstantiis obligantem, aliàs in nullo casu liceret violare secretum.

XXIX. Secretum naturale quandoq; non obligat.

Confirmatur: Hoc Præceptum de Secreto Sacramentali, licèt sit positivum, in omni casu obligat, ut postea videbitur: Præceptum de Secreto naturali non in omni casu, etiam secundùm Adversarios; ergò Secretum naturale non est stricti Juris naturalis aut insolubilis.

XXX. Adeòque non est stricti juris naturalis.

Qui vult sequi Authores primæ Opinionis, Respondeat ad Rationes negando Præceptum integritatis Confessionis debere proponi famæ Proximi, cujus infamia necessariò est connexa cum manifestatione talis peccati, etiamsi Pœnitens hoc non intendat, aliter quidem, si contingenter & per accidens conjungerentur.

XXXI. Respondetur ad primam Rationem Opinionis affirmantis manifestationem Complicis.

Per hoc patet ad secundam Rationem, cujus assumptum nego: Si

XXXII. Item ad secundam.

prævidetur damnum alterius, & necessariò connectitur cum usu & exercitio Juris Pœnitentis; imò in proposito potest negari, Pœnitentem habere ullum Jus aperiendi tale peccatum, ex quo infamatur alius necessariò. Similiter neganda est Paritas inductionis; Quia illa fiunt in materia indifferenti, etiam per accidens adjungitur detrimentum Proximi, exceptâ causâ mortis invadentis alium; hic verò per se, & necessariò, quantùm verò ad defensionem propriæ vitæ, non solùm indirectè, sed etiam directè, si aliter evadere nequeat quis, potest inferre necem invasori.

XXXIII. Ad tertiam. Ad Tertiam nego assumptum: Nisi illud positivum sit etiam naturale, cujus probatio per exemplum est tantùm probabilis, sicut est oppositum probabilissimum apud Theologos: Tamen est magna Disparitas inter utrumque casum, nam Carthusianus propter bonum commune suæ Religionis cedit suo Juri naturali de conservanda vita, in nostro verò casu Complex non cedit suo Juri, neque invenitur ullum bonum commune. Unde negatur Consequentia.

XXXIV. Et ad quartam. Ad Quartam distinguo Minorem: Si Complex est subditus Judicis rei seu Pœnitentis, transeat minor: Si non sit subditus, nego Minorem & Consequentiam. In nostro casu Complex non est subditus Confessarii alterius, nisi illi confiteatur. Deindè lata est Disparitas; nam in foro externo & litigioso attenditur bonum publicum Reipublicæ, ut malefactores puniantur, in Judicio verò pœnitentiario & secreto non attenditur præcipuè ad punitionem, sed ad absolutionem, quæ solùm ad reum confitentem dirigitur, ad Complicem nullo modo antequam confiteatur.

Ad Confirmationem dico: Eos tenere ad confitendum alicui ignoto, si possunt, vel noto, si fieri potest in habitu peregrino, vel ex mutuo utriusque consensu etiam noto Confessario. Si autem neutrum horum adsit, sufficiet de peccato hoc cum Confessione aliorum Contritio, & Confessio solius consensus mentalis. Nam Confessio solius Consensûs nullum Complicem infamare censetur. Eligatur, quæ videtur ex istis.

QUÆSTIO QUINTA.

An Circumstantiæ sint confitendæ?

Circumstantia in actibus moralibus est conditio quædam, seu affectio Actûs moralis, quæ licèt ad substantiam actûs non pertineat, tamen circumstat actum, sicut accidens subjectum. v. gr. Titius furtô rem alienam abstulit: Quoad substantiam actûs tria occurrunt: Titius nempe, res aliena, & ablatio injusta, tamen circumstant actum alia plurima, quæ hoc versiculo continentur. I. Quid Circumstantia moralis.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Hæ Circumstantiæ sunt explicatæ in materia de peccatis. Dividuntur in duas generales Classes, in eas scilicet, quæ mutant speciem peccati; & in eas, quæ non mutant, sed intra eandem speciem peccati malitiam aggravant, vel diminuunt. Prioris generis sunt Primò: quæ de veniali faciunt mortale, aut è contra, etiam intra eandem speciem physicam peccati: v. g. rapiendo unum cruciferum à Divite venialiter is peccat, ab extremè indigenti mortaliter. Secundò, quæ transferunt peccatum mortale ab una specie ad aliam speciem, ut concubitus soluti cum soluta, qui esset tantùm simplex fornicatio, si autem habeatur cum conjugata, fiet adulterium, si cum DEO dicata, sacrilegium. Ratio est, Quia ultimæ Circumstantiæ addunt novam moralem & distinctam malitiam à priori malitia. II. Quæ Circumstantiæ speciem mutent.

Ad cognoscendas autem Circumstantias mutantes speciem, optimam Regulam det Scotus hic dist. 17. q. unica. num. 20. *Si, inquit, Circumstantia ipsa sit præcepta vel prohibita* III. Et quomodo cognosci possint.

bita speciali præcepto, & ex distincto specie motivo ab eo, quo præcipitur, aut prohibetur substantia actûs. v. g. Fornicari est contra Præceptum Divinum & naturale, ex motivo virtutis continentiæ, sed fornicari in loco sacro vel cum Persona DEO dicata, est contra aliud Præceptum Religionis, & contra Præceptum continentiæ simul.

IV. Quæ Circumstantię non mutēt speciem.

Posterioris Generis sunt, v. g. in materia furti, quando quis furatur 10. aureos, videtur levius peccare mortaliter, quàm si 100. furaretur; videtur etiam gravius peccare, qui ex deliberata intentione viginti homines uno ictu tormenti bellici, vel injusto incendio occidit, quàm qui unum, vel duos; similiter de Ecclesiastica Persona peccante cum Ecclesiastica potiùs, quàm cum soluta & sæculari.

V. Et quæ impertinentes.

Aliæ sunt Circumstantiæ, non mutantes speciem, nec augentes aut minuentes malitiam peccati, quas proinde vocat Scotus impertinentes; v. g. occidere cum gladio vel lancea, jurare cum dextra vel sinistra, peccare cum fœminis ejusdem Conditionis. De his non est Quæstio, sed de duabus primis speciebus.

VI. Circumstātiæ speciem mutantes sunt necessariò confitendæ.

Dico Primò: *Circumstantiæ mutantes speciem peccati, sunt necessariò confitendæ.* Ita communis Theologorum, & traditur expressè in Tridentino Sess. 14. C. 5. his verbis: *Colligitur præterea etiam eas Circumstantias in Confessione aperiendas, quæ speciem peccati mutant: quia sine illis peccata ipsis, neque à Pœnitentibus integrè exponuntur, neque judicibus innotescunt, & fieri nequit, ut de paritate criminum rectè censere possunt, aut pœnam, quam aportet pro illis Pœnitentibus imponere. &c.* Ita definitur Can. 7. ejusdem Sessionis.

VII. Ratio ad idem.

Ratio autem Conclusionis est, quia Circumstantiæ mutantes speciem, addunt semper novam specie malitiam moralem actui peccaminosam, ut patet ex exemplis suprà dictis ante Conclusionem, vel minuunt, & sic Confessarii judicium notabiliter variabitur, ita, ut ignoret prorsus statum Pœnitentis, nisi tales Circumstantiæ aperiantur, ergò sunt aperiendæ. Objectiones, quæ possunt fieri contra hanc Conclusionem, sunt, quæ vidimus contra primam Conclusionem prioris Quæstionis, & præsertim ultimam cum suis rationibus, quæ est soluta.

Dico Secundò: *Probabilius & tutius est, Circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem esse necessariò in Confessione aperiendas.* Ratio prima est: Quia licèt tales Circumstantiæ non mutent speciem peccati, eam tamen notabiliter aggravant, & multùm mutant judicium Confessarii tàm in ordine ad delicti gravitatem judicandam, quàm in ordine ad condignam satisfactionem & pœnitentiam injungendam. Hoc videtur fundari in Tridentino, in quo dicitur: Quòd ideò Circumstantiæ mutantes speciem sint necessariò aperiendæ, quia sine illis peccata nec à Pœnitentibus integrè exponuntur, nec Judicibus innotescunt, ùt rectè secundùm gravitatem criminum pœnam Pœnitentibus imponere possint, quàm oporteret; sed sine Circumstantiis notabiliter intra eandem speciem aggravantibus, non potest Pœnitentiarius condignam pœnitentiam imponere, aut de gravitate Criminum rectè judicare, ergò vel ratio Concilii non concludit, vel tales Circumstantiæ notabiliter aggravantes debent necessariò in Confessione aperiri. VIII. Probabiliꝰ & tutius est Circumstātias notabiliter aggravantes debere confiteri.

Confirmatur Primò: Circumstantiæ mutantes speciem non magis aliquando aggravant peccata, quàm aggravantes notabiliter intra eandem speciem, ùt patet de illo, qui in Ecclesia injuriosè occidit unum hominem, & extra Ecclesiam viginti, ergò si in primo loco Circumstantia loci sacri est aperienda, in secundo casu Circumstantia numeri notabiliter aggravantis debet aperiri.

Secundò: Lippis & Luscis videtur congruum longè majus esse Sacrilegium, spoliare Sepulchrum Domini, aut Ædem Lauretanam, quàm IX. Ratio alia ad idem.

quàm simplicem unam capellam; percutere Summum Pontificem, quàm simplicem Clericum; peccare carnaliter cum Matre, vel cum Sorore, quàm cum Consanguinea in tertio vel quarto gradu, injustè occidere decem, quàm unum; furari pauperi centum aureos, quàm unum, & similia multa, quæ non videntur sufficienter innotescere Confessario in Ordine ad ferendum judicium, nisi substantiæ notabiliter inter eandem speciem aggravantes in Confessione aperiantur, ergò.

Arguitur: Tridentinum assignans ea, quæ sunt necessariò in Confessione aperienda, tantùm dicit, omnia peccata mortalia quoad speciem & numerum memoriæ occurrentia esse confitenda, & postea Circumstantias, quæ speciem peccati mutant; sed Circumstantiæ intra eandem speciem etiam notabiliter aggravantes non multiplicant peccata in numero aut specie, nec mutant speciem peccati, ergò non sunt necessariò confitendæ.

Confirmatur. Nec Christus nec Ecclesia aliud præcepit, quàm integram peccatorum nostrorum quoad speciem & numerum Confessionem; sed hæc omnia possunt præstari sine Circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem, ergò illæ non sunt necessariò in Confessione aperiendæ.

X. Ratio Tridentini æquè currit pro Circũstantiis notabiliter aggravantibus, ac pro speciem mutantibus.

Respond. Primò: Argumentum esse ab Authoritate negativæ, quæ semper claudicat. Respond. Secundò: Distinguendo Majorem: Concilium assignavit, tales Circumstantias mutantes speciem esse aperiendas, negando alias notabiliter aggravantes, nego Majorem: includendo illas, concedo Majorem, & nego Consequentiam: Quia ratio Concilii æquè currit pro Circumstantiis notabiliter aggravantibus ac mutantibus speciem, ùt patet ex probatione Conclusionis.

XI. Sine Circũstantiis notabiliter aggravãtibus nequit Confessarius debitum formare judicium.

Ad Confirmationem nego Majorem: Quia sine Circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem non possunt Confessarii judicare de gravitate Criminum, aut pœnam, quam oportet Pœnitentibus pro illis imponere, unde nego Consequentiam. Hoc non obstante altera opinio non est improbabilis.

QUÆSTIO SEXTA.

An Confessio Sacramentalis debeat esse secreta?

HÆc est altera conditio, quæ ex suprà recensitis patitur difficultatem, ad quam breviter Respondendo

I. Nec ex præcepto Divino, nec Ecclesiastico est obligatio ad Confessionem per Interpretem.

Dico Primò: *Confessio Sacramentalis debet esse secreta, ita scilicet, ut ex nullo Præcepto Divino, aut Ecclesiastico positivo teneatur quis ad Confessionem per Interpretem, licèt benè sic possit confiteri.* Videtur esse Tridentini loco citato, ubi dicit: *Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud talem Sacerdotem, etsi Christus non voluerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem; tùm ob aliorum exemplum, & Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit; Non est tamen hoc Divino Mandato præceptum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica essent Confessione aperienda.* Quibus verbis manifestè patet, non præcipi nec Divinâ nec humanâ Lege, nec etiam vetari à Christo, nam vetaretur, si ex ullo Capite esset illicita.

XII. Ratio ad idem

Prima Pars est communis: Quia non constat de ullo tali Præcepto Divino, nec etiam Ecclesiastico: nam Confessio per Interpretem ex natura sua publica est, etsi ex probitate Interpretis jure secreti naturalis maneat occulta, tamen si velit, (inquit Scotus) Interpres malignari ipse & Sacerdos possunt esse testes contra Pœnitentem, & ita ex natura hujusmodi Accusationis potuisset res venire in publicum, & consequenter Sacramentum redderetur odiosum.

Secun-

III. Potest fieri Confessio per Interpretem. Secunda Pars patet: Tum, Quia si potest fieri publica Confessio non Sacramentalis ob fines spectatos à Tridentino, multò magis potest fieri per Interpretem Sacerdoti, ut absolutio ab ipso habeatur: Tum etiam, si Sacramentalis Confessio exigeret necessariò fieri propriâ voce Pœnitentis, excluderentur ab hoc Sacramento muti propriâ loquelâ destituti, & omnes, qui morbo oppressi non possunt propriâ voce confiteri; sed incredibile est, Christum voluisse ab hoc Sacramento taliter ad salutem necessario tot homines excludere, ergò potest aliquis per Interpretem confiteri.

Arguitur. Tridentinum in eodem loco dicit, non esse ex Præcepto Divino mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præcipi posse, ut delicta præsertim secreta publicâ essent Confessione aperienda; Imò contrarium commendari à sanctissimis & antiquissimis Patribus unanimi consensu, & in usu servari ab initio Ecclesiæ, ergò ex institutione hujus Sacramenti, & ex Ecclesiæ traditione determinatum est, quòd fiat secretò tantùm. Respond. Distinguendo Consequens: Quod fieret ex præcepto secreto, concedo Consequentiam: Quod aliter non possit fieri, nego Consequentiam. Fatemur solam secretam Confessionem esse præceptam, & præcipi posse consultè, (quidquid dicant Suarez, Vasquez, & Lugo in contrarium) sed negamus, quòd Confessio publica & per Interpretem facta non sit valida.

IV. Sola secreta Confessio est præcepta, & præcipi potuit consultè.

Confirmatur: Quia Concilium loquitur de Commendatione & usu ipsius ex obligatione Præcepti Divini, ùt patet ex eo, quòd inde inferat contra Hæreticos, talem Confessionem non esse alienam à Divino mandato: multa enim possunt commendari, & esse in usu perpetuo Ecclesiæ, quæ non sunt præcepta Jure Divino.

Dices Primò: Si Christus non præcepit Confessionem publicam, erit illicita talis, quia est contra Jus Naturale de conservanda sua fama. Si hoc argumentum valeret, probaret, quòd non liceret Confessio publica non Sacramentalis; quod est contra communem sententiam. Respondeo, Obligationem Juris Naturalis non significandi suas imperfectiones hic non concurrere, quando subsunt bona motiva in contrarium: tale autem motivum habetur in præsenti, nimirum, ut quis absolvatur à peccatis, quod sanè majoris momenti est, quàm detrimentum quodcunque famæ; quod ex Confessione sequeretur, maximè si Interpres est prudens & fidelis, qui etiam obligatus ad non revelandum tàm benè, quàm ipsemet Confessarius.

V. Cõfessio per Interpretẽ non est cõtra Jus Naturale de fama tuenda.

Dices Secundò: Sigillum oritur ex Confessione Sacramentali Jure Divino, sed non oritur ex Confessione publica, ex eo, quòd fiat per Interpretem, ergò illa non est Sacramentalis. Respond. Primò, Negando Minorem: Respond. Secundò, Distinguendo Majorem, Confessione Sacramentali secreta, concedo Majorem: ex publica facta coram multis hominibus, nego majorem: Similiter distinguo Consequens.

VI. Confessio per Interpretem est Sacramentalis, & obligat ad sigillum.

Dices Tertiò: Præceptum Correctionis fraternæ obligat ad Correctionem secretam, ergò obligat tale Præceptum Confessarium, ut audiat tantùm secretè. Respond. Negando Consequentiam: Quia Christus præcepit Correctionem fraternam fieri tali modo, nec alio modò, ut fiat, est necessarium; sed non obligavit Sacerdotem, ut audiat secretè tantùm, & Confessio non secreta potest esse aliquando necessaria.

VII. Disparitas inter Correctionem fraternam, & Confessionem secretam apud solum Confessarium.

Quæres: An & in quibus Casibus Confessio invalida sit repetenda? Confessio potest esse invalida multipliciter. Primò ex parte Pœnitentis, quando non habet sufficientem dolorem de peccatis, qualem non supponitur habere, qui actualiter habet complacentiam in aliquo peccato mortali, aut non habet firmum propositum vitam suam emendandi, nec vult evitare occasiones proxi-

VIII. Confessio ex parte Pœnitentis multipliciter potest esse invalida.

mas reincidendi in peccata. Similiter, qui scienter, vel ex culpabili ignorantia reticet aliquod peccatum mortale sine rationabili causa. Qui confitetur ob finem moraliter malum ad patefaciendum sibi aditum ad aliquod flagitium perpetrandum; quia actus, cujus finis est mortalis, ipse quoque talis est, & Confessio non potest valere per quam Anima contaminatur. Qui non habet usum rationis, ut scilicet pueri ante annos discretionis, amentes & furiosi, etjamsi habeant intervalla, & confiteantur, dum sunt sanæ mentis. His addunt quidam, ut Bonacina & Vasquez Confessionem esse invalidam, quando Pœnitens scienter fuit prius absolutus à peccatis, quàm ab Excommunicatione: Nam, inquiunt, cum Excommunicatus sit, hoc ipso privatus omni usu Sacramentorum graviter peccat recipiendo Absolutionem à peccatis, antequam tollatur Excommunicatio: Transeat iste casus, qui à multis aliis negatur.

IX. Confessio ex parte Confessarii multipliciter quoque invalidari potest.

Secundò: Invalidatur Confessio ex parte Confessarii, quando ex defectu Ordinis Sacerdotalis contingit, ex defectu Jurisdictionis, ut videbitur infra, ex defectu intentionis debitæ, applicationis formæ, puta, si veram formam non protulit, aut aliquid, quod ad essentiam ejus spectat, intermisit; tandem ex defectu attentionis, si vel propter somnum, distractionem, vel modum exprimendi peccata non percepit aliqua mortalia Pœnitentis, idque ipsi Pœnitenti constet.

X. Confessio invalida, est iteranda, si constet Pœnitenti.

Respondeo itaque ad Quæsitum: Quoties Confessio est invalida, idque Pœnitenti constat, est iteranda: Quando verò valida, & non materialiter integra, tunc sola peccata inculpabiliter omissa sunt confitenda. Ita communis. Ratio primæ Partis est, quia tenemur omnia peccata nostra Clavibus subjicere, sed ea, quæ in Confessione invalida quis confitetur, non sunt sufficienter Clavibus subjecta, ergò necesse est, ut in Confessione iteratò aperiantur.

XI. Si Confessio fuit valida, & non integra materialiter, sola peccata inculpabiliter omissa sunt confitenda.

Ratio Secundæ Partis est: Quòd illa peccata fuerint jam debitè Clavibus subjecta, adeóque per Absolutionem ablata; Unde ea sola confitenda, quæ non erant subjecta Clavibus: Quia dum contingit Pœnitentem se examinasse, & omnia, quæ ad validitatem hujus Sacramenti pertinent, adhibuisse, non tenetur durante hac bona fide Confessionem iterare; imò Laymannus pro Consolatione scrupulorum dicit, Absolutionem quantumvis invalidam ob defectum occultum Sacerdotis, rarò aut nunquam obfuturam Pœnitenti id inculpatè ignoranti; Quia Pœnitens manet bonæ fidei possessor, & verè in proxima Confessione, in qua talis defectus occurrit, absolvitur, utpote, quæ se extendit ad omnia peccata, à quibus se absolutum bona fide existimabat Pœnitens.

XIII. Solatium scrupulosorum ex Laymann.



DISPU-

DISPUTATIO QUINTA.

DE

Ministro hujus Sacramenti.

VAria hic occurrunt examinanda, ut an solus Sacerdos ritè ordinatus sit Minister hujus Sacramenti? An cuilibet tali in Ordinatione conferantur Claves regni Cælorum, & an independenter ab ulteriori examine eorum, quibus competit Jurisdictio ordinaria? Quis possit delegare hujus fori delectionem? An in Ministro hujus Sacramenti requiratur necessariò approbatio Episcopi? Quasnam qualitates necessariò pro idoneitate talis status debeat habere? An possit absolvere à reservatis, & quibus? Tandem de Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO PRIMA.

An solus Sacerdos sit Minister hujus Sacramenti?

LUTHERUS, ejusque Asseclæ dixerunt, quemlibet Christianum, sive sit puer, sive mulier, modò sint vitæ bonæ, esse Ministros hujus Sacramenti: Contra quos

I. *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.* Dico Primò: *Solus Sacerdos ritè ordinatus est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.* Est definitum in Conciliis Constantiensi, Florentino, ac tandem in Tridentino Sess. 14. Can. 6. & 10. in quibus dicitur: *Si quis dixerit, non solos Sacerdotes esse Ministros Absolutionis, sed omnibus & singulis Christi Fidelibus esse dictum: quodcunque ligaveris super terram, anathema sit.* Ratio est; Quia solis Discipulis Christi fuerunt dicta ista verba: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* ùt patet ex universali traditione Ecclesiæ & Patrum, quos communiter citant Controversistæ, quorum propterea Authoritates proponere nullo modo est necessarium, cùm possint haberi abundanter apud illosmet.

II. *Textus Jacobi 1. Confitemini alterutrum exponitur.* Opponitur Primò illud Jacobi 1. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, ergò non solis Sacerdotibus est confitendum Sacramentaliter. Respond. Negando Conseq. aut ibi fieri mentionem de Confessione Sacramentali, sed de alia pertinente ad exercitium humilitatis, aut fraternæ reconciliationis. Sed quia tamen illa verba à Concilio Cabilonensi & Augustino intelligi videntur de Confessione Sacramentali. Dico, Apostolum tantùm velle, ùt non solùm DEO, sed etiam hominibus confiterentur peccata nostra, non tamen omnibus, sed illis solis, qui ad hoc sunt specialiter ordinati, & Jurisdictionem habent: Hoc colligitur ex Contextu prædictorum verborum, ubi monet Apostolus dicens: *Si infirmatur aliquis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ut illis confiteatur, & extremam Unctionem accipiat.

Arguitur Secundò: *Capite Fures, Extravaganti de furtis* præcipitur, ut fur, qui in flagranti delicto occiditur, careat sepulturâ; & postmodum subjungitur: Si Presbytero vel Diacono confessus fuerit, Communione non privetur, ergò supponit Confessionem factam Diacono esse validam. Idem videtur ratum apud Cyprianum *lib. 3. Epist. 13.* committentem Diacono in absentia Presbyteri quendam Pœnitentem in articulo mortis DEO reconciliari. Imò adhuc plus imponitur D. Augustino *lib. de vera & falsa Pœnitentia*, ubi dicit: *Tanta est vis Confessionis, ut si Sacerdos desit, confiteatur Proximo*, III. *Caput Fures, Cyprianus & S. Augustinus explicantur.*

ergò Sacerdos solus non est Minister hujus Sacramenti. Respond. Negando omnes Consequentias. Quantum ad primum locum, dico, tunc moris fuisse, ùt absente Sacerdote Diaconus administraret Evcharistiam, & ut ministraret tali furi, debebat illi constare de Contritione pœnitentis, non per Confessionem Sacramentalem, sed per signa doloris, ut modò ante Communionem dicimus: *Domine non sum dignus, &c.* Cyprianus loquitur, ut vidimus alibi de absolutione à Censuris, quas etiam Laici habentes Jurisdictionem Episcopalem, possunt tollere, licèt nullo modo peccata: Neque unquam Augustinus intendebat Confessionem Sacramentalem debere fieri proximo, qui non esset Sacerdos, ad recipiendam ab ipso Absolutionem, licèt benè admiserit publica peccata posse aperiri Laicis discretis, & doctis, in ordine ad recipiendum ab ipsis consilium, & spiritualem Consolationem.

Verum est, quòd Magister Sententiarum, Alensis, D. Bonaventura & alii (ubi ipsis imponitur) asseruerint, deficiente Sacerdote, modò quis sit in periculo mortis, talem teneri ad confitendum Laico, & licèt confiteantur, Laicum non habere potestatem absolvendi talem Sacramentaliter, dicunt tamen Supremum Sacerdotem Deum supplere defectum Sacerdotis in isto casu. Sed certè licèt DEUS ex sua misericordia suppleret defectum occultum Sacerdotis, v. g. in casu, quo pœnitens existimaret invincibiliter Laicum esse Sacerdotem, & ei confiteretur, sperans Absolutionem, tamen non credo, ipsum teneri ad confitenda peccata sua illi; imò Scotus hic dist. 17. num. 27. absolutè dicit, quòd nullum præceptum est de accusando se Laico, & dicit, utilius fore in tali casu, ut pœnitens sibi ipsi consulat, nimirum se ad Contritionem excitando, quàm ut Laico aperiat sua peccata; quod maximè verum est hoc tempore, in quo hæretici conantur totis viribus persuadere Confessionem debere fieri Laico: Deindè daretur occasio errandi rudibus, & existimandi esse Confessionem Sacramentalem. Casu tamen, quo pœnitens vellet confiteri Laico in articulo mortis, ne se ipsum diffamaret, potius nomine tertiæ Personæ indeterminatè esset confitendum.

IV. Nec in periculo mortis tenetur quis confiteri Laico.

Nec valet dicere, quemlibet posse cedere suo Juri de conservanda sua fama, quia etiamsi hoc esset verum ratione propriæ Personæ, non tamen potest cedere Juri Communitatis, ne ullus alteri esset abominabilis, aut Sacramentum redderetur odiosum, casu tamen, quo Laicus audiret Confessionem moribundi in articulo mortis, tenetur ad sigillum sub præcepto Legis Naturæ.

Arguitur Tertiò: Eadem est necessitas Sacramenti pœnitentiæ ad remittenda peccata post Baptismum commissa, ac est Baptismi ad remittendum peccatum originale, sed propter necessitatem hujus datur omnibus Laicis potestas baptizandi, præsertim in necessitate, ergò similiter in primo casu.

V. Differentia necessitatis Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi.

Respondetur: Dist. major. in ordine ad remittendum utrumque peccatum, transeat Maj: in ordine ad modum, quo remitti potest utrumque, nego major: Quia benè possunt relapsi, sine actuali Confessione salvari per Contritionem, qualiter infantes non possunt. Deindè major discretio requiritur in Ministro Pœnitentiæ, quàm in Ministro Baptismi, quia ille debet ferre Sententiam Judicialem de peccatis, quam non potest ferre, nisi ordinetur, & potestatem accipiat, quam non accipit quilibet indifferenter, sed major est difficultas, an quilibet Sacerdos possit absolvere vi potestatis ordinis, unde

VI. Claves Regni Cœlorum metaphoricè sumuntur.

Advertendum, quando dicitur Apostolos, eorúmque Successores, reliquósque Sacerdotes accepisse Claves Regni Cœlorum, Claves sumi Metaphoricè, per similitudinem ad Claves materiales; sicut enim Clavis materialis est instrumentum, quo janua aperitur, in qua apertione re-

he reperitur aperiens nempe homo, & causa, propter quam aperitur, vel clauditur, quæ est dignitas vel indignitas Personæ intromittendæ, vel excludendæ, ita in apertione Regni Cœlorum invenitur ipsa actualis apertio, quæ fit virtute Potestatis Sacerdotalis, & Clavis, per quam aperitur, nempè sententia definitiva Judicis sententiantis Cœlum alicui aperiendum vel claudendum,& aperiens, qui est DEUS principaliter, Christus meritoriè, Sacerdos ministerialiter. Tandem causa, propter quam aperitur vel clauditur, videlicet merita vel demerita hominis. Ista ergò potestas concessa Sacerdoti in Ordinatione, vocatur Clavis.

VII. Alia est clavis scientiæ, & quid hæc: alia potestatis.

Hæc *Clavis* est duplex, secundùm Theologos, una est *Clavis Scientiæ*, quam definit Magister esse *Scientiam habitualem aut actualem discernendi inter peccata*: Sed melius Scotus, quem plerique sequuntur: dicit *esse potestatem examinandi reum, an sit dignus Absolutione vel non*: Ratio ejus est: Qemadmodum potestas ad judicandum est quid distinctum ab ipsa justitia, cùm illa sint distincta judicare & rectè judicare, similiter Clavis seu Potestas Scientiæ, ut distincta ab ipsa Scientia. Altera Clavis est *Clavis Potestatis* judicandi & sententiandi super peccata audita & confessa. Has duas Claves distingui realiter

VIII. Distinguuntur inter se realiter.

Probatur à Scoto dist. 19. §. de 3. art. per totum contra Suarez, nam possunt separari ab invicem. Potest enim DEUS committere uni potestatem cognoscendi, & examinandi causam, & alteri authoritatem absolvendi, sicut in judicio civili, & politico. Præsidens potest alteri authoritatem examinandi causam aliquam committere, & sibi reservare potestatem sententiandi.

IX. Potestas alia Ordinis, alia Jurisdictionis.

Hæc *Potestas* sententiandi est duplex: Una est *ordinis*, altera *Jurisdictionis*. Illa conceditur cuilibet Sacerdoti in sui ordinatione, tàm in ordine ad Christi Corpus verum, quàm ad Corpus mysticum, ut sunt Fideles. In ordine ad primam Episcopus initians priùs dicit: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & defunctis*, quàm *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Unde casu, quo post prolationem verborum, quæ profert Episcopus in traditione Calicis, & patenæ cum vino moreretur immediatè, haberet potestatem Sacerdos immediatè conficiendi Corpus Christi, sed non absolvendi à peccatis, antequam diceretur ipsi: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Hinc potestas absolvendi præsupponit potestatem consecrandi; igitur sunt distinctæ potestates, & constat hoc exemplo Christi, qui potestatem consecrandi contulit Apostolis in Cœna per Traditionem Panis & Calicis consecrati, & ante mortem dicendo: *Hoc facite in meam Commemorationem*: Potestatem verò à peccatis absolvendi iisdem contulit post Resurrectionem suam insufflando & dicendo: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Hinc istæ duæ potestates sunt sibi invicem subordinatæ, an verò imprimant diversos Characteres, vel non, parum refert, utrumque potest defendi. Potestas verò *Jurisdictionis* multiformiter explicatur: ab aliquibus dicitur conferri in ipsa ordinatione sive completè sive incompletè, ita ut nihil ipsi desit Sacerdoti ex parte principii ad absolvendum, præterquam quod aliquis Pœnitens se subjiciat. Alii requirunt assignationem subditorum & approbationem Ecclesiæ, ut non solùm licitè, sed etiam validè quis absolvat.

X. Potestas absolvendi, & consecrandi sunt distinctæ.

Sunt & aliæ Claves, spectantes ad forum externum Pœnitentiæ, ut Potestas excommunicandi, suspendendi, interdicendi, & ab his absolvendi, de quibus in materia de Censuris. Interim

XI. Quivis Sacerdos vi suæ ordinationis accipit Claves Regni Cœlorum Scientiæ & Potestatis Ordinis.

Dico Secundò: *Quilibet Sacerdos vi suæ ordinationis accipit Claves Regni Cœlorum scientiæ & potestatis Ordinis.* Ita Tridentinum *Sess.* 14. *ca.* 6. & *Can.* 10. Prima Pars patet, quia hoc Sacramentum est institutum per modum Judicii, ad Judicem autem spectat

spectat inquirere & scire de causa, in qua debet judicare, nempe de peccatis, eorum numero & Circumstantiis. Confirmatur ex Scoto: Potestas judiciaria in omni Judice, qui errare potest, necessariò supponit cognitionem causæ, sed Sacerdoti datur talis potestas, & errare potest, ergò data est ipsi authoritas cognoscendi in causa peccatoris. Minor patet ex verbis Christi *Matth. ultimo: Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra:* quam potestatem Joann. 20. Apostolis tradidit, eorumque Successoribus, dicendo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sed potestas remittendi & retinendi peccata est potestas Ordinis in Ordine ad Corpus Christi mysticum, nec rectè claudit aut aperit incognitâ causâ; Et eadem verba in Ordinatione cujuslibet Sacerdotis in Persona Christi proferuntur ab Episcopo: ergò utramque potestatem quilibet Sacerdos accipit tunc.

Arguitur, solus DEUS aut Christus habet Claves Regni Cœlorum, juxta illud Apocal. 3. *Qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*, ergò falsum est, quòd Sacerdotibus dentur Claves. Confirmatur ex figuris, quæ Absolutionem Sacramentalem significabant, ut fuit sanatio leprosi, resuscitatio Lazari, &c. quæ omnia fuerunt facta per solum Christum, licèt tenebantur adire Sacerdotem, ut eos declaret sanos & solutos, ergò non aliter faciunt de facto Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ, quàm declarare Pœnitentes à Lepra peccatorum mundatos. Respondetur dist: ant: Solus Christus aut DEUS principaliter habet Claves Regni Cœlorum, conced. Ant: ministerialiter aut instrumentaliter, nego Antec: & Consequ: in eodem sensu.

XII. Solus Christus aut Deus habet Claves principaliter, Sacerdotes autē habent ministerialiter seu instrumentaliter.

Ad Confirmationem nego Consequ: Quia Sacerdotes novæ Legis acceperunt à Christo per verba supradicta non solùm potestatem declarandi peccatores esse mundatos à lepra peccati, sed etiam ipsam tollendi lepram, quam potestatem non habuerunt Sacerdotes veteris Legis. Exemplum Lazari est magis pro nobis; quia sicut quamvis per Christum exstitit resuscitatus, eo tamen jubente per Apostolos à vinculis fuit absolutus, ità licèt Peccatores per Divinam Gratiam à Christo excitentur ad Pœnitentiam, per Absolutionem tamen Sacerdotis à vinculis peccatorum absolvuntur juxta Potestatem illis omnibus traditam. Major adhuc restat difficultas de potestate Jurisdictionis, pro qua

XIII. Etsi Sacerdos vi ordinationis accipiat jurisdictionē completam remittendi peccata, nequit tamen eâ uti validè aut licitè prohibente Ecclesia.

Dico Tertiò: *Quamvis Sacerdos vi suæ Odinationis accipiat à Christo potestatem & jurisdictionem completam remittendi peccata cujuslibet se submittentis, ea tamen uti non potest licitè aut validè Ecclesiâ prohibente.* Hæc est communissima in re, & sub iisdem terminis tenetur ab Amico citante Alensem, Ruvium, Antoninum, & multos alios. Ut melius & enucleatius appareat veritas nostræ Conclusionis, ponamus modos explicandi aliorum Doctorum in hac re, & nostrum postea, & quilibet judicet juxta suum captum, qui ipsi magis arridebit.

XIV. Sententia D. Bonaventuræ circa potestatem absolvendi.

Divus Bonaventura cum multis aliis dicit potestatem Ordinis à DEO conferri in Ordinatione, Jurisdictionis verò ab Ecclesia, cum illi oves pascendæ committuntur & assignantur, unde concludit, Sacerdotem vi suæ Ordinationis non habere sufficientem potestatem ad absolvendum, nisi nova potestas ab Ecclesia illi conferatur: Hæc Sententia habet suum fundamentum *in Florentino & Tridentino Sess.* 14. *Can.* 7. ubi dicitur: *Hoc Sacramentum exerceri non posse, nisi à Sacerdote habente jurisdictionem ordinariam aut delegatam*, quarum neutram habet vi Ordinationis in Ordine ad Corpus mysticum, nisi ex assignatione Ecclesiæ, aliàs ab Ecclesia non posset prohiberi, aut invalidari, sicut nec potestas consecrandi, cùm tamen prohibeatur & invalidetur Absolutio data à non habente Jurisdictionem ordinariam aut delegatam per Concilia supradicta.

XV. Sententia Cajetani, Vasquetz, &c. circa eandem.

Cajetanus affirmat præter potestatem Ordinis, quam Sacerdos accipit in collatione Presbyteratûs nullam aliam potestatem jurisdictionis necessariam esse in absolvente, quæ per modum principii concurrat ad actum Absolutionis, esse tamen necessariam jurisdictionem ex parte termini, ut qui absolvendus est, fiat subjectus Ministro, non aliter, quàm sicut in Arbitro habente potestatem judicandi inter partes, quam tamen exercere non potest, nisi se submittant partes. Huic Sententiæ subscribunt Albertus, Majoro: Vasquetz, & alii, nisi quòd addant, illam Jurisdictionem, quam accipit Sacerdos in ordinatione, non esse de jure Divino, sed tantùm dependenter à Vicario Christi, aut aliquo ejus ordinario.

XVI. Sententia Armacani.

Armacanus verò existimat, potestatem absolvendi completam esse cuilibet Sacerdoti concessam jure Divino, justis tamen de causis prohibitam esse, & ligatam ab Ecclesia non defectu potestatis absolvendi in Sacerdote, sed ratione obicis, quem ponit pœnitens confitendo contra prohibitionem Ecclesiæ post agnitionem talis prohibitionis.

XVII. Modus dicendi Authoris.

His omnibus visis noster modus dicit, quemlibet Sacerdotem vi suæ Ordinationis Jure Divino accipere completam potestatem super quæcunque peccata, sub conditione tamen, nisi Ecclesia prohibuerit. Unde accedente Ecclesiæ prohibitione Absolutio impensa à Sacerdote Pœnitenti, erit nulla, quia Sacerdos non accipit hanc potestatem exercendam contra prohibitionem Ecclesiæ. Quapropter etiamsi ante Ecclesiæ prohibitionem, potuerit quilibet Sacerdos absolvere quoscunque se submittendo, positâ tamen prohibitione, non potest quemquam validè absolvere, nisi in quem ex authoritate Ecclesiæ ordinariam, aut delegatam accepit Jurisdictionem.

XVIII. Authoritates pro eodem.

Hoc patet ex Decretis Summorum Pontificum, Callisti I. Dionysii I. Urbani II. & Conciliorum, maximè Florentini, dicentis: *Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem potestatem ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Et Tridentin. *Sess.* 14. *c.* 7. ubi declarat, nullius momenti esse illam Absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem. Ratio hujus est, Quia Absolutio est actus judicialis, sed talis non potest licitè aut validè exerceri in non subditum, juxta illud juris: *Sententia à non Judice*, seu in non subditum *lata est nulla*, & Sacerdos vi suæ Ordinationis non accipit subditum aut jurisdictionem contra prohibitionem Ecclesiæ, nam cum perfecta Ecclesiæ Hierarchia, & Cura Pastorali non potest stare, ut quis promiscuè Sacerdos habeat quemlibet Christianum pro subdito post prohibitionem Ecclesiæ. XIX. Et Ratio.

XX. Alia Ratio.

Noster modus dicendi salvat omnia, quæ de hoc Sacramento docent Theologi. Primò: Cur ab initio Ecclesiæ omnes Sacerdotes Jure Divino poterant quoscunque Pœnitentes se submittentes à quibuscunque peccatis absolvere. Secundò: Quòd omnes Apostoli Jure Divino acceperint hanc potestatem, cum omni plenitudine ab ipso Christo, & non à Petro. Tertiò: Cur omnes Sacerdotes in articulo mortis plenam habeant potestatem absolvendi quemlibet à quolibet peccato. Quartò: Cur omnes Sacerdotes (ut communis fert opinio) potestatem habeant absolvendi à peccatis venialibus & mortalibus aliàs ritè confessis. Quintò: à paritate Matrimonii, in quo Christus dedit potestatem Christianis Conjugibus, ut inter se hoc Sacramentum celebrent per Contractum non obligantem illos ad peculiarem Cæremoniam in Contractu apponendam, nisi illa fuerit ab Ecclesia præcepta, quo Præcepto posito Contractûs, qui antea erat legitima materia, desinit esse legitima, idque Jure Divino. Similiter in hoc Sacramento Absolutio, quæ esset valida, post prohibitionem redditur invalida.

Con-

XXI. *Aliorum modi dicendi refelluntur.* Confirmatur. Prima Sententia non salvat Sacerdotes in ordinatione à DEO constitui perfectos Judices animarum, cùm non accipiant completam potestatem judicandi & absolvendi, benè tamen in nostra sententia.

Secunda Sententia non videtur salvare naturam judiciariæ potestatis, quam habet Sacerdos in ordine ad forum Pœnitentiæ, quia hæc non est sola potestas Ordinis, sed etiam Jurisdictionis, sine qua non potest Judex Evangelicus jus dare in peccata sibi confessa, quod est contra verba Christi: *Quorum remiseritis peccata &c.* non salvat etiam, quo pacto ab initio Orientis Ecclesiæ omnes Sacerdotes absolvere poterant quoscunque accedentes, quod tamen salvatur in nostra sententia, dicendo, tàm potestatem Ordinis, quàm Jurisdictionis recipi in ordinatione à Christo, sub conditione tamen, nisi Ecclesia prohibuerit, ut in Matrimonio.

XXII. *Cur potestas absolvendi pendeat ab Ecclesia, & non ordinis.* Arguitur Primò: Potestatem Ordinis DEUS confert independenter à prohibitione Ecclesiæ, ergò etiam potestatem absolvendi. Respond. Negando Consequ: Nam major Ratio fuit, cur potius potestas absolvendi quàm consecrandi daretur dependenter à prohibitione Ecclesiæ, quia illa concernit Jurisdictionem, non verò hæc; sed omnis Jurisdictio privata debet de Jure Divino subordinari publicæ & universali, ne illam perturbet, aliàs esset summa Confusio.

XXIII. *Quid Concilia intelligant per jurisdictionem ordinariam aut delegatam.* Arguitur Secundò: Concilia præfata requirunt ad validitatem Absolutionis Jurisdictionem ordinariam aut delegatam, quorum neutram accipit vi Ordinationis Sacerdos. Respond. cum Vasquesio, Concilia appellare Jurisdictionem ordinariam aut delegatam, non potestatem aliquam, quæ se teneret ex parte principii, nam illam accipit Sacerdos à Christo, in susceptione Ordinis, sed quæ se tantùm teneat ex parte materiæ assignandæ, adeóque potestatem acceptam à Christo esse completam & ordinariam, sed impedibilem per Ecclesiæ prohibitionem.

Dices: Illa potestas, quam accipit à Christo, est inimpedibilis. Respond. Negando Assumptum, quando confertur sub conditione, ne fiat prohibitio, quâ positâ prohibet Jus Divinum, ne utamur potestate sub hac conditione à Christo concessâ.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quibus competat Jurisdictio ordinaria aut delegata?

Jurisdictio ordinaria dicitur, quæ alicui competit ex vi muneris, officii, sive beneficii, ad quod assumitur ab habente potestatem: nam etiamsi omnem potestatem absolvendi in hoc foro Sacerdos accipiat à Christo, ut immediatè diximus, tamen illam habet dependenter in actu secundo à Vicario Christi, qui pro recto regimine illam potest impedire, & de facto impedivit per multos Canones, præsertim per Canonem *Placuit* 6. & per Canonem *Utriusque Sexûs*, positâ autem universali prohibitione Pontificis potestas absolvendi Jure Divino manet suspensa, donec accedat licentia Pontificis, quæ etsi non addat novam potestatem absolvendi, pristinam tamen reddit expeditam & efficacem ad operandum, tollendo impedimentum, quod erat canonicè impositum. Hujus impedimenti sublatio in moralibus æquiparatur potentiæ seu potestati morali. I. *Quid Jurisdictio ordinaria.*

Jurisdictio delegata est, quæ solùm ex Commissione alicujus, qui ordinariam habet Jurisdictionem, conceditur. II. *Quid delegata.*

Dico Primò: *Summum Pontificem vi suæ electionis habere ordinariam universalem & certam Jurisdictionem in omnes totius Ecclesiæ subditos, tanquam Vicarium Christi, Episcopos in suorum Episcopatuum subditos, Patriarchas eorúmque Vicarios generales, supremos Pœnitentiarios,* *Quibus competat Jurisdictio ordinaria respectivè.*

Abba-

Abbates in suis monasteriis, Generales in Ordinibus exemptis respectu totius Ordinis, Provinciales in suis provinciis, Priores & Guardianos in suis Conventibus, Parochos assignatos in suis locis.

Ratio horum omnium est, Quia Pontifex est supremum Caput totius Ecclesiæ militantis, habens ordinariam Jurisdictionem in omnia ejus membra; Ipsi enim dictum est: *Pasce oves meas.* Reliqui verò ex assignatione officii, licèt Summus Pontifex certos aliquos Casus sibi absolvendos reservet, sicut & Episcopi, à quibus non quilibet habens Jurisdictionem ordinariam absolvere potest, nisi in articulo mortis.

IV. Subjectio Ordinariis acquiritur ratione domicilii, vel quasi.

Cœterùm advertunt Doctores communiter, tribus modis acquiri ab ordinariis Judicibus in alios, tanquam in subditos subjectionem. Primò: Ratione domicilii, vel quasi domicilii, ut quando intra limites Parochiæ majori, vel magna ex parte anni habitationem vel familiam quis teneat, quot enim talis habet domicilia, in quibus pro magna parte anni habitat, tot habet ordinarios Parochos, quibus subjicitur: quorum uni aut alteri confiteri potest.

V. Ex Juris Dispositione aut interpretatione.

Secundò, ex Juris dispositione aut Interpretatione, ut sunt iter agentes, Peregrinantes, Vagi, & nullum certum domicilium habentes, qui possunt confiteri Parocho, aut alii Confessario approbato loci, ad quem perveniunt, tempore, quo Sacramenta sive ex devotione, sive ex obligatione suscipere volunt, modò in fraudem non fiat. Ratio est Interpretatio benigna Juris, quia cùm Pœnitens habeat Jus ad Sacramenta suscipienda, nec possit à proprio Parocho, censetur voluntas Proprii esse, ut ab alio quocunque approbato ea suscipiat; si ex proposito Pœnitens peregrinatur, ut evitet proprium Parochum, censetur fraudulenter agere, & invalidè confiteri, nisi forte Religiosis habentibus privilegia confiteatur.

VI. Ex privilegio status.

Tertiò, Privilegio status, qui uniuntur alicui statui, familiæ, vel Conventui, hoc ipso subjiciuntur superiori Ordinario illius status aut familiæ. Sic Miles subjicitur Capellano Militum, Novitius Superiori Conventûs, famuli Cardinalium, Episcoporum & Abbatum, præsertim qui sub jurisdictione spirituali & temporali eorum vivunt, ipsis. Ut ad alteram veniamus partem

VII. Qui accipiant jurisdictionem delegatam à Jure & Privilegio.

Dico Secundò: *Tribus modis acquiritur Jurisdictio delegata, à Jure scilicet & privilegio, à Consuetudine, & ab Homine.* Hæc est communis, & patet declarando singulos modos: Itaque primo modo accipiunt Jurisdictionem delegatam Religiosi mendicantes, secundùm formam Juris approbati, qui ex Clementina *Dudum de Sepulturis*, & variis Pontificiis Diplomatibus habent authoritatem delegatam Confessiones audiendi. Similiter certæ Personæ, quæ per delegationem habent jus eligendi sibi, quos velint, Confessarios, ut est Summus Pontifex, Prælati majores, vel minores, Sæculares vel Regulares Jure Ecclesiastico *ex Cap. 16. de Pœnitentiis & Remissionibus*, ubi Gregorius IX. hoc Privilegium ipsis concessit, quo etiam privilegio gaudent Reges.

VIII. Qui à Consuetudine.

Secundò, à Consuetudine recepta & approbata habent facultatem eligendi sibi Confessarium aliàs approbatum omnes illi, qui consueverunt sibi Confessarios eligere, scientibus & non contradicentibus Superioribus ordinariis.

IX. Qui ab homine.

Tertiò, Delegatio ab Homine est, quando habens Jurisdictionem ordinariam, eam committit alteri respectivè ad suos subditos, vel quando delegatus ipse ex Commissione tamen Odinarii eam alteri committit. Dixi *ex Commissione Ordinarii*, Quia sine illa non potest delegatus alteri subdelegare suam potestatem, ut habetur *in Extravag. de Officio delegati. cap. ult.* Sic Episcopi in suis Diœcesibus, & Parochi in Parochiis delegare solent, nisi quòd Parochi solos approbatos delegare possint.

X. Quomodo fiat delegatio ab homine.

Fit autem regulariter hæc delegatio ab homine, verbo, scripto, vel

vel alio signo patente, quandoque etiam in casu necessitatis sufficit sola præsumptio de Voluntate delegantis. Exemplum ponit Marchantius in Parocho, qui absens à suâ Parochia curam pro interim delegavit, contingit autem, quòd delegatus nequeat satisfacere solus tantæ multitudini hominum volentium adimplere Præceptum Communionis, nec datur facilis recursus ad Parochum, poterit tunc ex justa Epickeya alium approbatum Sacerdotem vocare ad excipiendas Confessiones, quia supponendum est eum, qui ipsum delegavit, non voluisse ipsum ad impossibile, aut rem tàm difficilem coarctare, sed supponitur velle, ut congruè suis ovibus satisfieret.

XI. Non sufficit delegatio per ratihabitionem. Tamen non sufficit ad audiendas Confessiones delegatio per ratihabitionem, quam scilicet Sacerdos postmodum ratificat, nisi supponatur à Confessario, idem rationabiliter, & de præsenti velle, quando Confessiones audit. Ratio est, Quia sperare ratihabitionem nihil aliud est quàm probabiliter sperare proprium Parochum ratum habiturum Confessionem, & Absolutionem factam, sed per voluntatem illam, quam spero futuram, nullam acquiro in præsenti Jurisdictionem, quandoquidem Voluntas futura non habetur in præsenti. Deinde effectus hujus Sacramenti non potest dependere à conditione aut eventu contingenter futuro.

XII. Quid Jurisdictio dubia. Quæres: An qui dubitat de Jurisdictione sua possit hoc Sacramentum administrare? Dupliciter hoc potest contingere. Primò: Cùm quis pro neutra parte habet aliquam probabilitatem, sed manet omninò suspensus. Secundò: Cùm quis habet pro aliqua parte majorem probabilitatem, quàm pro alia, vel æqualem probabilitatem pro utraque. In primo casu nunquam licet hoc Sacramentum administrare, nisi sub conditione, si possum & tu indiges, & hoc ipsum in casu necessitatis extremæ.

In secundo Casu potius est probabilitas, quàm dubietas, quia fulcitur titulo colorato, vel opinione probabili Doctorum. Talis est Jurisdictio eorum, qui de beneficio curato litigantes jus aliquod vel titulum in beneficium prætendunt, ac proindè quamdiu per sententiam titulo non sunt spoliati, tamdiu probabilem Jurisdictionem habere censentur. XIII. Quid probabilis. Quidquid sit de hoc, utens Jurisdictione probabili, sive activè sive passivè relictâ certâ, absque rationabili causa mortaliter peccat; Ratio communis est cum aliis Sacramentis, in quibus docetur, quòd ubi materia certa & forma certa potest adhiberi, probabili non sit utendum; sic non est baptizandum in Lixivio, quamvis sit probabilis materia, si adsit pura aqua tàm ob periculum, quàm ob irreverentiam, & temeritatem in re tanti momenti, ad animarum salutem spectante. XIV. Eâ utens relictâ certâ mortaliter peccat.

XV. Exceptis quibusdam casibus. Dixi sine rationabili causa, quia potest quis rationabiliter uti Jurisdictione tali, in tribus Casibus, relictâ certâ.

Primò, ut bono Pœnitentis consulatur, quando scilicet indiget Consilio, adjutorio, solatio spirituali, nec expedit, ut qui certam habet Jurisdictionem, hic & nunc audiat.

Secundò, ut damnum evitetur, utpote ne Complex in cognitionem veniat, aut Pœnitens in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem Confessarii incidat. Item, Quia fortè non confitebitur alteri habenti Jurisdictionem certam illud peccatum, quod libenter habenti probabilem confiteretur.

Tertiò, in necessitate congrua, ut quia implendum est præceptum, aut indulgētia particularis lucrifacienda, aut cùm timetur non fore postea opportunum tempus confitendi: In his Casibus censetur Ecclesia favere & supplere, si quid desit.

XVI. Jurisdictio delegata concessa ad certū tempus, eo expleto cessat. Dico Tertiò: *Jurisdictio delegata, si communicata est ad certum tempus, illo tempore expleto cessat, si verò indefinitè, & non limitatur ad certum*

concessa indefinitè durat, donec revocetur.

certum tempus semper durat, donec revocetur. Ita communis ex titulo de Officio delegati. An post mortem delegantis duret Officium delegati, affirmant aliqui, modò exercitium Jurisdictionis sit inchoatum ante mortem delegantis, aliter verò, si non sit inchoatum, unde si delegatus incepit audire Confessionem vivente suo ordinario, à quo delegationem accepit, potest postea prosequi suam Jurisdictionem, etiamsi, antequam finiatur Confessio, Ordinarius moriatur: Si verò nullo modo incepta est, cessat per mortem delegantis. Alii afferunt absolutè non cessare: quia Concessio Jurisdictionis est gratia quædam, gratia autem non expirat, per mortem concedentis *ex Cap. Cui de Præbendis in* 6. aliàs mortuo Episcopo multæ Confessiones fierent invalidæ, nam multi multos absolverunt, antequam Episcopum mortuum intelligerent; quod autem in tanta Confusione velit Ecclesia talem authoritatem relinquere, minimè credendum est.

Sed hìc oritur alia Difficultas: An scilicet aliquis per communem errorem consequi posset sufficientem Jurisdictionem ad absolvendum. Hæc Quæstio est celebris inter Theologos & Canonistas, & formatur in Casu, quo Sacerdos communiter reputatur, quasi habens Jurisdictionem, & tamen in rei veritate non habet. Hoc tribus modis contingere potest.

XVII. Tribus modis quis potest reputari quasi habens Jurisdictionem, quam tamè verè non habet.

Primò: Si quis antea nullam Jurisdictionem accepit, sed modo à legitimo Superiore accepit aliquem titulum, vel etiam potestatem delegatam, & tamen recipiens hujusmodi titulum esset incapax propter Simoniam, quæ latet, vel propter Excommunicationem ubique occultam, vel alibi denunciatam, quæ tamen hìc communiter ignoratur. In tali casu titulus sic acquisitus dicitur coloratus, non verus.

Secundò: Si quis antea accepit Jurisdictionem, & tamen propter Excommunicationem in uno loco denunciatam, eâ privatus est, quod nihilominus alibi nescitur, sed communiter pro sufficienti reputatur.

Tertiò: Si quis nullam Jurisdictionem ordinariam aut delegatam accepit, & tamen communiter à populo reputatur habere Jurisdictionem, de quibus singulis est difficultas.

Dico Quartò: *Quilibet Sacerdos, qui antea legitimam accepit potestatem Confessiones audiendi, incidens in Censuram Ecclesiasticam quamcunque, vel etiam irregularitatem, si non sit denunciatus, vel publicus Clerici percussor, validè absolvit.* Ratio est: Quia licèt Excommunicatio, suspensio, & interdictum, quæ sunt propriè dictæ Censuræ, inter alios istum effectum habent de Jure antiquo, ut privent hominem ipsi subjectum, omni Jurisdictione spirituali, quâ antea gaudebat, ita ut illius acta irrita sint & nulla, reddantque inhabilem ad recipiendum aliquod beneficium Ecclesiasticum, hoc tamen non obstante Concilium Basiliense, & Martinus V. in Extrav. Ad evitanda multa scandala, quam refert Navarrus C. 27. Summæ, decrevit, ut nullus Fidelis teneatur vitare Excommunicatum, suspensum vel interdictum, non solùm in rebus politicis, sed etiam in administratione, vel receptione Sacramentorum, nisi solos illos, qui specialiter per Judicem sunt taliter denunciati, vel publici percussores Clerici. Concessio hæc facta est in favorem Pœnitentiæ.

XVIII. Habitâ antea legitima jurisdictione incidens in censuram, si non sit denunciatus, vel publicus percussor Clerici, validè absolvit.

Dico Quintò: *Si ob Censuram aut Simoniam sit Jurisdictionis incapax, omnique ante Jurisdictione caruit, si à legitimo Superiore id ignorante titulum coloratum accipit, aut potestatem delegatam, validè absolvit, quamdiu communiter pro sufficienti reputatur.* Ita communis deducto argumento *ex Lege Barbarus. ff. de officio Prætoris.* ubi habetur, licèt servus apud Populum Romanum inhabilis fuerit ad Prætoris officium, si tamen liber communiter reputatur, eligibilis

XIX. Incapax jurisdictionis ob censurã, omni antea carens jurisdictione, à legitimo Superiore id ignorante titulum coloratum accipiens, aut potestatem delegatã, validè absolvit quamdiu communi-

ter pro sufficienti reputatur. bilis est in Prætorem, ejusque acta valida esse ex potestate illius Populi Romani, qui confusionem in Republica non volebat admittere: *Item ex Cap. Infamis*, quod ex Synodo Romana desumptum est, habetur, si servus dum putaretur liber ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet. Ex his simile argumentum ad propositum deducitur: Quòd Ecclesia, Pontifex, seu Jus Commune implicitè tali excommunicato det jurisdictionem quoad hoc, ut actus valeant propter simile commune bonum. Quod enim, ut ait Sanchez, Jure statuitur in uno casu, eo ipso reputatur in simili, sed supposita potestate Ordinis forum externum & internum Conscientiæ quoad potestatem Jurisdictionis est ejusdem rationis, ergò.

XX. Item qui sufficienti jurisdictione gaudebat, & postea jure ipso vel per sententiam Judicis eâ privatur occultè.

Dico Sextò: *Qui sufficienti Jurisdictione gaudebat, & postea Jure ipso, vel per sententiam Judicis eâ privatur occultè, adhuc validè absolvit bonâ fide Confitentes; imò quando in uno loco publicè denunciatur, adhuc in alio loco, ubi privatio communiter ignoratur, validè absolvit.* Patet.

QUÆSTIO TERTIA.

An in Ministro hujus Sacramenti requiratur necessariò approbatio?

Ante Tridentinum Jure antiquo licebat cuicunque habenti Jurisdictionem ordinariam eam subdelegare cuilibet Sacerdoti, quem suo judicio idoneum judicaret, nec requirebatur Episcopi approbatio, donec successu temporis inter Episcopos & Regulares à Papa delegatos circa Confessiones audiendas oriretur contentio de approbatione, quæ fuit sedata per Tridentinum.

I. Approbatio quid & quot modis fiat.

Approbatio est publicum & authenticum judicium, factum scripto vel verbo, aut alio signo ab habente Authoritatem de idoneitate & sufficientia Sacerdotis in Ordine ad audiendas Confessiones. Quod tribus modis fieri solet. Primò: Collatione beneficii Parochialis. Secundò, Examine Episcoporum per se vel per alios, si necessarium judicetur. Tertiò, Quocunque alio modo, ex quo sufficientia Confessarii judicari possit.

II. Nequit Sacerdos Secularis aut Regularis seculares, etiam Sacerdotes absolvere, nisi aut beneficium Parochiale accipiat, aut alio modo approbetur.

Dico Primò: *Ut Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audiat, eósque absolvere possit, necessarium est, ut beneficinm Parochiale accipiat, aut aliquo alio modo approbetur ab habente authoritatem.* Ita communis Theologorum post Tridentinum *Sess. 23. c. 15. de Reformat.* ubi habentur hæc verba: *Quamvis Presbyteri in suâ Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; Privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus, &c.* Ratio est: Quia non potest Sacerdos administrare Sacramentum Pœnitentiæ, nisi ad hoc Jurisdictionem ordinariam aut delegatam habeat: Jurisdictio autem nunquam conceditur sine approbatione aliquo modo ex dictis, ergò.

III. Ad audiendas Confessiones Regularium sufficit Religiosi approbatio proprii Superioris.

Dixi in Conclusione: *Confessiones Sæcularium*, quia ad audiendas Confessiones Regularium sufficit Religiosis licentia & approbatio proprii Superioris, sine ullo recursu ulteriori.

IV. Nomine Episcopi approbantis quis veniat.

Nomine Episcopi approbantis intelligi potest ejus Vicarius Generalis, Capitulum sede vacante, Abbates, qui in suis bonis exemptis à Jurisdictione Episcoporum Jurisdictionem spiritualem & temporalem habent.

IV. Opinio fuit quorũdam, Lectores

Existimârunt aliqui Lectores & Graduatos in Theologia, non obligari

non esse obligatos ad examen Episcoporum. gari ad suscipiendum examen Episcoporum propter Bullam Pii V. quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines: datum Romæ Anno* 1567. in qua hæc verba leguntur: *Lectores insuper ex eisdem Fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerunt, cùm de ipsorum doctrina ambigendum non est, tàm Confessiones audituri, quàm Prædicationis munus subituri ab ipsis minimè examinentur:* Nihilominus idem Pontifex *Anno* 1571. per aliam bullam, quæ incipit *Romani Pontificis;* voluit Decretum Tridentini de approbatione Confessariorum juxta Concilii terminos servari, etiam quoad Lectores & Graduatos in Theologia, modò voluerint Episcopi.

VI. Servâdum tamen Côcilium Tridentin.

Circa hanc approbationem docuerunt multi Authores non infimæ notæ, Primò: Episcopos non posse hanc approbationem denegare illis, quos idoneos agnoscunt, & Parochiale jam officium obtinuerunt; quia ex vi Officii sibi commissi, & beneficii jam acquisiti habent jus audiendi Confessiones. Secus dicendum de Sacerdotibus sæcularibus nullum Officium Pastorale habentibus, quamvis repertis idoneis & sufficientibus, quibus potest Episcopus absque ulla causa pro sua libertate denegare approbationem aut Jurisdictionem in suos subditos. Ratio est: Quia hujusmodi approbatio est merè gratiosa, & sicut in libertate Episcoporum est, admittere plures vel pauciores ad ministranda Sacramenta in sua Diœcesi, ita approbare vel non approbare, quamvis aliàs idonei per examen reperiantur.

VII. Tenuerunt multi Episcopos tenere approbationem idoneis.

Secundò docuerunt alii, Episcopos teneri dare approbatinnem Regularibus privilegiatis per examen idoneis sufficientibus repertis, imò casu, quo Episcopi injustè denegarent approbationem illis, cognita illorum idoneitate per examen & ritè præsentatis, posse ipsos liberè & licitè Confessiones audire *ex Clementina. Dudum. de sepulturis:* Ubi Clemen. V. in Concilio Viennensi de plenitudine Potestatis hanc ipsis authoritatem concessit, his verbis: *Si verò Prælati* (scilicet Episcopi, aut eorum Potestatem habentes) *præfatis Fratribus scilicet Prædicatoribus & Minoribus ad Confessiones* (ut præmittitur) *audiendas, electis hujusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis, ut Confessiones liberè & licitè audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impartiri, gratiosè concedimus, de plenitudine Apostolicæ potestatis. &c.*

Nec huic Legi speciali (inquiunt Authores præfati) quidquam derogat Lex generalis Tridentini per illas particulas, *Privilegiis, & quarumcunque consuetudine non obstantibus,* quia licèt per specialem legem generali derogetur, per generalem nunquam derogatur speciali, nisi fiat specialis ejus mentio. Ponitur exemplum: Lex specialis, quâ Filii Nobilium ex Prærogativa suæ ingenuitatis arma gerere permittuntur, non abrogatur per Legem generalem, quâ statuitur sub certâ pœnâ, ut nullius in Republica arma gerat, nullâ factâ mentione prioris Legis; sed Canon Tridentini est Lex generalis, & *Clementinâ. Dudum.* Lex specialis inserta Corpori Juris communis, confirmata in Lateranensi sub Leone X. concernens ex primæva Institutione Dominicanos & Franciscanos; Lex verò Tridentini omnes generaliter respicit, nec facit mentionem alterius, ergò. Præterea dicunt, concessionem Clementinæ non esse nudum privilegium, sed Jus stabile Corpori Juris communis insertum, dans eandem potestatem Regularibus exemptis, quam habent Curati & Parochi, quantum ad Confessiones audiendas, sed Episcopus non potest justè aut validè negare Parocho idoneo approbationem, cùm hanc vi officii habeat; ergò nec Regularibus, cùm non sit credendum, velle Tridentinum patrocinari injustitiæ. Ita Navarrus, Rodriquez, Miranda, Marchantius, & alii; Verùm existimo tutius esse, ut non se immi-

VIII. Per Legem generalem non derogatur speciali.

immisceant Regulares præsentati, etiam injustè ab Episcopo rejicientur post Alexandrum VII. qui damnavit hanc propositionem, *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato*, ergò non licet tali præsentato idoneo reperto per examen, & injustè reprobato, absolvere.

IX. Approbatio semel facta per se loquendo manet perpetua.

Tertiò: Approbationem ritè semel secundùm formam Tridentini factam ab uno Episcopo per se loquendo manere perpetuam, posse tamen approbatum ex justa causa vocari rursus ad examen à Successore illius Episcopi, juxta declarationem Pii V. in Bulla, quæ incipit *Romani Pontificis*, pro majori quiete suæ Conscientiæ, quod à paritate rationis, de eodem Episcopo docet Marchantius in certis causis, ut si accenderet nova insufficientia ex parte approbati, v. g. infirmitas aliqua cerebri, vel ex aliis actibus & testimoniis fide dignis deprehendatur insufficiens, quibus & aliis similibus ablatis injustè approbatus semel, revocaretur iterum ab eodem approbante ad examen.

X. Ad judiciū idoneitatis sufficit approbatio ab Episcopo Confessarii.

Dico Secundò: *Ad Approbationem & judicium idoneitatis Confessariorum juxta Tridentinum sufficit approbatio facta ab Episcopo Confessarii.* Probatur: Quia cùm approbatio sit actus juridicus, quæ in subditum vel quasi subditum exercetur, à nullo fieri melius potest, quàm à proprio Episcopo, qui approbari debet. Ita Bonac: unde, inquit, non posse Episcopum Sacerdotem sibi nullo modo subditum approbare. Marchantius dicit, Parochum quemcunque approbatum in sua Diœcesi absolutè, posse à vicino Parocho alterius Diœcesis vocari ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum, etiamsi in illa Diœcesi per proprium Episcopum loci non sit approbatus, nisi impediatur à superiori potestate, hoc patet ex praxi apud multos tolerata, quâ Pastores permittunt, & facultatem faciunt suis Parochianis, ut Sacerdotibus vicinarum Parochiarum alterius Diœcesis confiteantur, & eos interdum in absentia advocant. Et videntur Domini Episcopi tacitè ob animarum salutem approbare & consentire.

Dixi: *Qui absolutè est approbatus*, nam qui tantùm est approbatus pro una Parochia, non potest pro Personis alterius loci delegare potestatem non approbato Sacerdoti.

Dixi: *Nisi impediatur à potestate superiori*, quia licèt Jurisdictio Parochorum sit ordinaria & delegabilis approbatis secundùm formam Tridentini, dependet tamen ab Episcoporum potestate, ut restringi & limitari possit; Hinc aliqui Episcopi de facto restringunt talem licentiam prohibendo Pastoribus, ne facultatem faciant aliis Parochis, ut suos Parochianos audiant, nisi sint ab ipsis, vel Prædecessoribus suis in ista Diœcesi approbati, & super hoc statuta condunt, quibus positis potestas Parochorum redditur restricta.

Dico Tertiò: *In Ordine ad Confessiones audiendas & absolutionem impertiendam* (salvis Privilegiis) *requiritur approbatio Episcopi Pœnitentis.* Ratio est: Quia nemo legitimè absolvi potest, nisi ab habente Jurisdictionem in ipsum, sed solus Episcopus Pœnitentis hujusmodi Jurisdictionem habet in Pœnitentem, ergò & solus ille potest dare. XI. Ad Confessiones audiendas requiritur approbatio ab Episcopo Pœnitentis.

Dixi: *Salvis Privilegiis*, Quia in omnibus casibus, in quibus licet Pœnitenti confiteri Confessario approbato ab alio Episcopo, quàm suo, hoc est, Pœnitentis, id per Privilegium fieri censendum est, ut de iter agentibus, de recurrentibus ad mendicantes, in Ecclesiis suorum Ordinum, & de habentibus Potestatem eligendi Confessarium à quocunque Episcopo approbatum, sed quia Regulares exempti, in approbatione nihil accipiunt ab Episcopis, nisi merum authenticum judicium de sua idoneitate ad excipiendas volenter Confessiones Sæcularium, Jurisdictionem verò delegatam & illimitatam à Summis Pontificibus

ficibus per varia Privilegia suppositâ tali approbatione ipsis concessam, ideò hic

XII. An approbatus pro una Diœcesi censeatur approbatus pro omni.

Quæres: An Regularis exemptus & privilegiatus approbatus generaliter ab uno Episcopo juxta formam Clementinæ & Tridentinæ Synodi, accipiat virtute suorum Privilegiorum Jurisdictionem pro tota Ecclesia, ita ut in quocunque Episcopatu, sine ulla nova approbatione Episcopi loci, per quem transit, possit quoscunque ad se venientes absolvere? Certum est ex Concessionibus Nicolai V. Sixti IV. Pauli III. & aliorum Pontificum, posse Regulares exemptos in sua Diœcesi ritè approbatos audire Confessiones quorumcunque Pœnitentium, non solùm istius Diœcesis, sed etiam aliarum omnium ad suos Conventus venientium; Quia licèt Episcopus ampliorem Jurisdictionem non valeat concedere, quàm in suos tantùm Diœcesanos, tamen Summi Pontifices præfati, qui habent Jurisdictionem universalem in omnes oves totius Ecclesiæ concesserè Regularibus approbatis ritè istam facultatem; tamen hæc Jurisdictio Papalis non potest exerceri licitè aut validè in Personas aliorum Ordinum, nisi de consensu & licentia Superiorum cujuslibet Ordinis respectivè, ita declaravit Clemens VIII. in quadam Bulla Anno 1599. 23. Novembris, ubi declarat in omnibus indultis nunquam fuisse intentionem Sedis Apostolicæ, ulli Religioso, vel Moniali dare licentiam confitendi alicui contra dispositionem Superiorum suorum; sufficit tamen hic & nunc interpretativa & præsumpta Superioris licentia, quando commodè adiri non potest, & urget rationabilis causa.

XIII. Regulares approbati possunt absolvere quoscunq; ad suos Cōventus venientes.

XIV. Non tamen alios Religiosos.

XV. Multi tenēt semel approbatum pro una Diœcesi esse probatum pro omni.

Restat adhuc Difficultas quæsiti principalis de multitudine Approbationum. Partem affirmativam tenuerunt hucusque Corduba in Compendio Privilegiorum Mendicantium verbo *Absolutio*. Henriquez citans Medinam & alios plures Doctos Jurisperitos Salmaticenses, ac insuper Archi-Episcopos, Compostellanum, & Granatensem, qui interfuerunt Tridentino, quos omnes Consultos, hoc ut certum asseruisse commemorat, & in Hispania quotidiè practicari, quibus adstipulatur Coninck dicens, id verissimum esse, quamdiu Episcopus alterius Diœcesis non prohibet.

Suadetur Ratione Primò: Hoc ipso, quòd habetur approbatio requisita in Concilio Tridentino, possunt Religiosi approbati Confessiones omnium ad se venientium audire, sed approbatus ab uno tantùm Episcopo habet omnia, quæ Concilium exigit, ergò. Min. Probat: nihil exigit, nisi ut Religiosi approbationem ab Episcopis accipiant, sed hoc fit, etiamsi ab uno tantùm approbentur: Quia ly *Episcopis* non accipitur collectim, sed disjunctim, ita ut quilibet approbetur à suo Ordinario, sicut Apostolus dicit ad Ephesios 3. *Viri, diligite Uxores vestras*, non quòd quilibet teneatur diligere plures, sed diversi diversas respectivè, ergò similiter intelligendum est hic de Episcopis. Probatur hoc. Nam si collectivè intelligeretur ista particula, mortuo Episcopo Diœcesis, in qua esset approbatus aliquis Religiosus, iterum deberet necessariò approbari ab ejus Successore, quod est contra Declarationem Pii V. ergò falsum est per ly *Episcopis*, in Tridentino intelligi plures Episcopos.

Secundò: Quicunque ab uno Episcopo approbatus est, semper manet approbatus, etiam pro tota Ecclesia, maximè Regularis exemptus, qui habitâ semel approbatione unius Episcopi Jurisdictionem recipit à Summo Pontifice, ergò hoc ipso, quòd semel approbatus est, hæc approbatio semper & ubique manebit, modò non fiat ipsi contradictio, nam juxta illud *Juris in* 6. *Quod jus non distinguit, nec nos distinguere debemus: maximè cum favores sint ampliandi, & odia restringenda*; sed Tridentinum non facit distinctionem inter Episcopum, in cujus

cujus Diœcesi Regularis habet domicilium, & alium, per cujus Diœcesim transit, postquam est approbatus in unius Diœcesi, ergò neque nos debemus distinguere. Attamen:

XVI. Approbatus in una, debet approbari in alia Diœcesi.

Dico Quartò: *Regularis exemptus approbatus in una Diœcesi, per se loquendo, non est approbatus pro omni, sed commoraturus in alia, de novo se Episcopo illius Diœcesis pro approbatione præsentare debet.* Ita Suarez, Vasquez, Ledesma, & alii.

Probatur Primò: Quia Tridentinum requirit necessariò aut Parochiale beneficium, aut approbationem ab ipsis Episcopis, ubi non dicit ab uno Episcopo, sed ab Episcopis.

Probatur Secundò: Gregorius XIII. concessit Privilegium Confessariis Societatis Jesu, aliisque per communicationem, ut quando iter facerent per alias Diœceses, possint audire advenientium Confessiones, modò ab aliquo Episcopo sint approbati; ergò supponit Pontifex sine hoc Privilegio id non licuisse, nec licere de facto, nisi in solo itinere.

Probatur Tertiò: Verba Tridentini eodem modo sunt intelligenda respectu Sæcularium & Regularium, sed Sæculares Sacerdotes debent approbari ab Episcopo illius loci, in quo Confessiones audiunt, ergò & Regulares.

Probatur Quartò: Quilibet Confessarius tenetur approbari à proprio Episcopo, sed ubicunque habitat Regularis, Episcopus illius Diœcesis est ejus proprius Episcopus, ergò ab illo debet approbari.

Probatur Quintò: Urbanus VIII per Bullam editam Anno 1628. revocavit omnia Privilegia & indulta audiendi Confessiones sine approbatione Ordinarii; hæc sunt verba Bullæ: *Cùm sicut accepimus aliquibus Religiosis quorundam Ordinum seu Congregationum à Sede Apostolicâ indultum fuerit, ut Sacramentales Personarum Sæcularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis, ad id examinati & approbati non fuerint, nec desint, qui temerè asseverent hoc ipsum Privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere ex amplissimis Privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica acceperunt, & hinc saluberrimum Sacri Concilii Tridentini Decretum desuper sancitum, penitus evertatur. Nos huic malo providere volentes de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, negotiis Regularium Præpositorum consilio omnia & singula indulta hujusmodi audiendi Confessiones Sæcularium, absque Ordinarii examine & approbatione quibusvis Collegiis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societatis Jesu Congregationibus, & Ordinibus, tàm Mendicantibus quàm non Mendicantibus, & quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, & quovis privilegio munitis, &c. tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusque & effectibus evacuamus &c.*

Ex his noster Hicquæus hic dist. 19. ait, hanc Constitutionem derogare Privilegio audiendi Confessiones in Diœcesi, in qua quis non est approbatus. Idem dubitativè sentit Diana *Parte* 3. *Tract.* 2. *Resol.* 123.

XVII. Ut Regularis in alia Diœcesi validè absolvat, debet habere consensum sui Superioris.

Episcopis itaque ægrè ferentibus, non est contradicendum, sed, ut ait Marchantius Primò: Ad hoc, ut Regularis validè absolvat in altera Diœcesi, debet ex consensu sui Prælati, se Episcopo approbandum præsentare, si commodè potest fieri accessus, nisi enim talis præsentatio fiat ex consensu sui Prælati, non accipit approbatus Jurisdictionem delegatam Summi Pontificis aliis Regularibus concessam. Quia non censetur Pontifex hanc Jurisdictionem conferre, nisi illis solis, qui à suis Prælatis de eorum consensu, ritè præsentantur Episcopis; nam hæc Jurisdisdictio Pontificis conceditur in favorem Religionis, sed ille non meretur participare de favore Religionis, qui contra Religionem ejusque Superiorem peccat, ergò.

Sed

Sed quid si Confessarius Regularis insciô suô Prælatô, aut contra ejus voluntatem præsentavit se Episcopo, & approbationem idoneitatis obtinuit, an virtute talis approbationis validè absolveret venientes ad se in illô locô? Dixi *validè*: quia certum est, quòd illicitè ageret contra sui Prælati obedientiam & voluntatem.

XVIII. Nisi ipse Episcopus in suas oves daret jurisdictionem.

Respond. Si tali præsentanti Episcopus contulisset Jurisdictionem in suos subditos eôdem modô, quô sæcularibus Sacerdotibus solet eam conferre assignando subditos, non obstante contradictione sui Prælati, quòd validè absolveret, secus verò, si nudam approbationem idoneitatis ab Episcopo sine tali Jurisdictione obtinuisset. Ratio est: Quia ex quo Summus Pontifex Regulari contra Voluntatem sui Superioris taliter se præsentanti, & approbato, non censeatur suam Jurisdictionem conferre aut delegare, nisi Episcopus ultra approbationem suam, ipsi Jurisdictionem conferat, nullam omninò Jurisdictionem habebit: adeóque neque validè poterit ullius Diœcesis subditos absolvere sine Jurisdictione ordinaria aut delegata. Hoc adhuc magis practicatur apud Dominicanos, quibus dedit Julius III Breve Apostolicum, quo invalidantur omnes approbationes, & Jurisdictiones obtentæ ab Episcopis sine licentia suorum Superiorum Regularium. In hoc etiam Privilegio alii Religiosi potuissent communicare cum ipsis, si velint, sed quoad hunc effectum, non acceptarunt.

Secundò: Ut Regulares ab uno Episcopo sic approbati, quando ad alienam Diœcesim se transferunt, se præsentent Episcopo, si est in Oppido aut Civitate, per quam transeunt, suámque approbationem ostendant, & examini ejus se submittant, si placuerit Episcopo, juxta dicta in Clementina: *Dudum de Sepulturis*, licèt non desint plures, ex quibus est Bruno, Cassianus, & alii, quos refert & sequitur Diana, qui dicunt post amplam Concessionem Clementis VII. Franciscanis longè posterius factam, posse illos semel præsentantes, & ritè approbatos in quacunque Diœcesi sine ulla nova præsentatione Episcopo loci facta, licitè & validè audire Confessiones quorumcunque advenientium, ut habetur in Compendio Privilegiorum Mendicantium. Idem docet Corduba in annotationibus ad idem Compendium, per hanc Concessionē existimant illi Authores, plus concedi Mendicantibus, quàm per Clementinam. Sed quidquid sit de hoc, docet Marchantius, posse Regularem in uno Episcopatu semel ritè approbatum, dum ad alium Episcopatum migrat, nec potest tàm citò aut commodè se præsentare Episcopo loci, audire interea aliquoties Confessiones; quia illa interimistica Confessionum auditio non præjudicat Episcopo, nec tollit quin ad quietem suæ Conscientiæ, (quam solùm intendunt Concilia & Decreta Pontificum) opportuno tempore faciat experimentum de sufficientia & Idoneitate Confessarii &c.

XIX. Confessarii exempti transeuntes audire possunt in alia Diœcesi ad interim.

Hoc ipsum confirmat Concessio Gregorii XIII. superiùs memorata, in qua Patribus Societatis, aliisque cum ipsis Communicantibus dedit, ut eorum Confessarii ab aliquo Ordinario approbati, & à suis Superioribus ad hujusmodi munera deputati, quandocunque sive in mari, sive in terra iter faciunt, possint non repugnantibus Curatis Parochialium Ecclesiarum Verbum DEI prædicare, & quorumcunque Fidelium Confessiones audire, dummodò id non faciant in locis, in quibus Ordinarii habitant, nisi eorum licentiâ desuper obtentâ.

XX. Accipiens jurisdictionem pro Sæcularibus non accipit pro Regularibus aliarū Religionum.

Tertiò: Docet idem Marchantius, quòd Regularis exemptus, quantumvis ritè præsentatus, & ab Ordinario approbatus, dando ipsi Jurisdictionem in suos subditos, non accipiat Jurisdictionem in Regulares Personas, scilicet alterius Ordinis, nisi de licentia expressâ vel tacita Superiorum cujuslibet Ordinis respectivè, prout declaravit Clemens VIII

uti suprà diximus. Ratio est: Quia ex Florentino & Tridentino nullus Confessarius sive Regularis sive Sæcularis potest ullum Pœnitentem Regularem aut Sæcularem absolvere, nisi in eum ordinariam aut delegatam habeat Potestatem & Jurisdictionem, sed nullus habet talem Jurisdictionem in præfatas Personas, nisi à propriis Pœnitentum Superioribus, tacitè vel expressè eam accipiant, ergò. Min. Prob. de Jurisdictione delegata, de qua sola est Quæstio: Quia vel hanc acciperent à Summo Pontifice, sicut delegat exemptis respectu Sæcularium subindè, vel ab Episcopo approbante: non à primo, quia contrarium decrevit Clemens VIII. Nec à secundo, quia non potest Episcopus dare Jurisdictionem, nisi in suos subditos, quales non sunt Regulares unius aut alterius sexûs, ergò à nullo habere potest, nisi à propriis Superioribus Regularium Personarum.

XXI. Habens facultatem confitendi extra Ordinem, non habet pro Casibus reservatis in illa Religione.

Sed quid si superior Regularis dedit suo subdito itineranti inter Sæculares generalem licentiam confitendi cuicunque Confessario approbato sæculari vel Regulari sui vel alterius Ordinis, an poterit absolvi à casibus in suo ordine reservatis? Respondetur: Negativè nisi expressam licentiam quoad reservatos aut Confessario aut Pœnitenti concesserit; nam juxta Regulam Juris in 6. *in generali concessione non veniunt ea intelligenda, quæ si specialiter peterentur, non essent verosimiliter concedenda*; nunc autem in plerisq; Religionibus, & maximè in Ordine Minorum ex Bulla Bonifacii VIII. & Clementis IV. inhibitum, ne Superiores Ordinis dent alterius Ordinis Religiosis, multò minùs Sæcularibus Sacerdotibus authoritatem absolvendi à casibus in ipso Ordine reservatis, ut refert Corduba super cap. 7. Regulæ, ne atrociora crimina extra Ordinem propalentur, nec propter hoc debet Religiosus in itinere habens casum reservatum anxiari, quia potest securè secundùm multos cuicunque sæculari vel regulari de licentia expressâ vel præsumptâ sui Superioris confiteri non reservata, à quibus absolutus indirectè absolvitur à reservato, cum onere tamen comparendi postmodum coram habente potestatem directam absolvendi, in tali enim casu non censetur habere copiam Confessarii pro casu reservato.

Dices: Non potest ullus Superior Regularis reservare sibi casus, aut restringere Potestatem Confessariorum sibi non subditorum, sicut in simili tenuerunt multi Authores, non posse Episcopos restringere potestatem Regularium in Ordine ad absolvendum à casibus sibi reservatis, quia Regulares non sunt eorum subditi, nec ab ipsis habent Jurisdictionem in Ordine ad tales casus, sed Regulares alterius Ordinis, & multò minùs Sæculares Sacerdotes non sunt subditi hujus vel illius ordinis in particulari, ergò nullus Ordo in particulari potest sibi reservare casus, à quibus Cōfessarii Sæculares & Regulares alterius ordinis non possunt absolvere. Resp. neg: maj: aliud enim est de Regularibus exemptis (juxta illos Authores) quoad casus, quos sibi reservant Episcopi, & de Prælatis Regularibus quoad suos casus. Nam Regulares sicut non sunt subditi Episcoporum, nullam etiam Jurisdictionem in Ordine ad casus quoscunque accipiunt ab ipsis, sed suam Jurisdictionem totam suppositâ approbatione Episcopi, quoad omnes casus etiam Papales extra Bullam Cœnæ, habent immediatè à Summis Pontificibus per varia Privilegia, etiam Corpori Juris communis inserta, quæ non habent alii Confessarii, etiam Regulares respectu Religiosorum aliorum Ordinum, nisi dependenter à consensu & licentia suorum respectivè superiorum, prout ex Authoritate Clementis VIII. suprà citatâ patet. Quoniam fecimus mentionem reservationis, sit



QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

Quis & quomodo potest absolvere à Reservatis?

I. In Ecclesia est authoritas reservandi casus.

ESse in Ecclesia Potestatem Casus reservandi docet Tridentinum Seff. 14. cap. 7. & Can. 11. Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia respectu Sacerdotum delegatorum, licèt hæc reservatio rarissimè habeatur in usu. Hi omnes habent facultatem reservandi certos & graviores casus sibi, à quibus extra articulum mortis nullus inferior, nisi de ipsorum licentia possit absolvere.

II. Superior potest absolvere casus reservatos Inferiori.

Suppono: Quemcunque Superiorem in foro Pœnitentiæ posse absolvere casus reservatos ejus inferiori, quia tota potestas inferioris continetur eminenter in Superiori. Hinc Summus Pontifex potest absolvere à reservatis Episcopo non solùm per se, sed etiam per delegatos, sicut sæpè fecerunt per Regulares privilegiatos.

Dixi, *in foro Pœnitentiæ*, propter superioritates in foro externo, sicut habent Archi-Episcopi, vel Patriarchæ respectu Episcoporum suæ Metropolis. Hi enim non sunt Superiores in foro Pœnitentiæ Episcoporum, nec consequenter à reservatis Episcopis possunt absolvere.

Suppono etiam, Regulares Mendicantes esse exemptos à Potestate Episcoporum per varia indulta Summorum Pontificum.

III. Regulares generaliter approbati nō possunt ad tempus &c. limitari.

Quæritur: An Jurisdictio generaliter delegata à Summis Pontificibus per varia Privilegia & Indulta Regularibus ritè approbatis, possit ab Ordinariis locorum ad certum locum, tempus, Personas, aut casus limitari? Quantum ad locum, tempus, & Personas tota lis jam est decisa per Declarationem Sacræ Congregationis Anno 1587. secunda Julii, his verbis: *Regulares, qui ad Confessiones idonei, generaliter ab Ordinariis Locorum, eorumque Examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absq; aliqua Limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum admittantur in Diœcesi propria.* Quæ verba intelligenda sunt etiam contradicentibus Parochis ex Concessione Martini V. Alexandri IV. & plurium aliorum apud Rodriquez.

Major est Difficultas, an possint Episcopi in sua quisque Diœcesi certos aliquos casus sibi specialiter reservare, à quibus Regulares exempti, & ritè approbati sine ipsorum licentia non possunt absolvere? Dixi *specialiter*, quia quoad casus Jure Communi Episcopis reservatos, quorum paucissimi sunt jam in usu, si qui sunt ex variis Privilegiis possunt Regulares approbati absolvere, sicut & ab omnibus Casibus Summo Pontifici reservatis extra Bullam Cœnæ, per Bullam Pauli III. datam Anno 1544. Rodriquetz, Miranda &c. Quidquid tamen sit, est res odiosa. Hinc

Dico Primò: *Possunt Episcopi in sua Diœcesi reservare sibi Casus, à quibus Regulares sine ipsorum licentia nequeunt absolvere.* Ita nunc tenendum omnibus Theologis post Alexandrum VII. IV. Regulares non possūt absolvere à casibus Episcopis reservatis sine eorum licentia.

Probatur Primò: Ex Concilio Tridentino Seff. 14. cap. 7. ubi dicit: *Neque dubitandum est, quin omnia, quæ à Deo sunt, ordinaria sunt, quin hoc idem* (intellige de Potestate reservandi Casus) *Episcopis omnibus in sua Diœcesi, in ædificationem tamen, & non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos Sacerdotes inferiores, authoritate præsertim quoad illa, quibus Excommunicationis censura annexa est &c.* Et in fine ejusdem capitis docet, Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in Casibus sic reservatis, idque solùm debere Pœnitentibus persuadere, ut ad suos Superiores & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis recurrant. Et Can. 11. ait: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi per externam politiam, atque ideò Casuum*

reservationem non prohibere, quamvis à reservatis absolvat, anathema sit. Ergò ex mente Tridentini possunt Episcopi sibi reservare Casus, à quibus nec Regulares ipsi possint absolvere.

Probatur Secundò: Ex Decreto Clementis VIII. Anno 1601. in quo revocat omnia Privilegia Regularium quoad Casus, quos reservant sibi Episcopi, præcipiendo, ne ullus Regularis cujuscunque Ordinis sub prætextu ullius Pivilegii præsumat à casibus Bullæ Cœnæ, aut quos sibi Episcopi specialiter reservant, declarans irritum & inane esse quidquid in contrarium attentetur. Verùm quia hoc Decretum est editum *pro Sacerdotibus omnibus tàm Sacularibus, quàm Regularibus, per universam Italiam extra urbem degentibus tantùm*, ideò

Probatur Tertiò: Per aliud Decretum Urbani VIII. editum Anno 1628. in quo eadem Privilegia quoad effectum absolvendi à casibus Episcopis specialiter reservatis, denuò revocantur sive intra vel extra Italiam, Decretum incipit: *Hæc Congregatio censuit &c.* ùt videre est apud Brunonem Gassing, insignem Privilegiorum Regularium Compilatorem, & ejusdem Urbani VIII. & Gregorii XV. Pœnitentiarium Apostolicum, cujus opera fuerunt impressa Anno 1655. ergò post hanc Declarationem, nec intra nec extra Italiam possunt Regulares absolvere à Casibus, quos sibi Episcopi reservant.

Probatur Quartò: Per Decretum novissimum Alexandri VII. quod edididit Anno 1665. die 15. Septembris, in quo 28. Propositiones tanquam scandalosas &c. damnat, inter quas duodecima hæc est: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*, cujus authoritate itaque probata est Conclusio Primò.

V. Quanta sit Authoritas Episcoporum. Dico Secundò: *Episcopos eorùmque Vicarios & Capitulum Sede vacante posse absolvere suos subditos ab omnibus casibus, & censuris occultis, summo Pontifici reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & insuper ab omni Excommunicatione, suspensione, & ab irregularitatibus omnibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario illicito, & iis ad forum contentiosum deductis, & censuris incursis propter ingressum in Monasterium Monialium, etiamsi sit occultum delictum.* rum ad absolvendos à Casibus reservatis.

Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 6. de Reform. ubi habetur Conclusio quasi in terminis. Hoc tamen advertendum est, solos Episcopos de Jure Communi absolvere ab Hæresi occulta, & nullò modò Vicarios Generales, ubi non habetur speciale indultum, & consuetudinaliter faciendi à Sede Apostolica tolerata, quia ex consensu Sedis Apostolicæ Episcopi in variis locis, non solùm per se, suosque Vicarios, aliosque approbatos & delegatos ab Hæresi occulta, & etiam manifesta absolvere solent, prout in inferiori Germania, Bohemia, & Ungaria practicari cernimus, ita glossantes Cap. 6. *de Reform. Sess. 24. Tridentini.*

Possunt etiam Episcopi absolvere ab Excommunicatione publica, aliisque Censuris publicis Papæ reservatis, quando Pœnitens habet legitimum impedimentum adeundi Summum Pontificem, ut si est Puer, aut Senio gravatus, fœmina, infirmus, nimis Pauper aut alio simili impedimento, Judicio prudentis Confessarii legitimè impeditus; tales enim non sunt ad Sedem Apostolicam mittendi, sed possunt ab Episcopo loci absolvi, ita Bonac. & alii.

Henriquez addit, quòd si nec Episcopus adiri possit, posse etiam Parochum ab iisdem absolvere, maximè tempore gravis necessitatis, cum onere tamen se præsentandi Pontifici, vel Episcopo sublato impedimento.

Hinc communiter dici solet: *Casus Papales ex justo impedimento fieri*

fieri Episcopales; quòd si sublato impedimento negligant se præsentare Superiori, aut ejus vices habenti, denuò secundùm multos Authores in eandem Censuram reincidunt, ut habetur expressè *Cap. Eos quæ, de sententia Excomm: in 6.* ubi Bonifacius VIII. hoc Decretum innovat. Illud specialiter docent omnes, posse quemlibet Sacerdotem, etiam simplicem, Excommunicatum, suspensum, & degradatum absolvere ab omnibus Casibus, Censuris Pontificiis, & Episcopalibus in articulo mortis. *Ita Tridentinum Sess. 14. cap. 7.*

An autem taliter absolutus, & postmodum convalescens teneatur cum reservatis accedere habentem Potestatem, ab illis absolvendi, pro & contra judicant Authores. Probabilior videtur Pars negativa, quia si illud onus comparendi coram habente Potestatem, remaneret, hoc esset virtute reservationis, sed Concilium dicit, nullam esse reservationem in articulo mortis, ergò nec onus comparitionis. Solùm ergò si convalescat, tenetur comparere, si Censura aliqua in foro externo sit adjuncta ejus peccato, puta: Quia obedientia aliqua in foro externo præstanda est superiori, & satisfactio parti læsæ, si læsa sit; sed comparitio hæc non pertinet ad reservationem, sed ad obligationem innatam actui, ob quam incurrit quis Censuram v. g. ob restitutionem famæ, vel alicujus alterius rei ex casu insurgentis.

VI. Potestas Regularium ad absolvendum à Casibus reservatis.

Dico Tertiò: *Regulares exempti in ordine ad Casus & Censuras Summò Pontifici reservatas posse tantum, quantum possunt Episcopi.* Constat ex Bulla Pauli III. quæ incipit: *Cùm inter cunctas &c. Anno 1545.* Patribus Societatis concessa, qui ad Confessiones Sæcularium à Præposito Societatis deputati fuerint, ut possint quorumcunque Fidelium ad se undique accedentium Confessionibus auditis, ipsos ab omnibus & singulis peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcunque gravibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, Censuris inde resultantibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ absolvere. Hoc Privilegio per participationem gaudent reliqui participantes cum illis.

Quæres: Quomodo reservata per Superiorem per inferiorem non habentem aliàs Potestatem remittũtur? Paludanus, & alii opinantur, Prælatum à solis reservatis absolvere posse etiam extra casum necessitatis, remittendo innodatum ad habentem Potestatem absolvendi à reliquis peccatis, sed probabilior est contraria Sententia, quia integritas Confessionis est de Jure Divino, in quo nec Summus Pontifex dispensare potest. Quando ergò Prælatus variis occupationibus impeditur, debet aut reservationem aufferre, ut quilibet posset absolvere, vel suam Authoritatem alicui delegare; tamen potest Superior auditis solis reservatis sub secreto naturali, si alia nolit audire, nec consequenter absolvere Sacramentaliter ab his vel illis, imponere Pœnitentem secretam Pœnitenti pro reservatis, & ad alium, qui & omnibus absolvat, remittere; ut veniamus ad quæsitum.

Respondetur: Inferiorem non habentem authoritatem in reservata, occurrente tamen causa rationabili, auditis aliis peccatis simul cum reservatis validè & licitè ab omnibus absolvere, imposito tamen confitenti onere se præsentandi Reservanti, aut ejus Superiori, aut delegato. Ratio est: Quia Ecclesia per reservationem non censetur suos Subditos in aliquod animæ gravamen vel periculum velle præcipitare. Causæ etiam sufficientes censentur, quando aliquis sine nota, scandalo, infamia, aliisque suspicionibus non potest à Communione vel Celebratione Missæ abstinere, aut ab administratione Sacramentorum, nec ad manum habet aliquem, qui à reservatis posset absolvere. Verum est, eum, qui ejusmodi necessitatibus constringitur, non teneri inferiori Sacerdoti ullatenus confiteri, cùm non adsit Superior, si tamen confitea-

tur ulla peccata, probabilius est, quòd tenentur reservata simul confiteri, ut Confessarius Pœnitentis statum rectè agnoscat, licèt contrarium existiment multi.

Quod si quæras, quale sit illud onus comparendi coram habente Potestatem? Respond. esse obligationem, quâ sub mortali Pœnitens teneatur reservanti, aut habenti ejus Potestatem se præsentare, confitendo solum illud reservatum, vel referendo se fuisse absolutum ab aliquo casu reservato ab inferiori; non specificando tamen casum, sed manifestando se venisse, ut satisfaciat oneri; Ratio est: Quia potest reservans ipsam reservationem sine ulla Sacramentali Confessione tollere. Si tamen pateat Confessario aditus ad reservantem, melius est, si fieri potest, ut ipse vel per litteras facultatem petat absolvendi, tacito tamen nomine Pœnitentis, & sic non erit opus comparitione.

QUÆSTIO QUINTA.

De Qualitatibus in idoneo Confessario requisitis.

TRes potissimum qualitates in Confessario idoneo communiter exiguntur: *Scientia* scilicet, *Bonitas & Prudentia*; de quibus per sequentes Conclusiones respondebimus. Itaque

I. Graviter peccat, sine requisita scientia munus Cõfessarii suscipiens, aut exercens extra periculum mortis.

Dico Primò: *Sacerdos graviter peccat, qui requisitâ scientiâ non est instructus, munus Confessarii suscipit, vel exercet extra mortis periculum.* Ita Innocentius III. *C. Utriusque sexus: Sacerdos*, inquit, *sit discretus & cautus, ut, more periti Medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati.* Si enim Medicus imperitus, se corporum curationi, & Judex imperitus Decisioni causarum immiscere non debet, quantò magis spiritualis Medicus, & Judex animarum, ut ergò idoneus censeatur, debet posse discernere inter peccatum & non peccatum, inter mortale & veniale, saltem in genere, nam in particulari Doctissimus quisque interdum inhæsitabit.

Item cognoscere debet, quæ spectant ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quibus Criminibus annexa sit excommunicatio, vel alia Censura, reservatio aut restitutio, vel ad minus de his dubitare, & peritiores super his inquirere: habenda est etiam ratio loci, temporis, & Personarum. Minor enim Scientia in Pagis, quàm in Civitatibus requiritur: Major in Maritima, vel alia negotiatoria, in qua plurimi Contractus & intricatissimæ negotiationes exercentur, quàm in aliis, in quibus talia non occurrunt; Major item in eo, qui pro tota Diœcesi, vel Regno, quàm qui pro una Parochia est expositus, qui audit Personas publicas, publicis negotiis deputatas, quàm qui privatas in suis Monasteriis latitantes. II. Quæ Scientia requiratur in Confessario.

Breviter scire tenetur Confessarius omnia, quæ ad verum & probatum judicium ex sua parte ferendum, necessaria sunt, hinc Malach. 2. Penes quos erat judicium in causis etiam spiritualibus dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* Et Oseæ 4. *Quia Scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Sed quid, si hic & nunc in Confessionali occurrat Confessario casus, quem inibi non potest statim resolvere. Respondent communiter, eum debere absolvere eâ tamen conditione, ut Pœnitens promittat, se facturum quidquid re benè per libros, aut Viros doctos perspecta, postmodùm adjudicatum fuerit III. Quid faciendum, si occurrat casus Confessario, quem nequit statim resolvere.

Sed quid iterum, si Confessarius adeò ignarus est, ut non sciat discernere inter mortale & veniale, reservatum & non reservatum. Respondetur, eum, qui scienter & extra necessitatem confiteretur, peccare mortaliter, & teneri ad iterandam Confessionem, quia non fuit dispositus sufficienter ad Absolutionem, cùm in ipsa Confessione mortaliter peccet, si verò Pœnitens bonâ fide IV. Confitens ignoranti tenetur reiterare Cõfessionem.

aut

aut nesciens ejus fatuitatem, confiteatur ipsi, validè absolvitur, secundùm Bonacinnam, Pontium & Marchantium, quamvis contrarium doctissimè teneat & probet Hicquæus hic super dist. 19. cujus rationes si essent veræ, concluderent quòd ignarus non posset absolvere etiam in articulo mortis, quod negat ipse.

Hinc Confessio illa valida censeri debet, quæ fit ignoranti, qui ante Confessionem factam non cognoscebatur talis, licèt postea: vel si antea cognoscatur esse talis, non tamen ex malitia quis confitetur ipsi, sed ex eo, quod putet ipsius ignorantiam non impedire validitatem Confessionis; in hoc casu non esset malè dispositus Pœnitens ad Absolutionem suscipiendam. Ratio est: Quia hoc judicium primariò institutum est ad liberationem rei seu peccatoris peccata sua cum dolore & veræ emendationis proposito Confitentis, ergò suppositâ Pœnitentis debitâ Dispositione non requiritur, nisi vera Potestas & Jurisdictio ad hujusmodi liberationem impertiendam, sed talis supponitur in Judice, quantumvis ignaro, ergò si absolvit, validè absolvit.

Dices: Nullum Judicium formavit de qualitate peccatorum. Respond. Inde peccare mortaliter, tamen sententia in favorem rei data valida est, quia ad illam ferendam potestatem habuit Sacerdos, sicuti si Judex potestatem cum plenitudine habens, Reum per sententiam absolvit, nec benè, nec ad rigorem Legum examinatum, Reus quidem absolutus est, quamvis à Principe Judex abutens suo Ministerio puniri possit, & quæ à Villico iniquitatis fatis injustè condonata erant, donata debitoribus à Domino non revocantur, sed condonata manent, quamvis Villicus pro mala dispensatione & ministerio condemnetur, similiter in proposito.

V. Casus, in quibus ignarus Confessarius potest audire & absolvere.

Assignari tamen possunt Casus, in quibus ignarus Sacerdos potest absque peccato audire Confessiones & absolvere. Primò, in articulo mortis, quando alius Sacerdos non adest, qui scientiam debitam haberet, cui Pœnitens possit confiteri. Secundò, Si Pœnitens sit sufficienter doctus, & ex se sufficiens ad exponendam gravitatem, numerum & circumstantias suorum peccatorum. Dixi *gravitatem*: Quia non sufficit ad supplementum ignorantiæ Confessarii, quòd Pœnitens intelligat qualitatem suorum peccatorum, nisi exprimat qualitatem & gradum, nempe quòd sit mortale aut veniale: Quia in hoc tribunali non requiritur tantùm, ut Pœnitens statum suum intelligat, sed magis, ut Confessarius tanquam Judex judicium ferat, & satisfactionem debitam imponat. De Pœnitente enim qualitatem & gradum peccati sciente, & plenè Confessario non exprimente, verè dici potest: *Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.* Tertiò: Si Pœnitens sit Persona spiritualis & devota, sæpius hoc Sacramentum frequentans, ut rarò alia, quàm venialia, vel mortalia, aliàs confessa soleat confiteri.

VI. Duplex in Confessario attenditur bonitas.

Circa bonitatem Confessarii duplex in ipso attendi potest bonitas, una vera & *intrinseca*, quæ consistit in statu gratiæ; Alia *extrinseca* & *legalis*, quia dicitur bonus ille, qui nullâ notâ aut pœnâ Legis est infectus, v. g. nulla excommunicatione, suspensione, aut irregularitate. Quoad primam bonitatem *Tridentinum Sess.* 14. *Can.* 10. definit: Non esse necessarium ad validè administrandum hoc Sacramentum, statum gratiæ, benè tamen secundùm communiorem opinionem ad licitè administrandum.

Quantùm ad bonitatem extrinsecam, secundùm communem opinionem requiritur ad valorem Sacramenti & Absolutionis, ut Confessarius non sit publicè & notoriè excommunicatus, suspensus vel degradatus: Quia ejusmodi Censuræ extra articulum mortis privant Sacerdotem Jurisdictione necessariò requisita ad valorem hujus Sacramenti, ut docetur communiter in mate-

materia de Censuris. Dixi publicè excommunicatus: Quia si est occultè, validè absolvit, donec privetur suâ Jurisdictione, Progrediendo ad tertiam qualitatem.

VII. Confessarius non debet interrogare, si pœnitens ipsemet est benè dispositus.

Dico Secundò: *Confessarius seu Confessor, si consideratâ Pœnitentis qualitate probabiliter judicet eum integrè confessum, ac ritè dispositum esse, nihil interrogare debet.* Ratio est, Quia Officium Confessarii non est interrogare, sed audire Pœnitentem, in foro enim criminali, quod procedit ad punitionem, debet Judex Reum interrogationibus examinare, sed in foro Pœnitentiali, in quo non proceditur per viam coactivam, sed per spontaneam Voluntatem Pœnitentis, satis est spiritualem Confessionem audire,& secundùm illam judicare.

VIII. Confessarius debet interrogare, si credat pœnitentem aliqua peccata omittere.

Dico Tertiò: *Tenetur Confessarius examinare pœnitentem, quando probabiliter credit, aut suspicatur eum peccaminosè omittere aliquid, quod est necessarium, ad Sacramenti Pœnitentiæ validam administrationem.* Ratio est, Quia Judex providere debet, ut judicium sit validum, & defectum per se supplere maximè in hoc judicio, cujus invaliditas reddit DEUM offensum, animæ damnationem, & Sacramento irreverentiam. Dixi, *quando probabiliter credit*, nam non debet examinare indiscretè, vexare alias Personas honestas, doctas, & quæ moraliter benè explicant ordinaria peccata, maximè si frequenter confiteantur.

IX. Confessarius examinans cautè id facere debet.

Cautissimum verò Confessarium esse oportet in formandis interrogationibus circa peccata carnis, ut ad particulares modos, seu circumstantias non descendat, ne vel multa interrogando doceat Pœnitentem peccata, quæ antea ignorabat, aut eidem, vel sibi ipsi causa existat tentationis, aut scandali, vel ne Sacramentum Confessionis indiscretis interrogationibus reddatur difficile, aut odiosum.

Probabiliter autem dicitur credere aut suspicari, Pœnitētem aliquid omittere, si ignorans videatur culpabiliter, vel si appareat nimia verecundia, vel in materia gravi, nec numerum nec circumstantias speciem mutantes referat; vel si omninò dicat, nisi quòd malè fecerit. In his enim casibus interrogandus & examinandus est; si verò aliquis omittat peccatum ex ignorantia inculpabili, aut quia juxta opinionem probabilem Doctorum, non confiteri, puta propter damnum Tertii, vel quid simile, non debet Sacerdos ipsum interrogare, neque facere, ut suas Sententias probabiles deserant Pœnitentes.

Cavere tamen debet Confessarius, ne Confitentem peccata sua molestè & importunè perturbet, interdum tamen aliquam interrogationem interponere licebit, puta de numero, quoties enim fecerit, vel quanto tempore tali peccato assuetus sit, & quoties in die, vel hebdomada id commiserit, an cum soluta aut Conjugata, & hæc ideò interponenda sunt, ne peccata, quæ vix præ verecundia Pœnitens expressit, cogatur postea repetere. X. Confessarius non debet confitentem inturbare.

Dico Quartò: *In rebus etiam gravibus, in quibus Casibus Confessarius novit Pœnitentem bonâ fide hærere, & ex admonitione non sperat fructum, semper debet, nisi interrogatus, dissimulare, & nihil dicere, interrogatus autem parcè respondere, & præcisè ad sola interrogata.* Ita Marchantius, qui ponit exemplum in Matrimonio contracto cum impedimēto dirimente, puta cum consanguinea sua, vel uxoris defunctæ in gradu prohibito, quòd Pœnitens invincibiliter, & inculpabiliter ignorat, & Confessarius rationabiliter credit, eum non dimissurum ullò modò prætensam uxorem, quantumvis impedimentum aperiat, vel non posse sine gravissimis difficultatibus, damno, & infamia Prolis, ac familiæ innocentis, tunc Confessarius debet magis silere, quàm impedimentum detegere. Similiter de injusto Possessore rei alienæ ignorante invincibiliter, & inculpabiliter, nec est spes, quòd admonitus velit recedere, XI. Debet in interrogationibus dissimulare.

dere, aut restituere, consultius est tacere. Ratio est, Quia in similibus tales ob invincibilem ignorantiam excusantur à culpâ, & sublata per admonitionem ignorantia inextricabiliter illaqueantur sine spe emendationis aut fructûs.

An autem idem sit judicium de Matrimonio nondum contracto, sed in futurum contrahendo, v. g. Si Confessarius ex Confessione depræhendat Pœnitentem velle pro futuro ducere in uxorem suam consanguineam, in gradu prohibito, quam invincibiliter putat se posse ducere; an teneatur Confessarius illum de errore admonere, etiamsi prævideat illum non corrigendum, sed certò eam ducturum? Respondent Bonac. Reginal. & alii, Pœnitentem non esse admonendum. Marchantius contrarium planè docet, putátque Confessarium in tali casu teneri monere Pœnitentem de errore, quia cùm res sit adhuc merè futura, & in plena potestate Pœnitentis, necdum natæ sunt angustiæ, aut occasio scandali, tenetur Confessarius ex Officio ipsum de suo errore monere, aliàs non videretur, qualiter unquam liceret monere, aut corrigere Peccatorem, quem non obstante correctione sciremus peccaturum, nec liceret Moysi loqui Pharaoni, cùm Domino monente sciebat indurandum cor ejus; neque Isaiæ licuisset annuntiare Populo Israëlitico ea, unde excœcari debebat.

Nec refert: Quòd Confessarius prævideat certò Pœnitentem acquieturum, quia hoc est puræ malitiæ ipsius, cùm adhuc sit liber, & teneatur conscientiam correctam, & victam sequi, nec Confessarius monendo dat ipsi ansam peccandi, sed potiùs præbet ansam abstinendi à Matrimonio Jure prohibito.

XII. Quid faciendum Cōfessario, quando à Pœnitente non habet materiam.

Dico Quintò: *Si Pœnitens à Confessario absolutionem petit, nullo peccato secundùm speciem aut numerum expresso, interdum potest illum dimittere admonitum, ùt priùs Confessionem examinet, & postea dispositus revertatur: interdum verò non debet dimitttere, sed interrogationibus juvare, & dispositum reddere.* Ita docent Suarez & Layman, qui dicit, experientia compertum esse in Germania & multis aliis locis, multos inter rusticanos fore, qui si sibi relinquantur, & Conscientiam discutiant, & peccata sua ipsimet enarrent, sine interrogatione nunquam audies ab eis, vel unum veniale, sed solùm: *Pater malè feci*; defectus ergò hujusmodi simplicium est per interrogationes supplendus.

Dico Sextò: *Confessarius quoad judicium Sacramentale debet se hìc & nunc conformare opinioni Pœnitentis, etiam minùs probabili, dummodò sit verè probabilis.* Probatur: Quia in hoc tribunali solus Pœnitens est accusator, testis, & advocatus, tàm pro, quàm contra se, sed Judex in nullo debet ferre Judicium, nisi secundùm allegata & probata, non autem secundùm propriam mentem, aut scientiam, ergò in hoc foro standum est judicio & opinioni Pœnitentis, dummodò sit probabilis. XIII. Confessarius debet se conformare opinioni pœnitentis.

Cœterùm qualiter se gerere debeat Confessarius circa scrupulosos, dubios, aut diversas opiniones probabiles, tradi solet in materia de actibus humanis, ubi de Conscientia, & latissimè traditur à Marchantio *tom.* 1. *tit.* 5. & 6. ubi multas & miras regulas dat.

QUÆSTIO SEXTA.

De taciturnitate Confessarii, seu de Sigillo Confessionis.

I. Taciturnitas Confessariorum vocatur Sigillum.

Omnimoda Taciturnitas Confessarii vocatur *Sigillum Confessionis*, estq; obligatio particularis, quam Confessarii habent ad non revelandum ullum peccatum, aut circumstantiam ejus auditam in Confessione in ullo prorsus casu. Quæritur ergò, qualiter & quo jure Confessarius teneatur ad istam omnimodam taciturnitatem, seu ad hoc Sigillum? Quæ contineantur, & quinam obligentur hoc Sigillo? An de licen-

licentia Pœnitentis Confessarius extra Confessionem possit uti notitiâ Confessionis ? Et tandem an liceat uti notitiâ in Confessione acquisitâ absque licentia Pœnitentis.

II. Sigillum Confessionis est de Lege naturali.

Dico : *Sigillum Confessionis Sacramentalis Lege Naturali, Divina, & Ecclesiastica adeò strictum & reservatum est, ut sine horrendo & gravissimo Sacrilegio in nullo unquam casu vel circumstantia possit aperiri.* Ita Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. & communior, licèt D. Thomas & alii existiment, petente aut concedente Pœnitente licentiam posse revelari peccata confessa, quibus respondebimus in objectionibus.

Prima Pars patet : Ratio naturalis dictat non esse faciendum alteri, quod sibi nollet fieri, ex illo Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis.* Similiter quilibet de Lege naturali tenetur servare Fidelitatem proximo, quam vellet & deberet sibi velle servari, sed nullus vellet aut velle deberet publicari Secretum, quod tanquam tale aliteri commisit, ex cujus revelatione sequitur infamia proximi, & maxima irreverentia Sacramento huic : ergò Jure Naturæ tenetur in hoc Sacerdos servare Sigillum & Fidelitatem, aliàs tolleretur omnis amicitia, societas, & commercium inter homines, dum nullus vellet alteri sua secreta pandere, & consequenter forum hoc pœnitentiale redderetur odiosum & abominabile.

III. Etiam Divina.

Secunda Pars probatur Eo ipso, quo Christus Dominus præcepit omnibus Fidelibus relapsis Confessionem Sacramentalem, etiam præcepit, ne Fideles ab implendo præcepto tali retrahantur, aut impediantur, sed per violationem Sigilli Sacramentalis & revelationem eorum, quæ in Confessione fuerunt audita, maximè impediuntur & retrahuntur homines à Confessione Sacramentali, ergò Lege Divinâ tenentur Confessarii non violare tale Sigillum. Minor patet : Quia hoc ipso, quo liceret Confessariis audita in Confessione propalare, redderetur Confessio omnibus execrabilis & odiosa, nec ullus vellet in Confessione aperire sua peccata maximè gravia & occulta, dum meritò sibi timeret, quòd eadem peccata aliis non sine ipsius infamia fortassis propalabit, ergò violatio hujus Sigilli maximè retraheret à Confessione sacramentali homines, eamque redderet odiosam.

IV. Est etiam de Lege Ecclesiastica.

Tertia Pars probatur : Quia constat ex *Jure Canonico de Pœnitentia, cap. Sacerdos. dist.* 6. ubi Gregorius VII. sub gravissimis pœnis hoc præcipit : *Sacerdos*, inquit, *caveat ante omnia, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Et cap. Omninò utriusque Sexûs de Pœnit. & Remiss.* Præcipit Innocentius III. ut omninò caveat Confessarius, ne verbo, signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, *quoniam*, inquit, *qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solùm à Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum murum detrudendum.* Ergò Lege Ecclesiastica tenentur Sacerdotes strictissimè observare Sigillum Confessionis. Ratio est : Quia aliàs Confessio redderetur omnibus execrabilis & odiosa, ejúsque usus & exercitium tolleretur, cùm meritò nullus vellet sua peccata maximè graviora & occulta Sacerdoti aperire, ne fortè aliis revelet, & sic aperiretur via celandi peccata, Sacrilegia committendi, & infinita mala perpetrandi.

V. Licitum est alteri renunciare jus suum sine alterius præjudicio.

Arguitur Primò : Licitum est unicuique renunciare suo Juri, ergò & Pœnitenti licitum est dare Confessario licentiam, ut sua peccata in Confessione audita revelet. *Resp.* dist. Ant. Si non læditur Jus Communitatis, conced. Ant. Si læditur, nego Ant. & Conseq. Quia observatio Sigilli Confessionis non tantùm est in

est in favorem Pœnitentis, sed & totius Reipublicæ Christianæ, & Reverentiæ hujus tribunalis, qui respectus sunt majoris ponderis, quàm bonum Pœnitentis, aut ejus licentia. Potest quidem Pœnitens ex rationabili causa cedere suo Juri, & rogare Confessarium, ut suum peccatum extra Confessionem revelet, imò publicè confiteri; tamen postquam semel suam animam ad tàm secretum tribunal deduxit, non potest Jus hujus tribunalis profanare, nec ulla potest subesse rationabilis causa ejusmodi licentiam concedendi, nam si intendit, ut Confessarius ob aliquem bonum finem agat de suo peccato extra Confessionem consulendo tertiam Personam circa aliquam difficultatem auditam in Confessione, poterit peccatum iterum illi extra Confessionem dicere, non tamen sub secreto aliis communicandum, & sic ob bonum finem quandoque licèt communicare aliis subticendo tamen nomen Pœnitentis.

VI. *Sigillum Confessionis quomodo contineatur in genere Secreti.* Instatur: Sigillum Confessionis continetur sub genere secreti, sed potest secretum revelari de Voluntate committentis ipsum, ergò & sigillum Confessionis de Voluntate Pœnitentis. Confirmatur: quoties Pœnitens rationabiliter dat licentiam aperiendi Sigillum Confessionis, cessat omnis obligatio ejus Secreti, ergò licitum est de ejus licentia illud aperire. Probatur Ant: tota ratio istius obligationis est, ne Confessio ex tali revelatione fieret Fidelibus execrabilis & odiosa, & sic ab ejus frequentatione retraherentur homines, cum quo stat, Confessarium posse revelare Confessionem de licentia Pœnitentis in suam aut alterius utilitatem, nulli ex hoc potest esse execrabilis aut odiosa, ergò suppositâ tali licentiâ rationabiliter concessâ, cessat omnis obligatio servandi sigillum. Respond. dist: min: Secretum naturale, transeat min: secretum Sacramentale, nego min: & Conseq.

VII. Ad Confirmat. dist: Ant: cessat obligatio Secreti concessa in favorem particularem Pœnitentis, concedo Ant: Obligatio concessa in favorem boni communis, & in reverentiam hujus Tribunalis, nego Ant: ejusq; probationis Minorem & Consequ: Quia esto constet revelationem Sigilli Sacramentalis fieri de licentia Pœnitentis, multùm adhuc retraheret homines, nempè rudiores à frequentatione Confessionis, videntes non ad majorem obligationem hujus sigilli, quàm ut ad nutum cujuslibet Pœnitentis possit aperiri, multùm sibi timerent, ac suspicarentur ejus revelationem sæpius fieri absque omni licentia, præsertim ubi tangeretur bonum commune Reipublicæ: Item aperiretur multis mentiendi in Confessione subticendo graviora peccata, & confitendo leviora, cum protestatione se nunquam commisisse illa gravia, de quibus accusantur, dando Confessario licentiam sua levia peccata, maximè istam protestationem extra Confessionem aperiendi, quatenus sic infamiam aut pœnam evaderent, quod esset in maximum detrimentum Sacramenti.

VIII. Denique posset Pœnitens ex sua malitia post revelatum peccatum negare, se ad hoc dedisse licentiam, imò negare ipsum peccatum, & esset timendum, ne malus Sacerdos Confessionem auditam aperiat, fingendo pro se licentiam Pœnitentis, & sic aperiretur via infinitis malis, quæ possent vitari silentio & sigillo hujus Sacramenti. Certum est, hanc viam Scoti esse magis tutam, magisque ad reverentiam Sacramenti, & Fidelium confidentiam, quamvis opposita sententia sit D. Thomæ. Hinc D. Bonaventura dicit: Melius esse, ut ipse Pœnitens revelet sua peccata, quàm ut Confessarius se ingerat periculis & suspicionibus innumeris; Quòd si oppositâ sententiâ vellet quis uti, Pœnitentis licentia debet esse expressa revocabilis ad placitum Pœnitentis, inextensibilis ultra terminum præfixum (puta, si licentiam unum peccatum uni homini dicere, nec plura nec pluribus

plura posset dicere) & spontanea absque metu, vel minus extorta.

IX. Arguitur Secundò : *Secundum D. Bernardum cap. 4. de præcepto & dispensatione* , quod est institutum propter charitatem, non debet contra charitatem militare, sed tàm stricta observatio Sigilli Confessionis sæpius militat contra charitatem, & in detrimentum boni communis totius Reipublicæ, ergò tunc non obligat. Probatur minor : In Reo, qui se accusat in Confessione de Hæresi, quâ intendit alios corrumpere ; de futura proditione Reipublicæ ; & de conspiratione in Principem, sine intentione cessandi à suo proposito, sed trahendi Confessarium in eandem malitiam, ergò in tali casu licebit Sacerdoti revelare Confessionem. Probatur Consequ: Lex Naturæ non dictat bonum particulare esse præferendum communi, sed celando peccata illius hominis particularis, evertitur bonum commune Reipublicæ, quod est illicitum.

Respondetur, Negando Min: ejúsque probationis Consequ; Quia licèt teneatur quilibet obviare Hæresi, & omni malo publico , quantum potest, illud tamen debet facere mediis licitis, juxta illud Deuteronomii 16. *Justè, quod justum est, exequaris:* Ratio hujus est, Tum, Quia revelans meritò haberetur pro impostore, & Sacrilego, altero negante, se quidquam tale dixisse, cui potius esset credendum in hoc foro : Tum, Quia si id semel liceret, nunquam fisteret, postea se ullus huic Tribunali : Tum Quia minus malum est tanquam particulare unius personæ principalis, & etiam Reipublicæ, quàm abominatio generalis Sacramenti tàm necessarii in toto mundo in summum omnium spirituale præjudicium : Tum, Quia etjam aliâ viâ æquè potest Confessarius obviare tantis malis, vel monendo Principem & Rempublicam, ut sibi & populo caveant à similibus malis, quæ possent contingere, etjam sibi benè attendat cavendo semper, ne Personam, & ejus Complices indigitet : vel monendo Pœnitentem, sincerè confitentem de tali damno communi & conspiratione, obligatum aliàs tale imminens malum avertere , informare Magistratum de periculo, imò accusare Complices , si nolint aliàs desistere. Ratio est : In hoc Confessarius perfungitur suo officio , sed tantùm declarat obligationem, quam habet Pœnitens in sua conscientia, quam , si non sit paratus adimplere , non est dispositus ad Sacramentalem Absolutionem , & Confessarius Sacrilegium committeret dando absolutionem tali indisposito ; undè absolutè, si non vellet desistere, dimittendus esset sine absolutione, quæ autem dixit sub Sigillo Confessionis, ita clausa debent manere, ut quamvis perituram videret Civitatem , & Rempublicam gravem passuram jacturam ullatenus sileat.

Dixi : *Si Pœnitens aliàs est obligatus tale malum avertere* , quia si Persona, quæ confitetur , aliàs non teneatur in Consistentia ad hujusmodi manifestationem Complicum, Confessarius non potest illi imponere hoc onus. Ponitur exemplum : Mulier mihi confitetur, se sollicitari ab aliquo Religioso ad peccatum carnis, an liceat mihi injungere, ut mihi hoc extra Confessionem aperiat, & ut Prælato Religiosi indicet, ut malum Religionis impediatur. Marchantius tenet partem negativam quoad utramque partem, cujus ratio est : Quòd Sigillum hoc sit tàm strictum , ut non solùm obligetur præcavere omne gravamen Pœnitentis, sed & gravamen cujuscunque tertiæ Personæ, cujus notitia in sola Confessione habetur, & ipsa Persona confitens aliàs non tenebatur manifestare Superiori illius Religiosi, cùm vitare ejus consortium possit, & prævenire per se omne malum, quod inde sequeretur. X.

Ad ultimum Syllogismum nego suppositum majoris, nempe celando peccatum confessum conspirationis contra Principem, & eversionis Reipublicæ esse bonum particulare XI.

culare Pœnitentis, sed bonum totius Ecclesiæ; unde disting: min: evertitur bonum comune minoris & inferioris ordinis, quàm sit, quod sequitur ex observantia sigilli, concedo min: & Consequ: Majoris & alterioris ordinis, nego min: & Consequ: Quia communis utilitas spiritualis Ecclesiæ pendet ab hoc sigillo, cùm Confessio sine sigillo foret odiosa & execrabilis, ac præferenda est incendio Civitatis, conspirationi, & cuique bono temporali.

XII. Arguitur Tertiò: Si esset tàm strictа obligatio ad non revelanda peccata in Confessione dicta, sequeretur, quòd Confessarius esset obligatus, quandoque non tantùm ad mentiendum, sed etiam ad perjurandum, sed hoc esset absurdum, ergò. Probatur sequela maj: posset interrogari, imò capi à Judicibus, an audiverit tale peccatum ab eo, qui ei est confessus, si juraverit, se non audivisse, mentietur & pejurabit, si dicat veritatem, revelabit peccatum. Respondent communiter, Confessarium etsi per Deos & Deas jurâsset, se non audivisse tale peccatum, tamen non mentiri, aut pejurare, quia non scit ad revelandum, sed ad strictissimè celandum. Hinc D. Bernardus ait: *Nil minus scio, quàm quod per Confessionem scio.*

Respondetur tamen aliter cum Pontio, Confessarium sic interrogatum debere alio modo evadere & dicere, quòd non audeat dicere de rebus spectantibus ad Confessionem, & quòd non respondebit, etsi subiret mortem.

Si verò interrogatus fuerit, quid cum tali Pœnitente fecerit, quem revera non absolvit, non dicat ipsum fuisse confessum, sed non absolutum propter certas causas, quia sic daret intelligendum aliquod mortale, aut impedimentum ex parte Pœnitentis, sed potius dicat, se fecisse, quæ sui erant muneris.

XIII. Sacerdos pergês cum talibus, qui se vellent interficere, deberet declinare. Quæres: Quid faciendum Sacerdoti, si conspirârunt aliqui, cum quibus in via pergit Sacerdos, ipsum in proxima silva, per quam transeundum esset, interficere, interim antequam veniunt ad silvam, unus illorum tactus remorsu Conscientiæ confiteretur Sacerdoti hoc peccatum, si in tali casu ingreditur Sacerdos silvam, exponit se certo periculo mortis, si non ingreditur & aliò divertit, manifestat aliis Confessionem factam sibi, cùm non separaret se ab ipsorum consortio, nisi propter notitiam ex Confessione habitam, ergò vel debet se exponere periculo mortis, vel sigillum Confessionis indirectè infringere.

Respondetur cum Scoto hìc n. 29. Sacerdotem in tali casu posse aliò divertere, absque omni violatione sigilli Confessionis, quia talis declinatio non est signum ex se aut natura rei revelativum Confessionis, vel inductivum in notitiam peccati confessi, sed habet se merè æquivocè ad ipsam, ut ex multis aliis rationibus posset contingere.

Nec obstat, quòd aliis ingerat suspicionem peccati confessi, quia hoc non provenit ex natura hujus declinationis, quòd ex alia rationabili causa posset fieri, sed ex ipsorum malitia & interpretatione, quam non potest, nec tenetur Sacerdos vitando suo incommodo impedire, nam posito casu, quòd Pœnitens in Confessione nullô modô aperiret peccatum conspirationis, aut intentum Sociorum, Sacerdos ob prævisum à se periculum, vel propter aliquam aliam rationem potuisset ab eorum societate declinare, etsi denique suspicarentur talem declinationem provenire ex scientia per Confessionem habitâ, ac de facto suspicantur, ergò ad devitandum de facto ipsorum minus fundatam suspicionem, non tenetur Sacerdos se tàm evidenti periculo exponere; excuset ergò se aliò debere divertere propter certa negotia. XIV.

XV. In electione secreta, ob peccatū in Confessione notum potest negari votum. Quæres Secundò: Quid faciendum casu, quo proponeretur in electione Confessario aliquis in Prælatum eligendus, quem ex sola Confessione scit esse indignum, aut aliquo canonico impedimento esse irretitum,

retitum, an possit salvo jure hujus tribunalis denegare ipsi suum votum? Respondetur, si electio secreta est, posse talem denegare suum votum, si verò publica ex ipsius suffragii defectu aliqui electores deveniant directè vel indirectè in notitiam peccati aut impedimenti confessi, apud quos illa Persona eligenda, est in æstimatione bona, non posse denegare suum votum ipsi, aliàs redderetur valdè odiosa.

Hinc Clemens VIII. Anno 1594. edidit Decretum, in quo habentur hæc verba: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioratûs gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne notitiâ, quàm de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*: Atque hoc per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, observari mandamus, & servandum de Sacramento Evcharistiæ, quod petitur publicè, in consortio aliorum ab eo, qui solus ex Confessione novit impedimentum Pœnitentiæ: nec est timendum, quòd Confessarius in tali casu incurrat pœnam, quæ à Jure imponitur eligenti in Prælatum indignum hominem scienter, quia tales pœnæ intelliguntur à Jure positæ, quando eligens ex communi scientia & humana cognitione scit Personam eligendam esse indignam, qualis non est ex Confessione habita.

XVI. Obligari ad sigillum Confessionis recensentur.

Quæres Tertiò: **Quinam obligentur Sigillo Confessionis, aut quæ sub ipsum cadunt?** Respondetur Primò, teneri imprimis Confessarios; similiter illos, quibus Confessarius consilii gratia aperuit peccatum aliquod in Confessione auditum. Item Interpretes inter Pœnitentem & Confessarium, & qui Schedulam aliquam Confessionis invenit, aut ex malitia vel casu audivit peccata Pœnitentis altè loquentis, saltem sub secreto naturali.

Respondetur Secundò: Sub Sigillo Confessionis cadere non tantùm peccata omnia, tàm mortalia, quàm venialia etiam in Confessione expressa, verùm etiam circumstantias peccatorum, & naturales etiam defectus, quatenus dicuntur à Pœnitente pro majori explicatione sui peccati, cùm fieri possit, ut Pœnitens mallet sua peccata maximè leviora extra Confessionem aperiri, quàm naturales & occultos defectus, quibus ad malum inclinatur.

XVII. Non licet Cōfessario loqui Pœnitenti circa peccata confessa.

Quæres Quartò: **An liceat Confessario loqui Pœnitenti extra Confessionem circa peccatum confessum?** Respond. negativè, nisi extra Confessionem ipse Pœnitens dat licentiam, quia in simili Casu ita se gerere debet, ac si nihil unquam intelligeret.

DISPUTATIO SEXTA.

DE Tertio Actu Pœnitentis, seu de Satisfactione.

I. Quid sit satisfactio in genere.

Satisfactio in genere definitur à Scoto hìc dist. 15. q. 1. n. 3. *Quòd sit* redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti. *Hæc Definitio soli rigorosæ satisfactioni convenit? Quia quamvis non reddatur æquivalens, modò detur aliqua pars, fit satisfactio ex parte, & qui reddit minus, quàm debet, si is, cui est satisfaciendum, condonat reliquam partem, dicitur*

dicitur satisfieri. Dicta Definitio est communis ad omnes contractus, obligationes, & quascunque species Justitiæ.

Alia Satisfactio verò, quæ est tertius Actus Pœnitentis, sequitur Actum Ministri, nempè Absolutionem, adeóque etiam post eandem de illâ hîc agendum erit, quæ definitur n. 11. Quòd sit Operatio exterior, laboriosa & pœnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, & divinam offensam placandam; *sicut enim duo considerantur in Persona læsa, unum, quod tollatur amicitia, & alterum, quod violetur Justitia, ita etiam dupliciter potest injuria compensari, unò modò satisfaciendo læsæ amicitiæ, quæ dicitur* satisfactio placans, & reconcilians, *fitque per Contritionem & Confessionem. Alio modo per voluntariam Solutionem pœnæ pro illata injuria debitæ, vel per nudam passionem pœnæ, voluntate etiam reluctante, sicut fit in Purgatorio & Inferno, dicitúrque potiùs* satispassio, *quàm satisfactio; Cùm ergò satisfactio hôc modô accepta respiciat pœnam temporalem, in quam ex Divina Misericordia commutata est pœna æterna culpæ aliàs debita.* II. Satisfactio, quæ est actus Pœnitentiæ, definitur.

Quæritur: An eo modo, quo ex DEI Gratia & Christi meritis datum est, ut possimus nostris bonis Operibus promereri vitam æternam, sic etiam possimus per bona Opera satisfacere, saltem ex parte pro injuria per peccatum à nobis Deo irrogata.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Pœnæ Peccatis debitæ possit homo in hac vita satisfacere?

I. Ablato peccato remanet pœna temporalis pro eo solvenda.

SUpponit Quæstio ablato peccato, pœnam aliquam temporalem propter illud solvendum remanere, ut definit Tridentinum *Sess.* 6. *Cap.* 14. & *Sess.* 14. *Cap.* 8. dicens: ***Sancta Synodus declarat, falsum omninò esse, & à verbo DEI alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur.*** Idem definit *Can.* 12. habetque fundamentum ex multis locis Sacræ Scripturæ, in quibus legimus, peccata fuisse à DEO condonata, & tamen remansisse pœnam temporalem strictè solvendam, ut 2. *Reg.* 12. ubi cum dixisset David cum magna contritione: *Peccavi Domino*, dixit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* hoc est, condonavit illud tibi, tamen subjunxit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc*, nempe propter adulterium & homicidium, *filius, qui natus est tibi, morte morietur*, & multas alias Calamitates passus est. Sic Moyses, Aaron, & quotquot fuerunt apud aquas Contradictionis, quamvis absoluti à peccato incredulitatis, tamen in ejus pœnam privati sunt ingressu terræ promissionis: sic de multis aliis in utroque Testamento legimus, quod est signum evidens, remanere plerumque aliquid pœnæ temporalis persolvendum à nobis in hac, vel etiam altera vita, aliàs nulla esset differentia inter hoc Sacramentum & Baptismum, quoad hunc effectum.

Dico: ***Potest homo in hac vita per bona opera satisfacere Pœnæ temporali peccatis debitæ.*** Ita communis Theologorum contra Hæreticos, qui eodem fundamento, quo universaliter negant meritum bonorum operum, refundentes totum in Justitiam Christi extrinsecè nobis imputatam, negant similiter ullâ nos indigere satisfactione, præter eam, II. Potest homo in hac vita satisfacere pœnæ temporali debitæ peccatis.

quam

quam Christus ipse in suo Corpore superabundanter exhibuit, contra quos proindè possumus procedere per eadem principia, quibus alibi probatur, bona opera nostra esse simpliciter meritoria apud DEUM, & consequenter satisfactoria.

III. Authoritas Trident. ad idem. Probatur nunc Conclusio ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 9. ubi habentur sequentia: *Docet præterea* (Sacra Synodus) *tantam esse Divinæ Munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Saacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à DEO inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud DEUM Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. Et cap.* 8. ubi tractat de necessitate & fructu Satisfactionis. *Neque*, inquit, *securior illa via in Ecclesia DEI unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent &c.* Oppositum damnat *Can.*13. & 14. Hoc etiam colligitur ex multis locis Scripturæ. Certè Ninivitæ ob gravia peccata meruerunt subversionem Civitatis, ipsis comminatam, Jonæ ultimo, quam tamen jejuniis, saccis, & precibus evaserunt.

Arguitur Primò: Christum abundanter satisfecisse pro nobis, juxta Isai. cap. 53. *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum, & livore ejus sanati sumus.* Item 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit, in Corpore suo super lignum*, ergò ad nihil valet satisfactio nostra. Confirmatur ex Paulo ad Romanos: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, ergò nihil temporalis pœnæ remanet iis solvendum, maximè cùm idem Apostolus dicat: *Si Deus pro nobis tradidit Filium suum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*, ideóque omnium culpam & pœnam.

Confirmatur Secundò: Juxta Ezechielem, *Impietas impii non nocebit ei, quocunque die conversus fuerit*, sed multùm noceret, si remissa per Pœnitentiam culpâ remaneret aliquid pœnæ temporalis solvendum, ergò.

Respondetur Negando Conseq: Quia merita aut passio Christi non applicantur nobis, nisi cooperemur ipsi nostræ saluti, exercendo opera bona, alioquin ad quid Sacramenta, ad quid commendantur Jejunia, Orationes, Eleemosynæ, aliáque opera pœnalia, quibus dicimus posse redimere peccata, & eorum pœnas, similiter negatur Consequ: primæ Confirmationis; Quia licèt culpa & pœna æterna nobis condonetur, remanet pœna temporalis, hìc vel alibi solvenda. Pariformiter ad secundam Confirmationem: Impietatem non nocere Converso ad DEUM quoad effectum damnationis æternæ, aut privationis gratiæ sanctificantis, neque etiam ipsam pœnam temporalem, quæ magis prodest, quàm nocet, dum per eam pœnæ æternæ satisfit, & sumitur medicina præservativa à futuris peccatis. IV. Satisfactio nostra pro pœna temporali non derogat meritis Christi.

Arguitur Secundò: Si quis posset pro suis peccatis satisfacere, posset & pro alienis, sed hoc est falsum, ergò. Maj: patet: Quia de Fide est, nos hìc pro animabus Purgatorii, Jejuniis, Eleemosynis, & Sacrificiis satisfacere. Min: patet ex Scriptura, quæ dicit, DEUM reddere unicuique juxta opera sua, & prout gessit se in propria Persona.

Deinde non apparet, quomodo unus Sacramentaliter posset pro alio satisfacere, cùm satisfactio Sacramentalis sit pars integralis Sacramenti ex opere operato habens remittere pœnam temporalem, sed actus solius Pœnitentis Sacramentaliter absoluti potest integrare hoc Sacramentum, ergò solus ipse potest Sacramentaliter satisfacere pro se.

Respondetur: Negando Min: ad cujus primam probationem dico, opera aliena pro nobis oblata, & à DEO sic acceptata esse nostra moraliter in conspectu DEI, licèt non sint V. Quo sensu possit quis satisfacere pro alio.

sint nostra personaliter: Pariformiter dist: min: secundæ probationis personaliter vel moraliter elicitus, Conc: min: Personaliter semper nego Min: & Conseq: Tunc censetur actus esse moraliter elicitus à Pœnitente, quando Prudens Confessarius injungit ipsi Pœnitentiam per alterum solvendam, modò alter illam acceptet, & Pœnitens sit inhabilis ad totam satisfactionem per se faciendam.

QUÆSTIO SECUNDA.

An requiratur status gratiæ ad satisfaciendum Pœnitentiæ injunctæ?

I. Varia Sentimina.

SEnsus Quæstionis est, an Satisfactio in statu peccati adimpleta, suum consequatur effectum, & Quando? D. Thomas, quem sequuntur multi, negat quoad primam Partem, alii dicunt tunc tantùm valere, quando Pœnitens à relapsu resurgit; ita Cajet. Suarez, Coninck, & alii. Bonac. & alii afferunt, Pœnitentem in tali casu adimplentem Pœnitentiam injunctam de novo peccare, quamvis obligationi satisfaciat. Contra quos

II. Existens in peccato, potest satisfacere Pœnitentiæ injunctæ à Confessario.

Dico: *Potest Pœnitens in peccato mortali existens satisfacere Pœnitentiæ à Confessario sibi injunctæ.* Ita Scotus 4. *dist.* 15. *qu.* 1. *num.* 15. *&* 17. quem sequuntur præter suos Discipulos Gabriel, Medina, Navarrus, Adrianus, & alii: Hinc patet, temerè Sotum dixisse solum Gabrielem sequi Scotum in hoc, & Valentiam falsò hanc opinionem esse explosam.

III. Ratio ad idem.

Probatur Conclusio: Quicunque solvit, quantum debet, satisfacit, sive sit amicus sive inimicus, sed potest peccatum mortale dimissum solâ pœnâ temporali deleri, ergò sive sit amicus, sive inimicus, potest illi satisfacere: Maj: patet, si Petrus Joanni debet centum florenos, & eo tempore cum eo inimicitiam contrahit, modò restituat centum florenos, plenariè satisfacit.

IV. Et Confirmatio Rationis.

Confirmatur ex eo, quod opus fiat à Peccatore, non sequitur, illud esse incapax prœmii, aut effectus satisfactionis, nam Contritio est actus elicitus à Peccatore, & tamen illi ex divina promissione remanet in prœmium gratia sanctificans, saltem de congruo. Deinde peccatum non reddit subjectum incapax effectûs satisfactionis, quia effectus hujus non est gratia habitualis, quæ pugnat cum peccato, sed remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relicta cum auxiliis facilitantibus peccatorem ad futura peccata præcavenda, ergò non est, cur illum statim non consequatur. Probatur Consequ: Præceptum satisfactionis Sacramentalis traditur de substantia operis, & non de modo operandi: Deinde quotidiana praxis hujus fori dictat, nec Pœnitentem solere se accusare de adimpleta præterita pœnitentia in statu peccati mortalis, nec prudentes Confessarios de hoc interrogare, etiam ignaros, quod tamen foret necessarium, si esset novum peccatum mortale non adimplere Pœnitentiam in statu gratiæ, aut si deberet satisfactio de novo repeti.

V. Multis præceptis satisfit à peccatore.

Adde, nos in statu peccati mortalis satisfacere aliis preceptis, & obligationibus æquè magnis, ut constat de Jejunio in die obligationis, de auditione Sacri in die festo, de recitatione Divini Officii, & aliis, quibus semper omnes possunt satisfacere in statu peccati mortalis, ergò etiam Pœnitentia sibi injuncta à Confessario.

VI. Opera peccatoris quo sensu fint mortua.

Arguitur: Opera existentis in mortali sunt mortua & inutilia, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum facultates meas &c.* ergò nec ad satisfaciendum pro peccatis. Respond. dist: ant: In ordine ad acquirendam amicitiam Dei, aut Beatitudinem æternam, concedo ant: in ordine ad satisfaciendum pœnæ temporali peccatis debitæ, nego Ant: & Conseq: Quia solvere debitum est commune quid amicis & inimicis.

† Ooo Insta-

Instatur: Sacramenta ut sortiantur ex opere operato, effectum ipsis debitum, requirunt debitam in suscipiente Dispositionem, sed peccator actualis non est debitè dispositus, ergò satisfactio sacramentalis nullum effectum in ipso operatur, & consequenter est infructuosa.

VII. Quæ Dispositio requiritur ad satisfactionem sacramentalem. Respondetur: Dist: Min: Quantum ad omnem effectum Sacramenti Conc: Min: Quia non recipit gratiam sanctificantem debitam satisfactioni sacramentali; quantum ad solutionem suæ obligationis, nego Min: & Conseq: Quia ad hunc effectum non requiritur aliud, nisi quòd Pœnitens voluntariè exequatur in se pœnitentiam à Confessario injunctam.

Arguitur Secundò: Tridentinum Sess. 14. cap. 8. definit, satisfactionem hanc non esse opus necessariarum virtutum, sed opus gratiæ datæ per Christum Jesum, in quo, inquit, meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, & monet Sacerdotes dicens: *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed & ad præteritorum peccatorum vindictam*, sed

VIII. Objectioni ex Tridentino deductæ respondetur. satisfactio existentis in mortali non provenit ex gratia Christi, nec est ad novæ vitæ custodiam, utpote quæ jam per relapsum est perdita: ergò non potest esse satisfactio sacramentalis. Respondetur: Dist: minoris primam partem. Non provenit ex gratia habituali Christi, concedo Mi: actuali, nego Min: quia hæc est communis Justis & Peccatoribus.

Respondetur Secundò: Negando secundam Partem min: Quia satisfactio in statu peccati mortalis adimpleta, & requisita à Tridentino, valet pro medicamento infirmis, pro castigatione Corporis, vindicta peccati, & ad præcavenda plura in futurum peccata, dum per Jejunia, Orationes, caro maceratur, & à noxiis retrahitur.

Arguitur Tertiò: Nulla opera sunt apud DEUM meritoria vel satisfactoria, nisi in quantum ab ipso tanquam talia acceptantur, sed nulla operatio Peccatoris actualis est DEO accepta, ergò. Confirmatur: Indulgentiæ tàm benè sunt à DEO ordinatæ ad remittendam pœnam temporalem peccatis debitam, ac est satisfactio sacramentalis, sed indulgentiæ in statu peccati mortalis non valent ad hanc remissionem, ergò nec satisfactio. Respondetur dist: Min: Non sunt DEO acceptæ operationes peccatoris in ordine ad prœmium vitæ æternæ consequendum, concedo min: in ordine ad relaxandum pœnam temporalem peccatis remissis debitam, nego Min: & Conseq. IX. Operatio peccatoris ad quid sit DEO accepta.

Ad Confirmationem Respondent quidam apud Navarrum & Amicum, neg: Min: sed melius respondetur dist: Maj: ita ut æqualem dispositionem requirant in Pœnitente, neg: Maj: ita ut utrumque habitis requisitis ex Parte Pœnitentis remittat partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, transeat Maj: & Min: & nego Conseq: Quia de indulgentiis habemus *in Extravag. Unigenitus*: Quod requirant necessariò statum gratiæ in suscipiente, ut quidquam in ipso operentur, nihil autem tale habemus de satisfactione sacramentali. X. Indulgentia & satisfactio non requirunt æqualem dispositionem.

Hicquæus super hanc Quæstionem Scoti n. 129. distinguit de duabus Indulgentiis, quarum aliquæ ex forma Concessionis præscribunt Confessionem & Communionem ultra exhibitionem operis, ut sunt Indulgentiæ plenariæ, tales requirunt statum Gratiæ; Aliæ, quæ conceduntur intuitu alicujus pii operis nullam Confessionem aut Communionem præscribentes, & tales existimat, non requirere statum gratiæ, sed solam operis exhibitionem, sed quidquid sit de hoc, de quo alibi, cum Suarez. XI. Hicquæi distinctio de duplici Indulgentia.

Arguitur Quartò: Satisfactio Peccatoris vel est de condigno vel de congruo; non primum, Quia non est revelatum, DEUM uti hac liberalitate XII. Satisfactio peccatoris quo sensu sit de condigno.

ralitate cum aliis, quàm cum Amicis, cùm Lex generalis sit, ut quantum quis glorificaverit se in deliciis, tantùm ei dandum sit de tormentis. Confirmatur, Sacramentum Baptismi & Eucharistiæ nullum effectum tribuit existenti in peccato mortali, ergò neque satisfactio Sacramentalis. Respondetur, esse de condigno quantum ad effectum sibi proportionatum, nempe extinguendo debitum pœnæ temporalis, non autem de condigno in eo sensu, quo disponeret satisfacientem ad vitam æternam mediante gratiâ sanctificante, quæ tunc inesset, licèt benè profuerit, quando culpa delebatur, & ejus pœna æterna commutabatur in pœnam temporalem. Ad Confirmationem Respondetur Primò: Neg. Ant: quoad Baptismum, qui tribuit Characterem non obstante peccato. Respondetur Secundò: Neg. Consequ: Disparitas est, quòd illa Sacramenta non ordinentur ad remissionem pœnæ, nisi dependenter à remissione culpæ, & collatione gratiæ sanctificantis, aut ejus augmenti.

XIII. Disparitas inter Baptismum, Eucharistiam, & Satisfactionem.

QUÆSTIO TERTIA.

Quale opus debeat esse satisfactorium?

I. Opus Satisfactorium debet esse voluntarium & moraliter bonum.

DIco Primò: *Ut opus sit satisfactorium, requiritur, quòd sit satisfacienti Voluntarium, & moraliter bonum, saltem ratione intentionis, quâ assumitur aut toleratur.* Ita communis. Probatur, Quia in tantum actus est imputabilis ad bonum vel malum, in quantum est voluntarius, aliàs non esset liber, & ipsum verbum Satisfactio indicare videtur id, quod satisfit humano modo procedendum esse à satisfaciente, nam in hoc satisfactio à satispassione distinguitur, licèt non sit necesse, ut opus eliciatur ab ipsa voluntate satisfacientis, sed sufficit, ut pœna aliundè inflicta voluntariè acceptetur, ut docet Trident. *Sess.* 14. *c.* 9. ubi dicit: *Tantam esse Munificentiæ Divinæ largitatem, ut non solùm pœnis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam temporalibus flagellis à DEO inflictis, & à nobis patienter toleratis, satisfacere valeamus.* Quod si quæratur: quotuplex sit opus satisfactorium?

Respondetur: Quòd ordinariè triplex opus assignari soleat, nempè Oratio, Jejunium, & Eleemosyna; sub Oratione comprehenduntur omnes actus Religionis, qui ad DEUM referuntur, ut actus Fidei, Spei, & Charitatis, actus laudis, gratiarum actiones, genuflexiones, adorationes & Ecclesiæ Visitationes. Sub Jejunio, omnes austeritates corporales, Cilicia, humicubationes, disciplinæ, peregrinationes, & mortificationes quæcunque spirituales. Sub Eleemosyna, omnia opera Misericordiæ corporalia ac spiritualia: Ratio autem hujus est, quia peccata in genere in tria membra distinguuntur 1. Joan. 2. nempe in peccatum carnis; in peccatum concupiscentiæ oculorum; & in superbiam vitæ, quibus congruum est correspondere satisfactionem in triplici genere opposito: Nam peccato carnis correspondet Jejunium, & generaliter quæcunque maceratio corporis. Peccato oculorum, quod est avaritia, Eleemosyna correspondet, quæ animum rerum temporalium tenacem, & avaritiâ constrictum ad benefaciendum dilatat. Peccato verò superbiæ correspondet oratio, quæ spiritum humiliat, & corroborat.

II. Opus Satisfactorium triplex assignatur.

Satisfactio fieri debet secundùm pœnas proportionatas, juxta illud Sap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur*, tamen sæpius contingit, ut ratione Circumstantiæ Personæ hæc proportio servari non debeat, quia qualitas, dispositio, & possibilitas Personæ est attendenda, v. g. Si est pauper, non mulctetur Eleemosynis, si laboribus victum quærens, non gravetur Jejuniis, macerationibus hujusmodi carnis, sed moneatur pro opportunitate orare, Ecclesias visitare, laborare, ac paupertatem suam patiatur. Similiter Dives, qui lapsus est in peccatum

III. Satisfactio debet fieri secundùm pœnas proportionatas; attentâ tamen circumstantiâ personarum.

 carnis,

carnis, si est adeò delicatus, & non velit Jejunare, aut aliam macerationem notabilem subire, inducendus est ad Orationem & Eleemosynam. Quo enim fructu hominem aliàs indevotum, & cui nimium est, unam aut alteram Orationem Dominicam recitare, aut unam missam in die festo audire, onerabo multis Rosariis, Psalmorum Recitationibus, aut auditione plurium Missarum? Quâ spe hominem vix ullis Jejuniis Ecclesiæ satisfacientem super errogatoriis jejuniis gravabo? Quâ prudentiâ hominem avarum, & qui vix sibi benè facit cum magna largitate Eleemosynarum obligabo? Hîc certè multâ prudentiâ opus est, & attendenda frequenter magis est animi dispositio, & aliæ circumstantiæ, quàm substantia facti, peccati qualitas in se, aut Personæ fortitudo. Hinc Confessarii non debent inquietari etiam cum magnis Peccatoribus ad subeundas graves Pœnitentias, modò illos seriò faciant intelligere gravitatem suorum peccatorum, & necessitatem satisfaciendi pro illis in hoc sæculo, vel futuro, sed possunt leviores pœnitentias injungere committendo illos Judicio & Misericordiæ DEI; ita planè sensit Chrysostomus hom. 43. super cap. 28. Matthæi, ad illa verba: *Alligant autem onera gravia & importabilia.* Si DEUS benignus, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere, si enim DEUS ad unicum verum cordis contriti gemitum peccata nefandissima remittit, etiam quoad pœnam, quid fatigamus nos onerando gravibus pœnitentiis Peccatores, cùm unico Cordis gemitu, lucrando quotidianas Indulgentias meritis & satisfactionibus Christi, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum, indies de thesauro Ecclesiæ juvari possint.

IV. In quo Opus multâ prudentiâ.

Quæres: An satisfactio possit fieri per opera Præcepti? Ratio dubitandi est, quomodo quid ex aliâ obligatione facere debet Pœnitens, posset assumi in vindictam & satisfactionem scelerum ipsius. Faventinus citat Scotum pro parte negativa hujus, sicut & Suaretz, multùm favet ipsis Hicquæus hîc loquendo de praxi primitivæ Ecclesiæ, quamvis Conclusione secundâ fateatur, quando Pœnitens non potest adimplere aliam pœnitentiam delicto proportionatam, posse per opera præcepti.

Dico Secundò: *Opera aliàs ex Præcepto debita possunt esse satisfactoria pro pœna temporali.* Ita Cajetanus & multi alii. Probatur Primò: Quia ejusmodi opera sunt simpliciter voluntaria, pœnalia & meritoria vitæ æternæ, ergò etiam satisfactoria pro debito pœnæ temporalis, maximè cùm plerique asserant, eundem actum ex motivo diversarum virtutum posse procedere, prout in proposito, Jejunium impositum die, quò aliàs jejunare tenetur quis, vel Sacrum in die festo procederet ex motivo Religionis, in honorem Sancti, & ex motivo obedientiæ propter Præceptum Ecclesiæ, & specialiter ex motivo Justitiæ, ad satisfaciendum pro pœna peccatis debita.

V. Opera ex præcepto debita possunt esse satisfactoria pro pœna temporali.

Advertunt nihilominus communiter Authores, si Confessarius in imponendo Pœnitentiam non exprimat opus, ad quod aliàs ex præcepto, vel alia obligatione teneretur Pœnitens, pœnitentem per talia opera, ad quæ aliàs tenebatur, impositæ pœnitentiæ non satisfacere, v. g. imponit Confessarius Pœnitenti Jejunium quatuor dierum, non determinando certos dies, in quibus tale Jejunium debeat adimplere; dicunt, Pœnitentem non satisfacere prædictæ obligationi Jejunando in quatuor temporibus ab Ecclesia assignatis, quia non supponitur, eam fuisse intentionem Confessarii, nisi aliter de ipsius voluntate constet.

Probatur Secundò: Eodem Martyrio satisfacit Martyr præcepto subeundo Martyrio in casu urgentis necessitatis, & omnibus etiam pœnis ob innumera peccata debitis, ergò opus aliàs præceptum potest esse adhuc sufficiens satisfactio. Confirmatur: Uno Jejunio satisfaciunt illi feriæ 6tæ, Quatuor temporum, ad quod

VI. Alia ratio ad idem.

ad quod ex vi regulæ tenentur, & ex Ecclesiæ Præcepto.

Ex his sequitur, quòd Sacerdos ex rationabili causa pro pœnitentia injungere posset jejunium quadragesimale. Item, quòd implens Pœnitentiam inter audiendam missam die festo satisfaciat, modo ab uno horum per alterum non avertatur.

VII. Objectio solvitur. Arguitur. Non potest quis satisfacere duplici debito eadem solutione, ergò neque eodem opere debito pœnæ temporali, & debito implendi aliud Præceptum. Respondetur Primò, Negando suppositum Antecedentis, Quia licèt sit unica actio in proposito, sunt tamen plures solutiones plurium præceptorum. Respondetur Secundò, Dist. Ant: de rigore Justitiæ, Conc: Ant: ex acceptatione Creditoris, Neg: Ant: & Conseq: maximè quando ita exprimit Confessarius suam voluntatem ex rationabili causa.

VIII. Ex Instantiæ satisfic, ac Scotus explicatur. Dices: Scotus hic dicit, quòd opus satisfactorium debeat esse ex aliàs indebitis, ergò per opus aliàs præceptum non satisfit. Respond. Dist. Conseq. Non satisfit satisfactione rigorosâ & perfectâ, prout contingit in Contractibus humanis, Conc: Consequ: Satisfactione imperfecta, quæ ab acceptatione ejus, cui fit, dependet, nego Conseq: Scotus loquitur ibi de Satisfactione priori modo tantùm.

QUÆSTIO QUARTA.

An Sacerdos teneatur imponere Pœnitentiam, & Pœnitens eam acceptare?

I. Potest quandoq; absolvi pœnitẽs sine impositione pœnitentiæ. SUpponimus, Pœnitentes quandoque posse absolvi, absque impositione ullius Pœnitentiæ, prout constat in moribundis, omni sensu destitutis, & in iis, quos judicat Confessarius habere tàm intensam Contritionem, ut videantur satisfecisse pœnis peccatis debitis: Quoad primam Partem Quæstionis

II. Regulariter Confessarius tenetur imponere pœnitentiam. Dico Primò: *Regulariter & per se loquendo, tenetur Confessarius Pœnitentibus consideratâ eorum qualitate salutares imponere Pœnitentias.* Ita communis. Probatur Primò ex Tridentino *Sess. 14. cap. 8. Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentias cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

III. Rationes ad idem. Probatur Secundò Ratione: Quia cùm Satisfactio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, non potest sine injuria à Sacerdote absque urgentibus motivis intermitti.

Tertiò: Tenetur Sacerdos, ut Medicus spiritualis, opportuna remedia adhibere, tàm ad contractos animi morbos curandos, quàm ad futuros præcavendos, sed nullo remedio efficacius his occurritur, quàm per impositionem condignæ satisfactionis, quæ, ut ait Tridentinum, à peccato magnoperè revocat, & quasi fræno quodam coërcet, cautioresque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficit, medetur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos malis contrariis, virtutum actionibus tollit, ergò tenetur Sacerdos, talem Pœnitentiam imponere.

IV. Alia adhuc Ratio ex Trident. deducta. Deindè ideò Tridentinum *Sess. cit. cap. 5.* exigit à Pœnitentibus tàm exactum computum peccatorum, non solùm secundùm speciem, & numerum, sed etiam secundùm Circumstantias mutantes speciem, quia sine illis fieri nequit, ut de gravitate criminum possint Confessarii tanquam Judices rectè judicare, aut pœnam, quam oportet, imponere, ergò sicut ad hunc finem tenentur Pœnitentes peccata sua integrè confiteri, tenentur etiam Confessarii, Pœnitentiam illis debitam imponere, nisi

nisi motivum aliquod rationale in Contrarium occurrat.

V. Objectioni respondetur.

Arguitur. Potest aliquando ex rationali causa Pœnitens non acceptare ullam pœnitentiam à Confessario, ergò non tenetur Confessarius in tali casu ullam illi imponere pœnitentiam. Confirmatur: Tenetur Confessarius ex Tridentino, se ita accommodare conditioni & facultati Pœnitentis, ut pro magna Pœnitentia peccatis aliàs debita modicam aut ferè nullam illi injungat, ergò & nullam omninò imponere. Respondetur admittendo adhuc Ant: Dist: Conseq: ex rationabili motivo, Conc: Consequ: sine tali nego Consequ: Similiter distinguo Consequens Confirmationis, quia Conclusio loquitur in Casu ordinario tantùm.

VI. Et Instantia satisfit.

Dices: Quando Sacerdos non imponit pœnitentiam, non exercet actum Jurisdictionis, ergò non injungit Satisfactionem Sacramentalem. Ant: patet, Quia tunc non ligat. Respondetur, Negand. Antec: Quia dimittendo culpam exercet actum Jurisdictionis, & concedendo Indulgentias, exercet etiam, licèt nullum præceptum imponat. Sed longè major est Difficultas, an per se loquendo teneatur Pœnitens acceptare pœnitentiam injunctam à Confessario.

VII. Pœnitentia alia medicinalis, præservativa seu restitutoria; ea necessariò acceptanda.

Distinguunt communiter Authores inter pœnitentiam *medicinalem*, quam aliqui *præservativam*, alii *restitutoriam* vocant, qualis est rei alienæ restitutio, odii mortalis depositio, Concubinæ dimissio, vel Officii, quòd sine peccato non potest exerceri, vel vitatio Conversationis, ex qua credit, certò Pœnitentem in peccatum mortale relapsurum, &c. Hanc pœnitentiam concedunt omnes esse necessariò accipiendam, ita ut nisi Pœnitens eam acceptet, nullatenus sit absolvendus.

VIII. Pœnitentia alia satisfactoria seu vindicativa.

Alia est Pœnitentia *Satisfactoria*, quam alii *vindicativam* vocant, quæ imponitur Pœnitenti ad satisfaciendum in hac vita pro pœna temporali, in quam per Sacramentalem Absolutionem commutata est pœna æterna, aliàs peccatis debita, de hac litigatur in præsenti, an teneatur illam pœnitens acceptare, vel an posset totam pœnam peccatis debitam ad purgatorium remittere, ita ut nullam velit pœnitentiam à Sacerdote accipere, eóque non obstante sit absolvendus. Quòd teneatur acceptare, tenent Magister Sententiarum, Alensis, & Thomas, & communior Recentiorum fusè apud Amicum, quam Sententiam existimat Vasquetz de Fide esse. Suarez ita certam, ut sine temeritate negari non possit. Cajetanus oppositam vocat intolerabilem, quibus Censuris addit Cardinalis Lugo, non esse audiendos illos, qui adhuc illam Sententiam probabilem putant, quibus non obstantibus

IX. Non tenetur per se Pœnitens acceptare Pœnitentiā satisfactoriam, si velit illam persolvere per indulgentias, vel in Purgatorio.

Dico Secundò: *Non tenetur Pœnitens per se loquendo Pœnitentiam injunctam à Sacerdote in Ordine ad satisfaciendum pro pœna temporali, in quam commutatur æterna, acceptare, modò dispositus sit illam pœnam persolvere, vel per Indulgentias, vel in Purgatorio, debet tamen illam implere, si acceptavit.* Ita Scotus quoad utramque partem *hic dist. 15. q. 1. num. 12. a. 3. per totum, & dist. 17. num. 22. & fusius dist. 19. num. 27.* quem sequuntur Gabriel, Medina, Armilla, Hostiensis, Panormitanus, Sylvester, & Navarrus, dicens contra censuram præcedentium, hanc nostram Sententiam esse in Urbe & Orbe receptam.

X. Scotus pro hac Conclusione refertur.

Scotus in primo loco dicit: *Si omninò nullam Pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi: absolvendus & non est respuendus, ne cadat in desperationem, & nuntianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quòd eam in se, vel in æquivalenti absque impositione studeat adimplere, alioquin solvet ad plenum in Purgatorio*; & in ultimo, ubi interrogat, an Pœnitens teneatur adimplere pœnam impositam

tam à Clave non errante? Respondet, quod sic, si velit se submittere Sacerdoti huic, quantùm ad absolutionem culpæ & susceptionem pœnæ; postea subjicit: *Si autem tantummodò se velit submittere huic, quantum ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & non quantum ad taxationem pœnæ totalis, sed tantùm quantum ad illam, & illius taxationem vult se subdere manui* DEI, *vel hic, vel in purgatorio, non expediret talem sinè absolutione repellere, tunc enim recederet desperatus; nec videtur propter istam voluntatem esse in peccato mortali, cùm conteratur de peccato, & velit puniri pœnâ condignâ pro eo, & ab eo, cujus est justè eam infligere, licèt nolit eam sibi infligi ab isto Sacerdote.*

Nec potest dici hunc inobedientem Ecclesiæ esse, quia potest se submittere arbitrio Ecclesiæ, quantum ad judicium illud pœnitentiale, ad quod necessariò tenetur se submittere, licèt nolit se submittere illi sequenti &c.

Hicquæus supra hunc locum admittit nostram Conclusionem in duobus tantùm casibus, nimirum quando est periculum relapsus in Pœnitente ad novum peccatum, si acceptet Pœnitentiam, & etiam periculum desperationis si rejiciatur à Confessario sine absolutione, quidquid sit de hoc

XI. Probatio ejusdem Cõclusionis. Probatur Prima Pars: Positis omnibus requisitis in Pœnitente tenetur Confessarius illum absolvere, aliàs gravem illi faceret injuriam, sed possunt esse omnia requisita, etiamsi nollet acceptare Pœnitentiam, ergò. Probatur minor, si aliquid ipsi deesset, maximè quòd esset inobediens Ecclesiæ, sed non esset, ergò. Probatur minor: Ecclesia tantùm præcipit, ut corde contrito, & cum proposito firmo emendationis confiteatur, sed in hoc proposito non involvitur acceptatio aut impositio pœnitentiæ, ergò. Probatur min: Quia secundùm omnes agonizans rectè confitetur, & absolvitur, absque pœnitentiæ impositione aut acceptatione. Quoad convalescentem etiam probatur eadem min: quando sunt duo modi satisfaciendi alicui pœnæ, ad neutrum determinatè tenetur Reus, sed sunt duo modi satisfaciendi pœnæ temporali peccatis debitæ, ut scilicet in hac vita, per veram & voluntariam satisfactionem; vel post hanc vitam in Purgatorio per satispassionem, ergò ad neutrum modum determinatè obligatur Pœnitens; & consequenter poterit ad libitum, vel in hac vita per bona opera, maximè tempore Indulgentiarum, satisfacere, vel totam pœnam ad Purgatorium remittere.

Dices: Non est in manu Pœnitentis electio istius modi. Respond. neg: Ant: Tum, Quia in manu ipsius est satisfactio ipsa, ergò & modus satisfaciendi, Consequentia patet, nam in cujus manibus est substantia operis, in ejusdem est modus operis, sed in manu Pœnitentis est satisfacere pœnis peccatorum, ergò & modus satisfaciendi. Tum etiam, Quia etiamsi nihil solvat, in hoc sæculo, debebit solvere in Purgatorio, & ex mera liberalitate Christi concessum est Pœnitenti, ut satisfaciat pœnæ temporali peccatis debitæ in hac vita per pœnitentias à Sacerdotibus injunctas, sed quilibet potest cedere Juri suo, ergò. Si est Pœnitens paratus ipsam pœnam Purgatorii subire, non est, unde cogatur, aliam in hac vita solvere. XII. Modus satisfaciendi est in manu pœnitentis.

Secunda Pars est communissima contra Cajetanum, quem dicunt Suarez & Vasquez minùs consequenter loqui, eò quod primam partem nostræ Conclusionis teneat, & secundam neget. Censura quidem est levis, demus modo casum, quo Pœnitens non teneatur acceptare satisfactionem injunctam à Sacerdote, ut supponit noster Doctor, & Cajetanus: Hoc ideò esset verum, quia non teneretur subjicere se Confessario quoad opus satisfactorium, sed tantùm quoad remissionem peccati, & quia Arbiter in tantum potest ligare, in quantum subjicit se ei pars; sed dato, quòd Pœnitens acceptet onus talis satisfactionis, jam se submittit arbitrio quoad utrumque, ergò tenetur obe- XIII. Pœnitens acceptans pœnitentiam injunctam, tenetur eam implere.

nisi motivum aliquod rationale in Contrarium occurrat.

V. Objectioni respondetur.

Arguitur. Potest aliquando ex rationali causa Pœnitens non acceptare ullam pœnitentiam à Confessario, ergò non tenetur Confessarius in tali casu ullam illi imponere pœnitentiam. Confirmatur: Tenetur Confessarius ex Tridentino, se ita accommodare conditioni & facultati Pœnitentis, ut pro magna Pœnitentia peccatis aliàs debita modicam aut ferè nullam illi injungat, ergò & nullam omninò imponere. Respondetur admittendo adhuc Ant: Dist: Conseq: ex rationabili motivo, Conc: Consequ: sine tali nego Consequ: Similiter distinguo Consequens Confirmationis, quia Conclusio loquitur in Casu ordinario tantùm.

VI. Et Instantiæ satisfit.

Dices: Quando Sacerdos non imponit pœnitentiam, non exercet actum Jurisdictionis, ergò non injungit Satisfactionem Sacramentalem. Ant: patet, Quia tunc non ligat. Respondetur, Negand. Antec: Quia dimittendo culpam exercet actum Jurisdictionis, & concedendo Indulgentias, exercet etiam, licèt nullum præceptum imponat. Sed longè major est Difficultas, an per se loquendo teneatur Pœnitens acceptare pœnitentiam injunctam à Confessario.

VII. Pœnitentia alia medicinalis, præservativa seu restitutoria; ea necessariò acceptanda.

Distinguunt communiter Authores inter pœnitentiam *medicinalem*, quam aliqui *præservativam*, alii *restitutoriam* vocant, qualis est rei alienæ restitutio, odii mortalis depositio, Concubinæ dimissio, vel Officii, quòd sine peccato non potest exerceri, vel vitatio Conversationis, ex qua credit, certò Pœnitentem in peccatum mortale relapsurum, &c. Hanc pœnitentiam concedunt omnes esse necessariò accipiendam, ita ut nisi Pœnitens eam acceptet, nullatenus sit absolvendus.

VIII. Pœnitentia alia satisfactoria seu vindicativa.

Alia est Pœnitentia *Satisfactoria*, quam alii *vindicativam* vocant, quæ imponitur Pœnitenti ad satisfaciendum in hac vita pro pœna temporali, in quam per Sacramentalem Absolutionem commutata est pœna æterna, aliàs peccatis debita, de hac litigatur in præsenti, an teneatur illam pœnitens acceptare, vel an posset totam pœnam peccatis debitam ad purgatorium remittere, ita ut nullam velit pœnitentiam à Sacerdote accipere, eóque non obstante sit absolvendus. Quòd teneatur acceptare, tenent Magister Sententiarum, Alensis, & Thomas, & communior Recentiorum fusè apud Amicum, quam Sententiam existimat Vasquetz de Fide esse. Suarez ita certam, ut sine temeritate negari non possit. Cajetanus oppositam vocat intolerabilem, quibus Censuris addit Cardinalis Lugo, non esse audiendos illos, qui adhuc illam Sententiam probabilem putant, quibus non obstantibus

Dico Secundò: *Non tenetur Pœnitens per se loquendo Pœnitentiam injunctam à Sacerdote in Ordine ad satisfaciendum pro pœna temporali, in quam commutatur æterna, acceptare, modò dispositus sit illam pœnam persolvere, vel per Indulgentias, vel in Purgatorio, debet tamen illam implere, si acceptavit.* Ita Scotus quoad utramque partem *hic dist. 15. q. 1. num. 12. a. 3. per totum, & dist. 17. num. 22. & fusius dist. 19. num. 27.* quem sequuntur Gabriel, Medina, Armilla, Hostiensis, Panormitanus, Sylvester, & Navarrus, dicens contra censuram præcedentium, hanc nostram Sententiam esse in Urbe & Orbe receptam.

IX. Non tenetur per se Pœnitens acceptare Pœnitentiam satisfactoriam, si modò dispositus sit illam persolvere per indulgentias, vel in Purgatorio.

Scotus in primo loco dicit: *Si omninò nullam Pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi: absolvendus & non est respuendus, ne cadat in desperationem, & nuntianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quòd eam in se, vel in æquivalenti absque impositione studeat adimplere, alioquin solvet ad plenum in Purgatorio;* & in ultimo, ubi interrogat, an Pœnitens teneatur adimplere pœnam impositam

X. Scotus pro hac Conclusione refertur.

tam à Clave non errante? Respondet, quod sic, si velit se submittere Sacerdoti huic, quantùm ad absolutionem culpæ & susceptionem pœnæ; postea subjicit: *Si autem tantummodò se velit submittere huic, quantum ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & non quantum ad taxationem pœnæ totalis, sed tantùm quantum ad illam, & illius taxationem vult se subdere manui Dei, vel hic, vel in purgatorio, non expediret talem sinè absolutione repellere, tunc enim recederet desperatus; nec videtur propter istam voluntatem esse in peccato mortali, cùm conteratur de peccato, & velit puniri pœnâ condignâ pro eo, & ab eo, cujus est justè eam infligere, licèt nolit eam sibi infligi ab isto Sacerdote.*

Nec potest dici hunc inobedientem Ecclesiæ esse, quia potest se submittere arbitrio Ecclesiæ, quantum ad judicium illud pœnitentiale, ad quod necessariò tenetur se submittere, licèt nolit se submittere illi sequenti &c.

Hicquæus supra hunc locum admittit nostram Conclusionem in duobus tantùm casibus, nimirum quando est periculum relapsûs in Pœnitente ad novum peccatum, si acceptet Pœnitentiam, & etiam periculum desperationis si rejiciatur à Confessario sine absolutione, quidquid sit de hoc

XI. Probatio ejusdem Conclusionis. Probatur Prima Pars: Positis omnibus requisitis in Pœnitente tenetur Confessarius illum absolvere, aliàs gravem illi faceret injuriam, sed possunt esse omnia requisita, etiamsi nollet acceptare Pœnitentiam, ergò: Probatur minor, si aliquid ipsi deesset, maximè quòd esset inobediens Ecclesiæ, sed non esset, ergò. Probatur minor: Ecclesia tantùm præcipit, ut corde contrito, & cum proposito firmo emendationis confiteatur, sed in hoc proposito non involvitur acceptatio aut impositio pœnitentiæ, ergò. Probatur min: Quia secundùm omnes agonizans rectè confitetur, & absolvitur, absque pœnitentiæ impositione aut acceptatione. Quoad convalescentem etiam probatur eadem min: quando sunt duo modi satisfaciendi alicui pœnæ, ad neutrum determinatè tenetur Reus, sed sunt duo modi satisfaciendi pœnæ temporali peccatis debitæ, ut scilicet in hac vita, per veram & voluntariam satisfactionem; vel post hanc vitam in Purgatorio per satispassionem, ergò ad neutrum modum determinatè obligatur Pœnitens; & consequenter poterit ad libitum, vel in hac vita per bona opera, maximè tempore Indulgentiarum, satisfacere, vel totam pœnam ad Purgatorium remittere.

Dices: Non est in manu Pœnitentis electio istius modi. Respond. neg: Ant: Tum, Quia in manu ipsius est satisfactio ipsa, ergò & modus satisfaciendi, Consequentia patet, nam in cujus manibus est substantia operis, in ejusdem est modus operis, sed in manu Pœnitentis est satisfacere pœnis peccatorum, ergò & modus satisfaciendi. Tum etiam, Quia etiamsi nihil solvat, in hoc sæculo, debebit solvere in Purgatorio, & ex mera liberalitate Christi concessum est Pœnitenti, ut satisfaciat pœnæ temporali peccatis debitæ in hac vitâ per pœnitentias à Sacerdotibus injunctas, sed quilibet potest cedere Juri suo, ergò. Si est Pœnitens paratus ipsam pœnam Purgatorii subire, non est, unde cogatur, aliam in hac vita solvere. XII. Modus satisfaciendi est in manu pœnitentis.

Secunda Pars est communissima contra Cajetanum, quem dicunt Suarez & Vasquez minùs consequenter loqui, eò quod primam partem nostræ Conclusionis teneat, & secundam neget. Censura quidem est levis, demus modo casum, quo Pœnitens non teneatur acceptare satisfactionem injunctam à Sacerdote, ut supponit noster Doctor, & Cajetanus: Hoc ideò esset verum, quia non teneretur subjicere se Confessario quoad opus satisfactorium, sed tantùm quoad remissionem peccati, & quia Arbiter in tantum potest ligare, in quantum subjicit se ei pars; sed dato, quòd Pœnitens acceptet onus talis satisfactionis, jam se submittit arbitrio quoad utrumque, ergò tenetur obe- XIII. Pœnitens acceptans pœnitentiam injunctam, tenetur eam implere.

obedire & satisfacere ejus sententiæ, Scotus magis consequenter est locutus in hoc, quàm Cajetanus.

Confirmatur: Potestatem arbitrandi non accepit Confessarius à Reo, sed à DEO & Ecclesia, à quibus instituitur Judex hujus fori, & verè habet Clavem ligandi, unde Consensus Pœnitentis non confert potestatem, sed dat materiam, in qua exerceri potest, ergò Pœnitens nequit resilire à sententia data & acceptata, cui se subjecit.

XIV. Concilium Tridentin. objectum, loquitur de Pœnitentia præservativa non vindicativa.

Opponitur Primò contra primam Partem Authoritas Concilii Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 8. ubi dicit: *Quòd debeant Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur &c.* sed si Pœnitens non teneretur acceptare, nisi quam vellet pœnitentiam, non deberent Confessarii de hoc esse solliciti, nec esset periculum, quòd alienorum peccatorum essent participes, ergò tenetur Pœnitens acceptare illam pœnitentiam, quam prudenter Confessarius, doctus & bonus ipsi imponit. Respondetur: Concilium non loqui hìc de satisfactione in Ordine ad satisfaciendum pœnæ temporali, sed quatenus est medium ad præservandum hominem à lapsu in futurum, aut ne peccet in ipsa Confessione non habendo intentionem restituendi res alienas, aut vitandi occasiones incidendi in eadem peccata aut majora.

XV. Instantiæ respondetur.

Instatur: Concilium in eodem Cap. monet, Sacerdotes habere præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non tantùm sit ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum castigationem & vindictam, ergò. Respond. Neg. Consequ: Quia non dicit, quòd teneantur ad utrumque finem satisfactionem imponere, nec si non imponant, erunt participes alienorum peccatorum, cùm Pœnitenti etiam esset peccatum non subire illam pœnam. Tunc enim Sacerdotes essent participes Peccatorum Pœnitentium, quando leves pœnitentias non recusantibus pro gravibus Criminibus imponunt, ne offendant Pœnitentes, aut eos ab accessu ad se ipsos avertant; hi magis recipiunt ad proprium commodum, quàm ad qualitatem criminum aut facultatem Pœnitentium, quibus dant ansam parvifaciendi majora peccata.

XVI. Authoritas ligandi, in quo consistat.

Urgetur: Concilium ibidem dicit, esse in Sacerdotibus potestatem non solùm solvendi, sed etiam ligandi, sed tunc non ligarent, ergò. Respond. Neg. min: Quia authoritas ligandi in hoc consistit, quòd Sacerdos posset Pœnitentem insufficienter dispositum non absolvere, & ipsum in criminibus ligatum relinquere; Potest autem esse hìc & nunc sufficienter dispositus, etiamsi à Sacerdote Pœnitentiam non acceptet, nisi id in contemptum Clavium, & Authoritatis Ecclesiæ fiat, nec aliud intendit Florent. *Cap. Omnis utriusq; sexus*, asserens, satisfactionem esse imponendam juxta arbitrium Sacerdotis: Quia loquitur de Pœnitentia præservativa tantùm, vel si de vindicativa, tantùm intendit, modò acceptetur à Pœnitente.

XVII. Objectio fundamentalis proponitur, & respondetur Primò.

Arguitur Secundò: Ex prima Conclusione tenetur Sacerdos regulariter pœnitentiam imponere, ergò & Pœnitens eam acceptare; Probatur Consequ: Quilibet Reus tenetur obedire Judici rectè judicanti, sed Sacerdos & Judex verus hujus Judicii, & Pœnitens est reus, ergò. Hoc argumentum maximè æstimatur à Vasquesio; tamen Respond. Primò: Dist: Ant: præservativam & medicinalem, Conc: Ant: vindicativam, neg: Ant: vel aliter dist: idem Ant: volenti suscipere vindicativam, Conc: Ant: nolenti, neg: Ant: & quòd argumentum non sit adeò efficax, patet: Quia secundùm communiorem sententiam, Episcopus tenetur, Sacramentum Confirmationis administrare,

ſtrare, tamen nullus tenetur ad illud ſuſcipiendum, cum non ſit neceſſarium ad ſalutem. Item Parochus extra tempus implendi Præceptum Confeſſionis, tenetur aliquando administrare Sacramentum Pœnitentiæ, modò petatur, & tamen pœnitens non tenetur tunc ſuſcipere hoc Sacramentum. Ratio generalis eſt, quia in talibus caſibus non tenetur Miniſter adminiſtrare, niſi volenti ſuſcipere.

XVIII. Item Secundò.

Reſpondetur Secundò: Neg: Conſeq: cujus probationis Maj: diſtinguo, Judici Ordinario independenti ab alio ſupremo Judice, Conc: maj: dependenti ab alio, ad quem appellat,& ſe remittit reus,neg: maj: & Conſeq: Quia reus poteſt non acceptare Pœnitentiam impoſitam à Sacerdote, ſed remittere ſe ad pœnam Purgatorii à DEO ſupremo Judice imponendam. Nam quòd Pœnitens ſatisfaciat pœnæ Purgatorii per Pœnitentiam impoſitam à Sacerdote,cedit in favorem Pœnitentis,tamen poteſt cedere ſuo Juri,licèt ſtultè faceret.

Huic annectitur alia difficultas, an ſatisfactio ab uno Confeſſario impoſita poſſit ab alio mutari, ſola igitur Controverſia eſt, quando Pœnitentia impoſita proportionatur tàm peccatis, quàm facultati Pœnitentis.

XIX. Quivis Confeſſarius poteſt mutare pœnitentiam ab alio etiam ſuperiore impoſitam.

Dico Tertiò: *Quivis legitimus Confeſſarius poteſt mutare pœnitentiam ab alio etiam Superiore impoſitam, in Confeſſione tantùm, non tamen abſque eo, quòd audiat peccata, propter quæ fuit impoſita pœnitentia.* Prima Pars eſt communior, & patet Ratione; Quia Pœnitens habet Jus eadem peccata uni confeſſa alteri iterum confitendi, ergò quilibet legitimus Confeſſarius habet poteſtatem ea judicandi, & condignâ pœnitentiâ puniendi; ſed non tenetur Pœnitens de iiſdem peccatis duplicem ſubire pœnitentiam, ergò poterit relictâ pœnitentiâ prioris,exequi pœnitentiam poſterioris Judicis.

Confirmatur: Jus reconfitendi peccata (ſi eſt aliquod tale Jus) eſt Jus ad novum Sacramentum Pœnitentiæ accedendi, ſed ad novum Sacramentum Pœnitentiæ perfectè conficiendum, nova requiritur abſolutio, ſed etiam novæ Pœnitentiæ impoſitio.

Dixi: *Si eſt aliquod tale Jus:* Quia ſecundùm Navarrum, & multos alios non requiritur nova Confeſſio, ſed ſufficit allegare rationes impoſſibilitatis, periculi ac difficultatis, quàm in ea experitur adimplenda Pœnitens, petatque proindè ejus commutationem in aliud opus ſatisfactorium; Cùm enim peccata fuerint jam ſemel per legitimam abſolutionem remiſſa, non videtur opus eſſe, ea amplius Clavibus ſubjicere; Per hoc patet valdè probabile eſſe, quod dicit Bonac. nempe, inferiorem Sacerdotem mutare poſſe pœnitentiam impoſitam à Superiore propter peccata reſervata: Quia ſicut peccata reſervata ſemel abſoluta à Superiore, non manent amplius reſervata, ita nec Pœnitentia ab eodem impoſita.

Cauſæ rationabiles hujuſmodi commutationis ſunt, impotentia in Pœnitente ad implendam Pœnitentiam impoſitam, licèt eam primò acceptaverit, fragilitas & periculum transgreſſionis, ſimiliter mutatio ſtatûs & conditionis. Exempla unicuique obvia ſunt. XX. Ex cauſa rationabili.

Secunda Pars patet: Quia commutatio pœnitentiarum ſeu ſatisfactionum Sacramentalium eſt actus Sacramentalis, ergò non poteſt fieri, niſi in foro ſacramentali. XXI. In Confeſſione tantùm.

Tertia Pars probatur: Qui Pœnitentiam in Sacramentali Confeſſione prima imponit, debet qualitatem delicti cognoſcere, ergò etiam ille, qui primam pœnitentiam commutat. XXII. Et ſi audiat peccata, ob quæ fuit Pœnitentia impoſita.

Arguitur contra primam Partem: Par in parem non habet imperium, multò minùs in ſuperiorem: unde in foro exteriori nequit unus Judex, niſi ſit ſuperior, mutare ſententiam alterius, ergò judicium latum in foro interno ſacramentali ab

uno Sacerdote, non poteſt mutari ab alio Sacerdote, præſertim quando commutans eſt inferior imponentis primam Pœnitentiam. Reſpondetur, Neg. ſuppoſitum Antecedentis; Quia Sacerdos poſterior commutans pœnitentiam prioris, non exercet in illum imperium, ſed in Pœnitentem, in cujus gratiam inſtitutum eſt hoc Sacramentum, unde nullam facit injuriam priori, ſed conſulit conſcientiæ Pœnitentis, qui habet Jus conſulendi alium Confeſſarium, nec eſt eadem ratio de Judice exterioris fori, quia cùm hæc mutatio in tribunali forenſi externo minueret famam alterius Judicis, eſt illicita: in mutatione verò Sententiæ Sacræ, cùm fiat in foro interno conſcientiæ, nulla fit per ſe diminutio famæ alterius Judicis &c.

XXIII. Confeſſarius mutâs pœnitentiam non exercet jus in priorem, ſed in pœnitentem.

XXIV. Nequit pœnitens pœnitentiam ſuâ authoritate commutare in opus æquale, aut melius.

Quæres Primò: An ipſe Pœnitens propriâ authoritate poſſit Pœnitentiam ſibi injunctam in aliud æquè ſatisfactorium, aut longè meliùs commutare? Reſpondent communiter negativè; Quia Pœnitentia nequit eſſe pars Sacramenti, niſi procedat ex virtute Clavium, ergò nequit eſſe pars Sacramenti, niſi injuncta à Confeſſario, modò non ſit impoſſibilis Pœnitenti.

XXV. Diſparitas inter votū & pœnitentiam.

Dices: Poteſt propriâ authoritate vovens votum emiſſum in opus æquale aut melius commutare, ergò & Pœnitentiam Pœnitens. Reſpond. Negand: Conſequ: Quia cùm votum, ejúſque obligatio ex voluntate voventis procedat, & ejus, cui votum factum eſt, poteſt ex rationabili cauſa illud commutare, nam id liberè vovit, & magis DEO placet, ſi in melius commutetur. Satisfactio verò non procedit ex beneplacito Pœnitentis aut ſatisfacientis, ſed ex Præcepto & Sententia Confeſſarii, à cujus Clavibus dependet hæc ſatisfactio.

XXVI. Satisfactio injuncta à Confeſſario poteſt per alium ab ipſo pœnitente impleri.

Quæres Secundò: An Satisfactio injuncta à Confeſſario poſſet per alium ab ipſo Pœnitente adimpleri? Reſpondetur cum communiori affirmativè. Tum, Quia Confeſſarius ex conſenſu Pœnitentis, & tertii, poteſt illi injungere Pœnitentiam per tertium adimplendam; Tum, Quia ſi Confeſſarius ſub disjunctione injungat Pœnitentiam, per ſe vel per alium adimplendam poterit Pœnitens utroq; modo ſatisfacere: Tum etiam, Quia membra Eccleſiæ communicant ſibi invicem in ſuffragiis & operibus ſatisfactoriis, ergò unus pro altero ſatisfacere poteſt.

XXVII. Eritque Sacramentalis, & quâ ratione.

Sed Difficultas eſt, quomodo hæc ſatisfactio poſſit eſſe Sacramentalis, maximè cauſans ſuum effectum ex opere operato? Quia Clavis tantùm poteſt ligare Pœnitentem ut eſt reus, cujus ſolius actus ſunt partes integrantes hoc Sacramentum? Reſpondetur tamen, illam ſatisfactionem eſſe Sacramentalem, eò quòd procedat ex conſenſu Confeſſarii, & eſſe actum proprium Pœnitentis; ſaltem moraliter, licèt non phyſicè; ſicut enim actus bonus, aut malus alterius reputatur moraliter ejus, qui ſuadet aut inducit, ita illa ſatisfactio erit perſonalis moraliter. Hinc Pater & Filius non reputantur in bonis communibus diverſæ Perſonæ ſecundùm Jura, ſed tanquam una, ſimiliter Maritus & Uxor, &c. Unde ſicut Pœnitens punitur ſufficienter in bonis externis fortunæ, quæ ſunt ſui juris, ita ſufficit, ut puniatur in Filio Pater, Uxor in Marito; pariformiter ſufficit, ut Pœnitens puniatur in altero ex mutua acceptatione, quantum ad opus ſatisfactorium: Quia Clavis ligat alterum, quoad illud opus, non quâ alter eſt, ſed quâ ſubit Perſonam Pœnitentis, & ſe ſubſtituit voluntariè. Et hæc de Pœnitentia.

TRA-

TRACTATUS VI.
DE
ORDINE.
PROOEMIUM.

SIcut agere & pati correlativa sunt, ita absolvi & absolvere: Suavissimè proindè Spiritus Sanctus de Unguentario Cœlesti loquens, composuit Fistulam & Cynamomum, duas species aromaticas sibi vicinas, sibi analogas, & respectum ad invicem habentes; prout præclarè advertit Gilbertus Porretanus sæpè citatus, ait enim: *Fistula & Cynamomum: In Fistula altum cernit* (peccantes in cœlum ponunt os suum) *Sed in Cynamomo altum non sapit:* prout faciunt boni Pastores, qui dicere possunt: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JESUM CHRISTUM. Illa ascendit:* continuat Gilbertus, *illud condescendit*, per compassionem, & discretam correctionem; unde sanè per Cynamomum, Sacramentum Ordinis, Unguentum salutis intelligi potest, quod se ad Fistulam contemperat, Sacramentum Pœnitentiæ perficit, & conficit; nam Cynamomum suavem odorem fractum emittit, ut habet Plinius, Theophrastus, Dioscorides, & ut loquitur Gilbertus: *Cynamomum cùm frangitur visibile spiramentum emittit:* Moxque applicat ad Sacerdotes, quorum est docere, nam *labia Sacerdotis custodiunt Scientiam. — — — Angelus enim Domini exercituum est*, dicens: *Tunc Doctor contemperans se ipsum quasi frangit, cùm se cœperit aperire, vel audiri eum eviscerare illa, quæ intus de supernis latent secreta.* Itaque de hoc Unguento, & Ordinis Sacramen-

to, antequam agam, accipe prius Concilii Tridentini Canones:

Canon I.

SI quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile & externum: vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi: sed Officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Evangelium: vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum: vel esse figmentum quoddam hominum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros Verbi DEI, & Sacramentorum: anathema sit.

Canon IV.

SI quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum: ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum: aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse: anathema sit.

Canon V.

SI quis dixerit, Sacram Unctionem, quâ Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse: Similiter & alias Ordinis Cæremonias: anathema sit.

Canon

Canon VI.

SI quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Ordinatione Divinâ institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, & Ministris: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse: aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica potestatè ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliundè veniunt, legitimos esse verbi, & Sacramentorum Ministros: anathema sit.

DISPUTATIO UNICA.

DE

Sacramento Ordinis.

OMissis variis acceptionibus Ordinis hic capitur pro gradu, dignitate, cum potestate Ecclesiastica, collata aliquibus determinatis personis, v. g. Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, &c. sed ut hic accipitur, non est Sacramentum, quia illa dignitas, seu gradus, non est signum sensibile, sed potius illud est signum sensibile, quo mediante confertur illa dignitas.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Sacramentum Ordinis?

I. Ordo & Ordinatio describuntur.

Rdo, de quo hic agitur, est Potestas collata per Sacramentii ordinationis in Ordine ad functiones aliquas, quæ in Ecclesia sunt in usu. Ordo sic acceptus est effectus Ordinationis extrinsecæ, quia confertur à ministro efficiente, actione externa significativa talis Potestatis, vocaturque *Character Ordinis.* Illa verò Ordinatio externa est *Institutio alicujus in gradu præeminenti Ecclesiæ, cui committitur aliquod ministerium circa Corpus Christi verum & mysticum, facta à Ministro idoneo certa verba proferente, mediante aliquo signo sensibili ministerium illius gradûs repræsentante ex ordinatione Divina efficaciter significans gratiam.* Quæritur ergò, si talis Ordo seu Ordinatio sit Sacramentum, & quotuplex? ubi examinabitur, an Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio? Itaque

Dico Primò: *Ordo seu Ordinatio est Sacramentum propriè dictum à Christo Domino institutum.* Ita definitur à Florentino & Tridentino Sess. 23. c. 3. & Can. 3. ubi Contrarium damnat supra. Probatur ex Scriptura, ubi legitur, Diaconos ordinari per II. Ordo est propriè dictum Sacramentum.

manûs impositionem, *Act.* 6. Similiter Paulum & Barnabam creari Episcopos impositione manuum: Timotheum per Paulum, uti intelligunt omnes Patres & Concilia apud Bellarminum l. 6. de Sacramento Ordinis c. 3. Et licèt Scriptura non præscribat ea omnia, quæ vel ad ritum, vel ad materiam & formam singulorum Ordinum spectant, non est tamen dubium, quin Christus in his omnibus Apostolos instruxerit, & per Apostolos Ecclesiam; Sed in contra

III. Probabile est, Christū instituisse Sacramentum Ordinis in ultima Cœna. Arguitur: Nulla habetur mentio institutionis hujus Sacramenti in Scriptura, ergò non est Sacramentum. Respondetur, neg. Consequ: quia non omnia, quæ fecit Christus, scripta sunt. Habemus autem ex Scriptura gratiam conferri per impositionem manuum, unde colligit Ecclesia talem impositionem habere hanc virtutem ex sola Divina institutione, & probabilissimum est, hos Ordines simul cum Sacerdotio in ultima Cœna fuisse institutos, quando Christus dedit Apostolis potestatem conficiendi suum Corpus & Sanguinem, nec refert, quòd non legamus Christum imposuisse illis manus, aut instrumenta porrexisse, quia ejus potestas non erat allegata illis signis sensibilibus; Ex hoc tamen malè infertur, Apostolos eorúmque successores ad similia non obligari.

Quantùm ad secundam Partem Quæstionis, certum est, dari septem Ordines, sed Quæstio est, an omnes sint Sacramenta?

IV. Quilibet Ordo est propriè dictum Sacramentum. Dico Secundò: *Probabilius est, Ordinem quemlibet ex illis septem, esse Sacramentum propriè dictum.* Ita communiter contra quosdam Catholicos excludentes quatuor Minores à ratione Sacramenti, ut Durandus, &c. Similiter excludunt Diaconatum, & Sub-Diaconatum: quibus quoad primam Partem probabiliter adhærent Vasq. Sol. Navar. Lay: &c. Exponendus est numerus Ordinum probationi Conclusionis: *Presbyteratus, Diaconatus, Sub-Diaconatus, Accolythatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Ostiariatus.*

Quæ ad primum Ordinem attinent, de Fide est, quòd sit Sacramentum, hujus institutio invenitur facta in ultima Cœna, per illa verba: *Hoc facite in meam Commemorationem.* Et per illa alia Joan. 20. post resurrectionem dicta, ùt definit Tridentinum Sess. 23. c. 6. Can. 2. *Accipite Spiritum Sanctum.*

V. Diaconatûs mentio habetur in Scriptura. De Diaconatu patet idem, quia ejus mentio habetur aliquoties in ipsa Scriptura: 1. ad Timoth. 3. ad Philip. 1. ad Titum 1. similiter apud Clementem Papam L. 8. Constitut. Can. 46. Et Tridentinum loco citato Can. 6. anathematisat negantes in Ecclesia esse hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.

VI. Sub-Diaconatûs usus est antiquissimus. De Sub-Diaconatu patet, quia est irreiterabilis, habétque adjunctam continentiæ obligationem ab Ecclesia, inter majores & sacros Ordines annumeratur, ejusque usus est antiquissimus in Ecclesia, cujus initium non habetur, quod insinuat esse Divinæ, non humanæ institutionis, Ignatius Martyr, qui fuit Apostolorum Discipulus, in Epistola ad Antiochenos post Diaconos salutat Sub-Diaconos; idem colligitur ex Can. 42. Apostolorum.

Probatur Secundò Conclusio de omnibus Ordinibus majoribus & minoribus, quia Florentinum tradens doctrinam de Sacramentis assignat materiam & formam cujuslibet, & materiam esse id quod traditur. Ponitur exemplum de tribus majoribus, & subjungit in aliis Ordinibus respectivè id esse censendum. Similiter Tridentinum loco citato cap. 2. illos septem Ordines recenset & definit c. 4. sine ullo discrimine, quòd imprimant Characterem, & conferant gratiam, ergò & omnes æqualiter habebunt rationem Sacramenti, vel nullius. In contra

VII. Sunt plura Sacramenta partialia. Arguitur Primò: Si quilibet ex prædictis Ordinibus esset Sacramentum,

quàm se-

tum, darentur plura Sacramenta, quàm septem, cujus Contrarium definit Tridentinum Sess. 7. Can. 1. Respondetur distingu: assumptum, plura partialia, & in specie distincta, concedo; in genere nego. Licèt enim singuli Ordines sint per se Sacramenta, & proprios Characteres imprimant, non tamen nisi unum Sacramentum totale integrant, eò quòd ad unum finem ordinentur, sicut in simili dicuntur de speciebus panis & vini.

VIII. Actiones Diaconi, &c. attingunt mediate effectus Sacramentales.

Arguitur Secundò: Actiones, quæ non attingunt effectum spiritualem, non sunt actiones procedentes à Sacramento, sed actiones Diaconorum, & Sub-Diaconorum, nullum effectum Sacramentalem attingunt, ergò. Respondetur neg: maj: quia non est opus, ut omnes Sacramentales sint in Ordine ad conficienda Sacramenta immediatè, aliàs Confirmatio non esset Sacramentum, cùm ejus Character imprimatur ad fidem fortiter confitendam, multò minùs Matrimonium.

Respondetur Secundò: Dist: Min: Actiones, quas exercent vi muneris, transeat min: Actiones, quibus ordinantur, neg: min: & Conseq: quia quando ordinantur, suscipiunt effectum spiritualem gratiæ, & Characteris in anima. Nec valet dicere, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis fuisse institutos, quia inde tantùm sequitur, quòd Christus in propria Persona nullum Diaconum instituerit, cum quo stat, quòd Sacramentum instituerit.

Neque obstat, quòd ex occasione fuerint instituti, ut inserviant mensis Sacerdotum, ut ait Anacl. P. ep. 3. & Damas. ep. 4. Tum, Quia servitium illud mensale intelligendum est circa mensam illam, ubi tangitur & traditur Corpus Domini: Tum etiam, Quia falsum est, quòd ad ministerium mensale sint instituti, nam fuerunt Diaconi Ephesi, & in Creta Insula, ubi Christiani non convivebant communiter, quorum mensis Diaconi inservirent. Imò Philippus, qui fuit Diaconus, prædicabat & baptizabat, ut habetur 2. c. in Actibus Apostolorum.

Arguitur Tertiò: Non possunt assignari materia & forma pro singulis Ordinibus, ergò non sunt Sacramenta. Respondetur, neg: ant: Quia materia est aliquod sensibile signum proportionatum verbis, & potestati tradendæ.

IX. Possunt assignari materia & forma singulorum Ordinum.

Arguitur Quartò: Subdiaconus olim sacer Ordo non dicebatur, ergò non est Sacramentum. Respondetur, neg. ant: Quia aliud est, esse Sacramentum, aliud esse sacrum Ordinem; Ratio est, quare olim non dicebatur sacer Ordo, quia tunc secundùm multos non licebat Subdiacono tangere sacra vasa, vel quia secundùm alios non habebat sibi adjunctam obligationem continentiæ ab initio Ecclesiæ, licèt eam jam habeat, sicut & potestatem tangendi sacra vasa.

X. Subdiaconatus [illegible] olim nō dicebatur sacer.

Dices: Saltem si minores Ordines essent æquè Sacramenta ac majores, non esset ulla ratio, quare dicerentur minores potiùs, quàm alii. Respondetur, neg: assumptum. Quia majores ideò dicuntur tales, quia habent obligationem castitatis, quam non habent minores, & propiùs accedunt ad Eucharistiam, quàm minores, licèt æquè sint Sacramenta.

Dico Tertiò: *Episcopatus est propriè dictus Ordo ab omnibus suprà numeratis distinctus.* Ita omnes Canonistæ, & communior Theologorum contra Magistrum Sententiarum, D. Bonav. & quosdam alios apud Amicum Sect. 9. Nostram Conclusionem existimat Petrus de Soto de Fide. Bellarminus certissimam. Vasq. Conclusionem Theologicam ex definitione Fidei manifestè deductam. Medina contrariam periculosissimam appellat. Quidquid sit de his Censuris.

XI. Episcopatus est propriè dictus Ordo.

Probatur Conclusio, quoad primam Partem ex Script: ubi legitur ordinatio Timothei in Episcopum, per impositionem manuum, 1. *ad Tim.* 2. & 2. *ad Tim.* 1. Similiter Ordinatio

dinatio Episcopalis Pauli & Barnabæ *Act.* 13. ergò, quandoquidem in his habetur signum sensibile, & collatio gratiæ in Ordine ad spirituales functiones erit Ordo, quòd verò sit distinctus à Presbyteratu, de quo est Quæstio.

XII. Episcopatus est à Sacerdotio distinctus. Probatur ex Tridentino Sess. 23. c. 4. ubi cùm præmisisset præcedenti capite per sacram Ordinationem, quæ ex verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, & consequenter Ordinem esse verum Sacramentum, cap. 7. addit: *Proindè sacra Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui etiam in Apostolorum locum successerunt: Ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, eósque Presbyteris superiores esse.* Et paulò pòst subjungit: *Docet insuper sacro-sancta Synodus in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum & cæterorum Ordinum &c.* Et Can. 6. dicit; *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit.*

Ex his argumentor: Illud Sacramentum est distinctum à Presbyteratu, quod habet materiam & formam, potestatem & functionem distinctam in Ecclesiastica Hierarchia à materia, & forma, & potestate Presbyteratûs, sed Episcopatus est tale Sacramentum, ergò. Probatur min: Materia & forma Episcopatûs est impositio manuum per tres Episcopos super caput ordinandi, Unctio capitis & manuum, traditio baculi pastoralis, annuli, & libri Evangeliorum, & verba, quæ non fuerunt in qualibet materia horum, ut traditur in Pontificali Romano, & tribuit potestatem ordinariam confirmandi, Chrisma conficiendi, seu benedicendi, & alios ordinandi in Presbyteros; sed Presbyteratus non habet talem materiam & formam, nec tribuit talem potestatem, ergò.

XIII. Potestas ordinandi &c. non est jurisdictionis. Confirmatur ex ratione Sacramenti: Potestas illa spiritualis confirmandi & ordinandi, quam habent Episcopi, vel est potestas Ordinis, vel est Jurisdictionis: si primum; habetur intentum; si secundum, ergò potest simpliciter auferri, vel suspendi non minùs, quàm jurisdictio quæcunque simplicis Sacerdotis, sed hoc est contra sacros Canones de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, cap. *Aqua.* Et in 7. Synodo sancitur, ut Hæretici extra Ecclesiam ritè ornati redeuntes ad Ecclesiam in suo quisque gradu ministrare permittantur; sed hujus Decreti nulla esset ratio, si dignitas Episcopalis fundaretur in sola jurisdictione amisibili, & separabili à persona, quia certum est extra Ecclesiam nullam dari Jurisdictionem in aliqua hæresi, ac proindè Ordinatio Episcoporum hæreticorum esset nulla, si consisteret in mera jurisdictione, ergò acceptio hæreticorum in suo gradu supponit priorem Ordinationem validam fuisse, & processisse ex potestate Ordinis; nunquam enim Ecclesia acciperet aliquem in eo gradu, quem invalidè recepit; Undè Aug. lib. 2. contra Parmen. Donatistam c. 13. asserit, Ordinem susceptum ab Episcopo Hæretico, ritè aliàs ordinato, valere, sicut & Baptismus ab eodem collatus.

Arguitur Primò: Ex illo loco Actorum 13. non habetur, quòd S. Paulus fuerit factus Antiochiæ Episcopus, ergò. Prob: Ant: D. Paulus à principio suæ conversionis fuit Apostolus à Christo electus, & propterea se statim contulit in Arabiam, ad prædicandum DEI verbum, antequam ullum Apostolorum videret, sed non venit Antiochiam ante annum Christi 44. & secundum Claudii Imperatoris: ergò. Respondetur neg: ant: ad cujus probationem dico, licèt fuerit Apostolus, & Evangelium prædicaverit à principio conversionis suæ, nullas tamen fundâsse Ecclesias, aut Ministros eis præposuisse, aut consecrâsse, antequam cum Barnaba veniret Antiochiam, ubi consecratus est Episcopus, aliud enim est, esse Episcopum, aliud Apostolum. XIV. Aliud est Episcopus, aliud Apostolus.

Insta-

Instatur: Tunc nullos fuisse Apostolos, aut Episcopos Antiochiæ, qui munus Consecrationis præstaret. Contra: Nam Leo I. scribit, hanc Ordinationem factam ab Apostolis. Et Arator Poëta ait, factam à Petro, qui eodem anno fuit solutus à vinculis, quibus ligabatur Hierosolymis per Angelum, & venit Antiochiam, & inde Romam, ut scribit Baronius Tom. 2. ad annum 44. Neque obstat, quod fuerit recenter Apostolus, quia Petrus fuit priùs Apostolus, quàm ordinatus in Sacerdotem aut Episcopum; nam omnes Apostoli primò in Cœna Domini facti sunt Sacerdotes, &, ut probabilior fert sententia, Episcopi, Joan. 20. post resurrectionem, quando in ipsos insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*: Sic ergò licet Paulus fuerit à Christo vocatus ad Apostolatum, & prædicationem Evangelii, tamen hæc vocatio fuit privata, & non in facie Ecclesiæ; quando autem Spiritus Sanctus in Ecclesia Antiochena jussit segregari Paulum & Barnabam, in opus, ad quos assumpsit eos, hæc vocatio facta est in facie Ecclesiæ à Christo, & per Ecclesiam conferenten gradum Ordinationis Episcopalis.

XV. *D. Paulus accepit doctrinam à Christo, consecrationem ab Apostolis.* Instatur iterum: Ipse Paulus ad Galat. prædicat, se nil accepisse ab Apostolis, sed omnia accepisse à Christo: Respondetur, totum verum est, quoad doctrinam, & quantum ad statum vocationis, quæ fuerunt à Christo immediatè, Consecrationem tamen accepit ab Ecclesia, cui DEUS commisit ministerium ordinarium Sacramentorum. Hinc S. Ambrosius de Dignit. Sacerdot. c. 5. *Si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti*, & paulò inferius: *Quis dat Episcopalem gratiam, Deus an homo?* Respondet, *sine dubio DEUS, sed tamen per hominem dat DEUS.*

XVI. Arguitur Secundò: Hieron. in c. 1. epistolæ ad Titum ait: *Idem est Presbyter, quod est Episcopus*, & antequam oriretur illud schisma, in quo aliqui dicebant, *ego sum Pauli, ego Apollo*, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur, postquam autem unusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, decretum est, ut unus Presbyter supponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur: Idem habet in Epistola ad Evagrium q. 85. ergò ex mente S. Hieron. Episcopatus non est ordo distinctus à Sacerdotio. Respondetur, quidquid dicant Medina, Castro & Vasq. admittentes illam fuisse mentem Hieron. neg. conseq. nam Epistola 54. ad Marcell. docet, Episcopos successisse Apostolis, & Epistolâ 1. ad Heliodorum, Diaconatum tertium gradum constituit, & Sacerdotium secundum in dignitate; & in caput 25. Matth. asserit, Apostolos constituisse Presbyteros, & Episcopos per singulas Civitates, & epistolâ suprà dictâ 85. docet, manuum impositionem & ordinationem esse munus Episcopi, & non Presbyteri: ergò ex mente ipsius non sunt æquiparandi isti duo gradus. Quòd autem gradus Episcopalis præcesserat illud schisma, quod contigit anno Christ 57. Patet ex Simeone Metaphraste, qui itinerario Petri, antequam Romam veniret, de qua re Baronius anno 44. refert, plures constitutas Ecclesias, & ordinatos Episcopos, quod contigit ante schisma, nam ordinatio Jacobi, Barnabæ, & ipsius Pauli prior fuit schismate illo: tantùm ergò vult Hieronymus, quòd ante illud schisma, nomen & officium baptizandi fuerit Episcopis & Presbyteris commune, non tamen ordo & gradus. Deindè voluit, ut Episcopi suâ præeminentiâ non abutantur in contemptum Sacerdotum, quia etiam in regimine Ecclesiæ commune jus habebant, in suo tamen gradu, nam in Concilio Hierosolymitano, in quo actum est de legalibus seniores, qui assistebant Episcopis calculando erant Persbyteri.

Arguitur Secundò: Si Episcopatus esset Ordo Sacerdotalis, vel esset in suo gradu excellentior Sacerdotali, XVII. *Episcopatus est Excellentior Presbyteratu.*

tali, vel non? Primum est contra Scotum hic, ubi dicit, quòd Supremus & nobilissimus gradus sit Sacerdotium propter nobilitatem actûs, ad quem disponit, nempè ad ponendum Corpus Christi sub illis speciebus. Secundum etiam videtur contra Tridentinum, ubi definit Can. 3. *Episcopos superiores esse Presbyteris.* Respondetur esse majorem & perfectiorem Sacerdotiô: Quia & hunc gradum semper præsupponit & includit, & præterea aliam potestatem importat & superaddit, quam non habet Sacerdos quâ talis. Hinc Tridentinum dicit Episcopatum esse culmen omnium dignitatum Ecclesiasticarum quoad extensionem, tamen comparando gradum Episcopalem ad Sacerdotalem, prout ab invicem in eodem subjecto condistinguuntur, potest admitti, Sacerdotalem præeminere ratione actûs proprii, qui est consecrare Corpus Christi verum, & solvere ac ligare Corpus Christi mysticum.

XVIII. Possunt octo dici Ordines. Arguitur Quartò: Septenarius numerus sacrorum Ordinum sine ulla mentione Episcopatûs communis est apud omnes Authores, quia omnes Ordines Sacramentales instituti sunt in Ordine ad Eucharistiam, sed Episcopatus non, ergò non est Ordo Sacramentalis. Respondetur, disting. assumptum, qui non admittunt Episcopatum distinctum, concedo: apud alios, qui admittunt, neg. Concilia enim, quæ faciunt mentionem septem Ordinum, tantùm intelligenda sunt loqui de Ordinibus requisitis ad Sacerdotium, ad quod non requiritur in eodem subjecto Episcopatûs. Distinguitur etiam major sequens: mediatè vel immediatè, conced: maj: immediatè, nego maj: Similiter distinguitur min: & negatur conseq: quia in quantum ordinat ministros immediatè conficientes Eucharistiam, mediatè eam respicit, quod sufficit, ut dicatur Ordo Sacramentalis, aliàs reliqui sub Sacerdotio non essent Sacramenta.

Dico Quartò: *Tonsura non est verè propriè Ordo, nec Cantoratus.* XIX. Prima tonsura non est Ordo. Prima Pars est contra Canonistas. Sed prob. ex Trid. Sess. 1. c. 2. ubi enumeravit minores Ordines, per quos, tanquam per gradus ad Sacerdotium ascendi deberet, non numerat Tonsuram. Et Catechismus Romanus ait: Parochum debere docere populum, primam Tonsuram esse præparationem tantùm ad suscipiendos Ordines, sicut exorcismus ad baptismum, & sponsalia ad matrimonium. Deindè Ordo est potestas activa collata ei, cui confertur ad munera aliqua exercenda, sed talis non est tonsura prima, quia nihil ipsi confertur, nisi habilitare ipsum, ut possit ordines sacros suscipere. Nec obstat, quòd in Cap. *Quod contingit: Extravag. de ætate & qualitate Ordinandorum* dicatur, Ordinem Clericatûs conferri in Tonsura, quia ibi Ordo accipitur pro quadam dispositione ad Ordines, & non pro Sacerdotio, sicut status Religiosorum vocatur Ordo, non tamen Sacramentalis.

Secunda Pars patet: Tum, Quia XX. Nec Cantoratus est Ordo. de eo Cantoratu nulla fit mentio in Trident. aut Ecclesia, nec datur iis, qui fiunt Sacerdotes, aut Episcopi, sicut dantur cœteri Ordines, sed plerumque sæculares, aut si Ecclesiasticis sine Cæremoniis materia & forma instituta ab ullo mortalium. Alii addunt his Ordinem laboratorum seu fossorum, qui ad Fidelium corpora humana sepelire destinabantur, sed non est Ordo Clericalis.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia & Forma Ordinum.

Hic maximè attendendum, I. quòd de Sacramentis in communi dictum est, Christum Dominum non æqualiter determinâsse materiam in omnibus Sacramentis, nam aliquando determinavit secundùm speciem infimam, ut in baptismo, & Unctione, aliquando secundùm speciem subalternam, ut in Euchari-

chariſtia, in Pœnitentia, propter venialia & mortalia; propter Contritionem & Attritionem, aliquando solùm quoad rationem genericam, prout videtur factum inSacramento iſto, de quo ad quæſtionem.

II. Christus Dominus non determinavit ſpecialem materiam Ordinum.

Dico Primò: *Chriſtus Dominus non determinavit materiam Sacramenti Ordinis quoad ſpeciem infimam, vel ſubalternam, ſed quaſi genericam, determinationem relinquendo ſpecialem Eccleſiæ.* Ita Bellarminus, Lugo, Vaſquetz, Laiman. &c. Probatur, Quia nec ipſe adhibuit talem materiam, quæ de facto adhibetur in collatione Ordinum, nec ipſi Apoſtoli adhibuerunt, cum plures res, quæ de facto traduntur in collatione Ordinum non extabant, ut ſunt Libri Evangeliorum, Epiſtolarum, &c.

III. Materia remota & proxima Ordinum.

Dico Secundò: *Materia remota Sacramenti Ordinis eſt res illa, quæ traditur ſuſcipienti Ordines, materia proxima eſt traditio ipſa Materiæ remotæ.* Hæc patet ex dictis de reliquis Sacramentis. Ratio eſt, quia illa eſt materia, per quam conficitur Sacramentum, Sacramentum autem Ordinis conficitur re, & traditione, ac formâ, ergò. Quæ Concluſio ut pateat, ſingulorum Ordinum materias & formas adduco. Itaque

IV. Materia & Officium Oſtiariatûs.

Oſtiarii materia eſt traditio Clavium templi per manus Epiſcopi vel Ordinantis, & verba illa, quibus utitur Ordinans, quando illas porrigit, Forma ſunt, ut: *Sic age, quaſi redditurus rationem pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur*, quare Officium Oſtiarii eſt aperire & claudere fores Eccleſiæ, cuſtodire res ſacras, admittere ad eam dignos, & repellere indignos, pertinet quoque ad Oſtiarium pulſare Campanam ad convocandos Fideles ad Divina Officia, quare ab Archi-Diacono, vel ejus vices fungente ducitur ad claudendam Eccleſiam, & pulſandas campanas.

V. Materia & Officium Lectoratûs.

Lectoratûs materia & forma eſt porrectio Codicis & verba, quæ proferuntur tunc ab Ordinante, ſcilicet *Accipe, & eſto verbi DEI relator.* Unde officium ejus eſt legere Prophetias, & Scripturas in Eccleſia ad populum, ſive recitando ſimpliciter, ſive cantando.

VI. Exorciſtatûs.

Exorciſtatûs materia eſt traditio Libri Exorciſmorum, ſeu in quo continentur exorciſmi ad expellendos Dæmones ab obſeſſis, Forma ſunt verba, quæ Ordinans profert: *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos.* Officium ergò ejus eſt imponere manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive Catechumenos, legere ſuper illos exorciſmos Eccleſiæ.

VII. Acolythatûs.

Acolythatûs materia eſt traditio cerei extincti, & urceoli vacui. Forma ſunt verba ad candelabrum cum cereo: *Accipe Ceroferarium cum cereo.* Et ad urceolos: *Accipe Urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Evchariſtiam Sanguinis Chriſti.* Habet itaque hic Ordo duplicem materiam & formam, & ex utraque integratur, adeóque etiam Acolythus duplex habet Officium, nempe accendere lumina; deferre Sacerdoti ad Sacrificium, & porrigere Subdiacono Urceolos cum vino & aqua ad idem Sacrificium.

VIII. Subdiaconatûs.

Subdiaconatûs materia eſt traditio Calicis vacui cum Patena poſita ſuper Calicem, & libri Epiſtolarum, adeóque duplicem pariter habet materiam, unum Ordinem integrantem & conſtituentem quamvis traditio Calicis propter vicinitatem majorem ad Sanctiſſimum Corpus & Sanguinem Chriſti, quaſi principalior ſit, unde ſæpius hujus mentionem faciunt Concilia, nam Carthaginenſe 4. cap. 5. dicit: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum.* Item Florentinum, & quamvis traditionem libri Epiſtolarum non referant, eam tamen ſupponunt, cùm priùs fuerit adhibita, nam ut colligitur ex Conciliò Laodiceno Can. 21. Olim Subdiaconi nec Vaſa ſacra audebant contingere, ſicut enim Diaconus deſervit Sacerdoti per Librum Evangeliorum, ita Subdiaco-

diaconus cum Libro Epistolarum. Forma primae traditionis est: *Videte cujus Ministerium vobis traditur.* Secunda: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas.* Officium Subdiaconi est proximè assistere Diacono immediatè, mediatè Sacerdoti, parare vasa sacra ad usum Sacrificii, & ad Altare deferre, & cantare Epistolam.

IX. Diaconatus. Diaconatûs materia similiter duplex est, nempè traditio Libri Evangeliorum, & manuum impositio, nam Concilium Florentinum expressè ponit Libri Evangeliorum traditionem. Concilium Carthaginense expressè posuit manuum impositionem, eâque usi sunt Apostoli. Forma prioris est: *Accipe potestatem legendi Evangelium;* posterioris: *Accipe Spiritum Sanctum.* Et utráque integram materiam, utraque integram complet formam, nam cùm unum Concilium unius, & alterum alterius fecerit mentionem, neutrum excludendo, videntur Concilia utrumque supposuisse. Officium Diaconi proindè est legere publicè Librum Evangeliorum, urgente necessitate in absentia Episcopi & Presbyteri baptizare, de licentia eorum olim poterant Sacram Eucharistiam ministrare, & principaliter ea, quae ad Sacrificium pertinent, missae immediatè Sacerdoti ministrare.

X. Sacerdotii duplex materia, forma, potestas. Presbyteratûs materia pariformiter duplex est, duplexque forma, & duplex potestas super duplex Christi Corpus reale & mysticum, quoad Consecrationem, & Absolutionem: Materia pro conferenda potestate super Corpus Christi reale in ordine ad Consecrationem est traditio Calicis cum Vino, & Patenae cum hostia, forma sunt verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, missásque celebrandi tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Materia pro accipienda potestate super Corpus Christi mysticum quoad absolvendum fideles à peccatis, est impositio manuum Episcopi, forma sunt verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sint.* Unde Scotus in 4. D. 24. qu. un. a. 3. dicit, ibi esse duas formas partiales, quibus conjunguntur duae materiae ad unum totale conficiendum Sacramentum completum Sacerdotii, ita quod si Episcopus traditâ patenâ, Calice, & prolatis verbis moreretur, Ordinatus haberet potestatem consecrandi, non tamen absolvendi, hoc tamen sciendum, traditionem Patenae & Calicis debere prius tradi, quia in ipsa magis essentialiter consistit Sacerdotis Consecratio, prout etiam Christum Dominum fecisse constat, qui in Coena ordinavit Sacerdotes per tò *Hoc facite in meam Commemorationem*, & post Resurrectionem primò dedit eis facultatem absolvendi, Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.* atque hunc ipsum modum servat Ecclesia, nam priorem potestatem confert ante Consecrationem, posteriorem in fine missae. Ex quibus patet, Officium Sacerdotis esse conficere Corpus & Sanguinem Christi, absolvere fideles à peccatis, & alia administrare Sacramenta, exceptâ Confirmatione & Ordine, praedicare Evangelium, & pascere populum.

Episcopatûs materia essentialiter est manuum impositio, forma verba: *Accipe Spiritum Sanctum,* quae licèt generalia sint, hìc tamen significant Apostolicam Dignitatem, quâ Episcopus creatus fulget. Et deducitur clarè ex Scriptura, nam D. Paulus Timotheum solâ manuum impositione, Timoth. 4. in Episcopum consecravit, sicque semper intellexerunt Sancti Patres Ecclesiae Latinae & Graecae, quare Unctio capitis, & manuum cum verbis: *Ungatur, & consecretur caput tuum coelesti benedictione*, ad essentiam non pertinent, quia etiam in baptismo & Presbyteratu adhibentur istae unctiones, tanquam Sacramentalia, non tanquam essentialia. Officia autem Episcopi sunt plura, ex institutione Christi, videlicet conferre Sacramentum XI. Episcopatus.

Con-

Confirmationis, Ordinis, benedicere & consecrare Chrisma, oleum infirmorum pro extrema Unctione. Reliquæ Benedictiones & Consecrationes, quæ Episcopis competunt, ut sunt consecrare Ecclesias, Altaria, Calices, benedicere Campanas, Jure Ecclesiastico ad Episcopos pertinent. Si quis plura desiderat, legat Pontificale Romanum, & quærat apud Canonistas. Interim

XII. Episcopatus imprimit characterem distinctum à Sacerdotio.

Dico Tertiò: *Ordinatio Episcopatûs imprimit distinctum Characterem à Sacerdotali.* Ita Bassolius, Tartaretus & alii antiquiores Scotistæ.

Probatur Primò: Ex Trident. Seff. 23. cap. 4. docente per Sacramentum Ordinis imprimi Characterem, ergò ubi distinctum confertur Sacramentum, distinctus quoque imprimitur Character, sed Episcopatus est distinctus Ordo, & Sacramentum, ergò.

Probatur Secundò: Episcopus in Ordinatione aliquid de novo accipit in anima, sed illud aliud dici non potest, quàm Character, ergò. Probatur: Si quid aliud esset fortè Characteris extensio, vel intensio, sed quàm facilè hoc dicitur, tàm facilè dicitur & probatur esse novum Characterem, intensio enim fit per gradus homogeneos, hic autem esset alterius Ordinis, & altioris dignitatis, consequenter non homogeneus: neque extensio dici potest, cum antiquum deberet extendi, hìc autem quid novi infunditur, ergò.

Probatur Tertiò: à Pari in ipso Sacerdotio imprimuntur duplices Characteres partiales, quia ipsis confertur duplex potestas nempe super Corpus Christi mysticum & reale, sed in Ordinatione Episcopi, acquirit quoque novam & distinctam potestatem, ergò etiam illi imprimitur distinctus Character.

XIII. Ordines non sunt inter se necessariò connexi.

Dico Quartò: *Ordines non sunt inter se ita connexi ex institutione Divina, quin unus sine alio validè conferri possit, excepto Episcopatu, qui necessariò præsupponit ex ordinatione Christi Sacerdotium.* Est communis, & Prima Pars patet ex Jure Canonico *in cap. unico de Cleri. per saltum promoto*, ubi promotus ad Sacerdotium sine Diaconatu non jubetur reordinari, sed permittitur in Sacerdotio, postquam Diaconatum acceperit, quod utique admissum non fuisset, si unus alterum præsupposuisset Characterem.

XIV. Excepto Sacerdotio & Episcopatu.

Probatur Secunda Pars: Tum, Quia Episcopatus est quoddam Sacerdotium, ergò illud absolutè includit, & quidem ex communi Theologorum mente tàm essentialiter, quòd si quis in Episcopum ordinetur sine Sacerdotio, nihil factum fuisset. Tum, Quia nemo dare potest, quod priùs in se aliquomodo non habet, sed Episcoporum munus primarium est ordinare Sacerdotes, ergò ipse in se habere debet.

XV. Ordinum materiæ debent physicè contingi.

Dico Quintò: *Ad validam Ordinationem requiritur, ut instrumenta porrecta physicè, immediatè vel mediatè, tangantur.* Ita Sylvester, Coning, Sa, Bonacinna, & communior Theologorum. Probatur: Tum, Quia in quolibet Sacramento habente materiam physicam, necesse est ut suscipiens contingat illam, ut patet de Baptismo, confirmatione, Unctione; ergò &c. Tum, Quia sine tactu physico non verificatur forma Ordinationis: *Accipe*, quod enim physicè non tangitur, non accipitur in Sacramentis, quæ debent esse signa sensibilia. Tum, Quia in Ordinatione per impositionem manûs non sufficit moralis impositio, sed requiritur physica, & physicus ordinati contactus, ergò etiam in ordinatione per instrumenta physicè debent illa contingi. Tum, Quia Ecclesia semper diligentiam adhibuit, & adhibet, ut instrumenta physicè aliquomodo tangantur, ad denotandam realem quandam acceptionem, & clariorem formæ significationem, *Accipe &c.*

Dices: In Ecclesia Græca verè ordinantur, & tamen non tangunt instrumenta physicè, quia in ordinatione Sacerdotis tantùm ostenditur eis Calix cum Vino, & Patena cum

 hostia.

hostia. Respond. Negando Consequentiam, quia etiam in Ecclesia Græca tanguntur instrumenta, non quidem immediatè, sed mediatè, qualis est ipsa ostensio Calicis allegata, quæ merè accidentaliter differt à nostro contactu.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

I. Episcopus est ordinarius Minister Ordinationis.

DIco Primò: *Episcopus est Ordinarius Minister omnium Ordinum Ecclesiasticorum, potest tamen simplex Sacerdos ex Commissione Summi Pontificis conferre quatuor Minores, & Subdiaconatum, & probabiliter Diaconatum, sed nunquam Presbyteratum.* Ita communis Theologorum. Prima Pars definitur in Florentino, & in Tridentino Sess. 23. Can. 7. ubi damnat asserentes potestatem confirmandi & ordinandi, quam habent Episcopi, esse illis, & simplicibus Sacerdotibus communem.

II. Minores possunt cōferre Abbates.

Secunda Pars constat ex praxi Ecclesiæ, nam Jure Communi concessum est Abbatibus posse suis Religiosis conferre quatuor Minores, licèt non sæcularibus suis subditis, ut docet Trident. Sess. præfata C. 1. de Reformatione.

III. Potuerunt etiam Subdiaconatum.

Tertia Pars colligitur ex Bulla Innocentii VIII. in qua concedit Abbatibus Cisterc. facultatem conferendi utrumque Ordinem, tàm SubDiaconatum, quàm Diaconatum, quod Privilegium extenditur ad alia quatuor Monasteria, quæ vulgò Filiæ vocantur Monasterii Cisterciensis, & sunt Claravallis, Firmitas, Pontiacum, & Morimundum, ut refert Emanuel Rodriquez tom. 1. q. 18. a. 3. cujus mentionem facit Navarrus lib. 5. Consiliorum, Conf. 13. ubi disputat, an hoc Privilegio possint uti Abbates præfati post Tridentinum, quod Sess. dicta c. 8. de Reform. decernit, nullum ad sacros Ordines promovendum, nisi à proprio Episcopo, non obstante cujusvis generalis Privilegii prætextu. In hoc decreto includi Generales decrevit Gregorius XIII. statuitque, ut ab iis Episcopis Ordines susciperent majores, in quorum Diœcesi habent Monasteria, modò tunc ibi degant. Sed quid si Concilium Tridentinum non sit ibi receptum, aut de novo acceperit Confirmationem ejusdem Privilegii? Similem Concessionem legitur factam Franciscanis in India, in prima Conversione Indorum respectu suorum Religiosorum.

Ultima Pars de Presbyteratu est communis tàm Veterum quàm Recentiorum Theologorum, contra Aureolum, Panormitanum & alios citat. apud Amicum hic Dis. 23. Sect. 2.

IV. Simplex Sacerdos non potest conferre Sacerdotium.

Atque Probatur, Quia Concilia definiunt, Episcopum esse ordinarium Ministrum Sacramenti Ordinis, & præterea praxis & consuetudo Ecclesiæ ab initio ostendit, nullum unquam Sacerdotem simplicem ordinavisse urgente quacunque necessitate, ergò videtur ex institutione divina hæc potestas soli Episcopo convenire: Consequ: patet, quia si penes Ecclesiam esset, hanc potestatem Sacerdoti committere, absque dubio aliquando committeret aliquo tempore, maximè necessitatis. Nam congruentia & necessitas, quæ urgebat, ut Ecclesia dispensaret, quoad collationem Diaconatûs & Sub-Diaconatus à Sacerdote simplici, postulabat etiam, ut committeretur eidem Ordinatio Sacerdotum, maximè ubi non potuit esse recursus ad Episcopos, ut in Indiis, & hujusmodi locis, sed tamen nunquam legimus hujusmodi Concessionem factam, ergò non potuit fieri; aliàs in ædificatione Ecclesiæ in tali necessitate fieri deberet. Confirmatur: sicut non congruit, ut Subdiaconus Subdiaconum, aut Diaconus Diaconum, possit ordinare, ita nec congruit, ut Sacerdos simplex possit ordinare alium Sacerdotem.

V. Cor-Episcopi.

Arguitur contra ultimam Partem ex Concilio Antiocheno: Licitum fuit Cor-Episcopis ordinare Sacerdotes, sed hi non fuerunt Episcopi,

scopi, sed simplices Sacerdotes, ergò. Respond. Neg: Minor: Nam illi Cor-Episcopi fuerunt ordinatione Episcopi, licèt non authoritate Reginimis & independentiæ quoad subjectionem & limitationem potestatis. Episcopi enim rurales, & villani vocabantur in Concilio Ancyrano & Antiocheno ab uno Episcopo consecrati, & destinati in subsidium aliorum Episcoporum.

VI. Episcopi etiam hæretici validè ordinant.

Dico Secundò : *Quilibet Episcopus validè consecratus, sivè sit Hæreticus, sivè suspensus, sive degradatus, potest validè ordinare.* Ita communis Theologorum contra Magistrum Sententiarum & Gratianum.

Probatur : Illa Potestas confertur ipsi vi Characteris Episcopalis, nec perditur per Hæresim, Suspensionem aut degradationem. Deindè Sacerdos hæreticus, suspensus & degradatus potest validè consecrare, ergò & à pari Episcopus talis potest validè ordinare.

VII. Illicitè quidem ordinarct non tamen invalidè.

Arguitur : In Jure decernitur, omnia, quæ gessit Episcopus ordinans alienum Clericum, non invitatus ab Episcopo Provinciæ esse vacuà & inania, ergò multò magis possunt dici inania, quæ faceret Episcopus hæreticus, aut degradatus. Respondetur, Neg: Consequ: Quia Jus tantùm prohibet similibus ordinare, & suspendit ordinatum taliter ab exercitio ordinis recepti, donec dispensetur cum ipso, non verò invalidat talem Ordinationem, aut Consecrationem, quæ competit ei vi Ordinis & Characteris Episcopalis. Verum est, quòd apud multos Sanctos Patres, & apud Canones Pontificum dicantur omnia opera Apostatantium à Fide, aut degradatorum esse inania, falsa, mortua, irrita, &c. Sed cum grano salis debent intelligi, nempè omnia illa esse vera quoad fructum, quem deberet consecrans, aut ordinans in se suscipere, qui fructus est gratia, quam non accipit propter malam ipsius dispositionem, quando agit aliquid contra Præceptum Ecclesiæ, uti facit in proposito.

VIII. Non requiruntur tres Episcopi ad consecrationem Episcopi.

Dico Tertiò : *Non requiruntur necessariò tres Episcopi ad Consecrationem alicujus Episcopi.* Probatur: Quia de licentia Summi Pontificis potest consecrari ab uno, vel duobus, vel ab uno cum duobus Abbatibus infulatis, nam Gregorius dispensavit cum Augustino in Angliam misso, ut ipse solus consecraret alios Episcopos, & de facto videmus Episcopatum conferri à duobus Episcopis tantùm, cum uno Abbate. Nec Christus instituit, quin ipsius Vicarius aliter potuisset disponere, cùm esset expediens.

QUÆSTIO QUARTA.

De Subjecto Ordinum recipiendorum.

I. Variæ opiniones circa subjectû ordinationis.

Circa hanc Materiam diversæ fuerunt Hæreticorum opiniones. Lutherus in lib. de Missa privata asserit, Dæmones posse consecrare. Viclephus quemlibet hominem justum cujuscunque sit sexûs, Montanistæ fœminas in Diaconissas & Presbyterissas ordinabant. Idem colligitur esse apud modernos Hæreticos, qui dicunt, hominem illum & solum esse Sacerdotem, qui Verbum DEI Populo administrat, adeòque hoc ipso, quo desinit exercere ministerium Verbi, desinere esse Sacerdotem; hinc Lutherani & Calvinistæ dicunt, dimisso ministerio Verbi, nullam esse distinctionem Clericorum à Laicis. Sed His contradicendò

II. Mascul soli & Baptizati sunt capaces Ordinum.

Dico Quartò : *Soli Masculi & Baptizati sunt capaces Sacrorum Ordinum, sive sint justi, sive injusti.* Ita communis Theologorum ex Tridentino hic C. 4. *Quòd si quis, inquit, omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos esse affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est sicut castrorum acies ordinata, confundere, proinde ac si B. Pauli doctrinam,*

&rinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores &c. ergò requiritur rita ordinatio. Quòd homo ille debeat esse masculus, patet ex facto Christi, qui cùm in ultima Cœna Discipulos ordinavit, dicendo: *Hoc facite in meam Commemorationem*, nullam admisit fœminam, sicut nec cùm Joan. 20. post Resurrectionem, potestatem à peccatis absolvendi Apostolis contulit, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Congruentiæ multæ possent adduci, cur fœminæ excludantur.

III. Congruentiæ, quare fœminæ excludantur ab Ordinibus.

Primò: Quia sacris Ordinibus annexum est, munus docendi publicè in Ecclesia Populum, sed Paulus Apostolus 1. Cor. 11. prohibet mulieribus docere; *Mulieres*, inquit, *in Ecclesia taceant.*

Secundò: Nulla fœmina ab initio mundi, nec quidem apud Barbaras Nationes legitur Sacrificium obtulisse, unde DEUS in antiqua Ecclesia in Ministerium semper adhibuit viros.

Tertiò: Quia in Sacramento Ordinis persona, quæ initiatur, repræsentat Christum Mediatorem, cujus Officio fungitur juxta Apost. 2. Cor. 5. *Pro Christo Legatione fungimur*, at Mediator fuit tantùm vir, ergò solus vir est hujus Sacramenti capax. *Cujus argumentum videtur*, inquit Scotus hìc dist. 25. qu. 2. *quòd nec Matrem suam Christus posuerit in ullo gradu Ordinis Ecclesiastici*, cui tamen nulla alia potuit in sanctitate æquiparari. Ratio autem cur vir ordinandus debet esse baptizatus, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum.

IV. Non est differentia inter masculum & fœminam quoad gloriâ, quoad superioritates benè.

Arguitur Primò: Ad Gal. 3. Paulus Apostolus dicit: *In Christo JESU non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina*, ergò nulla differentia est inter fœminam & masculum in regimine Christi, adeóque æquè capaces erunt hujusmodi gradûs. Respondet Scotus dist: Consequ: quantum ad gratiam & gloriam consequendam, quam Christus paratus est, omnibus æqualiter juxta eorum merita conferre, transeat: quantum ad suscipiendum gradum excellentem, cui annexa est Superioribus super Populum, neg. Conseq: Contra

Arguitur Secundò: In primitiva Ecclesia fuerunt Diaconissæ & Presbyterissæ, sed verisimile est, tales sic dictas recepisse quosdam Ordines, ergò. Respond. Neg: Minè sed quia erant uxores Diaconorum & Presbyterorum, sicut toleratur de facto in Græcia, quamvis nullos Ordines suscipiebant: apud Latinos verò, qui ad castitatem simpliciter adstringuntur, accipiebant olim Uxores, similes denominationes ex Ordine, quem assumebant Mariti consentientibus uxoribus, & ad perpetuam castitatem se adstringentibus, ut habetur in *Concil. Turonensi Can. 3 & 20.* Hinc uxor assumpti in Episcopum, Episcopa, in Presbyterum, Presbytera, vocabatur; & sic de aliis; sicut uxor Colonelli Colonella, vel Colonellissa vocabatur, etiamsi nihil habuerit vel habeat mandare militibus, sic illæ mulieres vocabantur tales, etiamsi nullos Ordines suscipiebant. Et hoc habebant ulteriùs, quòd ad secundas nuptias non licebat ipsis, etiam post mortem suorum virorum assumptorum, transire.

V. Diaconissæ & Presbyterissæ.

In alio etiam sensu secundùm Scotum dicebātur Presbyterissæ vel Diaconissæ illæ mulieres, quæ præerant aliis, in iis, quæ propter honestatem non decebat Presbyteros, & Diaconos agere: sic Abbatissa inter moniales potest vocari Presbyterissa & Diaconissa ea, quæ ex Ordinatione Abbatissæ solet agere hebdomadariam, & legere Evangelium in Choro, sed illi actus non sunt alicujus Ordinis Sacramentalis, cùm non significent præeminentiam alicujus viri super Populum.

Dices: Fœminis concessum fuit donum Prophetiæ, etiam in Ecclesia, ut fuit Anna Filia Phanuelis de Tribu Asser, quæ, ut habetur Luc. 2. dum Puer JESUS præsentabatur in Templo, loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptionem Israël, ergò,

VI. Prophetia potest esse, & est in mulieribus non tamen Ordo.

ergò similiter erunt capaces Ordinum. Respond. Neg. Conseq: Quià donum Prophetiæ non repugnat sexui muliebri, ut Sacramentum Ordinis: Nam Prophetia per se primò non datur ad præeminendum aliis in Ecclesia, sicut Ordo Sacramentalis, qui constituit Ordinatum in quadam præeminentia super alios, sed datur solùm ad cognoscendum ea, quæ sunt supra hominis statum, quod potiùs perficit illum, cui datur, quàm constituit in gradu sacramentali excelso. Hinc tenetur communiter Hermaphroditum, qui magis inclinat ad sexum fœmineum, non esse capacem Ordinis. Sed

Quæres? Quid si, quando Ordinatus fuit, prævaluit in eo sexus virilis, postea deficiente naturâ mutatus est in muliebrem? Respond. Characterem ab eo susceptum manere, quia Sacramentum operatur juxta præsentem Subjecti dispositionem, eumque perseverare in statu muliebri, cum sit naturâ suâ indelebilis, tamen fieri statim ab executione Ordinis suspensum, nec posse cum eo ad Ordinis actum exercendum dispensari.

VII. Angeli non sunt capaces Sacerdotii. Arguitur Tertiò: Angeli sunt capaces Sacerdotii, omniúmque Ordinum, sed non sunt homines, ergò non solùm homines sunt capaces. Prob: maj: ad Hab: 1. Angeli dicuntur *Administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ergò congruit, ut nobilissimus actus administrandi, cujusmodi est Sacerdotium, eis committeretur. Respond. neg: maj: quantum ad Legem jam positam; cujus probationis ant: dist: in iis omnibus, quæ ipsis mandantur, ut est nos custodire, illuminare &c. concedo ant: in iis, quæ ipsis non mandantur, ut est conficere nobis Sacramenta, neg: ant: & Conseq: quia sicut congruum fuit, quòd Sacramenta pro solis Viatoribus hominibus instituerentur, Ita etiam congruum fuit, ut solus homo, qui signis sensibilibus uti potest, institueretur minister Sacramentorum.

Arguitur Quartò: Contra illam Conclusionis Partem; *Quòd Ordinandus debet esse baptizatus*. Catechumenus, qui imbuitur in fide ante Baptismi susceptionē, per ipsam fidem conjungitur Christo, & efficitur ejus membrum: ergò est capax meritorum Christi, quæ per Sacramenta, ùt per instrumenta Passionis Christi nobis communicantur; ergò & Ordinum. VIII. Catechumenus non est capax Ordinis.

Secundò: Catechumenus est capax Eucharistiæ, & Matrimonii, ergò & Ordinis.

Tertiò: Sacramentum Ordinis in sua primæva institutione præcessit Baptismum: nam certum est, Apostolos ordinatos fuisse in ultima Cœna, cùm tamen certum non sit, eos ante ultimam Cœnam fuisse baptizatos.

Verùm Respond. Primò: Neg: Conseq: omnium. Quia juxta Florentinum Baptismus est janua Sacramentorum, ante cujus actualem susceptionem nullius gratiæ Sacramentalis homo est capax, exceptâ gratiâ baptismali, quam reciperet æquivalenter talis Catechumenus, casu, quo moreretur in fide vera, imò haberet votum Baptismi.

Respond. Secundò: Particulariter ad singula; & ad Primam rationem dist: ant: conjungitur Christo imperfectè, & inchoativè, conc: perfectè & eò modò, quò esset capax effectuum cœterorum Sacramentorum, neg: ant: & conseq: Nam hoc fit per mysticam unionem visibilem cum Ecclesia visibili, proindè talis non est capax donorum, quæ Christus per Sacramenta à se instituta voluit solùm fidelibus suæ Ecclesiæ actu visibiliter unitis communicari.

Ad Secund: neg: ant: Quia Catechumenus contrahendo Matrimonium, aut sumendo Eucharistiam non requireret gratiam Saramentalem, quam hæc Sacramenta baptizatis tribuerent: Neg: etiam assumpt: tertiæ rationis: nam Ordo institutus fuit in ultima Cœna, baptismus dudum ante tempus Passionis, ut patet ex Joan. 3. & 4. ubi dicuntur Discipuli ba-

ptizâsse, quod non potest intelligi de Baptismo Joannis, sed ipsius Christi, nec etiam baptizassent Baptismo Christi, nisi ipsi essent baptizati.

IX. Infantes possunt validè ordinari.

Dico Quintò: *Etiam Infantes baptizati possunt ordinari.* Est communior, eamque tenet Scotus loco citato, Hicquæus, Pontius, & Amicus citans permultos, contra Durandum, & Paludanum. Prob: Sacramenta, quæ non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante omnem actum suscipientis, sed Sacramentum Ordinis non in actu, sed in potestate consistit, ergò conferri potest ante omnem actum suscipientis. Maj: patet, quia potestas præcedit actum, estque ab eo independens tanquam causa à suo effectu, ergò, ut conferatur, non pendet ab actu suscipientis.

X. Nullius alterius requiritur consensus.

Confirmatur Primò: Ideò non essent capaces, quia requireretur ejus consensus, aut Parentum, aut eorum, qui loco Parentum sunt, sed nullus eorum consensus requiritur, ergò. Probatur Min: quoad primam Partem: Non magis requiritur eorum consensus ad hoc Sacramentum suscipiendum, quàm ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, aut Confirmationis. Similiter dicendum de consensu Parentum, aut Tutorum, contra quorum voluntatem possunt baptizari, & confirmari, ergò & ordinari.

Secundò: Non requiritur consensus ullus ad suscipiendos Ordines Minores, ut colligitur ex *Innoc. III. c. de Clerico.* per saltum promoto, ubi consultus ab Episcopo Bononiensi, quid sit faciendum ei, qui Sacerdotium prætermisso Diaconatu accepit, minoribus Ordinibus ante annos discretionis susceptis. Respondit, conferendum ei esse Diaconatum nullâ mentione factâ, de Minoribus ante annos discretionis susceptis, quia judicavit eos validè fuisse collatos, sed in Minoribus Ordinibus traditur Potestas in Ordine ad aliquos actus, & sunt vera Sacramenta susceptibilia ante omnem usum rationis, ergò & alii Ordines: Verum est, quòd Ecclesia vetuerit Majores Ordines ante perfectum usum rationis conferri; nam Trid. Sess. 25. c. 11. de Reform. statuit, Minores Ordines non esse conferendos aliis, quàm illis, qui saltem linguam Latinam intelligunt, & cap. 12. prohibet ullum promoveri ad Subdiaconatum ante annum 22. ad Diaconatum ante 23. & ad Presbyteratum ante 25. quod in omnibus inchoativè est intelligendum. Sed incontra

XI. Infantes possunt accipere potestatem.

Arguit Durandus: Absurdum est, Infantem posse esse Sacerdotem aut Episcopum. Confirmat: Nequit in parvulo verificari forma Ordinationis, quæ est, *Accipe potestatem &c.* nam ly *Accipe* ad sui veritatem exigit ex parte accipientis actionem, quâ materiam sibi oblatam tangat, & potestatem sibi traditam acceptet, sed neutrum horum potest infans exercere, ergò. Respond. Licèt assumptum sit illicitum defectu debitæ reverentiæ & dispositionis, non est tamen invalidum & absurdum, Infantem Sacerdotem denominari, cùm hæc denominatio non fiat ab actu Infantis, sed à Potestate per externum symbolum Infanti collata, sicuti dicitur rationalis, esto nullum rationis actum exercere possit; & fidelis ab habitu fidei per Baptismum sibi infuso, etiamsi nullum actum fidei exercere valeat.

Ad Confirmationem neg: Assumptum, cujus Probationis primam Partem possum admittere gratis in adulto, & negare in puero: tamen nego, quin Puer possit tangere materiam sibi oblatam. Nego etiam acceptationem passivam per ullum Consensum esse ex parte ipsius nenessariam, plùs quàm acceptationem Baptismi, aut Confirmationis, licèt benè in adulto: Actus suscipientis Sacramentum aliquando requiritur, ut Pars Sacramenti, ut Contritio in Pœnitentia, Consensus mutuus in Matrimonio; Hæc Sacramenta sunt invalida sine actibus: Aliquando requiritur, ut Dispositio extrinseca ex parte instituentis, sine hac Dispositione potest validè Sacramentum conferri, quando subje-

ctum

ctum est incapax talis dispositionis, qualiter est Infans in proposito, & in susceptione aliorum Sacramentorum.

Circa hoc tenent Doctores, quòd si quis fuisset ordinatus in infantia, non teneretur, cùm veniret ad adultam ætatem recitare horas Canonicas, aut servare Cœlibatum, nisi velit statum illum Ordinis exercere, qui id requirit.

Varia alia examinatur hic ab Authoribus, quorum notitia vel magis pertinet ad Episcopos, quàm ad Sacerdotes, vel communia sunt, & apud Authores passim obvia, ùt

Primò: An Bigami sint capaces Ordinum?

Secundò: An Ordinandi debeant necessariò habere titulum mensæ ante Ordinationem?

Tertiò: Quo Jure initiati majoribus Ordinibus obligentur ad Cœlibatum?

Quartò: Quales defectus reddant ordinandos incapaces? Ad quæ omnia Respondeo absque Conclusionibus. Et

XII. Bigami nō possunt ordinari citra dispensationem.

Dico Tertiò: *Bigami habentes Matrimonium cum duabus uxoribus licitè & consummatè; qui vel cum una sola, quæ tamen antecedenter cum alio viro licitam vel illicitam copulam carnalem habuit, sunt incapaces Ordinum citra specialem dispensationem.* Ita habetur in Jure Communi *Dist.* 34. *cap. Curandum. cap. Præcipimus, cap. Si quis Viduam.* Et in Decretalibus Greg. *l.* 10. *tit.* 21. de Bigamis. per totum. Ratio hujus est, Quia Ordinandus, præsertim Sacerdos, debet Conjunctionem Divini Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia, quæ una est, exprimere; à qua unitate cùm recedat Bigamus, qui carnem suam in plures, aut plurium uxores divisit, defectu hujus arcanæ significationis, seu dispensationis Christi cum Ecclesia, non erit Ordinis capax. Cur autem ipse Vir, si corruptus sit, non incurrat hanc incapacitatem, & Uxor corrupta ab alio marito, faciat ipsum incurrere, non explicabo hic.

Sed quo Jure? Respond. contra Glossam, Petrum de Soto & alios, esse tantùm de Jure humano, & ab Ecclesia inducto. Ita D. Thomas, & alii apud Amicum. Ratio est, Quia si esset Juris Divini, non potuisset in ea Summus Pontifex dispensare, sed Martinus I. dispensavit cum Bigamo ad Subdiaconatum; & Lucius Papa cum Episcopo Panormitano ad Majores omnes Ordines, ergò non est Juris Divini, sed Ecclesiastici tantùm.

Ex hoc infertur, Summum Pontificem in quavis Bigamia posse dispensare ex motivo rationabili & urgente. Non potest tamen ullus Episcopus inferior propriâ authoritate in ea dispensare, in Ordine ad suscipiendos Majores vel Minores Ordines. Ita Amicus supra citans alios.

Dico Quartò: *Ordinandi debent habere titulum Mensæ ante Ordinationem.* Conclusio ista est juxta Decreta I. Chalcedonensis, Concilii Placensis sub Urbano II. Lateranensis sub Alex. III. & Trident. Sess. 21. Cap. 2. de Reform. præcipientis, nullum Secularem, quamvis aliàs idoneum moribus, scientiâ, & ætate ad Sacros Ordines maximè Majores promovendum, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere, vel aliquem alium titulum, & certitudinem suæ honestæ sustentationis, sive sit titulus officii, beneficii, Patrimonii, vel Donationis, aliter si ordinetur, ordinans tenetur propriis expensis eum sustentare, donec ipsi de sufficienti beneficio provideatur. Dixi: *Ad Majores Ordines*, quia ad Minores requiritur talis titulus, cum promoti ad illos possint statum Laicalem repetere. Non includuntur in prædictis Decretis Religiosi validè professi, quibus pro titulo & beneficio magna est voluntaria paupertas Religionis approbatæ, licèt benè invalidè professi, sicut & Novitii. XIII. Ordinandus debet habere titulum mensæ.

XIV. Continentia est Jure Ecclesiastico tantùm Sacris Ordinibus annexa.

Dico Quintò : *Obligationem continentiæ esse annexam Majoribus Ordinibus ex Jure Ecclesiastico tantùm.* Ratio est, quia nullibi constat dari Jus Divinum, hac de re; etsi Jure Divino sacris hominibus prohibitum esset contrahere Matrimonium, eodem Jure iis prohibitum esset uti Matrimonio antè contracto. Sed exemplum Græcorum Contrarium ostendit. Deindè si esset Juris Divini, Pontifex non posset in eo dispensare, quod est contra Ecclesiæ praxim, quæ dispensare potest, & dispensavit cum Sacerdotibus Græcis, ut utantur Matrimonio ante sacros Ordines contracto.

Imò Pontius citat S. Gregorium lib. 1. Epistolarum 42. concessisse Diaconis Siciliæ, ut possint Matrimonio uti ante susceptionem Ordinis contracto. Et Concilium Ancyranum permisisse Diaconis, qui in ipsa sua Ordinatione protestati sunt, se velle habere uxores, nec posse se continere, ubi postea ad nuptias venerint manere in Matrimonio. Ex quibus colligitur, continentiam non esse Jure Divino annexam sacris Ordinibus. Quod autem Ecclesiastico Jure sit adjuncta, patet ex Concilio Romano sub Sylvestro I. ubi præcipitur, Subdiaconos non transire ad nuptias. Et Toletano II. ut refertur *cap. de iis. d. 28.* cavetur, ne promoti ad Ordines Sacros suæ Sponsionis immemores ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus concurrunt.

Quæres pro fine : Quales defectus reddant Ordinandos incapaces? Respondetur, eos esse, qui naturâ ipsâ sunt inhabiles ad usum Ordinum ; tales sunt perpetuò amentes, omninò cœci, muti, privati manibus, qui, licèt si iis conferatur Ordo, essent validè Ordinati, tamen ultra peccatum mortale, quod committerent esse eo ipso Jure privatos usu & exercitio Ordinis. Ulteriùs dicuntur inhabiles, qui habent defectum corporis notabilem, qualis est insignis macula in oculo, nasi amputatio, gibbus valdè magnut, leprosus &c. Ultra hos defectus naturales inveniuntur alii, qui ex delicto & peccato contingunt, ut homicidium voluntarium, mutilatio injusta, infamia ex delicto proprio &c. De quibus mox plura dicam in sequenti, qui hunc ordine & connexione subsequitur, Tractatu, cùm de Irregularitate egero. Et hæc sint.

Ad DEI Ter Optimi Maximi Gloriam.

TRA-

TRACTATUS VII.

DE

CENSURIS ET POENIS ECCLESIASTICIS.

PROOEMIUM.

Hujus Materiæ Locus debitus est in quarto Sententiarum, utpote cùm pœnæ Ecclesiasticæ, & etiam Censuræ sint circa Susceptionem vel Executionem Officiorum Ordinum: Hinc etiam Doctor Subtilis postquam in Distinctione 24. egisset de Sacramento Ordinis, statim in Distinctione 25. qu. 1. agit de Pœnis, & Censuris Canonicis, & licèt id præstet breviter, facit tamen suo modo subtiliter & eleganter, quem subsequi studiosè elaborabo, & eundem Tractatui de Ordine subnecto, quare sit

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Censuris in Communi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Censura? Et an Censura differat à Pœna Ecclesiastica?

1. censuræ Etymon. Non curo hic Censuræ Etymon, & Definitionem quid nominis, sivè enim Originem suam ducat à verbo *Censeo*, sive à *Censio*, sive à *Censoribus* Romanis, ubi Prætoriæ Dignitates, *Censuræ* vocabantur, & *Censura*, de quibus acutè Poëta dixit:

Dat veniam corvis, vexat Censura columbas.

Ad Propositum sumitur pro mulcta aliqua propter aliquod crimen vel culpam ad correctionem vel punitionem ab Ecclesiastica Potestate inflicta, quam Authores diversimodè definiunt, ego tamen omissis pluribus aliis cum Doctore Subtili supra.

II. Censura definitur. Dico Primò: *Censura est Pœna inflicta per Canones probibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui aliàs sibi liceret.* Ita Doctor in terminis. Et probatur explicando singulas ejus partes, nam ly *Pœna*, rationem generis habet, quia per hoc convenit cum aliis pœnis etiam Ecclesiasticis, quæ non ordinantur aliquando ad susceptionem vel executionem alicujus Ordinis, quæque feruntur non ad privandum punitum bono aliquo spirituali, & à Civilibus. Reliquæ partes locum differentiæ habent; Dicitur autem *Inflicta per Canones*, quia pœna illa, cùm debeat esse justa, debet infligi à Canone, quod si infligatur etjam à Judice, id tamen facere debet secundùm Dispositionem Sacrorum Canonum, ùt Jus positivum Ecclesiasticum statuerit. Dicitur iterum: *Prohibens vel arcens punitum à gradu aliquo Ecclesiastico*, ad designandam differentiam à pœnis Civilibus, quæ positæ sunt in bonis temporalibus, vel solutione pecuniæ, confiscatione bonorum &c. Et ad denotandum Censuras etiam quandoque non solùm arcere à susceptione & usu Sacramentorum, sed etiam à totali sublatione & privatione, ùt contingit in degradatione. Imò etiam potest intelligi ipsa assistentiæ prohibitio alicujus actûs Ecclesiastici, ùt fit in Interdicto. Tandem etiam possunt intelligi omnia bona Ecclesiastica & Spiritualia, quibus privant Censuræ magis vel minùs pro cujuslibet diversitate. Additur Ultimò: *Qui aliàs sibi liceret*, Quia si fieret & infligeretur alicui talis pœna, cui aliàs non competeret exercere aliquem gradum Ecclesiasticum, non posset dici pœna, nam Laico pœna non est, quòd non possit conficere Evcharistiam, quia hoc ipsi aliàs non competit.

III. Censura præsupponit culpam. Addunt aliqui, Pœnam debere esse inflictam propter culpam, Quia Pœna nunquam infligitur, nisi propter delictum, ratione cujus meretur sic puniri. Alii verò opponunt *baptizatum*, sed hæc additio omninò necessaria non est, quia cum pœna debeat fieri per Canones, hi autem non cadunt super eos, qui extra Ecclesiam sunt, sufficienter subintelligitur baptizatum esse debere, hinc omnia impedimenta provenientia ex Lege Divina excluduntur per tò *Canones*, ut sunt esse baptizatum, non esse fœminam, & si quæ alia sunt. Imò etiam per ultimam particulam benè excluderentur, quia non baptizato aliàs non licet, nec usus, nec susceptio alicujus gradûs Ecclesiastici, cùm Baptismus sit janua omnium Sacramentorum. Alii denique adjungunt ad salutem & correctionem, sed etiam frustra, cùm enim pœna Canonica distinguatur à Civili, sitque ordinata ad salutem & spiritualis, frustrà fit ista multiplicatio.

Antequam assignem multiplicitatem Censurarum, priùs examinanda erit pars tertia, videlicet, an Censura Ecclesiastica & pœna Ecclesiastica idem sint, ità ut possit dici ad Convertentiam, est Censura, ergò pœna, & è contra est pœna, ergò Censura; circa quam materiam multiplex est sententia, & ordinariè tenent Doctores, quòd Censura & Pœna Ecclesiastica omninò differant, & differentias diversas assignant, ùt quòd Censuræ sint temporaneæ, pœnæ verò perpetuæ, ùt depositio & degradatio; ab irregularitate verò dicunt differre Censuras, quòd hæ supponant peccatum, non verò illa semper, quia etiam est irregularitas absque peccato vel delicto. Ego tamen media incedam via. Unde

Dico Secundò: *Omnes Censuræ Ecclesiasticæ sunt Pœnæ Ecclesiasticæ propriè dictæ, quamvis Pœnæ Ecclesiasticæ non sint propriè Censuræ Ecclesiasticæ.* Probatur: Tum, Quia omnes Censuræ infliguntur propter delictum aliquod, quidquid autem infligitur alicui propter delictum & culpam est pœna, ergò. Tum, Quia omnes Censuræ & Pœnæ privant subjectum capax iisdem bonis spiritualibus, licèt non eodem modo, & non æqualiter, & etiam aliquod saltem delictum præsupponunt, ergò omnes IV. Censuræ Ecclesiasticæ sunt pœnæ, non tamen omnes tales pœnæ sunt Censuræ.

omnes Censuræ sunt pœnæ, & pœnæ Censuræ. Quòd autem pœnæ non sint propriè Censuræ Ecclesiasticæ patet *ex Cap. Quærenti. de Verborum significatione*, ubi Innocentius III. respondet, se per Censuras intelligere Excommunicationem, suspensionem, & interdictum, ubi nullam facit mentionem de depositione, degradatione & irregularitate, adeóq; intendit resolvere, non esse Censuras propriè dictas. Ratio etiam esse potest illa, quæ supra fuit allegata. Hinc ego agam de Censuris tanquam secundum quid distinctis à pœnis. Et pro nunc

V. Pœnæ & Censuræ Ecclesiasticæ sunt sex. Dico Tertiò: *Pœnæ & Censuræ Ecclesiasticæ sunt sex; nempè Depositio, Degradatio, Irregularitas, Excommunicatio, Interdictum, & Suspensio.* Hæc de se patet: Et Ratio est, Tum, Quia omnes sunt Pœnæ, & quia nulla est assignabilis Censura aut Pœna, quæ non esset aliqua ex istis, ergò. Sed

Opponitur Authoritas Doctoris, qui enumerat Infamiam inter Censuras & Pœnas Ecclesiasticas, ergò sunt plures, quàm sex. Respond. Doctorem ibi quidem enumerare & addere infamiam, sed tanquam speciem irregularitatis, ut illa potius sit enumeratio subdivisionis Pœnæ Irregularitatis.

Instatur. Cessatio à Divinis est etiam Pœna Ecclesiastica, ergò adhuc erunt plures. Respond. Cessationem à Divinis comprehendi sub Interdicto, adeóque non constituere speciem adæquatè distinctam. Sed

Arguitur ex Ratione, probando, non esse tot Pœnas Ecclesiasticas; Irregularitas multoties est absque delicto, ergò nec est Pœna, nec Censura Ecclesiastica: Antecedens patet: Probatur Consequentia, Quia, ubi delictum non est, nec Pœna est, cùm hæc duo se invicem mutuò respiciant, ergò. Respond. Distinguendo

VI. Irregularitas præsupponit delictum proportionatum. antecedens, Irregularitas multoties est absque delicto importante veram culpam, concedo antecedens: Irregularitas est absque delicto importante indecentiam, nego antecedens & Consequentiam: Similiter distinguo probam antecedentis, ubi delictum culpabile non est, non est pœna disconvenientis, concedo antecedens, ubi delictum culpabile non est, non est pœna absentis convenientis, nego antecedens. Itaque etiam in irregularitate præcedit aliqua culpa, quam sequitur pœna proportionata, quæ duplex est, nempè una est præsentia rei disconvenientis, & altera absentia rei convenientis, prima pœna non infligitur in irregularitate absque delicto, quæ comparatur pœnæ sensûs, benè tamen secunda comparata pœnæ damni, eò quòd prohibeat irregularem ab aliquo, quod ei aliàs conveniret, nempè quòod aliàs ad sacros Ordines promoveri posset, ad quos suscipiendos redditur inhabilis ex eo, quod posuerit tales actus, qui decentiæ Ordinum, eorúmque susceptionis & executionis ex judicio & determinatione Ecclesiæ contrariantur. Imò Argumentum totum solvi potest per instantiam sic: Irregularitas sæpius est ex delicto, ergò irregularitas est Pœna & Censura Ecclesiastica. Nec dici potest, Disparitatem esse, quia quòd Irregularitas sit ex delicto, purè accidentarium est, quia ideò præcisè infligitur, & irregularis efficitur, quia tale delictum commisit.

Censura *Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti*, iterum alia est, alia enim est *à Jure*, alia *ab homine*. *A Jure* dicitur ea, quando Legislator ob aliquod delictum condit aliquod statutum generale & perpetuum imponens Censuram omnibus simile delictum committentibus; aut quando jam tale Statutum conditum & positum est. *Ab homine* verò dicitur, quando Legislator infligit Censuram delinquentibus sine intentione ferendi Præceptum & Statutum perpetuum, sed tantùm temporale & transitorium, unde differentia inter utramque est, quòd Censura ab homine cesset mortuo Conditore, non verò, quæ est à Jure, licet Conditor moriatur, ita *Cap. final.* VII. Censura alia est à Jure, alia ab Homine.

final. de Officio Legati. Item est & alia differentia, quòd Censura à Jure ferri non possit, nisi ab habentibus authoritatem condendi Leges.

VIII. Item alia est latæ Sententiæ, alia ferendæ.

Censura denique *Excommunicationis*, *Suspensionis & Interdicti* dividitur in eam, quæ dicitur *Latæ Sententiæ*, & eam, quæ *est ferendæ*. Censura *Latæ Sententiæ* est, quæ ipso facto absque ulteriori sententia Judicis incurritur, fitque tunc, quando in Lege ponuntur Primò particulæ sequentes: *Ipso facto*, *ipso Jure*, *confestim*, *statim*, *illicò*, *continuò*, *omninò*, *ex tunc*, *mox*, *protinus*, *in continenti &c.* Secundò, Quando Censura exprimitur per Verbum præsentis aut præteriti temporis, vel Imperativi modi, ut si dicatur: *Excommunicatur: est excommunicatus; aut sit excommunicatus; Excommunico; declaro excommunicatum; subjaceat excommunicationi; subdatur, incurrat, incurrit, incidit in excommunicationem*: Censura *Sententiæ ferendæ* est, quæ ipso facto ante Judicis Sententiam non incurritur, sed tantùm comminatur, & cognoscitur hoc modo, si in Lege dicatur, *incurrat Censuram comminatoriam*, *præcipio sub interminatione anathematis*, *Excommunicationis*, aut etiam quando fit per verba futuri temporis, ut *Excommunicabitur &c.* aut Conjunctivi cum Præcepto, ut alter faciat, ùt *excommunicetur*, *suspendatur*, secus esset, si ipse Legislator suâ Authoritate intenderet excommunicare. Et denique, quoties Lex obscura est, ita ut dubium exoriri possit, an sit *latæ*, vel *ferendæ*, dicendum est esse tantùm ferendæ, quia odia sunt restringenda.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis possit ferre Censuram Ecclesiasticam?

I. In Ecclesia est authoritas ferendi Censuras.

SUppono tanquam certum in Ecclesia esse authoritatem ferendi Censuras, eamque collatam fuisse immediatè à Christo Domino Divo Petro, ejusque Successoribus legitimè electis, aliis autem mediante Summo Pontifice. Authoritas autem illa colligitur expressè ex illo Matth. 18. *Quodcunque ligaveris super terram &c.* Quæ verba cùm generalia sint, generaliter accipi debent pro omni ligatione, quæ ad bonum publicum & utile regimen Ecclesiæ conducere possunt.

Suppono Secundò: Censuram ferre non posse, nisi hominem eumque viatorem, baptizatum, Ecclesiasticum, habentem usum rationis, & authoritatem suam non impeditam, Hinc Angelus & Beatus non posset excommunicare, neque Turca, neq; amens tempore amentiæ, vel ebrius, aut furiosus, durante furiâ & ebrietate, ùt habet *Cap. Sciscitatus. de Rescript. &c.* Neque Laicus, ùt habet *Cap. Decernimus. de Judiciis.* Nec denique Excommunicatus aut Suspensus, quia nullus Censuram ferre potest, nisi habens potestatem, talis autem tunc est quasi potestatem non habens, imò nec quando est legitima appellatio interposita. Ita Bonacina, Suarez, & alii. His suppositis ad Quæstionem II. Censuram ferens qui debeat esse.

III. Summus Pontifex potest ferre Censuras respectu omnium Fidelium, reliqui respectu suorum Subditorum.

Dico Primò: *Summus Pontifex respectu omnium Fidelium ferre potest Censuras, Episcopi verò, Archi-Episcopi, & Patriarchæ respectu suorum Subditorum.* Probatur: Tum ex illo Matth. 18. suprà, Tum, Quia Summus Pontifex, Episcopi &c. habent potestatem & Jurisdictionem continendi Subditos in suo officio, ergò habent potestatem ferendi Censuras, quia sine his non continerentur, frequenter enim dum amore duci nolunt, timore Censurarum & pœnarum ducuntur.

Dices: *In Cap. penult. 15. q. 7.* habetur, Episcopum non posse cognoscere causas absque Consilio Capituli, & Clericorum, ergò non potest ferre indifferenter Censuras. Respond. Primò: Consuetudinem jam contrariam obtinuisse, & Pontificem Consuetudine mediante talem facultatem illis tribuisse. Respond. Secundò: Illud Caput intelligendum est cum limitatione ad certos

tos aliquos Casus, ùt sunt alienatio bonorum Ecclesiasticorum &c. non verò universaliter.

IV. Legati à latere, Vicarii, & Capitula possunt ferre Censuras.

Dico Secundò: *Potestatem ferendi Censuras similiter habent Legatus à Latere, Vicarius Pontificis, Capitulum, & Vicarius Episcopi vacante sede; Item Provinciales, Priores & Guardiani.* Primum patet ex *C. Legatus. de Officio Leg. in 6.* Secundum & Tertium tenent Doctores communiter in *Cap. Licet de Officio Vicarii.* Et Ratio etiam est, quia succedunt in Jurisdictionem Episcopi. Quartum colligitur *ex Cap. Cùm in Ecclesiis. de Majorit. & Obedientia.*

V. Parochi nō possunt ferre.

Dico Tertiò: *Parochi non habent potestatem ferendi Censuras.* Ita Bonacina. Probatur, Tum, Quia illis necessaria non est, cùm habeant Jurisdictionem in foro exteriori: Tum, Quia non constat, hanc potestatem eis competere Jure humano vel Divino. Bonacinna non negat tamen, quòd sicut per Consuetudinem acquirere possunt potestatem absolvendi à Censura, ita etiam acquirere posse per eandem Consuetudinem ferendi, unâ tamen acquisitâ non acquirit ad aliam.

VI. Clericus simplex, ex Commissione potest ferre Censuram.

Dico Quartò: *Clericus simplex etiam primâ tonsurâ initiatus ex commissione sibi factâ à Superiore habente potestatem ordinariam potest ferre Censuram.* Ita Bonacinna, Ugolinus &c. Et Ratio est, quia talis habet capacitatem ad Jurisdictionem Ecclesiasticam. Hinc Laicus simpliciter excluditur, licèt esset Religiosus, aut militaris Ordinis, Quamvis de absoluta potestate Summi Pontificis id Laico communicari possit; qui dispensare valet in omni Jure humano, id tamen fieri nequit ab Episcopo. Sed

VII. Fœminis de jure ordinario non potest committi Authoritas ferendi Censuras.

Quæres: An etiam hæc Potestas de absoluta authoritate Pontificis conferri possit Fœminæ? Respond. Affirmativè de absoluta Potestate, non verò de Jure ordinario. Ratio prima est: Quia non est contra Præceptum Divinum, ergò posset Pontifex dispensare. Secundà verò Pars Responsionis probatur: Tum, Quia fœmina laica est, Tum, *Cap. Nova, de pœniten. & remission.* habetur, Claves Regni non esse datas fœminis, neque B. Virgini. Tum denique, Quia *Cap. Moniales, de Sent. Excomm.* habetur, Abbatissas non posse absolvere ab Excommunicatione, ergò nec potest ferre. Et licèt legatur, Abbatissas quandoque suspendisse, hæ actiones tamen non fuerunt Censuræ, sed simiæ imitationes, & prohibitiones aliquæ domesticæ, vel œconomicæ ad melius regimen ordinandum.

Quæres Secundò: An quis possit ferre Censuram in propria causa? Respond. Negativè, Quia nemo potest esse Judex & Actor simùl, qui se habent per modum Superioris & Inferioris, & habetur etiam *ex Cap. Querelas. 23. qu. 4.* Excipitur tamen casus justæ defensionis contra illatam violentiam, ubi valet: *Vim vi repellere licet.* Ita Panorm. *cap. Cum venissent de Judiciis &c.*

Quæres Tertiò: An Censuræ sint Juris Divini? Respond. Potestatem esse non tamen Censuras; patet, quia si ex aliqua Scriptura colligeretur, maximè Matth. 18. *Sit tibi tanquam Ethnicus, &c.* ex qua tamen non colligitur, quia alioquin non subderetur, *Quodcunq; ligaveris &c.* ubi primò potestatem confert, adeóq; antecedenter lata non fuit. VIII. Censura non est Juris Divini.

QUÆSTIO TERTIA.

In quem possit ferri Censura?

Certum inprimis est, in nullum Censuram ferri posse, qui de Ecclesia non est, hinc in Paganos & Infideles non feruntur Censuræ, quia Ecclesia *non judicat de his, qui foris sunt.* Nec cadunt sub Censuram mortui, quia Potestas ligandi est super, non infra terram, nec illis ulla ratione prodesset, cùm in emendationem ad deponendam contumaciam ferri nequeat, qui ampliùs contra Ecclesiam non possunt esse contumaces: Et licèt quandoq; Ecclesia I. In Paganos & mortuos non potest ferri Censura.

clesia privet mortuos sepulturâ Ecclesiasticâ, & excommunicatos post mortem absolvat, ex hoc tamen non licet inferre, quòd etiam in mortuos Censuram ferre possit, quia hoc tantùm facit indirectè, in quantum videlicet Fidelibus præcipit, ne aliquis in delicto mortuus sepeliatur, & pro eo oretur, aut quia Fidelibus concedit, quòd pro ipso orare possint, quod est tantùm indirectè absolvere.

II. Nec in impuberes, amentes, furiosos.

Deindè certum quoque est, neminem cadere posse in Censuram, nisi sit adultus, rationis capax & doli, hinc excluduntur impuberes, masculus nempe, qui nondum 14. & fœmella, quæ nondum 12. attigit annum, qui ab homine excommunicari non possunt, *ex Cap. 1. & 7. de Delictis Puerorum*, nisi malitia suppleret ætatem; excluduntur etiam perpetuò amentes, furiosi, nisi fortè propter delictum ante amentiam commissum, sicut etiam excommunicari possunt ebrii & dormientes, si tempore somni faciant delictum, ob quod incurritur Censura, idque secuturum præviderunt, hinc dormiens incurrit Censuram etiam eo tempore, si ante somnum mandavit percutere Clericum, si percussio Clerici secuta est. Nec de his ulterior potest esse difficultas, quare ad magis dubia resolvenda accedo, &

III. Suspensio & Interdictum potest fieri in integram Communitatem.

Dico Primò: *Censura Suspensionis & Interdicti ferri potest in integram Communitatem, Capitulum, Universitatem, &c.* Ita habet *Cap. Si Sententia, de Sent. Excom. in 6. & cap. Ne Sede vacante, ibidem.*

IV. Excommunicatio nō fertur in integram Communitatem.

Dico Secundò: *Censura Excommunicationis non potest ferri in totam Communitatem, Capitulum &c. Sed ferri debet in determinatam personam.* Ita habet *cap. Romana, de Sent. Excom. in 6.* Et Ratio etiam est, Quia hic modus ferendi excommunicationem contineret intolerabilem errorem (ait Bonacinna) quia sæpe innocentes punirentur tàm gravi Pœnâ, quod à recta æquitate alienum esse debet; hinc licèt contingat, quòd aliquando videatur esse Censura Excommunicationis lata contra aliquam totam Communitatem, in re tamen non est, sed semper determinantur personæ illius Communitatis per delictum, ob quod fertur Excommunicatio, exemplum sit, si feratur Censura contra omnes Pragenses Professores, profitentes animam Mundi, hæc Censura non ligat totam Universitatem, omnésq; Professores, sed solùm animam Mundi defendentes, & sic de aliis, quare autem Suspensio & Interdictum cadant super integram Communitatem, & non Excommunicatio; Ratio est, Quia hæ non sunt tàm graves pœnæ, ut non possint etiam innocentes cum nocentibus puniri, sicut est Excommunicatio, quæ privat homines suffragiis & auxiliis Ecclesiæ.

Dico Tertiò: *Ut quis Censurâ ligetur, debet esse inferior & subditus ferenti censuram.* Ita Suaretz, Fillucius, Bonacinna &c. Probatur Primò, Quia *cap. Innotuit. de Election. in 6.* dicitur, quòd *Par in parem non habeat imperium*, ergò, qui Censurâ ligatur, non debet esse superior, nec debet esse æqualis, sed inferior & subditus ferenti Censuram. Probatur Secundò, Quia ferre Censuram est Potestatis coërcitivæ, sed hæc tantummodò exerceri potest in subditos, ergò. Hinc Pontifex excommunicatur vel suspenditur à nemine, omnes ab ipso; Quare si Censura Excommunicationis fit generaliter lata, etiam comprehenduntur Episcopi tàm electi, quàm confirmati, nam *Lex generaliter lata, generaliter est intelligenda*; Et *ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* In Censura verò Suspensionis & Interdicti non comprehenduntur, nisi fiat eorum mentio; sic habet pro ipsis *cap. Quia periculosum, de Sent. Excom. in 6.* V. Censura ligandus debet esse inferior.

Dico Quartò: *Ligatus unâ Censurâ ligari potest adhuc aliâ, non tantùm diversæ rationis, sed etiam ejusdem.* Ita Bonacinna de Censuris in Com. q. 1. p. 5. & plures apud ipsum. Probatur Primò ex *cap. Cùm pro causa, de Sent. Excom. & cap. Engeltrudam.* VI. Ligatus unâ Censurâ potest ligari & aliâ simili.

dam. 3. qu. 4. &c. Probatur Secundò, Quia ille, qui ligatus est unâ Censurâ, potest transgredi prohibentem Legem sub Censura, non tantùm diversæ rationis, sed etiam ejusdem, sed quicunque transgreditur Legem, incurrit Censuram, ergò. Et licèt videatur, quòd talis nihil ampliùs habeat, quo privetur, hoc non obstat, quia sufficit, Censuram de se esse capacem ad eum privandum, si jam ante privatus non fuisset, nec est inconveniens eundem multis titulis privari eisdem bonis. Hinc

VII. Tot possũt in aliquo esse Censuræ, quot sunt transgressiones. Dico Quintò: *Tot possunt esse in uno eodemque homine Censuræ, quot sunt moraliter & formaliter transgressiones contra Præceptum continens Censuram.* Ità idem Bonacinna. Et Probatur: Quia Lex ponit Censuram propter transgressionem Præcepti, ergò ubi sunt plures transgressiones, plures sunt Censuræ, sicut ubi una transgressio est, ibi est una Censura.

Hinc sequitur Primò: Eum, qui pluribus verberibus semel Clericum percutit, sic actio censetur una moraliter, unam tantùm incurrere Censuram, si verò percussionem interrumpat moraliter, ita quòd jam sit alia transgressio, duplicem incurrere Censuram propter duplicem transgressionem. Imò toties, quoties actio habet suum terminum finitum, sicut qui cum eadem persona consequenter sæpius fornicatur.

Sequitur Secundò: Eum, qui percutit successivè in eadem contentione plures Clericos, tot incurrere Excommunicationes, quot percussit Clericos, quia istæ percussiones sunt numero distinctæ, quæ non tantùm desumitur ex actione, sed etiam ex objecto, objecta autem sunt plura, unde si quis in convivio modo occideret Clericum Titium, & sine intermissione invaderet quoque Mævium Clericum, duplicem Censuram incurreret.

VIII. Explosione unâ plures Clericos. Sequitur Tertiò: Eum, qui uno actu, v. g. eâdem explosione occidit simul plures Clericos, probabiliter tantùm incurrere unam Censuram, quia est tantùm unica transgressio & unum peccatum, sicut si blasphemaret omnes Sanctos, unum tantùm peccatum blasphemiæ committeret, licèt sint plurimi Sanctorum. occidens, unam incurrit Censuram.

Dico Sextò: *Censura lata contra facientes aliquid non ligat mandantes & consulentes, nisi in Lege exprimatur.* Ita Navarrus, Cajet. Bonacin. Probatur, Tum, Quia odia sunt restringenda: Tum, Quia ad Censuram requiritur talis actus, qui in Lege exprimitur, ergò si in Lege exprimitur tantùm faciens, & non mandans vel consulens, mandantes & consulentes non comprehenduntur sub Lege, adeóque nec sub Censura; Et licèt peccent, non debent tamen puniri omni pœnâ, quâ puniuntur facientes, si illa ipsa pœna non exprimatur in Lege. Quomodo autem cognoscatur, mandantem & consulentem in Lege contineri, explicant verba ista, nempè: *Qui causa fuerit quomodocunque talis delicti, directè vel indirectè, mediatè vel immediatè, per se, vel per alium,* aut etiam propriis terminis. IX. Censura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, nisi Lex exprimat.

Dico Septimò: *Mandans vel Consulens in Lege aliquo modo expressus non incurrit Censuram, si verè non influat in effectum.* Ita Authores suprà. Probatur, Quia non incurritur Censura, nisi fiat opus prohibitum sub Censura, mandans verò vel consulens, qui non influit in effectum, verè non facit opus prohibitum, ergò. Hinc non incurrit Mævius Censuram, si suaderet Titio percussionem Clerici, qui absque hoc determinatus fuit ad eum percutiendum, quia per Consilium suum non influxit, benè tamen si voluntas Titii percutiendi Clericum aucta fuit à Consilio Mævii, ità ut alioquin non fecisset. Deindè non incurrere Censuram Excommunicationis, Avila, Sanchetz docent, eum, qui dedit Consilium volenti occidere Clericum, ut eum percutiat, quia talis non censetur culpabiliter influere in percussionem, nam sine culpa suadetur, minus malum esse eligendum X. Mandans vel consulens non incurrit Censuram, si verè non influat in effectum.

dum ei, qui determinatus est ad majus patrandum. Nec deniq; incurrit Censuram, qui semel delictum fieri mandavit, si mandatum retractet, & retractatio mandatario innotescat, secus si non innotescat. Sed pro fine

XI. Nullus seipsum potest ligare Censura.

Quæres: An quis possit seipsum Censurâ ligare? Respond. Negativè, quia cùm dictum sit, incurrentem Censuram debere esse inferiorem ferenti Legem, nullus autem sit inferior seipso, nullus potest seipsum excommunicare, suspendere vel interdicere, & habetur etiam *ex cap. Quoties. 1. q. 7.*

Dices: *Cap. Facilius de Pœnit. dist. 1.* dicitur: *Facilius DEUM placabunt, qui seipsos excommunicabunt.* Et *cap. Nunc autem. dist. 27.* dicitur ad Pontificem: *Tuo te ore condemna*, ergò potest quis seipsum excommunicare &c. Respond. Negando Consequentiam: Quia in primo loco tò *Excommunicabunt*, accipitur pro *redarguent, removebunt*, ita ùt sensus sit, Pœnitentem facilius placare DEUM, si seipsum redarguat: Secundum Caput etiam non intelligitur, ut se Pontifex judicialiter condemnet, sed ut prius Pontificatum resignet, errorem agnoscat, ut postmodùm ab Ecclesia judicetur.

QUÆSTIO QUARTA.

Ob quid possit ferri Censura?

I. Prærequiritur ad Censuram, peccatum proprium, vel alienum.

In hac Quæstione examinabo causas, ob quas possit quis Censurâ feriri. Et quidem nemo dubitat, peccatum aliquod requiri, quia cùm Censura pœna sit, pœna autem dicat ordinem ad culpam, nunquam pœna infligi potest, ubi non præcesserit culpa. Ulterius, quòd in Censura Excommunicationis requiritur peccatum proprium, & non sufficit alienum, habet *cap. Si habes. 24. q. 3.* Nihilominùs *cap. Si Sententia. de sent. excom. in 6.* docet, suspensionem fieri posse ob delictum alienum, & similiter interdictum. Et ideò suprà dixi, has duas Censuras etiam fieri posse in Communitatem. Dubitatur tamen, Quale nam debeat esse peccatum? quod dubium sequentibus resolvam Conclusionibus.

Dico Primò: *Ad infligendam Censuram requiritur, ut peccatum, propter quod infligitur, sit externè completum.* Ita communis, & Probatur, Quia Ecclesia non potest ferre Censuram, nisi propter illud, quod potest judicare, ùt habetur *cap. Erubescat, & cap. Sicut tuis, de Simonia.* DEUS enim solus scrutatur corda & renes, sed Ecclesia non judicat, nisi de peccatis externè completis, ergò. Sed — II. Peccatum ad Censuram debet esse externè factum.

Dices: In Clementina 1. §. *Verùm de Hæreticis.* Excommunicantur Inquisitores, qui odio vel spe lucri puniunt aliquem innocentem, sed spes lucri & odium sunt peccata interna, ergò potest Ecclesia ferre Censuram propter peccatum internum, & consequenter non requiritur, ut sit exterius completum. Respond. Quòd Clementina excommunicet Inquisitores punientes innocentem ex odio, quod actum exteriorem informat, non propter odium in se præcisè consideratum, sed in quantum actui exteriori est adnexum; seu directè propter actum externum, indirectè propter internum actum, quemadmodum etiam sic præcipit actum internum attentionis in recitando Officio Divino, nempè directè præcipiendo recitationem, indirectè attentionem, quia nequit stare Oratio sinè attentione.

Instabis. Potestas ferendi Censuras est spiritualis, ergò potest extendi ad peccata merè interna. Respond. Negando Consequentiam, nam licèt potestas spiritualis sit, residet tamen in hominibus, qui interiora nequeunt cognoscere, adeóq; si non cognoscunt, non possunt illa punire.

Dico Secundò: *Propter Peccatum veniale nequit ferri Censura gravis, sed requiritur, ut sit mortale.* Probatur Primò *ex cap. 1. de sent. Excom. in 6.* & licèt ibi sit tantùm — III. Ad ferendam Censuram requiritur peccatum mortale.

men-

mentio de Excommunicatione, est tamen eadem ratio etiam de aliis Censuris. Probatur Secundò, Quia est contra Justitiam Distributivam, propter leve delictum infligere gravem pœnam. Dixi tamen *gravem Censuram* non posse ferri, quia levem ferri posse etiam propter Veniale peccatum, nullum est dubium, ùt v. g. leve Interdictum ad brevissimum tempus, cùm hôc etiam feriantur innocentes.

Ex quo patet, quòd si quis malitiosè vellet percutere Clericum, revera autem non nisi leviter tangeret, eum non incurrere Censuram Excommunicationis, Tum, Quia percussio in se levis fuit, Tum, Quia licèt mala fuerit voluntas, ipsa fuit tamen occulta, & interna. Item non incurrere Censuram propter jocosum mendacium, leve furtum, ùt tale &c. Dico *ùt tale*, quia leve ex Circumstantiis fieri potest grave, ut si esset contra finem debitum à Superiore intentum, &c. Hinc dum Superior præcipit aliquid sub Censura gravi, eò ipsò præcipit sub mortali, quamvis opus ex se sit indifferens, & Superior non exprimat mortalem culpam.

Quod si quæras, an ille, qui furatur Titio Sartori acum, ob cujus ablationem Sartor passus est notabile damnum, incurrat Censuram Excommunicationis furti? Respond. Negativè, Quia licèt ille peccet mortaliter, non tamen peccat mortaliter peccato furti, sed injustè damnificationis, Censura autem Excommunicationis lata est in fures peccantes mortali furti peccato, undè est, quòd hâc Censurâ etiam non ligentur Usurarii & alii debitores negligentes satisfacere, quamvis enim injustè damnificent, non furantur tamen, nec fures propriè appellantur, si autem prædicta Censura lata esset contra injustos damnificatores, tunc ille, qui furatur Titio acum, sicut etiam Usurarii eam incurrerent.

IV. Debet etiam pecca- Dico Tertiò: *Ut incurratur gravis Censura actus ille, propter quem fertur, debet esse completus, quem Lex prohibet.* tum esse complectum. Ita Navarrus apud Bonacin. Probatur: Tum, Quia odiosa est; Tum, Quia Lex ultra intentionem ferentis non ligat, ergò. Quare non incurret Censuram Canonis, qui baculum contra Clericum projicit, & eum tamen non tangit, quia Censura illa fertur propter violentam manuum injectionem in Clericos. Hinc etiam non incurrit Censuram, licèt actum aliquem peccaminosum liberè & voluntariè faciat, si Lex dicat, eum incurrere Censuram, *qui scienter, ex contemptu, temerariè hoc fecerit, vel ausus fuerit facere*, si tamen actio absolutè prohibeatur, statim Censura incurritur.

Dico Quartò: *Propter delictum præteritum non potest ferri Censura, sed ad eam incurrendam requiritur contumacia.* V. Ad incurrendā Censuram requiritur contumacia. Ita Sotus, Henriquetz apud Bonacin. Probatur Primò: Ad Censuram incurrendam requiritur admonitio, sed ad delictum præteritum vitandum non juvat aliqua admonitio, cùm omnis res posita in esse jam sit necessariò, nec aliter fieri possit, juxta Vulgatum: *Quod factum est, infectum fieri nequit*, ergò. Probatur Secundò, Censura propriè dicta debet habere rationem medicinæ præservantis, sed medicina præservans dari nequit, ubi non est ampliùs, à quo præservet, ergò.

Dices: Frequenter contingit, quòd multi propter peccata præterita priventur Officiis, Dignitatibus, ergò pro delicto præterito ferri potest Censura. Respond. Negando Consequentiam, Quia, licèt antecedens verum sit, illæ tamen privationes non sunt Censuræ propriè dictæ, sed actus Justitiæ vindicativæ, in odium criminis, non tamen eâ intentione ut incommodum aliquod spirituale adferat, & licèt hæc contingeret, per accidens tamen fit.

Dico Quintò: *Censura lata ob injustam vel falsam causam, licèt in judiciis demonstretur vera & justa, invalida est.* VI. Censura lata ob injustam causam est nulla. Ita Navarrus, Fillucius, Sotus apud Bonacin. Probatur Primò: Censura non est valida, nisi fiat pro-

propter aliquod peccatum mortale, sed licèt in judicio probetur, si peccatum commissum non est, non est peccatum mortale, ergò Censura lata non est valida.

Probatur Secundò: Quia in tantum Censura est vera & valida, in quantum delictum est commissum, sed &c. ergò. Confirmatur à pari, Sententia Principis sæcularis est invalida, licèt in judicio demonstretur, si peccatum non est commissum, ergò etiam sententia Principis Ecclesiastici.

Hinc infero: Injustè excommunicatum coram DEO non privari suffragiis, nec Jurisdictione, ut proindè omnia ejus acta sint valida, nec in Conscientia teneri ad cavendam Conversationem cum aliis, nec alii cum ipso, qui sciunt ipsum esse innocentem, dummodò scandalum absit: Imò talis potest celebrare, & celebrando non incurret Irregularitatem, quia hæc tantummodò incurritur, quando violatur Censura Ecclesiastica. Et si quæras, quomodo talis gerere se debeat? Respond. Quòd in foro externo tantùm gerere se debeat, veluti excommunicatum, propter evitandum scandalum. Si tamen causa esset dubia, absolutè deberet se tenere tanquam Excommunicatum, quia in dubiis præsumitur de Judice, qui est in possessione Juris, & in talibus quilibet debet se majoris opinioni accommodare.

QUÆSTIO QUINTA.

De modo ferendi Censuram.

I. Censura debet promulgari, & esse de determinato.

Sicut lex rationem legis non habet, quamdiu non promulgatur, & Legislator mentem suam declarat, sed rationem Judicii aut Consilii, ita etiam Censura nulla est, quamdiu Legislatoris voluntas exterius non exprimitur, & sicut in Legibus non requiritur certa verborum forma, sed sufficiunt quæcunque verba sufficienter voluntatem Legislatoris exprimentia, ita etiam est in Censuris, & sicut Lex nulla est, quæ aliquid certum non exprimit, ita nec Censura, quæ non determinatam & definitam exprimeret, ut proindè Censura nulla esset, quæ sub hac vel simili fieret forma: *Qui hoc vel illud fecerit, sit obstrictus vinculo Censuræ*, quamvis nonnulli putent, quod si diceretur: *Qui hoc vel illud fecerit, sit excommunicatus vel suspensus*, unam vel alteram incursurum, quam elegerit, ut sentit Alterius, Suarez apud Bonacinnam &c. Undè, quod in hac Quæstione controvertitur, est, an fieri debeat Scripto, in aliquo determinato loco, cum aliquibus admonitionibus? Primo satisfaciendo

II. Censura potest ferri per solum verbum, peccat tamen ferens.

Dico Primò: *Valida est Censura, quæ fertur sine Scriptura per totum Verbum, attamen si ferens, aut etiam ferens sine expressione causæ, aut non concedens parti petenti exemplar intra Mensem peccat mortaliter, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ & Divinis.* Ita Navarrus, Fillucius, Alterius apud Bonacinnam; & Probatur quoad singulas Partes, & Primò prima, Quia omissio Scripturæ in Censura ferenda non est omissio formæ substantialis, sed accidentalis, ergò valida est, quæ sine Scripto fertur.

Probatur Secunda Pars: Quia facit contra Jus in materia gravi præscripta sub pœna gravis Censuræ, ergò.

Probatur Tertia Pars: Ex Cap. *Cum Medicinalis. de Sent. Excom. in 6.* ubi præfata pœna statuitur: à qua tamen excipiuntur Episcopi, quorum in dicto Capite nulla fit mentio, ubi autem eorum non fit mentio in Censura suspensionis & Interdicti non comprehenduntur, ùt dictum est suprà, & habetur *in Cap. Quia periculosum. de Sentent. Excomm. in 6.* Item illi, qui bona fide hoc faciunt, aut ob urgentem necessitatem, denique Prælati Regularium denunciantes, quia nec horum fit ibi mentio.

III. Non potest ferri Censura contra

Dico Secundò: *Superior non potest ferre Censuram per statutum contra*

exiſtentem in alieno territorio per modū ſtatuti. *tra exiſtentes in territorio alieno, ita quòd delinquens in alieno territorio incurrat Cenſuram per modum ſtatuti.* Ita Bonacinna. Et Probatur ex Cap. 2. §. *Statuto Epiſcopi, de Conſtit. in* 6. Tum, Quia vulgatum eſt illud Commune: *Extra territorium Jus dicenti non paretur impunè. L. Finali. ff. de Jurisdict. omn. Judic.* Tum deniqùe, Quia ad ligandum aliquem Cenſurâ requiritur Juriſdictio, ſed contra exiſtentes in alieno territorio Superior nullam habet Juriſdictionem, ùt dicunt & docent Doctores communiter.

Hoc tamen eſt notandum, quòd ſi res, circa quam delinqvunt, ſint in territorio Epiſcopi & Superioris, quod adhuc poſſint ſubditi alibi exiſtentes, Cenſurâ ligari, hinc Clericus non reſidens, & extra territorium exiſtens excommunicari poteſt, quia non reſidere conſummatur in proprio territorio. Similiter vocati ſub Cenſura ab Epiſcopo ad Synodum etiam alibi exiſtentes ligantur, quia *omiſſio illa cenſetur committi, ubi actus præceptus exercendus erat. L. Qui non facit. ff. de Reg. Juris.*

IV. Benè tamen per modum ſententiæ. Dixi etiam in Concluſione non poſſe ferri Cenſuram *per modum ſtatuti*, quia per modum ſententiæ omninò fieri poteſt, quia Cenſura per modum ſtatuti reſpicit locum, Cenſura verò per modum ſententiæ reſpicit perſonam, unde illâ ligari poteſt, ubicunque exiſtat, & hoc quàm maximè, ſi delictum aliquod committeret aut commiſiſſet in proprio territorio, hinc ſi quis hìc delictum committeret, etiamſi ſe aliò conferret, adhuc incurreret Cenſuram latam propter ſimile delictum.

V. Ad ferendā Cenſuram contra aliquem prius debet moneri. Dico Tertiò: *Ad ferendam Cenſuram contra aliquem requiritur, quòd prius moneatur.* Ita Navarrus, Fillucius, apud Bonacinnam. Et Probatur, nam ſi habetur de Excommunicatione *cap. Sacro. de ſentent. Excom.* de Suſpenſione habetur *cap. Reprehenſibilis de appellat.* Et tandem de Interdicto *cap. ſtatutum. de Sent. Excomm. in* 6. Et Ratio eſt, Quia Cenſura debet tantùm ferri contra contumaces, ſed contumax cenſeri non poteſt, niſi prius delinquens admoneatur, ergò. Sed difficultas nunc eſt, qualis debeat fieri admonitio, an debeat eſſe diſtincta à promulgatione & publicatione Legis? an hæc ipſa publicatio habeat etiam vim admonitionis? Cui Difficultati reſpondendo

Dico Quartò: *In Cenſuris Sententiæ latæ non requiritur admonitio diſtincta ab ipſa Lege prohibente delictum aliquod ſub Cenſura, benè tamen in Cenſuris comminatoriis ſeu ſententiæ ferendæ.* Primam Partem tenet Fillucius, Ugolinus apud Bonacin. Secundam Covarruvias, Suarez, Cajet. Probatur Prima Pars, quia Lex ipſa ſcita & cognita admonet, non eſſe faciendum, quod prohibetur, ergò non requiritur alia admonitio diſtincta, alioquin ſequeretur, quòd nulla Cenſura incurreretur ipſo facto, ergò. VI. In Cenſuris latæ ſententiæ non requiritur alia admonitio ab ipſo lege.

Probatur Secunda Pars: Tum *ex cap. Reprehenſibilis. de appellat.* ubi ab onere denunciationis faciendæ excipitur ſolùm, quando Cenſura eſt ipſo Jure lata, Exceptio autem firmat regulam in Contrarium & Caſibus non exceptis, ergò, quando Cenſura eſt Sententiæ ferendæ, requiritur onus admonitionis & denunciationis. Tum, Quia in odioſis favorabilior Pars ſemper eſt eligenda, favorabilius autem eſt, ſi pro Cenſuris Sententiæ ferendæ requiratur admonitio, quia & ſic facilius delinquens corrigetur, & à Contumacia retrahetur, ergò. Tum deniqùe, Quia Cenſura Sententiæ ferendæ non videtur in ſe continere ſufficientem admonitionem. Contrarium tamen exiſtimat Bonacinna verius; Sed æquè primum tenet. Interim

Dico Quintò: *Admonitio, quæ promittenda, debet eſſe formaliter, vel virtualiter triplex coram illa perſona, contra quam fertur, ſi determinata ſit, & coram teſtibus.* Eſt Authorum ſupra. Et Probatur Prima Pars, Tum ex regula fraternæ correctionis, Matth. 18. præſcripta. Tum *ex cap.* VII. Admonitio ad Cenſuram ferendam, debet eſſe triplex.

Con-

Constitutionem. de Sentent. Excom. in 6. Verum tamen non est semper necessarium, ut sit formaliter triplex, nam in citato capite habetur, quòd saltem aliquot dierum intervalla in admonitionibus servare debeat Judex, ita ut ad minus dari debeant duo dies pro una admonitione, & sic si Judex in una admonitione concederet deliquenti sex dies, censeretur esse admonitio virtualiter triplex, dummodò insinuet reo, hunc esse ultimum terminum, quare si hoc non exprimeret, reus non ceferetur sufficienter contumax, quia bona fide posset dicere, se expectare alium terminum, cùm Judex possit hæc dierum intervalla ampliare & restringere, & sic nesciret, an non Judex favorabiliter pro prima admonitione concessisset sex dies. Hoc nihilominus sciendum, quòd si urget necessitas nullam admonitionem esse necessariam.

Probatur Secunda Pars: Quia alioquin non censeretur illa Persona sufficienter contumax: addidi tamen, *quòd si persona sit determinata*, quia si generaliter feratur, non potest hoc modo fieri admonitio, quia delinquentes ignorarentur.

Probatur Tertia Pars: Ex Cap. *Sacro de Sent. Excom.* ubi omittens hanc Circumstantiam, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ ad unum mensem.

VIII. Censuram contrahens debet denuntiari. Dico Sexto: *Qui Censuram contraxit sive ab homine, sive à jure latam, debet denuntiari, non tamen ante sententiam criminis declaratoriam, etiamsi Crimen esset publicum, unde præmitti debet citatio & sententia criminis declaratoria.* Probatur Prima Pars, Tum ex cap. *Curæ. 11. quæst. 3.* & cap. *Conquesti, de Sent. Excom. in 6.* Tum, Quia delinquens facta tali denunciatione facilius resipiscit, nam quia tunc declaratur à fidelibus vitandus, citius contumaciam deponet, quàm quòd velit tantùm pati malum.

IX. Debet etiã præmitti sententia. Probatur Secunda Pars: Tum *ex cap. Pervenit. 1. & cap. Consuluit. de Appell.* Tum, Quia Judex non potest progredi ad pœnæ executionem, antequam probetur delictum, etiamsi sit publicum, quia reus posset allegare suam innocentiam, aut sui facti probabilem excusationem.

Hinc infero: Quotiescunque aliquis delictum sub Censura prohibitum committit, sicut admoneri debet, debere etiam citari, Quia sententia lata inaudita parte irrita est, cùm enim Judicium inter Judicem & partes exerceatur, necesse est, ut pars in judicium vocetur, *ex cap. Inter quatuor de Majorit. & Obed.* Citatio enim fit, ut pars sciat causam, quæ agitur in Judicio, & compareat ad defendendum se. Sed

Quæres: An sufficiat fieri admonitionem ad Domum illius, qui determinatè in Censuram cadit? Respond. negativè regulariter loquendo: Quia tunc contingere posset, quòd nihil sciret, adeóque absque contumacia tàm graviter puniretur; Dixi tamen, regulariter loquendo, quia si una admonitio facta esset ad personam, altera sufficeret ad Domum, aut si ipsi, etiamsi facta esset ad domum, adhuc innotesceret, aut si vi admonitionem repelleret, vel se planè & dolosè absconderet, dolus enim & fraus nemini patrocinantur, verumtamen nunquam præsumitur dolus, nisi probetur *L. Dolum. ff. de Dolo.* hinc dolus ipsi primò probari deberet. Bonacinna addit etiam sufficere admonitionem ad domum, si quis ab Excommunicatione fuisset malè absolutus, & si ageretur de eo revocando ad priorem excommunicationem, tunc etiam sufficere, si admonitio fiat ad domum. X. Non sufficit admonitio ad domum regulariter, loquendo.

QUÆSTIO SEXTA.

Qui & quando excusentur delinquentes ab incursu censurarum?

Plura sunt, ut ex dictis patet, quæ excusare possunt ab incursu Censuræ, videlicet, Involuntarium, imperfectum, Innocentia subditi, injustitia materialis, nullitas Censuræ, sive illa proveniat ex defectu I. Ignorantia circa incursum Censurarum est triplex. Juris, facti, & pœnæ.

defectu Jurisdictionis, sive causæ: Sed de his nulla est difficultas, de quibus autem controversia esse potest, quatuor sunt. Primò: An aliquis propter ignorantiam tàm *Juris*, seu *particularis*, seu *communis*, scilicet nesciens, legem prohibere sub Censura tale, aut aliud delictum; quàm *Facti*, ùt quando scit, aliquid esse quidem prohibitum, nescit tamen, an hoc delictum sit contra prohibitionem; atque etiam propter *ignorantiam pœnæ*, ut quando & Legem, & factum scit, nescit tamen esse sub tam gravi Censura prohibitum, excusetur ab incurrenda Censura? Exempli gratia: An Titius percutiens Clericum, nesciret tamen esse prohibitam sub gravi Censura talem percussionem; aut si sciret esse prohibitam, nesciret tamen hunc esse Clericum, aut denique si sciret, & esse prohibitam, & hunc esse Clericum, ignoraret tamen, quòd sub Excommunicatione prohibita sit, an tunc excusetur à Censura? Secundò quæritur: An si Titius appellaret à Sententia declaratoria Censuræ, an tunc à Censura excusetur? Tertiò: An metus vel impotentia? Et Quartò: An Consensus illius, in cujus favorem est lata Censura, excuset à Censura? Quæ omnia solito modo breviter expediam. Unde

II. Ignorantia juris, facti, & pœnæ, excusant à Censura.

Dico Primò: *Ignorantia invincibilis & inculpabilis tàm Juris communis & particularis, quàm facti, & pœnæ, excusat ab incurrendis Censuris.* Ita Navarrus, Fillucius, Alterius &c. apud Bonacin.

Probatur Prima Pars: Tum ex *cap. 2. de Constit. in 6.* & *ex cap. Felicis. de pœnis. in 6.* in quo dicitur, pœnam debere proportionari delicto, sed ignorantia Juris minuit delictum, imò etiam planè excusat; ergò minuit etiam pœnam, & totaliter ab ea materialiter delinquentem excusat. Tum, Quia in ferenda debet servari admonitio, debet etiam esse contumacia, sed ubi ignorantia probabilis Juris est, non est contumacia, nec admonitio, ergò.

Probatur Secunda Pars: Tum *ex cap. Si verò. 2. de Sent. Excomm.* Tum ex ratione superiore, ex quibus etiam sequitur Tertia Pars.

Dixi tamen notanter in Conclusione: Ignorantiam invincibilem & inculpabilem excusare, quia ignorantia crassa & vincibilis nullo modo excusat, in hac etenim verum est, quod dicitur: *Scire, & debere scire, paria sunt.* Et ratio hujus desumitur etiam ex *cap. Animarum. de Constit. in 6.* ubi habetur, ignorantiam, quæ non est crassa, excusare ab omnibus Sententiis, ergò, quæ est crassa, non excusat, juxta dicta suprà, *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Deindè in tali ignorantia videtur adesse sufficiens contemptus, ratione cujus non excusatur à peccato, adeòque nec à Censuris. Et hinc à fortiori sequitur, non excusare ignorantiam affectatam, quamvis Bonacinnæ contrarium probabilius videatur. III. Ignorantia excusans debet esse invincibilis, & inculpabilis.

Quod dixi de Censuris, etiam currere potest de Irregularitate proveniente ex delicto, & secundùm Navarrum ad omnes pœnas exorbitantes, & extraordinarias, non tamen ad pœnas mediocres & leviores. Ex quibus plures & varii Casus resolvi possunt in particulari, qui videri possunt apud Authores. Ego ulterius

Dico Secundò: *Appellatio etiam legitima, non excusat ab incurrenda Censura absolutè lata, benè tamen ab illa, quæ ferretur sub conditione, ante conditionis adimpletionem.* Ita Navarrus, Fillucius, Sylvester apud Bonacin. Probatur Prima Pars: Tum ex *cap. Pastoralis. de Appell.* ubi sermo est de Excom. & *cap. Is cui.* ubi sermo est de Suspensione. & *cap. Ad hæc.* ubi sermo est de Interdicto. Tum, Quia Censura absolutè lata immediatè, ut fertur, sortitur effectum, & mandatur executioni, sed sententia mandata executioni non suspenditur amplius per ullam appellationem, ergò. Negandum tamen non est, quin possit aliquis etiam contra sententiam absolutè latam appellare ad Superiorem, ut causam cognoscat, hæc tamen non est propriè di- IV. Appellatio non excusat à Censura absolutè lata.

 cta ap-

cta appellatio, sed potius remedium & oppositio nullitatis, ut observat Abbas in *cap. Litteris. de Officio deleg.*

V. Appellatio excusat à Censura lata sub conditione.

Probatur Secunda Pars: Tum *ex cap. Praeterea. 2. de Appell.* & *cap. Pastoralis.* suprà. Tum, Quia per Appellationem devolvitur causa ad alium Judicem, & suspenditur Jurisdictio prioris, ergò.

VI. Ante conditionis adimpletionem.

Probatur Tertia Pars: Quia si conditio adimpleta est, tunc habet vim Censuræ absolutè latæ, sed Censura absolutè lata non suspenditur, ergò.

Dixi tamen in Conclusione: Appellationem Legitimam suspendere Censuram, nam Appellatio illegitima non suspendit Censuram, etiam sub conditione latam, *ex cap. Consuetudinem. de Appellat.* Quare si Religiosus appellaret, ne puniatur juxta suam Regulam, nulla esset, *ex cap. Ad nostram.* & *cap. Reprehensibilis. de Appellat.* Quia in causa fidei & Religiosi appellatio non est legitima. Legitima autem appellatio ea dicitur, quæ fit ex justa causa, vel saltem probabili, sibi taliter apparente, & bonâ fide, & quæ fit debito tempore, si enim causa esset dolosa & iniqua, & appellans eam cognosceret ut talem, appellatio esset illegitima, nam *Par non est, ut quis ex dolo & fraude commodum reportet.* Debitum tempus autem censetur omne illud, quod intercurrit ante conditionis adimpletionem, e. g. si Superior præciperet alicui sub pœna ipso facto incurrenda, ut compareat intra duos menses, valida est Appellatio quocunque die intra illos duos menses appellet, seu citiùs seu tardiùs, ut colligitur *ex cap. Præterea. 2. sup.*

Nec obstat *Cap. Quod ad Consultationem. de re judicata.* ubi tempus decem dierum præscribitur ad appellandum in omnibus sententiis; Quia illud caput non loquitur de Censuris, sed de aliis sententiis, nam hoc speciale est in Censuris, propterea, quòd sint valdè odiosæ.

Dico Tertiò: *Impotentia faciendi quod præcipitur, excusat ab incurrenda Censura.* Ita Navarrus, Filliucius, Corduba, Bonacinna. Probatur: Tum, Quia *ad impossibile nemo tenetur*, *Leg. Impossibilium. ff. de Regula Juris*; Tum, Quia impotentia faciendi, quod præcipitur, excusat à peccato & à contumacia, sed Censura non fertur, nisi propter peccatum & contumaciam, ergò. Hinc qui propter impotentiam non restituit, non incurrit Censuram Excommunicationis latam contra non restituentes, & detinentes rem alienam, similiter non incurrit, qui non potest rem præceptam facere sine gravi incommodo, magno aut majore detrimento bonorum spiritualium, talis enim censetur mortaliter impotens. VII. Impotentia faciendi quod præcipitur, excusat à Censura.

Dico Quartò: ***Metus gravis cadens in constantem virum, excusat ab incurrendis Censuris.*** Ita Navarrus, Filliucius, Avila apud Bonacin. Probatur, Quia metus gravis minuit voluntarium, & excusat à peccato & contumacia contra Legem Ecclesiasticam, ergò excusat à Censuris. Probatur antecedens, Quia vix credibile est, quòd Ecclesia velit cum tanto onere Fideles obligare. Hinc, qui ob metum mortis irruit ad Monasterium Monialium; manducans carnes diebus prohibitis ob gravem vulnerationem, non incurrit Censuram, si quæ lata esset in tales, dummodò absit contemptus & protestatio contraria fidei, quia sicut tunc non excusatur à peccato, ita nec à Censuris, deberet etenim velle millies mori, quàm semel Ecclesiam contemnere, & falsam profiteri fidem. VIII. Metus gravis cadens in constantem virum, excusat à Censuris.

Dico Quintò: ***Consensus & Voluntas ejus, in cujus favorem lata est Censura, excusat ab ea incurrenda.*** Ita Authores suprà. Probatur: Quia si Creditor condonaret absolutè debitum, Censura cessaret ex ratione materiæ ablatæ, supra quam cadebat Censura, ergò, si etiam Creditor suspendit obligationem solvendi, suspendit etiam Censuram incurrendam: IX. Consensus & voluntas ejus, in cujus favorem lata est, excusat à Censura.

dam: Probatur Consequentia, Tum à paritate; Tum, Quia sicut habet (supponatur quòd habeat, in hoc etenim supposito loquitur Conclusio, nam si quis non haberet jus ad rem & Dominium, non posset suspendere Censuram) Jus in totum Debitum, ut condonet absolutè, ita etiam habet in partem & in tempus exsolutionis, quando autem debitum remittitur, cessat Censura, ergò etiam quando tempus exsolutionis prorogat, quia tunc non censetur amplius debitor, nisi pro tempore prorogato.

Confirmatur: Tum, Quia Excommunicatio in favorem alicujus lata semper involvit tacitam conditionem, quòd si debitor non restituat invito & nolente Creditore, ergò si Creditor concedit dilationem, suspendit etiam Censuram. Tum, Quia Legislator non intendit debitorem magis obligare, quàm Creditor velit, cùm supponatur Censura lata in hujus favorem, ergò, si Creditor non velit obligatum habere debitorem, ille absolutus erit maximè à Censura. Hinc si Titius obtineret Excommunicationem contra Debitores suos à Summo Pontifice, si non restituant, & solvant intra sex menses, & Titius proroget terminum usque ad annum inscio Pontifice, Debitores elapsis sex mensibus primis non incurrunt Censuram Excommunicationis, benè tamen elapso anni termino, quia sicut obligatio per hanc prorogationem non cessat, ita nec cessat Censura, sed manet semper in vigore usque ad exsolutionem, quæ in prorogatione per modum conditionis subintelligitur. *L. Sed etsi. ff. de Precario. & L. Si cum die. ff. de Arbitris.* Sed contra Conclusionem.

Dices: Suspendere nequit Censuram, qui non habet authoritatem ferendi, sed Creditor non habet talem Authoritatem, ergò. Respond. Distinguendo Majorem, Nequit suspendere directè Censuram, & per se, nisi qui habet authoritatem ferendi, concedo Majorem: Nequit suspendere indirectè &c. nego Majorem, & distinguendo sic Minorem, nego Consequentiam: Itaque licèt Creditor nequeat directè suspendere Censuram, potest tamen indirectè, in quantum videlicet ex jure sui Dominii & liberæ dispositionis circa res suas potest subtrahere materiam Censuræ, vel condonando, vel suspendendo obligationem solvendi. Unde licèt verba Bullæ sonent, Debitores intra sex menses incursuros Censurã, nisi solvant, illa tamen verba hoc sonant ex intentione condentis Bullam, in favorem Creditoris, juxta ejus intentionem & liberam mutationem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Absolutione à Censuris.

I.
Qui tulit Censuram, etiam tollere potest, aut ejus Successor, vel Superior.

Antiquum est, quòd res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvatur, quare dubium esse nequit, quòd à Censuris absolvere possit, qui eas tulit (si sint ab homine) vel ejus Successor, vel Superior, aut etiam ille, qui specialem habuerit facultatem delegatam, ùt habetur *in cap. Per tuas. & cap. Sacro. de Sent. Excom.* & hoc verùm est etiam de Censuris reservatis per Sententiam generalem, nam de Censuris non reservatis absolvere potest quilibet, qui habet facultatem absolvendi à mortalibus, ut colligitur *ex cap. Frequentibus. de Institut. & cap. Nuper de Sent. Excom.* Et hinc est, quòd Confessarii ante absolutionem à peccatis primò absolvant à Censuris quomodocunque commissis. Dixi tamen per sententiam generalem latis, quia si per particularem feratur, non potest absolvere quilibet, qui potest absolvere à peccatis mortalibus, sed debet impendere hoc beneficium, vel ipse, qui Censuram tulit, vel ejus Successor, aut Superior. Et quod dixi de Censuris latis ab homine, sive reservatis, sive non reservatis, idem dicendum de Censuris reservatis & non reservatis Juris.

II.
Non potest quis absolvere à Cen-

Similiter certum est, quòd sicut non potest quis ferre Censuram, nisi in sub-

furis, nisi subditum sibi. in subditum, ità nec absolvere quis potest, nisi subditum, cùm ad utramque Jurisdictio requiratur, quæ exerceri non potest, nisi respectu subditi. Et sicut Censura ferri potest

III. Invitus potest absolvi. in invitum & absentem, ita etiam invitus & absens absolvi potest, dummodò contumaciam deponat, hâc enim stante absolvi non debet, nisi adesset periculum pejorationis.

IV. In absolutione à Censura non requiritur determinata forma. Item certum est, quòd sicut in Censura ferenda non requirit aliquam determinatam verborum formam, dummodò sufficienter exprimat scripto Censuram, ita etiam in absolutione non requiritur determinata forma, (excipio absolutionem solemnem in foro externo, in qua servari debent Ceremoniæ præscriptæ *in cap. A nobis. de Sent. Excom.*) dum tantùm per signa exteriora humano modo facta exprimat, se in Censura existentem absolvere, quare eadem valeant verba pro absolutione Censurarum, quæ valent pro absolutione à peccatis, nempe: *Ego te absolvo.* Et licèt in latione Censurarum requiratur expressio causæ, in

V. Non est necesse exprimere causam. absolutione hoc non est necessarium, cùm hoc nullo jure præscribatur, quamvis nonnunquam abs re non erit exprimere, maximè quando aliquis pluribus est innodatus, prout sentiunt Navarrus, Filliucius, & alii apud Bonacin. Hæc certa sunt, quæ dubia esse poterunt, sequentibus resolvam. Unde

VI. Episcopi possunt suos subditos in foro Pœnitentiæ absolvere ab occultis etiam Papæ reservatis. Dico Primò: *Episcopi in foro Conscientiæ, & Pœnitentiæ possunt absolvere suos subditos ab omnibus Censuris, etiam Papæ reservatis, dummodò crimina non sunt deducta ad forum contentiosum, & hoc non solùm per se, sed etiam per Vicarium Generalem, vel Pœnitentiarium.* Ità Rodriquetz, Suaretz, Alterius. Probatur ex Concilio Trident. Sess. 24. Cap. 6. ubi hoc ipsis expressè conceditur, & extenditur ad omnes Prælatos Regularium, qui Episcopalem Jurisdictionem in suos subditos habent, & non nisi sola Consecratione differunt. Et hoc verum est tantùm pro foro Conscientiæ, & si delicta sint occulta, & non publica, id est, majori pari alicujus communitatis nota, nec sint ad forum contentiosum deducta, etiamsi tunc non nisi unico teste probentur, & quod si contingeret, ut crimen aliquod ad forum contentiosum deduceretur, & illud non probetur, quâcunque viâ se purget, adhuc posset Episcopus eum absolvere finito Judicio, Quia delictum non probatum habet se, ac si ad forum contentiosum non fuisset deductum, & censetur occultum, imò in foro externo nullum.

Notandum tamen, hoc Episcoporum Privilegium de facto limitatum esse, & Casus Bullæ Cœnæ ab eo excipi, ut probabilius esse testatur Bonacinna, & expressè docent Franciscus Molinus, Coninch, Sanchetz &c. quia sic declaratum fuit à Pontifice & Congregatione Cardinalium; similiter excipitur hæresis, juxta multos, & occulta violatio clausuræ monialium ob malum finem, quamvis putet Bonacinna meliori judicio salvo, præcisâ authoritate Pontificis & Cardinalium omninò absolvere posse, cùm id usu & consuetudine jam sit receptum, & probat ex nonnullis similibus.

Dico Secundò: *Archi-Episcopi non nisi in certis casibus possunt absolvere subditos suorum suffraganeorum à Censuris.* Ita Covarruvias, Sanchetz, & Probatur, Quia Archi-Episcopi non habent Jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum, ergò non nisi in illis poterunt absolvere, quia nemo absolvere aliquem potest, nisi in eum Jurisdictionem habeat. Casus autem, in quibus possunt absolvere, sunt sequentes, videlicet quando visitat Diœcesim suffraganei, tunc enim ratione Officii acquirit ordinariam facultatem. Secundò, quando ad eum fit appellatio, *ex cap. Venerabilibus. §. de Sent. Excom. in 6.* per appellationem enim acquirit jus is, apud quem fit appellatio, & tertiò, quando suffraganeus malitiosè differt absolutionem, tunc enim par est, ut per Archi-Episcopum absolvatur.

VII. Archi-Episcopi non possunt absolvere subditos suffraganeorum à Censuris.

VIII. Absolutio à Censura potest fieri extra Confessionem. Dico Tertiò: *Qui habet facultatem ordinariam absolvendi à Censuris, potest ab eis absolvere extra Confessionem, qui verò habet solùm delegatam, non potest absolvere aliter, quàm ipsi fuerat concessum.* Ita Suaretz, Filiucius, Alterius &c. Probatur prima Pars, Quia sicut extra Confessionem potest Censuram ferre, ita extra Confessionem potest etiam ab ea absolvere, cùm Contrarium nullo Jure probetur, & praxis quotidiana sit in oppositum.

Probatur Secunda Pars: Quia Jurisdictio exerceri nequit ultra intentionem concedentis, ejúsque modum, quem verba Concessionis præ se ferunt, ergò. Hinc dico, quòd qui habet facultatem absolvendi à Censuris generaliter concessam, ille potest tàm intra, quàm extra Confessionem absolvere, quia potestas generaliter concessa, generaliter est intelligenda, & cùm hoc favorabile sit, non est ad certum modum restringenda; Si verò facultas concessa foret solummodò pro absolutione intra Sacramentum, non potest extra illud absolvere ex ratione data ibi.

IX. Aliud est absolvere in foro pœnitentiæ, & aliud in foro Conscientiæ. Quod, ut meliùs cognoscatur, notandum, quòd quando Superior concedit alicui, quòd possit absolvere in foro Conscientiæ, non esse idem, quod absolvere in Sacramento Pœnitentiæ, nam dico tunc Superiorem concedere authoritatem absolvendi in foro Conscientiæ, quando sibi reservat Jus, ut possit in foro exteriore cognoscere de delicto, & de eo pœnam & satisfactionem imponere, & talis absolutio potest etiam contingere extra Confessionem, quia Parochus non initiatus Ordine Sacerdotali potest accipere facultatem absolvendi Subditos à Censuris in foro Conscientiæ, licèt nondum possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ, hæc itaque est differentia inter forum Conscientiæ & forum Pœnitentiæ, quòd quando conceditur Privilegium absolvendi in foro Pœnitentiæ, quòd debeat salutaris Pœnitentia injungi, consequenter, quando in facultate dicitur, absolvas in foro Conscientiæ injunctâ salutari Pœnitentiâ, potest absolvere extra Confessionem injuncta Pœnitentia, ùt dicitur in Trident. Sess. 24. cap. 6. quando verò conceditur facultas absolvendi in foro Pœnitentiæ, tunc non potest absolvere extra Confessionem.

Dico Quartò: *Absolutio Censuræ potest validè fieri sub conditione, tàm de præsenti, vel præterito, aut futuro, sive sit pertinens ad causam, sive impertinens.* Ita Bonacinna. Probatur Prima Pars: De Conditione de præsenti vel præterito, quia hujusmodi conditio æquivalet absolutæ absolutioni, si conditio posita sit, si verò posita non sit, nihil ponit ad esse, ergò absolutio sub conditione, validè fit sub conditione. Probatur de conditione sub futuro, Quia Censura potest ferri sub conditione, ùt si hoc & hoc feceris, Excommunicationem incurres &c. ergò etiam potest absolutio dari sub conditione de futuro. Sed X. Absolutio à Censura potest fieri sub conditione.

Dices: Absolutio Sacramentalis non potest ferri & dari sub conditione de futuro, ergò neque absolutio Censuræ. Respond. Negando Consequentiam, quia in potestate Ministri Sacramenti Pœnitentiæ non est suspendere effectum ipsius, sicut potest suspendi Censura, quæ dari potest ad voluntatem ferentis.

Hinc probatur Tertia Pars: Minister Absolutionis à Censura potest suam Jurisdictionem ad libitum exercere, ergò potest dare Absolutionem tàm sub conditione pertinente ad causam, ut si restitueris, si pars læsa consenserit: sive in pertinente, ut, si placuerit, si Titius saltaverit, ego te absolvo, ergò potest dari Absolutio sub conditione de futuro, etiam impertinente, quia nihil obstat ad essentiam Absolutionis. Dixi tamen *validè*, quia sub conditione impertinente licitè non fieret, utpotè cùm ageret in re gravi temerariè & imprudenter, & potestatem Absolutionis ludibrio & subsannationi exponeret.

XI. Absolutio Censurarũ potest fieri ad cautelam.

Dico Quintò: *Censurarum Absolutio dari potest ad cautelam.* Hæc patet ex communi usu & praxi; Estque conformis, *ad L. Testamentum. C. de Testamentis.* ubi dicitur, quòd *abundans cautela non nocet*, ideò benè dari potest ad majorem animorum tranquillitatem, maximè dùm dubitatur & nescitur, vel ad minus prætenditur, quòd Censura data non sit valida, & tunc servatur hic modus Absolutionis, *si indiges*, aut *innodatus es Censura*, ego te absolvo. Hanc praxim secuti sunt Cistercienses in Silesia anno 52. circiter hujus sæculi, quo omnes Abbates & Subjecti excommunicati fuerunt ab Episcopo Vratislaviensi Carolo II. Fratre Regis Poloniæ Casimiri, qui licèt negarent Excommunicationis valorem, ad cautelam tamen absolutionem petierunt à Pontifice, ita ut lis in hodiernum usque duret dicem, cujus Judex Rota est determinata modò, cùm multis annis litigassent de Judice.

Dices: Petens Censuræ Absolutionem ad cautelam, fatetur se incurrisse Censuram, ergò non debet absolvi ad cautelam per modum alicujus conditionis, *si incurristi*, sed absolutè; Probatur antecedens, quia petitio spontanea facit præsumptionem contractæ, sicuti spontanea excusatio dicitur excusatio manifesta, ergò. Petens &c. Respond. Distinguendo antecedens: Petens Absolutionem fatetur, si absolutè petat, concedo; si conditionatè & sub dubio pro diluendis & amovendis scrupulis, nego antecedens, & ejus probationem distinguo quoque, petitio spontanea arguit præsumptionem in rebus levibus, & quæ sine præjudicio alterius fieri possunt, concedo antecedens, in rebus gravibus, & cum præjudicio alterius, negò Antecedens & Consequentiam; Quia in rebus gravibus probationes debent esse claræ, *ex L. Sciant. C. de Probat.* non verò nudæ præsumptiones.

XII. Absolutio à Censura vi extorta, nulla est.

Dico Sextò: *Absolutio à Censura extorta per vim, seu metum cadentem in constantem virum invalida est, à quocunque fiat.* Ita habetur *cap. Unico. de iis, quæ vi, in* 6. ubi expressè dicitur, omnibus viribus evacuamus. Et ratio est, quia sicuti Censura ferri debet liberè, ita etiam debet liberè impendi Absolutio, ita quòd Bonacinna ex dicto capite colligat, non modò absolutionem similem futuram nullam, sed etiam absolutam novam incurrere.

XIII. Vis & metus debet esse gravis.

Dixi tamen notanter, *per metum cadentem in constantem virum*, quia si metus levis esset, non impediret valorem, quia talis metûs nulla habetur ratio *ex L. Ne timorem. ff. de eo, quòd metûs causa.* Item, si taciat ex metu aliquo, qui absolventi non est incuriosus, valida est absolutio, ut si timeat, quòd nisi absolverit imposterum ab absolvendo non habebit consueta sua beneficia &c.

Nota adhuc metum debere incuti ab homine, quia si à DEO incutiatur absolutio, ut in pari & simili dicitur de voto, quia Jus humanum nihil determinat contra ea, quæ virtute Divinâ fiunt.

XIV. Absolutionem ab una Censura petens, si absolvatur etiam generali forma, non manet absolutus ab omnibus.

Dico Septimò: *Innodatus pluribus Censuris petens absolutionem ab una in foro Conscientiæ extra Sacramentum non manet absolutus ab omnibus, etiamsi Superior generalem dicat absolutionis formam.* Ità Alterius, Vasquetz, & Probatur, quia absolutio accommodatur petitioni absolvendi, ergò si tantùm petat absolutionem ab una, non absolvetur ab aliis, quantumvis absolvens generalem præbeat, Quia non est ulla connexio ad alias, nec ex intentione absolventis, nec ex natura ipsa Censurarum.

XV. In Sacramento absolutus ab una Censura, absolvitur ab omni.

Dixi tamen, si fiat Absolutio *extra Sacramentum*, qui si in eo fiat, tunc ab omnibus absolvitur, licèt ex oblivione subticuisset peccatum, habens Censuram annexam, quod patet; Tum, Quia Sacerdos ante peccatorum absolutionem generalem adhibet pro omnibus Censuris, *quas incurrit, & quantum potest, ac ipse indiget*, atqui potest absolvere (supponatur) ab omnibus & aliter indiget,

get, ergò; Tum, Quia Confessarius habet Generalem intentionem absolvendi ab omnibus, quam si non haberet, certum esset, quòd non esset ab omnibus absolutus, unde saluberrimum est consilium, ut & Confessarii non alligent se tantummodò ad Censuras in Confessione auditas, & Pœnitentes post peccata petant Universalem Absolutionem ab omnibus peccatis & Censuris cognitis & oblitis, &c. Si enim tunc Confessarius generaliter absolvat, absolvet etiam ab omnibus oblitis (sine fraude & dolo) juxta intentionem petentis, quod adeò verum existimo, ità ut si aliquis esset oblitus alicujus peccati, habentis annexam censuram vel reservationem, quòd postmodum possit illud peccatum confiteri simplici Sacerdoti non habenti facultatem absolvendi à Censuris, cùm censura jam sit sublata.

XVI. Absolutio à Censura est valida absque Satisfactione partis læsæ.

Dico Octavò: *Valida est Absolutio, quæ fit ei, qui necdum satisfecit parti læsæ, licèt ante potuerit satisfacere, dummodò habeat facultatem absque limitatione: satisfactæ partis læsæ.* Probatur, Quia absolvens vel habet Potestatem ordinariam vel delegatam, si ordinariam, tunc validè potest absolvere, quia ipsi nullatenus est limitata, ùt colligitur *ex cap. Venerabilem. §. Sanè. de Sentent. Excom. in 6.* Si verò habeat potestatem delegatam, & non sit ipsi limitata ad satisfactionem partis læsæ, eodem modo potest, quia tenet vices habentis potestatem ordinariam, cùm non sit ratio, quare privilegium delegationis non accipi possit, prout sonat, ergò, si absque limitatione authoritatem habet, sicut illa limitatio adderetur, nullo modo absolutè authoritatem haberet.

XVII. Absolutio à Censura absque Satisfactione partis læsæ est illicita.

Dixi: Hujusmodi Absolutionem fore validam, licèt esset illicita, & graviter peccaret, qui absolveret potentem satisfacere sine satisfactione exhibita, si enim non posset, aut non nisi cum magno detrimento famæ, honoris, bonorum, aut si non stet per ipsum, quò minus satisfactio facta sit, aut nimis diu differri debe-ret absolutio. Tum etiam licitè absolvit, Quia verba legis benignè sunt interpretanda, maximè si præstet cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel saltem juratoriam, si duas priores exhibere nequiret, promittendo simul, se proximâ occasione satisfacturum.

Dico Nonò: *In articulo mortis quilibet simplex Sacerdos absolvere potest à Censuris.* Ità concedit Trident. Sess. 14. cap. 7. & constat ex ipsa Praxi Ecclesiæ. Quare nihil refert, sive Sacerdos sit irregularis, sive degradatus, sive excommunicatus, servato tamen ordine secundùm minus impedimentum, quod quilibet habet ad administranda Sacramenta, ità quòd simplex Sacerdos, & non approbatus præcedit irregularem, vel suspensum & interdictus; suspensus excommunicatum, excommunicatus degradatum &c.

XVIII. Absolvere à Censura in articulo mortis potest simplex Sacerdos.

Nota tamen, quòd Absolutio in tali articulo mortis non possit fieri ab omnibus omninò Censuris, sed tantùm ab iis, quæ obstant susceptioni Sacramentorum & Ecclesiasticæ Sepulturæ, ùt sunt Excommunicatio, Interdictum personale, Suspensio à susceptione Sacramentorum, & Ecclesiastica Sepultura, quare nequit absolvere ab Irregularitate, à Suspensione, ab Ordine, ab Officio, vel Beneficio, quia hæc non retardant consecutionem gloriæ.

XIX. Absolvens à Censura in articulo mortis debet absolvendo injungere præsentationem coram Superiore.

Dico Decimò: *Sacerdos non habens aliàs potestatem absolvendi à Censuris, absolvens in articulo mortis, debet exigere ab absolvendo juramentum, si fieri potest, quòd sublato impedimento, non perpetuo, velit se ùt primùm commodè poterit præsentare coram Superiore, qui de jure extra articulum mortis absolvere potest, alioquin reincidit in eandem Censuram.* Ità Coning, Vasquetz, Henriquetz. Probatur *ex cap. Eos, de Sent. Excom. in 6. & cap. Ea noscitur. ibidem.* Imò si fieri potest, debet etiam exigere ab ipso cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, si sit obligatus ad satisfactionem pecuniariam, si verò sit obligatus ad aliam Satisfactionem, tan-

tantùm sufficit juratoria, ut dixi supra.

Dixi semper: *Si fieri potest*; Quia si Pœnitens sit ita sensibus destitutus, ut non possit juramentum, vel cautionem præstare, absolvendus est simpliciter, quia ad impossibile nemo tenetur.

Dixi etiam: *Si absolvatur à Sacerdote non habente aliàs potestatem absolvendi*, debere se præsentare elapso impedimento, quia si fuerit aliquis Sacerdos aliàs potestatem habens, talis obligatio cessat. Dixi tandem: *Elapso impedimento non perpetuo*, quia si perpetuum sit, non est exigenda hujusmodi cautio *ex cap. Quamvis, de sent. Excom.* Quia frustra petitur cautio ad id, quod fieri nequit. Sed

XX. Aliqui Absoluti in articulo mortis tenentur postea ad Superiorê recurrere. Quæres Primò: An imponatur Pœnitenti onus se præsentandi Superiori, ut ab eo iterum absolvatur? Respond. Negativè: Quia talis omninò absolutus est, ut patet *ex cap. Non dudum. de Sent. Excom.* Sed hæc Obligatio ideò imponitur, ut ostendat se obedientem ad recipiendam debitam correctionis medicinam, & ad acceptandam majorem satisfactionem, si sic Superiori videretur. Quòd si tamen talis accederet Confessarium, qui extra articulum mortis haberet potestatem absolvendi, ab eóque obtineret absolutionem novam, non tenebitur se præsentare Superiori, quia hæc Obligatio tantùm injungitur iis, qui absolvuntur ab aliàs non habentibus potestatem. Hinc Pœnitens absolutus in articulo mortis ab aliquo habente aliàs potestatem absolvendi, sive ex Privilegio, sive Jubilæo &c. non tenetur postea recurrere ad Superiorem, ob rationem datam.

XXI. Absolutus sine obligatione recurrendi manet absolutus. Quæres Secundò: Quòd si Sacerdos oblivisceretur Pœnitenti in articulo mortis insinuare sublato impedimento non perpetuo recurrendi ad Superiorem, vel non exigeret ab eo juramentum de Satisfactione partis læsæ, pœnitens maneret absolutus? Respond. Affirmativè, Quia non extat Lex, quæ annullaret hujusmodi absolutionem.

Quæres Tertiò: Utrum absolvendus in articulo mortis à Casibus reservatis debeat etiam præstare cautionem? aut eam debeat exigere Confessarius? Respond. Si illis Casibus non sit annexa Censura Excommunicationis, negativè. Quia id nullo jure præscribitur, adeóque tale onus nemini imponi debet.

Quæres Quartò: An mortuo Superiore ligatus ab aliquâ censura, maneat post mortem ab eadem absolutus? Respond. negativè, Quia *cap. Si Episcopus. 11. q. 3. & cap. Pastoralis. §. Præterea. de Offic. ord.* determinatur, Censuram à Prælato latam non cessare statim post obitum Ipsius. Deindè Censura non desinit per mortem illius, qui Censura ligatus est, *ex cap. à Nobis. & cap. Sacris. de Sent. Excom.* ergò neque per mortem ferentis, quandoquidem Censura lata ipso Jure suum consequitur statim effectum. XXII. Censura non cessat per mortem Prælati eam ferentis.

Quæres Quintò: Utrum obtinens facultatem generalem absolvendi ab omnibus Casibus reservatis Papæ, possit etiam absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ? Respond. cum Pegna & Sanctorello affirmativè; Quia beneficium Principis latè est explicandum, & ubi nihil distinguitur, nihil excipitur, nec aliquis distinguere debet, ubi Lex non distinguit, ergò cùm universaliter Pontifex concederet facultatem absolvendi ab omnibus sibi reservatis, ubique etiam possit privilegiatus absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ. XXIII. Obtinens generalem absolvendi facultatem à Censuris, potest etiam à Bullæ Cœnæ Casibus.

Quæres Sextò: Utrum quando Pontifex concedit in Jubilæo, vel aliàs Privilegium absolvendi ab omnibus Casibus reservatis censeatur, etiam concedere absolvendi facultatem à Casibus, quos sibi Episcopi reservant. Respond. probabiliter affirmativè cum Alterio, quia Praxis Episcoporum id clarè insinuat, quia in hujusmodi Privilegiorum & Jubilæorum promulgatione, non addunt particularem suam facultatem à Casibus sibi reservatis absolvendi, à qui- XXIV. Pontifex conducens in Jubilæo generalem facultatem, concedit etiam pro Casibus ab Episcopis reservatis.

à quibus tamen existimant omnes fideles se æquè absolutos iri, ac à Casibus Pontifici reservatis.

XXV. Absolvere potēs à reservatis, potest etiā à Censuris. Quæres Septimò: An habens facultatem absolvendi à Casibus reservatis, habeat etiam facultatem absolvendi à Censuris? Respond. Affirmativè, Quia peccata ideò Pontifici reservata sunt propter Censuram, ergò qui potest absolvere à Casibus reservatis Pontifici, potest etiam absolvere à Censuris. Navarrus tamen, Sanchetz &c. putant, hoc non currere in Casibus reservatis Episcopis, & eorum Censuris, ubi peccata reservata & Censuræ sunt res distinctæ, adeóque qui ab uno potest absolvere, non statim per hoc censetur posse absolvere ab alio, cùm ab uno disparato ad aliud non fiat illatio, verumtamen existimo ego omninò æquè posse à paritate, & sicut dicunt ipsi esse res disparatas, sic dicam ego, non esse minus disparatas in Casibus reservatis Pontifici, ergò.

XXVI. Absolutio ad reincidētiam explicatur. Quæres Octavò: Quænam sit & dicatur Absolutio ad reincidentiam? Respond. Absolutionem ad reincidentiam eam esse, quæ non fit absolutè & simpliciter, sed solùm ad certum tempus, vel solùm ad aliquem actum præstandum & eliciendum, aut cum aliqua conditione & onere imposito, ita quòd si tempus illud sit elapsum, actus perfectus & factus, & conditio aut opus non impletum, iterum cadat in Censuram, ac si nunquam fuisset absolutus, Exempli gratiâ, Superior absolvit Titium ab Excommunicatione ad mensem, vel ad agendum testem in aliquo urgente negotio (ubi semper additur, *ad hunc duntaxat effectum, &c.* Sub conditione & onere, ut intra annum restituat &c. ubi elapso mense, & testimonio dato, Titius reincidit in Censuram Excommunicationis sicut antè, similiter si non observet conditionem appositam, & impleat onnus injunctum reincidit; & de hac absolutione agit *Cap. Eos, qui. de Sent. Excom. in 6.*

Quæres Nonò: An Censura illa, in quam quis reincidit, sit eadem numero cum priori vel alia? Respond. quòd si Absolutio fuit data sub conditione & aliquo onere atq; obligatione, quam tamen non implet ex malitia, novam esse Censuram & aliam, Tum, Quia prior simpliciter sublata fuisset, si opus posuisset, & Superiori intendit eum simpliciter absolvere, ut contingit in illis, qui absolvuntur in articulo mortis à non habente facultatem aliàs absolvendi, qui in novam Censuram reincidunt, si se non repræsentent juxta injunctam Superiori, Tum, Quia novum est peccatum, ergò etiam nova Censura. Quòd si absolutio non fuit vera & perfecta, sed tantùm suspendens Censuram reincidit in eandem, & hoc tunc evenit, quando Superior sine conditione & onere ob rationes sibi notas absolvit ad certum tempus, vel ad certum effectum, sub his vel similibus verbis: *Ad hunc effectum duntaxat.* XXVII. Censura reincidentiæ, aliquando diversa à priori, aliquando eadem.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE Excommunicatione in Communi.

PROOEMIUM.

INter alias etiam hæc materia est objectum subsannationis hæreticæ, tanquam inane inventum esset Romanistarum, aut si quid in re contra Christianam pietatem, cùm Excommunicatio privet hominem bonis spiritualibus ad vitam æternam ordinatis, I. Excomunicatio nō est inventum Romanistę nec contra pietatem Christianam.

dinatis, verum tamen frustrà obganniunt, utrumque enim falsum est, secundum quidem, quia licèt Excommunicatio privet bonis spiritualibus, hoc tamen ideò fit, ut dicit 1. Corinth 5. *Ut Spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi*, quod etiam declaratur *in 1. cap. de Sent. Excom. in 6.* Primum verò convincitur falsitatis, Tum ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, ubi excommunicandi facultas Apostolis traditur; Tum ex usu ipsiusmet D. Pauli Apostoli, qui ter legitur excommunicâsse, primò quidem Fornicarium illum incestuosum suprà dicens: *Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, judicavi eum, qui hujusmodi rem operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis in unum, & meo spiritu, cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* Secundò 1. ad Tim. 1. tradidit etiam Hymeneum & Alexandrum Sathanæ; & Tertiò ad Galatas 1. *Si quis vobis evangelizaverit præter illud, quod accepistis, anathema sit*, ubi anathema, & Traditio Sathanæ, idem est, quod Excommunicatio, nam cùm excommunicatus privatur suffragiis, traditur quasi in potestatem Sathanæ, ita ut Sancti Patres, ùt Anselmus &c. & post ipsos Cajetanus dicant, Deum in primitiva Ecclesia permisisse, ut excom-

11. Tradi Sathanæ, & anathema, idem est, ac excommunicari.

municati etiam corporaliter vexarentur à Diabolo. Per dictos autem D. Pauli textus probari excommunicationem, & tradi Sathanæ idem esse ac esse, excommunicatum, clarè docet D. Augustinus Serm. 68. de verb. Dom. & refertur *q. 11. 3. cap. Omnis Christianus*, ubi sic habetur: *Omnis Christianus, Dilectissimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur, quomodo scilicet, quia extra Ecclesiam est Diabolus, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc, quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica Communione removetur. Unde illos, quos tunc Apostolus Sathanæ esse traditos prædixit, excommunicatos à se esse demonstrat*; & cap. sequenti ex eodem D. Augustino in Tract. 27. ad cap. 6. Joan. sic dicitur: *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à Christi Corpore, si enim separatur à Christi corpore, non est membrum Ejus, si non est membrum Ejus, non vegetatur Spiritu Ejus,*

quisquis

quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est Ejus, &c. De hac ergò Ecclesiastica pœna in præsenti agam Disputatione, supponendo omnia ex præcedente, de Authoritate ferendi, in quem, ob quid, & quomodo? ac his similia, quare sit

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Excommunicatio?

I. Excommunicatio variis habet nomina.

Excommunicatio pluribus compellatur nominibus, nam quandoque dicitur *Mors*, quandoque *Medicina*, *Mucro Episcopi*, *Virga ferrea*, *nervus & gladius Ecclesiasticæ Disciplinæ &c.* quantum ad Etymon autem idem est, ac *extra Communionem actio*, vel *separatio*, hinc Græcè dicitur *anathema*, quod productum significat separationem, ut proindè antiqui spolia & prædas armorum suspendebant in templis, ea appellantes anathemata, id est, separata à rebus profanis, & Diis sacrata, in quo sensu etiam D. Paulus ad Rom. 9. dixit: *Optabam ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, id est, volebam à Christo segregatus esse pro Judæis, quos ità diligebam: Anathema correptum autem significat abominationem & detestationem, unde Num. 21. Civitates Chananæorum vocantur *Horma*, id est, *anathemata*, ut exponit Divus Hieronymus, quia debebant detestari & abominari eas, sic etiam Concilia, & maximè Tridentinum post quemlibet articulum, quem damnat tanquam hæreticum, addit *anathema*, id est, sit detestatus & abominatus, qui hoc docuerit, quomodocunque tamen accipiatur, sive productum sive correptum, semper convenit excommunicationi, quia per eam quis separatur à Communione fidelium, segregatur & excluditur, item fit abominabilis & detestabilis à fidelibus, quorum suffragia non participat, nec Conversatione & Communione dignus habetur.

Quare, licèt nonnulli velint esse differentiam inter excommunicationem & anathema, ea tamen non est, nisi ratione majoris alicujus solemnitatis, quâ solet anathema ferri, nam *ex cap. Debeat.* 11. *q.* 3. dicitur, quod anathema feratur ab Episcopo cum duodecim Sacerdotibus candelas ardentes in manibus tenentibus, quas in Conclusione anathematis in terram projicere debent, & pedibus conculcare, nec in usum aliquem adhibere amplius; Excommunicatio verò etiam major fit sine hac solemnitate *ex cap. Cùm ab Ecclesiarum. de Offic. & Potest. Jud. deleg.* Eosdem tamen habet effectus, quare de nomine non est amplius litigandum, undè ad ipsam rem progredior, pro qua II. Solemnitates in ferendo anathemate.

Notandum, Doctores aliquos multùm laborare in danda legitima definitione Excommunicationis, quæ difficultas provenit potissimum ex eo, quod quærant unam communem, quæ conveniat tàm majori, quàm minori, sitque generica ad utramque, & hinc dicunt: *Excommunicationem esse pœnam Ecclesiasticam, quâ quis separatur ab aliquâ Communione fidelium*, ita Soto, Suaretz &c. nam etiam excommunicatus minore excommunicatione separatur à Communione passiva fidelium, verumtamen hoc malè omninò dicitur, nam excommunicatio minor non separat ullo modo à fidelibus, sed tantùm à susceptione passiva Sacramentorum, unde dico, Excommunicationem minorem non esse speciem Excommunicationis ut sic, sed esse aliam Censuram Ecclesiasticam excommunicationi majori affinem, ut proindè benè dicat Scotus, III. Excommunicatio minor non est propriè Excommunicatio.

 non

non esse nisi Excommunicationem *secundùm quid*, majorem autem esse simpliciter Excommunicationem, ita ut si Superior ferat Excommunicationem non exprimendo majorem vel minorem, major semper est intelligenda, ùt patet *ex L. Non aliter. ff. de Legatis. & cap. penult. de sent. Excom.* ubi dicitur, quòd cum quis dicit: *Excommunico illum; dicendum est eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, quæ communione fidelium separat, esse ligatum.* Itaque hoc notato excommunicationem majorem, quæ simpliciter talis est, definio, &

IV. Excommunicatio definitur. Dico: *Excommunicatio est Censura Ecclesiastica excludens aliquem à Communione fidelium.* Hæc in re est communis & Doctoris. Probatur ex eo, quòd sufficienter explicet naturam excommunicationis majoris, prout distinguitur ab omni alia Censura & Pœna, nam tò *Censura Ecclesiastica*, rationem generis habet, in quo convenit cum Suspensione, Interdicto &c. tò *Excludens hominem à Communione Fidelium*, habet rationem differentiæ, per quam distinguitur ab omnibus aliis pœnis & Censuris, etiam excommunicatione minore, quæ hominem solùm privant aliquâ Communione partiali fidelium, scilicèt à Communione Fidelium in Sacramentis, Excommunicatio autem major privat ab omni, etiam quantum ad Communionem externam & politicam, ita quòd quasi ex Ecclesia ejiciatur, non quidem corporaliter, sed per prohibitionem, ne cum aliis communicet, quoniam quantum ad interna, nempe fidem & charitatem potest manere conjunctus, Excommunicatio etenim non privat gratiâ, sed supponit peccatum, per quod aliquis est gratiâ privatus, de quo si doleat & conteratur antequam absolvatur, iterum in gratia esse potest. Et hæc pro primâ parte tituli sufficiant.

V. Excommunicatio est multiplex. **Quantum attinet Partem Secundam, certum est, quòd Excommunicatio toties dividi possit, quoties** dividitur Censura, nempe *in latam*, & *ferendæ sententiæ*: *à jure*, vel *ab homine*, *in validam* & *licitam*, *justam* & *injustam*, *reservatam* & *non reservatam &c.* Communissima ejus tamen est divisio, seu potius duplicis Censuræ Ecclesiasticæ sub nomine Excommunicationis activæ annumeratio, nempe *Majoris* & *Minoris*, nam in rei veritate non sunt species excommunicationis ut sic, nisi æquivocè, ùt Scotus docet, cùm minor non sit nisi excommunicatio secundùm quid.

Excommunicatio Major supra descripta est, Minor verò est *Censura Ecclesiastica excludens excommunicatum à participatione passiva Sacramentorum.* Ita habetur *in cap. penult. de sent. excom. & in cap. Si Celebrat de Clerico excom. minist.* in quo ejus tota differentia & natura explicatur, & inprimis dicitur, celebrantem in ea graviter, id est mortaliter peccare, non quidem quòd activè administret aliquod Sacramentum, quia hoc ipsi nullo jure est prohibitum, sed ex eo, quòd recipiat, & ratio est, quia violat Præceptum Ecclesiæ in re gravi. Secundò excommunicatus minore excommunicatione non incurrit irregularitatem, sicut incurrit, qui innodatus est majori, cùm nec hoc exprimatur ullo jure. Tertiò, taliter excommunicatum privari ab omni passiva susceptione Sacramentorum sub peccato mortali, quod Canon sufficienter indicat, dum dicit, eum graviter peccare. Quartò, non solùm privari à susceptione Sacramentorum, sed etiam electione, præsentatione, & collatione beneficii & Ecclesiasticæ dignitatis, ita ùt excommunicatus minori non possit licitè eligi & præsentari ad beneficia Ecclesiastica, licèt talis electio & præsentatio sit valida, quare excommunicatus minore excommunicatione licitè eligere & præsentare potest, sicut potest administrare Sacramenta ab omnimoda paritate, cùm dictum caput aliud non exprimat. Imò etiam ipsa electio passiva non est ipso facto irrita & nulla, sed irritan- VI. Excommunicatio minor definitur. VII. Effectus Excomm. minoris.

irritanda per Judicem ex eodem capite.

VIII. Differentia inter Excomm. majorem. & minorem. Ex quibus omnibus sufficienter colligitur differentia inter majorem & minorem excommunicationem, & insuper, quia excommunicatus minori potest communicare cum aliis Fidelibus absque peccato, cùm non privet eum, nisi passiva participatione Sacramentorum & Electione. Item potest interesse Divinis & frui suffragiis; Tertiò potest exercere actus Jurisdictionis, absolutionis à Censuris & peccatis, *ex cap. de duobus. de sent. Excom.* Sed

IX. Ob quam causam incurratur Excom. minor. Quæres Primò: Ob quam causam incurratur Excommunicatio minor? Respond. incurri ob participationem cum excommunicato majori excommunicatione vitando in rebus prohibitis. Ita habetur *in cap. Excommunicatos. & cap. & ego. cùm desideres. de sent. excom.* Quòd adeò verum est, ùt etiam eam incurrat, qui communicat cum vitando etiam mortuo, ut si eum lavet, vestiat, ad sepulturam comitetur &c. *quia cui non communicamus vivo, nec communicare debemus defuncto, ex cap. Sacris, de sepult.* Nota autem, taliter excommunicatum debere esse vitandum, quia licèt aliquis participet cum excomunicato majori, non incurrit minorem, si non is sit denuntiatus & vitandus, sicut nec aliquis incurrit excommunicationem minorem, qui communicat cum excommunicato excommunicatione minori, cùm non sit ab ullo Jure prohibitum, imò nec alius Casus est, in quo incurratur minor excommunicatio, qui esset in usu præter allegatum, participationis cum excommunicato vitando.

X. Ab Excom. minore quilibet Confessarius absolvere potest. Quæres Secundò: Quisnam possit absolvere à minori excommunicatione? Respond. Ab hac Excommunicatione absolvere posse quemcunque Sacerdotem admissum ad audiendas Confessiones. Ratio est, Quia *in cap. Nuper. supra*, conceditur facultas absolvendi ab hac Excommunicatione proprio Sacerdoti, proprius autem Sacerdos dici potest quicunque Sacerdos habens facultatem audiendi Confessionem, per delegationem nempe proprius. Nam si proprius per jurisdictionem ordinariam potest absolvere, licèt sit tantùm simplex Sacerdos, imò nullo modo ordinatus, & etiam extra Confessionem, quia hic est actus jurisdictionis competens cuicunque Parocho etiamsi Sacerdos non sit. Qui plura desiderat de Excommunicatione minori, consulat Authores, mihi sufficit ista dixisse, ut proindè imposterum alto prætergrediar silentio, ad majorem ergò redeundo sit:

QUÆSTIO SECUNDA.

De Primo Effectu Excommunicationis Majoris, qui est privatio Communium suffragiorum Ecclesiæ.

Plures esse effectus Excommunicationis Majoris nemini dubium est, qui vel modicam Canonum habet notitiam, attamen tres sunt principaliores, ad quos cœteri omnes reduci possunt (qui etiam ob hoc vocantur à pluribus effectus per accidens) juxta triplicem Communionem hominum, quâ privat Excommunicatio Major, nempè Communio seu Communicatio suffragiorum Ecclesiæ, Communicatio activa & passiva Sacramentorum, & Communicatio externa, in Colloquiis, Contractibus, & aliis communibus operis, quamvis sit etiam adhuc alia Communio Fidelium, nempè in Fide & Charitate, verum tamen hâc non privat Excommunicatio, sed jam præsupponit eum privatum per peccatum, ùt suprà dixi, benè tamen aliis tribus, de quibus hic agendum erit, & primò de privatione Communionis, seu Communicationis Suffragiorum. Pro quo — I. Excomm. Majoris tres sunt effectus.

II. Excommunicati alii sunt tolerati, alii vitandi. Notandum Primò: Excommunicatos Majori Excommunicatione esse in duplici differentia, alii enim dicuntur *Tolerati*, alii *Vitandi*; *Vitandi* sunt illi ex Extrav. ad evitanda,

 emana-

emanata probabiliter in Concilio Constantiensi, (de facto reperitur in calce Concilii Basiliensis) & unanimi consensu & usu Ecclesiæ acceptata, qui propter crimen, habens Excommunicationem annexam, publicum & notorium, vel occultum in foro fori probatum per Judicem competentem, in loco publico, ut in Ecclesia infra Missarum solemnia, vel per affixionem schedularum in debito loco, sententiatus est & denuntiatus, ita ut non sufficiat nominatim esse excommunicatum, sed etiam nominatim debeat denuntiari. Exempli causâ: Titius ob tale & tale crimen est sententiatus, & declaratur hisce excommunicatus, quare licèt esset accusatus & sententiatus, si tamen ùt talis non esset denunciatus, non deberet vitari.

III. Percussor Clerici notoriis est vitandus.

Secundò: Excommunicati vitandi dicuntur ii, ex eadem Extrav. qui percutiunt Clericum, quorum factum est ita notorium notitiâ facti, ut nullâ tergiversatione celari possit, nam si aliqualiter celari possit, ut si percussor diceret, se percussisse ob propriam defensionem, vel se nescivisse esse Clericum, aut per aliquod aliud Juris suffragium, talis non esset vitandus, dummodò id probabiliter assereret, nam si ficta esset excusatio, nullô modô ipsi patrocinaretur, cùm omnes delinquentes se soleant excusare.

IV. Tolerati sunt, non denuntiati.

Tolerati verò sunt ii, qui non sunt sic nominatim denuntiati, cum quibus fidelis adhuc posset communicare, licèt constaret eos crimen habens Excomunicationem annexam comisisse. Quid autem requiratur ad hoc, ut delictum dicatur notorium, quótque testes necessarii sint, suppono ex alibi dictis & dicendis, æqualis etenim ubique nequit haberi ratio.

V. Suffragia alia sunt comunia, alia particularia.

Notandum Secundò: Suffragia etiam in duplici esse differentia, alia enim sunt *communia*, alia *particularia*, seu *privata*: *Communia* dicuntur preces & supplicationes publicæ per processiones, Missarum Sacrificia, horæ Canonicæ &c. quæ Clerici persolvunt & DEO offerunt pro Fidelibus in nomine & in persona Ecclesiæ. *Privata* verò sunt particulares Orationes, Jejunia, Eleemosynæ &c. quæ fiunt à Christianis non tanquam Ecclesiæ Ministris, sed privatis hominibus. Differentia inter utraque suffragia, secundùm Filliucium, Alterium, & Bonacinnam est, quòd privata perdant valorem ex indignitate personæ offerentis, si in culpa sit mortali. Publica verò & communia non perdunt ex offerentis indignitate, cùm valorem non solùm ab ipsis, sed etiam ab Ecclesia, cujus nomine offerunt, habeant.

His itaque prænotatis: Tres sunt in hac Quæstione difficultates resolvendæ, primò, An Excomunicatus tàm toleratus, quàm vitandus, privetur comunibus Ecclesiæ suffragiis? Secundò, an iisdem privetur, si sit contritus, licèt non sit absolutus? Tertiò, an etiam privetur privatis suffragiis? Ad singula respondebo singulis Conclusionibus, & ad primum

VI. Excommunicatus vitatur communibus Ecclesiæ suffragiis.

Dico Primò: *Excommunicatus majori Excommnnicatione, sive sit toleratus, sive sit vitandus (regulariter loquendo & directè) privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, ità ut mortaliter peccet, qui in persona Ecclesiæ oraret pro simili, vel aliud opus pium faceret.* Hæc est communis sententia Theologorum & Sumistarum. Probatur Prima Pars *ex cap. à Nobis.* 2. *& cap. Sacris. de sent. Excom.* 11. *q.* 3. *cap. Omnis Christianus. cap. Nihil. cap. Quicunque*, & pluribus aliis.

Probatur Secunda Pars: Quia Excomunicatus privatur ab Ecclesia communibus suffragiis, ùt patet ex allegatis Capitibus, habétque Authoritatem hoc faciendi *ex cap.* 18. *Matth.* nec potest eum privare hisce suffragiis, nisi prohibendo fidelibus nè pro ipso orent publicè, ergò qui pro tali excomunicato oraret publicè, peccaret mortaliter, cùm in re gravi ageret contra præceptum Ecclesiæ, Navarrus putat, quòd præter peccatum mortale talis incurreret

ret Excommunicationem minorem, quia videtur communicare cum ipsis.

VII. In Parasceve orat Ecclesia pro Excomm. Dixi, *Regulariter loquendo*, propter diem Parasceve, in quo Ecclesia publicè orat pro Hæreticis & Excomunicatis, per particularem suam Dispensationem & Ordinationem, quâ noluit diem illum comprehendi in Capitibus allegatis, Tum ex authoritate, quam habet ad dispensandum, cùm privatio sit juris positivi, Pontificii, licèt authoritati Christi innixi; Tum ad imitationem Christi, qui etiam illo die oravit pro Crucifixoribus suis: Tum ad ostendendum valorem mortis Christi, q pro omnibus mortuus est, & cujus mors quantum ad sufficientiam ad omnes extenditur; Tum, ut Ecclesia demonstraret zelum suum animarum, quo omnes vellet ad unum ovile reducere.

VIII. Indirectè est licitum orare pro Excomm. Dixi etiam *directè*: Quia indirectè potest quilibet pro infideli, & excomunicato orare, quod tunc fit, quando quis [illegible] pro ipsis sine expressione eorum nominatim, sed fit directè pro aliquô bonô Ecclesiæ, ut pro ejus exaltatione, sanctitate, Filiorum Obedientia & ampliatione, quæ omnia fieri nequeunt, si non convertantur Hæretici & Excomunicati, & in tali modô pro ipsis orare non est peccatum ullum, sive id fiat privatim, sive publicè. Sed contra Conclusionem

IX. Extrav. Ad evitanda concedit fo... Communionem exteriorem. Opponitur: Extravag. Ad evitanda, in qua conceditur, quòd Fideles non teneantur vitare excommunicatum toleratum, sed si toleratus esset privatus comunibus suffragiis, deberent ipsum vitare, cùm maxima sit ejus vitatio, pro quo nec orare possum, ergò Excomunicatus toleratus non est privatus comunibus suffragiis. Respond. Distinguendo Majorem, in Extravagant. ad evitanda conceditur, quòd Fideles non teneantur evitare Excomunicatum toleratum, quantum ad Comunionem externam & politicam, concedo Majorem, quantum ad internam Comuaicationis suffragiorum, nego Maj: & distinctâ similiter Minori nego Consequentiam. Itaque licèt dicta Extravagans ad evitanda scandala concesserit facultatem Comunicationis in exterioribus, non tamen in interioribus, cùm non voluerit destruere rationem Excommunicationis, & Canones antiquos, qui omnes clamant, quemcunque Excommunicatum privatum esse comunibus Ecclesiæ suffragiis, quod indè clarissimè patet, cùm Concilium Constantiense in dicta Extravagante expresse dicat: *Per hoc tamen hujusmodi Excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, neque eis aliquo modo suffragari*, Maxima autem esset suffragatio & favor, si contra Canones antiquos relevarentur à privatione suffragiorum, ergò. Imò illa Extrav. nec quidem intendit illos excommunicatos sublevare in Communione externa, ùt exponunt Doctores passim, ita quòd ipsi possunt communicare cum Fidelibus sine peccato, sed solùm quòd Fideles possint communicare cum illis, sicut cum aliis Fidelibus non excommunicatis.

Dico Secundò: *Excommunicatus majori Excommunicatione, si sit contritus; licèt nondum absolutus, non privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, ita ut possint sine peccato pro eis offerri.* Ita Richardus, Antonin. Navarrus, Covarruvias *in cap. Alma.* apud Fabrum 4. d. 25. Disp. 4. qu. 1. Et probatur Primò: Tum ex pietate Sanctæ Matris Ecclesiæ, quâ videtur non velle privare aliquod suum membrum vivum in Charitate conjunctum, hujusmodi suffragiis; Tum ex decentia, videtur enim congruum, ut ablata culpa remittatur etiam pœna, quòd si dicas debere manere pœnam propter timorem, respondeo, timorem debere esse rationabilem. X. Excommunicatus cōtritus non privatur suffragiis.

Probatur Secundò: Quia Excommunicatio est, & fit propter contumaciam, sed si quis conteratur, deponit Contumaciam, ergò etiam effectus Excommunicationis tolli debet,

debet, cùm cessante causâ cesset effectus.

Probatur Tertiò: Quia Doctores docent communiter, quòd si quis in foro exteriori per Judicem probatus & convictus excommunicetur, quòd in foro poli & coram DEO non sit excommunicatus, quamvis se pro tali ad evitandum scandalum in facie Ecclesiæ se gerere deberet, nec talis esset privatus suffragiis; sed talis injustè excommunicatus ideò non privatur suffragiis, quia excommunicationis causa non subest ulla, ergò nec debet privari suffragiis excommunicatus contritus, quia causa excommunicationis amplius non subest, quod enim fuit & amplius non est, sic se habet, ac illud, quod nunquam fuit. Sed contra Conclusionem hanc mitiorem

XI. Quia privationis causa amplius non subest.

Opponitur *Cap. à Nobis, de sent. Excom.* ubi Innocentius III. definit mortuum in Excõmunicatione Majori sine absolutione, ab ea, etiamsi signa Contritionis dedit, non esse absolutum apud Ecclesiam, sed indigere ea etiam post mortem. Et *Cap. Sacris, eodem tit.* asserit pro Excommunicato hujusmodi non debere fieri Preces & Orationes ante Absolutionem impensam, ergò Excommunicatus etiam contritus manet privatus communibus Ecclesiæ suffragiis. Respond. ad primum Caput, illud mihi negotium non facessere, quia aliud non vult, quàm quòd excommunicatus adhuc egeat Absolutione, etiamsi fuerit contritus, quod negare non velim; sufficit enim mihi, quòd ipse Pontifex fateatur, posse esse aliquem coram DEO absolutum in foro interiori, licèt sit ligatus adhuc in foro Ecclesiæ, quæ cùm illud nesciat determinatè, rectè adhuc absolutionem urget.

Ad Caput *Sacris*. Respond. Illud loqui de Excommunicato aliquo determinato, & nominatim, quem scit esse talem, & proindè vult, ut talis prius absolvatur, antequam pro eo fiant Orationes & preces, non verò agit de excommunicatis in communi, quibus determinatè Absolutionem impendere non potest, quos nec videtur velle privare suffragiis.

Ex Conclusione & Responsione infero, quòd pro Excommunicato contrito possit offerri Sacrificium Missæ licitè & validè, tàm in persona Christi, quàm Ecclesiæ (triplicem enim Sacerdos in Celebratione repræsentat personam) quàm in propria, Quia Ecclesia non intendit privare hisce suffragiis, nisi contumacem, & cùm contritus non sit contumax, privatus non est; Et quidem quantùm ad validitatem non est controversia, cùm indignitas Ministri & propriæ personæ non impediat unquam effectum, qui fit in persona alterius, ut dicitur de Sacramentis. Quòd verò licitè, patet indè, quia nullibi est prohibitum, quia si esset alicubi maximè in dictis Capit. *à Nobis, & Sacris*, ibi autem non prohibetur, nisi in eo casu, quo nominatim & publicè Excommunicatus defertur ad Superiorem.

XII. Pro Excommunicato cõtrito potest celebrari.

Arguitur ex[illegible]tione: Excommunicatio non tollitur per solam pœnitentiam interiorem, ergò excommunicatus licèt contritus, est privatus adhuc suffragiis, antecedẽs patet, quia si tolleretur, non deberet postmodum Absolutionem amplius petere in foro exteriori, patet etiam Consequentia, quia quamdiu durat Excommunicatio, habet suos effectus, inter quos primus est privatio suffragiorum. Respond. cum Distinctione ant: Non tollitur Excommunicatio per solam pœnitentiam in foro interiori, nego antecedens, in foro externo, concedo antecedens, cujus probationis antecedens nego simpliciter, quod indè patet, quòd sicut contritus licèt peccatum ei sit dimissum quoad culpam, adhuc tamen tenetur illud subjicere Ecclesiæ Clavibus & confiteri. Sic etiam quamvis aliquis sit in foro interiori absolutus, adhuc tamen manet obligatus, ut in foro externo etiam petat Absolutionem.

XIII. Excommunicatio tollitur per pœnitentiam in foro poli.

Instatur: Et est Argumentum Bonacinnæ pro sententia contraria, si excom-

XIV. Excommunicatus cōtritus nequit celebrare. si excommunicatus contritus in foro interiori esset absolutus, talis posset accedere ad recipienda Sacramenta, & ad celebrandum saltem occultè, cùm sit in statu gratiæ; sed hoc est falsum, ergò & alterum, cùm per Excommunicationem tàm privetur suffragiis, quàm participatione Sacramentorum. Respond. Negando sequelam: Tum, Quia Canones expresè prohibent & arcent excommunicatum à participatione Sacramentorum, non sic autem prohibent posse fieri suffragia pro excommunicatis non nominatis. Tum, Quia Ecclesia ideò eos magis arcet ab uno, quàm ab altero, ut eò citius emendentur & resipiscant, & contumaciam deponant non tantùm interiorem, sed etiam exteriorem, ideóque graviter peccant, eò quòd controveniant gravi præcepto Ecclesiæ, ob quam contravenientiam etiam penes novum peccatum celebrando & administrando Sacramenta incurrit irregularitatem; Tum denique, quia magis videtur esse contra pietatem Ecclesiæ privare suffragiis, quàm participatione Sacramentorum, cùm ibi nec generalis Thesauri fierent participes. Fateor tamen alteram sententiam æquè esse probabilem. Unde ad tertium

XV. Excommunicatus nō privatur particularibus suffragiis. Dico Tertiò: *Excommunicatus non privatur particularibus suffragiis, quæ non fiunt Ecclesiæ nomine.* Ita Navarrus, Filliucius, Koning, Avila, Sylvester, Covarruvias &c. Probatur, Quia licitum est privatim orare pro Ethnicis & Paganis, ergò etiam licitum est orare pro Excommunicato, & consequenter non privatur suffragiis, ita quòd privatus non posset pro eo orare, jejunare, in Missa secretò sine expressione nominis, memento facere, &c. patet Consequentia à paritate, probatur antecedens, quia id docet apertè D. Paulus 1. ad Timoth. 2. *Obsecro itaque primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum Actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus:* Sed tempore D. Pauli Reges fuerunt Gentiles, & Pagani, &c. unde addit: *Hoc enim bonum & acceptum est coram DEO Salvatore nostro, qui omnes homines vult salvos fieri.* Quod confirmatur ex usu Ecclesiæ, quæ olim in Missa Catechumenorum, quæ Missam Fidelium præcedebat, pro ipsis orabat, & integram Missam ipsis celebrabant, fortè etiam quoad substantiam applicando. Sed

Quæres: An possit etiam quis lucrari Indulgentias pro hujusmodi excommunicato? Respond. negativè, quia Indulgentiæ sunt suffragia publica.

QUÆSTIO QUARTA.

De Secundo Excommunicationis Effectu, qui est privatio participationis Sacramentorum.

Effectus hic habetur ex pluribus Juris Locis, ùt *Cap. Si quem de Sent. Excom. & Cap. Cùm illorum. ibidem. Idem Cap. Cùm illud. & Cap. Si celebret de Clerico Excom. ministrante.* Imò multi Doctores hunc effectum colligunt *ex cap. Engeltrudam.* 3. q. 4. in quo Canone dicit Papa Engeltrudam non solùm excommunicatione, quæ à fraterna Charitate separat, sed etiam anathemate, quod à Corpore Christi (Ecclesia) separat, sæpè percussam esse, qui autem est separatus à Corpore Christi, non est capax participationis Sacramentorum, ergò. **I. Excommunicatio privat participatione Sacramentorum.**

Notandum autem, participationem Sacramentorum duplicem esse, nempè *activam* & *passivam*; *Activa* est ipsa administratio eorum, *Passiva* est perceptio; Et sic dum Excommunicatus percipit Sacramenta, alius debet esse, qui ipsi administret, dum verò administrat, alius debet esse, qui percipiat, hinc in hac quæstione non modò agam de Excommunicato percipiente, sed etiam de eo, qui ipsi administrat, similiter non de Excommunicato ministrante tantùm, sed etiam de percipiente ab eo, examinando nempè, quò- **II. Participatio Sacramentorum alia est activa, alia passiva.**

quônam modô peccent, & an penes peccatum aliam incurrat pœnam. Quare

III. Excommunicati validè suscipiunt, & administrant Sacramenta.

Dico Primò: *Excommunicati validè suscipiunt & administrant Sacramenta quoad substantiam, sive sint excommunicati tolerati, sive vitandi, excepto Sacramento Pœnitentiæ.* Ita Filliucius, Reginaldus, Avila, Alterius, Bonacinna. Probatur Prima Pars: Quia ad Sacramenta quoad substantiam aliud non requiritur, quàm materia debita cum forma & intentione ministri, sed quando excommunicati (supponatur) suscipiunt Sacramenta hæc omnia adsunt, ergò. Probatur Secundò eadem Pars, quia si Sacramenta invalidè susciperentur, hoc fieret propter Ecclesiasticam Censuram, quâ sunt innodati; hoc non obstat: ergò. Probatur minor, Tum, Quia secundùm Regulam Juris: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Tum, Quia Ecclesia nequit impedire valorem Sacramentorum, si omnia à Christo instituta adsint. ergò.

Probatur Secunda Pars: Quia malitia Ministri non potest impedire effectum Sacramentorum, qui à Deo dependet, ergò.

IV. Excommunicati non administrant validè Sacramentum Pœnitentiæ.

Dixi: *Excepto Sacramento Pœnitentiæ.* Quia ut hoc validè administretur, requiritur Jurisdictionis potestas, sed Excommunicati privantur Jurisdictione per Censuram, ergò validè non administrant, unde qui confitetur excommunicato vitando Confessionem reiterare debet, excepto articulo mortis, in quo cuilibet conceditur à Tridentino facultas absolvendi; nec etiam validè suscipit, quia accedit cum peccato mortali, cum vera contumacia nullum habens dolorem, quæ faciunt vel Confessionem nullam, vel non formaliter integram, sed quotiescunque accedit aliquis cum Confessione non formaliter integra, nullum est Sacramentum, ergò. Verùm hoc notandum est, quòd si inculpabiliter tamen accederet, ut v. g. ignorans se esse excommunicatum, aut delictum non esse peccatum mortale, quia Ecclesia non intendit punire innocentem, inculpabiliter ignorans autem est quasi innocens, ergò non intendit ipsum privare beneficio absolutionis, cùm ex *Cap. 2. de Constit. Res, quæ culpâ caret, in damnum revocari non debet.* Imò si ante Absolutionem à peccatis, petat Absolutionem à peccatis, petat Absolutionem à Censura validè accedit, & licitè etiam cum fructu Sacramenti, si Confessarius habeat authoritatem absolvendi, ut in quotidiano usu & praxi Ecclesiæ fieri cernitur, sermo ergò est de illo, qui contumax manet & accedit.

V. Inculpabiliter accedens, etiam validè susciperet.

VI. Excommunicati licitè nec recipiunt, nec administrant Sacramenta.

Dixi Secundò: Excommunicatos validè administrare & recipere Sacramenta, quia certum est, eos licitè nec recipere, nec administrare, cùm agant contra rationabilissimum Ecclesiæ præceptum in re gravi, & colligi potest ex Capitibus suprà relatis. Excipiuntur tamen Casus necessitatis & periculi mortis, ut modò paulò dixi, in quo possunt excommunicati etiam vitandi administrare tàm Sacramentum Baptismi parvulis, quàm Sacramentum Absolutionis adultis peccatoribus, & secundùm multos etiam Sacramentum Eucharistiæ, quamvis putem omninò Contrarium dicendum, cùm Eucharistia non sit Sacramentum necessitatis, quòd si tale esset vel obligaret in articulo mortis Jure Divino, tunc etiam ab excommunicato vitando posset licitè recipere, quia concurrentibus duobus præceptis illud servari debet, quod magis obligat, magis autem obligat Divinum quàm Ecclesiasticum, ergò. Extra hos Casus sicut Excommunicati vitandi licitè non administrant Sacramenta, ita nec licitè ab eis peti potest administratio, cùm cooperentur petentes peccato eorum, & faciant contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. An autem idem sit sentiendum de toleratis, difficultas est, ego

VII. Ab Excommunicatis toleratis fideles pos-

Dico Secundò: *Fideles petentes administrationem Sacramentorum ab excommunicato tolerato, non peccant,*

sunt petere Sacramenta. *cant, sive ille excommunicatus sit Parochus sive non; sive sit necessitas sive non; sive sit paratus absq; hoc ad administrationem, sive non.* Ita Alterius, Sanchetz, Scotus &c. apud Bonacinnam. Probatur: Quotiescunque quis utitur jure suo, neminem lædit, nec ullatenus peccat, ut mihi certum est, sed fideles habent jus petendi administrationem Sacramentorum omnium per Concilium Constantiense, *Extrav. ad evitanda.* ubi conceditur Fidelibus facultas communicandi in Sacramentis, & quibuscunque Divinis cum Excommunicatis, Suspensis, Interdictis & Irregularibus toleratis ad evitanda scandala, scrupulos, animarum pericula, &c. ergò possunt petere in omnibus illis dictis modis in Conclusione, alioquin enim non vitarentur scrupuli, quos quilibet sibi facere posset, an esset periculum & necessitas &c. Sed contra

VIII. Petentes non cooperantur peccato. Arguitur: Non licèt petere ab aliquo, quod alteri, à quo petitur, non licet præstare, sed Excommunicato non licet administrare Sacramenta, ergò neque licet ab eo petere. Respond. Negando Minorem, Quia excommunicatus toleratus, requisitus habet facultatem, ut fideli non excommunicato possit Sacramenta administrare, adeóque nec ille peccat administrando ea, nec petens ullatenus cooperatur ad peccatum, quòd autem habeat, patet ex Concilio Constantiensi citato, quod dum facultatem fidelibus concedit directè, ut possint cum eis in Sacramentis communicare, indirectè etiam concedit excommunicatis, ut ob utilitatem, vel ob requisitionem possint Sacramenta administrare, quare ne favorem hinc habeant excommunicati tolerati, tunc dico, ùt suprà etiam docui, ipsos sese non posse ingerere ad administrationem Sacramentorum, benè tamen, quando fideles id requirunt.

IX. Excommunicatus administrans debet prius conteri. Instatur: Excommunicatus est indignus Jure Divino administrator Sacramentorum, cùm sit in peccato mortali, & Sacramenta sanctè administrari debeant, sed Ecclesia nequit dispensare in Jure Divino, ergò neq; facultatem concedere, ut excommunicatus administret Sacramenta, sicque, si iste nequit licitè administrare, neque fidelis licitè poterit ab eo petere in quacunque occasione. Respond. Primò: Ecclesiam in tali Casu & defactò non dispensare in præcepto Divino, sed suo, quod est esse incapacem ad administrationem Sacramentorum propter Censuram à se latam, & sic relinquit Excommunicatum obligatum ad Præceptum Divinum, nempè ut conteratur & doleat antequam administret. Respond. Secundò: Videri sat rationabile, quòd aliquis non possit petere ratione Præcepti Divini administrationem Sacramentorum ab Excommunicato, nisi propter utilitatem vel necessitatem, ne cooperetur peccato, si in eo maneret; quia tamen per talem petitionem moneri potest ad Contritionem, sic nec videtur esse contra Præceptum Divinum petere, licèt sit administrare, quod excommunicatus, antequam conteratur, facere non debet.

Dico Tertiò: *Excommunicatus Sacramenta recipiens non incurrit aliquam Censuram, benè tamen administrans in Excommunicatione vel celebrans, nempe irregularitatem.* Est communis. Patet Prima Pars, quia nulli exstat in jure expressa aliqua particularis pœna & Censura suscipientibus in Excommunicatione Sacramenta. Secunda & Tertia Pars habentur *ex cap. Si quis Episcopus.* 11. *q.* 1. *& cap. Is cui, de sent. excom. &c.* ab hac tamen Censura excusantur, qui faciunt hoc ex ignorantia probabili, vel ex inadvertentia suæ Excommunicationis, vel ob aliam justam causam. X. Excommunicatus celebrans incurrit irregularitatē, non tamen suscipiens Sacram.

Dico Quartò: *Administrans Sacramenta Excommunicato vitando præter mortale peccatum, incurrit Excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ.* Ita Authores communiter. Prima Pars probatur ex causa, ob quam incurritur defactò Excommunicatio minor. Et XI. Excommunicato administrans Sacramentum incurrit interdictum, & Excom. minorem.

Secunda habetur *in cap. Episcoporum de Privilegiis in 6.* ubi imponitur Interdictum ab ingressu Ecclesiæ iis, qui præsumunt admittere excommunicatos vel interdictos ad Sacramenta, vel Divina Officia, & Sepulturam Ecclesiasticam. Quòd si tamen quis assisteret excommunicato vitando in matrimonio non incurreret hanc pœnam, quia Sacerdos assistens non est minister.

XII. Excommunicatus nequit audire Missam, nec alii cum ipso. Dico Quintò: *Quilibet Excommunicatus privatur auditione Missæ ex vi excommunicationis, ità ut non solùm peccet mortaliter ipse, sed etiam audientes cum ipso, si sit excommunicatus vitandus.* Ita Doctores communiter. Et habetur *in cap. ult. & cap. is qui, de sent. excom.* Ratio etiam est, Quia quilibet excommunicatus privatur Communione in Divinis, ergò etiam in auditione Missæ, nisi excuset necessitas, in Casu, quo nullus adesset, qui inserviret Sacerdoti celebranti. Hinc Excommunicatus non peccat ullo modo non audiendo Missam die festo, quia hoc Præceptum tantùm cadit super illos, qui non sunt impediti. Benè tamen peccaret, qui negligeret obtinere absolutionem ab Excommunicatione, ut in Paschate possit confiteri & communicare, quia hoc videtur magis obligatorium, & in se involvit Præceptum Communionis &c.

XIII. Si Excommun. vitandus veniat ad Missam, est ejiciendus vel cessandum ab illa, si nondum sit in Canone. Quæres: Quid faciendum sit Celebranti vel audientibus Missam, quando adest, vel supervenit Excommunicatus? Respond. Quòd si sit toleratus, tunc & audientes & Celebrans continuare debent & possunt, quia fidelis non tenetur vitare toleratum post Concilium Constantiense. Si verò Excommunicatus est vitandus, tunc admonendus est, ut exeat, cùm non liceat eis cum ipso communicare. Quòd si exire nolit, expellendus est etiam vi, si potest, etiamsi si esset Clericus, ùt colligitur *ex cap. Veniens, de sent. excom.* Et ratio est, *Quia vis non dicitur injuriosa, quando infertur ex justa causa.* Dixi, si potest, nam si expelli non posset sine gravi periculo, tunc debet cessare à Divinis & à Missa, si nondum inchoata sit Consecratio, quòd si tamen jam inchoata esset, vel etiam Canon, *Te igitur Clementissime Pater &c.* (ita Suaretz, Reginaldus, Henriquetz) continuare debet Sacerdos usque ad Sumptionem inclusivè, cùm hoc sit Præceptum Divinum de integritate Sacrificii peracta sumptione potest Sacerdos conferre se ad Sacristiam, vel ad alium locum, & reliquas Orationes persolvere, fideles tamen non possunt manere in Missa excepto solo Ministrante. Verùm notandum, Quòd si Excommunicatus vitandus veniat ad Ecclesiam curiositatis gratiâ, aut necessitatis, ne capiatur ab insequentibus, non debet Sacerdos cessare à Missa, nec fideles sunt obligati exire ex Ecclesia, quia in tali Casu non communicant cum eo, cùm non adsit formaliter, ut audiat Missam. Imò Bonacinna putat post Filliucium, quòd si Excommunicatus sit in una Capella, & audiat ibi Missam, & Titius celebret in alia, quòd Titius non debeat cessare à Missa, cùm non dicatur ullatenus cum Excommunicato participare, quod dixi de Missa, idem dicendum est de Divinis Officiis. &c.

QUÆSTIO QUARTA.

De Tertio Excommunictionis Effectu, qui est privatio Communionis externa Fidelium.

Per Tertium Effectum Excommunicationis, qui habetur in *cap. Nuper. & cap. Si aliquando. de sent. excom.* arcentur omnes Excommunicati, tàm tolerati, quàm vitandi ab omnibus Actionibus & Conversationibus humanis & civilibus, ità ut ad eas sese cum Fidelibus nullo modo ingerere possint ex vi Censuræ, quamvis tolerati communicare possint, si fideles cum illis communicare velint. Vitandi verò nec possunt cum iis communicare, etsi Fideles vellent, ita ut Fideles peccarent, si cum vitandis communica- I. Excommunicati non possunt conversari cum Fidelibus.

nicarent, ad minùs venialiter, & simul incurrerent Excommunicationem minorem; Dixi eos peccare ad minus venialiter, quia communicare in actionibus civilibus videtur esse materia levis: Tum, Quia ipsi Excommunicati non peccant, nisi venialiter communicando cum Fidelibus, ergò etiam ipsi Fideles non peccabant magis, quamvis fortè mortaliter peccare possent, si sæpè communicarent, quia licèt singulæ actiones leves sint, omnes simul sumptæ possunt constituere materiam gravem. Si verò Fideles communicent in Sacris, Missis, Officiis, Sepulturis, mortaliter peccarent. Verùm.

II. Communicatio civilis, alia est in crimine criminoso, alia extra crimen.

Notandum Primò: *Cap. Nuper.* Comunicationem Fidelium cum Excommunicato vitando esse duplicem; Prima dicitur *in crimine criminoso*, altera *extra illud crimen*. Communicatio in Crimine criminoso est, quando quis excommunicatum propter aliquod Crimen determinatum eundem coadjuvat, vel consentiendo, vel favorem & Consilium præstando, ut in Contumacia permaneat, & Ecclesiæ non obediat, unde ut dicatur communicare in Crimine criminoso, Crimen jam debet esse perpetratum, & Excommunicatio secuta, si enim communicet ad Crimen perpetrandum antecedenter, non incurrit aliquam Censuram, nisi nominetur, ùt suprà dixi, & qui in Crimine criminoso participant, excommunicationem incurrunt, ex allegato Capite, quia *agentes & consentientes pari pœnâ constringuntur.*

Glossa tamen notat, quòd participans per suum Consilium, auxilium & favorem, debeat induci ad contumaciter persistendum in peccato, quia si absque illis persisteret, Excommunicationem non incurret, quia non esset vera causa, etiamsi per Consilium deterior fieret, *quia non refert an de bono malum, vel de malo deteriorem fecerit*, sed requiritur, quòd per hujusmodi Consilium Crimen fiat, & factum contumaciter perseveret. Per hoc patet, quidnam sit participare extra Crimen. Hinc

III. Communicari extra crimen est quintuplex.

Notandum Secundò: Communicare cum Excommunicatis extra Crimen quinque modis fieri posse, qui facilioris captûs gratiâ hoc versu comprehenduntur, nempè:

Os, orare, vale, Communio, Mensa negatur.

Qui modi clarè deducuntur ex pluribus Juris Capitibus, & ex *cap. Nuper.* ubi hæc habentur: *Aut aliàs in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo*, & 11. q. 3. *cap. Excommunicatos*, dicitur: *Excommunicatos quoscunque à Sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis justam examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat*, & similia his, plures habent alii Canones.

IV. Orare pertinet ad Communionem spiritualem.

Notandum Tertiò: Ex quinque illis modis secundùm expressum per tò *Orare*, gratiâ Carminis positum esse, & pertinere adhuc ad Communicationem spiritualem, & qui in hoc modo cum Excommunicatis communicat, peccat graviter, ut suprà docui, quia semper est in materia gravi, in reliquis autem quatuor modis non nisi venialiter, quia est in re purè civili & politica, adeóque levi, nisi per accidens gravis fieret. His itaque prænotatis accedo ad explicandos dictos quinque modos per quinque particulas versûs insinuatas, ad quas etiam reducam illos effectus, quos suprà dixi, vocari per accidens. Unde

V. Excommunicatus nô potest interesse Divinis officiis.

Dico Primò: *Quilibet Excommunicatus privatur Divinis Officiis, & separatur ab aliis, ne cum illis interesse possit.* Ita *cap. Nuper.* sæpè cit. & patet ex Conclusione quinta, præcedentis Quæstionis. Nam inter Divina Officia principalissimum est Missa; Secundò sunt horæ Canonicæ publicè dictæ in Ecclesia; Tertiò publicæ Processiones & Orationes; Quartò sunt omnes Actiones Ordinum solenniter exercitæ, ùt sunt: Oleum, Chrisma conficere, Olivas & Can-

Candelas solemniter benedicere, & solemniter Epistolam vel Evangelium cantare: Quibus omnibus privatur, ne interesse possit non tamen Concionibus (quamvis concionari nequeat,) audiendis *ex cap. Responso, de sent. excom.* Ratio est, Tum, Quia Conciones non comprehenduntur inter Divina Officia: Tum,

VI. Excommunicatus vitandus non potest legere Theologiam.

Quia Excommunicatus non tenetur ea vitare, quæ tendunt ad ipsius emendationem, ùt sunt Conciones. An autem Professor excommunicatus possit facere Lectiones? Controversia est, Ego respondeo cum Distinctione, si toleratus est, potest, si ad legendum teneatur ex officio, quia alioquin Communitas pateretur damnum; & adest titulus necessitatis. Si sit vitandus, nequit maximè Theologiam, quia hæc Lectio sicut etiam quæcunque alia est actio honorifica, quâ privantur excommunicati. Et dato, quòd non prohiberentur à Lectionibus per tò *Orare*, prohibentur tamen per ly *Os*, ùt infra dicam.

VII. Excomm. potest orare Divinum Officium.

Quæres: An Excommunicatus teneatur orare horas Canonicas, si sit in Sacris Ordinibus, vel habeat beneficium? Respond. Posse & debere, Ratio est, quia nullibi excusatur. Hoc tamen notant Doctores, quòd non possit salutem communem facere ad populum per *Dominus vobiscum*, quia hæc non dicitur ex privata persona, sed publica, si tamen illam diceret, non puto fieri irregularem, contra Navarrum, quia est parvitas materiæ. Addo, quòd etiam sat probabiliter possit recitare horas cum Socio & Bonacinna, quia videtur non esse adeò prohibita ista recitatio, cum fiat privatim, hinc Capellani & Servi possunt orare cum suis Dominis etiam excommunicatis.

VIII. Excommunicatus vitandus privatur Ecclesiasticâ Sepulturâ.

Dico Secundò: *Excommunicatus vitandus antequam absolvatur, privatur etiam Ecclesiasticâ Sepulturâ & omni honore funebri, qui in tumulatione mortuorum fieri solet.* Prima Pars habetur *ex cap. Sacris. de sepulturis*; Secunda, *cap. Placuit. 23. qu. 5.* Utriusque ratio est, quia Excommunicati privantur Communicatione in Spiritualibus, ùt dicit & denotat particula *Orare*, sed sepultura Ecclesiastica, & etiam honor funebris est aliquid spirituale, ergò Excommunicati privantur iis: Probatur Minor, quia per Ecclesiasticam Sepulturam fiunt participes suffragiorum, ideò etenim Fideles sepeliuntur in Locis Sacris, ut fiant participes Orationum & Suffragiorum, quæ ibi fiunt. Et licèt Corpus per se non sit capax spiritualis Communicationis, est tamen ratione animæ, ad quam ordinatur, cui erat conjunctum, & est iterum conjungendum. Sed

Dices: *Cap. Animæ, 13. qu. 2. Quòd pompæ Exequiarum, conditio sepulturæ, magìs sunt solatia vivorum, quàm subsidia mortuorum*, ergò iis non privantur. Respond. Negando Consequentiam; Quia Ecclesia etiam viventes vult privare hoc solatio, quia honor iste non fit sine aliqua Communicatione cum Excommunicato, cui autem non communicamus vivo, nec communicamus mortuo,

Dico Tertiò: *Præsumens sepelire excommunicatum vitandum in loco sacro, id est, Ecclesia vel Cœmeterio, præter peccatum mortale, incurrit Excommunicationem majorem.* Ita Clementina prima de Sepulturis, ubi hæc habentur: *Qui propriè temeritatis audaciâ in Cœmeteriis excommunicatos publicè aut nominatim scienter sepelire præsumunt -- -- -- nullatenus absolvantur.* In qua Clementina videntur comprehendi secundùm Fabrum, non solùm deferentes cadavera, sed etiam qui propriâ authoritate sepelire faciunt in loco sacro, juxta Caput: *Mulieres, §. Illi verò. de sent. excom.* per illa verba: *Cùm is committat verè, cujus authoritate vel mandato delictum committi probatur.* Quare idem Faber putat, tutius esse asserere hanc Censuram extendendam etiam ad comitantes, cantantes, Crucem deferentes, fodientes locum, & alios Cooperatores,

IX. Sepeliens Excommunic. peccat mortaliter, & incurrit Excommunicationẽ.

res, quamvis non neget oppositum esse quoque probabile.

X. Excommunic. sepultus in loco sacro est exhumandus, & locus reconciliandus. Quæres: Quid faciendum sit, si Excommunicatus vitandus in sacro loco fuerit sepultus? Respond. Excommunicati corpus, si ab aliis discerni possit, debere exhumari, & extra sacrum projici locum, deindè locus sacer est reconciliandus per aspersionem aquæ benedictæ, sicut fit in Ecclesiæ dedicatione, ùt dicitur *cap. Consuluisti. de Consecrat. Eccles. vel Alt.* Ecclesia etenim polluta fuit non secus, ac si semen vel sanguis voluntariè fuisset effusus, ut habetur in eodem Capite, quod licèt loquatur de Cœmeterio, & non è contra; Quare ante reconciliationem nec fideles ibi sepeliri possunt, nec Divina celebrari, Dixi tamen debere exhumari, *si discerni possit corpus excommunicati possit*, Quia si nequeat discerni, relinqui debet, ne fidelium corpora ejiciantur extra locum sacrum, quod non decet, *ex cap. Sacris.*

XI. Excommunicatus privatur beneficio Ecclesiastico conferendo. Dico Quartò: *Excommunicatus etiam toleratus quoque privatur beneficio Ecclesiastico, ita ut in Excommunicatione, validè ei conferri, & ipse recipere non possit.* Ita Navarrus, Filliucius, Alterius apud Bonacinnam, & eam rationabilissimam censent, Faber etiam quoad toleratum, quia *Extrav. ad evitanda.* non intendit favorem aliquem concedere Excommunicatis, qualis esset, si possent validè recipere beneficia Ecclesiastica. Probatur itaque Conclusio, Quia Beneficium est quoddam Bonum spirituale, datur enim propter Officium, sed Excommunicati nequeunt communicare in Spiritualibus, ergò. Quòd autem habeat annexum commodum temporale, parum omninò refert. Limitavi tamen cum communi Doctorum sententia sic, quòd in tantum privet, ita quòd Excommunicatus nequeat suscipere beneficium, quia si jam sit in possessione per supervenientem Excommunicationem, non privatur eo, cùm excommunicatio non auferat, nec tollat Jus acquisitum, sed acquirendum Jus tantummodò inhabilitet, quod clarè supponunt Canones, qui insinuant similes excommunicatos manere Dominos Beneficiorum, quamvis privare videantur eos fructibus beneficii, sic colligitur *ex cap. Pastoralis. §. Verum, de Appell. & cap. Rursus. 11. q. 3.* Quare si cui beneficium collatum esset tempore excommunicationis nullum esset, etiamsi illud suscepisset, nec per absolutionem revalidatur, sed novam collationem petere debet, ùt patet *ex cap. Postulasti. de Clerico excom. Minist.* Sed quia non est satis clarum, quod modò paulò ante dixi, nempè videri Jura privare excommunicatos fructibus Beneficiorum, ideò cum Bonacinna & aliis apud ipsum.

Dico Quintò: *Beneficiarius Lapsus in Excommunicationem post beneficii consecutionem non privatur fructibus, vel reditibus, vel Distributionibus, sive curatus sit, sive quiscunque alius.* Ità Sanchez, Navarrus, Avila apud Bonacinnam. Probatur, Quia Beneficiarium quemcunque privari reditibus &c. nullo jure expressè demonstratur, ergò. Probatur Antecedens, Quia si aliquod Jus eos privaret maximè, *cap. Pastoralis. cit.* sed hoc non privat, ergò. Probatur minor: Quia in illo Capite aliud non habetur, quàm *subtrahimus*, sed ly *subtrahimus* non significat privationem ipso jure factam, sed à Judice faciendam, ergò. Probatur antecedens, Quia reus non tenetur subire pœnam, antequam à Judice ad eam condemnetur, si per legem ipso facto non incurratur, ergò. Itaque Beneficiarius probabiliter non tenetur abdicare à se fructus, sed potest eos legitimè possidere & recipere, dummodò subeat onera beneficii, secus si ea non præstaret, quocunque modo id faceret. XII. Excommunicatus nō privatur fructibus beneficii.

XIII. Per Beneficium intelliguntur etiam pensiones, & distributiones. Pro clariori Intelligentia duarum præcedentium Conclusionum, Nota per Beneficium hic intelligi non tantùm propriè dictum, sive habeat annexam curam animarum, sive non; sive sit de majoribus, sive non, sed

sed etiam de pensionibus & distributionibus quibuscunque, quia accipere pensionem quovis titulo est communicare in spiritualibus.

XIV. Per Collationem intelligitur omnis præsentatio.

Similiter per Collationem intelligitur quicunque modus, quô beneficium conferri solet, sive sit electio, sive præsentatio, sive nominatio excommunicati ad beneficium, ùt probant benè Suaretz & Covarruvias, teste Fabro, ita talis Collatio facta etiam à Pontifice fit nulla, nisi dispenset ad hunc effectum consequendum, quare si alicui tali conferatur beneficium tempore Excommunicationis, ista Collatio non revalidatur obtenta absolutione, sed debet de novo eam petere, valida tamen erit, si ante Excommunicationem ei conferatur, & tempore excommunicationis acceptet. Peccant tamen mortaliter tàm conferens, quàm recipiens tempore excommunicationis.

XV. Excommunicatus vitandus privatur omni jurisdictione.

Dico Sextò: *Excommunicatus vitandus privatur jurisdictione non modò interna, sed ad forum internum pertinente, verùm etiam omni jurisdictione propriè dictâ, pertinente ad forum externum, ita ut omnes ejus actiones sint invalidæ, si verò toleratus sit, validæ sunt, sed peccat exercendo, mortaliter.* Ita habetur *cap. Ad probandum de re judicata, cap. 1. de supplendis defect. Prælat. in 6. & cap. Audivimus. 24. q. 1. & cap. 1. de Officio Vicarii & pluribus aliis.* Ratio etiam est, Quia Excommunicatus est privatus omni Ecclesiasticâ Communione & spirituali, ergò est privatus non modò jurisdictione internâ, verùm etiam externâ. Hinc Excommunicatus vitandus nihil potest validè præcipere, nec leges ferre, aut in latis dispensare, sententiam ferre, licentiam præbere ad aliquod Ecclesiasticum munus exercendum, beneficium conferre, vel præsentare, aut eligere aliquem ad dignitatem Ecclesiasticam, & his similia. Quòd si quæras, an Excommunicato Episcopo vitando Vicarius Generalis possit exercere actus Jurisdictionis, quam accepit ante Excommunicationem. Respond. negativè, ita habetur *cap. Romana. de Officio Vicarii. in 6.* & Ratio est, Quia Judicium Vicarii & Episcopi unum est, quare si unius Jurisdictio suspenditur, tollitur etiam alterius, si eam tantummodò ab altero habeat, & non ab aliquo Superiore.

XVI. Excom. vitandus potest assistere Matrimonio, instrumenta & litteras conficere.

Dixi, privari Excommunicatum Jurisdictione propriè dicta, hinc Parochus potest assistere vel facultatem concedere assistendi Matrimonio, etiamsi unus & alter sit Excommunicatus, quia assistere Matrimonio non est actus Jurisdictionis propriæ. Item instrumenta & litteræ factæ à Tabellione vitando validæ sunt, quia non sunt actiones propriè dictæ Jurisdictionis, nec irritantur Jure. Item Excommunicatus vitandus potest validè facere testamentum, Codicillum &c. quia relinquere sua aliis non est actus jurisdictionis, nec hujusmodi Confectio testamenti irritatur à jure excepto testamento facto ab Excommunicato propter percussionem Cardinalium. Et hæc sufficiant, quantum ad Communionem in Spiritualibus per ly *Orare*, in versu suprà posito expresso, nunc moveo manum ad reliquas particulas, quæ sunt Communionis humanæ & civilis, explicandas. Itaque

XVII. Os significat collocutiones, &c.

Per *Os*: Intelliguntur Primò Oscula, amplexus, & alia signa amicitiæ: Secundò Collocutiones, Confabulationes, sive oretenus factæ sint, sive Correspondentiæ per litteras & internuntios. Tertiò, Munerum acceptationes, quæ omnia & singula sive palàm, sivè secretè fiant excommunicatis prohibentur in juribus, & *cap. Nuper*.

XVIII. Vale significat reciprocas Salutationes.

Per Particulam *Vale*, intelligitur omnis honorifica salutatio vel resalutatio, sive verbis fiat, sive nutibus, & litteris aliisque signis, ùt sunt Depositio pilei, assurrectio, Loci cessio, sedilium præparatio, &c. quæ fundantur in illo Joan. 1. *Nec ave ei dixeritis*: ita sentiunt Navarrus, Hugolinus, Reginaldus &c. contra alios putantes (& est probabile maximè si excommunicatus sit Superior

perior aliquis, qui aliquando ratione imaginationis facti sibi contemptûs posset nocere) esse licitum exhibere Urbanitatis signa, ut sunt pilei depositio, sedis cessio, &c. Ratio tamen prioris sententiæ est, quia excommunicato prohibitus est fieri quicunque honor, maximus autem fieri potest per nutus & signa, ergò. Et si dicas hæc fieri posse ad extra sinè intentione interna præstandi aliquem honorem, quia Ecclesia non judicat de interiore intentione, sed prohibet omnem externum fieri excommunicato.

XIX. Communio etiam idem est, quod omnis humana Societas, & actio forensis.

Per quartam Particulam, *Communio*, quæ generaliter sumpta significat totum effectum Excommunicationis, hic propriè significatur omne genus humanæ Conversationis & Communicationis, quæ proprio nomine in jure non exprimuntur, vel uno exprimi nequeunt, ùt sunt cohabitatio in eodem loco, condormitio in eodem lecto, quando fiunt per modum alicujus unius Societatis, ut unus alterius opera uti possit, secus si simul sint sine dependentia ad se invicem. Item, Negotiationes, venditiones, emptiones, donationes & alii Contractus, qui tamen si facti fuerint, tenent, ita ut fidelis contra excommunicatum agere possit, non tamen è contra, imò ulterius.

XX. Excommunicatus vitandus privatur omnibus actionibus forensibus.

Dico Septimò: *Excommunicatus vitandus privatur Communione in omnibus actionibus forensibus.* Ita Doctores communiter. Probatur Primò *ex cap. Pia. de Except. in* 6. in quo dicitur, *quòd majoris excommunicationis exceptio in quacunque parte judicii opposita, lites differat & agentes repellat*, ubi particula *in quacunque parte judicii*, significat omnes personas pertinentes ad judicium, quod etiam elicitur *ex cap. Ad probandum. de sent. & re jud.* Item *cap. Decernimus. de sent. excom. in* 6. repellitur Actor, testis & patronus excommunicatus à judicio, ergò etiam Judex vel Tabellio, quia sunt majoris momenti.

Probatur Secundò: Quia per Excommunicationem privatur quis Communicatione cum fidelibus, sed maximâ est Communicatio in Actionibus Forensibus, utpote cùm sit valdè publica & de rebus magni momenti.

XXI. Excommunicatus vitandus non potest esse Judex, Advocatus.

Ex quo infero: Excommunicatum vitandum non posse validè agere Judicem, Tabellionem, nec licitè Advocatum, Procuratorem, Actorem, Testem, exceptâ causâ fidei, *ex cap. In fidei favorem. de hæreticis. in* 6. Potest tamen agere reum in quocunque judicio, & tanquam reus compelli ad respondendum in quacunque causâ, *ex cap. Intelligimus, de Judiciis*, alioquin excommunicatus reportaret commodum ex sua Excommunicatione, quale tamen nullo modo vult eis concedere Ecclesia, imò in causa suæ excommunicationis non modò reum agere potest, verùm etiam actorem.

Dixi autem: Excommunicatum vitandum non posse licitè agere Advocatum, Procuratorem, quia si à Judice non repellatur (ut fieri debet) acta ejus sunt valida, ùt colligitur *ex cap. 1. de except. in* 6.

XXII. Mensa est in cibo & potu societas.

Particula *Mensa* significat Communicationem in Cibo & Potu, quæ fit in eadem mensa formaliter, ùt contingit, dum quis alterum invitat ad prandium, & postmodum simul manducant, vel tanquam Convivæ, vel quando simul agunt socialem vitam, licèt cuilibet particulares proponerentur Cibi, ùt evenit apud Religiosos, qui omnes eadem participant mensâ & benedictione formaliter, quare si quis scit in eodem Convivio & eadem Societate esse excommunicatum, abire debet, ne cum ipso communicet, non tamen si in eodem diversorio conveniret fidelis & excommunicatus, & in eadem mensa simul manducarent, quia si singulis sua proponantur Esculenta, non est eadem mensa, nisi materialiter.

XXIII. Communicando in Os, Vale, &

Solent ab aliis adhuc plures effectus enumerari, verùm hi potiores

Mensa, non peccat quis mortaliter.

res sunt, magisque in usu, & si quid adhuc sunt, facilè ad hos reduci possunt; Hoc satis sit scire, quòd quis non peccet in his quatuor ultimis Casibus mortaliter (præterquam Judex excommunicatus exercendo judicium, quia hic privatus est omni Jurisdictione) si communicet cum excommunicato vitando, dummodò absit contemptus Ecclesiæ, nec de novo prohibeatur à Superiore per particulare Præceptum, denique dummodò non fiat habitualiter & perseveranter, quia tunc censetur quis contemnere, estque materia gravis.

XXIV. Nec venialiter peccat communicando cum excommunicatis in quinque Casibus.

Veruntamen sciendum, quòd aliqui Casus dentur, in quo nec venialiter peccent fideles, nec minorem Excommunicationem incurrant, quando cum excommunicatis in prædictis quatuor Casibus participant, nam Gregorius VII. *in cap. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. rigorem excomunicationis temperavit ex particulari pietate, ne quis excommunicationem incurreret, in sequentibus Casibus, quos Glossa *in cap. Cum desideres. de sent. excom.* hoc versu exprimit:

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Quas particulas breviter explicabo pro fine hujus Quæstionis & Disputationis. Itaque

XXV. Utile excusat à peccato, & admittit Cōmunicationem.

Utile significat fieri posse participationem cum excommunicato vitando, quando adest vera utilitas & non ficta, tàm fidelis, quàm excommunicati, sive spiritualis sit utilitas, sive temporalis, quare æger potest consulere Medicum excommunicatum, & sic adhibere Medicum fidelem, si sit infirmus, item possum petere ab eo eleemosynam, & ipsi quoque dare, similiter potest petere debita privatim, quia in Judicio non admittitur, *ex cap. Quia. de Except.* & ea solvere, potest consulere doctiores se, & consuli, si doctior sit aliis; Potest quoque interesse Concionibus & Conversationibus talibus, quæ ad ipsius emendationem tendunt.

XXVI. Lex Matrimonii admittit Cōmunicationem cum Excommunicato.

Particula *Lex* posset significare esse licitum communicare, quando Lex concedit, verùm hîc significat Legem Matrimonii, quâ Mulier alligata est Viro, & Vir Mulieri, Uxor enim est sub Lege Viri, *ex cap.* 1. *&* 2. *de secundis nuptiis.* Quare potest Uxor habitare cum Viro excommunicato, eique reddere debitum, & petere ab eo, sive Matrimonium contraxerit ante Excommunicationem, ùt omnes concedunt, sive Matrimonium contraxerit tempore excommunicationis, ùt. sentit Alterius, Ugolinus, Bonacinna, quia Matrimonium illud validum est, ex valido autem Matrimonio consurgit via petendi & reddendi; Tum, Quia *cap. Quoniam multos*, non distinguit illa Matrimonia, ubi autem Lex non distinguit, nec nos debemus. Denique non reportat hîc Uxor Commodum ex delicto, sed ex jure positivo & naturæ; potest etiam Uxor communicare cum Viro quoad alias actiones, obsequia, & communem usualem Conversationem & Communionem, exceptis Divinis, & Causis, propter quas excommunicatus est, quia communicaret in Crimine, etsi divortium antecedenter factum fuisset.

XXVII. Humile, id est, subjecti possunt communicare cum excommunicatis.

Humile, significat omnes eos participare posse cum excommunicato, qui aliqua ratione ipsi sunt subjecti, ratione cujus teneantur ei servire, obedire, reverentiam exhibere, quales sunt filii adoptivi, & naturales, legitimi & illegitimi, masculi vel fœminæ, emancipati & non emancipati, respectu Patris, Religiosi cum Prælatis, Milites cum Duce, Pupilli cum Tutoribus, servi, sclavi & mancipia cum Dominis, Capellani cum Episcopis, *ex cap. Miratus. Dist.* 93. Quod non modò verum est de Communione Civili, sed etiam spirituali, & in Divinis, in quantum respiciunt subjectionem, ùt sentit Navarrus, Cajetanus, Henriquetz, &c. Hîc tamen excipiunntur Vasalli, qui non possunt ullatenus communicare cum suis Principibus, *ex cap. Nos Sanctorum.* 15. *q.* 6. *& cap. ult.*

ult. de Pœnis. ubi eximuntur subditi à jurisdictione & onere subjectionis, sunt enim tunc suspensi in jurisdictione, tenentur tamen subditi solvere Principibus tributum, quia hoc est quoddam debitum, quo non privantur.

XXVIII. Ignorantes qui possunt communicare cum Excommunicatis. *Res ignorata:* Significat eos excusari à peccato, & à minori excommunicatione incurrenda, qui communicant cum Excommunicato ex ignorantia probabili saltem, eum esse excommunicatum, aut etiam ex ignorantia Juris, imò etiam probabiliter, quando dubitamus, an sit excommunicatus, vel si scimus esse excommunicatum, dubitamus tamen, an sit denunciatus, imò etiam possumus communicare, quando habemus probabilem certitudinem, quòd excommunicatus sit absolutus, ut si jam multum temporis effluxisset à sua excommunicatione, si tempore Jubilæi fuerit confessus, si ipse asserat, se esse absolutum, quia sicut teneor ipsum vitare, si dicat, se esse denuntiatum, ita etiam possum communicare, si dicat, se absolutum esse. Denique

Particula *Necesse*, secundùm communem, significat necessitatem orientem ex timore cadente in constantem virum, vel ex vi; intelligitur etiam necessitas simpliciter, & absolutè, ùt est petere Eleemosynam, in extrema vel gravi necessitate, cùm commodè ab aliis haberi non potest, quia hæc necessitas excusat à peccato communicantem in Divinis, ergò multò magis in Civilibus. XXIX. Necessitas admittit communicationem cum Excommunicatis.

DISPUTATIO TERTIA.

DE Excommunicationibus in Particulari.

PROOEMIUM.

Candidè fateor, & ingenuè agnosco, quòd Opus hoc, hicque Labor, provincia sit humeris meis superior, quæ si tractaretur, ut fieri deberet, At'antis vires exigeret. Quis enim enumeret omnes Excommunicationes? Quis sibi sufficeret omnes referre, quæ ab homine fieri & ferri solent? Nemo sanè; imò nec de Jure communi definitus est numerus & determinatus, cùm indies multiplicentur, ut proindè jam olim Doctor Subtilis desuper conquestus sit 4. d. 25. q. 1. §. *Quarta pœna.* his verbis: A jure quandoque possibile erat dicere numerum, imò parvus erat numerus, quando fuerunt decretales compilatæ sub Gregorio IX. sed hodiè quis numerare sufficiat, & cùm crescant in infinitum crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere. Et sanè licèt tantus adhuc esset numerus, vix sufficeret, ut quotidiè crescentia cohibeat vitia, cùm liberiori ausu plurima per fas & nefas, & vix gladio spi-

rituali compesci possint. Undè non adlaborabo omnes omninò Excommunicationes unquam editas, sed quæ in Jure communi, & Bullario, deprehenduntur, enumerare & adferre, idque quàm breviter, ut tantummodò sciantur, & ubi inveniri debeant, si tamen necesse foret explicationis gratiâ, aliqua adnectere, id non omittam, sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

De Excommunicationibus in Bulla Cœnæ contentis.

I. Excommunicationes Bullæ Cœnæ sunt viginti.

INter omnes Excommunicationes in particulari principem Locum tenent eæ, quæ continentur in Bulla Cœnæ, suntque numero 20. si eam excipias, quæ in illos fertur, qui præsumunt sibi aliquem ab illis absolvere. Verùm ne Quæstio in prolixam excrescat, dividam Casus hujus Bullæ in tres Quæstiones: Prima continebit decem, Reliquæ quinque & quinque.

II. Bulla Cœnæ explicatur.

Notandum: Bullam Cœnæ aliud non esse, quàm Litteras Apostolicas, in quibus Authoritate Pontificiâ certa Crimina sub gravibus prohibentur Censuris; Et *Bulla*, quidem dicuntur hæ litteræ, Tum, Quia fusiores sunt, quàm Brevia, quæ compendioso stylo finiuntur: Tum, Quia habent appensum plumbeum sigillum in filo serico, in quo expressa sunt Capita SS. Petri & Pauli Apostolorum, quod Brevia iterum non habent, sed signantur tantùm Cerâ & Annulo Piscatoris, id est, Sigillo, quod à S. Petro, qui Piscator fuerat, creditur adhibitum. *Cœnæ Bulla* autem ideò dicitur, quòd in Cœna Domini soleat solemniter à Cardinali Diacono legi in præsentia Summi Pontificis, & magnâ populi multitudine. Et hujus Bullæ usus est antiquissimus, ita quòd Sayrus putet, ejus usum fuisse ante Gregorium VII. Itaque

III. Hæretici & eis faventes

Excommunicatio Bullæ Cœnæ prima est contra quoscunque Hæreticos à fide, eorum credentes recipientes, faventes, & defendentes, Contra eorum libros scienter legentes, retinentes, imprimentes, & quomodolibet defendentes. Denique contra Schismaticos & subtrahentes se ab obedientia Summi Pontificis. excommunicantur.

Nota Primo: Hæresim esse voluntarium errorem in intellectu cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem, consequenter ut aliquis dicatur hæreticus requiri duo, primò ut in intellectu erret, & in voluntate pertinaciter contradicat veritati. Ut autem incurrat hanc Excommunicationem, non sufficit, ut in mente hæresim teneat, sed requiritur exterius sufficienter manifestet, etiamsi non sit nominatim denuntiatus, quia hoc ipsi tantùm suffragatur, quòd ante denuntiationem non sit vitandus. IV. Ad hæresim requiruntur duo.

Nota Secundò: Schisma esse voluntariam subtractionem & separationem pertinacem ab obedientia Universalis Ecclesiæ & Summi Pontificis, nolendo eum cognoscere tanquam Supremum Ecclesiæ Episcopum, & habentem authoritatem super alios. V. Schisma definitur.

Excommunicatio Secunda est principaliter contra appellantes ab Ordinationibus, Constitutionibus & Mandatis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium, ita quòd personæ particulares sint excommunicatæ, Universitates verò & Capitula interdicta. Accessoriè contra auxiliantes ad appellandum & faventes. Posteriores tamen non ligantur Excommunicatione istâ, si non sequatur effectus, appellatio nempè exercita. VI. Appellantes à Pontifice ad Concilium sunt excommunicati.

Tertia

VII. Piratæ & Latrunculi, discurrentes per mare Pontificis sunt excommunicati.

Tertia principaliter est contra Piratas, Cursarios, & Latrunculos maritimos discurrentes mare Summi Pontificis, præcipuè à monte argentario ad Terracinam. Accessoriè contra eorum Fautores, Receptores & Defensores.

VIII. Piratæ & Latrunculi describuntur.

Nota: Piratas dici Majores Latrones, qui biremibus, vel triremibus, per mare discurrunt, Latrunculos verò & Cursarios, qui in minoribus navigiis (quamvis alii habeant eos pro Synonimis) discurrentes deprædantur. Nota Secundò: ut aliqui hanc Censuram incurrant, debent ex condicto & ea præcisa intentione vagari per mare, quia si per modum negotiatorum discurrerent & negotiationis causâ, aut in justo bello, & deprædarentur, hanc Censuram non incurrerent. Item non ligantur Cursarii in fluminibus, quia bulla loquitur de Maritimis, nec ligantur quicunque Maritimi, sed in Mari Pontificio vagantes. Nota Tertiò, non requiri ut actu prædetur aut deprædatus sit, sed sufficit ad incurrendam hanc Censuram, ut in mari discurrat animo prædandi.

IX. Surripientes bona Christianorũ naufragãtium sunt excõmunicati.

Quarta: Contra surripientes bona Christianorum naufragantium in quocunque mari, etiamsi hæc bona existant in ipsis navibus, aut ob periculum naufragii sint ejecta, aut in littore inventa sint, contra quam nulla Consuetudo, nullumque Privilegium excusat.

Nota Primò: Bona hæreticorum non dici bona Christianorum, Tum, Quia hæretici in favorabilibus non veniunt nomine Christianorum, *cap. Sicuti de Hæret.* Tum, Quia non est præsumendum, quòd Ecclesia, quam totis oppugnant viribus, velit ipsos spiritualibus armis protegere, ita Sayrus, Alterius, Ugolinus &c. apud Bonacinnam. Nota Secundò: Bona inventa in flumine aut in littore fluminis, non comprehendi hîc, quia Pontifex loquitur tantùm de naufragantibus in mari, consequenter etiam surripientes bona vi ventorum ad Civitatem delata non comprehenduntur, benè tamen in portu. Nota Tertiò: Capientem bona in Littore inventa bonâ fide putans esse derelicta, aut nesciens esse naufragantium, aut animo restituendi & conservandi, si Dominum proprium rescierit, & universaliter capientes sine peccato mortali undecunque ab eo excusentur, non ligari hâc Censurâ. Nota Quartò: Sub hâc Excomunicatione non comprehenduntur faventes, consulentes, svadentes &c. etiamsi sequatur effectus, quia versamur in materia pœnali, adeóque ad eos extendi non debet, cùm Pontifex horum non faciat mentionem, sed tantùm surripientium.

X. Imponẽtes nova pedagia excommunicantur.

Quinta: est contra Imponentes nova pedagia, seu gabellas in terris suis, nisi habeant supremam potestatem in terris suis, quibus Jus commune id permittit; Item eadem augentes, exigentes prohibita imponi, vel augeri.

XI. Pedagium & Quidagium explicantur.

Nota, Pedagium à pede est etymon, aliud non esse, quàm tributum quoddam, quod pro transitu personæ per aliqua loca solvitur ad viarum Restaurationem vel Conservationem. Sicuti Quidagium est tributum solutum pro custodia & securitate viarum, ne transeuntes infestentur. Gabella idem est quod tributum, & Portorium est tributum solutum in portu. Nota Secundò: Ab hac Censura excipi Summum Pontificem, Imperatorem, Reges, Principes & Respublicas supremam in terris suis potestatem habentes. Imò Suaretz, Navarrus, Sayrus & alii dicunt, Imperatorem & Reges non incurrere hanc Censuram, licèt imponant Clericis & exemptis Religiosis, si justam habeant causam, quamvis putent, quòd incurrant Censuram expressam, Can. 18. vel contentam in Cap. *Quanquam, de Consulibus.* Communior tamen sententia est in Oppositum. Nota Tertiò: Nec in hoc Canone comprehendi Consulentes, Svadentes, Jubentes, nec comprehendi Gabellas mutantes, antiqvas renovantes, quia tantùm prohibetur novarum

varum impositio, & antiquarum auctio.

XII. Falsificantes vel signãtes falsò litteras Põtificis, & ejus Officialium excõmunicantur.

Sexta est contra Falsificãtes, falsò fabricantes, falsò signantes litteras in supplicationes Summi Pontificis, Vice-Cancellarii, vices ipsorum gerentium. Quod fieri potest, vel mutando sensum in supplicationibus dictis, datis & porrectis, subtrahendo, addendo, falsum sigillum veris litteris apponendo, vel verum falsis litteris, id est, Bullis vel Brevibus quodcunque in iis contineatur.

XIII. Non item Falsificantes litteras Cardinalium vel Nũtiorum.

Nota tamen, non comprehendi hic falsificantes litteras Congregationis Sacræ Cardinalium, Episcoporum, Nuntiorum, Legatorum, & Pœnitentiariorum, quia hi non expediunt litteras tanquam Vice-Cancellarii, vel vices gerentes. Nota Secundò: Nec hic comprehendi Consulentes &c. imò nec utentes, dilacerantes, retinentes; quamvis utentes aliam excommunicationem incurrant, *ex cap. Ad falsariorum. de crimine falsi.*

XIV. Deferentes arma ad Saracenos excommunicantur.

Septima est contra deferentes, & transmittentes ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, etiam ad Hæreticos expressè & nominatim declaratos à Sede Apostolica, Equos, Arma, Ferrum, Filum ferri, Stannum, Chalybem, omnia genera Metallorum, Lignamina, Canabem, Funes ex canabe aut alia materia funium, & hujusmodi, quibus Ecclesia Catholica vel Catholici impugnantur. Item contra facientes certiores prædictos hostes Christi, de rebus concernentibus Statum Reipublicæ Christianæ in damnum Christianorum aut Catholicæ Religionis, sive id faciant per se, sive per alios. Denique contra dantes auxilium, consilium, favorem, prædictis hostibus in damnum Christianorum, ita quòd nulla privilegia cuiquam hic suffragari possunt, quia omnia revocantur.

XV. Nomine equorum comprehẽduntur etiam aliæ bestiæ.

Nota Primò: Nomine Equorum comprehendi etiam Camelos, Asinos, Mulos, Boves, &c. quia his æquè Christiani impugnari possunt, ac equis. An autem prohibeantur hic etiam victualia deferri, lis est inter Authores, ego puto comprehendi, si tempore belli illis deferantur, quia sic deferens præstat eis auxilium.

Nota Secundò: Sub nomine Armorum intelligi tàm offensiva, quàm defensiva, non tamen instrumenta fabrorum, Agricolarum, Lignariorum, & aliorum Mechanicorum, nec cultri aut calami, &c.

XVI. Per Deferentes arma intelliguntur etiam ipsi Principes bella foventes.

Nota Tertiò: In hoc Canone comprehendi non modò omnes Deferentes, ùt muliones, nautæ, verùm etiam mandantes Consulentes aliquid in Damnum Christianorum; Insuper Principes concedentes passum per suas terras ad invadendum alium Principem, maximè si positivè hoc eis concedat, imò ligantur hâc Censurâ Principes, qui invadunt armis alium Principem Christianum, ut desistat ab Obsidione, vel bello, quod habet contra Christiani nominis hostes.

XVII. Impedientes victualia Romam excommunicantur.

Octava: Est principaliter contra Impedientes eos, qui victualia & alia ad usum Curiæ Romanæ deferunt, aut qui sic deferentes vel adducentes ad usum prædictæ Curiæ invadunt, prohibent, perturbant. Accessoriè contra defendentes eos, per se vel per alios, qui prædicta faciunt.

XVIII. Curia Romana quæ dicatur.

Nota Primò: Nomine Curiæ Romanæ intelligi Summum Pontificis Tribunal, & audientiam, sive Pontifex sit præsens, sive non, fieri enim potest, ut Curia Romana sit Romæ, & Pontifex alibi, & è contra, cùm Curia non ex solo Pontifice constet, sed etiam ex Cardinalibus, Auditoribus, Judicibus & aliis Ministris & Officialibus Causarum, & Litterarum Apostolicarum, &c. Clement. *Ne Romani. §. Sanè, de Electione.* Hinc qui impediret, ne Romam adveherentur victualia, quando Curia ibi non existeret, non incurreret Censuram hujus Canonis, benè tamen excommunicationem Clementis VII. Pii V. Gregorii XIII. & aliorum Pontificum, prohibent, ne Barones & cujuscunque Statûs homines

nes prohibeant inter 50. milliaria ab Urbe habentes suas villas, deferri victualia Romam.

XIX. Victualia dicuntur, quæ ad esum & potum pertinent.

Nota Secundò : Nomine Victualium intelligi ea, quibus ad esum & potum utimur. *L. Verbo Victus. & L. Cœtero. de verb. signif.* Ut sunt Carnes, panis, triticum, legumina, vinum, Olera, gallinæ, altilia, ova, pisces, caseus, medicinæ &c. Alia verò ad usum Curiæ Romanæ dicuntur ea, quæ pertinent ad necessarium vel decentem Curialium Statum, ùt Panni, sericum, equi, muli, fœnum, ligna, candelæ, avena &c.

XX. Nolens vēdere, non dicitur impedire victualia.

Nota Tertiò : Eum, qui nollet res suas vendere, etiam ideò præcisè, nè ad Curiam Romanam deferantur, non incurrere hanc Censuram, Quia verba in Lege pœnali propriè accipienda sunt. *L. Quidquid adstringendæ. ff. de verb. oblig.* Nisi oppositum constet de mente disponentis. *L. Non aliter. ff. de Leg.* 3. qui verò non vult vendere, non dicitur impedire adducentes, nec turbare, nec invadere, & quod dixi hîc de rigidâ Legis pœnalis interpretatione, volo dictum etiam de quibuscunque aliis, unde verba horum & quorumcunq; aliorum Canonum semper benè notanda, & perpendenda sunt.

XXI. Impedientes ad Sedem Apostol. accedentes, excommunicantur.

Nona : Est Primò contra Interficientes, mutilantes, spoliantes, capientes, detinentes per se vel per alios, eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel in ea morantur, aut ab ea recedunt. Secundò contra eos, qui sibi usurpant Jurisdictionem ordinariam vel delegatam Summi Pontificis, vel Judicum ipsius ad præstandas præfatas actiones contra morantes in Curia.

XXII. Sedes Apostolica describitur.

Notandum Primò : Nomine *Sedis Apostolicæ* intelligi Pontificem ipsum, ùt Papa est, non ùt Princeps temporalis, vel ejus Summum Tribunal, & audientiam ex Ministris & Officialibus constantem, Quia Sedes Apostolica est formaliter illa, quam Christus instituit antequam Papa temporalia Dominia acquisivisset, verba autem Legis formaliter accipienda sunt, *L. in Debitis. §. Extraneus ff. ad Legem Aquiliam.* Ita Alterius, Reginaldus, Navarrus &c. Hinc qui venientem ad Curiam Pontificis, ùt temporalis Dominus est, spoliaret, interficeret &c. hanc Censuram non incurreret.

Notandum Secundò : Eum dici venire ad Sedem Apostolicam, qui venit causa negotiorum ibi tractandorum, non verò, qui veniunt propter videndam Urbem, aut propter Stationes & Indulgentias &c. Imò ille dicitur venire, qui iter propter negotia agenda ibi inchoavit, etiamsi propter sinistram valetudinem vel aliam ob causam iter interrumpit, nam legitimè impedito non currit tempus. XXIII. Venire ad Sedem Apost. qui dicuntur.

Notandum Tertiò : Spoliare hîc significare idem ac invitum bonis fortunæ vel quasi fortunæ exuere. *L. Bona fides. V. Latro spolia, quæ mihi abstulit. ff. deposit. & L. 1. ff. de Donat. inter Virum & Uxorem.* Dixi vel quasi fortunæ, ut non modò comprehenderem vestes, pecuniam & agros &c. Sed etiam Uxorem, Liberos, &c. Si negotiorum causâ ad Sedem Apostolicam virum comitentur, si enim Devotionis causâ accedant, & eos, quis vulneret, occidat, mutilet, non incurrit censuram hujus Canonis, sed sequentis, qui est XXIV. Spoliare est bonis fortunæ, vel quasi, exuere.

Decima : Contra eos principaliter, qui Romipetas & peregrinos ad Urbem causâ Devotionis seu Peregrinationis accedentes, ibi commorantes & indè recedentes, interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, & deprædantur. Accessoriè contra eos, qui dant auxilium, Consilium vel favorem præfatis delinquentibus. XXV. Romipetas lædentes excommunicantur.

Nota Primò : Romipetam, hîc dici non eum, qui vagatur, ùt extraneus & alienigena, hospes & forensis, de quibus habetur *L. Cives. C. de incol. lib.* 10. Sed pro eo, qui causâ devotionis & pietatis Romam accedit, id est, animo colendi DEUM in se ipso, vel in suis Sanctis, hinc, qui præfatas actiones faceret contra Civem Romanum non incurreret XXVI. Romipeta est, qui devotionis causa Romā pergit.

sed etiam de pensionibus & distributionibus quibuscunque, quia accipere pensionem quovis titulo est communicare in spiritualibus. Similiter per Collationem intelligitur quicunque modus, quô beneficium conferri solet, sive sit electio, sive præsentatio, sive nominatio excommunicati ad beneficium, ùt probant benè Suaretz & Covarruvias, teste Fabro, ita talis Collatio facta etiam à Pontifice fit nulla, nisi dispenset ad hunc effectum consequendum, quare si alicui tali conferatur beneficium tempore Excommunicationis, ista Collatio non revalidatur obtenta absolutione, sed debet de novo eam petere, valida tamen erit, si ante Excommunicationem ei conferatur, & tempore excommunicationis acceptet. Peccant tamen mortaliter tàm conferens, quàm recipiens tempore excommunicationis.

XIV. Per Collationem intelligitur omnis præsentatio.

XV. Excommunicatus vitandus privatur omni jurisdictione.

Dico Sextò: *Excommunicatus vitandus privatur jurisdictione non modò interna, sed ad forum internum pertinente, verùm etiam omni jurisdictione propriè dictâ, pertinente ad forum externum, ita ut omnes ejus actiones sint invalidæ, si verò toleratus sit, validæ sunt, sed peccat exercendo, mortaliter.* Ita habetur *cap. Ad probandum de re judicata, cap. 1. de supplendis defect. Prælat. in 6. & cap. Audivimus. 24. q. 1. & cap. 1. de Officio Vicarii & pluribus aliis.* Ratio etiam est, Quia Excommunicatus est privatus omni Ecclesiasticâ Communione & spirituali, ergò est privatus non modò jurisdictione internâ, verùm etiam externâ. Hinc Excommunicatus vitandus nihil potest validè præcipere, nec leges ferre, aut in latis dispensare, sententiam ferre, licentiam præbere ad aliquod Ecclesiasticum munus exercendum, beneficium conferre, vel præsentare, aut eligere aliquem ad dignitatem Ecclesiasticam, & his similia. Quòd si quæras, an Excommunicato Episcopo vitando Vicarius Generalis possit exercere actus Jurisdictionis, quam accepit ante Excommunicationem. Respond. negativè, ita habetur *cap. Romana. de Officio Vicarii. in 6.* & Ratio est, Quia Judicium Vicarii & Episcopi unum est, quare si unius Jurisdictio suspenditur, tollitur etiam alterius, si eam tantummodò ab altero habeat, & non ab aliquo Superiore.

XVI. Excom. vitandus potest assistere Matrimonio, instrumenta & litteras conficere.

Dixi, privari Excommunicatum Jurisdictione propriè dictâ, hinc Parochus potest assistere vel facultatem concedere assistendi Matrimonio, etiamsi unus & alter sit Excommunicatus, quia assistere Matrimonio non est actus Jurisdictionis propriæ. Item instrumenta & litteræ factæ à Tabellione vitando validæ sunt, quia non sunt actiones propriè dictæ Jurisdictionis, nec irritantur Jure. Item Excommunicatus vitandus potest validè facere testamentum, Codicillum &c. quia relinquere sua aliis non est actus jurisdictionis, nec hujusmodi Confectio testamenti irritatur à jure excepto testamento facto ab Excommunicato propter percussionem Cardinalium. Et hæc sufficiant, quantum ad Communionem in Spiritualibus per ly *Orare*, in versu suprà posito expresso, nunc moveo manum ad reliquas particulas, quæ sunt Communionis humanæ & civilis, explicandas. Itaque

XVII. Os significat collocutiones, &c.

Per *Os*: Intelliguntur Primò: Oscula, amplexus, & alia signa amicitiæ: Secundò Collocutiones, Confabulationes, sive oretenus factæ sint, sive Correspondentiæ per litteras & internuntios. Tertiò, Munerum acceptationes, quæ omnia & singula sive palàm, sivè secretè fiant excommunicatis prohibentur in juribus, & *cap. Nuper.*

XVIII. Vale significat reciprocas Salutationes.

Per Particulam *Vale*, intelligitur omnis honorifica salutatio vel resalutatio, sive verbis fiat, sive nutibus, & litteris aliisque signis, ùt sunt Depositio pilei, assurrectio, Loci cessio, sedilium præparatio, &c. quæ fundantur in illo Joan. 1. *Nec ave ei dixeritis:* ita sentiunt Navarrus, Hugolinus, Reginaldus &c. contra alios putantes (& est probabile maximè si excommunicatus sit Superior

perior aliquis, qui aliquando ratione imaginationis facti sibi contemptûs posset nocere) esse licitum exhibere Urbanitatis signa, ut sunt pilei depositio, sedis cessio, &c. Ratio tamen prioris sententiæ est, quia excommunicato prohibitus est fieri quicunque honor, maximus autem fieri potest per nutus & signa, ergò. Et si dicas hæc fieri posse ad extra sinè intentione internâ præstandi aliquem honorem, quia Ecclesia non judicat de interiore intentione, sed prohibet omnem externum fieri excommunicato.

XIX. Communio etiam idem est, quod omnis humana Societas, & actio forensis.

Per quartam Particulam, *Communio*, quæ generaliter sumpta significat totum effectum Excommunicationis, hic propriè significatur omne genus humanæ Conversationis & Communicationis, quæ proprio nomine in jure non exprimuntur, vel uno exprimi nequeunt, ùt sunt cohabitatio in eodem loco, condormitio in eodem lecto, quando fiunt per modum alicujus unius Societatis, ut unus alterius opera uti possit, secus si simul sint sine dependentia ad se invicem. Item, Negotiationes, venditiones, emptiones, donationes & alii Contractus, qui tamen si facti fuerint, tenent, ita ut fidelis contra excommunicatum agere possit, non tamen è contra, imò ulterius.

XX. Excomm. vitandus privatur omnibus actionibus forensibus.

Dico Septimò: *Excommunicatus vitandus privatur Communione in omnibus actionibus forensibus.* Ità Doctores communiter. Probatur Primò *ex cap. Pia. de Except. in* 6. in quo dicitur, *quòd majoris excommunicationis exceptio in quacunque parte judicii opposita, lites differat & agentes repellat*, ubi particula *in quacunque parte judicii*, significat omnes personas pertinentes ad judicium, quod etiam elicitur *ex cap. Ad probandum. de sent. & re jud.* Item *cap. Decernimus. de sent. excom. in* 6. repellitur Actor, testis & patronus excommunicatus à judicio, ergò etiam Judex vel Tabellio, quia sunt majoris momenti.

Probatur Secundò: Quia per Excommunicationem privatur quis Communicatione cum fidelibus, sed maximâ est Communicatio in Actionibus Forensibus, utpote cùm sit valdè publica & de rebus magni momenti.

XXI. Excommunicatus vitandus non potest esse Judex, Advocatus.

Ex quo infero: Excommunicatum vitandum non posse validè agere Judicem, Tabellionem, nec licitè Advocatum, Procuratorem, Actorem, Testem, exceptâ causâ fidei, *ex cap. In fidei favorem. de hæreticis. in* 6. Potest tamen agere reum in quocunque judicio, & tanquam reus compelli ad respondendum in quacunque causa, *ex cap. Intelligimus, de Judiciis*, alioquin excommunicatus reportaret commodum ex sua Excommunicatione, quale tamen nullo modo vult eis concedere Ecclesia, imò in causa suæ excommunicationis non modò reum agere potest, verùm etiam actorem.

Dixi autem: Excommunicatum vitandum non posse licitè agere Advocatum, Procuratorem, quia si à Judice non repellatur (ut fieri debet) acta ejus sunt valida, ùt colligitur *ex cap. 1. de except. in* 6.

XXII. Mensa est in cibo & potu societas.

Particula *Mensa* significat Communicationem in Cibo & Potu, quæ fit in eadem mensa formaliter, ùt contingit, dum quis alterum invitat ad prandium, & postmodum simul manducant, vel tanquam Convivæ, vel quando simul agunt socialem vitam, licèt cuilibet particulares proponerentur Cibi, ùt evenit apud Religiosos, qui omnes eadem participant mensâ & benedictione formaliter, quare si quis scit in eodem Convivio & eadem Societate esse excommunicatum, abire debet, ne cum ipso communicet, non tamen si in eodem diversorio conveniret fidelis & excommunicatus, & in eadem mensa simul manducarent, quia si singulis sua proponantur Esculenta, non est eadem mensa, nisi materialiter.

XXIII. Communicando in Os, Vale, &

Solent ab aliis adhuc plures effectus enumerari, verùm hi potiores

Mensa, non peccat quis mortaliter. res sunt, magisque in usu, & si quid adhuc sunt, facilè ad hos reduci possunt; Hoc satis sit scire, quòd quis non peccet in his quatuor ultimis Casibus mortaliter (præterquam Judex excommunicatus exercendo judicium, quia hic privatus est omni Jurisdictione) si communicet cum excommunicato vitando, dummodò absit contemptus Ecclesiæ, nec de novo prohibeatur à Superiore per particulare Præceptum, denique dummodò non fiat habitualiter & perseveranter, quia tunc censetur quis contemnere, estque materia gravis.

XXIV. Nec venialiter peccat communicando cum excommunicatis in quinque Casibus. Veruntamen sciendum, quòd aliqui Casus dentur, in quo nec venialiter peccent fideles, nec minorem Excommunicationem incurrant, quando cum excommunicatis in prædictis quatuor Casibus participant, nam Gregorius VII. *in cap. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. rigorem excommunicationis temperavit ex particulari pietate, ne quis excommunicationem incurreret, in sequentibus Casibus, quos Glossa *in cap. Cum desideres. de sent. excom.* hoc versu exprimit:

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Quas particulas breviter explicabo pro fine hujus Quæstionis & Disputationis. Itaque

XXV. Utile excusat à peccato, & admittit Communicationem. *Utile* significat fieri posse participationem cum excommunicato vitando, quando adest vera utilitas & non ficta, tàm fidelis, quàm excommunicati, sive spiritualis sit utilitas, sive temporalis, quare æger potest consulere Medicum excommunicatum, & sic adhibere Medicum fidelem, si sit infirmus, item possum petere ab eo eleemosynam, & ipsi quoque dare, similiter potest petere debita privatim, quia in Judicio non admittitur, *ex cap. Quia. de Except.* & ea solvere, potest consulere doctiores se, & consuli, si doctior sit aliis; Potest quoque interesse Concionibus & Conversationibus talibus, quæ ad ipsius emendationem tendunt.

Particula *Lex* posset significare esse licitum communicare, quando Lex concedit, verùm hìc significat Legem Matrimonii, quâ Mulier alligata est Viro, & Vir Mulieri, Uxor enim est sub Lege Viri, *ex cap.* 1. *&* 2. *de secundis nuptiis.* Quare potest Uxor habitare cum Viro excommunicato, eique reddere debitum, & petere ab eo, sive Matrimonium contraxerit ante Excommunicationem, ùt omnes concedunt, sive Matrimonium contraxerit tempore excommunicationis, ùt sentit Alterius, Ugolinus, Bonacinna, quia Matrimonium illud validum est, ex valido autem Matrimonio consurgit via petendi & reddendi; Tum, Quia *cap. Quoniam multos*, non distinguit illa Matrimonia, ubi autem Lex non distinguit, nec nos debemus. Denique non reportat hìc Uxor Commodum ex delicto, sed ex jure positivo & naturæ; potest etiam Uxor communicare cum Viro quoad alias actiones, obsequia, & communem usualem Conversationem & Communionem, exceptis Divinis, & Causis, propter quas excommunicatus est, quia communicaret in Crimine, etsi divortium antecedenter factum fuisset. XXVI. Lex Matrimonii admittit Cômunicationem cum Excommunicato.

Humile, significat omnes eos participare posse cum excommunicato, qui aliqua ratione ipsi sunt subjecti, ratione cujus teneantur ei servire, obedire, reverentiam exhibere, quales sunt filii adoptivi, & naturales, legitimi & illegitimi, masculi vel fœminæ, emancipati & non emancipati, respectu Patris, Religiosi cum Prælatis, Milites cum Duce, Pupilli cum Tutoribus, servi, sclavi & mancipia cum Dominis, Capellani cum Episcopis, *ex cap. Miratus. Dist.* 93. Quod non modò verum est de Communione Civili, sed etiam spirituali, & in Divinis, in quantum respiciunt subjectionem, ùt sentit Navarrus, Cajetanus, Henriquetz, &c. Hìc tamen excipiunntur Vasalli, qui non possunt ullatenus communicare cum suis Principibus, *ex cap. Nos Sanctorum.* 15. *q.* 6. *& cap. ult.* XXVII. Humile, id est, subjecti possunt cômunicare cum excômunicatis.

ult. de Poenis. ubi eximuntur subditi à jurisdictione & onere subjectionis, sunt enim tunc suspensi in jurisdictione, tenentur tamen subditi solvere Principibus tributum, quia hoc est quoddam debitum, quo non privantur.

XXVIII. Ignorantes qui possunt communicare cum Excommunicatis. *Res ignorata:* Significat eos excusari à peccato, & à minori excommunicatione incurrenda, qui communicant cum Excommunicato ex ignorantia probabili saltem, eum esse excommunicatum, aut etiam ex ignorantia Juris, imò etiam probabiliter, quando dubitamus, an sit excommunicatus, vel si scimus esse excommunicatum, dubitamus tamen, an sit denunciatus, imò etiam possumus communicare, quando habemus probabilem certitudinem, quòd excommunicatus sit absolutus, ut si jam multum temporis effluxisset à sua excommunicatione, si tempore Jubilaei fuerit confessus, si ipse asserat, se esse absolutum, quia sicut teneor ipsum vitare, si dicat, se esse denuntiatum, ita etiam possum communicare, si dicat, se absolutum esse. Denique

Particula *Necesse*, secundùm communem, significat necessitatem orientem ex timore cadente in constantem virum, vel ex vi; intelligitur etiam necessitas simpliciter, & absolutè, ut est petere Eleemosynam, in extrema vel gravi necessitate, cùm commodè ab aliis haberi non potest, quia haec necessitas excusat à peccato communicantem in Divinis, ergò multò magis in Civilibus. XXIX. Necessitas admittit communicationem cum Excommunicatis.

DISPUTATIO TERTIA.

DE Excommunicationibus in Particulari.

PROOEMIUM.

Candidè fateor, & ingenuè agnosco, quòd Opus hoc, hicque Labor, provincia sit humeris meis superior, quae si tractaretur, ut fieri deberet, At'antis vires exigeret. Quis enim enumeret omnes Excommunicationes? Quis sibi sufficeret omnes referre, quae ab homine fieri & ferri solent? Nemo sanè; imò nec de Jure communi definitus est numerus & determinatus, cùm indies multiplicentur, ut proindè jam olim Doctor Subtilis desuper conquestus sit 4. d 25. q. 1. §. *Quarta poena.* his verbis: A jure quandoque possibile erat dicere numerum, imò parvus erat numerus, quando fuerunt decretales compilatae sub Gregorio IX. sed hodiè quis numerare sufficiat, & cùm crescant in infinitum crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere. Et sanè licèt tantus adhuc esset numerus, vix sufficeret, ut quotidiè crescentia cohibeat vitia, cùm liberiori ausu plurima per fas & nefas, & vix gladio spi-

rituali compesci possint. Undè non adlaborabo omnes omninò Excommunicationes unquam editas, sed quæ in Jure communi, & Bullario, deprehenduntur, enumerare & adferre, idque quàm breviter, ut tantummodò sciantur, & ubi inveniri debeant, si tamen necesse foret explicationis gratiâ, aliqua adnectere, id non omittam, sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

De Excommunicationibus in Bulla Cœnæ contentis.

I. Excommunicationes Bullæ Cœnæ sunt viginti. INter omnes Excommunicationes in particulari principem Locum tenent eæ, quæ continentur in Bulla Cœnæ, suntque numero 20. si eam excipias, quæ in illos fertur, qui præsumunt sibi aliquem ab illis absolvere. Verùm ne Quæstio in prolixam excrescat, dividam Casus hujus Bullæ in tres Quæstiones: Prima continebit decem, Reliquæ quinque & quinque.

II. Bulla Cœnæ explicatur. Notandum: Bullam Cœnæ aliud non esse, quàm Litteras Apostolicas, in quibus Authoritate Pontificiâ certa Crimina sub gravibus prohibentur Censuris; Et *Bulla*, quidem dicuntur hæ litteræ, Tum, Quia fusiores sunt, quàm Brevia, quæ compendioso stylo finiuntur: Tum, Quia habent appensum plumbeum sigillum in filo serico, in quo expressa sunt Capita SS. Petri & Pauli Apostolorum, quod Brevia iterum non habent, sed signantur tantùm Cerâ & Annulo Piscatoris, id est, Sigillo, quod à S. Petro, qui Piscator fuerat, creditur adhibitum. *Cœnæ Bulla* autem ideò dicitur, quòd in Cœna Domini soleat solemniter à Cardinali Diacono legi in præsentia Summi Pontificis, & magnâ populi multitudine. Et hujus Bullæ usus est antiquissimus, ita quòd Sayrus putet, ejus usum fuisse ante Gregorium VII. Itaque

III. Hæretici & eis faventes. Excommunicatio Bullæ Cœnæ prima est contra quoscunque Hæreticos à fide, eorum credentes recipientes, faventes, & defendentes, excommunicantur. Contra eorum libros scienter legentes, retinentes, imprimentes, & quomodolibet defendentes. Denique contra Schismaticos & subtrahentes se ab obedientia Summi Pontificis.

Nota Primo: Hæresim esse voluntarium errorem in intellectu cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem, consequenter ut aliquis dicatur hæreticus requiri duo, primò ut in intellectu erret, & in voluntate pertinaciter contradicat veritati. Ut autem incurrat hanc Excommunicationem, non sufficit, ut in mente hæresim teneat, sed requiritur exterius sufficienter manifestet, etiamsi non sit nominatim denuntiatus, quia hoc ipsi tantùm suffragatur, quòd ante denuntiationem non sit vitandus. IV. Ad hæresim requiruntur duo.

Nota Secundò: Schisma esse voluntariam subtractionem & separationem pertinacem ab obedientia Universalis Ecclesiæ & Summi Pontificis, nolendo eum cognoscere tanquam Supremum Ecclesiæ Episcopum, & habentem authoritatem super alios. V. Schisma definitur.

Excommunicatio Secunda est principaliter contra appellantes ab Ordinationibus, Constitutionibus & Mandatis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium, ita quòd personæ particulares, sint excommunicatæ, Universitates verò & Capitula interdicta. Accessoriè contra auxiliantes ad appellandum & faventes. Posteriores tamen non ligantur Excommunicatione istâ, si non sequatur effectus, appellatio nempè exercita. VI. Appellantes à Pontifice ad Côcilium sunt excommunicati.

Tertia

VII. Piratæ & Latrunculi, discurrentes per mare Pontificis sunt excommunicati.

Tertia principaliter est contra Piratas, Cursarios, & Latrunculos maritimos discurrentes mare Summi Pontificis, præcipuè à monte argentario ad Terracinam. Accessoriè contra eorum Fautores, Receptores & Defensores.

VIII. Piratæ & Latrunculi describuntur.

Nota: Piratas dici Majores Latrones, qui biremibus, vel triremibus, per mare discurrunt, Latrunculos verò & Cursarios, qui in minoribus navigiis (quamvis alii habeant eos pro Synonimis) discurrentes deprædantur. Nota Secundò: ut aliqui hanc Censuram incurrant, debent ex condicto & ea præcisa intentione vagari per mare, quia si per modum negotiatorum discurrerent & negotiationis causâ, aut in justo bello, & deprædarentur, hanc Censuram non incurrerent. Item non ligantur Cursarii in fluminibus, quia bulla loquitur de Maritimis, nec ligantur quicunque Maritimi, sed in Mari Pontificio vagantes. Nota Tertiò, non requiri ut actu prædetur, aut deprædatus sit, sed sufficit ad incurrendam hanc Censuram, ut in mari discurrat animo prædandi.

IX. Surripientes bona Christianorũ naufragãtium sunt excõmunicati.

Quarta: Contra surripientes bona Christianorum naufragantium in quocunque mari, etiamsi hæc bona existant in ipsis navibus, aut ob periculum naufragii sint ejecta, aut in littore inventa sint, contra quam nulla Consuetudo, nullumque Privilegium excusat.

Nota Primò: Bona hæreticorum non dici bona Christianorum, Tum, Quia hæretici in favorabilibus non veniunt nomine Christianorum, *cap. Sicuti de Hæret.* Tum, Quia non est præsumendum, quòd Ecclesia, quam totis oppugnant viribus, velit ipsos spiritualibus armis protegere, ita Sayrus, Alterius, Ugolinus &c. apud Bonacinnam. Nota Secundò: Bona inventa in flumine aut in littore fluminis, non comprehendi hîc, quia Pontifex loquitur tantùm de naufragantibus in mari, consequenter etiam surripientes bona vi ventorum ad Civitatem delata non comprehenduntur, benè tamen in portu. Nota Tertiò: Capientem bona in Littore inventa bonâ fide putans esse derelicta, aut nesciens esse naufragantium, aut animo restituendi & conservandi, si Dominum proprium rescierit, & universaliter capientes sine peccato mortali undecunque ab eo excusentur, non ligari hâc Censurâ. Nota Quartò: Sub hâc Excomunicatione non comprehenduntur faventes, consulentes, svadentes &c. etiamsi sequatur effectus, quia versamur in materia pœnali, adeóque ad eos extendi non debet, cùm Pontifex horum non faciat mentionem, sed tantùm surripientium.

X. Imponẽtes nova pedagia excommunicantur.

Quinta: est contra Imponentes nova pedagia, seu gabellas in terris suis, nisi habeant supremam potestatem in terris suis, quibus Jus commune id permittit; Item eadem augentes, exigentes prohibita imponi, vel augeri.

XI. Pedagium & Quidagium explicantur.

Nota, Pedagium à pede est etymon, aliud non esse, quàm tributum quoddam, quod pro transitu personæ per aliqua loca solvitur ad viarum Restaurationem vel Conservationem. Sicuti Quidagium est tributum solutum pro custodia & securitate viarum, ne transeuntes infestentur. Gabella idem est quod tributum, & Portorium est tributum solutum in portu. Nota Secundò: Ab hac Censura excipi Summum Pontificem, Imperatorem, Reges, Principes & Respublicas supremam in terris suis potestatem habentes. Imò Suaretz, Navarrus, Sayrus & alii dicunt, Imperatorem & Reges non incurrere hanc Censuram, licèt imponant Clericis & exemptis Religiosis, si justam habeant causam, quamvis putent, quòd incurrant Censuram expressam, Can. 18. vel contentam in Cap. *Quanquam, de Consulibus.* Communior tamen sententia est in Oppositum. Nota Tertiò: Nec in hoc Canone comprehendi Consulentes, Svadentes, Jubentes, nec comprehendi Gabellas mutantes, antiqvas renovantes, quia tantùm prohibetur no-

varum impositio, & antiquarum auctio.

XII. Falsificantes vel signãtes falsò litteras Põtificis, & ejus Officialium excõmunicantur.

Sexta est contra Falsificâtes, falsò fabricantes, falsò signantes litteras in supplicationes Summi Pontificis, Vice-Cancellarii, vices ipsorum gerentium. Quod fieri potest, vel mutando sensum in supplicationibus dictis, datis & porrectis, subtrahendo, addendo, falsum sigillum veris litteris apponendo, vel verum falsis litteris, id est, Bullis vel Brevibus quodcunque in iis contineatur.

XIII. Non item Falsificantes litteras Cardinalium vel Nũtiorum.

Nota tamen, non comprehendi hîc falsificantes litteras Congregationis Sacræ Cardinalium, Episcoporum, Nuntiorum, Legatorum, & Pœnitentiariorum, quia hi non expediunt litteras tanquam Vice-Cancellarii, vel vices gerentes. Nota Secundò: Nec hîc comprehendi Consulentes &c. imò nec utentes, dilacerantes, retinentes; quamvis utentes aliam excommunicationem incurrant, *ex cap. Ad falsariorum. de crimine falsi.*

XIV. Deferentes arma ad Saracenos excommunicantur.

Septima est contra deferentes, & transmittentes ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, etiam ad Hæreticos expressè & nominatim declaratos à Sede Apostolica, Equos, Arma, Ferrum, Filum ferri, Stannum, Chalybem, omnia genera Metallorum, Lignamina, Canabem, Funes ex canabe aut alia materia funium, & hujusmodi, quibus Ecclesia Catholica vel Catholici impugnantur. Item contra facientes certiores prædictos hostes Christi, de rebus concernentibus Statum Reipublicæ Christianæ in damnum Christianorum aut Catholicæ Religionis, sive id faciant per se, sive per alios. Denique contra dantes auxilium, consilium, favorem, prædictis hostibus in damnum Christianorum, ita quòd nulla privilegia cuiquam hîc suffragari possunt, quia omnia revocantur.

XV. Nomine equorum comprehẽduntur etiam aliæ bestiæ.

Nota Primò: Nomine Equorum comprehendi etiam Camelos, Asinos, Mulos, Boves, &c. quia his æquè Christiani impugnari possunt, ac equis. An autem prohibeantur hîc etiam victualia deferri, lis est inter Authores, ego puto comprehendi, si tempore belli illis deferantur, quia sic deferens præstat eis auxilium.

Nota Secundò: Sub nomine Armorum intelligi tàm offensiva, quàm defensiva, non tamen instrumenta fabrorum, Agricolarum, Lignariorum, & aliorum Mechanicorum, nec cultri aut calami, &c.

XVI. Per Deferentes arma intelliguntur etiam ipsi Principes bella ferentes.

Nota Tertiò: In hoc Canone comprehendi non modò omnes Deferentes, ùt muliones, nautæ, verùm etiam mandantes Consulentes aliquid in Damnum Christianorum; Insuper Principes concedentes passum per suas terras ad invadendum alium Principem, maximè si positivè hoc eis concedat, imò ligantur hâc Censurâ Principes, qui invadunt armis alium Principem Christianum, ut desistat ab Obsidione, vel bello, quod habet contra Christiani nominis hostes.

XVII. Impedientes victualia Romam excommunicantur.

Octava: Est principaliter contra Impedientes eos, qui victualia & alia ad usum Curiæ Romanæ deferunt, aut qui sic deferentes vel adducentes ad usum prædictæ Curiæ invadunt, prohibent, perturbant. Accessoriè contra defendentes eos, per se vel per alios, qui prædicta faciunt.

XVIII. Curia Romana quæ dicatur.

Nota Primò: Nomine Curiæ Romanæ intelligi Summum Pontificis Tribunal, & audientiam, sive Pontifex sit præsens, sive non, fieri enim potest, ut Curia Romana sit Romæ, & Pontifex alibi, & è contra, cùm Curia non ex solo Pontifice constet, sed etiam ex Cardinalibus, Auditoribus, Judicibus & aliis Ministris & Officialibus Causarum, & Litterarum Apostolicarum, &c. *Clement. Ne Romani. §. Sanè, de Electione.* Hinc qui impediret, ne Romam adveherentur victualia, quando Curia ibi non existeret, non incurreret Censuram hujus Canonis, benè tamen excommunicationem Clementis VII. Pii V. Gregorii XIII. & aliorum Pontificum, prohibent, ne Barones & cujuscunque Statûs homines

nes prohibeant inter 50. milliaria ab Urbe habentes suas villas, deferri victualia Romam.

XIX. *Victualia dicuntur, quæ ad esum & potum pertinent.* Nota Secundò: Nomine Victualium intelligi ea, quibus ad esum & potum utimur. *L. Verbo Victus. & L. Cœtero. de verb. signif.* Ut sunt Carnes, panis, triticum, legumina, vinum, Olera, gallinæ, altilia, ova, pisces, caseus, medicinæ &c. Alia verò ad usum Curiæ Romanæ dicuntur ea, quæ pertinent ad necessarium vel decentem Curialium Statum, ùt Panni, sericum, equi, muli, fœnum, ligna, candelæ, avena &c.

XX. *Nolens vendere, non dicitur impedire victualia.* Nota Tertiò: Eum, qui nollet res suas vendere, etiam ideò præcisè, nè ad Curiam Romanam deferantur, non incurrere hanc Censuram, Quia verba in Lege pœnali propriè accipienda sunt. *L. Quidquid adstringendæ. ff. de verb. oblig.* Nisi oppositum constet de mente disponentis. *L. Non aliter. ff. de Leg. 3.* qui verò non vult vendere, non dicitur impedire adducentes, nec turbare, nec invadere, & quod dixi hîc de rigidâ Legis pœnalis interpretatione, volo dictum etiam de quibuscunque aliis, unde verba horum & quorumcunq; aliorum Canonum semper benè notanda, & perpendenda sunt.

XXI. *Impedientes ad Sedem Apostol. accedentes, excommunicantur.* Nona: Est Primò contra Interficientes, mutilantes, spoliantes, capientes, detinentes per se vel per alios, eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel in ea morantur, aut ab ea recedunt. Secundò contra eos, qui sibi usurpant Jurisdictionem ordinariam vel delegatam Summi Pontificis, vel Judicum ipsius ad præstandas præfatas actiones contra morantes in Curia.

XXII. *Sedes Apostolica describitur.* Notandum Primò: Nomine *Sedis Apostolicæ* intelligi Pontificem ipsum, ùt Papa est, non ùt Princeps temporalis, vel ejus Summum Tribunal, & audientiam ex Ministris & Officialibus constantem, Quia Sedes Apostolica est formaliter illa, quam Christus instituit antequam Papa temporalia Dominia acquisivisset, verba autem Legis formaliter accipienda sunt, *L. in Debitis. §. Extraneus ff. ad Legem Aquiliam.* Ita Alterius, Reginaldus, Navarrus &c. Hinc qui venientem ad Curiam Pontificis, ùt temporalis Dominus est, spoliaret, interficeret &c. hanc Censuram non incurreret.

XXIII. *Venire ad Sedem Apost. qui dicuntur.* Notandum Secundò: Eum dici venire ad Sedem Apostolicam, qui venit causa negotiorum ibi tractandorum, non verò, qui veniunt propter videndam Urbem, aut propter Stationes & Indulgentias &c. Imò ille dicitur venire, qui iter propter negotia agenda ibi inchoavit, etiamsi propter sinistram valetudinem vel aliam ob causam iter interrumpit, nam legitimè impedito non currit tempus.

XXIV. *Spoliare est bonis fortunæ, vel quasi, exuere.* Notandum Tertiò: Spoliare hîc significare idem ac invitum bonis fortunæ vel quasi fortunæ exuere. *L. Bona fides. V. Latro spolia, quæ mihi abstulit. ff. depofit. & L. 1. ff. de Donat. inter Virum & Uxorem.* Dixi vel quasi fortunæ, ut non modò comprehenderem vestes, pecuniam & agros &c. Sed etiam Uxorem, Liberos, &c. Si negotiorum causâ ad Sedem Apostolicam virum comitentur, si enim Devotionis causâ accedant, & eos, quis vulneret, occidat, mutilet, non incurrit censuram hujus Canonis, sed sequentis, qui est

XXV. *Romipetas lædentes excommunicantur.* Decima: Contra eos principaliter, qui Romipetas & peregrinos ad Urbem causâ Devotionis seu Peregrinationis accedentes, ibi commorantes & indè recedentes, interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, & deprædantur. Accessoriè contra eos, qui dant auxilium, Consilium vel favorem præfatis delinquentibus.

XXVI. *Romipeta est, qui devotionis causa Romã pergit.* Nota Primò: Romipetam, hîc dici non eum, qui vagatur, ùt extraneus & alienigena, hospes & forensis, de quibus habetur *L. Cives, C. de incol. lib. 10.* Sed pro eo, qui causâ devotionis & pietatis Romam accedit, id est, animo colendi DEUM in se ipso, vel in suis Sanctis, hinc, qui præfatas actiones faceret contra Civem Romanum non incurreret

reret hanc Censuram, si ibi moretur & habitet, benè tamen si Civis Romanus esset & Perusi habitaret, & accederet Devotionis causa Romam, Patriam suam; Imò probabile est, eum affici Censurâ hujus Canonis, qui vulneraret hæreticum propter Conversionem Romam accedentem, secùs si iret propter videre Mundum & Urbem. Quod si quæras, an si unus peregrinus vulneret alium peregrinum &c. incurrat hanc Censuram? Respond. Affirmativè, Quia sicuti unus Clericus percutiens alium Clericum, non excusatur à Censura Canonis, *Si quis suadente*. 1. q. 4. ita nec debet excusari unus peregrinus vulnerans, interficiens &c. alium peregrinum, cùm generaliter loquatur Pontifex & æqualiter de uno ac alio. Nec refert *L. Quod favor. C. de Leg. quod in favorem alicujus inductum est, non debet in damnum ipsius retorqueri.* Quia hic Canon latus est in favorem, ne percutiantur, non verò ut percutiant & percutere possint.

XXVII. Romipeta unus lædês alium, est excommunicatus.

XXVIII. Prædo quis dicatur.

Nota Secundò: Vulnerare aliud non esse, quàm carnem corporis vel pellis scindere, dividere, & separare, *L. Si servus. §. Inquit Lex. ff: ad Legem Aquiliam.* hinc percutientes non incurrunt Censuram Canonis. Deprædari verò est injustè & violenter rem suam aufferre, Prædo enim dicitur is, qui bello non indicto grassatur, & prædam per vim quærit, alio nomine dicitur Latro, ùt patet *ex l. Hostes. ff. de verb. sign. & l. Hostes. ff. de capt. & postlim. revers.*

Nota Tertiò: Consulentem faventem, & auxilium præstantem, non incurrere hanc Censuram, nisi effectu secuto, quia est actio minùs principaliter vetita, quandocunque autem actio est tantùm accessoriè prohibita, non incurritur Censura, nisi secuto effectu, ùt dixi & docui in Prima Disputatione. Tum etiam, Quia qui conatur Romipetam vulnerare, deprædari, &c. non ligatur hâc Censurâ effectu non secuto, ergò nec consulens &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

In qua explicantur alii quinque Casus Bullæ Cœnæ, & eis annexæ Excommunicationes.

Casus undecimus, seu Undecima Excommunicatio est principaliter contra Interficientes, mutilantes, vulnerantes, capientes, carcerantes, retinentes, hostiliter inseqventes, ejicientes ex Diœcesibus, Territoriis, Terris, & Dominiis suis Cardinales, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, Legatos, Sedis Apostolicæ Nuntios. Accessoriè contra mandantes, ratum habentes, auxiliantes, consulentes, faventes.

I. Ejicientes ex terris suis Cardinales, Nuntios, &c. excommunicantur.

Nota Primò: Cardinales eos esse, qui vel jam rubrum pileum à Pontifice consecuti sunt, vel saltem Delecti ab ipso, & denominati, dummodò acceptarint, verùm debent esse Cardinales S. R. Ecclesiæ, non verò Ecclesiæ S. Jacobi Compostellani, vel Ravennatensis, aut Canonici Ordinarii Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis, qui in antiquioribus Scripturis Cardinales Minores vocantur. Patriarchæ dicuntur, qui pluribus Provinciis præsunt, unde dicuntur etiam Primates, *cap. Provinciæ. d.* 99. Et hi habent primum locum post Pontificem inter Episcopos. Archi-Episcopi sunt, qui uni Provinciæ & Episcopis illius præsunt, dicuntúrqve Metropolitani; Episcopi verò, qui asseqvuntur Episcopatum, cui ex Privilegio Summi Pontificis est adnexum Privilegium Legati. *cap. 1. de Officio Leg. & cap. 1. de appell.* Missi sunt, quicunque à Pontifice, ordinariè mittuntur, & communiter vocantur Nuntii Apostolici. *cap. 1. de Off. Leg. in 6.*

II. Cardinales, Patriarchæ, Archi-Episcopi, & Episcopi qui dicantur.

Nota Secundò: Percutientem, vulnerantem &c. Cardinalem &c. ex justa causa, non incurrere hanc Censuram, quia faciens ex justa causa, non peccat lethaliter. Imò si aliquis etiam ex injusta causa Cardinali, &c. aufert pallium, id scindit, eum conspuit,

ſpuit, vel in faciem ejus aquam fundit &c. non incurrere hanc Cenſuram, quia non dicitur propriè percutere Cardinalem &c. Si tamen lapidem in eum projiceret, intendens eum occidere, licèt non tangeret, incurreret, quia hoſtiliter inſequeretur. Denique, ſi Cardinalis &c. ſeipſum percuteret, vulneraret &c. Cenſuram hujus Canonis non incurreret, quia quod in favorem alicujus conceſſum eſt, non debet in damnum ejus retorqueri. *L. Nulla Juris ratio.* 24. *ff. de leg. & cap. quod ob gratiam.* 61. *de Reg. Juris in* 6. Tum, *Quia volenti & ſcienti non fit injuria. L. Nemo præſumitur. ff. de Reg. Juris. & cap. ſcienti eodem tit. in* 6. Tum, Quia Pontifex punit ſolùm hìc eos, qui in alios dictas actiones exercuerunt. Quòd ſi dicas: Nemo poteſt cedere favori in gratiam alterius conceſſo, quod patet ex eo, quòd nec Clericus poſſit cedere Canoni. *Si quis Suadente*, ut ſeipſum percutiat, ergò idem dicendum de Cardinali. Reſpond. multos docere, Clericum ſeipſum percutientem non incurrere Cenſuram illius Canonis, benè tamen, ſi ſciens & volens percuteretur ab alio, hic enim incurreret, quia Clericus nequit cedere favori in gratiam totius Cleri conceſſo. Deindè eſt etiam alia Diſparitas, quia hoc privilegium non eſt tàm Univerſale, quàm alterum.

III. Cardinalis ſeipſum cædens non incurreret Cenſuram.

IV. Lædentes, qui ob lites Romam recurrũt, excommunicantur.

Duodecima: Excommunicantur principaliter, qui percutiunt, occidunt, ſpoliant per ſe, vel per alios, recurrentes ad Curiam Romanam ob lites & negotia, procurantes in iiſdem Geſtores, Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores deputatos ſuper prædictis negotiis, Judices ordinarios vel delegatos. Acceſſoriè qui committunt id fieri directè vel indirectè, item qui exeqvuntur per alios, qui procurant, quique dant auxilium, conſilium aut favorem.

Nota: Hunc Canonem debere intelligi de recurrentibus ad Curiam Romanam, ubicunque illa exiſtat, dummodò fiat recurſus ob lites & negotia, item Cenſuram incurrere, ſive ſit Laicus, ſive Clericus, qui offenditur, ſive offendat Romæ, ſive alibi. Nota Secundò; Sic offendentem debere ſcienter facere, ut incurrat Cenſuram, nam in Bulla ſic dicitur: *Qui præſtare non verentur.*

V. Recurrentes ad Laicam poteſtatem, ſub prætextu appellationis ab executione Litterarum Apoſtol. excommunicantur.

Decima Tertia: Excommunicantur recurrentes ad Laicam poteſtatem prætextu appellationis à gravamine vel executione Litterarum Sedis Apoſtolicæ & Judicum Apoſtolicorum; facientes præfatam appellationem admitti à Laica poteſtate etiam inſtante Fiſci Procuratore & Advocato. Facientes capi Litteras Apoſtolicas, citationes, inhibitiones, & alia Decreta à Laica poteſtate. Facientes præfata ab eadem poteſtate detinere. Impedientes vel prohibentes per ſe vel per alios, publicè vel occultè Litterarum Apoſtolicarum executionem, tradi parti, cujus intereſt, Inſtrumenta vel acta fiſci ſuper executionem dictarum Litterarum. Capientes, percutientes, vulnerantes, carcerantes, retinentes, ejicientes ex Locis, Civitatibus, Regnis, ſpoliantes bonis, perterrefacientes, concutientes, comminantes per ſe, vel per alios publicè vel occultè Partes actrices, agentes partium, Conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, Sub-Executores dictarum Litterarum. Præſumentes directè vel indirectè, prohibere, ſtatuere, mandare, retinere Litteras Apoſtolicas apud ſe, vel Notarium aut alios, ne quis Curiam accedat vel recurrat, litteras impetret, aut impetratis utatur.

VI. Litteræ Apoſtolicæ quæ dicantur.

Nota Primò: Litteras Apoſtolicas non ſolùm eſſe Bullas, ſed etiam Brevia, Litteras Sacræ Pœnitentiariæ, juxta probabilem ſententiam, citationes, inhibitiones, Monitoria, Decreta, Sequeſtra, Proceſſus Executoriales Summi Pontificis, Legatorum, Nuntiorum, Præſidentium, Auditorum Cameræ Apoſtolicæ, Commiſſariorum, Judicum & Delegatorum Apoſtolicorum.

VII. Ad ſui defenſionem poteſt quilibet im-

Nota Secundò: Ad repellendam injuriam & neceſſariam ſui defenſionem poſſe quemq; implorare brachi-

plorare brachium sæculare. brachium sæculare Laicæ potestatis, tanquam personarum privatarum, Tum, Quia Pontifex prohibet tantùm, nè ad Curias Secularis potestatis fiat recursus, Curiæ autem significant exercitium publicum Jurisdictionis authoritativè factum; Tum, Quia defensio licita est ex Jure naturæ servatis debitis conditionibus. *Clement. Pastoralis. de sent. & re Jud.*

Nota Tertiò: Hanc Censuram incurri in quacunque causa, sive spirituali sive temporali, fiat appellatio ad Laicam potestatem, ùt talis est, imò etiamsi Judex Laicus non admittat eam, hoc enim non requiritur à Pontifice, ipsi tamen Judices non incurrunt, si non admittant.

VIII. Aliud est non parere litteris, aliud impedire executionem. Nota Quartò: Illum non incurrere Censuram hujus Canonis, qui simpliciter non paret Litteris Apostolicis, quia aliud est impedire earum executionem, ne publicentur, parti tradantur, & Fides de publicatione detur, & aliud non parere, *à Diversis autem non fit illatio L. Papinianus Exuli. ff. de Minor.* Item non ligatur, qui conatur impedire in aliquo, putans, eas in hoc casu locum non habere, quia talis nec peccat, si rationabiliter opinetur, alioquin etiam incurrerent Procuratores & Advocati, qui Litteras Apostolicas in alio sensu intelligũt, quàm revera intelligi debeant, *L. Nam quod absurdum. ff. de bonis libert.*

IX. Inclusio unius est exclusio alterius. Nota Quintò: Offendentes personas habentes Litteras Apostolicas, eorumque Consanguineos supra expressos, non incurrere hanc Censuram, si eos offendant alio titulo, quàm titulo habentium Litteras Apostolicas, *Actus enim non operatur ultra intentionem agentium. L. Non omnes. ff. Si certum petatur. Et inclusio unius est exclusio alterius. §. Cùm prætor. ff. de Jud. & cap. Nonne de præsumpt.*

X. Causas spirituales avocãtes ab Officialib9 Curiæ Romanæ. Decima Quarta: Excommunicantur principaliter omnes cujuscunque Dignitatis, Ecclesiasticæ vel Sæcularis, Regiæ vel Imperialis, qui authoritate propriâ & de facto avocant causas spirituales, vel spiritualibus adnexas, ùt beneficiales decimarum & similium ab Auditoribus Curiæ Romanæ, Commissariis, Apostolicis, & aliis Judicibus Ecclesiasticis. Item, qui impediunt earundem causarum cursum vel audientiam, Personas, Capitula, Collegia & Conventus volentes prosequi dictas causas, interponendo tanquam Judices de cognitione hujusmodi causarum (Primum enim sine posteriori non sufficeret) Item, qui compellunt partes actrices, qui committi fecerunt hujusmodi causas ad revocandum vel revocari faciendum citationes, inhibitiones, vel alias litteras in hujusmodi causis decretas. Qui compellunt easdem partes ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, absolvi à Censuris & Pœnis in illis contentis, vel ad consentiendum eos à prædictis Pœnis & Censuris absolvi. Item, qui impediunt quomodolibet executionem Litterarum Apostolicarum, Executorialium Processuum & Decretorum. Accessoriè excommunicantur, qui præstant favorem, consilium, assensum, quique mandant, vel faciunt per alios actiones principaliter prohibitas authoritate propriâ, & de factò.

XI. Avocare causas quid sit, explicatur. Nota Primò: Avocare causas idem esse, quod cognitionem & definitionem causarum apud alios Judices pendentium ad se trahere & revocare expresè citando partes litigantes, ut causas in suo tribunali prosequantur; vel prohibendo Judicem, apud quem actu pendent, ne se amplius in hujusmodi causis immittant, & ingerant; aut ipsis partibus prohibendo, ne amplius causam apud illum Judicem prosequantur, & hoc debet authoritativè fieri, & cum effectu, hinc si aliquis saltem conetur, aut à Judice sæculari avocet, hanc Censuram non incurret, debet enim fieri avocatio à Judice Ecclesiastico, & hoc probabiliter non à quocunque Judice Ecclesiastico, sed à Judicibus Ecclesiasticis Sedis Apostolicæ, quia in hoc Canone tantùm

tantùm punit Pontifex eos propter Sacrilegium, quo Jurisdictio Sedis Apostolicæ violatur, & insuper additur in textu tò *aliis*, quæ particula est repetitiva & relativa similium. *L. Si fugitivi, C. de servis fugitivis. L. quidam relegatus. ff. de rebus dubiis.* An autem incurrant Censuram sequentium Canonum, mox patebit ex dicendis.

XII. Avocatio debet fieri sub prætextu privilegiorum.

Nota Secundò: Ab incursu Censuræ hujus Canonis non excusarem prætextum Exemptionum & Privilegiorum Apostolicorum, imò probabile est, ut Censura hujus Canonis incurratur, & avocatio fiat sub prætextu Privilegiorum & exemptionum, ita quòd si hanc non allegaret, eam non incurreret; Tum, Quia Pontifex avocationem à Judicibus Ecclesiasticis authoritativam & prætextum exemptionum ponit sub eadem continua oratione, adeóque simul utrumque requiritur, videlicet ut & authoritativè fiat, & cum prætextu privilegiorum. Tum, Quia versamur in pœnali materia.

XIII. Non licet avocare, licèt Judices Ecclesiastici sint negligentes.

Nota Tertiò: Avocatio Causarum spiritualium vel quasi spiritualium ad forum, & Judicem sæcularem prohibitam esse etiam, si Judices Ecclesiastici negligentes sint, Tum, Quia Judices Laici simpliciter incapaces sunt Jurisdictionis in Spiritualibus Causis, & spiritualibus adnexis, Tum, Quia *Cap. Qualiter & quando. de Jud.* expresse prohibetur, ne pro defectu Justitiæ Clerici ad sæculare judicium trahantur. Nisi in foro mixto Judex sæcularis præventus fuerit. Nec refert, quòd *Cap. de Regulis Juris* concedatur reclamatio ad Principem in Causa Ecclesiastica: Respond. vel ibi intelligi Principem Pontificem, vel solùm concedi Principibus ut Judices Ecclesiasticos admonere possint ob Negligentiam vel injustitiam commissam, non verò, quòd authoritativè Causas avocare possint.

XIV. Aut licèt prætendatur violentia.

Nota Quartò: Causas Spirituales nec posse avocari à Judicibus Ecclesiasticis ad Laicam potestatem, aut executionem litterarum Apostolicarum, etiamsi allegetur violentia, injuria, aut etiam ad impediendum damnum, Tum, Quia sic prohibetur in pluribus aliis juribus, *Cap. Si quis Clericus, cap. Placuit. cap. Christianus. cap Clericum.* 11. q. 1. Tum, Quia defectus Justitiæ suppleri non potest, nisi per Judicem superiorem, & non per inferiorem, hinc Cæsar non curat authoritatem Galli, licèt malè sibi præsumpsit velle supplere defectus Germaniæ, ob quod nunc bellum finxit, sed Judex Laicus quicunque non est superior Judicis Ecclesiastici, ergò. Tum authoritativè administrare Justitiam est actus Jurisdictionis, qui exerceri non potest, nisi in Subditos, quales non sunt Judices Ecclesiastici, *ex cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constitut.*

XV. Privilegium excusat.

Nota Quintò: Avocantes Causas Spirituales à Judicibus Ecclesiasticis per privilegium ipsis concessum excusari ab hac Censura hujus Canonis, qui tantùm loquitur de avocantibus authoritate propriâ. Item excusantur impedientes executionem Litterarum Apostolicarum, si hoc faciant sub prætextu informandi, aut supplicandi Summo Pontifici, dummodò supplicationem fecerint, eámque prosequantur, sic enim conceditur in ipso Canone. Nulla tamen consuetudo suffragatur etiam immemorabilis, quia omnes hic revocantur.

XVI. Trahentes ad sua Tribunalia Ecclesiasticos & Ecclesiast. Libertatem lædentes, excommunicant.

Decima Quinta: Excommunicantur omnes, qui directè vel indirectè, ex Officio, vel ad instantiam partis, vel aliorum, trahunt, trahi faciunt & procurant trahi ad suum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, aut Parlamentum, Personas Eclesiasticas, Capitula, Conventus, & Collegia. Item qui faciunt, ordinant, & publicant Statuta, ordinationes, Constitutiones Pragmaticas, & alia quævis Decreta, quibus Ecclesiastica Libertas aliquo modo directè vel indirectè, expresse vel tacitè tollitur, læditur, deprimitur, restringitur aut Juribus Sedis Apostolicæ, vel aliarum Ecclesiarum, præjudicatur. Denique, qui utuntur Statu-

Statutis & Ordinationibus contra libertatem Ecclesiasticam.

XVII. Libertas Ecclesiastica describitur, estque triplex.

Nota Primò : Libertatem Ecclesiasticam esse immunitatem & exemptionem ab oneribus, vel à subjectione, vel à coactione temporalis potestatis, seu esse facultatem faciendi quodlibet, nisi jure prohibeatur. *l. Libertas. ff. de statu hominum.* Estque triplex : *Localis*, quæ conceditur locis, nempe Ecclesiis, estq; Privilegium, quod ad Eas confugientes extrahi vi nequeant ; *Realis*, quâ gaudent Bona Ecclesiarum, quæ à Censu & tributo &c. sæcularis potestatis libera sunt. Et *Personalis*, competens Personis Ecclesiasticis, nè oneribus Sæcularium Principum afficiantur, utpote quæ Summo Principi & Domino Dominantium consecratæ sunt. In hoc autem Canone quoad primam partem agitur de libertate personali, quomodo violetur per tractionem ad forum sæculare, in secunda verò generaliter de Immunitate & Libertate Ecclesiarum. Habetque hic Canon connexionem cum priori & tribus sequentibus.

XVIII. Ecclesiasticæ pœnæ quæ dicantur, & sint.

Nota Secundò : Personas Ecclesiasticas, Episcopos, Cardinales, Patriarchas, Sacerdotes, Sacris Ordinibus initiatos minoribusо, bservantes ea, quæ Concilium Trident. Sess. 23. cap. 6. requirit, primam tonsuram habentes, modò tonsuram & habitum deferant. Comprehenduntur etiam omnes Religiosi & Religiosæ cujuscunque Ordinis non modò professi & professæ, verùm etiam Novitii & Novitiæ, ita quod nec possint puniri à Laica Potestate, etiamsi exeant ob delictum commissum tempore Novitiatus, quia ad cognoscendum cui foro aliquis subjiciatur, inspiciendum est tempus delicti commissi, ex Baldo *in l. Affinitatis. Cod. Comm. de Success.* tempore autem Novitiatûs non erat subjectus Laicæ potestati, ergò. Comprehenduntur etiam Equites Teutonici SS. Georgii & Elisabethæ, S. Joannis, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, Ordinis Christi in Lusitania, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ. Et denique Tertiarii SS. Francisci & Dominici viventes intra Congregationem, non verò in Domibus suis.

XIX. Plures Casus, in quibus Ecclesiasticæ personæ trahi possunt ad forum sæculare.

Nota Tertiò : Hunc Canonem non esse ita universalem, quòd Persona Ecclesiastica nunquam trahi possit ad judicium sæculare ; Nam imprimis trahi possunt degradati, *ex cap. Degradatio.* Item Clericus Bigamus, *cap. Unico. de Bigamis.* Tertiò, Clericus habitum Clericalem in fraudem fori sæcularis suscipiens. Quartò, Clericus feudatarius, hic enim in iis, quæ pertinent ad feudum, subjicitur Domino feudi. *cap. Verùm. de foro competenti. & cap. Cæterum. de Jud.* Quintò, Clericus incorrigibilis, & ut talis denuntiatus à Potestate Ecclesiasticâ. Sextò, Clerici Joculatores, histriones & scurræ, agentes mimum, si per annum in arte illa perseveraverint, aut etiam tempore breviori ter moniti non resipuerint. *cap. Unico. de vit. & honest. Cleric. in 6.* Septimò, Clerici conjugati aut non conjugati, habitum non deferentes, & caupones, & laniones agentes, si ter moniti non resipuerint. *Clement. 1. de vit. & honest. Cler.* Octavò, in causa reconventionis, nam si Clericus in Civilibus conveniat Laicum coram Judice Laico, poterit Laicus conventus reconvenire Clericum in materia civili coram eodem Judice, si putet se habere actionem contra Clericum in Causa civili. *cap. 1. & 2. de Mutuis petit. & cap. Accusatores. V. Cujus in agendo. 3. q. 8.* Nonò, Clerici primâ tonsurâ vel minoribus insigniti, non habentes beneficium Ecclesiasticum, & non deferentes habitum, aut de Licentia Episcopi in aliqua Ecclesia servientes, vel Universitate studentes. *Trid. Sess. 23. cap. 6.* ubi notanter loquitur Concilium de Clericis in minoribus non deferentibus habitum, quia si in majoribus esset Ordinibus, ob depositionem habitûs non perderent statim privilegium fori.

XX. Statuta quæ dicantur lædere

Nota Quartò : Illa Statuta & Decreta dici lædere libertatem Ecclesiasti-

libertatem Ecclesiasticam. siasticam, quæ in genere vel in specie contrariantur aut restringunt privilegia à DEO vel à Jure Canonico, vel Imperatorio concessa Personis, vel Ecclesiis, aut per Consuetudinem acquisita, ùt sunt Jus Decimarum, exemptio à foro vel Legibus Laicorum, Libera rerum Ecclesiasticarum gubernatio, jus exercendæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ, immunitas Locorum, Hinc Judex & Princeps impediens immunitatem Locorum, liberam administrationem bonorum in rebus suis vendendis, Contractibus faciendis, molendi, pinsendi, vendendi, emendi, aut nè Laici vendant, hæcque Clericis faciant; Item, ne succedant in Jus Parentum &c. incidit in Excommunicationem hujus Canonis. Verùm tamen

Nota Quintò: Non statim incurri hanc Censuram, si Jura alicujus Ecclesiæ vel aliquorum Ecclesiasticorum lædantur, sed debere lædi libertatem totius Ecclesiæ, quam tota Ecclesia à DEO, Pontifice, Imperatore (hic enim ex Regibus solùm potestatem habet concedendi privilegia toti Ecclesiæ, *ex Innocentio in cap. cum ad verum Dist.* 96.) acquisivit, & qua fruitur. Denique scribentes Decreta similia, præcones & alii Ministri promulgantes, excommunicationem hanc non incurrunt ex probabili sententia.

QUÆSTIO TERTIA.

In hac elucidantur reliqui quinque Casus Bullæ Cœnæ, cum annexis Excommunicationibus.

I. Impedientes Episcopos & alios Judices Eccles. ne Jurisdictione suâ utantur. Decima Sexta: Excommunicantur principaliter Impedientes Episcopos, Prælatos, aut alios Judices Ecclesiasticos ordinarios, ne Jurisdictione suâ Ecclesiasticâ utantur contra quoscunque, juxta Dispositionem Sacrorum Canonum & Constitutionum Ecclesiasticarum. Item recurrentes ad Curias sæculares ad eludendum judicium fori Ecclesiastici. Item procurantes à Curiis sæcularibus, decernentes, exequentes, prohibitiones seu mandata etiam pœnalia contra sententias dictorum Judicum ordinariorum, vel delegatorum. Accessoriè dantes eis auxilium, consilium, patrocinium vel favorem. Ast

Nota Primò: In hoc Canone prohibitam esse solam injustam impeditionem usus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, non verò justam, hic enim sicut non peccat, ita nec Censuram incurrit. Hinc impediens, nè utatur jurisdictione in non subditum, aut in subditum, sed Prælatum excommunicatum vitandum, non ligatur. Item, qui Judicem Ecclesiasticum prævenit in causa mixti fori non ligatur, hic enim non impedit injustè, quia præventio Jure communi admittitur, & licita est *l. Si pluribus. ff. de Legat.* 1. *& l.* 1. *ff. de Off. Præf.* Causa mixti fori est, quæ in utroque foro est prohibita, ut rapinæ, adulteria, &c. II. Injusta debet esse impeditio Libertatis Ecclesiasticæ.

Nota Secundò: Ut hæc Excommunicatio incurratur, debere quem impedire in Jurisdictione ordinaria, non verò delegata, ita enim verba sonant. Item in Jurisdictione externa. Item debet effectus sequi, & non solùm tentare impedire. III. Usurpantes fructus Ecclesiasticorum excommunicantur.

Decima Septima: Excommunicantur Usurpantes, vel Sequestrantes sine legitima facultate, Jurisdictionem, fructus, reditus, & proventus pertinentes ad Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, vel ad quascunque alias personas Ecclesiasticas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum.

Nota: Usurpare non significare quamcunque ablationem fructuum, vel proventuum Ecclesiasticorum, sed significat actionem, quâ aliquis sibi rem alienam adscribit tanquam propriam, & sibi debitam sciens esse alienam, ita *Glossa in cap. Multi.* 2. *q.* 1. Hinc fures, latrones, milites rapientes fructus Ecclesiasticorum, non ligantur hâc Censurâ, qui eos non sibi vendicant, & rapiunt tanquam suos. Sequestrare verò signi- IV. Usurpare est sibi rem alienam adscribere tanquam propriam.

significat bona Ecclesiastica Jurisdictionaliter deponere alicui certæ personæ ad custodiendum vel detinendum rem aliquam, de qua lis est, ad quamnam pertineat, usque dum lis dirimatur, *ex l. Sequester. ff. de verb. signif.* Et hoc contingere potest, vel ex Censensu utriusque partis litigantis, quæ dicitur voluntaria sequestratio; vel ex præcepto Judicis ad instantiam unius tantùm partis, vel motu proprio; sequestratio prima non inhibetur hìc, sed secunda, quæ dicitur necessaria.

V. Sequestrare est deponere ad custodiendū penes tertium.

VI. Jurisdictio definitur, estq; multiplex.

Nota Secundò: Jurisdictionem (cujus usurpatio hìc vetatur) esse facultatem dicendi Juc circa res vel personas. *l. Imperium. ff. de Jurisdict. omn. Jud.* Hæc autem est alia temporalis & sæcularis, alia Ecclesiastica; alia est ordinaria, alia delegata, & alia accessoria, alia est contentiosa, quæ fit cum strepitu Judiciali, & exerceri nequit in die festo; alia est gratiosa & voluntaria, quæ nemine contradicente omni loco & tempore exerceri potest. Qui igitur quamcunque Jurisdictionem ex dictis usurpat, Censuram hujus Canonis incurrit, dummodò pertineat ad personas Ecclesiasticas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum, unde qui usurpant Jurisdictiones temporales ratione bonorum temporalium hâc Censurâ non ligantur, sicut nec incurrit Censuram hujus Canonis usurpans bona Oratoriorum, Hospitalium, & Cœmiteriorum præcisè, benè tamen excommunicationem incurrunt Concilii *Trident. Sess. 22. cap. 11.* Item non incurrit hujus Canonis Censuram, qui usurpant sibi ea, quæ Sacerdos acquirit, celebrationis Missarum, Confessionum, Funeralium, Concionum, Bonorum patrimonialium & aliundè coëmptorum, quia non competunt ipsi ratione Ecclesiæ, vel Beneficii Ecclesiastici, quà talis.

VII. Usurpans sibi proventus beneficii vacantis excommunic.

Quòd si quæras: An Censuram hujus Canonis incurrat, qui usurpat sibi Jurisdictionem vel proventus beneficii vacantis? Respond. Affirmativè, quia Pontifex intendit consulere Libertati Ecclesiasticæ, quæ intentio totaliter fraudaretur. Et licèt tunc non sit determinata persona, ad quam pertineant tanquam ad Dominum, est tamen Oeconomus tanquam Custos & Commendatarius, qui servent ea impunè Successori. Vel dic pertinere tunc ad Summum Pontificem.

Decima Octava: Excommunicantur principaliter omnes cujuscunque Dignitatis, Primò, qui imponunt & exigunt per se vel per alios directè vel indirectè, Decimas, Collectas, Taleas, & præstantias & alia onera, à Clericis, Personisque Ecclesiasticis, Bonis Ecclesiasticis, Monasteriorum, Ecclesiarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, & fructibus, reditibus & proventibus prædictorum. Secundò, qui recipiunt sic imposita, etiamsi recipiant à spontè dantibus. Accessoriè qui procurant & præstant auxilium, consilium, favorem.

VIII. Exigentes Decimas, & alia onera ab Ecclesiasticis excommunicantur.

Nota Primò: Quòd Bonis, quæ transeunt ad Ecclesiasticas Personas per emptionem, vel successionem & hæreditatem patrimonialem, onera similia imponi possint, quia sunt præcisè sæcularia, ita sentit Purpuratus, Guttieretz, Suaretz, &c. Quia res transit cum onere, *ex cap. Pastoralis. & cap. Cùm non sit, de Decimis. & cap. Ex litteris, de pignoribus.*

IX. Bonis temporalibus Ecclesiasticis possunt imponi onera.

Nota Secundò: Licitum esse Collectas & onera Ecclesiasticis imponere, Primò: Quando quis habitum assumit Clericalem in fraudem vectigalium, ne cogatur vectigalia solvere, fraus enim nemini patrocinari debet. Secundò, à Clericis conjugatis Latinis. Tertiò, à Clericis Feudatariis. Quartò, à Clericis negotiantibus, id est, ementibus & vendentibus ut ditescant, non verò si emant pro sua & familiæ suæ necessitatibus. Quintò, ob gravem necessitatem, ex consensu Pontificis. *ex cap. Non minus, & cap. adversus. de immunit.*

X. Casus, in quibus onera Ecclesiasticis possunt imponi.

Decima Nona: Excommunicantur omnes Magistratus, Judices, Nota-

XI. Processantes Ecclesiasticos ex-

communicantur. Notarii, Scribæ, Executores, Sub-Executores, Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, & alii quovis nomine nuncupati, qui sine licentia speciali & specifica, expressa Sedis Apostolicæ, interponunt se in causis Capitalibus seu Criminalibus, contra Personas Ecclesiasticas, processando, banniendo, capiendo, proferendo sententias, exequendo, excedendo terminos licentiæ Apostolicæ, vel dictâ licentiâ abutendo.

XII. Processare est Judiciales informationes capere &c. Nota Primò: Processare aliud non esse, quàm judicialiter informationem contra aliquem capere, exercendo actus aliquos judiciales in aliqua causa, hinc Judex capiendo verbaliter informationem, censuram hujus Canonis non incurrit, si faciat extra judicium.

Nota Secundò: Reges & Principes, ac alios Ecclesiasticos Judices processus faciendo & baniendo non incurrere Censuram istam, quia primi non sunt expressi, sed specificantur determinati Judices, quibus id prohibetur, nec secundi, quia agit tantùm de Laicis Judicibus processantibus contra Ecclesiasticos, adeóque supponere videtur id posse facere Judices Ecclesiasticos.

XIII. Causa capitalis dicitur, ubi agitur de diminutione capitis, vel membri. Nota Tertiò: *Causam capitalem* dici eam, in qua agitur de crimine, ratione cujus alicui deberetur capitis diminutio, sive sit naturalis per abscissionem ejus, vel truncationem membri, sive sit civilis, dum aliquis in exilium ejicitur, reus enim per hujusmodi pœnam subtrahitur à Civitate, & capitis diminutionem pati dicitur. *Instit. de diminut. Causa* verò *criminalis* ea dicitur, in qua agitur de pœna infligenda, ut Justitiæ vindicativæ satisfaciat. *Causa civilis* dicitur ea, in qua agitur de satisfaciendo parti læsæ jus suum & rem restituendo.

Causa criminalis & civilis quæ?

XIV. Casus, in quibus Judices sæculares processare possunt Ecclesiasticos. Nota Quartò: Plures esse Casus, in quibus Laici possunt exercere aliquas actiones in hoc Canone prohibitas, contra Personas Ecclesiasticas, primò cum degradatis, per degradationem enim ejicitur quis à Statu Clericali, *cap. Degradatio. de Pœnis. in 6.* Secundò, cum perpetuò diffidatis, & bannitis ab Ecclesiastico Judice, nam banniens concedit, ut quilibet eum occidere possit impunè. *l. Reos. C. de accusat.* Sicut enim talis bañitus ab alio occidi potest, ità etiam poterit Laica potestas in eum animadvertere. Tertiò, Cum Bigamis, hi enim omnia privilegia Clericorum admittunt. *cap. Unico. de Bigamis. in 6.* Quartò: Cum Clericis conjugatis non deferentibus habitum & tonsuram, hi enim privantur privilegio fori per *Trident. Sess. 23. cap. 6. de Reform.* Quintò, quando Clerici in flagranti crimine deprehenduntur, nec aliter à crimine impediri possunt, quàm illos capiendò, servato moderamine, ut Ecclesiastico Judici consignentur. Tum, Quia per Epikeiam hic casus exceptus videtur, non intendit enim Pontifex aliud impedire, quàm injustas actiones contra Clericos, qualis non esset in casu posito, cùm jure naturæ licitum sit, se & Proximum innocentem tueri, hinc si Judex caperet Mævium Clericum, quem cum Uxore, Matre, vel Filia turpiter invenit, ut Judici Ecclesiastico tradat, non ligatur hâc Censurâ. Sextò, Quando Laici Judices id faciunt tanquam Ministri Episcoporum, vel Episcopi & Judices alii Ecclesiastici eos implorant, ut brachio sæculari assistant. Quòd autem Episcopi possint habere Ministros & etiam armatos, quibus utantur ad correctionem malorum indubitatum videtur, cum enim concedatur eis Jurisdictio plena, videntur omnia concedi, sine quibus Jurisdictionem exercere non possunt. *l. 2. ff. de jurisd. om. Jud.* Et ob hanc rationem etiam possunt implorare brachium sæculare. XV. Episcopi possunt habere Ministros sæculares, & etiam armatos.

Vigesima: Excommunicantur primò principaliter omnes, qui præsumunt per se vel per alios, directè vel indirectè in totum vel in partem, Civitates, Terras, Loca, Jura immediatè vel mediatè Ecclesiæ Romanæ subjecta destruere, invadere, occupare, & detinere; Secundò, qui præsumunt XVI. Civitates & Terras Ecclesiæ Romanæ invadentes excommunicantur.

sumunt in dictis Locis sibi usurpare supremam Jurisdictionem, vel perturbare, retinere, aut vexare. Accessoriè excommunicantur quomodolibet adhærentes, auxiliantes, consulentes, & faventes.

XVII. *Suprema Jurisdictio dicitur merum Imperium.*

Nota Primò: Hunc Canonem intelligendum esse de Jurisdictione suprema temporali non spirituali, de qua jam Pontifex sufficienter superius egerat. Suprema autem Jurisdictio dicitur esse merum Imperium ex Glossa *in l. Imperium. ff. de Jurisd. om. Jud.* Merum Imperium verò nihil aliud est, quàm potestas gladii, & authoritas circa res magni præjudicii, ut causæ, statûs, sanguinis, & bonorum confiscationis.

Nota Secundò: Hanc detentionem debere fieri sine facultate summi Pontificis, & sine ejus legitima concessione, hinc excusatur Hispaniarum Rex, qui supremam Jurisdictionem exercet in Regno Siciliæ & Sardinia, Genuenses, qui obtinent in Corsica.

VIII. *Accessoria actio per se non sufficit ad incurrendam excommunicationem.*

Nota Tertiò: Accessoriam actionem quamcunq; per se non sufficere, nisi actio principalis aliqua subsequatur, quia actiones accessoriæ non nisi ratione principalium prohibentur, quare si actio principalis non sequitur talis adhærens, &c. Excommunicationem non incurrit, ùt sæpè dixi.

Nota Quartò: Si aliquis bonâ fide possideret bona Ecclesiæ Romanæ, vel ejus supremam Jurisdictionem per centum annos, non ligari Excommunicatione hujus Canonis, Tum, Quia talis non possidet injustè, Tum, Quia spatio centum annorum præscribitur contra res Romanæ Ecclesiæ. *ex cap. Cum nobis. cap. Si diligenti. de præscript. & cap. Nemo. 16. q. 3. & ex authen.* quas actiones *C. de sacrosanct. Eccles.*

XIX. *Absolventes à casib9 Bullæ Cœnæ excommunicantur.*

Vigesima prima: Excommunicantur qui absolvunt sine debita facultate à præfatis Excommunicationibus.

Verùm Nota Primò: Excommunicationem, quam contrahit is, qui absolvit à Casibus Bullæ Cœnæ, non esse reservatam Summo Pontifici sicut cœteræ ejusdem Bullæ, Tum, Quia hæc Excommunicatio ponitur post reservationem factam aliarum excommunicationum in priori Paragrapho, adeóque signum est, quòd Pontifex non velit eam comprehendere cum prioribus. Tum, Quia in antiquioribus Bullis apponebantur verba reservantia hanc Excommunicationem, quæ tamen defactò omittuntur, quod iterum signum est Pontificem non velle amplius reservare: Et sic sentiunt Navarrus, Suaretz, Sayrus, Toletus, &c. apud Bonacinam. *Non reservatur Summo Pontifici.*

XX. *Incurrens debet esse præsumens.*

Nota Secundò: Hanc Censuram non incurri à quocunque absolvente ab Excommunicationibus hujus Bullæ, sed solùm à præsumentibus absolvere, id est, dum sciunt, se non posse absolvere, adhuc tamen absolvunt, & sic si quis absolveret bonâ fide, putans se habere privilegia, vel ex oblivione, inadvertentia & etiam ignorantia, non incurreret Excommunicationem, ratio est, quia verba non sunt extendenda ultra mentem Legislatoris, quam exprimunt, cùm autem dicatur *præsumentes* absolvere excommunicatos esse, ad alios non debet fieri extensio. Zabarella, Sylvester, Ugolinus &c. tenent absolventem à peccato, ob quod lata est excommunicatio, non verò ab Excommunicatione ipsa non affici Excommunicatione Bullæ, Rationes horum sunt, Tum, Quia Pontifex dicit, neminem posse absolvere contra tenorem præsentium à talibus excommunicatione, & anathemate, & suprà dixerat à sententiis, per sententias autem non intelligitur peccatum, sed excommunicatio, & una pars legis declarat aliam, *l. ut gradatim. ff. de muner. & honor.* ergò absolvens à peccato, & non à Censura, non incurrit excommunicationem, Tum, Quia in pœnalibus benignior pars est eligenda, Tum, Quia excommunicatus si bonâ fide accedat, non est incapax Sacramenti & fructus ejus, ergò Sacerdos validè ei con- *Tenent aliqui, posse fieri absolutionem à peccato, licet non à censura Excomm.*

ei conferet, licèt conferendo peccet. Tum denique, Quia peccata reservata sub Censura, non reservantur per se, sed ratione Censuræ, ergò absolutio unius impendi potest sine alio. Bonacinna tenet sententiam contrariam, hanc tamen planè non rejicit, sed ultimò dicit suam tunc maximè in praxi tenendam, quando periculum adesset, quòd pœnitens Bullæ Cœnæ præcepta parvipenderet, quare si non adesset hoc periculum, negare non videtur, posse sic aliquem validè absolvere cum obligatione sese præsentandi habenti facultatem impendendi absolutionem ab excommunicatione.

XXI. Episcopi probabiliter possunt suos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ.

Nota Tertiò: Episcopos probabiliter posse absolvere suos subditos delinquentes contra Bullam Cœnæ; Tum, Quia Episcopus potest in sua Diœcesi, quod Pontifex in toto Orbe, Tum, Quia id videtur concedere *Concilium Tridentinum Sess.* 24. *cap.* 6. nec dici debet, hoc privilegium eis esse revocatum; quia Decreta Concilii Generalis maximè recentissimi non censentur revocari, nisi illius expressa fiat mentio. Ita sentiunt Bannes, Aragonius, Vivaldus, Nugnus, Sanchetz, &c. Quod à fortiori verum puto, si quis ex subditis ob aliquod impedimentum physicum vel morale nequeat adire Pontificem, quia aliàs reservatio non esset ad utilitatem fidelium, cùm multa inconvenientia & pericula salutis advenire possint, & satis clarè deducitur *ex cap. Ea noscitur. cap. de his, & cap. Eos, qui. de sent. excom.* 6. eos, qui ob mortis articulum, vel aliud *legitimum impedimentum*, recurrere nequeant, absolvi posse.

XXII. Confessarii debent casus Bullæ Cœnæ penes se habere.

Tandem Nota Quartò: Omnes Confessarios & animarum curam habentes obligari probabiliter sub peccato, ut transsumptum Bullæ Cœnæ penes se habeant, qui sic præcipitur in ista Bulla, estque materia gravis, quamvis excusari possent, qui eam vel ejus Canones sciret memoriter. Penes se autem tenere & habere non est idem, quasi penes se deberet portare, sed satis est, quod habeat in sua domo, in Ecclesia sua, & Regulares in Sacristia, vel alio patenti loco, nam res aliqua penes alterum esse dicitur, quando est in ejus domo. *l. Titia cum Testamento. §. Cajus. de Legat.* 3. Sicque sentit Bartholus hic, & alii.

QUÆSTIO QUARTA.

De Excommunicationibus Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ, quæ sunt communes omnibus Personis.

PRrincipaliores hujusmodi Excommunicationes sunt triginta sex, quas etiam, ne confusionem generet multitudo, duabus explicabo Quæstionibus, & in hac accipiam viginti, reliquas pro sequenti. Itaque

Prima est contra ambientes Papatum, aut tractantes de electione futuri Pontificis, vivente adhuc Pontifice, eóque inconsulto. *Ex Bulla* 16. *Pauli IV.* quæ incipit: *Cùm secundùm Apostolum*, quæ Bulla ideò edita fuit, ne captaretur occasio occidendi Pontificem; si quis autem ambiret Papatum post mortem Pontificis non incurreret hanc Censuram, sed excommunicationem *Julii II.* in Bulla, quæ incipit: *Cùm tàm Divino.* Cui similis est contra facientes sponsiones super vita, morte, & electione Pontificis ex Greg. 14. I. Ambientes Papatum excommunicantur.

Secunda est contra eos, qui Litteras, scriptum, nuntium, notam, aut signum ad existentes in Conclavi mittunt, vel recipiunt, aut è contra. *ex Bulla* 63. *Pii V.* quæ incipit: *In Eligendis.* Similis excommunicatio habetur etiam *in cap. Ubi periculum. de Elect. in* 6. excepto quòd ibi non sit reservata. Notandum tamen, ut hæc Censura incurratur, talem missionem debere fieri sine consensu Cardinalium aliorum, & non sufficere solam attentationem, sed missionem debere esse completè factam, & litteræ &c. debent pervenisse. II. Litteras ad Conclave mittentes, excomm.

III. Habentes litteras Apostolicas falsas excomm.

Tertia: Contra habentes litteras Apostolicas falsas, si intra viginti dies illas non destruant, vel resignent. *ex cap. Ad falsariorum. de Crimine falsi.* & est etiam casus Bullæ Cœnæ.

IV. Fingentes se Cardinalium Nepotes, ut litteras gratis obtineant, excomm.

Quarta: Contra eos, qui in litteris Apostolicis ut illarum expeditionem gratis asseqvantur, fingunt se nepotes, fratres, continuos Commensales Cardinalium, aut aliorum, quorum Litteræ ex privilegio, vel consuetudine gratis expediri solent. Ita *ex Innocentio VIII. & Leone X. Bulla 28. quæ incipit, Inhærendo vestigiis.*

V. Percussores Clerici excommunicantur.

Quinta: Contra Percussores Clericorum, *ex cap. Si quis suadente Diabolo. 17. q. 4.* ubi dicitur: *Si quis suadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat eum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandata recipiat.* Ubi Notandum primò, per manus violentas intelligi actionem quamcunque, quæ per manus aut pedes fieri solet, desumpta à principaliori membro agendi instrumentaliter, sive sit percussio, sive trusio, debet tamen injuriosa esse, & mortaliter peccaminosa, si enim non esset mortaliter peccaminosa, nulla esset excommunicatio, sicut etiam, si non esset injuriosa, actio autem injuriosa licèt levis sit, per se sufficit, ut incurratur hæc excommunicatio; hinc licèt aliquis percutiens Clericum, leviter intendens percutere graviter, non incurrat Excommunicationem, si tamen actio illa esset valdè injuriosa, eam incurreret, hinc conspuens indignatione Clericum, aut virgâ eum cædens, vel in carcere includens, aut alio loco, ex quo sine dedecore exire nequit, excommunicatus est ex sententia communi apud Bonacinnam citantem Suarem, Filliucium, Reginaldum, Coning &c. Similiter censetur excommunicatus, qui Clerico vestem, quam in corpore suo actu portat, lacerat, vi abripit, venenum propinat, aut cibo alio venenato interficit, si interfectio subsequatur, & universaliter quoties actio prudentum judicio sic injuriosa est, ut actio censeatur mortaliter peccaminosa, si non sit mortalis culpa, non erit excommunicatio pertimescenda.

VI. Debet esse mortalis culpa.

VII. Ratihabens percussionem Clerici excom.

Nota Secundò: Non solùm percutientem Clericum incurrere hanc excommunicationem, sed etiam consulentem & mandantem, si ex consilio & mandato percussio subsequatur. *ex cap. Quantæ. de sent. excom.* ubi expressè dicitur, non solùm percutientem, sed & consentientem huic subjacere excommunicationi; Imò ulterius qui percussionem Clerici suo nomine factam ratihabet. *ex cap. Cum quis. de sent. excomm. 6.* hæc enim fictione juris *retrotrahitur, & comparatur mandato.* Ratihabitio autem non debet esse sola facti approbatio, sed debet velle & ratihabere tanquam suo nomine factam, Etiamsi fœmina esset, quia sicut fœmina percutiens incurrit excommunicationem, sic etiam incurret, si ratihabeat, nam utrobique universaliter prohibetur, Particula enim *Si quis* universalis est, & complectitur non solùm Masculinum, sed & fœmininum. *l. Cum filiis. ff. de vulgar. & publ.*

VIII. Casus, in quibus à percussione Clerici absolutio fieri possit ab Episcopis.

Nota Tertiò: Ab hac Censura absolvere potest in primis Pontifex, Secundò, Legatus à Latere, *cap. ad Eminentiam. de sent. excom.* Tertiò, Episcopi, si percussio sit levis, *cap. Pervenit. de sent. excom.* Imò Clericos collegialiter viventes, & in communi possunt absolvere ab excommunicatione, ratione percussionis mediocris & enormis, *ex cap. Quoniam. de vita & honest. Cleric.* Cum Janitoribus & Officialibus Principum, qui ex Officio suo ad arcendam turbam leviter vel mediocriter Clericos percutiunt, *cap. Si verò. de sent. excomm.* Similiter si immineat proximum periculum mortis, si legitimè sit impeditus percutiens. *cap. de cœtero. de sent. excom.* id est, infirmitate, sexûs debilitate & ligatione Ma-

ne Matrimonii, servitutis, subjectionis, ùt in Filiisfamiliâs, paupertatis, quamdiu durat hoc impedimentum, quo ablato licèt ab Episcopo absoluti sint, tenentur se præsentare Summo Pontifici, alioquin reincidunt in excommunicationem, *ex cap. Eos, qui. de sent. excom.* magnâ hostilitate, quæ semper prudentis judicio dijudicanda erunt. *cap. de Causis. de Offici. Deleg.* Cum mulieribus cujuscunque sint ætatis & conditionis. *cap. Mulieres. de sent. excom.* in quò etiam casu nihil obesset, etsi homicidium secutum fuisset. Denique Episcopi possunt absolvere ab Excommunicatione etiam propter enormem percussionem incursa, quando delictum est occultum, quantum autem possint Regulares, ad privilegia sua eos remitto.

IX. Non semper percutientes clericum, incurrunt excommun.

Nota Quartò: Caput illud: *Si quis.* non esse ita universale, ut ob quamcunque percussionem & violentam manuum injectionem incurratur excommunicatio, nam imprimis ab ea excusantur ii, qui Clericum percutiunt in continenti, vim vi expellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se, sua, *ex cap. Si verò. de sent. excom.* quod etiam facere potest fœmina, quæ non verbis modò, sed & facto aggressa fuit ad violationem. Deindè excusatur per ignorantiam, si faciat per jocum, *ex cap. 1. de sent. excom.* ubi etiam dicitur excusari eos, qui Clericum percutiunt causâ correctionis, & non ex odio, ùt contingit in pluribus Religionibus, hinc etiam Pater percutere potest filium Clericum, Professor Discipulum, dummodò non excedat modum notabiliter cum peccato mortali; Tertiò, excusatur ab Excommunicatione, qui percutit vel occidit in continenti Clericum inventum in actu turpi, etiamsi non esset subsecuta ipsa copula, *ex cap. Si verò suprà.* Quartò, si percutiat Clericum, qui ter monitus, legitimè non portat habitum & tonsuram, & qui se implicat Negotiis sæcularibus mercaturæ, aut qui egit cauponem per se vel per alium, maximè si sit conjugatus, aut bigamus, hic enim simpliciter amittit omnia privilegia Clericalia. *cap. Unico. de bigamis. 6. & cap. Unico. de Cleri. Conjug. 6.* aut si Clericus factus sit miles immiscendo se enormitatibus grassationis &c. quem dicunt plures Doctores etiam amittere privilegium fori. Denique si percutiatur Clericus ad arcendam turbam cum aliis plebeis ad honorem & tutelam principis, & universaliter, quando quis facit talem violentiam ex mandato Ecclesiastici Judicis.

Sexta: Contra occupantes bona Cardinalium in Conclavi existentium, aut etiam alias ipsorum domus invadentes, aut aliquid hostiliter diripientes, aut vulnerantes aliquem ibi existentem. *ex Bulla Leonis X.* quæ incipit: *Temerariorum.* & ex aliis. X. Invadentes bona Cardinalium in Conclavi existentium excomm.

Septima: Contra Perfringentes & Spoliantes Ecclesias, *ex cap. Conquesti. de sent. excom.* XI. Perfringētes Ecclesias excom.

Octava: Contra auferentes & retinentes lapides vel alia ornamenta Ecclesiarum, aut præstantes auxilium auferenti vel retinenti, aut non revelantes, *ex Bulla Sixti IV.* quæ incipit: *Cum provida*, cui assimilis est alia excommunicatio contra extrahentes reliquias ex cœmeteriis & catacumbis, ex mandato Pauli V. die 24. Augusti 1613. XII. Auferentes ornamenta Ecclesiarū excomm.

Nona: Contra vexantes eos, qui Censuram in aliquem tulerunt, *ex cap. Quicunque. de sent. excom.*

Decima: Contra violantes immunitatem Ecclesiasticam locis sacris concessam. *ex cap. Miror. cap. Definivit. cap. Nullus. 17. q. 4. cap. Inter alia. de Immunit. Eccles. & ex Const. Gregorii XIV.* quæ incipit: *Cùm alias nonnulli.* Ubi notandum Primò, Libertatem Ecclesiasticam & Immunitatem Ecclesiasticam non idem esse, Libertas enim respicit personam, Immunitas verò Ecclesiastica Locum & Ecclesias, estque immunitas exemptio & privilegium Ecclesiis concessum, ùt ibi existentes tuti sint à laica potestate. XIII. Violantes immunitatem Ecclesiasticam excomm. Differentia inter libertatem & immunitatem Ecclesiast.

III. Habentes litteras Apostolicas falsas excomm.

Tertia: Contra habentes litteras Apostolicas falsas, si intra viginti dies illas non destruant, vel resignent. *ex cap. Ad falsariorum. de Crimine falsi.* & est etiam casus Bullæ Cœnæ.

IV. Fingentes se Cardinalium Nepotes, ut litteras gratis obtineant, excomm.

Quarta: Contra eos, qui in litteris Apostolicis ut illarum expeditionem gratis asseqvantur, fingunt se nepotes, fratres, continuos Commensales Cardinalium, aut aliorum, quorum Litteræ ex privilegio, vel consuetudine gratis expediri solent. Ita *ex Innocentio VIII. & Leone X. Bulla 28. quæ incipit, Inhærendo vestigiis.*

V. Percussores Clerici excommunicantur.

Quinta: Contra Percussores Clericorum, *ex cap. Si quis suadente Diabolo.* 17. q. 4. ubi dicitur: *Si quis suadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat eum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandata recipiat.* Ubi Notandum primò, per manus violentas intelligi actionem quamcunque, quæ per manus aut pedes fieri solet, desumpta à principaliori membro agendi instrumentaliter, sive sit percussio, sive trusio, debet tamen injuriosa esse, & mortaliter peccaminosa, si enim non esset mortaliter peccaminosa, nulla esset excommunicatio, sicut etiam, si non esset injuriosa, actio autem injuriosa licèt levis sit, per se sufficit, ut incurratur hæc excommunicatio; hinc licèt aliquis percutiens Clericum, leviter intendens percutere graviter, non incurrat Excommunicationem, si tamen actio illa esset valdè injuriosa, eam incurreret, hinc conspuens indignatione Clericum, aut virgâ eum cædens, vel in carcere includens, aut alio loco, ex quo sine dedecore exire nequit, excommunicatus est ex sententia communi apud Bonacinnam citantem Suarem, Filliucium, Reginaldum, Coning &c. Similiter censetur excommunicatus, qui Clerico vestem, quam in corpore suo actu portat, lacerat, vi abripit, venenum propinat, aut cibo alio venenato interficit, si interfectio subsequatur, & universaliter quoties actio prudentum judicio sic injuriosa est, ut actio censeatur mortaliter peccaminosa, si non sit mortalis culpa, non erit excommunicatio pertimescenda.

VI. Debet esse mortalis culpa.

VII. Ratihabens percussionem Clerici excom.

Nota Secundò: Non solùm percutientem Clericum incurrere hanc excommunicationem, sed etiam consulentem & mandantem, si ex consilio & mandato percussio subsequatur. *ex cap. Quantæ. de sent. excom.* ubi expressè dicitur, non solùm percutientem, sed & consentientem huic subjacere excommunicationi; Imò ulterius qui percussionem Clerici suo nomine factam ratihabet. *ex cap. Cum quis. de sent. excomm.* 6. hæc enim fictione juris *retrotrahitur, & comparatur mandato.* Ratihabitio autem non debet esse sola facti approbatio, sed debet velle & ratihabere tanquam suo nomine factam, Etiamsi fœmina esset, quia sicut fœmina percutiens incurrit excommunicationem, sic etiam incurret, si ratihabeat, nam utrobique universaliter prohibetur, Particula enim *Si quis* universalis est, & complectitur non solùm Masculinum, sed & fœmininum. *l. Cum filiis. ff. de vulgar. & publ.*

VIII. Casus, in quibus à percussione Clerici absolutio fieri possit ab Episcopis.

Nota Tertiò: Ab hac Censura absolvere potest in primis Pontifex, Secundò, Legatus à Latere, *cap. ad Eminentiam. de sent. excom.* Tertiò, Episcopi, si percussio sit levis, *cap. Pervenit. de sent. excom.* Imò Clericos collegialiter viventes, & in communi possunt absolvere ab excommunicatione, ratione percussionis mediocris & enormis, *ex cap. Quoniam. de vita & honest. Cleric.* Cum Janitoribus & Officialibus Principum, qui ex Officio suo ad arcendam turbam leviter vel mediocriter Clericos percutiunt, *cap. Si verò. de sent. excomm.* Similiter si immineat proximum periculum mortis, si legitimè sit impeditus percutiens. *cap. de cœtero. de sent. excom.* id est, infirmitate, sexûs debilitate & ligatione Ma-

ne Matrimonii, servitutis, subjectionis, ut in Filiisfamilias, paupertatis, quamdiu durat hoc impedimentum, quo ablato licet ab Episcopo absoluti sint, tenentur se præsentare Summo Pontifici, alioquin reincidunt in excommunicationem, *ex cap. Eos, qui. de sent. excom.* magnâ hostilitate, quæ semper prudentis judicio dijudicanda erunt. *cap. de Causis. de Offici. Deleg.* Cum mulieribus cujuscunque sint ætatis & conditionis. *cap. Mulieres. de sent. excom.* in quo etiam casu nihil obesset, etsi homicidium secutum fuisset. Denique Episcopi possunt absolvere ab Excommunicatione etiam propter enormem percussionem incursa, quando delictum est occultum, quantum autem possint Regulares, ad privilegia sua eos remitto.

IX. Non semper percutientes clericum, incurrunt excommun.

Nota Quartò: Caput illud: *Si quis.* non esse ita universale, ut ob quamcunque percussionem & violentam manuum injectionem incurratur excommunicatio, nam imprimis ab ea excusantur ii, qui Clericum percutiunt in continenti, vim vi expellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se, sua, *ex cap. Si verò. de sent. excom.* quod etiam facere potest fœmina, quæ non verbis modò, sed & facto aggressa fuit ad violationem. Deindè excusatur per ignorantiam, si faciat per jocum, *ex cap. 1. de sent. excom.* ubi etiam dicitur excusari eos, qui Clericum percutiunt causâ correctionis, & non ex odio, ùt contingit in pluribus Religionibus, hinc etiam Pater percutere potest filium Clericum, Professor Discipulum, dummodò non excedat modum notabiliter cum peccato mortali; Tertiò, excusatur ab Excommunicatione, qui percutit vel occidit in continenti Clericum, inventum in actu turpi, etiamsi non esset subsecuta ipsa copula, *ex cap. Si verò supra.* Quartò, si percutiat Clericum, qui ter monitus, legitimè non portat habitum & tonsuram, & qui se implicat Negotiis sæcularibus mercaturæ, aut qui egit cauponem per se vel per alium, maximè si sit conjugatus, aut bigamus, hic enim simpliciter amittit omnia privilegia Clericalia. *cap. Unico. de bigamis.* 6. *& cap. Unico. de Cleri. Conjug.* 6. aut si Clericus factus sit miles immiscendo se enormitatibus grassationis &c. quem dicunt plures Doctores etiam amittere privilegium fori. Denique si percutiatur Clericus ad arcendam turbam cum aliis plebeis ad honorem & tutelam principis, & universaliter, quando quis facit talem violentiam ex mandato Ecclesiastici Judicis.

Sexta: Contra occupantes bona Cardinalium in Conclavi existentium, aut etiam alias ipsorum domus invadentes, aut aliquid hostiliter diripientes, aut vulnerantes aliquem ibi existentem. *ex Bulla Leonis X.* quæ incipit: *Temerariorum.* & ex aliis. X. Invadentes bona Cardinalium in Conclavi existentium excomm.

Septima: Contra Perfringentes & Spoliantes Ecclesias, *ex cap. Conquesti. de sent. excom.* XI. Perfringẽtes Ecclesias excom:

Octava: Contra auferentes & retinentes lapides vel alia ornamenta Ecclesiarum, aut præstantes auxilium auferenti vel retinenti, aut non revelantes, *ex Bulla Sixti IV.* quæ incipit: *Cum provida*, cui assimilis est alia excommunicatio contra extrahentes reliquias ex cœmeteriis & catacumbis, ex mandato Pauli V. die 24. Augusti 1613. XII. Auferentes ornamenta Ecclesiarũ excomm.

Nona: Contra vexantes eos, qui Censuram in aliquem tulerunt, *ex cap. Quicunque. de sent. excom.*

Decima: Contra violantes immunitatem Ecclesiasticam locis sacris concessam. *ex cap. Miror. cap. Definivit. cap. Nullus. 17. q. 4. cap. Inter alia. de Immunit. Eccles. & ex Const. Gregorii XIV.* quæ incipit: *Cum alias nonnulli.* Ubi notandum Primò, Libertatem Ecclesiasticam & Immunitatem Ecclesiasticam non idem esse, Libertas enim respicit personam, Immunitas verò Ecclesiastica Locum & Ecclesias, estque immunitas exemptio & privilegium Ecclesiis concessum, ut ibi existentes tuti sint à laica potestate. XIII. Violantes immunitatem Ecclesiasticam excomm. Differentia inter libertatem & immunitatem Ecclesiast.

† Aaaa 2 Nota

XIV. Immunitas competit Ecclesiis etjam ex parte dirutis.

Nota Secundò: Hanc immunitatem primò competere omnibus Ecclesiis & templis ad orandum & placandum, fundendásque preces DEO ordinatis & authoritate Episcopi fundatis, etsi nondum sint benedictæ, aut licèt essent pollutæ vel interdictæ, vel magnâ ex parte dirutæ injuriâ temporum, si enim dirutæ essent ex voluntate Episcopi sine spe reædificandi privilegium immunitatis perderent. Nec hoc privilegium extenditur tantùm ad ipsum Ecclesiæ corpus quoad intra, sed etiam quoad tectum, Campanilia, Sacristiam, scalas seu gradus, claustrum, cœmiterium, seu benedictum seu non, dummodò in eo de licentia Episcopi & Domini, aliquis Christiano more sit ibi sepultus, quæ enim Religiosis adhærent, religiosa censentur, *dicit l. Quæ Religiosis. ff. de rei vendicatione.* Item extenditur hoc privilegium ad confinia Ecclesiæ ad quadraginta passus incipiendo à muro Ecclesiæ. *ex cap. Antiquitus.* 17. *q.* 4. Et hinc est, quòd domus Parochorum & Episcoporum dummodò intra dictum spatium existant, gaudeant hoc privilegio, quamvis nonnulli Doctores existiment, palatia Episcoporum etiam gaudere hoc privilegio, licèt ulterius distarent, quia *in cap. Constituimus.* 17. *q.* 4. Secundò gaudent hoc privilegio Oratoria authoritate Episcopi constructa, & perpetuo Divino Cultui dicata. Tertiò, omnia Monasteria & Domus Religiosorum, & ad omnia, quæ illis connexa sunt, Hospitalia, & Seminaria, secundùm plures Doctores. Hinc si quis teneret ansam in porta Ecclesiæ ipsa clausâ jam gauderet immunitate, quia esset intra spatium confiniorum.

Immunitas competit locis & officinis adhærentibus, & ad 40. vel 30. passus.

XV. Nemo potest capi in locis immunibus sine sacrilegio.

Nota Tertiò: Ratione immunitatis inprimis neminem posse capi in præfatis locis à laica potestate sine sacrilegio & violatione immunitatis loci sacri, adeóque ad illa confugiens patrato delicto immunis est, si non velit spontè exire & resignare suo privilegio nolens gaudere, quia tunc nulla contingit violentia, & potest huic privilegio resignare, cùm non modò in favorem loci sacri, sed etiam in favorem reorum concessum sit. Quòd si tamen aliquis tantùm duceretur per cœmiterium & Ecclesiam captus alibi, non gauderet hoc privilegio, quia ad eam liberè non confugit, undè vi extrahi posset, si aliàs nollet. Hoc enim privilegium concessum est liberè confugientibus, *ex cap. Inter alia. de Immunit. Eccles.* Imò si aliquis captus vi in loco sacro & detentus in carcere sæculari de voluntate Episcopi volentis cognoscere, an privilegiô hôc gaudere debeat, nec ne, & impatiens moræ Episcopique sententiam non expectans aufugeret, si caperetur, Secundò, in alio loco, priori privilegio non gauderet, quia esset captus in loco non sacro, & damnum hoc suæ fugæ deberet adscribere.

XVI. Existenti in loco sacro non debeat impediri alimenta.

Secundò: Existens in loco sacro non debet impediri, quo minùs vestimenta & alimenta ei ministrari possint. *l. Præsenti. C. de iis, qui ad Ecclesiam.* Nec etiam debet ei aliqua vis aut damnum inferri. *ex cap. Definivit.* 17. *q.* 4. hinc non potest spoliari in Ecclesia vestibus & propriis rebus, quæ justè possidet, si autem injustè possideret, spoliari posset, imò multi putant, quòd existens in Ecclesia nec possit spoliari bonis, quæ extra Ecclesiam possidet per confiscationem, quamvis alii apud Bonacinnam probabilius contrarium opinentur, quia jura solùm prohibent, nè pœnâ corporali affligantur, non verò pecuniaria, hinc quamdiu in Ecclesia est, nequit condemnari ad mortem, & ad aliam pœnam corporalem Exilii, Triremium, mutilationis &c. *ex cap. Inter alia. supra.* sub nullitate actuum, cum fiant à Judice non habente Jurisdictionem, & hoc verum est, etiamsi eum haberet in sua potestate & suis carceribus, dummodò anteà esset vi extractus à sacro loco.

XVII. Extrahens debet resarcire injuri Ecclesiæ.

Tertiò: Quicunque per vim extrahitur à sacro loco, eidem debere restitui, resarciendo illatam injuriam

riam Ecclesiæ aut Episcopo vel ejus Vicario, & hoc habetur *in cap. Antiquitus. & cap. Miror.* 17. *qu.* 4. ubi dicitur, Judicem sub Excommmunicatione compellendum esse ad restitutionem hujusmodi extracti, ita quod licèt cautionem daret de impunitate, nondum satisfaceret antè plenam restitutionem.

XVIII. Latrones non gaudent imunitate.

Nota Quartò: Non omnes omninò malefactores jure communi gaudere hoc privilegio immunitatis, nam imprimis publici Latrones, id est, in publicis viis deprædantes & Latrotinia exercentes, Grassatores viarum, id est, agrorum segetes, fructus, & vineas vastantes & surripientes, *l.* 1. *C. quando liceat unicuique sine Judice sibi jus dicere.* excipiuntur in Constitutione *Gregorii XIV. & Cap. Inter alia. de Immunit. Ecclesiar.*

XIX. Committentes homicidia vel mutilationes in Ecclesiis non gaudent immunitate.

Secundò: Excluduntur Committentes homicidia vel mutilationes in Ecclesiis, etiamsi postmodum extra Ecclesiam læsus & vulneratus moriatur, earumque cœmiteriis, *ex cap. finali. de Immunit. Eccles.* Par enim non est, ut immunitate Ecclesiæ fruatur, qui in Ecclesia peccat, *cap. Frustra. de usuris.* ubi dicitur: *Frustra Legem implorat, qui in Legem delinquit.* Et hoc verum est in quacunque Ecclesia etiam non benedicta, sive ex rixa, ira, sive ex proposito homicidium vel mutilationē perpetraverit; & postmodùm ad aliam confugiat. Si verò vulneraret aliquem sine mutilatione & sine occasione, non privaretur immunitate, quia Jura tantùm privant immunitate occidentes vel mutilantes, quæcunque autem vulneratio non est mutilatio, & occisio, ergò. Imò si aliquis intra Ecclesiam existens occideret alterum extra Ecclesiam existentem, non privaretur immunitate, cùm non occidat propriè hominem in Ecclesia, ergò, cùm id jure non sit expressum, non debet statim privari immunitate.

XX. Proditoriè occidentes non gaudent imunitate.

Tertiò: Proditoriè occidentes proximum suum, Rei assasinii, id est, qui pretio accepto & ex proposito conducti ex mandato occidunt, nihil tale ab eis præcogitantes (mutilatio non sufficit) eorùmque coòperatores, auxiliatores, fautores & receptores, ex Constit. Gregoriana suprà.

XXI. Rei hæresis, & criminis læsæ Majestatis, non gaudent immunitate.

Quartò: Rei Hæresis: Quintò: Rei criminis Læsæ Majestatis in Personam Principis ipsius, qui in sua jurisdictione nullum Superiorem agnoscit, ùt sunt: Pontifex, Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones & Comites nullum Superiorem habentes, ex Constitutione sæpè dicta Gregorii. Hinc qui delinquit in Uxorem, filium vel filiam talis Principis & Domini, Consiliarios, Gubernatores, Ipsumque totum Statum & Regnum, non privatur immunitate Ecclesiasticâ, licèt enim talis reus sit criminis læsæ Majestatis, non est tamen reus criminis læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis, quod Gregorius requirit. Tunc autem dicitur aliquis crimen læsæ Majestatis committere, quando committitur à subdito aliqua actio in damnum & offensam personæ ipsius Principis, occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo, revelando secreta Principis hostibus, ut ab ipsis capiatur, aut hæc & similia consulendo, favendo, auxiliando, etiamsi effectus non sit secutus.

XXII. Violantes immunitatem committunt crimen læsæ Majestatis.

Nota Quintò: Violantes immunitatem Ecclesiasticam, præter casus recensitos ex Jure Civili committere crimen læsæ Majestatis. *ex l.* 2. *Cod. de His, qui ad Eccles. confug.* Jure verò Ecclesiastico & Canonico præter Excommunicationem (nisi ignorantia & Consuetudo contraria excuset) ipso facto ex constitutione Gregoriana latam & incursam, à quâ sine expressâ facultate non nisi Pontifex, vel Episcopus facta prius restitutione & satisfactione absolvere possit, imponitur cum pœnitentia publica arbitrio Episcopi injungenda, mulcta nonaginta solidorum, *ex cap. Quisquis.* 17. *q.* 4.

XXIII. Episcopi est cognoscere, utrū quis gaudeat immunitate. Nota Sextò: In casibus suprà expressis Prælatos Locorum gaudentium immunitate, teneri consignare Curiæ sæculari confugientes ad Locum immunem, si requiratur, à Judice sæculari, sique illis constet hoc delictum esse tale, ut privilegio immunitatis gaudere non possit confugiens. Unde penes facultatem expressam Episcopi debet adesse capturæ Persona Ecclesiastica, vel à se, vel à Vicario deputata, quæ insinuet hunc captum detinendum esse in carcere nomine Episcopi, usquedum Episcopo vel deputato suo cognitum fuerit, crimen esse tale, ob quod debeatur delinquenti privatio immunitatis Ecclesiasticæ, non est tamen necessarium, ut tunc seu in tali casu petat à Judice sæculari cautionem, quòd reum non velit punire pœnâ sanguinis. Quòd si tamen Episcopus extra illos casus in Bulla Gregoriana expressos, Judici seculari facultatem præberet (quod facere posse Episcopos, tenet Sylvester, Suaretz, Pregrinus & alii, censetq; probabile Bonacinna) extrahendi confugientem ad Locum sacrum, tunc peti deberet cautio, eáque juratoria, de impunitate in vita, membris, & omni pœna corporali.

XXIV. Exigentes juramenta illicita excomm. Undecima: Excommunicatio est contra exigentes juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel contraria libertati Ecclesiasticæ, aut Decretis Concilii Tridentini ex Bulla *Gregorii XIII.* quæ incipit: *Inter Apostolicos*.

Duodecima: Contra Impedientes executionem Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ ex Julio III. in Bulla prima, quæ incipit: *Rationi congruit*, cui similis est alia in Bulla Cœnæ, hæc tamen omninò est distincta.

XXV. Cogentes celebrare in loco interdicto excom. Decima tertia: Contra cogentes cum præsumptione aliquem celebrare in loco interdicto, vel evocantes excommunicatos, vel interdictos ad audienda Divina Officia in locis interdictis, vel prohibentes nè excommunicati vel interdicti publicè exeant tempore Missæ, aut denique nolentes exire ex Ecclesia, dum excommunicatus publicè vel interdictus monitus à celebrante ut exeat, remanere præsumit. Ita Clement. *Gravis. de sent. excom.*

Decima quarta: Contra participantes in crimine criminoso, *ex cap. Nuper. de sent. excom.* Ubi Julius III. respondit Episcopo Wratislaviensi, talem communicantem & participantem in crimine criminoso absolvendum esse ab eo, à quo absolvi potest excommunicatus, cùm quo participat, unde si excommunicatus non potest absolvi, nisi à Pontifice, taliter participans etiam non poterit nisi ab eo absolvi. XXVI. Participantes in crimine criminoso.

Decima quinta: Contra Excommunicatos à delegato perseverantes in Excommunicatione per annum, *ex cap. Quærenti. de Officio & potest. Jud. del.* Cùm etiam taliter delegatus non nisi per annum duret, quo elapso cessat jurisdictio, hinc qui ultra annum perseverat in Excommunicatione à delegato lata, ipsa manet reservata Papæ deleganti, verùm hæc reservatio directa non est, sed indirecta propter cessationem Jurisdictionis delegati.

Decima sexta: Contra absolutos in articulo mortis aut tempore impedimenti non præsentantes se legitimo Superiori, à quo aliàs absolvendi erant, & contra absolutos à Papa vel Legato sub conditione & onere, & postea conditionem & onus non implent. *ex cap. Eos qui, de sent. excom.*

Decima septima: Contra Simoniacos in Ordine & Beneficio, *in X. Pauli II.* quæ incipit: *Cùm detestabile. de Simonia.* Similiter, qui committunt Simoniam confidentialem in beneficiis, id est, qui resignant, conferunt, vel præsentant ad beneficium hoc animo, ut ipsum, vel fructus in totum vel in partem restituantur vel reserventur, resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri juxta ipsius designationem, *ex Bulla Pii IV.* in Bulla, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, *& ex Bulla* 85. *Pii V.* quæ incipit: *Intolerabi-*

lerabilis multorum perversitas. Unde omnes recipientes cum simili confidentia Excommunicationem istam incurrunt, quamvis non videantur incurrere ipsi resignantes &c.

Decima octava: Contra petentes vel exigentes aliquid in collatione aliáve provisione Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel admissione ad illorum possessionem, *ex Bulla Pii V.* quæ incipit: *Durum nimis est.* 104.

Decima nona: Contra eos, qui pro Beneficiis obtinendis seipsos pro aliis in examine supponunt, aut Beneficium impetrant pro aliis cum oblatione pensionis, aut cum spe annuæ pensionis, aut alicujus commodi temporalis, aut Beneficia impetrant pro se ipsis, cum animo illa resignandi in fraudem aliorum. *Ex Paulo IV. in Bulla*, quæ incipit: *Inter cœteras curas.*

Vigesima: Contra dantes vel recipientes aliquid ex pacto pro ingressu ad Religionem, *ex cap. Sanè. Extrav. de Simonia.* Hoc tamen intelligendum est de iis, qui aliquid petunt aliâ ratione, quàm pro sustentatione necessaria, si monasterium sit inops, imò etiamsi sit dives, quia pro sustentatione licitè accipere posse Moniales multi concessere Pontifices, ùt *Innocentius VIII. & Clemens VII.* ergò etiam alii possunt pro sustentatione aliquid accipere, quamvis multi Doctores Moniales non excusent, si aliquid ultra congruam sustentationem suscipiant.

QUÆSTIO QUINTA.

Adducens reliquas Excommunicationes Papæ reservatas omnibus communes.

Vigesima prima: Contra eos, qui ob questum publicant, vel concedunt Indulgentiam aut facultatem absolvendi, *ex Bulla 99. Pii V.* quæ incipit: *Quàm plenum.*

Vigesima secunda: Contra dantes aliquid vel recipientes, promittentes, vel promissionem acceptantes pro Gratia (id est, Absolutione, Dispensatione, Beneficio, Pensione, Indulgentia, vel alio favore Pontificio) vel Justitia, id est, sententia (seu æqua seu iniqua) obtinenda in Curia Romana. Item contra præbentes consilium, auxilium, vel favorem contra scientes & non revelantes eos, qui ex pacto tacito vel expresso dant vel recipiunt aliquid pro dicta gratia vel Justitia obtinenda in Curia Romana. Ita *Bonifacius VIII. in Extrav.* quæ incipit: *Excommunicamus.* quæ confirmata & aucta fuit à *Gregorio XIII. in Bulla 24. & à Clemente VIII.* qui etiam extendit in Bulla, quæ incipit: *Pro commissa nobis.* hoc addentes &c. pro gratia & justitia etiam extra Curiam Romanam in Locis Sedis Apostolicæ immediatè vel mediatè in temporalibus subjectis. Nota tamen parvitatem materiæ excusare, item si detur in stipendium laborum, dummodò non notabiliter excedatur, aut si accipiant ob majorem adhibitam Industriam, vel ad compensandum aliud damnum. Nota ulterius, qui obligati sunt denuntiare, debere existere in Curia Romana, alioquin constitutio illa esset irrationabilis.

I. Promulgã-res falsas indulgen-tias, ex-comm.

Vigesima tertia: Contra docentes fieri posse Confessionem Sacramentalem per litteras seu nuntium Confessario absenti, & Absolutionem à Confessario absente recipere & obtineri. Ita Clemens VIII. in Decreto quodam edito in Generali Congregatione Sanctæ Inquisitionis.

II. Docentes fieri posse Confessio-nem per litteras ex-comm.

Vigesima quarta: Contra Impugnantes Beatissimæ Virginis Mariæ immaculatam conceptionem, & contra damnantes de hæresi vel mortali peccato eos, qui asserunt, Beatissimam Virginem cum peccato originali conceptam fuisse. Ex Extrav. Sixti IV. quæ incipit: *Grave nimis, de Relig. & Venerat. Sanct.* Hinc parum refert sive dicat seriò in corde sic sentiendo, sive oretenùs, sentiendo aliter in mente, quia Pontifex

III. Impugnan-tes B. V. Mariæ imma-culatam conceptio-nem, & da-mnantes de peccato mortali cõ-trarium te-nentes, ex-comm.

tifex non punit peccatum internum, sed externam assertionem. Nota autem, plures actiones non prohiberi in favorem negantis Eam conceptam fuisse in originali, quàm in favorem affirmantis, unde si aliquis assereret, illicitum esse audire Concionatores docentes, Beatissimam Virginem conceptam fuisse in originali, non incurreret hanc Censuram, similiter, qui apud se teneret libros defendentes immaculatam Conceptionem tanquam veros non incurreret, quorum utrumque pro contrario si quis teneret (id est, illicitum esse audire Concionatores docentes Immaculatam Conceptionem, aut legeret, teneret, vel haberet pro veris, libros, in quibus continetur, Beatissimam Virginem cum originali conceptam esse hæresim, vel peccatum mortale celebrare ejus festum) Excommunicationem istam incurreret.

IV. Variæ actiones circa conceptionem B. V. prohibentur.

Nota Secundò: Alios Pontifices sequentes, non modò has actiones in dicta materia prohibuisse, sed & plures alias, verumtamen non sub Excommunicatione reservata, sed sub Censura Suspensionis à Divinis, & aliis pœnis. Pius V. in Bulla, quæ incipit: Super specula, prohibet insuper, nè in Concionibus vel in locis ubi promiscuè viri & mulieres conveniunt, una vel altera sententia asseratur, vel refellatur. Ne de hac re in vulgari Sermone scribatur, unam asserendo, & alteram refellendo etiam ex causa pietatis aut necessitatis. Quare in hac Bulla non erat prohibitum disputare in Academiis de hac materia, nec etiam scribere in lingua latina: Hinc ad evitanda scandala Paulus V. prohibuit, nè in publicis Disputationibus, Lectionibus, Concionibus doceatur sententia, Beatissimam Virginem fuisse in originali conceptam, & nè defendentes immaculatam Conceptionem, alteram sententiam impugnent. Verùm, quia nec sic consultum fuit, & sufficienter scandalis provisum, hinc Gregorius XV. prohibuit, nè sententia affirmativa B. V. cum originali conceptam in sermonibus vel scripturis, privatis proponatur, nec aliquo modo de hac tractetur, nisi haberet privilegium, ut concesserat idem Pontifex Patribus Dominicanis; Deindè prohibuit, ut in Sacrificio vel Officio non exprimatur Ejus Conceptio alio nomine quàm *Conceptionis*. Deniq; nec hoc suffecit, quare ultimò Alexander Septimus constitutione, quæ incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*. A. 1661. innovavit Constitutiones & Decreta edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, & libros, in quibus præfata sententia, festum seu cultus secundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque aliquid scribitur, aut legitur, aut locutiones, aut conciones, Tractatus, aut Disputationes contra eandem continentur, post Pauli V. Decretum edita, aut imposterum quomodolibet edenda, prohibuit sub pœnis & Censuris in Indice Librorum prohibitorum contentis. Vetuit autem quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrant.

Vigesima quinta: Contra impugnantes Institutum & Constitutiones Societatis JESU. Ex Bulla 89. Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*. V. Impugnantes institutum Societ. Jesu, excommun.

Vigesima sexta: Contra conficientes libellos famosos aut aliqua scripta contra Ordinem Prædicatorum, aut Franciscanorum, aut injurias aliquas eis inferentes, aut recipientes apostatas. Ex particularibus favoribus & Constitutionibus *Bonifacii IX. Eugenii IV. & Alexandri IV.* Ubi primò prohibent sub Excommunicatione, ne quis dicat, eos esse in statu imperfectionis, aut eis non licere Eleemosynis sustentare vitam, vel non licere eis concionari, aut audire Confessiones de licentia Papæ, Intellige dummodò servatur Constitutio Concilii Trident. Sess. 5. cap. 2. Secundò, excommunican- VI. Cōficientes libellos famosos contra Ordines Prædicatorum & Minorum, excommun.

nicantur, qui eos ejiciunt ab Universitate Parisiensi. Tertiò, comprehenduntur ii, qui violentiam exercent contra loca prædictorum Religiosorum, aut impediunt, ne possint in Ecclesiis suis celebrare, aut prædicare, aut Eleemosynas accipere. Quartò, nè eorum apostatas retineant, quod ad omnes extendit Paulus IV. in Bulla 14. Et Quintò, qui libellos famosos, cantilenas, vel rythmos edunt, retinent, vel publicant contra Ordinem Prædicatorum vel Minorum, ubi nota, non sufficere, ut incurratur hæc excommunicatio, quòd dicta fiant contra unum Religiosorum, sed debere fieri contra totam Religionem.

VII. Prohibentes fieri Monachos Olivetanos, excommun.

Vigesima septima: Contra impedientes aut prohibentes ingressum Religionis iis, qui ad congregationem Monachorum B. V. Mariæ Montis oliveti Ordinis Sancti Benedicti se transferre volunt. *Ex Julio II. in Bulla* 12. quæ incipit: *Etsi ad Universos Regulares.*

Vigesima octava: Contra accedentes ad Sepulchrum Domini absque licentia Papæ. Ex libro pœnitentiali, summi Pœnitentiarii.

VIII. Habentes Thalmud, excomm.

Vigesima nona: Contra eos, qui quoslibet libros, vel codices impii Thalmud, & alia quæcunque librorum volumina & scripta à Constitutione Summorum Pontificum, damnata retinent, habent, legunt, edunt, imprimunt, describunt, advehunt, emunt, vendunt, donant, commutant, distrahunt vel alienant, & qui quoquo modo audent præstare & impendere consilium, auxilium vel favorem Hebræis pro habendis, scribendis seu imprimendis hujusmodi libris, adferendis, aut pro impetranda de cœtero eorundem legendorum licentia. Ex Constitutione 20. *Clementis VIII. Cùm Hebræorum malitia.*

Trigesima: Contra Suadentes Papæ, ut infeudet aut alienet Civitates & Loca S. R. E. quovis prætextu id faciant. *Paulus V. in Bulla* 35. quæ incipit: *Admonet nos.*

Trigesima prima: Contra Extradentes frumentum, blada, legumina & alia id genus, extra Statum Ecclesiasticum, aut à locis immediatè subjectis Ecclesiæ Romanæ ad loca mediatè subjecta. *Ex Clemente VII. Paulo V. Clemente VIII. Urbano VIII. &c.*

Trigesima secunda: Contra Incendiarios. *Ex cap. Tua nos. de sent. excom.* Quod quàm maximè certum videtur de Incendiariis Ecclesiarum, de aliis videtur potius ferenda, quàm ipso facto lata.

Trigesima tertia: Contra deferentes alumina ex parte infidelium ad fideles. *Ex Pio IV.* in Bulla, quæ incipit: *Ex Apostolica*, in Bullario novo non invenitur, & sic videtur in usu non esse receptam.

IX. Exenterantes excommunicantur.

Trigesima quarta: Contra exenterantes corpora defunctorum, ut alibi sepeliant. *Bonifacius VIII.* in Extrav. *Inter communes. de Sepultu-ris.* Ubi nota, si exenterentur corpora ad balsamandum, vel ex alia quacunque causa, dummodò non fiat, ut in alio loco sepeliantur, istam Excommunicationem non incurri. Nota Secundò: Exenterationem istam debere fieri in partibus fidelium, in partibus enim infidelium, ubi Christiana Sepultura decenter haberi nequit, potest sine censura fieri. Usus habet oppositum.

Trigesima quinta: Contra eos, qui Christianos in locis Turcarum inventos capiunt, aut liberè eos abire non permittunt. *Paulus V. in Bulla* 149. quæ incipit: *Licèt omnibus notissimum.*

X. Pugnantes in duello excommunicantur.

Trigesima sexta: Contra Pugnantes in duello, diffidantes, vel acceptantes, provocantes, concedentes locum, si sint Domini, qui possunt impedire, cooperari ad ipsum sive mandato, consilio, auxilio, favore, chartellis, intimatione, publicatione, & his similibus, etiamsi postea provocatio aut duellum secutum non fuerit, nisi fortè per ipsósmet cooperantes steterit, ne sequeretur. Et denique contra spe-

ctantes duellones ex industria. Isti omnes excommunicantur. *Ex Concilio Trident. Sess. 25. cap. 19. Julio II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Pio IV. Gregorio XIII. & Clemente VIII.* Sed

XI. Duellum describitur.

Nota Primò: Duellum primò accipi pro quacunque Monomachia etiam justè & licitè inter duos concertantes pugna, sed prout ad præsens attinet, est *Pugna singularis deliberata ab utraque parte spontè & ex condicto suscepta, statuto loco & tempore cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris.* Ita definit Filliucius duellum apud Bonacinnam. Ex qua Definitione tanquam bona benè intellecta & considerata, infertur quotidianos conflictus, qui ex motu iræ, vel contentionis oriuntur, non esse duella, etiamsi alteruter diceret, extrahe gladium, quia non esset ex condicto; Nec duellum propriè committunt milites & alii, qui ob privatas inimicitias invitant se ad pugnandum, & actualiter pugnant, ac alter alterum occidit, quia non fuit assignatum tempus, consequenter nec hanc excommunicationem incurrunt. Imò Graffius. lib. 1. cap. 7. n. 22. putat, nec alios incidere, qui sese obviam habentes, diffidant se in tali loco, quo statim pergunt, ibique pugnant, nulla enim intercedit determinatio loci, & assignatio temporis, quamvis contrarium probabilius putet Bonacinna, qui docet, eum revera incidere in pœnas duellantium, qui dicit inimico suo: Quamprimùm mihi in urbe fueris obviam factus, pugnabis mecum, quia & tempus & locum assignat; Si tamen contigeret, quòd in loco sacro inciperent rixari, & gladiis non evaginatis ob loci reverentiam egrederentur, ibique extra pugnarent, non inciderent, hæc enim pugna facta fuisset ex rixa moraliter continuata, nec intercessisset assignatio loci aut temporis.

XII. Plures pugnantes excusantur à pœnis duellantium.

Iterum ille non incurreret pœnas duellantium, qui cum altero contendens, & armis destitutus domum vadit ad capienda arma, & sine pugnæ provocatione ad locum rediens, inimicum illicò existentem diffidat & aggreditur, ob easdem rationes. Et universaliter ab incursu harum pœnarum excusantur, qui pugnant non assignato statuto loco, & determinato tempore; Nec refert quòd Clemens VIII. generaliter loquatur, & prohibeat duellum quocunque modo fiat, absque eo, quòd assignationis loci & temporis mentionem faciat.

Nota Secundò: Duellum in duobus casibus posse esse licitum. Primò, ut dirimatur lis inter duos exercitus contrarios, qui aliâ viâ sedari non possunt quàm duobus, ex qualibet parte uno, duellantibus, quia tunc propter æstimationem & propter vires debilitandas suscipi potest, nam in casu hoc pars periculo exponitur, ut servetur totum, si tamen esset alia lis Civilis, quæ non possit dirimi, nisi duello, non est licitum suscipere, quia innocentis causa exponitur periculo, tàm citò enim innocens succumbere potest, quàm nocens. Ita Valentia, Filliucius, Becanus &c. Secundò, quando aliquis compellitur sub vitæ periculo acceptare duellum, quilibet enim potest vitam tueri etiam morte invasoris. Et ob hanc causam potest etiam quis duellum suscipere, si quis condemnetur ab iniquo Judice, ut vel mortem subeat, vel in duello pugnet, ut se probet innocentem, talis tamen non deberet duellare, ut se probet innocentem, sed ut defendat vitam suam. Imò ad servandas res suas potest quis duellare, si inimicus eas actu invadat, si nec aliud remedium adsit ad eas tuendas præter duelli acceptationem, tunc enim non videtur duellum, sed justa rerum suarum defensio; Propter honorem autem defendendum non est licitum pugnare in duello, quia apud Prudentes & Sapientes honori adscribitur, quod non velit suscipere duellum ad servandam Legem Divinam, Ecclesiasticam & Politicam, licèt apud plebejos nonnunquam reputetur pro dedecore, si quis non velit duellum suscipere.

XIII. Duellum in duobus casibus est licitum.

Nota

XIV. Duellantium pœnæ. Nota Tertiò: Præter Excommunicationem sunt & aliæ pœnæ duellantibus impositæ, videlicet confiscatio bonorum, & aliæ pro qualitate personarum expressæ in Bullis Pontificum, deindè duellantes privantur etiam Ecclesiasticâ sepulturâ, si in duello occumbant, & moriantur ex vulnere in duello accepto, licèt non ibidem in loco, & hoc ante sententiam Judicis, dummodò delictum sit notorium, si vèrò notorium non sit, sententia Judicis expectari debet. Civitates verò, oppida & loca, in quibus duellum commissum est, consentientibus & permittentibus, scientibus Dominis locorum subjiciuntur Ecclesiastico interdicto, ex ordinatione Pontificum, singulariter ex Bulla Clementis VIII.

XV. Excommunicatio duellantium statim incurritur. Nota Quartò: Excommunicationem istam statim incurri, quando aliqua actio principaliter prohibita committitur, quales sunt in duello actu pugnare, accedere ad locum duelli, publicare, affigere, & intimare libellum provocatorium, provocare & etiam acceptare, de quo aliqui volunt dubitare, quia acceptatio est provocationi correlativa, de correlativis autem idem est judicium, & dispositum de uno trahitur ad alterum. *l. 1. C. de Transact. l. Si quis servo. C. de furtis.* Propter actiones autem minus principales, quales sunt componere libellum, consulere, mandare, ut deferatur, ut duellum offeratur, commodare arma &c. non incurritur statim excommunicatio, nisi actio principalis aliqua sequatur, quia Clemens eas prohibet sub conditione, si per eas non steterit quo minus publicatio, aut denuntiatio fieret, ergò non intendit his pœnis punire citius, antequam actio aliqua principalis sequatur, quia tunc adhuc per eas stare potest, nè actio aliqua principaliter prohibita sequatur. Hinc si quis mandaret, consuleret, ut duellum suscipiatur, & ad ipsum provocetur, si tamen mandatum, consilium revocet & impediat, ne provocatio contingat; item, si libellum scribat, componat, accipiat, & se recolligens eum non affigat, non incurrit hanc pœnam, quia per eum stetit, ne publicatio vel denuntiatio sequatur, secus si affixisset & dolore tactus vaderet & affixum laceraret, quia affixio est actio principaliter prohibita.

Præter enumeratas Excommunicationes sunt adhuc nonnullæ aliæ omnibus communes & reservatæ, sed vel continentur in Bulla Cœnæ, vel tantùm particularia Regna, Provincias, & Diœceses concernunt, ut est illa in *Extrav. Salvator. de Præbend. & Dignit.* contra præsumentes turbare vel impedire, quæ statuta sunt pro Ecclesia Tholosana. Item contra offendentes & Provinciales Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Sedi Apostolicæ subjectæ. *ex Joanne 22. in Extrav. Durum, de pœnis.* Iterum contra eligentes aliquem in Senatorem, Rectorem vel Officialem Urbis Romæ absque speciali Summi Pontificis facultate, *ex cap. Fundamenta, de Elect. & Electi potestate. 6.* Et denique contra Falsificantes monetas in Regno Franciæ, aut falsas scienter introducentes, *ex Joanne 22. Extrav. Prodiens de Crimine falsi &c.* Quia, inquam, hæ & similes vel in Bulla Cœnæ continentur, vel particularia Regna respiciunt, ideò ab earum enumeratione supersedeo.

QUÆSTIO SEXTA.

De Excommunicationibus reservatis, contra Cardinales, Episcopos, Prælatos, & Officiales Ecclesiasticos, & contra Clericos.

Cardinales excommunicantur primò à Julio II. in Bulla, quæ incipit: *Cùm tàm Divino &c.* Si non caveant, nè (sede vacante) electio Papæ fiat cum hæresi Simoniaca dando aliquid vel promittendo & recipiendo per se vel per alium, sive sint pecuniæ, castra, beneficia &c. ut talis vel talis eligatur. Sique ordinant, statuunt, disponunt, I. Cardinales simoniacè eligentes excomm.

 hujus-

hujusmodi Electionem esse validam, & non illicitam, nec esse licitum à sic electo recedere &c. cùm contrarium fieri debere Bulla præscribat, taliter namque electus habendus est pro Hæresiarcha, privandus est omnibus beneficiis, Cardinalatu, & omnibus Dignitatibus, sicut etiam Cardinales sic eligentes, nisi intra octiduum se conjungant non simoniacè eligentibus. Imò à tali recedi conceditur populo & Clerico, & Cardinales impunes brachium sæculare adhibere possunt ad compellendum, ut sic electus non se immisceat regimini.

II. Cardinales non servãtes formã præscriptã, excommunicantur.

Secundò: Excommunicantur Cardinales per Gregorium XV. & Urbanum VIII. qui non ferunt formam in eligendo Summo Pontifice præscriptam, aut præsumentes aliquid facere vel attentare contra ipsam Bullam, quæ incipit: *Æterni Patris*. Quæ autem contineantur, quæ sit forma, quæratur in dicta Bulla.

III. Cardinales revelantes secreta ex Consistorio excom.

Tertiò: Excommunicantur Cardinales, qui revelant ea, quæ Papa in Consistorio, aut aliâ occasione sub secreto tegenoa erpresse indicavit. *Ex Bulla* 7. *Leonis X.* quæ incipit: *Supernæ Dispositionis*.

IV. Episcopi vexantes per sequendo existentes in servitio Papæ, excomm.

Quartò: Excommunicantur Episcopi & alii Prælati, qui existentes in obsequiis & servitiis Papæ & Sedis Apostolicæ, vel qui venientes ad Sedem Apostolicam pro suis causis prosequendis vexant, procedendo contra ipsos, excommunicando, suspendendo, interdicendo, vel privando eos beneficio & officio, vel etiam aliam sententiam ferendo, sub nullitate actorum & excommunicatione, & nullitate eorum, qui hujusmodi beneficia suscipiunt. Ita *Eugenius IV. in Extrav. de Privileg.*

Quintò: Excommunicantur Episcopi & alii Collatores Beneficiorum non servantes suspensionem contractam ob indebitam admissionem Resignationis vel Collationis beneficii. *Ex Pio V. in Bulla*, *Quanta*.

Sextò: Excommunicantur Inquisitores Episcopis Inferiores, eorúmque Substituti, qui delinquunt in suo Officio per omissionem, aut injustam vexationem. *Ex Clement. I. §. Verum. de Hæreticis.*

V. Officiales Pœnitentiariæ aliquid accipientes excomm.

Septimò: Excommunicantur Officiales Pœnitentiariæ accipientes aliquid etiam spontè oblatum, aut aliâ ratione, occasione concessionum seu expeditionum. *Pius V. in Bulla* 83. quæ incipit: *In omnibus rebus*.

Octavò: Excommunicantur Ministri Cameræ Apostolicæ deficientes in reddendis integrè computis & rationibus, per Paulum III. in Bulla 40. quæ incipit: *Cum sicut accepimus*.

Nonò: Excommunicantur Rectores & Gubernatores Civitatum aliorúmque Locorum Status Ecclesiastici recipientes munera, præter esculenta & poculenta, & illi ipsi, qui similia munera tradunt. *Ex Bulla* 3. *Pauli II.* quæ incipit: *Munera*.

VI. Sacrã Scripturam perversè interpretantes excommun.

Decimò: Excommunicantur Prædicatores & Concionatores Sacram Scripturam interpretantes juxta sensum contrarium proprio sensui, & interpretationibus Doctorum ab Ecclesia, vel usu approbatorum, aut prædicantes tempus Antichristi, vel Judicii, aut suas inspirationes, vel revelationes, *per Leonem X. in Bullâ* 21. quæ incipit: *Supernæ Majestatis*. Sed dubitatur, an sit usu recepta, hinc aliqui Doctores asserunt, hanc Excommunicationem reservatam, alii negant.

Undecimò: Excommunicantur Clerici participantes cum Excommunicatis à Papâ, eósque admittentes ad Divina Officia. *per Clementem III. in cap. Significavit. de Sent. Excomm.*

VII. Inducentes ad mutandam sepulturam excommun.

Duodecimò: Excommunicantur Clerici inducentes aliquem voto, juramento, vel promissione ad eligendam sepulturam apud eorum Ecclesias, vel non mutandam jam electam. *In cap. Animarum. de Sepulturis.* 6. ubi interdictum ponitur pro similibus Ecclesiis, sed *per Clementem*

item in Clement. Cupientes, de pœnis, refertur excommunicatio.

Decimo tertiò: Excommunicantur Commissarii & Judices delegati Sedis Apostolicæ concedentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum fieri in detrimentum Ecclesiarum. Item dolosè, vel scienter procurantes hujusmodi alienationem, aut alienationis Decretum, *per Paulum II. in Bulla*, quæ incipit: *Cum omnibus Judiciis.*

Sunt præter has nonnullæ aliæ Excommunicationes contra Clericos latæ & reservatæ, sed vel in Bulla Cœnæ continentur, vel in iis, quæ sunt communes omnibus, ideò moveo manum ad Excommunicationes particulariter contra Religiosos.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Excommunicationibus reservatis Papæ contra Religiosos.

I. NOn intendo hic referre omnes Excommunicationes Particularium Religiosorum, Tum, Quia id difficile foret, Tum, Quia in Excommunicationibus generalibus comprehenduntur, Tum, Quia vel de pluribus dubium est, nec in Bullario deprehenduntur; Tum etiam, Quia per alia privilegia sublatæ sunt. Imprimis autem

II. Excommunicantur omnes Religiosi Mendicantes transeuntes ad Ordines Monasticos absque speciali Summi Pontificis licentiâ, exceptis Carhusianis, ubi Superiorum Generalium licentia sufficit. *Per Martinum V. in Extrav. Viam ambitiosæ. de Regula, & transeunt. ad Relig.*

II. Excommunicatur Religiosi transeuntes ad Ordines Monasticos absque licentia Papæ.

III. Secundò: Excommunicantur Religiosi administrantes sine speciali Parochi licentiâ Sacramenta, Extremæ Unctionis vel Eucharistiæ, vel solemnizantes Matrimonium, aut absolventes sine debita facultate ab Excommunicationibus reservatis, aut à pœna & culpa, si quid faciant cum præsumptione. *In Clement. I. Religiosi. de privileg. & excess. Privileg.*

III. Religiosi administrantes extremam Unctionem &c. excom.

Tertiò: Excommunicantur Religiosi euntes ultra mare sine licentia Superioris, *per Joannem XXII. in Extrav. Ad nostrum.*

Quartò: Excommunicantur Superiores Ordinum Religiosorum non denuntiantes suos Religiosos Hæreticos, vel de Hæresi suspectos. *Paulus V. in Bulla* 26. *Romanus Pontifex.*

Quintò: Violantes Clausuram.

Sextò: Excommunicantur Religiosi detinentes in suis Monasteriis Apostatas Ordinis Prædicatorum. Vide supra. Sed in Bullario hæc excommunicatio non invenitur.

Septimò: Excommunicantur Fratres Minores de Observantia subornantes pro se vel pro aliorum electionibus, aut procurantes favorem extra Religionem ad Officium in Religione obtinendum. *per Pium V.* in Bulla 128. quæ incipit: *Pastoralis Officii.* Gregorium XIII. in Bulla *Consuevit.* edita 1572. Clement. VIII. anno 1592. Pauli V. anno 1619. Urbani VIII. anno 1639. 29. Julii. IV.

IV. Religiosi & Fratres Minores subornantes, vel extra Religionē pro Officiis recurrentes excom.

Octavò: Excommunicantur Fratres Minores, qui tempore Interdicti admittunt Fratres vel Sorores Tertii Ordinis ad audienda Divina Officia in suis Ecclesiis. *per Clementem V.*

Vide plures in Communibus. Hic deberem etiam referre Excommunicationes contra Dominos sæculares & temporales, sed vel in Bulla Cœnæ comprehenduntur, vel in Communibus, (licèt etiam in pluribus Canonibus latæ sint,) ideò eas adferre omitto.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Excommunicationibus nemini reservatis, quæ sunt communes utplurimum omnibus.

PRima est contra Laicos, qui oblationes intra Ecclesias factas de Ecclesiis auferunt, & sibi usurpant. *Ex cap. Hanc consuetudinem. 10. qu. 1.*

I. Cogentes fœminas ad Religionem excõmunicantur.

Secunda: Contra cogentes fœminam ad Religionem, *Ex Trident. Sess.* 25. *cap.* 18. Ubi non sufficere quamcunque actionem coactivam, sed requiri etiam subsequutionem actualis ingressûs, vel habitûs susceptionem, vel professionem, Ex tribus enim actionibus aliqua fieri debet, quarum quælibet sufficit, & nulla alia præter istas, ita quòd hinc Doctores asserant coactionem ad emittendum votum de ingredienda Religione non sufficere ad istam excommunicationem incurrendam. In eodem capite subjungitur etiam Excommunicatio contra eos, qui retrahunt fœminam ab ingressu Religionis, habitûs susceptione, aut professione. Sed è contra

II. Cogentes ad Matrimonium excomm.

Tertia est in eodem Tridentino Sess. 24. cap. 9. contra cogentes ad Matrimonium, ubi nota, quod Bonacinna & alii apud ipsum advertat, istam Excommunicationem non esse universalem, sed tantùm eos ligare, qui habent temporale Dominium, si cogant aliquos per vim & metum gravem ad contrahendum matrimonium, quia Concilium tantùm de his loquitur, ùt ex præfatione textûs patet, juxta quam intelligendum est ipsum Decretum, *l. finali. ff. de Hæred. Instit.* Et insuper quod idem Bonacinna allegat in præfato capite post præfationem habet Concilium hanc particulam *Quare*, quæ referri non debet ad alias personas, quàm eas, quæ ibi recensentur. *cap. Pœnæ. de Pœnit. dist* 2. *& l. Interpretatione. ff. de Pœnis.*

III. Contrahẽtes matrimonium in casib9 prohibitis excommun.

Quarta: Contra contrahentes Matrimonium in casibus prohibitis, *in Clement. Unica. de Consang. ibidem.* Sunt autem quatuor casus ibidem prohibiti, Primò: Ne contrahatur cum Consanguineis & Affinibus in gradibus à Jure prohibitis, videlicet cum Consanguineis usque ad quartum gradum, & etiam cum Affinibus ex copula licita usque ad eundem, ex illicita usque ad secundum. Secundò: Ne contrahatur cum Monialibus. Tertiò: Ne contrahat Religiosus, si enim hic contraheret hanc excommunicationem incurreret, non tamen fœmina, cum qua contraxit. Quartò: Ne contrahat in sacris constitutus.

IV. Casus enumerantur.

V. Raptores Mulierum excommunicantur.

Quinta: Excommunicantur negantes Matrimonia clandestina, antè Tridentinum celebrata, valida fuisse, aut Matrimonium à filiisfamiliàs inconsulto Patre validum esse, per *Trident. Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. cap. Verò.* 6. In eadem Sess. excommunicantur raptores Mulierum, & præbentes eis consilium, auxilium, vel favorem.

VI. Procurantes abortũ excomm.

Sexta: Est contra procurantes abortum fœtus animati, *à Sixto V. Constit.* 85. quæ incipit: *Effrænatam.* Olim erat reservata Pontifici, sed defactò ob Constitutionem Gregorii XIII. non est.

Septima: Contra impedientes Visitatores Monialium in suo Munere. *in Clement. Attendentes. de statu Monach.*

VII. Octava: Contra eos, qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus non abstinent ab iis, in quibus discordiæ oriri, vel ortæ nutriri possunt circa electiones. *Ex cap. Indemnitatibus. vers. Postremò. de Elect. & Elect. potest.*

Nona: Est contra impugnantes Litteras à Papa concessas ante coronationem. *Extrav. Ultima. Inter com. de sent. excom.*

Decima: Contra vexantes Inquisitores, aliosque Ministros Sancti Officii. *Pius V. in Extrav.* quæ incipit: *Si de protegendis.*

VIII. Docentes Confessionem non esse necessariam in mortali existenti ante sumpt. Evchar. excõ.

Undecima: Contra præsumentes docere vel pertinaciter asserere habenti conscientiam peccati mortalis, non esse necessariam confessionem ante Evcharistiæ sumptionem. *ex Trident. Sess.* 13. *cap.* 11.

IX. Imprimentes libros sine licentia Superiorum excommun.

Duodecima: Contra imprimentes libros sine licentiâ Superiorum. Tum *ex Concilio Lateran. Sess.* 10. *sub Leone X.* Tum *ex Indice Librorum prohibitorum. reg.* 10. Tum denique *ex Concil. Trident. Sess.* 4. *sub finem.* Ubi tamen notandum, inter has constitu-

stitutiones hanc esse differentiam, quòd Concil. Lateran. & Regula Judicis lib. prohibit. Loquantur universaliter de quibuscunque libris & scriptis, Concilium verò Tridentinum tantùm loquitur de libris sacris & scripta sacra tractantibus.

Decima tertia: Contra Præsumentes edere glossas, Commentarios, & annotationes in Decreta *Concilii Tridentini. ex Pio IV. in Bulla* 73. quæ incipit: *Benedictus Deus.*

X. Vexantes Electores & Electrices Ecclesiasticas excommun. Decima quarta: Contra eos, qui præsumunt per se vel per alios gravare spoliando bonis, aut aliàs injustè persequendo Electos Ecclesiasticos seu Electrices, vel ipsorum Consanguineos, vel Ecclesias, vel Monasteria, vel ipsorum bona, eò quòd noluerint eligere illum, pro quo rogabantur, seu inducebantur. *Ex cap. sciant cuncti de Elect. in* 6.

XI. Decima quinta: Contra Laicos, qui compellunt personas Ecclesiasticas ad submittenda bona Ecclesiarum Laicis, vel qui usurpant aliquid ultra pactum, vel ultra naturam contractûs submissionis bonorum absque legit'ma licentia Papæ, & consensu *Capituli. ex cap. Consultissimo. de rebus Eccl. non alienan.* 6.

XII. Repressalia deinhibitum. Decima sexta: Contra Concedentes repressalias, aut excludentes concessas adversus personas Ecclesiasticas. *ex cap. Unico. de injuriis. in* 6. Nota Repressalias (aliter pignorationes) aliud non esse quàm licentiam & facultatem alicui factam, ut pro re ab alio arrepta, vel pro damno sibi illato possit rem æquivalentem impunè propria authoritate accipere ab alia tertia persona, etiam vim inferendo, si opus esset. Quod licèt aliquando licitè fieri potest, contra Personas tamen Ecclesiasticas, hic prohibetur, quia Judex Laicus authoritatem suam in Ecclesiasticos exercere nequit.

XIII. Decima septima: Contra eos, qui in Ecclesiis, Monasteriis, aut piis Locis regalia, custodiam, aut titulum defensionis de novo usurpare conantur, quique alia bona earundem Ecclesiarum & aliorum piorum Locorum vacantium bona usurpare præsumunt, & contra Clericos earundem Ecclesiarum, aliásque personas eorundem locorum, quæ id fieri procurant. *in cap. Generali. constit. de Elect. in* 6.

Decima octava: Contra præsumentes impedire sequestrationem ab Ordinario fieri circa benefic.um, post latam sententiam in Curia Romana contra possessorem beneficii, qui beneficium per triennium pacificè non possedit, & contra eos, qui fructus sequestratos occupare præsumunt. *In Clement. Unica. de sequestrat. Possess.* XIV.

Decima nona: Contra fœminas statum Beguinarum assumentes, vel in eo perseverantes. *in Clement.* 1. *de Relig. Domib.*

Vigesima: Contra Profitentes fictam Religionem, Fratricellorum, Bizochorum, seu Beguinorum, & contra Prælatos, qui eos admittunt. *in Extrav. Joannis XXII. Sancta Romana.*

Vigesima prima: Contra Pingentes vel inficientes Agnos Dei, vel retinentes sic infectos, & venales proponentes. *Gregorius XIII. in Constitutione*, quæ incipit: *Omni studio.* Quòd si quæras, an qui sacram Ceram liquefaceret, & aliam formam induceret, hanc Censuram incurreret? Respond. Negativè, Tum, Quia id non exprimitur in Bulla; Tum, Quia cera liquefacta non est Agnus Dei, licèt retineat benedictionem. XV. Pingentes vel inficientes Agnos DEI excomm.

Vigesima secunda: Contra eos, qui scienter præsumunt sepelire hæreticos (denuntiatos & vitandos) vel eorum Receptores & fautores. *Ex cap. Quicunque Hæreticos. de Heret. in* 6. XVI. Sepelientes hæreticos excomm.

Vigesima tertia: Est contra eos, qui tempore Interdicti sepeliunt mortuos in loco sacro, in casibus à Jure non concessis, aut qui etiam alio tempore sepeliunt publicos excommunicatos, aut interdictos, aut usurarios. *Ex Clement.* 1. *de sepult.* XVII. Sepelientes tempore interdicti & Excommunicatos excomm.

Vigesi-

Vigesima quarta: Contra Magistros & Doctores, qui Religiosum, postquam divisit habitum, præsumunt docere Medicinam aut Leges, aut in Scholis retinere. *Ex cap. Ut periculosa. Ne Clerici vel Monachi. in 6.*

XVIII. Mandantes aliquem occidi excommun.

Vigesima quinta: Contra mandantes aliquem occidi per assasinos aut receptantes, defendentes aut occultates hujusmodi assasinos. *ex cap. Pro humani. de homicid. in 6.*

Vigesima sexta: Contra eos, qui Cardinalibus in Conclavi existentibus litteras vel nuntium mittunt, vel secretò loquuntur. *ex cap. Ubi periculum. de Elect. in 6.* Sed per Pium V. est reservata. Vide supra.

XIX. Vigesima septima: Est contra partem, quæ procurat ut conservetur (est privilegium ad tempus concessum Episcopis vel Abbatibus ad conservandas res & jura alicujus) de aliis, quàm de manifestis injuriis se intromittunt. *ex cap. Hac Constitutione. de Off. Leg.*

XX. Vigesima octava: Contra eos, aliquid confingunt, vel fraudem committunt, ut Judex ad fœminam personaliter se conferat ad ejus testimonium suscipiendum. *Ex cap. Mulieres. de Injuriis. in 6.*

Referuntur aliis plures adhuc Excommunicationes, sed quia deprehendi vel in superioribus contineri, licèt pluribus juribus exprimantur, & sic vel sunt reservatæ ex Bulla Cœnæ, vel aliunde, aut sunt particularia loca concernentes, aut dubium de illis est, ut est de divinatoribus, sortilegis, invocantibus dœmonem, aut consulentibus Divinatores &c. ideò satisfactum puto esse per harum enumerationem.

QUÆSTIO NONA.

De Excommunicationibus particulariter non reservatis, contra Episcopos & Prælatos Ecclesiasticos atque Clericos.

PRimò excommunicantur particulariter Episcopi, qui in Civitate, vel Diœcesi diversarum linguarum propriâ authoritate suscipiunt munus administrandi. *Cap. Quoniam. de Offic. Jud. Ord.* Eâdem Excommunicatione ligantur Clerici, qui id faciunt sine facultate Episcopi in similibus Diœcesibus diversarum Linguarum, rituum, & morum &c. — I. Episcopi propria authoritate administrãtes &c. excomm.

Secundò: Excommunicantur Majores Pœnitentiarii & Officiales Pœnitentiariæ præsumentes intromittere se in expeditionibus prohibitis. *in Bulla Pii IV. Ex Bulla 53. ejusdem Pii IV.* quæ incipit: *In sublimi.*

Tertiò: Excommunicantur Nuntii Apostolici, & alii ex quavis causa transmissi ad Imperatorem, Reges, Duces, aliosque Principes, impetrantes ab ipsis litteras aut favores vocales ad dignitates obtinendas. *Ex Bulla 96. Pii IV.* quæ incipit: *Etsi Romanum Pontificem.* — II. Nuntii impetrantes litteras excommun.

Quartò: Excommunicantur Episcopi, aliique Prælati Romam latenter venientes, & ab ea recedentes, non obtentâ à Papa discedendi licentia. *Ex Extrav. 2. Ut Prælatorum, & Extrav. 3. Etsi deceat. de Major. & Obed.* — III. Episcopi latenter Romam ingredientes exmmun.

Quintò: Excommunicantur Clerici in Sacris existentes, præsumentes contrahere Matrimonium. *In Clement. Unica. de Consang.* — IV. Clerici in Sacris exiſtẽtes contrahentes Matrimonium, excommun.

Sextò: Excommunicantur Clerici impugnantes in Concionibus aut Disputationibus montem Pietatis. *In Bulla 9. Leonis Extrav.* quæ incipit: *Inter multiplices.*

Septimò: Excommunicantur Sacerdotes præsumentes recipere Præfecturam sæcularem, & eam post admonitionem non dimittentes. *Ex cap. Clericis. Ne Clerici vel Monachi.* — V. Sacerdotes præfecturas sæculares recipientes, excommun.

Octavò: Excommunicantur Sacerdotes aliique Clerici dignitatem aut Personatum habentes, qui Legibus, aut Medicinæ student. *Ex cap.*

cap. Super specula. Ne Clerici vel Monachi.

Nonò: Excommunicantur fictè resignantes, vel permutantes beneficia. Ex *Bulla Innocentii VIII.* quæ incipit: *Sicut bonus.* Verùm in Bullario non invenitur.

Decimò: Excommunicantur Clerici, qui domos usurariis alienigenis locant, aut alio titulo concedunt. Ex *cap. Usurarum. de Usuris. in 6.*

VI. Clerici bona Ecclesiastica alienantes excommun.

Undecimò: Excommunicantur Clerici alienantes bona Ecclesiastica, aut illa recipientes sine justa causa & solemnitate, ac consensu Summi Pontificis. Ex *Extrav. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alien.*

Interesse agitationi Taurorum & ferarum non est Clericis prohibitum sub Excommunicatione lata, sed ferenda ex Bonacinna.

QUÆSTIO DECIMA.

De Excommunicationibus non reservatis contra Religiosos.

I. Religiosi recipientes & dimittentes loca sine &c. excommun.

Primò excommunicantur Religiosi, qui ex vi suæ Regulæ seu Professionis bona seu reditus ad congruam sustentationem habere non possunt, si aliquem ad Professionem admittant, vel novam domum, seu loca acquirant, vel jam habita alienent, sine licentia Sedis Apostolicæ. Ex *cap. Unico. de Religiosis Dom. in 6.*

Secundò: Excommunicantur Mendicantes recipientes novas domos vel alienantes jam receptas sine licentia Papæ. Ex *cap. Unico de Excess. Prælat. in 6. & Clement. Cupientes. de Pœnis. 6.* Sed hanc licentiam concessit Julius II. Minimis, & habent etiam Minores.

II. Reformati ad Conventuales trãseuntes excommun.

Tertiò: Excommunicantur Fratres Reformati Transeuntes ad Fratres Conventuales & recedentes ab Obedientia suorum Superiorum, nisi Capitulum Provinciale judicaret minus malum esse hujusmodi fratrem dimittere. Ex *Leone X. in Bulla Unionis.*

Quartò: Excommunicantur non solùm Capucini recipientes Fratres Minores de observantia, sine facultate Summi Pontificis, aut sine licentia in Scriptis eorum Provincialium Ministrorum, sed etiam ipsimet fratres de observantia, præsumentes, se ad Congregationem Capucinorum transferre absque præfata licentia, irritatur receptio, & inhabilitatur ad quælibet officia. Ex *Sixto V. an. 1586.* & aliis Pontificibus. III. Capucini recipientes Fratres observantes excomm.

Quintò: Excommunicantur Fratres Minimi recipientes Fratres Minores de Observantia, sine licentia Papæ. Ex *Julio II. in Bulla*, quæ incipit: *Exponi.*

Sextò: Excommunicantur Religiosi Professi Matrimonium contrahentes. *In Clement. Uni. de Consangu.*

Septimò: Excommunicantur Religiosi professi temerè habitum dimittentes. Ex *cap. 2. Ut periculosa. de Relig. Dom.* Ubi notat Boncinna hanc Censuram incurri, qui unam partem dimittit alia retenta, si ex parte retenta cognosci nequeat, an Religiosus sit, si tamen habitum suæ Religionis vestibus sæcularibus occultaret, ut cognosci non posset, an esset Religiosus, non incurreret, quia textus loquitur de dimissione, non de occcultatione. Iterum notat Bonacinna non sufficere dimissionem, si Domi suæ remaneat, sed quando extravagatur, quamdiu verò debeat dimittere, id est, per quantum tempus controversum est, Bonacinna putat, sufficere duas vel tres horas. IV. Religiosi temerè habitum dimittentes excomm.

Octavò: Excommunicantur Religiosi ex Claustro exeuntes ad audiendas Leges aut Medicinam, & intra bimestre non redeuntes. Ex *cap. Non magnoperè. Ne Clerici vel Monachi.* V.

Nonò: Excommunicantur Religiosi ad studia accedentes absque licentia sui Prælati & Consilio Conventûs, vel majoris partis. Ex

cap. 2. Ut periculosa. Ne Clerici vel Monachi.

VI. Decimò: Excommunicantur Monachi & Canonici Regulares adeuntes Curias Principum ad nocendum suis Prælatis, aut Monasteriis. Ex *Clement. I. de agro. de statu Monach.*

Undecimò: Excommunicantur Religiosi cujusvis Ordinis, & alii Prædicantes vel privatè pronuntiantes Indulgentias S. Mariæ ad Populum in urbe extendi ad sæculares Visitantes Ecclesias Privilegiatorum. Ex *Leone X. in Bulla*, quæ incipit: *Dudum per nos.*

VII. Duodecimò: Excommunicantur Fratres & Moniales S. Claræ seu tertiæ regulæ utentes gratiis & immunitatibus Bullarum Cruciatæ & similium, absque Superiorum licentia. *Leo X. in privileg. Ord. Min.*

Decimo tertiò: Excommunicantur Religiosi usurpantes sibi decimas, vel earum solutiones impedientes, vel non permittentes. Ex *Clement. I. de Decimis.*

VIII. Decimò quartò: Excommunicantur Concionatores retrahentes auditores à solutione Decimarum vel negligentes suadere, ut solvant, & præsumentes prædicare nondum purgata præfata negligentia. Ex *Clement. Cupientes. de Pœnis.*

Decimo quintò: Excommunicantur Religiosi non servantes interdictum vel cessationem à Divinis, quam servari vident à Cathedrali, seu à Matrice, vel à Parochiali Ecclesia. Ex *Clement. I. Ex frequentibus. de sent. excom.* IX.

Decimo sextò: Excommunicantur Mendicantes & Parochi non servantes pacem inter se factam. Ex *Sixto IV. Extrav. 2. de treuga & pace.*

Decimo septimò: Excommunicantur Monachi tenentes arma inter septa Monasterii. *In Clement. Ne in agro. §. Quia verò. de statu Monach.* X.

Excommunicationes contra Dominos temporales plures sunt, sed ex qu. 2. & 5. colligi possunt. Unica tamen notanda est nobis ex *Bulla* 11. *Pii. Dum ad uberes.* ubi excommunicat violantes exemptionem Mendicantium pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus, & animalibus à solutione gabellarum & quarumcunque Contributionum, onereque hospitandi milites.

DISPUTATIO QUARTA.

DE Suspensione & Interdicto.

Assumo utramque hanc Censuram Ecclesiasticam in una eademque Disputatione explicandam, tum propter earum affinitatem, ad se invicem; Tum, Quia in jure aliquod interdictum vocatur suspensio, nempe interdictum ab Ecclesia, sic enim habetur *cap. Is cui. §. 2. de sent. excom. in 6. & cap. ult. de Officio Ordinarii*, ubi interdictum ab Ecclesia enumeratur cum suspensione ab officio & beneficio, his verbis: *Alioquin Episcopi & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab officio & beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque*

Interdictũ & suspensio quandoq; pro eodem sumuntur.

usque restitutionem fecerint de prædictis : Tum denique, Quia interdictum habet aliquem effectum suspensionis, cui enim interdictum ingressus Ecclesiæ, privatur participatione activâ Divinorum, non quidem ubique, sed in Ecclesia, à cujus ingressu est interdictus, licèt alibi possit participare in Divinis ; quare cum in Jure modò sub interdicto, modò sub suspensione referatur, existimavi utramque simul combinari posse, maximè cum non referat quo ordine tradatur res, dummodò non omittatur. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Suspensio?

I. Suspensio quid nominis importat.

Æc Censura secunda Medicinalis ex ipsa Nominis vi significat esse talem prohibitionem, quòd semper maneat spes restitutionis, quod enim suspenditur ab officio, vel beneficio non tollitur, sed tantùm obex ponitur, quò minùs alioquin conveniens exercere valeat pro tunc, poterit tamen cum obex oblatus fuerit, quod quidem verum etiam est de excommunicatione, & interdicto, cùm æque medicinales sint, & duret quousque contumacia non fuerit deposita, nihilominus non tàm clarè ex vi nominis spes restitutionis insinuatur, sicut in suspensione, unde plures Doctores controvertunt in assignanda definitione suspensionis, dum aliqui negant debere apponi, aliqui verò volunt apponi debere pro differentia ly *ad tempus*, prout Scotus etiam fecit hic, dum dicit: *Quòd Suspensio est prohibitio ab aliquo alias conveniente, & hoc ad tempus.* Quam Definitionem recipit & approbat Faber, & ego quoque tanquam bonam defendo, verùmtamen majoris claritatis gratiâ pono aliam, &

II. Suspensio definitur. Dico Primò : *Suspensio est Censura Ecclesiastica, quâ Clericus impeditur, nè functiones sibi competentes exercere valeat.* Hæc in re est communis. Et probatur, quia sufficienter Naturam Suspensionis explicat, nam tò *Censura Ecclesiastica*, habet rationem generis, in quo convenit cum aliis Censuris Ecclesiasticis, & differt à prohibitionibus civilibus, ubi etiam insinuatur, quòd eam non nisi Ecclesiastica Persona ferre possit. Per reliquas particulas ab omnibus aliis Censuris & Pœnis Ecclesiasticis. Per hoc enim, quod dicitur : *Quâ Clericus impeditur*, distinguitur ab Interdicto, quod non modò privat Clericos, sed etiam Laicos, Suspensionis verò subjectum solus est Clericus propriè loquendo, nam impropriè loquendo Suspensio fertur etiam aliquando in Laicos, ut patet in *Extrav. Unica. de Censibus*, sed talis Suspensio potiùs est Interdictum ; differt etiam à degradatione & depositione per particulam *impeditur*, quod significat privationem exercitii non simpliciter, sed ad tempus, degradatio verò & depositio universaliter privant sine spe restitutionis. Differt etiam ab Excommunicatione majori, quia Suspensio tantùm inducit privationem exercitii activi & administrativi, per tò, *nè competentes sibi functiones exercere valeat*, excommunicatio verò privat etiam passiva Comunicatione Sacramentorũ, Deindè hæc plura mala inducit, quàm suspensio, & ipsa suspensio in excommunicatione continetur.

Dico Secundò : *Suspensio principaliter dividitur in duas species, videlicet in suspensionem ab officio tàm Ordinis, quàm Jurisdictionis, & suspensionem* III. Suspensio est triplex, ab Officio, & beneficio, & ab utroque.

nem à beneficio, ex quibus tertia aggregatur à beneficio & Officio simul. Ità deducitur ex pluribus Juribus, nam de suspensione ab Officio solo habetur in *cap. Quia Pontificali. de Officio delegati, & in Clementina 1. de Rebus Eccles. non alienan.* De Suspensione verò à beneficio solo, habetur. *cap. Nihil, de Electione. Et in Clementina 1. de Vita & honest. Cleric. cap. 2.* De tertia, quæ ex prioribus aggregatur, habetur in *cap. Tuorum de Privilegiis. & in Clementina 1. de Decimis, & in cap. Sanè. 2. de Officio delegati.*

IV. Quando nulla fit mentio in jure, intelligendum est de utraque.

Quare Notandum, quòd quando in Jure fertur pœna Suspensionis sinè determinatione officii, vel beneficii, semper intelligendum esse de Suspensione completa, quæ ex duabus prioribus aggregatur, ita docent Filliucius, Coning, Alterius, Sylvester, Bonacinna &c. Et ratio est, Quia verba accipienda sunt, ùt sonant, ità ut quando generalia sunt generaliter accipi debeant, ergò cum in casu supponantur generalia, generaliter accipienda erunt.

V. Suspensio iterum alia est totalis, alia partialis.

Utraque Suspensio beneficii, nempè & officii duplex iterum est, alia est enim *totalis*, alia *partialis*. *Totalis est*, quando quis suspenditur ab omnibus actibus & fructibus, & hæc est semper, quando suspensio fertur absolutè, qvi enim denegat genus, denegat omnes & singulas species. *Partialis* est, quando quis suspenditur tantùm vel à determinatis aliquibus actibus, ut vel à solis audiendis Confessionibus, vel à sola Jurisdictione externa &c. vel à solo beneficio hujus Ecclesiæ & non alterius, quæ omnia semper ex verbis suspensionum intelligi & colligi debent, quæ proinde exactè ponderanda erunt, & semper strictè accipienda.

VI. Suspensio alia est temporanea, alia perpetua.

Iterum: Utraque dicta Suspensio alia est (ut omittam illas, quæ sunt ab homine & à jure) *temporanea*, alia *perpetua*; *Temporanea* est, quæ fertur cum limitatione ad tempus aliquod determinatum, quæ elapso tempore posito cessat, quia Censuræ non ligant ultra Intentionem ferentis, quare qui suspenditur per mensem, elapso mense absolutus est à suspensione. v. g. si Titius 10. Januarii committeret peccatum, quod habet annexam Suspensionem ad Mensem, 10. Februarii elapsa & completa, esse absolutum, dico cum Doctoribus decimâ elapsâ completâ absolutum esse, quia Doctores communiter docent, non sufficere diem esse inchoatam ex *l. Quâ ætate. de testamentis. Suspensio perpetua* est, quæ absolutè fertur sine alicujus temporis assignatione, & semper debet intelligi perpetua, quoties tempus non assignatur, & hæc non aufertur nisi per absolutionem à Superiore.

Denique: Suspensio utraque alia *est ad locum*, alia *sine determinatione loci*. Prior est, quando aliquis determinatus locus exprimitur, ùt quando Superiores suspendunt aliquem, nè in tali Ecclesia vel Capella possit celebrare, Concionem facere, &c. ùt habetur *Extrav. Ambitiosè*. Posterior est, quæ absolutè fertur, qui proindè suspensus est in omni loco, quia suspensio est Censura, quæ sequitur suspensum ubicunque est, non secus ac excommunicatio, adeóque si non fit mentio determinati loci, ubiq; manet suspensus. Sed — VII. Suspensio alia est ad locum, alia sine determinatione loci.

Quæres: An quando generaliter fertur suspensio, censeantur etiam comprehendi Episcopi? Respond. Negativè, si non particulariter exprimantur. Ex privilegio in *cap. Quia periculum. de sent. excom. in 6.* Si verò suspensio fiat in omnes Clericos, dubium est, an comprehendantur etiam Religiosi? Mihi videtur non comprehendi, quia nomine Clericorum simpliciter videntur venire tantùm Clerici sæculares, id tamen totum ex tenore & intentione ferentis erit colligendum. — VIII. Suspensio generaliter lata, non comprehendit Episcopos.

Quæres: An aliqua tota communitas, vel Collegium, aut Capitulum possit suspendi? Respond. Si Communitas &c. sumatur collectivè in quantum ex singulis coalescit affirmativè; Quia Communitas &c. potest — IX. Communitas collectivè sumpta suspendi potest.

potest habere aliquod beneficium, & aliquam Jurisdictionem, in quantum constituit aliquod corpus, quæ competat omnibus & non singulis, adeóque ab iis suspendi potest. Imò potest etiam si distributivè sumatur pro singulis, quia licèt id fieri nequeat in excommunicatione, potest tamen in Suspensione, quæ non tot & tantis privat bonis, ut dixi suprà

QUÆSTIO SECUNDA.

De Suspensione ab Officio.

I. Quæstio hæc procedit de Suspensione tàm totali, quàm partiali. Et de totali quidem difficultas est, an præter privationem officii includat etiam privationem beneficii, vel alicujus beneficii consecutionem, aut alicujus alterius actûs sacri? De partiali verò, quales nam partes illa comprehendat? Ad singula singulis respondebo Conclusionibus. Unde

II. *Suspensus ab officio non statim est à beneficio.* Dico Primò: *Suspensus ab Officio non statim est etiam suspensus à beneficio.* Ita Abbas, Navarrus & alii deducunt ex *Clement. Cupientes. de pœnit. & ex cap. Apostolis. de except.* Et Probatur Primò: Quia suspensio à beneficio & officio sunt pœnæ distinctæ, ergò unam alteram non necessariò includit, & consequenter, qui punitur unâ, non censetur puniri etiam alterâ, cùm res pœnalis sit odiosa, & semper restringenda.

Probatur Secundò: Quando aliquis suspenditur à beneficio & officio simul, plus debet importare, quàm quando suspenditur ab officio tantùm, ùt patet ex dictis, cum hæc suspensio est completa, & aggregata ex utraque, ùt in jure intelligitur poni, quando sine limitatione & absolutè ponitur, sed si suspensus ab officio esset etiam suspensus à beneficio, suspensio completa non importaret plus, ergò. Sed

III. *Quo sensu beneficium detur propter officium.* Dices: *Cap. ult. de Rescriptis,* dicitur, *Quòd beneficium detur propter officium*, ergò suspensus ab officio est suspensus etiam à fructibus beneficii, quia non habet amplius titulum officii, propter quod datur, *cùm accessorium sequatur principale*. Respond. Disting. Ant: Beneficium datur propter Officium per se, vel alium administratum; aut si non sit curatum, item propter officium privatim vel publicè persolutum, Conced: Ant: per se tantùm administratum, vel tantùm publicè persolutum, Nego Ant: & Conseq: Itaque si quis habet beneficium curatum, & suspenditur ab officio Ordinis & Jurisdictionis, ratione cujus nequeat satisfacere, debet facere per alium, quod nequit per se, & sic tutè fruetur & percipiet fructus beneficii. Si verò habeat beneficium simplex, vel conditionatum, & suspenditur ab officio, debet horas privatim persolvere, & sic adhuc poterit fructus percipere, non poterit tamen accipere distributiones, quæ dantur propter frequentationem, si revera non frequentet, quæ tamen titulo Clericali dantur ut pensiones, planè potest recipere.

IV. *Collatio beneficii suspenso est nulla.* Dico Secundò: *Collatio beneficii facta suspenso ab officio est nulla.* Ita Navarrus, Alterius, Bonac. Probatur ex *cap. ultimo. de Clerico excom.* ubi habetur hæc regula: Quòd qui privatus est aliquo munere actu, est etiam privatus susceptione eorum, quæ ad illud munus ordinantur, sed beneficium ordinatur ad officium, ergò nequit suscipere beneficium, qui est privatus ab officio. Confirmatur. Quia beneficium datur propter officium, ergò repugnat ut beneficium capiat, qui ab officio est suspensus.

Dices: Qui suspenditur ab Officio, non suspenditur à beneficio suscepto & fructibus, ùt dictum est suprà, ergò nec suspenditur à beneficio suscipiendo ob paritatem rationis. Respond. Negando Consequ: Disparitas est, quia in beneficio acquisito habet jam jus acquisitum ad fructus percipiendos, dummodò faciat suspensus ab officio per alium, quod per se teneretur, in beneficio acqui-

acquirendo nullum jus habet, sed nec habere potest, utpote quia nequit habere titulum ob officium suspensum.

V. Suspensus ab officio non privatur actibus saecularibus.

Dico Tertiò: *Suspensus ab Officio non privatur actibus saecularibus, nec sacris quoad susceptionem, benè tamen quoad administrationem.* Ita Faber, Bonacinna. Probatur prima pars: Quia suspensio est poena privans actibus clericalibus directè tendens in Clericos, ergò per eam non privatur saecularibus, ùt puta, si Clericus esset Judex in causa civili, non privatur per suspensionem ab actu judicandi.

VI. Suspensus non privatur sacris quoad susceptionem.

Probatur secunda pars: Quia Suspensio non est nisi privatio actuum & administrationum, ergò suscipere potest, hinc potest Clericus suscipere Eucharistiam more laico, Indulgentias, sepeliri in loco sacro, imò cum Bonacinna Ordines recipere sacros, cùm sit eadem ratio de his, ac aliis Sacramentis, & universaliter receptio non est actus Ordinis vel Jurisdictionis, ergò universaliter recipere potest sacros actus, licèt nequeat administrare.

VII. Suspensio particularis ad aliquem actû, ad illum solùm est extendenda.

Dico Quartò: *Suspensio partialis exprimens aliquem actum determinatum, à quo suspendit ad eundem tantummodò extendenda est, & ad alios, qui in illo implicitè includuntur, non verò ad alios.* Ita Navarrus, Sayrus, Faber, Bonacinna, &c. Probatur: Quia Censura suspensionis in tantum ligat, quantum verba sonant, & non ultrà, cùm per verba intentio Legislatoris exprimatur, ergò, si est partialis, non est extendenda ad alios actus, quàm eos, qui exprimuntur, & in illis implicitè includuntur.

VIII. Sacerdos suspensus ab Ordine, non suspenditur à jurisdictione.

Hinc infero Primò: Si quis Episcopus vel Sacerdos suspendatur ab Ordine, non suspenditur propterea statim à Jurisdictione, praeterquam in Sacramento poenitentiae, propter specialem rationem illius Sacramenti; quia actus Ordinis & actus Jurisdictionis sunt omninò diversi, nec unus alterum includit, cùm quandoque habeatur Ordo sine Jurisdictione, & Jurisdictio sine Ordine, ùt patet de Vicario laico, & etiam Episcopo laico.

IX. Suspensus à celebratione potest alia Sacramenta administrare.

Infero Secundò: Quòd si quis suspensus esset tantummodò à celebratione, posset non obstante suspensione alia administrare Sacramenta, quod habetur expressè *cap. Significavit. de corpore vitiatis.* ubi Papa concedit Sacerdoti, qui sibi virilia abscidit, ut Sacerdotale munus possit administrare excepto altaris ministerio.

Infero Tertiò: Quòd si quis esset suspensus à Sacerdotio, esset quoque suspensus à Diaconatu, & aliis inferioribus, Quia hos omnes Sacerdotium includit, imò etiam ab Episcopatu, quia etiam Episcopatus includitur in Sacerdotio.

X. Suspensus à Diaconatu non censetur suspensus à Sacerdotio.

Infero Quartò: Quòd si quis suspenditur à Diaconatu, non suspendi propterea à Sacerdotio, quia Sacerdotium non includitur in Diaconatu.

Si dicas: Suspensus ab inferiori censetur etiam à superiori, quia ille, cui non licet id, quod minus est, nec licet id, quod majus est, ergò si quis est suspensus à Diaconatu, censetur etiam suspensus à Sacerdotio. Si inquam dicas: Respond. Verum esse non licere ei id, quod majus est, cui non licet, quod minus est, si sibi sunt connexa, & hinc dixi suprà suspensum à Sacerdotio, esse quoque suspensum ab Episcopatu, quia hic fundatur in illo; non est tamen verum, quando minor ordo non est connexus cum majori, quod clarè patet in Episcopo, qui, si esset suspensus à conferenda Confirmatione, non esset propterea statim suspensus ab administratione Eucharistiae, licèt majus sit Eucharistiam conficere, quàm confirmationem conferre.

QUAESTIO TERTIA.

De Suspensione à Beneficio.

I. Suspensio à beneficio declaratur.

Suspensio à beneficio aliud non est quàm prohibitio percipiendi fructus beneficii, quae si sola exprimatur, non comprehendit suspen-

suspensionem ab Officio, quod colligitur *cap. Cùm benè. de ætate & qual.* Et ratio etiam est, quia cùm suspensio sit pœna, quæ nunquam fertur ad tollendum aliquod onus, ideò dum quis suspenditur à beneficio, Legislator non intendit eum liberare ab onere Officii, sed potius intendit, ut sentiat onus, & propter positum delictum non sentiat tamen commodum ex fructuum perceptione. Hoc præmisso duo examinanda principaliter veniunt, nempè, An suspensus à beneficio sit habilis ad percipiendum novum? secundò, quibus fructibus privetur suspensus? ad primum respondendo

II. Suspensus à beneficio est inhabilis ad percipiendum novum.

Dico Primò: *Suspensus simpliciter à beneficio est inhabilis ad percipiendum novum.* Ita Authores passim. Et Probatur: Quia qui privatus est aliquo actu, non potest aliud suscipere vel exercere simile, ergò. Dixi autem *simpliciter*. Quia si quis suspenderetur sub hac vel simili formula: *Suspenditur Titius ab omni beneficio, quod habet*, Titius non deberet censeri suspensus totaliter, & incapax ad novum beneficium, sed privaretur tantùm fructibus præsentis beneficii, non verò habendi.

III. Suspensus à beneficio privatur omnibus fructibus subsequentibus.

Dico Secundò: *Suspensus privatur omnibus reditibus, qui ratione beneficii conferuntur, cujuscunque sint conditionis, & quocunque nomine dentur, sive sint pecuniæ, sive fructus terræ, sive animalia, sive dentur per modum decimarum, seu primitiarum & oblationum, seu ut pensiones & proventus ex bonis immobilibus ipsius beneficii provenientes.* Ità colligitur ex titulo, de Decimis & Parochis, quia hæc omnia veniunt sub nomine beneficii. Item sub his fructibus comprehenduntur Distributiones, quæ dantur propter horas Canonicas recitandas, ùt patet ex *Glossa in Clement. 2. de vita & honest. Monach. Verbo Suspensus.* Quia tales Distributiones fiunt etiam propter Officium, ideóque sunt fructus beneficii.

IV. Non privatur tamen stipendio Missarum.

Pecuniæ verò, & alia, quæ dantur beneficiato non ex ratione beneficii, sed pià hominum voluntate pro missis dicendis, anniversariis celebrandis non comprehenduntur, nisi quando ut incerta sunt annexa beneficio, seu quando habentur tanquam fructus beneficii, ùt observavit Navarrus, Faber, Suarez. &c.

V. Plures sunt actiones, quæ comprehenduntur sub privatione fructuum.

Dico Tertiò: *Sub privatione fructuum comprehenduntur etiam omnes actiones pertinentes ad administrationem temporalem illorum fructuum, ùt sunt locare beneficia, fundos, bona, vendere fructus, donationes, mutationes, &c.* Hæc colligitur à Fabro ex *cap. 1. de Elect. §. ult.* in quo prohibetur suspensus ne se ingerat circa fructus beneficii tempore suspensionis. Unde Doctores, ait Faber, dicunt in *cap. Ex tua. de Clerico non residente*, & Fellinus in *cap. Intelligimus. de Judiciis. num.* 10. hujusmodi actus à suspenso factos esse nullos, quare si aliquis debitor tempore suspensionis solveret, suspenso non satisfaceret, & posset repeti solutio ab Ecclesia, quia solvisset illi, non haberet potestatem recipiendi solutionem. Hæc tamen intelligenda sunt de suspenso denuntiato. Potestas verò conferendi beneficium non comprehenditur sub fructibus beneficii, sed officii.

VI. Fructus tempore suspensionis proveniunt Ecclesiæ.

Quæres Primò: Cui sunt applicandi fructus beneficii tempore suspensionis beneficiati currentes? Respond. Quòd (detractis iis, quæ debentur substituto) Ecclesiæ, si sint autem distributiones, aliis Clericis, qui intersunt Divinis Officiis, *cap. Si quis deinceps.* 17. *q.* 4. nisi ipse intersit, & tales sint, quæ propriè distributiones non sunt.

VII. Suspenso in pœnam debet dari sustentatio.

Quæres Secundò: An suspenso debeat dari portio sufficiens ad sustentationem vitæ ex fructibus beneficii, si aliundè non habeat unde vivat? Respond. Quòd si sit suspensus in pœnam delicti, seu si sit suspensio pœnalis, debere suspenso dari portionem sufficientem sustentationi suæ, ne cogatur mendicare, quia sic suspensus non potest tollere suspensionem, cum per ipsum non stet, quod non auferatur, adeóque pro-

propter decentiam clericalem debet ei assignari aliqua portio. Si verò suspensus sit ob contumaciam suspensione medicinali, nihil est ei dandum, cùm ipse si in culpa suæ miseriæ ex eo, quòd contumaciam deponere nolit obtemperando Ecclesiæ, nec decet, quòd aliquis in contemptu Ecclesiæ, ab ea reportet commodum sustentationis.

QUÆSTIO QUARTA.

De Pœnis violantium Suspensionem.

I. Suspensus exercens actum aliquem, peccat mortaliter.

IMprimis certum est, quemcunq; suspensum exercentem actum, à quo est suspensus, peccare mortaliter ex genere suo, nisi parvitas materiæ excuset, & faciat esse veniale, vel necessitas urgeat, & faciat nullum, Quia sic exercens actum agit & contravenit præcepto Ecclesiæ in re gravi. Imò violans suspensionem beneficii, & recipiens fructus beneficii, obligatur ad restitutionem, quia recipit & detinet rem alienam, & hoc ante sententiam Judicis, quia hic non spoliatur bonis (quæ prius justè possideret) propter aliquod crimen, tunc enim requiritur sententia Judicis, sed per suspensionem redditur inhabilis ad fructus illos possidendos, aufertúrque ei jus & dominium ad illos, adeóque non requiritur hic sententia Judicis. Verùm ulterius

II. Communicans cum suspẽso denuntiato, peccat mortaliter.

Dico Primò: *Etiam cooperans & communicans cum suspenso denuntiato in iis actibus, à quibus est suspensus, peccat mortaliter.* Ita Navarrus, Sayrus, Bonacinna, &c. Quia concurrit ad actum malum & prohibitum, ergò. Non incurrit tamen aliquam Censuram Ecclesiasticam aliam, sive suspensionis, sive excommunicationis, quia talis in Jure non reperitur statuta. Dixi: *In iis actibus, à quibus est suspensus*, quia si communicaret, in aliis non peccaret, quia per hoc distinguitur suspensio ab excommunicatione, quòd hæc omnem prohibeat Communionem, non illa

Dico Secundò: *Suspensus à beneficio non incurrit irregularitatem recipiendo fructus, licèt peccet.* Ita Doctores omnes. Ratio est, Quia in nullo Jure reperitur posita irregularitas propter hujusmodi actum peccaminosum. III. Suspensus à beneficio non incurrit irregularitatem percipiendo fructus.

Dico Tertiò: *Suspensus ab Officio Jurisdictionis, non fit irregularis exercendo Jurisdictionem.* Ratio est eadem ùt suprà. Nec refert, quòd incurratur propter exercitium ordinum, quia Jurisdictio & Ordo non sunt sibi tàm necessariò connexa, ùt quod uni competit, competat & alteri. Hinc potest aliquis conferre beneficium, eligere &c. sine irregularitate, licèt sit suspensus. IV. Suspensus à jurisdictione non fit irregularis exercendo illam.

Dico Quartò: *Suspensus ab Ordinis officio fit irregularis, si solemniter exerceat officium majoris Ordinis, à quo est suspensus.* Ita Navarrus, Toletus, Alterius, Reginaldus, Sayrus, &c. Probatur ex *cap. Is, cui de sent. excom. in 6. & cap. 1. de sententia & re judicata, & cap. Si quis. de Clerico excom. minist.* Dixi primò: *Si solemniter exerceat*, quia si non exercet solemniter, incurreret irregularitatem, ùt docent Doctores. Hinc, si Subdiaconus cantaret Epistolam sine manipulo, non fieret irregularis, ùt vult Bonacinna. Dixi etiam *majoris Ordinis*, quia per exercitium minoris non fit quis irregularis, quia hæc etiam possunt fieri à Laicis. V. Suspensus ab Ordine fit irregularis exercendo illum.

Ex dictis infero Primò: Si quis suspensus ab ingressu Ecclesiæ celebraret, in illa Ecclesia fieri irregularem. Secundò fieri irregularem per benedictiones solemnes candelarum, aquæ, olei. Tertiò per benedictiones nuptiarum, solemnes introductiones mulierum post partum in Ecclesiam. Quartò, Episcopum fieri irregularem per actus, qui soli Episcopo consecrato competunt, ùt conficiendo Chrisma, consecrando Calices, conferendo Ordines, maximè in sententia, qui asserunt, Episcopatum esse Ordinem, contra Sylvestrum, qui contrarium docet, nempè Episcopatum Ordinem non esse. VI. Plures casus inferuntur propter suspensos ab Ordine.

An &c

An & quomodo acta per suspensum sint valida vel invalida, patet ex prædictis.

QUÆSTIO QUINTA.

In quibus Casibus incurratur Censura Suspensionis à Regularibus?

I. Nomine Clericorũ non comprehendũtur Regulares.

Cùm Subjectum Suspensionis sit Clericus, qui in multiplici est differentia, nam alii sunt Clerici sæculares, & Ecclesiastici, alii sunt ex ipsis Episcopi, & alii sunt Regulares, qui æqualiter non comprehenduntur, nam ex *cap. Quia periculosum.* sæpè citato, Episcopi non incurrunt Suspensiones, nisi particularis eorum fiat mentio, nec Regulares comprehenduntur sub nomine Clericorum in odiosis, quia nec ècontra sub nomine Regularium comprehenduntur Clerici sæculares, adeóque nec Regulares comprehendi debent sub nomine Clericorum, quod simpliciter positum semper significat sæculares. Hinc primò agam de Regularibus; Secundò de Clericis; & Tertiò de Episcopis, ubi notandum, quòd non velim hîc referre omnes Suspensiones particularium Diœcesium & Religionum, cùm nec hoc efficere possem, sed tantùm eas, quæ in Jure communi continentur. Itaque

II. Religiosi aliquid recipientes ob receptionẽ incurrunt Suspensionem.

Religiosorum Capitula & Conventus incurrunt Suspensionem ab Officio & Beneficio Papæ reservatam, si aliquid accipiant ob receptionem alicujus in Religionem, ex *Clement. Sanè. de Simonia.* à qua excipio Moniales conventionem facientes de dote, ùt patet ex praxi.

III. Item suscipientes nõdum expleto anno.

Secundò: Suspenduntur Prælati mendicantium à Suspensione ad Professionem, qui aliquem admittunt ad Professionem nondum expleto probationis anno. *Cap. Non solùm. de Regularibus. in 6.* Nec professio eorum est valida.

IV. Suscipientes Ordines nondum facta professione.

Tertiò: Suspenduntur Religiosi à susceptione Ordinum, si Ordines sacros suscipiant nondum expletâ & factâ Professione, ita *Bulla* 74. *Pii V.* item non modò à suscipiendis, sed etiam à suscepto, si Religiosus Apostata actualis ordinetur. *cap. Finali. de Apostatis.* qui proindè etiam incurrunt irregularitatem, si exequantur in Apostasia officium Ordinum.

V. Fratres Minores perturbantes Prædicatores in officio Inquisitionis, & viceversa.

Quartò: Suspenduntur Fratres Prædicatores ab executione Ordinum sacrorum, si Fratres Minores perturbent in Officio Inquisitionis, donec à Papa, vel ab illo, quem turbarunt, absolvantur, similiter suspenduntur Fratres Minores, si perturbent Fratres Prædicatores, ita habetur in Privilegio Clementis IV. quod incipit: *Paupertatis altissimæ.*

VI. Religiosi in Matrimonium conjungentes.

Quintò: Suspenduntur Religiosi ab officio sine excommunicatione latâ, in *Clement. 1. de Privilegiis.* qui sine facultate Parochi in Matrimonium conjungunt, vel Sponsos benedicunt, alterius Parochiæ, donec ab Episcopo Parochi absolvantur. Eadem suspensione ligantur etiam alii Clerici ibidem.

VII. Admittentes Mulieres ad Monasteria.

Sextò: Suspenduntur Religiosi à Divinis, privantur beneficiis, & ad alia redduntur inhabiles, qui præsumunt introducere mulieres in monasteria. Ita habetur in *Bulla* Pii V. quæ incipit: *Regularium.* & Gregorii XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ubi gratiæ.* Idem currit de Mulieribus admittentes viros.

VIII. Benedictinus non portans habitum præscriptum.

Septimò: Incurrit Monachus niger S. Benedicti suspensionem, à collatione beneficiorum, ordinum, ad annum, si fuerit Abbas, qui non portat habitum præscriptum, in *Clement. 1. §. Si quis autem. de statu Monachorum*, quòd si fuerit inferior, suspenditur ab administratione per annum, si quam habet, si verò non habeat, inhabilis redditur ad illam, eandem suspensionem incurrunt per biennium iidem Monachi, si intersint venationi clamorosæ cum canibus. Intellige semper præsumptuosè & in materia notabili, nam inadvertentia &c & parvitas semper excusant.

† Dddd Octavò,

IX. Concedentes Monasteriorum possessiones aliis. Octavò: Incurrunt Regulares quicunque, fœminæ & viri etiam militares, Suspensionem ab Officio, qui sine necessitate vel magnâ utilitate concedunt Jura, reditus, possessiones Monasteriorum, Abbatiarum &c. ad vitam concedentis vel recipientis, aut ad longum tempus, etiam pecuniâ inde receptâ. Ita *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Excipe tamen, si Conventus, vel Capitula, vel superior major consentiat.

X. Defraudantes Ecclesias decimis. Nonò: Defraudantes Ecclesias Decimis cum præsumptione sibi appropriando, usurpando, retinendo, prohibẽdo, v. g. dicendo sibi deberi, suas esse, se non esse obligatum, neq; suos domesticos & servos &c. suspenduntur ab officiis, beneficiis, administrationibus si habent, si non, excommunicantur, donec satisfaciant. Ita habetur ex *Clement. 1. de Decimis*. quod si tamen simpliciter retineret, non solvendo ex ignorantia, vel ex bona fide, putans se aliquo privilegio exemptum, non incurreret dictam Censuram, imò nec incurrit, si intra duos menses restituat.

XI. Negligentes monere pœnitentes absolvẽdas decimas. Decimò: Suspenduntur Confessarii ab officio concionandi, si requisiti negligant monere pœnitentes de solvendis Decimis, faciendo eis conscientiam, ita quòd si sic suspensi audeant concionari, ligentur excommunicatione. Ita habetur in *Clement. Cupientes. de pœnis*. Quod si autem Concionator requisitus ex Cathedra negligat hoc facere, non incurrit ullam suspensionem.

XII. Impedientes & retrahentes à legatis faciendis, & decimis solvendis. Undecimò: Suspenduntur absolutè, & simpliciter, Prælati & Superiores Religiosorum non impedientes & prohibentes suos Subditos, ne faciant retrahere testantes à Legatis faciendis Ecclesiis matricibus, à debitis restituendis, nevè procurent ut legata, debita vel ablata malè incerta dentur sibi aut Personis aliis, quàm iis, quibus debentur, ita in *Clement. 1. de Privilegiis*. Attamen prohibitum non est, quin possint moribundum certiorem facere de sui Conventûs necessitatibus, & indigentiis, hortando, ut aliquid spontè suo Monasterio legent, hoc enim in dicta Bulla prohibitum non est.

Duodecimò: Similem Suspensionem incurrunt Prælati Regularium, qui non satisfaciunt damno illato, à suis Subditis prædicando indiscretas Indulgentias, retrahendo Laicos, ne ad Parochiam accedant. Ita in *Clementina Religiosi. §. Quibus. de Privilegiis*. XIII. Retrahentes laicos, ne ad Parochiam accedant.

QUÆSTIO SEXTA.

Quando Clerici incurrant Suspensionem?

CLerici Ecclesiastici suspenduntur primò ab ordine suscepto, si suscipiant Ordines sacros ficto patrimonio, vel beneficio, ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Romanus Pontifex*. Item si faciant cum Episcopo ordinante ante Ordinationem, vel Patrono præsentante pactum de non petendo victu, alimentis & provisione, ex *cap. penult. de Simonia*. ubi habetur, Episcopum ordinantem sic & præsentantem Patronum suspensum esse per triennium, ipsum verò Clericum ordinatum, usque dum absolvatur. I. Clerici suspenduntur, si suscipiant Ordines ficto patrimonio, vel beneficio.

Secundò: Suspenditur Clericus ab usu omnium Ordinum, qui majores suscipit extra tempora constituta ab Ecclesia, vel ante legitimam ætatem, vel absque litteris dimissoriis, à quâ si publica sit, à Pontifice debet absolvi. Ita habetur in Extrav. Pii II. quæ incipit: *Cùm ex Sacrorum*. & ex *Extrav. Sixti V. incipiente: Sanctum & salutare*. Et hoc verum esse, putat Bonacinna, etiamsi non adsit præsumptio, cujus contrarium existimant Avila, Navarrus, Sa, Sayrus, &c. hoc tamen certum est, quod si post susceptionem Ordinum præsumeret eos exercere, eum fieri irregularem, ex dicta Bulla Pii II. Si verò litteras dimissorias petat à Capitulo sede vacante infra annum, eodem modo suspenditur ad beneplacitum futuri Prælati ex declara- II. Suscipientes Ordines Majores ante legitimam ætatem, tempus.

claratione. *Cong. S. in Trid. Sess.* 7. *cap.* 10. teste Suaretz. Et hoc verum est, si non sit arctatus ob beneficium receptum vel recipiendum.

III. Suscipientes duos Ordines sacros simul. Tertiò: Qui suscipiunt duos Ordines sacros simul, id est, eodem die, aut minores cum Subdiaconatu, aut duobus diebus immediatis sibi, suspenduntur ab executione posterioris, ex *cap. Litteras. de tempore ordinat.* Episcopus verò sic ordinans, suspenditur à collatione utriusque, ex eodem capite; nisi privilegium vel dispensatio accedat. Similiter suspenditur Clericus, qui per saltum promovetur, usque dum inferiorem recipiat, ex *cap. Unico. de Cler. per saltum prom.* in qua tamen potest Episcopus dispensare, si non ministraverit. ex *Trid. Sess.* 23. *cap.* 14.

IV. Suscipientes Ordines ab Episcopo excommunicato. Quartò: Qui recipit Ordines quoscunque ab Episcopo excommunicato suspenso, & interdicto denuntiato, suspenditur ab executione Ordinum, ex *cap.* 1. & 2. *de Schismat.* aut si ipse sit excommunicatus, ex *cap. Cùm illorum. de sent. excomm.* ubi habetur, quòd si talis suscipiens sit sæcularis, à suscepto Ordine in perpetuum esse deponendum, & Dispensationem Papæ reservari, nisi ignorantia &c. ipsum excuset. Item qui suscipit ab Episcopo irregulari vitando, ex *cap.* 1. & 2. *suprà.* vel à Simoniaco per sententiam declarato. *cap. Si quis à Simoniacis.* 1. *q.* 1. aut si ipse scienter Simoniam recipiat, etsi occultè fiat, ex *cap. penult.* & *cap. per tuas. de Simonia.* quæ Suspensio reservatur Episcopo. Iterum qui recipit Ordines sacros, in quo ab aliis limitatur ab Episcopo, qui resignavit Episcopatui, hoc est, officio & Jurisdictioni Ordinis, ejusque usui, ex *cap.* 1. *de Ordin. ab Episc. qui resign.*

V. Recipientes Ordines post matrimonium contractum. Quintò: Qui furtivè recipit Ordines, aut post Matrimonium contractum etiam non consummatum, suspenditur non modò ab ordine suscepto, sed etiam ab officio & beneficio, *Extrav. de voto.* Excipe casum, si fiat cum uxoris consensu, aut votum castitatis emittentis.

VI. Celebrans Missam in ea malitiose non communicans. Sextò: Qui celebrans missam, in ea malitiosè non communicat, suspenditur ad annum à Communione, *cap. Relatum. de consec. d.* 2. Item qui sine gravi causa relinquunt Missam imperfectam, suspenduntur à Corpore & Sanguine Christi, *cap. Nullus Episcopus. de consecr. d.* 1. Qui verò celebrant in locis interdictis suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, *cap. Episcoporum. de Privilegiis. in* 6. quamvis hoc potiùs sit interdictum: quod etiam incidunt, qui admittunt ad Sacramenta, ad Ecclesiasticam sepulturam, & Divina Officia publicè excommunicatos, sive postea sint Regulares & exempti, sive sæculares Sacerdotes, qui admittunt; Si verò admittatur condemnatus Usurarius, antequam satisfecerit, tunc admittens suspenditur ab officii executione, donec satisfecerit ad arbitrium sui Episcopi. *Cap. Quia non in omnibus. de Usuris.*

VII. Aggravantes Ecclesias debitis alienis. Septimò: Suspenduntur ab administratione temporalium & spiritualium Clerici, qui alienis debitis Ecclesias sibi commissas gravare præsumunt, quique litteras vel sigilla, per quæ obligari possit, alteri concedunt, ex *cap.* 2. *de Solution.* Est reservata Episcopo.

VIII. Clerici retinentes bona spectantia ad Prælatum defunctũ. Octavò: Suspenduntur ab officiis & beneficiis omnes Clerici, qui sede vacante Cathedralis, Regularis, vel Collegiatæ Ecclesiæ bona spectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ipsam sedem, vel ad successorem, donec integrè restituant, ex *cap. Quia sæpè. de Elect. in* 6. Episcopi id facientes suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ. *cap. Præsenti. de Officio Ordin. in* 6.

IX. Eligentes indignum in Episcopum. Nonò: Eligentes indignum (non habens 30. annos, illegitimo thoro natus, vitâ & scientiâ non commendatus, hic indignus est) in Episcopum suspenduntur per triennium à beneficiis, quæ in illa Ecclesiâ possidet. *cap. Cùm in cunctis. de Elect. in* 6. Eandem incurrit Compromissarius

sarius eligens indignum, *cap. Si Compromissarius*, *ibidem*. Compromittens verò consentiens electioni hanc Censuram non incurrit, sed privatur facultate iterum eligendi & comprobandi, *ex eodem cap.* Item Electores negligentes culpabiliter infra octo dies electionem præsentare. ex *cap. Cupientes. §. Cæterum. de Elect.* Qui verò electionem impugnant & deficiunt in probatione, similiter eam incurrunt. Ex *cap. Si Compromissarius. &c.*

X. Eligentes cum interventu Principis sæcularis nullũ jus habentis.

Decimò: Qui contra Ecclesiasticam libertatem per abusum sæcularis potestatis, id est, interventu Principis nullum jus habentis, eligunt ad præbendam Ecclesiasticam, suspenduntur ab officio & beneficio, & eâ vice eligendi potestate privantur, & consequenter electus eo casu non censetur electus. *Cap. Quisquis. de Elect.*

XI. Judex Ecclesiasticus faciens injuriam parti liriganti.

Undecimò: Judex Ecclesiasticus non Episcopus faciens injuriam ex amore vel odio contra Justitiam simul, & contra Conscientiam parti litiganti, suspenditur ab executione officii ad annum. *cap. Cùm æterni. de sent. & re jud. in* 6. Judex verò, qui fert sententiam Excommunicationis sine Scriptis, sine causæ expressione, sine admonitione & testibus, & qui non dat copiam Scripturæ intra mensem, si petat, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & à Divinis. *cap. Cùm medicinalis. de sent. excomm.*

XII. Disputantes de imaculata Conceptione.

Duodecimò: Disputantes quocunque modo privatim vel publicè de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ, vel edentes aut scribentes libros in vulgari lingua, etiam sub pietatis prætextu, suspenduntur à Divinis, & privantur ipso Jure omni gradu & dignitate, & ad similem redduntur inhabiles, & à solo Papa dispensari potest, ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Super specula.* Item Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII.

Sunt etiam adhuc plures aliæ Suspensiones contra Clericos utentes virgata, vel partitâ veste absque rationabili causa, contra raptores, notorios & publicos concubinarios, Sodomitas, publicos peccatores, duellantes &c. sed vel in usu amplius non sunt, vel sunt sententiæ ferendæ, ùt est de duellantibus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Casibus, in quibus Episcopi incurrunt Suspensionem.

I. Episcopi promoti administrantes sine litteris à Sede Apostolica acceptis.

EPiscopi in sequentibus Casibus ex Jure communi incurrunt Censuram Suspensionis. Primò si à Sede Apostolica promoti ad dignitatem Episcopalem administrationem accipiant absque litteris authenticis ejusdem Sedis, suspenduntur ab administratione fructuum earundem Ecclesiarum. *Extrav.* 1. *de Elect.* Capitula verò suscipientes hujusmodi Episcopos absque dictis litteris, suspenduntur à Beneficiis, (putarem ab iis, quæ omnibus, non singulis competunt) usque dum gratiam à Summo Pontifice obtineant. Idem est de Abbatibus sic promotis, & Conventibus recipientibus.

II. Consecrationem ab Excommunicato suscipiens.

Secundò: Suspenditur Episcopus à Pontificalibus, in Consecrationem etiam ignoranter accipiat ab Excommunicatis, Suspensis, & Interdictis vitandis. *cap.* 1. & 2. *de Schism. cap. Gratia. q.* 1.

III. Conferens Ordines absque licentia sui Episcopi.

Tertiò: Suspenditur Episcopus à Pontificalibus conferendo Ordines etiam Minores, imò etiam primam tonsuram absque licentia sui Episcopi. ex *Trident. Sess.* 6. *c.* 4. aut si conferat in aliena Diœcesi sine expressa licentia Ordinarii. ex *Trid. Sess.* 14. *cap.* 2. & *Sess.* 23. *cap.* 8. Item ordinans Conjugatum; Religiosum non professum, nisi obstet privilegium particulare, Monachum sine licentia Abbatis. Si Bigamum ordinet, & publicè pœnitentem suspenditur ad annum à Celebratione, *cap. Nullus. dist.* 55. Item Invitum, *cap.* 1. & 2. *d.* 74. Si indignum in Sacerdotem suspenditur à collatione Sacerdotalis Ordinis, *cap. Si qui Episcopi.* 1. *q.* 1. Si duos Ordines sacros conferat eodem die, aut duobus immediatis, suspenditur à collatione utriusque Ordi-

Conjugatum.

Bigamum.

Invitum.

Indignum.

Ordinis. *cap. Litteras. de Temp. ordinat. ut supra.*

IV. Non adhibens diligentiam circa electionem ad curam animarum. Quartò: Episcopus non adhibens diligentiam circa processum electionis & Personam electi ad curam animarum suspenditur à facultate confirmandi primum ejus Successorem. *cap. Nihil. de elect.*

V. Recipiens resignationem beneficii. Quintò: Episcopus, vel quicunque beneficiorum collator, qui recipit resignationem beneficii, suspenditur à collatione, præsentatione, electione, confirmatione vel institutione, donec à Pontifice absolvatur, ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ*, in qua tamen excipiuntur sequentes casus, infirmitas, senectus, crimine impeditus, corpore vitiatus, impotentia, Censura, pluralitas beneficiorum, si Religionem ingrediantur, matrimonium contrahant, si in illo loco propter capitales inimicitias vivere non possit. &c.

VI. Recipiens aliquid in visitatione. Sextò: Episcopus & quicunque Visitator Parochiarum & Monasteriorum, eorúmque familiares suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, si in Visitatione aliquid de pecunia, victualibus &c. accipiant, ultra id, quod ipsis debetur, usque dum duplo restituant. *cap. Exigit. de Censibus. in 6.*

VII. Abalienantes bona Ecclesiarū. Septimò: Episcopi & Abbates abalienantes bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum piorum sine consensu Summi Pontificis, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & si intra sex menses non resipuerint, ab administratione, *Extrav. Ambitiosè. & cap. Hoc consultissimo. de reb. non alien. in 6.* Imò si Commissarii sint & Delegati, ac abutantur potestate sibi commissa in abalienatione talium bonorum per timorem vel odium in detrimentum Ecclesiæ suspenduntur ab executione officii per annum, ita ut si damnabiliter se ingerant Divinis, durante suspensione, irregularitatem incurrant, quam solus Papa aufferre potest. Ita in *Extrav. Pauli II. tom. I. quæ incipit: Cùm omnibus Judicii.* Item abutentes officio Inquisitionis, id est, contra Justitiam & Conscientiam judicantes in causis Fidei, suspenduntur ad triennium ab officio, Inferiores excommunicantur per *Clement. 1. §. Verùm. de Hæret.*

Octavò: Episcopi aliique Prælati Sæculares & Regulares procurantes, ùt Clerici à Dominis temporalibus capiantur effectivè, vel capiant ipsi, si simùl Domini temporales sint, ut beneficia resignent, vel citati ad Sedem Apostolicam accedere nequeant, præter excommunicationem ob violentam manuum injectionem, suspenduntur per triennium à fructibus suarum Ecclesiarum, ex *Clem. 2. de pœnis.* Inferiores autem privantur omnibus beneficiis. VIII. Procurantes ut Clerici à Dominis temporalibus capiantur.

Nonò: Episcopus, qui primâ vice Monasteria Monialium ingreditur sine necessitate, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, secundâ vice Divinis, & tertiâ ligatur Excommunicatione, ex Constitutione Gregor. XIII. IX. Ingrediens Monasteria Monialium.

Decimò: Episcopus negligens procedere contra Simoniacos, suspenditur ab officio per duos menses, *cap. Quidquid. 1. q. 1.* permittens verò Usurarios publicos advenas conducere domos in suis finibus ad exercendum fœnus, suspenditur ab officio, donec illos expellat. *cap. Usuras. de Usuris. in 6.* X. Negligens procedere contra Simoniacos.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quid & quotuplex sit Interdictum?

Suppono, esse in Ecclesia potestatem ferendi Interdictum, adeóque licitè ferri posse, quamvis enim videatur Divini Cultûs diminutivum, compensatur tamen per subjectionis, & Summæ Potestatis Ecclesiasticæ recognitionis, atque obedientiæ bonum, quod exindè sequitur, cùm enim Regnum, Provincia, vel Civitas ob alicujus delictum interdicitur, tunc delinquens videns indignari Populum, Cives, Amicos, facilè ad se redit, & contumaciam deponit, nec hoc modo tantùm in usu est, verum fuit etiam antiquitus, D. I. Est in Ecclesia potestas ferendi interdictum.

 Augu-

Augustinus namque ipse, qui floruit circa annum 400. interdixit Bonifacium quendam ab ingressu Ecclesiæ, eò quòd immunitatem Ecclesiæ læserat rapiendo vi ex ea hominem, qui ad eam tanquam ad asylum confugerat, ùt videre est *in Epistola* 185. *quæ etiam.* 17. *qu.* 4. *cap. Miror.* Quo supposito ut fieri assolet, multùm controvertunt Doctores de ejus definitione, ego Doctorem nostrum Subtilem sequendo ad primam partem quæstionis

II. Interdictũ definitur. Dico Primò: *Interdictum benè describitur, quòd sit arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus.* Ita Doctor 4. d. 25. q. 1. & post ipsum Faber. Probatur explicando. *Arctatio* hìc habet rationem generis significans aliquid pœnale, adeóque in hoc convenit cùm aliis Censuris. Per particulam *A quibusdam actibus ecclesiasticis*, distinguitur ab Excommunicatione majori, quæ arcet ab omnibus, per ultimam partem, *Vel ab assistendo talibus*, distinguitur à suspensione & aliis pœnis, quæ non prohibent assistentiam (deme Excommunicationem, cum qua in hac particula convenit) sed solam ministrationem, quare etiam cadit in Laicos, qui Divina ministrare nequeunt, possunt tamen eis assistere. Et hæc sufficiant pro prima parte.

III. Interdictũ est triplex, locale, personale, & mixtum. Quantum ad secundam attinet, præter divivisionem Interdicti in illud, quod est à Jure & ab homine, totale & partiale, quæ ex supra dictis patent. Primò dividitur in *Locale, & Personale, & mixtum*, complectens duo priora; primum habetur in *cap. Præsenti. de sent. excomm. in* 6. estque illud, quod cadit super determinatum locum, non ex eo, quòd locus sit Censuræ capax, sed in quantum Fideles arceantur & prohibentur, quò minùs in eo Divina celebrare, vel assistere possint, per quod tanquam per principaliorem speciem etiam distinguitur ab aliis Censuris, quæ non sic respiciunt loca, sed Personas. De Interdicto personali habetur in *cap. Sententia. suprà.* estque illud, quod immediatè cadit in Personam, quatenus ipsi prohibet, quò minùs celebrare, vel assistere possit Divinis. Tertia species ab aliis distincta non est, sed utramque priorem complectitur, & ratione hujus collectionis plus habet quàm priores, nam non eo ipso, quo est interdictum Regnum, Civitas, est interdictus populus, qui extra Regnum, Urbem, assistere poterit Divinis. Et si interdictus est populus, non propterea sequitur statim esse interdictum aut Civitatem, quia si aliquis alius, qui de populo non esset, illuc adveniret, posset Divina celebrare, si Sacerdos esset, & posset assistere, si foret Laicus.

Interdictum tàm locale, quàm personale iterum subdividitur *in generale & particulare, ex cap. Cùm in partibus. de verb. signif.* Interdictum *locale generale est*, quando interdicitur aliquod Regnum, Provincia, vel Civitas, in qua sunt plures Ecclesiæ, aut Parochia habens plures Filiales, & si sumatur pro toto ambitu, quem in se continet, non verò, si sumatur pro ipsa Ecclesia; unde *particulare est*, quando interdicitur aliquis particularis locus vel particularis Ecclesia, imò etiam omnes Ecclesiæ alicujus Civitatis, quia his interdictis non censerentur interdicta loca illa, quæ per modum Capellarum ordinata sunt ad celebrationem, unde habentes facultatem celebrandi in portatili extra Ecclesiam possent celebrare. IV. Aliud Interdictum est generale, & aliud particulare.

Interdictum *Generale personale est*, quod fertur in aliquam hominum universitatem & multitudinem, quæ constituunt aliquod corpus politicum ex pluribus, ita ut non modò comprehendat eos collectivè, sed disjunctivè, singulas scilicet personas, videlicet alicujus Regni, Civitatis, Diœcesis, Parochiæ &c. *Personale particulare est*, quod fertur in aliquam singularem Personam, vel plures etiam ex populo; quæ omnia ut magis declarentur, & plura dubia resolvi possint, quæ implicitè continentur V. Interdictũ generale personale est.

nentur subsequentes apponendas duxi Conclusiones, hinc pro Interdicto generali locali

VI. Interdictâ Civitate etiam Suburbia sunt interdicta, & interdicta Ecclesia etiam Capellæ.

Dico Secundò : *Interdictâ aliquâ Civitate intelliguntur etiam interdicta suburbia , & interdictâ aliquâ Ecclesiâ, interdictæ sunt etiam Capellæ eidem contiguæ , ac cœmiterium , non tamen è converso.* Ita expressè colligitur ex *cap. Si Civitas. de sent. excom. in 6.* & confirmat Regula Juris: *Accessorium sequitur principale , non tamen è converso.* Probatur etiam ratione : Quia totum aliquod unum corpus non est capax Censuræ absq; omnibus partibus, benè tamen partes absque toto , sed Capellæ & cœmiteria contigua sunt partes constituentes unam Ecclesiam, ergò Ecclesia non interdicitur sine partibus, benè tamen partes sine Ecclesia , & idem est de suburbiis, de quibus adhuc fortior superadditur ratio, Tum, Quia Jura sic resolvunt , Tum , Quia illa loca dicuntur interdicta, sine quibus parvipendi posset Interdictum, sed si Civitate interdictâ non interdicerentur suburbia, Interdictum parvipenderetur , quia Cives sine ullo labore possent frequentare suburbia, & sic parum curarent.

VII. Interdicto populo Civitatis, etiam interdicuntur suburbani.

Et eodem modo resolvo aliud dubium , scilicet Interdicto populo Civitatis, esse etiam interdictos habitantes in Suburbiis, si sint de populo Civitatis, si verò non sint, non interdicuntur. Ita sentit Ugolinus, Alterius, &c. apud Bonacinnam. Quod si quæras, quid sentiendum, si duæ Ecclesiæ essent sibi contiguæ, an interdicta una censeatur etiam interdicta altera ? Respond. negativè, ratio est, quia altera Ecclesia non est quid accessorium , neque pars interdictæ.

VIII. Interdicto populo nò censetur interdictus Clerus.

Dico Tertiò : *Interdicto Populo alicujus Civitatis non censetur interdictus Clerus , nec interdicto Clero censentur interdicti Religiosi.* Ita Ugolinus, Alterius, Sayrus, Bonac. Probatur prima pars : Quia Clerus non constituit Communitatem cum populo eandem, sed distinctam, ergò neque comprehenduntur eodem interdicto.

Probatur secunda pars : Tum, Quia Clerici non interdicuntur & comprehenduntur sub interdicto Religiosorum , ergò neque Religiosi debent comprehendi sub interdicto Cleri. Tum, Quia Religiosi non veniunt sub nomine Cleri in odiosis, benè tamen in favorabilibus. Quod si interdiceretur aliqua familia, tunc putarem cum Bonacinna, etiam Clerum illius familiæ esse interdictum, quia est illius familiæ pars , sicut si interdicatur aliqua Universitas, vel Academia, omnesque ejus Professores etiam Clerici comprehenduntur.

IX. Interdicto Clero non sunt interdicti Religiosi.

QUÆSTIO NONA.

De Effectibus Interdicti.

Antiquitus plures referebantur effectus Interdicti, verùm Jure novo , post Bonifacium VIII. Martinum V. & Eugenium VI. ad numerum ternarium præcisè redacti sunt, ita quòd non comprehendatur amplius privatio Jurisdictionis, ut proindè Interdictus possit eam exercere excommunicando, absolvendo, judicando , Indulgentias distribuendo, &c. Numerus autem dictus ternarius effectuum ex *cap. Alma Mater. de sent. excom. in 6. & cap. Quod in te. de pœnitentia & remiss.* hic est , videlicet *Privatio aliquorum Sacramentorum* , *Privatio divinorum Officiorum* , & *Privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ* , qui sibi non sunt ità necessariò connexi, quin per Episcopum dividi , & limitari possint, ut quis interdicatur in uno & non in altero , quemadmodum nequeunt in Excommunicatione , ubi omnes sequuntur ùt primùm excommunicationem quis incurrit, ut proindè semper verba Interdicti benè sint notanda , ne quis ipsum extendat ad plura, quàm verba sonent; aut quàm intentio Legislatoris voluerit obligare. De his Effectibus nonnullæ sunt difficultates , & maximè

I. Plures effectus Interdicti olim erant.

II. Interdicti effectus nunc est triplex.

ximè de primo, quas proindè in hac resolvam quæstione, quare

III. Tēpore Interdicti administrari possunt Sacramenta Baptismi, & Confirmationis.

Dico Primò: *Tempore Interdicti tàm localis, quàm personalis, generalis & particularis administrari possunt Sacramenta Baptismi & Confirmationis, tàm parvulis, quàm adultis, tàm sanis, quam infirmis, etiam cum solemnitatibus, imò probabiliter etiam Sacramentum Confirmationis recipere possunt Personæ interdictæ interdicto generali, nisi fortè causam dederint interdicto.* Ita Faber 4. dist. 25. cap. 2. Et Probatur prima pars ex *cap. Alma Mater. & cap. Quoniam. de sent. excom. in 6.* ubi conceditur absolutè *tempore interdicti licitè ministrari posse Baptismum*, etiam cum Unctione Chrismatis, sed hæc Unctio est una ex Cæremoniis ad solemnitatem Captismi pertinentibus, ergò etiam poterit dari cum aliis, quia non est major ratio de una ac de alia. Deindè idem *cap. Quoniam.* æqualiter loquitur de Baptismo dicens: *Quoniam cum Baptismo & Confirmatione, quæ nedum parvulis, sed adultis propter moræ periculum exhiberi possunt licitè tempore Interdicti*, ergò in quocunque Interdicto administrari possunt ista duo Sacramenta, & gratis distinguuntur de Interdicto locali & personali, generali & particulari, cùm gratiæ & favores sint ampliandi.

IV. Confirmatio etiam personę interdictæ dari potest.

Probatur secunda pars ex *cap. Alma, & ex cap. Quando. cap. Responso. de sentent. excom.* & ulterius ratio esse potest, quia Confirmatio est quoddam complementum Baptismi. Limitavi tamen hanc partem ad interdictum generale, quia si personale est, aut generale, & interdictus ansam ac causam interdicti dedisset, puto cum Bonacin. eum non posse recipere Sacramentum Confirmationis, nisi priùs condignam satisfactionem dedisset, quia hujusmodi est reus culpæ & contumaciæ, qui proindè etiam excluditur à Sacramento Pœnitentiæ, per *cap. Alma. &c.* quos autem Ecclesia excludit à Sacramento Pœnitentiæ, etiam excludere intendit ab aliis.

V. Dices: Si non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, nec poterit illud administrare, si verò nequit administrare pœnitentiam, ergò nec poterit ministrare Baptismum & Confirmationem, cum receptio pœnitentiæ præsupponatur ad administrationem Baptismi, contra primam partem Conclusionis. Respond. Negando ultimam Consequ: Disparitas est, quòd Pontifex expressè excipiat duplex genus hominis ab administratione activa, & passiva pœnitentiæ, nempe excommunicatos, & qui ansam culpabiliter dederunt interdicto, pro administratione autem Confirmationis & Baptismi nullam facit distinctionem, adeóque cùm gratiæ sint, ampliandæ sunt. Ad Probat. Conseq. Resp. Dist. Ant: Pœnitentia præsupponitur ratione Interdicti, Nego Ant: ratione altioris præcepti, Religionis vetantis, ne ullus in statu peccati mortalis administret Sacramenta, concedo Ant: Hoc tamen nihil est contra me.

VI. Tempore interdicti licitè administratur & recipitur Eucharistia.

Dico Secundò: *Tempore Interdicti localis & personalis, generalis & particularis, licitè administratur & recipitur Sacramentum Evcharistiæ, etiam solemniter per modum Viatici, etiamsi culpabilem culpam Interdicto præbuisset, dummodò satisfaciat, vel satisfactionem promittat.* Ita Authores communiter, & sic habetur in *cap. Permittimus. cap. Alma. cap. Quod in te. de pœnitent. & remiss.* Et ratio est, quia Evcharistia Jure Divino sumenda est in articulo mortis, adeóque poterit administrari in tali, etiamsi esset tantùm probabile periculum, aut extrinsecum, id est, propter suspendium, aut propter periculosam navigationem, & consequenter etiam quicunque Clericus etiam particulariter interdictus, aut qui causam dedisset, administrare potest, dummodò alius non adsit, & servatur ordo, qui observari quoque debet in danda absolutione.

VII. Etiam solemniter, licèt non ha-

Dixi, *etiam solemniter* deferendo scilicet ad infirmum cum campanula, candelis accensis, cum canticis

beāt privilegium, sicut Mendicantes habent. cis & hymnis, cum Comitatu & Indulgentiis &c. Et hæc Conclusio intelligenda est de illis, qui alioquin nullum habent privilegium sumendi Evcharistiam tempore Interdicti, quale habere dico Religiosos mendicantes & Moniales ab Innocentio IV. & Jesuitis concessit Paulus III. consequenter participant alii, & Nobiles Viri speciale solent habere privilegium. Sed modo dubium est

VIII. Laici possunt communicare in Paschate. An videlicet liceat sumere Evcharistiam Laicis iis diebus, quibus licet eis interesse Divinis solemniter celebratis, & maximè tempore Paschali? ad quod cum Suaretz, Coning, Filliucio respondeo affirmativè. Ratio est, quia præceptum adimpleri debet toties, quoties non est impedimentum, & prohibitio nova priorem tollens, sed præceptum Communionis annuæ obligat in Paschate, ergò sublato impedimento Interdicti poterit & debebit adimpleri. Quod Confirmatur primò,

IX. Religiosi & Moniales tempore Interdicti debent audire Missam. stante Interdicto tenentur Religiosi, Moniales & Privilegiati audire Missam diebus festis, quia præceptum de audienda Missa manet in suo vigore per hujusmodi privilegium, ergò etiam tenebuntur communicare in Paschate, quia præceptum annuæ Communionis tunc reviviscit. Confirmatur secundò. Quia in *cap. Alma.* admittuntur certis festivitatibus, ut mox dicam, ad Divina Officia etiam interdicti specialiter, & qui causam dederunt, dummodò non communicent, ergò alii, qui causam non dederunt, poterunt etiam communicare, quia cùm hos solùm excludat, videtur alios velle admittere. Attamen puto, hic standum esse Consuetudini, maximè in aliis Festivitatibus extra Pascha. Sed

X. Sacerdos potens celebrare poterit etiam more laico communicare. Quæres adhuc: An Sacerdotes, qui possunt tempore Interdicti celebrare Missam, possint etiam communicare stante Interdicto, more laico? Respond. Affirmativè cum Suaretz, Filliucio, Sylvestro &c. Nam in *cap. Alma.* dicitur Sacerdos posse dicere Officia Divina, & facere *sicut prius*, sed prius ità poterant celebrare, ut possent etiam communicare more laico, si essent ligati impedimento, quo minùs potuissent celebrare, ergò & de facto stante interdicto poterunt. Deindè quicunque concedit illud, quod majus est, & principale in eodem Ordine, concedit etiam quod minus est & accessorium, sed &c. ergò.

Dico Tertiò: *Tempore Interdicti localis generalis, & particularis, personalis generalis, licitè administratur Sacramentum pœnitentiæ, & licitè recipitur, dummodò non sit excommunicatus, aut ansam culpabilem interdicto dederit, vel sit particulariter ob talem culpam excusatus.* Ita habetur in *cap. Alma. de sent. excom. in* 6. ubi excipiuntur excommunicati, & causam culpabilem dantes, consequenter etiam particulariter interdicti, quia hi etiam causam culpabilem interdicto dederunt, si tamen esset aliquis casus, quòd aliquis innocenter interdictus esset, talis posset absolvi & absolvere. Sed XI. Temporè Interdicti &c. licitè recipitur & administratur Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæres: An valida esset Absolutio, si Sacerdos particulariter interdictus absolveret? Respond. Negativè. Quia per Censuram cùm non tollatur Ordo, tollitur Jurisdictio, hâc ablatâ absolutio est nulla, &c. XII. Absolutio particulariter interdicti est nulla.

Dico Quartò: *Tempore Interdicti generalis localis & particularis, & personalis generalis Laicorum & Cleri, nec non personalis, nequit administrari extrema unctio, neque Ordo.* Ita Filliucius, Faber, Avila, Bonacinna. Et ratio est, Quia per Interdictum generaliter prohibetur omnis administratio Sacramentorum, quæ non excipiuntur, sed in *cap. Almà. & cap. Responso.* ista duo Sacramenta non excipiuntur, ergò nequeunt administrari. Hoc tamen observa, quod si esset interdictum locale, quòd possint extra illum locum suscipi, item si esset tantùm Laicorum, possent Clerici illa suscipere, aut si essent privilegiati, hoc semper excepto, qui causam culpabilem dedissent. XIII. Temporè Interdicti generalis &c. nequit administrari Unctio & Ordo.

† Eeee Dico

XIV. Tempore interdicti non est licitum contrahere Matrimonium.

Dico Quintò : *De rigore Juris non est licitum (validum esse nemo dubitat, si omnia essentialia adsint) contrahere Matrimonium, benè tamen sponsalia.* Ita Suaretz, Filliucius, Navarrus, Bonacinna &c. & Probatur prima pars de Matrimonio, Quia *cap. Alma.* absolutè & generaliter prohibet nullum Sacramentum celebrari posse tempore Interdicti, quod non excipitur his verbis: *Sanè à nostris dudum fuit Prædecessoribus constitutum, ut in terris seu locis Ecclesiasticis suppositis interdicto, nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) Divina celebrentur Officia, vel ministrentur Sacramenta.* ergò.

XV. Tempore interdicti possunt cō trahi sponsalia.

Probatur secunda pars : Quia Sponsalia non sunt Sacramentum, vel Divinum Officium, aut res sacra, sed puri contractus humani, consequenter licitè fiunt, & in hoc differunt ab ipso matrimonio, quod licèt sit etiam contractus, in Lege tamen nova semper habet inseparabiliter annexam rationem Sacramenti, quæ ratio principalior est, adeóque semper prohibetur.

XVI. Si consuetudo esset, etiam licitè matrimonium contrahi posset.

Dixi autem in Conclusione *de rigore Juris*: Quia si Consuetudine, quam allegat Sylvester, Navarrus, Covarruv. Contrarium interdictum esset, tunc licitè contraheretur Matrimonium tempore Interdicti, & hinc sententiam affirmantem censet probabilem Bonacinna, & ego favorabilibus magis addictus in similibus ad eam quàm maximè inclino, propter *cap. Appellamus. de Feriis.* ubi dicitur, quòd Matrimonium omni tempore contrahi possit. Et consequenter stante Interdicto locali etiam fieri possunt benedictiones, si Conjuges habeant privilegium assistendi Divinis Officiis, dummodò eo modo fiant, quo fieri debent ipsa Officia, ex *cap. Alma.* imò etiam solemniter iis diebus, quibus solemniter possunt celebrari Divina. Si tamen rigor Juris attendatur, non licebunt, quia computantur inter Divina Officia, sicut nec licent, si sunt specialiter interdicti conjuges. Et hæc sufficiant pro primo effectu Interdicti. Pro secundo

Dico Sextò : *Tempore Interdicti generalis localis, possunt Clerici illius loci, & etiam exteri omni die celebrare missam, & Divina Officia Januis Ecclesiæ tamen clausis, submissâ voce, campanis quibuscunque etiam ad elevationem non pulsatis, excommunicatis & interdictis, ac quibuscunque Laicis exclusis ratione utentibus, & non privilegiatis.* Ita Faber, Suaretz, Alterius, Covar. Sayrus, &c. & patet ex *cap. Alma.* ubi Bonifacius VIII. concedit, quòd in Ecclesiis & Monasteriis ob multa inconvenientia singulis diebus Missa celebrari possit, etiam sæpius, si plures sint ibi Sacerdotes, dummodò quatuor prædictæ conditiones observentur, quæ in Conclusione apponuntur, cùm Jure antiquo, in *cap. Permittimus.* non nisi semel in septimana permissum esset ad conficiendum Viaticum celebrare. Et licèt in *cap. Alma.* tantùm excludantur excommunicati, & interdicti, tamen in *cap. Licèt de Privilegiis. in 6. & ex Clem. 3. de sent. excomm.* Concluduntur etiam quicunque alii Laici, nam in dicta Clem. prohibetur Fratribus Minoribus, nè homines tertii Ordinis, videlicet Fratres & Sorores admittant ad Divina Officia, qui tamen non erant excommunicati & interdicti, & ratio est, quia cùm præcipiatur Ecclesia claudi, & prohibeantur campanæ pulsari pro hominum convocatione, hoc ob aliquem effectum debet esse ordinatum, non ob alium, quàm ut Laici non admittantur, ergò. Si privilegiati sunt, possunt etiam adesse Divinis cum suis Familiis concomitantibus, non verò extra comitatum, hinc Religiosi possunt admittere suos domesticos, operarios in domo, Syndicos &c. Nota tamen, quòd per *cap. Alma.* non prohibeatur pulsus Campanarum quicunque, sed tantùm ille, qui est ordinatus ad convocandum populum pro Missa & Divinis Officiis, unde licitum est, campanas pulsare pro Concione, ad comitandam Eucharistiam, ad Salutationem dicendam Angelicam &c.

XVII. Tempore Interdicti generalis localis possunt Clerici illius loci & exteri omni die celebrare.

Dico

XVIII. Specificantur dies, in quibus in Interdicto generali locali possunt Divina solemniter peragi.

Dico Septimò: *Tempore Interdicti localis generalis possunt celebrari Divina Officia, & Missarum solemnia apertis januis, pulsatis campanis, quibuscunque admissis laicis, etiam interdictis, non verò excomunicatis, denuntiatis, sicut prius ante interdictum, in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ Virginis; nec non in festo Corporis Christi, & per totam Octavam, & Conceptionis per totam Octavam. Item Fratres Minores in Festis principalibus Ordinis, à primis Vesperis usque ad Completorium secundum inclusivè.* Ita Faber, Navarrus, Medina, Covar. Suaretz &c. De primis quatuor festivitatibus habetur in *cap. Alma.* ubi omnes admittuntur ad interessendum Divinis, sicut prius exceptis solis excommunicatis, etiam interdicti, etiamsi causam dedissent, cum hac tamen conditione, ut *Altari non appropinquent*, id est, ut explicat Suaretz, Faber, Fillucius, ne primò corporaliter nimis appropinquent altari propter indecentiam, cùm sint Ecclesiæ contumaces; secundò, ne admittantur ad sumendam Evcharistiam; tertiò, ne oblationes faciant, quia si tales facerent & reciperent, viderentur jam Ecclesiæ reconciliati. Ad festum Corporis Christi & Octavam extendit Martinus V. in Bulla, quæ incipit: *Ineffabile Sacramentum.* Et ab Eugenio IV. in Bulla: *Excellentissimum.* Ad Conceptionis Festum cum Octava, Leo X. & quoad Fratres Minores aliósque Regulares videantur privilegia apud Mirandam & Rodriquez.

XIX. Interdicti non debent Altari appropinquare.

Ultima pars de inceptione à primis Vesperis usque ad Completorium festi inclusivè patet, Tum ex eo, quòd solemnitas quæcunque incipiat à primis Vesperis, *ex dist. 75. cap. Quod die.* Tum, Quia dist. 92. cap. ultimo Completorium secundum continetur in Officio Vespertino.

Sed Difficultas est, quando incipiat Paschæ solemnitas, & quando solemnitas Paschæ & Pentecostes desinat? An videlicet duret unâ tantùm die, id est, prima? Respond. Solemnitatem Paschæ incipere in Missa Sabathi Sancti circa *Gloria*, Quia tunc incipiunt denuò pulsari campanæ, ita sentit Soto, Pascha verò & Pentecosten desinere feriâ tertiâ post Completorium, ita quòd in Paschate & Pentecoste comprehendantur etiam duo dies festi subsequentes, quia isti duo dies juxta communem modum loquendi, intelliguntur nomine Paschæ, & Pentecostes, ita colligitur ex *Glossa in cap. Alma.* & sic sentit Soto, Coning, Alterius &c. Sed

XX. Paschæ solemnitas incipit à Missa Sabathi, & desinit feriâ tertiâ post Completorium.

Quæres: An in interdicto locali particulari valeat Privilegium *Alma?* Respond. Negativè; Tum, Quia illud loquitur simpliciter tantùm de locali generali; Tum, Quia cessant illa inconvenientia, unde solum uti possunt privilegio, *Permittimus.* si ibi Evcharistia asservetur. In Interdicto personali, generali & particulari currit privilegium *Alma*, tantùm in assignatis festivitatibus. Pro tertio effectu

Dico Octavò: *Interdictum locale & personale, generale & particulare, simpliciter & absolutè latum absque ulla restrictione privat, locum & ipsius Personas interdictas Ecclesiasticâ Sepulturâ.* Ità sentiunt Doctores communiter. Et Probatur ex *Clement. 1. de Sepulturis. ex cap. Quod in te. de pœnit. & remis. cap. Si Civitas. de sent. excom. cap. Ut privilegia. de privil. & cap. Episcoporum. de privileg. in 6.* Ratio etiam est, Quia interdictum generaliter latum, generaliter est intelligendum, ergò. Et hinc sequitur tempore interdicti localis, laicos etiam non interdictos non posse sepeliri in loco interdicto, minus proindè interdictos, aut excommunicatos, si tamen Laici non interdicti in loco interdicto morerentur, in alio loco non interdicto sepeliri possent, & ad talem aliò transferri. Si verò personaliter sint interdicti Laici, nullibi sepeliri possunt sepulturâ Ecclesiasticâ.

XXI. Interdictū absolutè latum privat Locum & personas Ecclesiasticâ Sepulturâ.

A rigore Interdicti localis tàm particularis, quàm generalis, excipiun-

XXII. Possunt tamen sepeliri habentes

privilegiū assistendi Divinis. piuntur Primò Privilegiati, & ii, qui habent privilegium assistendi divinis Officiis, nam accessorium sequitur principale, Sepultura autem Ecclesiastica habet se veluti quid accessorium ad divina Officia, ergò. Ita sentiunt Coning, Sayrus, Navarrus.

XXIII. Etiam diebus, in quibus solemniter celebrantur Divina. Secundò: Possunt sepeliri non interdicti tempore interdicti localis in illis diebus, quibus publicè & solemniter possunt celebrari Divina, Tum ob rationem prædictam, Tum, Quia cui communicamus vivo, possumus communicare defuncto, ex *cap. Sanè. d. 24. qu. 2.* sed &c. ergò. Ita Sylvester, Sayrus, Navar. Henriquetz.

XXIV. Clerici, qui servarunt Interdictū, & non dederunt causam. Tertiò: Excipiuntur Clerici ii, *qui interdictum servarunt, & causam culpabilem interdicto non dederunt*, hi enim possunt sepeliri stante interdicto locali in Ecclesia vel Cœmiterio interdicto, ex *cap. Quod in te.* dummodò hoc fiat sine solemnitate & sine sono campanarum, ex dicto cap. Et licèt in illo cap. dicatur quoque debere fieri in silentio, id est, sine Psalmodia & Canticis, tamen *cap. Alma.* concedit, quòd divina Officia celebrari possint cum moderatione ibi apposita, & cum hac moderatione etiam potest Clericus sepeliri, hinc si sepeliretur in Cœmiterio disjuncto ab Ecclesia, officia celebrari possunt in Ecclesia, & post ad locum sepulturæ Corpus in silentio deportari. Nomine Clericorum veniunt hìc etiam ii, qui primam habent tonsuram, dummodò non sint conjugati, secundò Religiosi, Moniales & Novitii. Sed

XXV. Sepultus in loco interdicto non debet exhumari. Quæres Primò: An sepultus in loco interdicto debeat exhumari? Respond. Negativè, quia per interdictum prohibetur actus sepeliendi, non verò quòd corpora sepulta ibi manere non possint, sicut fit in excommunicatione.

XXVI. Pœnæ violantium interdictum. Quæres Secundò: An peccent violantes interdictum? Respond. Omnem sive Laicum, sive Clericum & Regularem violantem interdictum quodcunque administrando Sacramenta non excepta, sive celebrando Missam & Officia Divina, aliter, vel alio modo peccare mortaliter ex genere suo, quia agit contra grave præceptum Ecclesiæ. Sepeliens verò in loco interdicto insuper ex *Clement. 1. de Sepulturis.* excommunicatur. Clerici verò Sæculares & Regulares insuper incurrunt irregularitatem, si exerceant actum Sacri Ordinis alio modo, vel aliter, quàm privilegium admittit. Ex *cap. Is cui. de sent. excom. in 6.* & alibi.

Quæres: Quomodo Interdictum relaxetur? Respond. dupliciter, videlicet per cessationem, vel per absolutionem, per cessationem relaxatur, si positum est sub conditione, & ad tempus, elapso tempore & adimpleta conditione, vel si communitas destruatur & totaliter dissolvatur, &c. per Absolutionem fit ab eo, qui Interdictum posuit, vel cui aliàs ex Jure competit, & quidem Reservatum non potest relaxare, nisi qui reservavit, ab occultis tamen personalibus possunt Episcopi, ex Trid. & mihi videtur etiam Religiosi Mendicantes per Paulum III. si reservatum non sit, ab eo, qui potest absolvere à peccatis. XXVII. Interdictū relaxatur dupliciter.

QUÆSTIO DECIMA.

In quibus Casibus incurratur Interdictum?

Non intendo hìc inquirere causas, ob quas legitimus Superior potest ferre, vel aliquando tulerit interdictum, hoc enim cùm diversorum vitiorum sit remedium, diversimodè fuit in particularibus Diœcesibus, Provinciis, & Regnis applicatum, ea tamen hìc puto non abs re futurum referre, quæ in Jure Communi occurrunt, cum particularibus Casibus ex Jure Communi remedium quæratur. Et in primis referam, in quibus Casibus incurratur interdictum locale, secundò personale generale, & tertiò personale particulare. Itaque I. Multæ possunt esse causæ ad ferendum Interdictū.

Primò: Incurritur Interdictum locale, quando Dominus aliquis supremus II. Dominus prohibens Nuntium

Pontificis, vel percutiens Episcopum, est causa Interdicti.

premus Regni vel Provinciæ impedit, ne Nuntius vel Legatus Pontificis suo fungatur officio, tunc enim terræ illius Domini subjacent interdicto, *Extrav. Super gentes. de Consuetudine.* Aut si talis Dominus percutiat Episcopum, proscribat, capiat, vel fieri hæc mandet, tunc terræ illius usque ad condignam satisfactionem subjacent Interdicto. *Clement. 1. de pœnis.*

Secundò: Si Rector Civitatis, in qua Papa moritur, non faciat ea, quæ præscribuntur in *cap. Ubi periculum. de Elect. in 6.*

III. Episcopus &c. manēs per mēsem in excommunicatione.

Tertiò: Generale Interdictum loci incurritur, si Episcopus & alii Ecclesiastici inferiores, & Communitates maneant per mensem in Excommunicatione vel Suspensione ex eo, quod Usurariis concedant domos ad fœnus exercendum. *cap. 1. de Usuris. in 6.*

IV. Inducentes ad eligendam sepulturam, & electam nō mutādam.

Quartò: Si Clerici Regulares, vel Sæculares inducant aliquem ad vovendum vel promittendum (intellige cum onere obligationis veræ non gratiosæ inductionis, idque si in effectu sequatur, & alii sint participes consentientes, & scientes, non de uno solo) ut in eorum Ecclesia eligat sepulturam, & semel electam non immutet, si postmodum præsumpserint in eorum Ecclesia vel Cœmiterio sepelire, tunc sunt loca illa interdicta, nisi intra decem dies restituant omnia illa Ecclesiæ, in qua sepeliendus de Jure erat, quæ occasione sepulturæ acceperunt, *cap. 1. de Sepulturis. in 6.* Puto tamen hanc restitutionem fieri non debere ante declarationem Judicis per sententiam. Verùm nota, Interdicta localia non obligare ad eorum observantiam ante denunciationem. Ita Suaretz, Filliucius, Sayrus, Reginaldus, &c.

V. Referuntur casus, in quibus Interdictum personale generale incurritur.

Interdictum personale generale incurritur Primò, Si Universitas & Communitas concedat repressalias, & pignorationes contra Ecclesiasticas Personas & eorum bona, aut si concessas non revocet intra mensem. *cap. Unico. de Injuriis. in 6.*

Secundò: Quando Universitates, Capitula, vel Collegia appellant à sententia Pontificis ad futurum Concilium, aut si Consilium aut auxilium præbeant. Ita *Bulla Cœnæ.*

Tertiò: Si sede vacante concedit Capitulum dimissorias non arctatis ratione beneficii. ex *Trid. Sess. 7. cap. 8.*

Quartò: Communitas concedens domos Usurariis.

Quintò: Qui causam culpabilem dederunt Interdicto locali, Suaretz, Reginaldus, Sylvester.

VI. Casus, in quibus Interdictum personale speciale incurritur.

Interdictum personale speciale ab Ingressu Ecclesiæ incurritur Primò, quando quis recipit Abbatiam, vel dignitatem Ecclesiasticam de manu Laici. *cap. Si quis deinceps. 16. quæst. 7.*

Secundò: Prælati, qui sibi aliquid usurpant de reditibus Dignitatis vacantis, vel Ecclesiarum sibi subditarum. *cap. Præsenti. de officio Ordin. in 6.* usque dum restituant.

Tertiò: Quando Sacerdos præsumit sibi, admittere Excommunicatum, vel Interdictum ad Divina Officia, usque dum competentem præstiterit satisfactionem ad arbitrium interdicentis. *cap. Episcoporum. de Privilegiis. in 6.*

Quartò: Si inferior Episcopo ferat Censuram sine scripto, sine monitione & expressione causæ, incurrit suspensionem à Divinis Officiis, & ab ingressu Ecclesiæ. *cap. 1. & cap. Sacro. de sent. excom. in 6.*

Quintò: Si quis violet Interdictum locale generale. *cap. Episcoporum. de Privil. in 6.*

Sextò: Episcopus accipiens in visitatione aliquid ultra, quod ipsi debetur, nisi intra duos menses in duplum restituat. *cap. Exigat. & cap. Felicis. 2. de Censibus.*

Septimò: Eos proportionaliter arceri ab ingressu Ecclesiæ, qui Officiales Romanæ Curiæ, aut alios sectantes Romanam Curiam, privant suis beneficiis. *Extrav. 3. de Privileg.*

Octavò: Prælati edentes Commentaria in Tridentinum. ex *Pio IV. in Bulla Confir. Concilii Trid.*

Nonò: Cardinales vel Prælati recipientes Beneficia vel pensiones cum Simonia confidentiali, ex Pio IV in Bulla 85. quæ incipit: *Romanum Pontificem.*

VII. Cessatio à Divinis describitur.

Hic pro Complemento hujus Quæstionis agendum esset de *Cessatione à Divinis*, verùm quia effectus habet communes cum Interdicto, & in aliis utplurimum cum ipso convenit, hinc puto satis esse, si tradidero ejus definitionem & differentiam ab Interdicto. Itaque Cessatio à Divinis definitur benè, quòd sit *Prohibitio simplex Divinorum facta Ministris Ecclesiæ respectu talis loci*, quæ sic explicatur: *Prohibitio simplex* dicitur ideò, ut denotetur esse pœnam aliquam Ecclesiasticam, differentem tamen à Censuris, quia non habet se per modum alicujus accidentis moralis afficientis subjectum, sed purè ab extrinseco ipsum respicit: Deindè non habet annexam irregularitatem, si violetur, sicut habet suspensio & Interdictum, cùm non incurratur irregularitas, nisi in casibus à Jure expressis, *cap. Is cui. de sent. excom.* Verumtamen Religiosi, iique præcisè quicunque sunt, incurrunt Excommunicationem, si violant Cessationem à Divinis non obstantibus quibuscunque Privilegiis, ex *Clem. 1. de sent. excom.* dicitur *Divinorum*, id est, Officiorum, Sacramentorum, & Sepulturæ Ecclesiasticæ, ita quòd nec Divina celebrari possit cum moderatione, *capitis, Alma*, sicut fieri potest tempore Interdicti. Dicitur denique *facta Ministris Ecclesiæ, respectu loci*, quia Suspensio & Interdictum etiam respiciunt Personas, Cessatio à Divinis locum tantùm ex communi sententia. Denique Cessatio non incurritur ipso facto ex Jure, sed ab homine. Et hæc sufficiant. Sit igitur

VIII. Religiosi violantes cessationē à Divinis incurrunt Excomunicationem.



QUÆSTIO UNDECIMA.

De Depositione, & Degradatione.

I. Depositio & Suspensio pro eodem quandoq; sumuntur.

Subjungo Disputationi de Suspensione illud, quòd de Depositione & Degradatione dici potest & debet, Tum, Quia ipsa Materia prolixam Disputationem non exigit, cùm præter Naturæ earum notitiam reliqua singulares non contineant Difficultates; Tum, Quia ipsa *Depositio* vocatur quandoque *Suspensio*, & contra *Suspensio* vocatur *Depositio*, ut notat *Glossa* in caput *Si quis Episcopus*. dist. 83. & *in titulo de Clerico excommunicato & deposito ministrante*, ubi suspensus vocatur depositus, & *in dicto titulo cap.* 3. dicitur, Depositionem aliam esse perpetuam, aliam non perpetuam, quæ aliud non est, quàm Suspensio; Tum denique, Quia etiam Degradatio, & Depositio quandoque pro eodem accipiuntur, ut in *cap. 2. de pœnit. in 6. §. 1.* ita ut Depositio etiam dicatur *Degradatio verbalis* à Canonistis, & Degradatio secundùm se actualis & realis, ex ratione mox adferenda, quamvis in se sint omninò pœnæ distinctæ. Itaq; Depositionem prout huc spectat (accipitur enim aliquando pro actu ponendi aliquod Depositum, aliquando pro testificatione, quæ in Judicio dicitur Testium Depositio, & aliquando pro derelictione alicujus Officii vel Dignitatis libera & activa) nempè pro Depositione passiva ab alio inflicta, describo, & II.

II. Depositio multiplex est.

III. Depositio describitur.

Dico Primò: *Depositio, seu Degradatio verbalis est amotio Personæ Ecclesiasticæ totalis, & perpetua ab omni officio & beneficio sine ulla spe restitutionis facta per verba Judicis sententiam ferentis.* Patet de se, Tum ex terminis, Tum ex dictis, & mox dicendis, unde

V. Degradatio definitur.

Dico Secundò: *Degradatio propria & actualis est amotio Personæ Ecclesiasticæ ab omni officio & beneficio, ac statu Clericali, perpetua & totalis sine spe restitutionis, cum quadam solemnitate facta.* Ita communis, & deducitur etiam ex *cap. 2. de Pœnis. in 6.*

in 6. ubi dicitur : *Deponimus* (loquendo de Degradatione) *& exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio Clericali.* Dicitur *Amotio*, in quo convenit cum Depositione, sicuti etiam, quòd sit totalis & perpetua, per reliquas particulas à Depositione differt, & ab aliis Censuris Ecclesiasticis, nam Suspensio non est perpetua, ab irregularitate verò & Excommunicatione differunt, quòd Irregularitas & Excomunicatio non privant beneficio acquisito. Differt iterum Degradatio à Depositione, quòd Degradatio debeat fieri in præsentem, *ex cap. Novimus. de verb. signif.* Depositio potest ferri in absentem; Deindè Degradatio debet fieri cum solemnitate, id est, ab Episcopo proprio, vel alieno de facultate proprii, Pontificalibus indutò, cum assistentia sex Abbatum, si degradandus sit Sacerdos, vel habentium usum baculi & mytræ, Capituli, & Cleri, vel aliorum virorum honoratorum Ecclesiasticorum, ex *Trid. Sess.* 13. *cap.* 4. Cùm antecedenter Jure antiquo tot Episcopi adesse debebant. Denique degradatus non gaudet Privilegio Fori & Canonis, unde in eum animadvertere potest Judex sæcularis, eumque punire, statim enim traditur post Degradationem brachio sæculari, unde qui eum percutit, non incurrit Excommunicationem, benè tamen si percuteret depositum, quia hic adhuc gaudet privilegio Canonis, ex *cap. Degradatio. de Pœnis. in* 6. Quare etiam incurreret Excommunicationem Capitaneus Triremium, si taliter Depositum percuteret extra causam & casum negligentiæ in remigendo, in quo si percutit sicut alios remiges, censent Doctores communiter non incurrere, quia tunc fungitur munere suo, nam damnatus ad triremes, censetur etiam ad pœnas subsequentes damnatus. Ita Navarrus, Toletus, Sayrus. Verumtamen hoc notandum, quòd nec per Depositionem, nec per Degradationem tollatur Character Ordinis, unde Sacerdos depositus validè adhuc consecraret. Quare

V. Percutiens Depositum Clericum incurrit Excommunicationē, non tamen degradatum.

Dico Tertiò: *Depositus & Degradatus non absolvuntur ab obligatione servandæ Castitatis, & recitandi divini Officii, si antecedenter obligatus fuit.* Ita Faber, Covarruvias, & Summistæ communiter. Probatur: Tum, Quia istæ Obligationes annexæ sunt potestati Ordinis, non Jurisdictioni, sed per depositionem non tollitur Ordo, sed tantùm Jurisdictio, ergò. Tum pœnæ non ponuntur ad tollenda onera, nec ex iis quis debet sentire commodum, sed Degradatio & Depositio pœnæ sunt, ergò per eas non eximitur quis ab obligatione servandæ Castitatis, &c. quia alioquin sentiret magnum exindè commodum.

VI. Depositus & degradatus non absolvuntur à Castitate & Breviario.

Qualia autem crimina requirantur tum ad Depositionem, tum ad Degradationem, videri possunt Canonistæ, Scotus pro Degradatione enumerat tria, nempè hæresim, ex *cap. Ad abolendam.* Schisma, ex *cap. Ad scindendos. Extrav. de Schismat. in* 6. & Revelationem Confessionis, ex *cap. Omnia utriusque sexûs. de Pœnitent. & Remiss.* Quibus Bonacinna addit homicidium qualificatum, Sodomiam sæpius exercitam: Pro Depositione ponit ex aliis idem Bonacinn. Adulterium, Concubinatum, perseverantem post monitionem, Simoniam notoriam, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium etiam solo consilio perpetratum, delictum, quo quis permittit suâ culpâ Parochianum suum decedere sine Baptismo, & alia gravia crimina, quæ inferunt irregularitatem, imò alii omnia crimina enumerant, pro quibus in foro civili solet quis plecti pœnâ mortis, attamen in his non solùm debent attendi Canones antiqui, qui citiùs similes pœnas imponebant, sed prudens Judex videre & discernere debet, an delicta talia sint, quæ tàm graves mereantur pœnas. Sed

VII. Tria sunt potissima crimina, propter quæ incurritur depositio, & degradatio.

Quæres Primò: An Prælati, quorum ex Depositione Juris ex Trid. requiritur præsentia, adesse debeant in Depositione & Degradatione tanquam Judices: Vel an tantùm

VIII. De Jure deberent Prælati assistētes, esse Cōjudices.

tùm ficut Affeffores confultantes? Refpond. debere adeffe tanquam Judices, quia fic colligitur ex *cap. 1. in fine. 5. qu. 7. cap. Non poteſt. de ſent. & re jud. ex Trid. Seſſ. 13. cap. 4.* ubi ftatuit, adhibendas Perfonas in dignitate conftitutas, & Viros fcientiâ commendabiles, ergò fignum eft, quòd debeant adeffe tanquam Judices, alioquin non requireretur Juris fcientia. *In cap. Non poteſt.* fuprà afferitur, omnes debere confentire, nemine excepto, ait enim, neminem poffe à gradu Sacerdotali deponi, nifi adfit confors fententia, fed aliquo difcrepante non eft confors fententia, ergò, &c. Et licèt aliàs ex *l. Quod Major. ff. de municip. & cap. 1. d. 57.* fufficiat major pars, id hic non fufficit, quia Jus exprefsè contrarium requirit.

IX. Depofitus & degradatus abfolutè poffunt reftitui.

Quæres Secundò: An Degradatus vel Depofitus poffet reftitui? Refpond. Degradatum fi non tradatur, immediatè poft degradationem brachio fæculari fupplicio afficiendus, poteft de Summi Pontificis authoritate abfolutâ reftitui; Quia hic eft fuper omne Jus pofitum. Depofitum verò poffe etiam ab Epifcopo reftitui, modò Depofitio facta eft ob adulterium, & alia crimina adulterio minora, ex *cap. Si Clerici. de Judiciis.* ubi ipfis his verbis & hôc modô conceditur: *De adulteriis verò & aliis criminibus poteſt Epiſcopus cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, ſed non debet quomodolibet depoſitum pro ſuis exceſſibus Judici tradere ſæculari.* Ex quo cap. tamen Doctores notant, Epifcopum non poffe fe folo hoc facere, fed cum confenfu Capituli, quod denotatur per *tò cum Clericis*, nifi adfit alicubi contraria confuetudo, & praxis, de qua teftatur *Gloſſa in cap. Cùm ex eo, verbo Epiſcopi, de Elect. in 6.* Qualis autem forma Depofitionis & Degradationis quis locus &c. obfervari debeat, nofcent Epifcopi, & qui fcire voluerit, quærat in Pontificali, aut fi deeft, videatur Molina, Filliucius, Sayrus, &c.

DISPUTATIO QUINTA.

DE IRREGULARITATE.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex ſit Irregularitas?

I. Irregularitatis Etymon.

IRREGULARITAS fecundùm Etymon per defcriptionem *quid Nominis* idem eft, ac pofitio extra regulam, unde irregularem effe idem eft, ac effe extra regulam communem pofitum, in qua homines ordinariè vivunt, circa Definitionem *quid rei* non adeò difcrepant in re Authores inter fe, benè tamen in appofitione vel demptione aliquorum terminorum, ego cum Subtili in 4. d. 25. q. 1.

Dico Primò: *Irregularitas eſt inhabilitas ad ſuſceptionem, & executionem actuum ordinum.* Hæc fi explicetur & intelligatur, benè conveniet cum quibuscunq; aliis. Dicitur itaque in primis, *Inhabilitas*, & non *Incapacitas*, ad infinuandam irregularitatem effe pœnam & impedimentum ad Ordines fufcipiendos ex Jure Ecclefiaftico, prout contra diftinguitur ab impedimentis, quæ Jure Divino prohibent facros Ordines fufcipere, eosque exequi, ùt funt: *Sexus fœmineus, infidelitas, peccatum mortale, amentia, &c.* quæ non funt *inhabilitates, ſed incapacitates*, nifi in quantum poftmodum etiam Jure Canonico fimilibus defectibus irregularitatis pœna imponitur. Quomodo II. Irregularitatis Definitio.

modo autem irregularitas dicatur, & dici possit pœna, dixi suprà. Dicitur *ad susceptionem & executionem actuum ordinum.* Ubi subintelligi potest, quod aliqui expresfè ponunt *primariò & directè*, id est, ex se principaliter impediens, quò minus aliquis Ordines suscipere possit, quâ susceptione non obstante, & dato, quòd antecedenter jam suscepisset, impeditur adhuc ab executione actuum, ut proindè particula *& executionem* non debeat accipi disjunctivè, id est, vel impediens susceptionem, vel executionem, sed copulativè, ità quòd si non possit habere utrumque, habeat tamen adhuc secundum.

III. Differentia Irregularitatis ab aliis pœnis.

Et hæc est differentia Irregularitatis ab aliis pœnis Ecclesiasticis, quia istæ primariò tendunt ad impediendos actus Ordinis, & ut hi facilius impediantur, prohibetur etiam ascensus & promotio ad Ordines. *Excommunicatio* enim principaliter non respicit susceptiones Ordinum, sed separationem à Communione fidelium, & sic per accidens impedit etiam susceptionem & executionem Ordinum, non quia Ordines sunt, ut facit irregularitas, sed quia Communiones sunt, *Suspensio* principaliter tendit ad privationem sacrorum officiorum, per accidens ad privationem potestatis suscipiendi Ordines, Imò suspensio supponit aliquem esse Clericum, cùm solùm feratur in Ecclesiasticas Personas, Irregularitas verò prohibet, ut possit fieri Clericus etiam per primam tonsuram, ut mox dicam. *Interdictum* & *Cessatio* primò tendit ad auditionem divinorum Officiorum. Denique hæ tres Censuræ sunt Medicinales pœnæ, quæ depositâ contumaciâ, & præstitâ obedientiâ cessant, Irregularitas verò fertur ad decorandum statum Clericalem, atque ad decentiam & reverentiam Ordinum, ut conserventur semper in statu eminentiali, à quo dum Clerici recedunt, irregularitates incurrunt. A *Depositione* denique & *Degradatione* differt irregularitas, quòd illæ excludant & ejiciant Clericum à statu Clericali, & à dignitate & Officiis Ecclesiasticis, Irregularitas verò non admittit ad statum Ecclesiasticum, adeóque sunt multò majores pœnæ, quàm sit Irregularitas, turpius est enim ejici ab aliquo, quàm ad illud non admitti, secundum vulgatum:

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

Difficultas autem est: Quorum Ordinum susceptinem impediat Irregularitas, an videlicet tantùm Sacrorum, an etiam Minorum, similiter an etiam primæ tonsuræ? Ad quam Respondeo cum communiori sententia, &

Dico Secundò: *Irregularitas impedit susceptionem omnium prorsus Ordinum, & etiam primæ Tonsuræ.* Ita Navarrus, Filliucius, Garzias, Suaretz apud Bonacinnam contra Aloysium, Bariolam, &c. quantum ad primam Tonsuram. Et Probatur ex *cap. Curandum. dist. 34. & cap. ultimo. de Temp. Ordinand.* & fuit sic determinatum in Rota una Romana. Ratio etiam est, Quia licèt Tonsura prima non sit Ordo, sed ad Ordines dispositio, tamen in Jure Canonico nomine Ordinis, intelligitur ex *cap. Cùm contingat. de ætat. & qualit.* ita ut qui primam Tonsuram acquirit, ponatur ad statum Clericalem, reddatúrque capax Ecclesiasticæ Jurisdictionis, Irregularitas autem excludit aliquem, & non vult admittere ad statum Clericalem, ergò nec ad primam Tonsuram. IV. Irregularitas impedit susceptionem omnium Ordinum & etiam primæ tonsuræ.

Dices: In odiosis non est facienda extensio, & uno casu ad alium, ex *cap. Pœnæ. de Pœnitent. dist. 1.* ergò, licèt Irregularitas impediat susceptionem Ordinum non est dicendum, quòd etiam impediat primam tonsuram, quia hæc Ordo non est. Respond. Concedendo Ant: Negando Consequ: cujus rationem distinguo. Hæc, id est, Tonsura, non est *Ordo, qui est Sacramentum,* concedo, non est Ordo constituens hominem in Ordine Clericali & capaci Ecclesiasticæ Jurisdictionis, nego. Itaque Irregularitas non impedit solùm primum Ordinem, sed etiam secundum. V. Prima tonsura constituit aliquem in statu clericali.

VI. Irregularitas reddit hominem incapacem ad beneficium.

Dico Tertiò: *Irregularitas reddit hominem etiam incapacem beneficii, ità ut illud recipere validè non possit, non tamen privat ipso facto beneficio, si illud jam sit acquisitum.* Ita Lessius, Sayrus, Henriquetz, Navarrus, apud Bonacinnam. Probatur prima pars: Tum ex *cap. Postulastis. de Clerico excom. min.* Tum, Quia Beneficium datur propter officium, sed Irregularis non potest habere & exercere officium, ergò nec beneficium. Unde si quis tempore Irregularitatis beneficium acquireret, non posset illud validè retinere, sed deberet sibi curare de novo conferri ab eo, qui authoritatem habet, postquam ab Irregularitate dispensatus est.

VII. Irregularitas non privat beneficio.

Probatur secunda pars: Tum, Quia nullo Jure constat irregularem ipso facto post contractam irregularitatem privari beneficio; Tum, Quia in *cap. Ne Clerici vel Monachi. & cap. Fraternitatis. de Clerico excom.* habentur verba futuri temporis, quæ insinuant irregularem ipso facto non esse privatum, sed per sententiam privandum; Tum denique Quia Irregularitas ex homicidio proveniens, quæ maxima est, non privat ipso facto beneficio, *cap. Miror. dist.* 50. ergò nec quæcunq; alia.

VIII. Irregularitas superveniens nō privat Jurisdictione.

Quæres: An Irregularitas privet etiam Jurisdictione? Respond. Si nondum eam habet reddi incapacem Jurisdictionis ordinariæ, quia hæc sequitur officium & beneficium, horum est incapax, si verò superveniat beneficio, non privatur actibus Jurisdictionis, qui non involvunt simul usum sacrorum ordinum, hinc Parochus irregularis potest assistere Matrimonio, eligere, excommunicare, &c. non tamen in foro Pœnitentiæ absolvere nec validè, nec licitè, si denuntiatus sit, benè tamen si non sit denuntiatus, hic enim non est privatus Jurisdictione involvente Ordinis usum, benè tamen alter.

IX. Irregularitas totalis

Quæres Secundò: An Irregularitas privet omni actu Ordinum? Respond. Irregularitatem totalem reddere incapacem omnium Ordinum, non tamen partialem, ita Doctores communiter cum *Innocentio cap. Si celebrat. de Clerico excom. minist.* Quia totalis, sicut omnes impedit suscipere, ita etiam impedit omnes exercere, Partialis verò non sic impedit ab omnibus, hinc Sacerdos mutilatus pollice fit irregularis quoad absolutionem dandam, & talis potest etiam promoveri ad alia beneficia, quæ non habent annexum onus illius Ordinis, ad quem sunt inhabiles, v. g. ad Canonicatum, ad Dignitatem Diaconalem. &c. privat omni actu Ordinum.

X. Irregularis suscipiens Ordines graviter peccat, validè tamen eos suscipit.

Quæres Tertiò: An Irregularis suscipiendo, vel exercendo Ordines, graviter peccet, & penes hoc aliam irregularitatem, aut aliam pœnam incurrat? Respond. Peccare quidem graviter, quia facit contra grave Ecclesiæ præceptum, validè tamen suscipit, cùm Ecclesia non impediat effectum Sacramentorum, nec impedire potest, sed tantùm sic suscipi vel exerceri prohibet, *Multa autem fieri probibentur, quæ tamen facta tenent.* Respond. secundò; Talem non incurrere novam pœnam, nec novam irregularitatem, quia hæc non est in Jure expressa. Hæc pro parte prima sufficiant.

Circa secundam diversimodè loquuntur Authores, & Irregularitatem in multas dividunt Classes, alii enim in tres, & hi iterum diversis modis, alii in duas, ego cum Scoto

XI. Irregularitatis sunt tres classes.

Dico Quartò: *Irregularitas benè dividitur in tres Classes, prima est, quæ oritur ex criminibus, secunda, quæ oritur ex non criminibus, sed ex defectibus, & tertia, quæ oritur ex iis, quæ quandoque possunt esse crimina, quandoque non.* Hæc patebit ex infra dicendis, ubi etiam enumerabo species, quas singulæ sub se continent. Interim sit.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

Quando incurratur Irregularitas?

I. Status quæstionis. Duplex est Difficultas in hac Quæstione examinanda, nimirum, An sicut aliæ Censuræ possunt ferri, & feruntur tum à Jure, tum ab homine, an æqualiter irregularitas possit ferri ab homine, & non à solo Jure, & Suaretz, Gabriel tenent, non posse ullò modò ferri ab homine, sed tantùm à Jure, Scotus verò asserit tum à Jure, tum ab homine ferri posse. Secunda difficultas est, an in dubio judicandus sit aliquis regularis, cum axioma circumvolet: *In dubio nemo judicandus est irregularis.* Ad primam difficultatem

II. Irregularitas de facto incurritur in casibus à jure expressis. Dico Primò: *Irregularitas de facto ordinariè incurritur præcisè in casibus à Jure expressis, potest tamen etiam infligi ab homine.* Probatur prima pars ex *cap. Is cui. de sent. excom. in* 6. Ubi decernitur eum, qui celebrat in Ecclesia polluta, aut coram excommunicato majore excommunicatione non fieri irregularem, & additur ratio, *cùm id non sit expressum in Jure.* Hinc etiam non fit irregularis iterans Confirmationem, Ordines, nec celebrans sine vestibus, sine altari consecrato, aut nimium fracto, nec voluntariè polluens Ecclesiam per sanguinis vel seminis effusionem, ob eandem rationem illius capitis, *Is cui*, in his enim non valet regula à simili.

III. Irregularitas potest etiam infligi ab homine. Probatur secunda pars: Quia infligere Censuras est actus Jurisdictionis, ergò quicunque Jurisdictionem habet non limitatam, potest eam infligere, non minùs ac alias pœnas graviores, ut sunt excommunicationes, &c. Confirmatur, Quia nulla est lex, quæ irritaret hujusmodi irregularitatem positam ab homine, ergò. Probatur Ant: Quia si esset aliqua, maximè caput allegatum *Is cui*, sed hoc non irritat, ergò. Major est Suaretz. Probatur Minor, quia licèt dicat, celebrantem in Ecclesia polluta non incurrere irregularitatem, quia hoc non est in Jure expressum, non dicit tamen, quòd non possit imponi ab homine propter aliquod delictum, dummodò esset conforme ad Jura, id est, secundùm regulas æquitatis & Justitiæ, maximè si adsit gravis indecentia in crimine aliquo in jure non expresso, & cognoscatur tanquam sufficiens ratio ad infligendam irregularitatem. Et per hunc dicendi modum facilè solvuntur argumenta Suaretz. Itaque

Dico Secundò: In dubio facti homicidii quilibet debet se judicare irregularem, non tamen in aliis dubiis facti, nec in dubio Juris. Ita Suaretz, Sayrus, Filliucius apud Bonacin. Probatur prima pars *ex cap. Significasti. 2. & cap. ad Audientiam. de homicidio*, ubi id sic determinatur, nam in primo capite refertur casus, quòd Presbyter quidam deprehendens furem paramenta Ecclesiæ diripientem, quem Ligone, aut fossorio percussit vulneravitque, tumultu autem facto parochiani accurrentes, eum occiderunt, dubium ortum fuit, an fur ex vulnere Presbyteri sit mortuus, ac proindè, an incurrerit irregularitatem, re delatâ ad Pontificem, respondit affirmativè. In altero cap. refertur casus Presbyteri percutientis famulum cingulo suo, cui appensæ vaginæ cultellus inerat, qui in percussione occidens famulum dictum vulneravit, à quo vulnere sanatus, aliâ tamen superveniente infirmitate mortuus est, dubium oritur, an ex illo vulnere mortuus sit, ut proindè Presbyter incurrerit irregularitatem, & respondit Pontifex, incurrisse, in utroque casu causam subdens, *quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, ergò in dubio facti homicidii debet se judicare aliquis irregularem, hinc irregularis est, qui fœminæ gravidæ dat medicinam ad abortum faciendam, dubitans, an fœtus sit animatus, quia est dubium homicidii, intellige post quadragesimum diem, nam ante illum non solet animari fœtus. Item consulentem homicidium, & eo facto dubitantem, an ex suo consilio homi- IV. In dubiò facti homicidii debet quilibet se existimare irregularem.

homicidium sit secutum, esse irregularem, ob eandem rationem.

V. In aliis dubiis facti non debet quis æstimare se irregularem. Probatur secunda pars: Tum, Quia nemo debet se judicare esse irregularem, nisi casus sit in Jure expressus, sed de dubio facti non est casus in Jure expressus, quod aliquis incurrat irregularitatem præter dubium facti homicidii, ex *cap. ad audientiam*, & *cap. Postulastis.* 2. ergò. Tum, Quia de aliis dubiis facti Authores litigant, an sit in illis posita pœna irregularitatis, an non? Sed talis litigatio est Dubium Juris, in quo nemo debet se judicare irregularem, ut mox dicam, ergò.

Dices: Ratio Pontificis est universalis, videlicet, *in dubio tutiorem esse partem eligendam*, ergò, si aliquis in dubio facti homicidii incurrit irregularitatem, incurret etiam in aliis dubiis facti. Respond. Negando Consequentiam, Quia si propter illam regulam se deberet aliquis judicare irregularem, sequeretur, quòd in omnibus dubiis tutior pars est eligenda, quod tamen falsum est, ut deduci potest ex communi Theologorum sententia asserentium in genere moris (magis in genere pœnali, quod semper est restringendum) posse quemque sequi sententiam tutam & probabilem, relictâ etiam probabiliori & tutiori; quòd autem illud sequeretur, patet, quia illa regula est universalis.

VI. Nec in dubiis Juris debet quis æstimare se irregularem. Probatur tertia pars: Tum, Quia in cap. *Is cui*, dicitur, neminem incurrere irregularitatem, nisi hoc sit in Jure expressum, sed ubi Jus dubium, id non est in Jure sufficienter expressum, ergò. Tum, Quia Regulæ Juris dicunt, quòd *in dubiis reus est potius absolvendus, quàm condemnandus*, & *quando partium jura sunt obscura, reo est potius favendum, quàm actori*, sed in dubio Juris delinquens est reus, & Jus est quasi Actor, ergo potiùs reo est favendum, & hoc verum est tàm de foro interno, quàm externo, quia si in externo in tali dubio non debet se quis judicare irregularem, ergò nec in interno, à paritate. Tum denique, Quia Lex non obligat subditos, nisi sit ipsis sufficienter proposita, sed quando est dubium Juris, Lex seu Jus non est ipsis sufficienter proposita. ergò.

Hinc infero sequentes regulas ad dignoscendum, quando aliquis incurrerit irregularitatem. Primò, si verba Juris expresse dicant, talem delinquentem ipso facto esse irregularem, & pro tali habendum, idque propriis terminis, vel talibus id absolutè, & sine ambiguitate significantibus, ut non possint intelligi de aliis pœnis, ut sunt: *Non potest esse Clericus. Can.* 18. *Apost: Ne sit Clericus. Can. Apost.* 21. *Ad Clerum non promoveatur. Can.* 60. *Apost. Non promoveatur ad Ordines, non possit suspirare ad Ordines, jura Ordinum non possit suscipere.* VII. Si verba juris expresse dicunt, debet se quis æstimare irregularem.

Secundò: Standum esse usui & consuetudini Ecclesiarum, an per tales terminos velint intelligere, & intelligant pœnam irregularitatis vel aliam: consuetudo enim est optima Legum interpres.

Tertiò: Actum illum, propter quem incurritur irregularitas, debere esse externè consummatum.

Quartò: Si propter homicidium incurritur irregularitas, & ipse illud non patret, non debere esse causam tantùm remotam, & levem, sed propinquam & gravem, alioquin irregularis non fiet, denique si ex delicto fit, talem debere esse capacem doli, non verò amentem, puerum, furiosum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Irregularitate proveniente ex Defectu.

I. Defectus puri sunt in quintuplici differentia. Defectus puri, ob quos aliquis est, & fit irregularis, in quintuplici sunt differentia, nempè Defectus *Animi, Corporis, Natalium, Ætatis* & *Libertatis*. Ad defectum *Animi* reducuntur infidelitas, perpetua amentia, vel etiam temporanea, ignorantia, &c. *Defectus Corporis,*

poris, ii dicuntur, quando aliquis est particulari aliquo membro, sive principali, sive minùs principali, sive ad ministerium ordinatum, sive non, mutilatus, & vitiatus, sive id proveniat ex naturâ, sive malitiâ alienâ, & casu, ad hoc reducuntur in-
Defectus Natalium. firmitates, monstrositates, &c. *Defectus Natalium* oritur ex eo, quòd aliquis non sit ex legitimo, vel putato, id est, valido tantùm in foro externo, matrimonio natus, aut qui sic est natus ex libero & libera, nullóque impedimento impeditis, non legitimatus per subsequens Matrimonium, licèt enim ex illicito coitu nascantur, si tamen parentes tales sint, ut possint contrahere Matrimonium, & postmodùm contrahant, filii eorum legitimantur, ex benignitate & clementia Juris Canonici, ut patet ex *cap. Tanta. Qui Filii sint legitimi.* ubi sic habetur: *Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.*

II. Illegitimè nati differunt. Illegitimè nati autem, vel sunt *purè naturales*, id est, qui nascuntur ex libero & libera non concubina; nothi, id est, nati ex libero & concubina, seu in domo cognoscentis per modum uxoris permanentis: Vel sunt spurii, nempè illi, qui nascuntur ex utraque parte, vel alterutra conjugata, vel à parentibus affinitate, vel consanguinitate junctis, consequenter per copulam incestuosam, aut denique per votum solemne castitatis obligatis, consequenter per copulam sacrilegam, & hi sunt multò pejoris conditionis, quàm Nothi, & purè naturales filii illegitimi.

III. Defectus ætatis & libertatis. *Defectus Ætatis* dicitur, quando aliquis non habet annos prærequisitos à Canone ad Ordines suscipiendos sacros; *Libertatis*, quando aliquis non est sui Juris, & liber, sed servus & mancipium, ad quem defectum reducuntur illi, qui sunt obligati ad ratiocinia. De his ergò omnibus in hac Quæstione agendum est, & examinandum, quomodo impediantur à susceptione Ordinum, corumque actuum executione per irregularitatem, itaque

Dico Primò: *Carentia Baptismi, Amentia, Ignorantia, inducunt in subjecto, quod efficiunt, irregularitatem, non modò jure humano, sed etiam divino, & naturali.* Ita Navarrus, Toletus, Reginaldus apud Bonacinnam. Probatur prima pars: Quia Carentia Baptismi reddit hominem incapacem ad quodcunque Sacramentum, ergò etiam Ordinis, ergò irregularis est baptizatus, prout irregularis est idem quod incapax, cùm Baptismus sit janua omnium Sacramentorum; Quòd autem Carentia Jure humano Ecclesiastico faciat irregularem, patet ex *cap.* 1. & 3. *de Presbytero non baptizato*, ubi decernitur, quòd si aliquis esset ordinatus Presbyter, & deprehendat, se non fuisse baptizatum, ut baptizetur & iterum ordinetur, eò quòd nihil sit factum. IV. Carentia Baptismi inducit irregularitatem.

Probatur secunda pars: Quia ille est inhabilis ad ordines recipiendos, qui Ordines nequit exercere, ergò. Probatur tertia; Tum ex ratione mox data, ita ut Filliucius & Reginaldus dicant, nec Pontificem posse dispensare, in quantum hæc irregularitas Jure Divino, & naturali inducitur, benè tamen in quantum à Pontificio. Tum ex *cap. Illiteratos. dist.* 36. ubi Glossa vocat eum omninò illiteratum, qui Grammaticam nunquam audivit. V. Amentia & ignorantia inducunt irregularitatem.

Qualis autem Scientia requiratur, videatur *Concil. Trid. Sess.* 23. *cap.* 4. ubi pro quolibet Ordine assignat, qualis ad eum Scientia requiratur, & ad Episcopatum requirit, quòd sit Juris Canonici vel Theologiæ Doctor, aut Licentiatus, vel publico testimonio dignus judicetur ad docendum.

Dico Secundò: *Turpis mutilatio corporis alicui facta, notabilis & magna deformitas perpetua & incurabilis infirmitas ea permanente irregulares facit.* Ita Authores communiter. Prima pars habetur ex *cap. Exposuisti. Extrav. de corpore vit. non ordin.* VI. Mutilati, deformes, incurabiliter infirmi sunt irregulares.

& cap. Si Evangelica. dist. 55. Secunda pars desumitur ex cap. 2. de Corp. vit. Tertia pars ex cap. 2. 3. & 4. de Cleric. ægrot. & de corp. vit. hujusmodi autem infirmitates sunt Lepra, cap. Tua. de Cler. ægrot. Epilepsia, cap. in Litteris. 7. qu. 2. arreptitius, seu energumenus, lunaticus, furiosus, &c. ex cap. Clerici. & cap. Usque. dist. 33. Sed modo difficultas est in assignanda generali Regula, quando aliquis dicendus sit turpiter mutilatus, & notabiliter deformis in corpore, pro quo dubio

VII. Turpiter mutilatus dicitur, cujus aspectus adstantibus horrorem causat.

Dico Tertiò: *Illud Vitium corporis inducit Irregularitatem, quod vel impedit usum, & executionem Ordinum, vel gignit notabilem deformitatem, & horrorem adstantibus, sive sit à natura, sive ex casu, sive ex culpa justè inflicta, sive ex violentia contractum, non tamen si sit occultum, aut membrum minus principale, & hoc patiatur ab alio injustè; si verò oriatur ex propria malitia, quòd aliquis membro aliquo privetur, inducitur quoque irregularitas, etiamsi membrum illud abscissum sit occultum, & licèt non impediat usum Ordinum, sive sit gravis, sive levis.*

VIII. Qui sibi ipsi membrum aliquod abscidit, est irregularis.

Hæc deducitur ex Juribus suprà citatis, & pluribus capitibus dist. 45. signanter capite Qui partem. ubi sic dicitur: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt, cùm verò casu aliquo contingit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non spontè percussit, hos Canones percipiunt Clericos fieri.* addit rationem utriusque: *In illis enim Voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere, in istis verò casus veniam meruit.*

IX. Mutilatus ab alio in membro occulto nô principali, non fit irregularis.

Ex quo clarè deducitur etiam tertia pars, scilicet irregularem fieri eum, qui se spontè mutilat, etsi illa mutilatio esset alicujus membri minus principalis, & occulti, si verò contingat hoc fieri ab alio, & non sit membrum principale, sitque occultum, non effici irregularem, quod dicit altera pars, quæ etiam habetur expressè in cap. Si quis à Medicis. ubi sic dicitur: *Si quis à Medicis propter languorem disectus est, aut à Barbaris excisus, hic in Clero permaneat.* Ratio autem primæ partis præter Canones est, Quia ratio naturalis dictat Eum ad Ordines non debere admitti, qui Ordines exercere nequit, aut adstantibus horrorem & nauseam gignit.

X. Mutilatio deformis superveniens non inducit irregularitatẽ totalem.

Notandum tamen, quòd si mutilatio etiam deformis superveniat Ordinibus susceptis, eum non fieri simpliciter irregularem, sed solùm quoad executionem eorum actuum, quos exercere nequit, hinc si Sacerdoti amputetur manus, irregularis est quoad celebrationem, non tamen quoad absolutionis Sacramentum, quod habetur expressè in cap. 2. de Cleric. ægrot. ubi sic dicitur: *Ipsum autem cæteris Sacerdotibus officiis fungi minimè prohibemus*, nec talis tenetur testes aut eorum cineres secùm portare, ut falsò putat Vulgus. Si verò surdus fieret Sacerdos, celebrare posset, non tamen pœnitentiæ Sacramentum administrare, licèt enim non posset audire respondentem Ministrum, satis esset si per signa & nutus colligeret eum respondere.

XI. Irregularis est carens oculo sinistro, aut habens inæquales, vel nimis prominentes.

Ex hac Conclusione infero primò: Carentem oculo sinistro, qui Canonicus dicitur, irregularem esse, quia hic nequiret legere Canonem sine indecora conversione faciei versus populum, si verò polleret tãtùm videndi acie in dextro oculo, ut sine illa deformitate Canonem legere posset, dicit Navarrus non esse irregularem, quod etiam probabile judicat Suaretz, & certissimum dicit, si Ordinationi superveniat. Item irregularem esse, qui habet oculos nimis prominentes, aut unum majorem altero.

XII. Habens nasum, aures, pollicem, indicem abscissos, irregularis est.

Infero Secundò: Irregularem esse, qui habet abscissum nasum, aut valdè magnum & turpem, vel labia corrosa aut abscissa, strumam, ob quam nequeat integrè unum proferre verbum, dentes extantes antequam resecentur, auriculas abscissas quoad cartilaginem, nisi posset

ſet pilis occultare, utráque aure ſurdus, ſimiliter truncatus pedibus, aut indigens baculo, ut ſuſtentetur propter debilitatem, irregularis eſt, item carens pollice, vel indice, aut habens manus immobiles, vel tremulas, ut periculum ſit effundendi Calicem.

XIII. Cui ex culpa abſcinduntur virilia irregularis eſt.

Infero Tertiò: Qui ſibi abſcidit virilia, aut permiſit ſine juſta cauſa, etiam ad caſtitatem meliùs ſervandam, vel ad cantum, irregularis eſt, ex *cap. Si quis abſciderit. diſt.* 55. & *cap.* 2. *de Cler. ægrot.* ſuprà, imò putat Bonacinna poſt Filliucium, Navarrum, irregularem eſſe, cui abſcinduntur virilia à Judice per ſententiam vel à marito adulteræ, quia talis mutilatio videtur propriâ contingere culpâ, ſi autem ſine hac culpa abſcindantur, omninò irregularis non eſt. Imò irregularis eſt, qui ex ira & indignatione quodcunque abſcindit membrum, etiamſi non ſit neceſſarium ad executionem Ordinum.

XIV. Carens lumine oculi dextri ſine deformitate, gibboſus, ſex digitis, non eſt irregularis.

Infero Quartò: Non eſſe irregularem, qui caret lumine & viſu oculi dextri, dummodò ipſum oculum habeat integrum, nec eum, qui maculam in oculo habet, dummodò non generet notabilem deformitatem. Gibboſus ſimiliter ſine notabili deformitate, irregularis non eſt, nec æthiops, nec parvi, nec habens pedes & crura diſtorta, dummodò veſtibus tegi poſſint. Item non eſt irregularis, qui caret unguibus in digitis canonicis, qui non habet omnes digitos, extra canonicos, ſive abſciſſi ſint ab alio, ſive à natura deſint, dummodò ſine ſua culpa, nec pariat notabilem deformitatem, nec eſt irregularis, probabiliter poſt Filliucium, Reginaldum, Sayrum, Ugolinum, qui habet ſex digitos, dummodò ſextus digitus non impediat uſum Ordinum, & elevationem, vel fractionem hoſtiæ, ſecus eſt, ſi impediat, ut ſi ſit in pollice ſub eodem ungue, vel ſub diverſo, nimis tamen conjunctus &c. Sed

XV. Abſtemius eſt irregularis.

Quæres Primò: An abſtemius ſit irregularis? Reſpond. Affirmativè poſt Navarrum, & habetur in *Gloſſa ad caput. Ipſi Apoſtoli*, 2. *qu.* 7. Ratio eſt, Quia non poteſt ſumere ſanguinem, & conſequenter inhabilis eſt ad celebrationem Miſſæ, in qua ſumptio fieri debet ſub utraque ſpecie, quando autem dubium eſt, an ſit aliquis abſtemius, Epiſcopus judicare debet, quia tamen diſpenſare non poteſt, ſed ſolùm Papa, ex *cap.* 2. *de Corp. vit.* ubi Papa reputat hoc pro maximo vitio, & ſolùm diſpenſare poſſe per Sedem Apoſtolicam, quod colligitur ex illis verbis: *In quo tibi ex maxima diſpenſatione curavimus providere*, intellige, ſi dubium fuit, aut quoad alios Ordines, vel alia beneficia, quia quoad celebrationem & ſumptionem unius ſpeciei tantùm in Miſſa, dico Pontificem non poſſe diſpenſare.

Quæres Secundò: Utrum irregularis quoad Sacerdotium poſſit admitti ad alios Ordines? Reſpond. Negativè. Quia irregularitas directè impedit ſuſceptionem Ordinum, conſequenter inhabilis eſt non ſolùm reſpectu Sacerdotis, verùm etiam reſpectu omnium Ordinum. XVI. Irregularis adSacerdotium eſt etiam ad alios Ordines.

Quæres Tertiò: Utrum Androgynus, ſeu Hermaphroditus ſit irregularis? Reſpond. Si ſexus fœmineus & virilis æqualis ſit, aut fœmineus ſuperet, omninò eſſe irregularem, ſi verò ſuperet virilis, probabiliter non eſſe irregularem. Ratio primæ partis, Quia ſi ſexus ſit æqualis, nec vir erit nec mulier, ſed Ordinis ſubjectum debet eſſe determinatum, & propriè vir eſt, ergò Hermaphroditus talis irregularis erit. XVII. Androgynus ſeu Hermaphroditus eſt irregularis.

Probatur ſecunda pars: Tunc enim ſimpliciter eſt fœmina, ſed fœmina non modò Jure Eccleſiaſtico irregularis, ſed etiam Divino incapax eſt Ordinum, ut pulchrè probat Doctor in 4. Tum ex illo D. Pauli 1. Timoth. 2. *Docere mulierem non permitto.* Tum, Quia ſi ſexus fœmineus non eſſet incapax Jure Divino ad Ordines, Eccleſia nunquam præſumpſiſſet totum ſexum privare ſine culpa ſua actu, qui ſibi licitè poſſet competere, eſſet enim maximè injuſtitia,

& cap. Si Evangelica. dist. 55. Secunda pars desumitur ex *cap.* 2. *de Corp. vit.* Tertia pars ex *cap.* 2. 3. *&* 4. *de Cleric. ægrot. & de corp. vit.* hujusmodi autem infirmitates sunt *Lepra, cap. Tua. de Cler. ægrot. Epilepsia, cap. in Litteris. 7. qu. 2. arreptitius*, seu *energumenus, lunaticus, furiosus, &c. ex cap. Clerici. & cap. Usque. dist.* 33. Sed modo difficultas est in assignanda generali Regula, quando aliquis dicendus sit turpiter mutilatus, & notabiliter deformis in corpore, pro quo dubio

VII. Turpiter mutilatus dicitur, cujus aspectus adstantibus horrorem causat.

Dico Tertio: *Illud Vitium corporis inducit Irregularitatem, quod vel impedit usum, & executionem Ordinum, vel gignit notabilem deformitatem, & horrorem adstantibus, sive sit à natura, sive ex casu, sive ex culpa justè inflicta, sive ex violentia contractum, non tamen si sit occultum, aut membrum minus principale, & hoc patiatur ab alio injustè; si verò oriatur ex propria malitia, quòd aliquis membro aliquo privetur, inducitur quoque irregularitas, etiamsi membrum illud abscissum sit occultum, & licèt non impediat usum Ordinum, sive sit gravis, sive levis.* Hæc deducitur ex Juribus suprà citatis, & pluribus capitibus *dist.* 45. signanter *capite Qui partem.* ubi sic dicitur: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt, cùm verò casu aliquo contingit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non spontè percussit, hos Canones percipiunt Clericos fieri.* addit rationem utriusque: *In illis enim Voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere, in istis verò casus veniam meruit.*

VIII. Qui sibi ipsi membrum aliquod abscidit, est irregularis.

IX. Mutilatus ab alio in membro occulto nō principali, non fit irregularis.

Ex quo clarè deducitur etiam tertia pars, scilicet irregularem fieri eum, qui se spontè mutilat, etsi illa mutilatio esset alicujus membri minus principalis, & occulti, si verò contingat hoc fieri ab alio, & non sit membrum principale, sitque occultum, non effici irregularem, quod dicit altera pars, quæ etiam habetur expresè *in cap. Si quis à Medicis.* ubi sic dicitur: *Si quis à Medicis propter languorem disectus est, aut à Barbaris excisus, hic in Clero permaneat.* Ratio autem primæ partis præter Canones est, Quia ratio naturalis dictat Eum ad Ordines non debere admitti, qui Ordines exercere nequit, aut adstantibus horrorem & nauseam gignit.

X. Mutilatio deformis superveniens non inducit irregularitatē totalem.

Notandum tamen, quòd si mutilatio etiam deformis superveniat Ordinibus susceptis, eum non fieri simpliciter irregularem, sed solùm quoad executionem eorum actuum, quos exercere nequit, hinc si Sacerdoti amputetur manus, irregularis est quoad celebrationem, non tamen quoad absolutionis Sacramentum, quod habetur expresè in *cap. 2. de Cleric. ægrot.* ubi sic dicitur: *Ipsum autem cæteris Sacerdotibus officiis fungi minimè prohibemus*, nec talis tenetur testes aut eorum cineres secùm portare, ut falsò putat Vulgus. Si verò surdus fieret Sacerdos, celebrare posset, non tamen pœnitentiæ Sacramentum administrare, licèt enim non posset audire respondentem Ministrum, satis esset si per signa & nutus colligeret eum respondere.

XI. Irregularis est carens oculo sinistro, aut habens inæquales, vel nimis prominentes.

Ex hac Conclusione infero primò: Carentem oculo sinistro, qui Canonicus dicitur, irregularem esse, quia hic nequiret legere Canonem sine indecora conversione faciei versus populum, si verò polleret tātùm videndi acie in dextro oculo, ut sine illa deformitate Canonem legere posset, dicit Navarrus non esse irregularem, quod etiam probabile judicat Suaretz, & certissimum dicit, si Ordinationi superveniat. Item irregularem esse, qui habet oculos nimis prominentes, aut unum majorem altero.

XII. Habens nasum, aures, pollicem, indicem abscissos, irregularis est.

Infero Secundò: Irregularem esse, qui habet abscissum nasum, aut valdè magnum & turpem, vel labia corrosa aut abscissa, strumam, ob quam nequeat integrè unum proferre verbum, dentes extantes antequam resecentur, auriculas abscissas quoad cartilaginem, nisi posset

ſet pilis occultare, utráque aure ſurdus, ſimiliter truncatus pedibus, aut indigens baculo, ut ſuſtentetur propter debilitatem, irregularis eſt, item carens pollice, vel indice, aut habens manus immobiles, vel tremulas, ut periculum ſit effundendi Calicem.

XIII. Cui ex culpa abſcinduntur virilia irregularis eſt.

Infero Tertiò: Qui ſibi abſcidit virilia, aut permiſit ſine juſta cauſa, etiam ad caſtitatem meliùs ſervandam, vel ad cantum, irregularis eſt, ex *cap. Si quis abſciderit. diſt.* 55. & *cap.* 2. *de Cler. ægrot.* ſuprà, imò putat Bonacinna poſt Filliucium, Navarrum, irregularem eſſe, cui abſcinduntur virilia à Judice per ſententiam vel à marito adulteræ, quia talis mutilatio videtur propriâ contingere culpâ, ſi autem ſine hac culpa abſcindantur, omninò irregularis non eſt. Imò irregularis eſt, qui ex ira & indignatione quodcunque abſcindit membrum, etiamſi non ſit neceſſarium ad executionem Ordinum.

XIV. Carens lumine oculi dextri ſine deformitate, gibboſus, ſex digitus, non eſt irregularis.

Infero Quartò: Non eſſe irregularem, qui caret lumine & viſu oculi dextri, dummodò ipſum oculum habeat integrum, nec eum, qui maculam in oculo habet, dummodò non generet notabilem deformitatem. Gibboſus ſimiliter ſine notabili deformitate, irregularis non eſt, nec æthiops, nec parvi, nec habens pedes & crura diſtorta, dummodò veſtibus tegi poſſint. Item non eſt irregularis, qui caret unguibus in digitis canonicis, qui non habet omnes digitos, extra canonicos, ſive abſciſſi ſint ab alio, ſive à natura deſint, dummodò ſine ſua culpa, nec pariat notabilem deformitatem, nec eſt irregularis, probabiliter poſt Filliucium, Reginaldum, Sayrum, Ugolinum, qui habet ſex digitos, dummodò ſextus digitus non impediat uſum Ordinum, & elevationem, vel fractionem hoſtiæ, ſecus eſt, ſi impediat, ut ſi ſit in pollice ſub eodem ungue, vel ſub diverſo, nimis tamen conjunctus &c. Sed

XV. Abſtemius eſt irregularis.

Quæres Primò: An abſtemius ſit irregularis? Reſpond. Affirmativè poſt Navarrum, & habetur in *Gloſſa ad caput. Ipſi Apoſtoli*, 2. *qu.* 7. Ratio eſt, Quia non poteſt ſumere ſanguinem, & conſequenter inhabilis eſt ad celebrationem Miſſæ, in qua ſumptio fieri debet ſub utraque ſpecie, quando autem dubium eſt, an ſit aliquis abſtemius, Epiſcopus judicare debet, quia tamen diſpenſare non poteſt, ſed ſolùm Papa, ex *cap.* 2. *de Corp. vit.* ubi Papa reputat hoc pro maximo vitio, & ſolùm diſpenſare poſſe per Sedem Apoſtolicam, quod colligitur ex illis verbis: *In quo tibi ex maxima diſpenſatione curavimus providere*, intellige, ſi dubium fuit, aut quoad alios Ordines, vel alia beneficia, quia quoad celebrationem & ſumptionem unius ſpeciei tantùm in Miſſa, dico Pontificem non poſſe diſpenſare.

XVI. Irregularis ad Sacerdotium eſt etiam ad alios Ordines.

Quæres Secundò: Utrum irregularis quoad Sacerdotium poſſit admitti ad alios Ordines? Reſpond. Negativè. Quia irregularitas directè impedit ſuſceptionem Ordinum, conſequenter inhabilis eſt non ſolùm reſpectu Sacerdotis, verùm etiam reſpectu omnium Ordinum.

XVII. Androgynus ſeu Hermaphroditus eſt irregularis.

Quæres Tertiò: Utrum Androgynus, ſeu Hermaphroditus ſit irregularis? Reſpond. Si ſexus fœmineus & virilis æqualis ſit, aut fœmineus ſuperet, omninò eſſe irregularem, ſi verò ſuperet virilis, probabiliter non eſſe irregularem. Ratio primæ partis, Quia ſi ſexus ſit æqualis, nec vir erit nec mulier, ſed Ordinis ſubjectum debet eſſe determinatum, & propriè vir eſt, ergò Hermaphroditus talis irregularis erit.

Probatur ſecunda pars: Tunc enim ſimpliciter eſt fœmina, ſed fœmina non modò Jure Eccleſiaſtico irregularis, ſed etiam Divino incapax eſt Ordinum, ut pulchrè probat Doctor in 4. Tum ex illo D. Pauli 1. Timoth. 2. *Docere mulierem non permitto.* Tum, Quia ſi ſexus fœmineus non eſſet incapax Jure Divino ad Ordines, Eccleſia nunquam præſumpſiſſet totum ſexum privare ſine culpa ſua actu, qui ſibi licitè poſſet competere, eſſet enim maximè injuſtitia,

tia, &c. ergò. Et responsio ista quantum ad utramque partem istam habetur in *cap. Si testes*. 4. *q*. 2.

XVIII. Si sexus virilis mulierum superet, videtur Androgynum non esse irregularem.

Probatur ergò tertia pars, quam tenet Faber, Toletus, Burgasius, Soncinnas, &c. Quia licèt sit aliqua monstruositas, nihilominus non debet dici, quòd statim inducat irregularitatem, quia monstruosa mutilatio virilium &c. injustè illata, non inducit irregularitatem ex eo, quòd sit occulta, sine sua culpa illata, & non impedit usum Ordinum, &c. Sed Hermaphroditi vitium est occultum, sine sua culpa, & non impedit usum Ordinum, ergò non erit irregularis. Nihilominus puto, valdè cautum in similibus habendum esse oculum, tum propter scandalum, tum propter periculum, quare Navarrus, Ugolinus, Henriquetz dicunt, ob easdem rationes Hermaphroditum nec inter viros, nec inter mulieres posse facere professionem.

XIX. Illegitimi, licèt occulte tales, sunt irregulares.

Dico Quartò: *Illegitimi, id est, Filii purè naturales, nothi, & spurii sunt irregulares, etiamsi hic defectus esset occultus*. Ita Sayrus, Coning, Toletus, Filliucius contra Castrum, qui illegitimos occultos putat irregulares non esse. Probatur Primò: *ex cap. 1. & 2. de Fil. Presb. non Ordin.* ubi in primo sic dicitur: *Et Filii Presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur, nisi fiant Monachi, vel Regulares*: in secundo verò removetur aliquis ab usu Ordinis sacri, qui obtinuerat dispensationem à Papa tacito, quòd esset Filius Presbyteri. &c.

Probatur Secundò: Tum, Quia decentia sacrorum Ordinum exigit, quòd talis ab iis suscipiendis arceatur, quia taliter nati videntur futuri imitatores paternæ incontinentiæ, præsumunturque malè morigerati, quia malè educati: Tum, Quia turpitudo quædam & infamia consequitur sic genitos ex illicito coitu.

XX. Expositi sunt Irregulares.

Dico Quintò: *Expositi juxta probabiliorem sententiam sunt irregulares*. Ita Suaretz, Filliucius, Reginaldus, Ugolinus, Rebellus, &c. Probatur: Quia si in similibus Casibus sunt ita vehementes conjecturæ, ut quasi certò constet expositum esse illegitimum, cùm ideò parentes faciant, ut non subeant infamiam, nec Filii legitimi solent unquam exponi, ut constat experientiâ, & si quandoque ob paupertatem hoc faciant, solent tamen addere, eum esse legitimè natum, quod licèt fiat, mihi videtur, quòd omninò nihil probet; quia hoc semel concesso, quælibet meretrix posset adscribere schedulam infanti, eum esse legitimum, deindè sicut non tenetur filius credere matri dicenti, ipsum esse spurium, ùt docet communis, ita nec Judex tenetur credere schedulæ appositæ, eum esse legitimum, cùm fraus & dolus subesse possit, quare ipsi Authores contrariæ sententiæ suadent, ut exposito dicatur quatenus petat dispensationem, quia hoc est multò securius. Probatur Secundò: Quia *l. 114. ff. de Reg. Juris.* habet: *In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet*, sed &c. ergò.

Dices: In dubio facti nullus est præsumendus irregularis excepto facto homicidii, sed hic non est dubium facti homicidii, ergò. Respond. Primò: Negando minoris suppositum, nempè esse hic aliquod dubium, quia est potius hic aliqua certitudo moralis innixa experientiæ. Respond. Secundò: Distingu: major: in dubio facti nullus præsumendus est irregularis &c. irregularitate, quæ provenit ex crimine, concedo, quæ provenit ex defectu, nego Maj: In casu autem expositorum est defectus, non crimen, ùt docent Doctores communiter, hinc etiam nequeunt Episcopi in ipsa dispensare ad majores Ordines, quia Trid. Sess. 24. cap. 6. solùm concedit, quòd possint dispensare in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, proprio scilicet, non alieno, illegitimi autem non habent proprium delictum, sed solùm parentes deliquerunt, per quod in

Filium

Filium talem induxerunt defectum. Sed

XXI. Natus ex Monacho, & Monacha antecedenter conjugatis, est irregularis.

Quæres: An si uterque Parens post contractum Matrimonium validè emittat votum solemne castitatis, ita ut reddantur incapaces ad petendum & reddendum debitum, postmodum verò ob incontinentiam redeant ad copulam carnalem, & procreent Filium, an talis Filius sit illegitimus? Talem casum proposuit mihi quidam Clarissimus Doctor S. C. M. Consiliarius, factum fuisse cum Moniali aliquâ & Religioso, qui ingressus Religionem evasit in solemnem virum, & tandem effectus est Visitator illius Monasterii, ubi sua olim uxor Monialis erat, qui dum convenissent, prior amor recogitatus & rememoratus efferbuit in flammam & incendium, secuta fuit copula, eaque fœcunda, & elapso tempore Monacha parit Filium, quo genito de mediis alendi eum consultatur, & fit Quæstio, An Filiolus iste sit capax earum hæreditatum, quarum capax parens erat, & resolutum fuit affirmativè. Unde Respond. ad quæsitum, hujusmodi Natum naturaliter esse legitimum, illegitimum Canonicè, & sic videtur esse decisum in *cap. Litteras. de Filiis Presbyt.* & tenet Glossa in idem cap. & hinc est civiliter legitimus & capax omnium Jurium & hæreditatum, Canonicè verò irregularis est, ut ad Ordines promoveri non possit.

XXII. Defectus Natalium tollitur dispensatione, & Pontificis tantùm legitimatione.

Quæres Secundò: Quomodo auferatur irregularitas proveniens ex defectu Natalium? Respond Triplici viâ irregularitatem hujusmodi tolli Dispensatione, scilicet (Pontifex tantùm dispensat quoad Ordines sacros, Episcopi possunt quoad Minores, ex *cap. Is qui. de Fil. Presbyt.*) legitimatione à Summo Pontifice facta, nam Comes Palatinus, & quicunque alius sæcularis Princeps, imò etiam Imperator non potest legitimare ad Ordines sacros, cùm nullam habeat Potestatem super Canones, benè tamen super suos subditos, quos legitimare potest, ad honores & officia politica: Undè si Pontifex aliquem legitimat, ille capax est quoad Ordines & Beneficia Ecclesiastica ubique, non tamen ubique ad Dignitates sæculares, sed solùm intra patrimonium D. Petri, ex *cap. Venerabilem. Qui Filii sint legitimi.*

Tertiò denique tollitur per ingressum ad Religionem, non quidem absolutè, sed per professionem subsequentem, ita ut capax sit ad Ordines sacros, & ad alia beneficia, non tamen ad Dignitates & Prælaturas, ita habetur *cap. 1. de Fil. Presbyt.* ubi tamen additur: *Prælationem verò nullatenus habeant.* Quod etiam verum est de Monialibus, illegitimas nempè per professionem legitimari, at Abbatissas & Priorissas fieri non posse, ut docet Navarrus, Sayrus, Suaretz. Verùm attendenda sunt hic Privilegia Religionum; Clemen. IV. in Bulla, quæ incipit *Virtute conspicuos*, concedit minoribus nobis, quod Superiores etiam cum Novitiis in irregularitatibus dispensare possint, quæ ex Censuris oriuntur. XXIII. Tollitur etiam per ingressum in Religionem.

Dices: Sixtus V. ordinavit, quòd illegitimi sint inhabiles ad Religionem. Respond. id verum esse, sed Gregorium XIII. Constitutionem Sixti reduxisse ad terminos Juris, in Bulla, quæ incipit: *Circumspecta*, ubi concedit illegitimos ex quocunque thoro nato, ad Religionem suscipi posse consideratis meritis recipiendorum, & fructibus &c. quibus defectus Natalium suppleatur.

Dico Sextò: *Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad Ordines suscipiendos inducit irregularitatem, quo minus aliquis licitè eos suscipere possit.* Est Doctorum communiter, & Probatur ex *cap. 1. dist. 52.* & *cap. ult. de temp. ordin.* Antiquitùs septennium requirebatur ad suscipiendam primam tonsuram, duodecennium ad Minores, sed Concil. Trid. Sess. 23. cap. 12. Jure novo aliud statuit, illud proindè ibi videatur. Dixi tamen ut quis XXIV. Defectus ætatis inducit irregularitatē ad Ordines suscipiendos licitè.

quis licitè suscipere possit, quia ante illam ætatem requisitam omninò suscipiuntur Ordines validè, sicut etiam validè susciperet amens, nempè quoad Characterem. Verùm notandum, hanc Irregularitatem tantùm durare usque dum defectus ætatis durat, eo cessante, seu annis completis sine ulteriore dispensatione cessat, quod etiam puto verum esse, licèt aliquis fuerit ordinatus ante debitam ætatem. Quod si quæras, quid sentiam de eo, qui ordinatus ante debitam ætatem celebraret, an ipse novam incurreret Censuram? Respond. ex Bulla Pii II. eum incurrere suspensionem, quod si verum est, si stante suspensione iterum celebraret, incurreret novam irregularitatem ob violationem Censuræ. Verùm de hac bulla non constat, cum impressa non sit, unde res pænè non manet dubia, ego me revoco ad dicta de suspensione. Interim

XXV. Est temporaneus.

XXVI. Defectus libertatis in servis, mancipiis, sclavis, inducit irregularitatem.

Dico Septimò: *Defectus libertatis inducit Irregularitatem in mancipiis, servis, & sclavis; in conjugatis, obligatis ad ratiocinia, quamdiu stant hæc impedimenta, quibus ablatis sine ulteriori Dispensatione habiles sunt ad Ordines suscipiendos.* Ita Suaretz, Faber, Bonacinna, & alii plures apud ipsum. Prima Pars habetur in toto *titulo de Servis non ordinandis. lib. 1. & cap. 1. dist. 54. ex Epist. 1. Leonis Papæ ad Episcopos Campaniæ.* Secunda Pars habetur *in cap. Uxoratus. de conjunctione Conjugatorum.* Tertia verò in *cap. 1. & 2. Ne Clerici vel Monachi.* & ulterius Ratio primæ partis hæc est: Quia servus est possessio Domini, quæ ab eo auferri non debet, ipso invito, sed per Clericatum & Ordines aufertur à Domino. quia redditur inhabilis ad servilia præstanda servitia, quia contrahit onus vacandi Ecclesiasticis servitiis, ergò talis inhabilis est ad Clericatum & Ordines, stante servitute, quâ ablatâ per manumissionem, aut per licentiam ad suscipiendos Ordines, statim est habilis ad Ordines suscipiendos, nec alia desuper requiritur dispensatio. Qui autem præsumit ordinare servum in Sacerdotem Domino invito, peccat primò mortaliter, deindè tenetur Domino satisfacere restituendo ei duplicatum pretium, aut duos servos, ùt habetur *cap. Si servus absente Domino. dist. 54.* Quamvis ad hoc non teneatur ante Judicis sententiam, & condemnationem, quia pœna est.

Ratio secundæ partis est: Quia Vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier, adeóque sinè injustitia nequit se consecrare DEO, & Ordines suscipere, quia tunc redditur inhabilis ad petendum & reddendum debitum. XXVII. In conjugatis.

Ratio tertiæ partis est: Quia talis videtur confugere ad Ecclesiàm non amore serviendi DEO, sed potius fugiendi ratiocinia, quamdiu enim his obligatus est, est expositus Judicibus sæcularibus, à quibus, si dolum vel fraudem fecisset, puniri posset, ergò talis inhabilis est ad Clerum, videtur enim uti fraude & dolo, ne simili periculo subjaceat, dolus autem & fraus nemini debet patrocinari. Hinc *cap. 1. de Obligatis ad rat.* pulchrè hæc ordinat ulteriorem adhuc rationem reddens hoc modo: *Magnus Episcopus Augustensis dixit, Procuratores, Actores, & Executores, seu Curatores pupillorum debeant ordinari. Gratus Episcopus dixit, si post deposita onera & reddita ratiocinia &c. debent honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* Ex quo capite infero, irregulares esse omnes eos, qui obligati sunt ad ratiocinia, sive ob administrationes publicas, sive privatas, privatarúmque Personarum non miserabilium, nam qui gerunt curam Personarum miserabilium, ùt viduarum, pupillorum, causarum piarum, non ligantur hoc impedimento. ex *Cap. Pervenit. Dist. 86.* Si

XXVIII. In obligatis ad ratiocinia.

Quæras:

XXIX. Debitores non sunt irregulares. Quæres: An sit irregularis, qui positis ratiociniis manet debitor Domino vel Principi, aut cui tenetur ad ratiocinia? Respond. Negativè, Quia Jure non loquuntur de debitoribus, sed de obligatis ad ratiocinia, talis autem non est amplius obligatus, ergò. Idem puto dicendum de aliis debitoribus debito pecuniario per se loquendo.

QUÆSTIO QUARTA.

De Irregularitate proveniente ex Crimine.

I. Rebaptizare maximũ est scelus. IN hac quæstione sequentes examinabo difficultates, videlicet, an & quomodo rebaptizantes (quod maximum esse peccatum, testatur D. Augustinus Epist. 203. ad Maximinum dicens: *Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omninò peccatum est, rebaptizare autem Catholicum immanissimum scelus est*: pro quo adducunt Doctores varias rationes, nulla tamen melior, quàm quòd DEUS sic ordinaverit ob ejus efficaciam) sint irregulares? Similiter an hæretici & Neophyti? Item an infames, illicitè suscipientes Ordines, Ministrantes in Ordine, quem non habent, & non servantes Censuras Ecclesiasticas? Et de aliis, si quæ sunt crimina, de quibus per sequentes resolvam Conclusiones. Itaque

II. Rebaptizãs & culpabiliter rebaptizatus sunt irregulares. Dico Primò: *Ex culpabili, seria & absolutè factâ reiteratione baptismi tantùm, & non aliorum Sacramentorum, cùm non habeatur in Jure expressè, sive ea sit publica, sive occulta contrahitur irregularitas, ita ut rebaptizatus cum peccato mortali & rebaptizans ac cooperans sunt irregulares.* Hæc est communis inter Theologos & Canonistas, verùm advertit Faber adeò facilè probari non posse, cùm nunquam dici debeat incurri irregularitas, nisi in Jure expressè contineatur, quidquid tamen sit, Usus universaliter receptus, & consuetudo, quæ est optima Legum Interpres, docet, propter crimen rebaptizationis esse positam pœnam irregularitatis, ergò sic sentiendum est. Nihilominùs. Probatur Conclusio. Primò: *Ex cap. Litterarum. de Apostatis.* ubi Abbas scribit Pontifici casum, quòd Acolythus quidam ex fraterna dilectione adstiterit alicui rebaptizanti infirmum, cui suasum fuerat, quòd si rebaptizaretur, resanaretur, petitque à Papa, non dubitans de rebaptizante & rebaptizato, eos esse irregulares, quâ pœnâ puniendus sit Acolythus, cùm videatur minùs peccâsse, cui Pontifex respondit, quòd quia minor ætas & desiderium sanitatis fratris eum excusare videbantur, ad Superiores Ordines promoveri non valebat, si rebaptizatio erat publica, si verò erat occulta, promoveri posset peractâ pœnitentiâ, ergò à fortiori dicendus est irregularis culpabiliter baptizans, & rebaptizatus, cùm sint principaliores in actione illa mala & criminosa.

Dices: In Irregularitate non valere argumentum à simili, vel fortiori, ùt dixi ipse supra, ergò licèt Acolythus sit factus & declaratus à Pontifice irregularis, quia tamen non fecit mentionem de rebaptizante & rebaptizato ad eos extendi non debet. Respond. Negando consequent. Quia hic non est argumentatio à simili vel fortiori præcisè, sed est unus idemq; casus, unum idemq; crimen, propter quod infligitur irregularitas, & consequenter si minùs peccans irregularis est in eodem crimine, magis peccans irregularis erit, unde non volebat in dicta resolutione eximere rebaptizantem & rebaptizatum ab illa pœna, sed magis innodare, cùm Acolythus simpliciter assistens in eandem cadat, & hoc in detestationem hæreticorum docentium, hæreticos redeuntes rebaptizari debere. ergò.

Probatur Secundò: *Ex cap. Confirmandum. dist. 50. & cap. Qui in qualibet. 1. q. 7.* Et hoc dixi verum esse, sive illa rebaptizatio fiat publicè, sive occultè, nam Ratio, quare Ec-

quis licitè suscipere possit, quia ante illam ætatem requisitam omninò suscipiuntur Ordines validè, sicut etiam validè susciperet amens, nempè quoad Characterem. Verùm notandum, hanc Irregularitatem tantùm durare usque dum defectus ætatis durat, eo cessante, seu annis completis sine ulteriore dispensatione cessat, quod etiam puto verum esse, licèt aliquis fuerit ordinatus ante debitam ætatem. Quod si quæras, quid sentiam de eo, qui ordinatus ante debitam ætatem celebraret, an ipse novam incurreret Censuram? Respond. ex Bulla Pii II. eum incurrere suspensionem, quod si verum est, si stante suspensione iterum celebraret, incurreret novam irregularitatem ob violationem Censuræ. Verùm de hac bulla non constat, cum impressa non sit, unde res pænè non manet dubia, ego me revoco ad dicta de suspensione. Interim

XXV. Est temporaneus.

XXVI. Defectus libertatis in servis, mancipiis, sclavis, inducit irregularitatem.

Dico Septimò: *Defectus libertatis inducit Irregularitatem in mancipiis, servis, & sclavis, in conjugatis, obligatis ad ratiocinia, quamdiu stant hæc impedimenta, quibus ablatis sine ulteriori Dispensatione habiles sunt ad Ordines suscipiendos.* Ita Suaretz, Faber, Bonacinna, & alii plures apud ipsum. Prima Pars habetur in toto *titulo de Servis non ordinandis. lib. 1. & cap. 1. dist. 54. ex Epist. 1. Leonis Papæ ad Episcopos Campaniæ.* Secunda Pars habetur *in cap. Uxoratus. de conjunctione Conjugatorum.* Tertia verò in *cap. 1. & 2. Ne Clerici vel Monachi.* & ulterius Ratio primæ partis hæc est: Quia servus est possessio Domini, quæ ab eo auferri non debet, ipso invito, sed per Clericatum & Ordines aufertur à Domino, quia redditur inhabilis ad servilia præstanda servitia, quia contrahit onus vacandi Ecclesiasticis servitiis, ergò talis inhabilis est ad Clericatum & Ordines, stante servitute, quâ ablatâ per manumissionem, aut per licentiam ad suscipiendos Ordines, statim est habilis ad Ordines suscipiendos, nec alia desuper requiritur dispensatio. Qui autem præsumit ordinare servum in Sacerdotem Domino invito, peccat primò mortaliter, deindè tenetur Domino satisfacere restituendo ei duplicatum pretium, aut duos servos, ùt habetur *cap. Si servus absente Domino. dist. 54.* Quamvis ad hoc non teneatur ante Judicis sententiam, & condemnationem, quia pœna est.

Ratio secundæ partis est: Quia Vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier, adeóque sinè injustitia nequit se consecrare DEO, & Ordines suscipere, quia tunc redditur inhabilis ad petendum & reddendum debitum. XXVII. In conjugatis.

Ratio tertiæ partis est: Quia talis videtur confugere ad Ecclesiam non amore serviendi DEO, sed potius fugiendi ratiocinia, quamdiu enim his obligatus est, est expositus Judicibus sæcularibus, à quibus, si dolum vel fraudem fecisset, puniri posset, ergò talis inhabilis est ad Clerum, videtur enim uti fraude & dolo, ne simili periculo subjaceat, dolus autem & fraus nemini debet patrocinari. Hinc *cap. 1. de Obligatis ad rat.* pulchrè hæc ordinat ulteriorem adhuc rationem reddens hoc modo: *Magnus Episcopus Augustensis dixit, Procuratores, Actores, & Executores, seu Curatores pupillorum debeant ordinari. Gratus Episcopus dixit, si post deposita onera & reddita ratiocinia &c. debent honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* Ex quo capite infero, irregulares esse omnes eos, qui obligati sunt ad ratiocinia, sive ob administrationes publicas, sive privatas, privatarúmque Personarum non miserabilium; nam qui gerunt curam Personarum miserabilium, ùt viduarum, pupillorum, causarum piarum, non ligantur hoc impedimento. ex *Cap. Pervenit. Dist. 86.* Si

XXVIII. In obligatis ad ratiocinia.

Quæras:

XXIX. Debitores non sunt irregulares. Quæres: An sit irregularis, qui positis ratiociniis manet debitor Domino vel Principi, aut cui tenetur ad ratiocinia? Respond. Negativè, Quia Jure non loquuntur de debitoribus, sed de obligatis ad ratiocinia, talis autem non est amplius obligatus, ergò. Idem puto dicendum de aliis debitoribus debito pecuniario per se loquendo.

QUÆSTIO QUARTA.

De Irregularitate proveniente ex Crimine.

I. Rebaptizare maximũ est scelus. IN hac quæstione sequentes examinabo difficultates, videlicet, an & quomodo rebaptizantes (quod maximum esse peccatum, testatur D. Augustinus Epist. 203. ad Maximinum dicens: *Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omninò peccatum est, rebaptizare autem Catholicum immanissimum scelus est*: pro quo adducunt Doctores varias rationes, nulla tamen melior, quàm quòd DEUS sic ordinaverit ob ejus efficaciam) sint irregulares? Similiter an hæretici & Neophyti? Item an infames, illicitè suscipientes Ordines, Ministrantes in Ordine, quem non habent, & non servantes Censuras Ecclesiasticas? Et de aliis, si quæ sunt crimina, de quibus per sequentes resolvam Conclusiones. Itaque

II. Rebaptizãs à culpabiliter rebaptizatus sunt irregulares. Dico Primò: *Ex culpabili, seria & absolutè factâ reiteratione baptismi tantùm, & non aliorum Sacramentorum, cùm non habeatur in Jure expressè, sive ea sit publica, sive occulta contrahitur irregularitas, ita ut rebaptizatus cum peccato mortali & rebaptizans ac cooperans sunt irregulares.* Hæc est communis inter Theologos & Canonistas, verùm advertit Faber adeò facilè probari non posse, cùm nunquam dici debeat incurri irregularitas, nisi in Jure expressè contineatur, quidquid tamen sit, Ususus universaliter receptus, & consuetudo, quæ est optima Legum Interpres, docet, propter crimen rebaptizationis esse positam pœnam irregularitatis, ergò sic sentiendum est. Nihilominùs. Probatur Conclusio. Primò: Ex *cap. Litterarum. de Apostatis.* ubi Abbas scribit Pontifici casum, quòd Acolythus quidam ex fraterna dilectione adstiterit alicui rebaptizanti infirmum, cui suasum fuerat, quòd si rebaptizaretur, resanaretur, petitque à Papa, non dubitans de rebaptizante & rebaptizato, eos esse irregulares, quâ pœnâ puniendus sit Acolythus, cùm videatur minùs peccâsse, cui Pontifex respondit, quòd quia minor ætas & desiderium sanitatis fratris eum excusare videbantur, ad Superiores Ordines promoveri non valebat, si rebaptizatio erat publica, si verò erat occulta, promoveri posset peractâ pœnitentiâ, ergò à fortiori dicendus est irregularis culpabiliter baptizans, & rebaptizatus, cùm sint principaliores in actione illa mala & criminosa.

Dices: In Irregularitate non valere argumentum à simili, vel fortiori, ùt dixi ipse supra, ergò licèt Acolythus sit factus & declaratus à Pontifice irregularis, quia tamen non fecit mentionem de rebaptizante & rebaptizato ad eos extendi non debet. Respond. Negando consequent. Quia hic non est argumentatio à simili vel fortiori præcisè, sed est unus idemq; casus, unum idemq; crimen, propter quod infligitur irregularitas, & consequenter si minùs peccans irregularis est in eodem crimine, magis peccans irregularis erit, unde non volebat in dicta resolutione eximere rebaptizantem & rebaptizatum ab illa pœna, sed magis innodare, cùm Acolythus simpliciter assistens in eandem cadat, & hoc in detestationem hæreticorum docentium, hæreticos redeuntes rebaptizari debere. ergò.

Probatur Secundò: *Ex cap. Confirmandum. dist. 50. & cap. Qui in qualibet. 1. q. 7.* Et hoc dixi verum esse, sive illa rebaptizatio fiat publicè, sive occultè, nam Ratio, quare Ec-

clesia pœnam hanc propter reiterationem Baptismi posuerit, est, quia facit injuriam Sacramento Baptismi, ùt habetur in *cap. Litterarum. de Apostatis.* sed tàm in privata, quàm publica reiteratione fit injuria, ergò. Undè pulchrè Doctor Subtilis asserit, nullam aliam esse differentiam, quàm quòd in crimine ex occulta rebaptizatione Episcopus dispensare possit, quod etiamnum Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. Episcopis concedit, In publica verò non nisi Pontifex. Quod si rebaptizatio illa fieret sub conditione, nullô modô incurreret irregularitatem, Quia talis baptizatio conditionata non est rebaptizatio, nam dum aliquis dicit: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, includit hanc semper, *Si baptizatus es, ego te non baptizo, quia actiones agentium non operantur ultra intentionem eorum, Leg. Non omnis. ff. de rebus cred.* ergò cùm hic non habeat intentionem baptizandi absolutè, non rebaptizat, nec consequenter irregularitatem incurrit.

III. Rebaptizàns incurrit, quia facit injuriam Baptismo.

IV. Non incurreret, si faceret sub conditione, vel joco, aut ex metu.

Et hoc etiam probat, eum non fieri irregularem, qui omnia faceret vel ex metu, vel timore, joco, &c. quæ requiruntur ad baptismum, sinè ulla intentione conferendi Baptismum, quamvis graviter peccaret, ùt proindè putet Faber in foro exteriori talem se debere gerere ùt irregularem.

Tandem à fortiori deduco, rebaptizatum in juventute bis, aut sæpius, non fieri irregularem, hæc enim rebaptizatio passiva inculpabilis est, quamvis culpabilis sit activa, pœna autem non infligitur, nisi propter culpam, quæ hic non adest, & hoc est, quod in Conclusione posuerim, etiam tò *ex culpabili rebaptizatione.*

Dices: *Cap. Litterarum. de Apostatis.* dicitur: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd secundùm Canones ordinari non possunt*, ergò etiam inculpabiliter rebaptizatus irregularis est, imò is solus, quia Canon non facit mentionem ullam de rebaptizante, sed de rebaptizato, cùm odia non sint amplianda, & in pœna irregularitatis non valeat à pari. Sed Respond. Negando utramque Conseq: Secundam quidem, ob dicta superius, Primam autem, quia Canon ille, *Qui bis*, non cogit, nam ille desumptus est ex Pœnitentiali Theodori Episcopi Cantuariensis, qui cùm Pontifex non fuerit, nec potuit irregularitatem imponere.

Instatur: Licèt Theodorus non fuerit Pontifex, Canon ejus confirmatus est à Pontifice, nec ille simpliciter imponit irregularitatem, tanquam Author, sed eam ex aliis Canonibus refert, & deducit, ùt patet ex eo, quod dicit, *secundùm Canones ordinari non possunt*, ergò. Canon ille adhuc tenet. Respond. Negando Ant: quoad primam partem, ùt enim Scotus advertit, non est manifestum, omnia capitula à Gratiano compilata, & suo Decreto incorporata esse à Pontifice confirmata, nam solùm in Decretalibus Gregorii IX. in Prooemio mandat Pontifex, ut in Scholis Doctores iis sint contenti, & Bonifacius VII. in Prooemio Sexti dicit, quòd Constitutiones à tempore Gregorii IX. usque ad præsens, illæ solæ habeant robur, quæ ibi sunt insertæ, ergò. Respond. quoad secundam partem Antecedentis, verum esse, quòd ille Canon se refundat ad alios, sed assignentur ii, qui sunt, cùm Glossa nullos ibi afferat, nec ad alios remittat, quod tamen quàm maximè necessarium esset.

An autem Irregularitas sit totalis, controvertitur inter Authores, Suaretz, Filliucius apud Bonacinnam dicunt esse partialem, id est, non impedire executionem Ordinum susceptorum, sed suscipiendorum, & colligunt hoc ex *cap. Litterarum.* quæ sententia est favorabilis, altera est Fabri, & tutior, *ex cap. Eos quos. de pœnit. dist. 4.* quilibet eligat, quam voluerit.

Dico Secundò: *Hæretici, Apostatæ à Fide, eorum Fautores, & Defensores, sunt irregulares, etiamsi sint occulti, modò non sint mentales, sed aliquo* V. Hæretici etiam occulti, Apostatæ à fide sunt irregulares.

aliquo signo externo errorem suum cum pertinacia manifestent. Ità Navarrus, Filliucius, Coning, Ugolinus apud Bonac. Et Probatur *ex cap. Saluberrimum.* 1. *qu.* 7. *cap. Presbyteros. dist.* 50. *cap. inter Sollicitudines. de Purgat. Canon. cap.* 2. *de Hæret. in* 6. §. *Hæretici.* quod universaliter loquitur de Hæreticis tàm Laicis, quàm Clericis, tàm eorum Fautoribus, quàm defensoribus, imò etiam filiis hæreticorum, his verbis: *Hæretici autem, credentes, receptatores, defensores & Fautores eorum, ipsorumque* (hæreticorum, non verò fautorum) *filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur.* Idem declarat *cap. Statutum.* 2. *de Hæreticis,* ubi tamen notant Doctores, quòd Filii tales post lapsum debeant esse nati, nam si ante lapsum parentum nascerentur, non sunt irregulares, sicut nec sunt, si parentes Ecclesiæ reconcilientur, & non moriantur impœnitentes, ut insinuat dictum *cap. Statutum.* his verbis: *Qui tales esse, vel decessisse probantur.* Et hoc secundùm lineam paternam usque ad gradum secundum, secundùm maternam usque ad primum. Item parentes eorum debent esse declarati, & denuntiati; quod deduco ex Constitutionibus *Clementis VII. & Pauli IV.* Ubi ordinatur, quòd tales ad Religionem nostram suscipi non possint, nempè, *quòd de cætero nullus sæcularis, qui ex Judæis, seu Hæreticis, quorum parentes seu progenitores paterni sive materni, viventes, seu defuncti, usque ad quartam generationem* (Pius V. & Gregorius XIII. reduxit ad Jus commune, seu ad gradum secundum) *inclusivè Hæretici declarati, & ut tales condemnati* (supple nominatim) *ac illi, quorum corpora, seu statuæ igni traditæ fuerint, originem trahant - - recipi & admitti possit - - - sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, privationis officiorum, & inhabilitatis imposterum.* Quod Pontifices ideò sic constituerant, propter irregularitatis impedimentum, conformando se ad caput statutum, ergò cùm illud

VI. Etiam Fautores, & defensores.

dicat, Filios Hæreticorum irregulares esse, & Constitutiones posteriores asserunt, Hæreticos hosce debere esse denunciatos & condemnatos, sequitur, Filios hæreticorum non condemnatorum irregulares non esse, cùm non sint inhabiles ad Religiones.

Dico Tertio: *Neophyti* (*id est, non in infantia, sed qui in adulta ætate ex Judaismo, vel Mahumetismo, vel Paganismo nuper conversi sunt ad Fidem Christianam*) *irregulares sunt.* Ita colligitur ex *cap.* 1. & 2. *dist.* 48. Ex Concilio Nicæno, Can. 2. Sardicensi, Can. 13. Quare autem hoc Ecclesia ordinaverit, est ratio D. Apostoli Pauli 1. ad Timoth. 3. *Ne in superbiam elatus incidat in laqueum diaboli.* Et licèt textus ille loquatur tantùm de Episcopo: Sardicense tamen citatum universaliter ad alios Ordines extendit: *Nec ratio, nec disciplina patitur, ut temerè vel leviter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est.* Quamdiu autem hæc novitas in fide duret, per Canones determinatum non est, unde prudentis Judicio relinquendum est discernere, non enim sufficit diuturnitas temporis sola, nempè decem annorum, ùt aliqui volunt, sed debent attendi etiam opposita suæ sectæ signa fidei, Charitatis, prudentiæ, & aliarum virtutum. Assero etiam, hanc irregularitatem non extendi ad Filios Neophytorum, quia id Jure expressum non est, sicut de Filiis Hæreticorum, ergò.

VII. Neophyti sunt irregulares.

Pro resolutione & intelligentia sequentis Conclusionis, Notandum, quòd sicut *L. Cognitionem. ff. de variis extraord. Crimi.* fama definitur, quòd sit: *Illæsæ Dignitatis status, vitâ & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Hæc infamia est duplex, nempè *Juris*, & *Facti*: *Juris* est, quando propter aliquod grave crimen (ùt sunt Apostasia à fide, Raptus Mulierum, perjurium in judicio, Simonia, Sodomia, Crimen Læsæ Majestatis, duellum, pugna cum Bestiis, prostitutio Filiæ vel Neptis,

VIII. Fama & infamia describuntur.

Matrimonium actuale cum duabus, cum Meretrice, aut repudiata) imposita est pœna infamiæ, quæ tamen non incurritur, nisi per sententiam Judicis declaratoriam, ùt deducitur ex *cap. ult. de temp. ord.* Infamia *Facti* est, quando propter aliquod delictum status suus læditur apud bonos, graves, & probos viros, non inimicos, sed fide dignos, ad quam requiritur, ut factum sit notorium & publicum majori partis viciniæ, Collegii & Civitatis &c. His prænotatis

IX. Infamia juris & facti inducunt irregularitatem.

Dico Quartò: *Infamia Juris & infamia facti quamdiu durat, facit hominem irregularem, usque dum emendentur.* Ita Doctores communiter. Et Probatur ex *cap. Omnipotens. de Accusation. ex cap. Infames. 3. qu. 7. cap. Qui in aliquo crimine. dist. 51. & cap. Testes. 2. qu. 7. & denique ex regula 87. Juris. in 6. ubi dicitur: Infamibus portæ non pateant dignitatum*, & sanè convenientissimum est hujusmodi notoriè infames excludere, quia inconvenientissimum est, quòd Regale Sacerdotium, & populus acquisitionis cum similibus copuletur, & ex talibus coalescat. Hinc etiam sanctè Ordines & Religiones ordinarunt, ne hujusmodi infames notorii ad Religionis habitum admittantur, in quo nec Superiores dispensare possunt.

X. Ligati excomunicatione majori & Ordines suscipientes nō fiunt irregulares.

Dico Quintò: *Ligati etiam majori excommunicatione, Suspensi, & Interdicti, suscipientes Ordines etiam sacros, non incurrunt irregularitatem.* Ita Suaretz, Filliucius, Coning, Barbosa, quam etiam probabiliorem tenet Bonacinna, quamvis Disp. VII. q. 3. p. 4. prop. 1. dicat: Ligatum majore excommunicatione fieri irregularem, suscipiendo sacros Ordines. Probatur, Quia *cap. Cùm illorum. de sent. excom. in 6.* habentur verba, quæ potius sunt accommodata suspensioni, quàm irregularitati, ergò cùm Jura expresse non dicant hujusmodi suscipientes fieri irregulares, ad eam pœnam extendi non debent. Videatur quoq; *cap. 3. de eo, qui furt. Ord. susc.* Et idem dicendum de suscipiente Ordines furtivè sinè titulo, dimissoriis, plures uno die, per saltum, &c. ab eo, qui resignavit Dignitati Episcopali, quia in his casibus tantùm incurritur suspensio, ùt dixi suprà.

XI. Clericus, qui ministrat in Ordine sacro, quem non habet, fit irregularis.

Dico Sextò: *Clericus, qui ministrat in Ordine sacro, quem non habet, fit irregularis, si scienter, seriò, & ex officio administret.* Ita Navarrus, Suaretz, Sayrus, Filliucius, &c. Et Probatur clarè ex *cap. 1. & 2. de Cler. non ordin. minist.* ubi penes excommunicationem comminatoriam imponitur etiam irregularitas, *cap. Enim. 1.* expressè hæc habet: *Si quis baptizaverit, aut aliud Officium Divinum exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Ex quo volebant nonnulli colligere hanc irregularitatem esse totalem, id est, non modò impeditivam, à susceptione Ordinum, quos non habet, sed etiam ab executione eorum, quos habet, verùm Suaretz benè notat, esse tantùm partialem, nam ex *cap. 2.* id clarè colligitur, dicit enim ibi de Diacono, qui non ordinatus fuerat, ausus celebrare Missam, *Ad Sacerdotis Officium non poterit promoveri, à Diaconatu quoque biennio, vel triennio pro tua* (Episcopi, ad quem rescribit Pontifex) *manet provisione suspensus.*

XII. Debet administrare solemniter.

Dixi tamen *in Ordine sacro*, quia non sufficit administratio in Ordine Minori, ad incurrendam irregularitatem, sicut nec incurrit, qui administrat non solemniter, id est, sine vestibus, paramentis ordinariis adhibitis in solemnitate, hinc Clericus non Subdiaconus canens Epistolam sine manipulo, Subdiaconus sine stola cantans Evangelium non est irregularis, quia non facit id solemniter, & idem est dicere *ex officio*, nempè facere actum, qui ab alio fieri non potest, nisi ab eo, qui talem Ordinem habet.

XI. Laicus ministrans in ordine non habito non fit irregularis.

Dixi etiam *Clericus*, quia si Laicus ministraret etiam solemniter in aliquo Ordine sacro, non incurreret irregularitatem, quia Jura citata loquun-

quuntur de Clerico ministrante in Ordine, quem non habet, ergò non debet extendi ad Laicum, cum sit materia odiosa, & licèt textus loquatur universaliter de ministrante in Ordine, quem non habet, hoc non obstat, quia verba textus loquentis generaliter intelligenda sunt juxta titulum, sub quo verba ponuntur, verba autem illa ponuntur sub titulo: *De Clerico non ordinato ministrante.* Ita sentiunt Suaretz, Henriquetz, Reginaldus, Angelus, Sayrus, hodie non ordinato ad Presbyterum celebranti Missam, imposita est pœna ultimi supplicii, per Bullas *Pauli IV. Sixti V. Clementis VIII.* incipit ejus Bulla: *Etsi alias felicis recordat. Paulus IV.*

XIV. Clericus per saltum promotus ministrans in Ordine, quem non habet, fit irregularis. Ex dicta Conclusione infero primò, Clericum per saltum pro motum exercendo Ordinem sacrum solemniter, quem non habet fieri irregularem, quia Jura loquuntur universaliter de Clerico ministrante non ordinato, & hic promotus ad Diaconatum sine Subdiaconatu ministrans in Subdiaconatu, est irregularis, Sacerdos sine Diaconatu in eo ministrans, aut etiam Episcopus promotus ad Episcopatum sine Diaconatu in eo ministrans, irregularis est; dico notanter, Episcopum ministrantem in Diaconatu, irregularem esse, si eum non suscepisset, quia si Sacerdotium antecedenter non suscepisset, ordinatio ejus nulla esset, sine Sacerdotio enim nemo potest ordinari in Episcopum. Deindè Clericus per saltum promotus, ministrans in Ordine, etiam inferiore, quem non habet, irregularis est, ex alio quoque capite, nempè quia violat Censuram suspensionis.

XV. Absolvens non ordinatus non fit irregularis. Infero Secundò: Clericum non habentem Sacerdotium, aut Sacerdotem non habentem Jurisdictionem, si seriò & Sacramentaliter aliquem absolvat, non fieri irregularem, licèt graviter peccet, & absolutio sit nulla, quia in capite primo est tantùm sermo de exercentibus actum Ordinis, & Divini Officii, non verò de exercentibus actum Jurisdictionis.

Dico Septimò: *Ligatus majori Excommunicatione, Suspensione, vel Interdicto* (supple personali) *etiamsi sit occultus & toleratus, incurrit irregularitatem, exercendo solemniter vel ex officio actus Majoris Ordinis, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inadvertentiæ, vel oblivionis.* Ita Bonacin, &c. Et de violante Excommunicationem majorem habetur *cap. 1. de Sent. Excomm. in 6. §. Caveant. & cap. 1. de Sent. & re jud. in 6. §. Sciturus.* De Suspensionis violatione *in Extrav. de sent. & re jud. cap. æterni. & Extrav. de sent. excom. cap. Cùm medicinalis.* Et tandem de Interdicto, *Extrav. de Excess. Prælat.* & subdit *cap. Tanta.* & ex dictis de Interdicto. XVI. Exercens solemniter actus ordinis majoris in excommunicatione fit irregularis.

QUÆSTIO QUINTA.

De Irregularitate proveniente ex iis, quæ possunt esse Crimina & non Crimina.

Duo sunt, quæ Crimina esse possunt & non Crimina, ex quibus consurgit irregularitas, videlicet Bigamia, & Homicidium, unde hic agam de irregularitate, quæ provenit ex Bigamia & homicidio, sive fiant cum, sive sine peccato. Itaque pro primo I. Bigamia & homicidiũ potest esse crimen, & non crimẽ.

Notandum Primò: *Bigamiam*, seu *Digamiam* aliud non esse, quàm duplicatum Matrimonium, derivatur enim à verbo Græco *Bigamos*, quod significat duarum uxorum virum, sicut *Monogamos*, unius uxoris vir, & *Polygamos*, plurium. Et hinc vir ille, qui plures uxores ducit sive simul (quod nec est, nec unquam fuit licitum citra particularem Dispensationem Divinam, ex *cap. Gaudemus. de Divortiis.* (sive successivè) quod peccaminosum non esse docet clarè D. Paulus *ad Rom.* 6. *Quod si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantùm in Domino*, contrà Monta- II. Bigamia explicatur.

Montanum & Fortulianum) dicitur Bigamus, & hoc verum est, sive duxerit plures uxores successivè aut simùl ante Baptismum, sive unam ante, & alteram post Baptismum. Verùm.

III. Bigamus debet maritali affectu cognoscere uxores.

Notandum Secundò: Ut quis dicatur Bigamus quacunque Bigamia non sufficere, ut ducat plures simùl uxores, sed requiritur, ut maritali affectu carnaliter eas cognoscat, & Matrimonium consummet, unde si plures ducat Matrimonio rato tantùm, sive Virgines sint, sive viduæ, bigamus non est, similiter nec qui celebrat plura sponsalia, aut qui celebrat Matrimonium cum Vidua, illudque consummat, quæ à viro priori carnaliter cognita non fuit, quia in his non deficit significatio Matrimonii unius tantùm conjunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Ita colligitur ex *cap. Debitor. de Bigamis.*

IV. Bigamia est triplex.

Notandum Tertiò: Bigamiam esse triplicem, nempè, *Veram*, *Interpretativam*, & *Similitudinariam*. *Vera propriè dicta est*, quando aliquis post mortem primæ uxoris legitimæ, aliam per legitimum Matrimonium ducit & consummet. Bigamia *interpretativa* ea est, quando quis revera non contraxit quidem cum duabus Matrimonium, illúdque consummat, sed per interpretationem Juris censetur sic contraxisse, quod multis contingere potest modis.

V. Bigamia interpretativa fit multis modis.

Primò, quando aliquis per legitimum Matrimonium duxit unam uxorem, eamque cognovit, quâ mortuâ ducit aliam, sed invalidè ob aliquod impedimentum dirimens, quod consequenter Matrimonium facit nullum, nihilominus hanc secundam maritali affectu cognoscit. *Ex cap. Nuper. de Bigamis.*

VI. Contrahens & cognoscens viduam fit Bigamus.

Secundò: Quando quis ducit Viduam, eámque cognitam à Viro priori, cognoscit quoque, *cap. Debitum. de Bigamis.* Aut fornicariam ab alio corruptam, sive fuerit Meretrix, sive concubina, si cum ea contrahat, & consummet. *cap. Curandum. & cap. Præcipimus. dist.* 34.

Tertiò: Si quis Viduam ducat cum impedimento dirimente, eamque carnaliter cognoscat, *cap. ult. de Bigamis.* ubi Subdiaconus declaratur irregularis, quòd Viduam duxerit, & hoc non ob defectum Ordinis, sed quia duxit Viduam cum opere consummato, quamvis putem irregularem esse, qui in sacro Ordine contraxit.

Quartò: Si quis ducens Virginem in Conjugem, eámque carnaliter cognoscens, quæ postmodum seu vi, seu malitiâ adulteretur, si eam post adulterium commissum reconciliatus, eandem cognoscat affectu maritali, Bigamus est, ex *cap. Si cujus. cap. Si Laici. dist.* 34.

Quintò denique, quando quis habens unam Conjugem actu, & post consummationem cum ista, ex malitia ducit aliam, licèt invalidè hoc fiat, si secundam carnaliter cognoscat, bigamus est. ex *cap. Nuper. de Bigamis.* & hæc Bigamia semper est crimen.

Bigamia *Similitudinaria* illa est, quando aliquis post votum solemne castitatis in aliqua Religione emissum, aut per susceptionem sacrorum Ordinum contrahit Matrimonium, seu cum Virgine, seu cum Vidua, ex *cap. Quotquot. dist.* 27. *qu.* 1. Et dicitur ideò similitudinaria, quia per votum solemne & susceptionem sacrorum Ordinum, copulatur & conjungitur Christo & Ecclesiæ spirituali Matrimonio, consequenter si contrahat aliud, seu cum Virgine aut Viduâ, videtur celebrâre alterum Matrimonium, non quidem verum, sed similitudinarium. Si tamen sit votum simplex, aut aliquis existat in minoribus tantùm Ordinibus, Bigamus non est, quia id jure expressum non est. His prænotatis VII. Bigamia similitudinaria quæ?

Dico Primò: *Bigamia vera, seu contracta sive ante, seu post baptismum, inducit irregularitatem.* Ita Doctor Subtilis 4. dist. 33. q. 2. art. 1. & 2. Probatur Primò de Bigamia contracta post Baptismum, ex *cap.* 1. & 2. & *cap. Debitum. de Bigamis.* Et Ratio VIII. Bigamia sive ante sive post Baptismum inducit irregularitatem.

Ratio eſt, Tum, Quia ſic Eccleſia ordinavit & ſtatuit, Tum, Quia Bigamus non ſignificat unicam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per conjunctionem. Tum, Quia difficile eſt aliis ſuadere caſtitatem, qui eam non ſervaverit, qui autem tranſit ad ſecundas nuptias, & caſtitatem non ſervavit, & ſigna incontinentiæ præbet, ergò inhabilis eſt ad Ordines, cùm tales debeant alii ſuadere caſtitatem. *cap. Una. diſt.* 26.

Probatur ſecunda pars de Bigamia contracta ante Baptiſmum: Tum ex *cap. Acutius. diſt.* 26. ex D. Aug. ubi ſic dicitur: *Acutius intelligunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuit alteram, ordinandum cenſuerunt. & cap. Una. diſt. eadem.* Ex D. Ambroſio. Tum, Quia per Baptiſmum tolluntur quidem delicta quoad culpam, non autem inhabilitates, conſequenter irregulares ſunt, licèt ante illum Bigamiam contraxerint. Sed in contrarium ſic

Arguitur: Eccleſia non judicat de iis, qui deforis ſunt, nec punit, in quos nullum habet Jus, ſed Paganus ante Baptiſmum deforis eſt, nec ullum Jus habet in eum Eccleſia, antequam baptizetur, ergò non poteſt punire eum pœnâ irregularitatis, conſequenter Bigamiâ ante Baptiſmum contracta, non facit irregularem. Reſpond. concedendo totum argumentum usq; ad ſecundum conſequens, quod diſtinguo, bigamia ante baptiſmum contracta, non facit irregularem pro tempore quo eſt extra Eccleſiam, concedo Conſeq. pro tempore quo eſt in Eccleſia, nego Conſequentiam; itaque ante Baptiſmum nemini imponitur pœna irregularitatis, ſed benè ob decentiam & reverentiam ſacrorum Ordinum poteſt Eccleſia ordinare, quòd quicunq; impedimentum hoc & hoc poſuerit ſive contingat ante, ſive poſt baptiſmum irregularem eſſe & inhabilem ad Ordines ſacros. Sed

IX. Homicidiũ ante Baptiſmum nō inducit irregularitatem. Inſtabis: Si Paganus ante Baptiſmum occideret hominem etiam malitiosè, non eſt irregularis poſt baptiſmum, ergò nec dicendus eſt irregularis bigamus, quia etiam occidens ponit impedimentum ante. Reſpon. Negando Conſeq. Quia Eccleſia ſtatuit irregularitatem pro bigamis, etiam ante Baptiſmum, ſic non pro homicidis, *cap. Si quis poſt Baptiſmum. diſt.* 51. ubi autem Jura non ponunt hanc pœnam, ea afferi non debet. Quare autem Eccleſia hoc ordinaverit, eſſe poteſt, quia homicida non eſt inhabilis ad Ordines, niſi propter effuſi ſanguinis horrorem, propter quem David prohibitus eſt ædificare templum DOMINO, 1. Paralip. cap. 22. qui horror tollitur per baptiſmum, cum ibi de Lupo fiat agnus; in bigamo autem non tollitur defectus poſt baptiſmum, ideóque eſt inhabilis etiam poſt illum, quod autem non tollatur, inde patet, quia manet ſemper defectus Sacramenti, conformitas ſcilicet Chriſti cum Eccleſia per incarnationem, cùm caro fœminæ fuerit in plures diviſa, non ſic autem Eccleſia, quæ nullum Sponſum, præter Chriſtum, unquam habuit.

X. Bigamia interpretativa & ſimilitudinaria inducit irregularitatem. Dico Secundò: *Bigamia quæcunque Interpretativa, cum, & ſine crimine, ſicut etiam ſimilitudinaria inducit irregularitatem.* Ita Jura ſuprà citata, & Trid. Seſſ. 23. c. 17. de Reform. De Bigamia ſimilitudinaria particulariter habetur *in cap. Quotquot. diſt.* 27. ubi ſic dicitur: *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, profeſſione contemptâ, inter bigamos, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debent.* Et licèt id caput tantùm dicat Profeſſione contemptâ, quod Regularibus competit, idem tamen eſt de aliis Sacerdotibus, ut colligitur *ex cap. Presbyter. diſt.* 28. ubi dicitur: *Presbyter, qui uxorem duxerit ab Ordine ſuo illum deponi debere*, ubi depoſitio idem ſignificat, quod irregularitas. Verùm

XI. Vir ſæpius fornicans vel adulterans non fit bigamus, ſi poſt virginem ducat. Quæres: An vir fornicarius, qui ſæpe cognovit ab aliis corruptas, aut viduas, vel etiam ſæpius ante Matrimonium in cœlibatu adulterans, ſi poſtea virginem ducat in uxorem, bigamus fit & irregularis? Ratio hujus dubii eſt, quia talis ſuam carnem

nem sæpius aliis divisit, quàm mulier. Nihilominus Respond. negativè ex *cap. Quia circa. de Bigamis.* & Ratio est primò, Quia non sufficit in viro, ut cognoscat plures fœminas, sed requiritur, ut copula habeatur cum illis, cum quibus Matrimonium contraxit, quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, & non fornicatio, aut adulterium. Secundò, Quia Vir significat Christum (est Ratio Glossæ *in cap. Debitum. de Bigamis.*) Qui primò sibi copulavit synagogam, & postea Ecclesiam de Gentibus scilicet militantem, in qua sunt boni, & mali. Uxor autem significat Ecclesiam Triumphantem, in qua non est macula, nec ruga, quæ semper Virgo saltem mente permansit, consequenter ab uxore major exigitur Castitas, & simpliciter, quòd carnem suam in plures non diviserit. Valeat hæc ratio quantum potest. Ratio principalissima est, quòd Ecclesia sic ordinaverit, quòd Vir contrahens cum Virgine sit Bigamus, & quòd Vir, non Virgo, contrahens cum Virgine, non sit Bigamus & irregularis. Si

XII. Ducere fœminâ corruptam est indecentia.

Quæras: Quare autem Ecclesia hoc ordinaverit? Respond. Quia est major indecentia, si sponsa non sit casta, quàm si vir. Item quia est ignominiosum, aliqualiter contrahere cum corrupta, sicut ignominiosum est contrahere cum *serva, mima, Comœdias exercente*, licèt virgò esset. Denique Faber addit hanc rationem: Quia mulieri est facilius servare castitatem, quàm viro, ideò voluit Ecclesia, quòd integritatis corruptio induceret in fœmina bigamiam, non in viro. Hæ pro prima parte sufficiant, pro secunda

XIII. Ad homicidium non sufficit sola intentio, nec ad mutilationem sola carnis divisio.

Notandum: Quòd Jura subjiciant irregularitati non modò homicidas, verùm etiam enormes mutilatores alicujus membri corporis humani vivi, ùt ex pluribus infra videbitur. Ad homicidium autem non sufficit sola intentio occidendi, sicut nec ad mutilationem intentio mutilandi, sed debet revera effectus subsequi, ùt patet ex suprà dictis. Unde debilitàs aliquod membrum, & non abscindens, non dicitur mutilare, sicut nec dicitur mutilare, qui deformat aliquod membrum, v. g. faciem, manus, pedes &c. item vulnerans, scindens, sanguinem effundens, non mutilat, quià tales actiones sunt potius carnis divisiones, quàm membrorum abscissiones, Jura autem loquuntur de mutilatione & abscissione, non verò de divisione, adeoque ad illam extendi non debet, cùm pœnale sit. Ita sentiunt Sylvester, Navarrus, &c. Qui ulterius volunt, non sufficere quamcunque abscissionem cujuscunque membri esse mutilationē enormem, nec quamcunq; partem dici posse & debere membrum, sed solùm illam, quæ est quasi aliquod instrumentum integrum compositum ex pluribus partibus dissimilaribus, quod habeat proprium officium & actionem ab aliis distinctam, ùt sunt manus, pes, oculus, auris, membrum virile, mamillæ fœmineæ, &c. ità penes Navarrum, Baldus *l. 2. ff. de publicis Judiciis.* Toletus, Filliucius, &c. quamvìs Cajetanus & Sotus putent sufficere abscissionem digiti alicujus, narium, dentium evulsionem, cartilagines aurium externę abscisionem &c. Nec refert, quod si quis sibi ipsi abscinderet digitum, fieri irregularem, etiam debere fieri, si alteri abscinderet; Quia inprimis mutilatio activa in se ipsum facta est major excessus, cùm & activè faciat, & passivè defectum sibi causet, hinc in se ipso irregularitatem inducere potest, si quis sibi abscinderet digitum, licèt non induceretur, si abscinderet alteri. Deindè in hac Quæstione agimus de mutilatione activa alterius, non verò de passiva, quæ pertinet ad defectus corporis.

XIV. Homicidium & Mutilatio duplex est. Voluntarium & Casuale.

Notandum Secundò: Homicidium & mutilationem esse duplicem, nempè *voluntariam* & *casualem*, Homicidium *volūtarium* (idem dic semper de mutilatione proportione servatâ) est, quod directè & per se primò intenditur ab occidente, *Casuale* verò est, quod nō directè & simpliciter aut immediatè intenditur ab occidente, sed

ſed per accidens evenit, ut ſi quis ludens pyramidibus projiceret globum, ut alter eum caperet, & tertius in eum irrueret, ipſumque in temporibus percutiendo occideret. Utrumque iterum duplex eſt: Aliud enim eſt Voluntarium ſimpliciter, & omninò voluntarium, & involuntarium ſecundùm quid; v. g. Si quis Titium invaderet ſtricto gladio, ad eum occidendum, aut vulnerandum, vel ſua auferendo, Titius non valens alio modo ſe, ſuáque liberare, quàm occidendo, ſi occidat, committet voluntarium homicidium abſolutè & ſimpliciter, involuntarium tamen ſecundùm quid, quia ſi alio modo potuiſſet evaſiſſe, non occidiſſet, quod ſi tamen potuiſſet alio modo, vel etiam cum aliquo levi damno mortem & vulnerationem evaſiſſe, & eum adhuc occideret, faceret illud voluntariè abſolutè; Et ſi primò modò occidat, dicitur occidiſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad quod requiritur, quòd fiat in ipſo aggreſſu injuſto, non præveniendo eum ullatenus, & judicet, quòd probabiliter ſit occidendus, vel graviter vulnerandus, aut grave damnum patiendum eſſe, nec poſſe evadere, niſi cum fuga ignominioſa &c. E converſo homicidium involuntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundùm quid, quæ de ſe patent.

XV. Homicidiũ voluntarium aliud eſt juſtum, aliud injuſtum.

Notandum Tertiò: Homicidium Voluntarium aliud eſſe *juſtum*, aliud *injuſtum*: *Juſtum eſt*, quod ſine culpa occidentis fit. *Juſtum* eſt, quod fit authoritate publicâ per ſententiam Judicis, quod ab aliis ſolet vocari ex defectu perfectæ lenitatis, & manſuetudinis. *Injuſtum eſt*, quod fit propriâ & privatâ authoritate, & vocatur homicidium ex delicto, quia ſine culpa delinquentis non evenit. Et hinc eſt, quòd Scotus poſuerit hanc irregularitatem ad ea, quæ aliquando non ſunt, & aliquando ſunt Crimina. His prænotatis ad difficiliora, & in quibus difficultates eſſe poſſunt, explicanda accedo, & imprimis examinando eas irregularitates, quæ ex defectu lenitatis oriuntur.

Dico Tertiò: *Omnes Judices tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſtici Pontifice inferiores ſententiam capitis, vel mutilationis membri alicujus ferentes, irregulares ſunt, ſecuto effectu, ſicut etiam omnes miniſtri & ſatellites ſententiam exequentes, & quoquo modo proximè & directè ad mortem hominis cujuſcunque cooperantes, ùt Conſultores & Aſſeſſores, Notarii ſententiam ſcribentes, legentes, Advocati & Procuratores, contra reum pro Accuſatore, Accuſatores ſi faciant ùt mutilatio ſequatur, vel mors, & non pro ſola ſatisfactione petenda, ferentes teſtimonium, quod ſufficiens fuit ad inferendam mortem, vel ad mutilandum.* Ità Doctores communiter apud Bonacinnam. Probatur prima pars de Judicibus ex *cap. Sententiam. Ne Clerici vel Monachi.* ubi dicitur: *Sententiam ſanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat*, ubi ſermo eſt de Clericis & Judicibus Eccleſiaſticis, à quo excipitur Pontifex, qui eſt ſupra Jus Commune. De Judicibus verò ſæcularibus habetur in *cap.* 1. & 2. *diſt.* 51. ubi prohibetur, ne ad Ordines promoveantur milites, Curiales, & miniſtrantes in Curia criminali.

XVI. Omnes Judices Pontifice inferiores.

Probatur ſecunda pars de Miniſtris & aliis cooperantibus, ex *cap. Notum ſit.* 2. *qu.* 1. in quo habetur hæc maxima: *Facientem & conſentientem par pœna conſtringit*, quod deſumptum puto ex illo D. Pauli ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Deindè de Accuſantibus habetur *cap. penult. de Homicidio. in* 6. de ferentibus teſtimonium, *cap. Si quis Viduam. diſt.* 50 Et ratio univerſalis omnium eſt, quia omnes iſti cooperantur ad mortem hominis, & adeſt defectus lenitatis, & manſuetudinis, quam Chriſtus docuit, & miniſtri altaris ejus præ ſe ferre debent, eſtque in ipſis horror ſanguinis, propter quem David fuit prohibitus ædificare templum DOMINO, ergò omnes illi repel-

XVII. Miniſtri exequentes ſententiam, & alii cooperantes ſunt irregulares.

lendi sunt ab Ordinibus & Statu Clericali.

XVIII. Cooperantes debent proximè & directè cõcurrere ad mortem hominis.

Dixi tamen *proximè & directè*, quia, si quis ex enumeratis consulendo generaliter, vel indirectè, & per accidens ad mortem alicujus, vel mutilationem cooperetur, non fieret irregularis, hinc dicunt Authores passim, non esse irregularem, si quis interrogatus (pono quòd sit Clericus, idem tamen est de Laicis) an talis fur v. g. Mannius debeat laqueo suspendi? aut quid cum ipso facere debeat ob delictum hoc vel illud? Si respondeat: *Ad me non pertinet sententiam sanguinis ferre, videat Judex, quid Leges dicant, faciat, quod Leges statuunt.* Imò sic possunt etiam Prælati & Abbates, habentes Jus Gladii, respondere suis Officialibus interrogantibus, quid faciendum sit cum hoc determinato Reo, qui proindè cavere debent, ne dicant ipsis, adjudicate eum morti, curate suspendi, decollari &c. quia tunc directè cooperarentur. Ob eandem rationem non incurrunt irregularitatem, qui generaliter consulunt Domino, ut Legem ferat, quâ fures & alii delinquentes plectantur capite, tractatus de similibus pœnis componere, in Concionibus Judices exhortari, ut reos, blasphemos, puniant, similia vitia publicè reprehendere, quamvis Judex indè ansam sumeret, aliquos morte afficiendi.

XIX. Non est irregularis Clericus spectans executionẽ sententiæ.

Infero, ulterius non esse irregularem Clericum spectantem executionem sententiæ capitalis, nam licèt *cap. Si sententiam.* id prohibeat, tamen aut consuetudine contrariâ abrogatum est, aut intelligi debet de iis, qui habent Jus Gladii, & sunt Domini temporales, hi enim si adsunt, aliquô modô præstant authoritatem, similiter comitantem non esse irregularem, imò nec esse Sacerdotem Confessarium, qui reo educendo passu aliquando antecedit, vel si vehitur curru, dicit, Eja pergatis fortius, aut si dicat carnifici, ego feci, quod meum fuit, fac tu, quod tuum, nemo impedit te, quo tuo fungaris officio, imò si moneat eum, fac citò, quia hæc non horrorem sanguinis spirant, sed lenitatem, nec sunt tanti momenti res, nec per se & directè tendunt ad effundendum sanguinem, imò si dicat reo, *ascende scalam, adbuc unum gradum altius*, non esse irregularem ob parvitatem materiæ, imò irregularem non esse, qui reum per breviorem ducit viam &c. Ita Avila, Henriquetz, Marchant. &c. quamvis Bonacinna putet dicentem *ascende scalam*, &c. esse irregularem, & similiter si dicat carnifici, acuas Gladium, fac videas, ne sæpiùs, quàm semel ferias, &c. puto tamen, nec in his incurri irregularitatem.

XX. Nec concomitans aut antecedens reum.

XXI. Confessarius cõsulens Judici, ut reos condemnet, est irregularis.

Infero Tertiò: Confessarium injungentem Judici pœnitenti, ut reos condemnet, aut denegantem ei absolutionis beneficium, nisi proponat reos punire secundùm Jura, dummodò id in generalibus faciat terminis, & non ad hunc determinatum reum, non esse irregularem, Quia hoc videtur per Epikeiam exceptum ab Ecclesia, cùm Confessarius non possit absolvere existentem in peccato mortali, & in Conscientia teneatur pœnitenti dicere suam obligationem, ità sentiunt Filliucius, Coning, Molina, Bonacinna, qui etiam dicit, non esse irregularem Confessarium dicentem reo juridicè interrogato, ut fateatur veritatem, etiamsi ob hanc Confessionem puniendus sit pœnâ mortis, quia hortatur ad id, quod facere tenetur, secus si reus non teneretur fateri veritatem, ùt quando delictum non est semiplenè probatum, aut Judex non est competens, tunc enim Confessarius fit irregularis, si ex hac Confessione sua sequatur Mors.

XXII. Principes sæculares, & Ecclesiastici delegantes non sunt irregulares.

Dico Quartò: *Principes sæculares & Ecclesiastici delegantes Jurisdictionem suis Officialibus, Episcopi degradantes, protestationem præmittentes, Inquisitores, eorúmque Officiales, Denuntiatores & testes non fiunt irregulares, etiamsi nullam præmittant protestationem, quam si præmittant alii quoque tàm Clerici, quàm Laici si accusant, protestantes se non quærere sanguinis*

guinis effusionem, sed illati damni satisfactionem, irregulares non sunt. Ità Faber, Suaretz, Filliucius, Avila, Henriquetz. Probatur prima pars, ex *cap. Episcopus, Ne Clerici vel Monachi. in 6.* ubi Pontifex concedit, ut Episcopus, vel quicunque alius Clericus & Dominus possit delegare suam Jurisdictionem Judicibus, ut inquirant de malefactoribus, eosque secundùm Jura puniant, imò dicit, eos debere hoc facere absque ullo metu irregularitatis. Ratio etiam est, Quia talis delegatio non est proxima causa interfectionis alicujus, sed valdè remota. Quod, si dicas, etiam sententiam Judicis posse dici causam remotam, tunc dico ego, hanc delegationem esse multò remotiorem.

XXIII. Episcopi degradantes, præmittentes protestationem, non sunt irregulares.

Probatur secunda pars, de Episcopis degradantibus, & tradentibus brachio sæculari ultimo supplicio afficiendum, ex *cap. Novimus. de verb. sign.* Et ratio est, quia sic degradantes eximunt reum à statu Clericali, & ostendunt tantùm, eum amplius non gaudere privilegio fori & Canonis, adeóque Judicem secularem habere potestatem eum in suum forum recipiendi, & in ipsum animadvertendi, quod valdè per accidens est remotum.

XXIV. Inquisitores, & eorũ officiales non sunt irregulares.

Probatur tertia pars: De Inquisitoribus & eorum Officialibus, ex Bulla Pauli IV. & Pii V. apud Pennam, ùt citat Bonacinna, ubi eis solummodò prohibetur, quòd per se ipsos non exequantur sententiam sanguinis, & sic etiam sine protestatione possunt eos tradere Judici sæculari comburendos ex particulari privilegio absque nota irregularitatis. Quod etiam extenditur ad Denuntiatores & Testes, qui sunt magis remoti à sanguinis sententia, cùm testimonium & quærelam non deponant apud sæcularem Judicem, sed apud Ecclesiasticum, cui non competit dictare pœnam sanguinis, & solummodò protestatio requiritur, quando accusatio fit apud Judicem sæcularem. Quare

Probatur ultima pars *ex cap. Prælatis, vel Clericis. in 6. de homicid.* ubi declaratur Clericum accusantem non fieri irregularem, si protestationem præmittat, & rationem hujus favoris Pontifex addit his verbis: *Quia aliter daretur Materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè dilapidandi.* Ratio etiam est, quæ suprà, quia scilicet valdè remotè concurrunt ad mortem. Et quamvis ibi mentio tantùm fit de Clericis accusantibus, extenditur tamen quoque ad Laicos, quia sumus in materia favorabili. XXV. Accusantes præmittentes protestationem non sunt irregulares.

XXVI. Protestans verè, sed animo ficto, non fit irregularis.

Sed Difficultas est, an si quis faciat hanc protestationem solùm animo interno, vel animo ficto, intendendo in animo vindictam, an fiat adhuc irregularis? Respond. Animum solum internum non sufficere ad excusandum eum ab irregularitate, quia Jus requirit protestationem expressam: Si tamen faciat expressè oretenus, licèt animo ficto, sufficit, ut excusetur ab irregularitate, Tum, Quia Judex non requirit nec judicat internam intentionem. Tum, Quia ficta protestatio tantùm valet apud Judicem ignarum fictionis, quantùm valet protestatio ex animo serio facta, sed quicunque Judex internam intentionem dijudicare nequit, ergò. Ità sentiunt Navarrus, Reginaldus, Sylvester, Toletus. Ex quo infero, à fortiori non fieri irregularem, qui suadet alteri, ut accuset aliquem, à quo ipsi imminet periculum Vitæ, vel jactura bonorum, dummodò accusans protestetur.

Dices: Protestatio ficta nulla est protestatio, sed fictio, ast fictio involvit dolum & fraudem, ergò non debet ipsi patrocinari. Respond. Negando Major: Quia idem operatur apud Judicem nescientem fictionem ac si abesset, per eam enim nullatenus stimulatur ad effundendum sanguinem. Deindè Ecclesia requirit tantùm protestationem externam, ergò.

Dico Quintò: *Consulentes Principes bellum justum, assistentes eidem, hortantes ad pugnandum, non sunt irregu-* XXVII. Consulentes Principi bellum justum, & as-

sistentes, non sunt irregulares, benè tamen occidentes. regulares sive Clerici sint, sive Laici, benè tamen in bello injusto, occidentes verò & mutilantes tam in bello justo, quàm injusto, sunt irregulares. Ita Navarrus, Suaretz, Bonacinna &c. & Probatur ex *cap. Petitio tua. de homicidio.* In quo consulentes, & assistentes bello justo eximuntur ab irregularitate, dummodò ipsi non occiderint etiam ipsi Clerici. Et Ratio mihi esse videtur, quia in bello justo videntur hortationes fieri ad defensionem suam potius, quàm ad offensionem, ideóque exceptis ipsis occidentibus reliqui excusantur ab irregularitate, in bello autem injusto invasores sunt, & sic nec consulentes, nec assistentes eximi debent ab irregularitate, quia constituunt unam causam moralem cum occidentibus, & licèt etiam suadentes & assistentes in bello justo cum occidentibus constituant unam causam moralem, nihilominùs ipsi expresè excipiuntur *in cap. Petitio tua.* etiamsi vulneraverint, dummodò non occiderint. Imò putant Doctores, quòd in bello justo occidentes quoque non sint irregulares, dummodò ad bellum non iverint intentione pugnandi, sed alio fine, quia in tali casu censetur occidisse alium ex defensione inculpatæ tutelæ, cùm alio modô non potuerit se salvare, quod licitum est ex *Clement. Si Furiosus. de Homicidio.*

XXVIII. Laici & clerici exercentes Chyrurgiam secundum artem non sunt irregulares. Dico Sextò: *Tam Laici, quàm Clerici exercentes Chyrurgiam & Medicinam secundum regulas Artis, non sunt irregulares.* Ita Bonacinna, & Probatur: Quia si faciunt secundùm regulas Artis, faciunt opus Pietatis, & mansuetudinis, finè ullo defectu lenitatis debitæ, ergò non debent censeri incurrere irregularitatem, cùm hoc nullô Jure sit ipsis prohibitum. Si tamen regulas Artis non intelligerent, & ex eorum imperitia, aut si applicarent media probabilia, dum habent certa, aut si habent probabilia dubia, & si salus infirmi non sit desperata, si applicant deficientibus remediis certis & probabilibus, planè incerta, irregulares fiunt secutâ morte infirmi, quia videntur venenum infirmo dedisse, cùm omnis Medicina venenum sit. Ex *l. Qui venenum. ff. de verb. signif.* Ex quo patet, quid dicendum sit de infirmariis, si enim aliquid faciunt culpabiliter, & non ex officio Charitatis & Pietatis, suntque per factum hoc moraliter causa accelerationis mortis, irregulares sunt, secus si omnem adhibeant diligentiam, hinc dico irregulares fieri, qui dant infirmis Medicinas ex speciebus corruptis, & putridis, aut qui dant eis aliquid contra præscriptum Medici, si exindè mors sequatur, aut acceleretur, nisi illa acceleratio esset valdè exigua; Econtra irregulares non sunt, si infirmum volvant, vel vertant in lecto, non ut citiùs pereat, sed ut suavius dormiat, etsi moriatur. Vertentes infirmum in lecto nō sunt irregulares.

XXIX. Clerici in majoribus medicantes nō possunt abscindere membrum. Verùm est differentia inter Laicos & Clericos exercentes Chyrurgiam aut Medicinam, quòd Laici sine irregularitatis nota possint sanitatis causâ abscindere aliquod membrum infirmo, Clerici verò in majoribus constituti (Minoristæ possunt) nequeunt mederi *scindendo* & *adurendo*, quia hoc est eis specialiter prohibitum in *cap. Si sententiam. Ne Clerici vel Monachi.* & *cap. Tua nos. de homicidio.* Excipitur tamen à Doctoribus casus necessitatis, v. g. tempore pestis, aut si non adesset alius, & infirmus periclitaretur, tunc enim obligat Jus Naturæ, ut Frater & proximus adjuvetur: quamvis *cap. Tua nos.* videatur contrarium sentire, quia tantùm reprehendit Monachum apostema in gutture fœminæ aperientem sine ulla necessitate. Et hinc puto cum Doctoribus à fortiori Clericum artis peritum posse suadere, ut alii abscindant membrum inutile, vel adurant, etiamsi mors indè sequatur, quia tantùm est ipsis prohibita abscissio vel adustio, undè si ipse venam incideret, & mors sequeretur, irregularis est, secus si non sequatur.

XXX. Occidens alium cum moramine inculpa- Dico Septimò: *Occidens alium non excedens notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, ad defensionem vitæ suæ,*

tutelæ, non est irregularis. *suæ, honoris, rerumque suarum, ac etiam ad defensionem proximi, non incurrit irregularitatem.* Prima pars est communis, & deducitur clarè ex Clement. 1. de homicidio, ubi sic habetur: *Si Furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit*, & idem *de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat Invasorem.* Secunda & tertia pars, est Petri Navarri, Coning, Lessii, Filliucii, Covarruviæ &c. apud Bonac. Et Probatur ratione Covarruviæ: Tum, Quia in tali casu non incurritur irregularitas, nisi ob delictum & peccatum, sed occidens aliquem ad defensionem honoris sui, rerumque suarum, & ad defensionem proximi, sicut etiam ad defensionem Principis, Superioris, Patris, Conjugis, & Filii, occidit sine culpa, ut tenent Authores communiter, ergò non est irregularis. Tum, Quia irregularitas non incurritur occidendo invasorem ad defendendam vitam suam, ergò nec ob defensionem honoris, & rerum suarum, quæ pertinent aliquo modo ad vitam. Confirmatur utraq; pars, Quia hæc irregularitas in nullo Jure est expressa. ergò.

XXXI. Dices: *Cap. Interfecisti. & cap. Significasti. de homicidio.* habetur homicidas esse irregulares, ergò cùm Clementina *si Furiosus*, solùm excipiat furiosos, amentes, dormientes, & occidentes ad defensionem vitæ suæ, & non occidentes ad defensionem rerum suarum, & proximi, hi irregulares erunt ex allegatis Juribus. Respond. Negando Conseq. Quia illa duo capita tantùm loquuntur de occidente alterum voluntariè cum culpa, Clementina autem illa loquitur, & corrigit Jus antiquum excipiens à nota irregularitatis occidentes sine culpa, ergò cùm injusti invasores servato moderamine inculpatæ tutelæ occidantur sine culpa, ad defensionem rerum suarum & proximi, non incurrent irregularitatem, Undè licèt non faciat mentionem de occidentibus injustos invasores, rerum & proximi, cùm tamen etiam non dicat eos incurrere, non est illud dicendum, cùm non debeat pœna irregularitatis poni, nisi in Jure exprimatur. Sed

Instabis: Ipsissima Clementina videtur esse revocata per Jus novissimum Concilii Tridentini, nam in Sess. 14. cap. 7. dicit: Quod si quis homicidium casu, vel vim vi repellendo commiserit, *quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunq; & dignitates, jure quodammodò dispensatio debeatur, committatur loci ordinario.* ergò censet occisionem ad defensionem vitæ suæ, & rerum inducere irregularitatem. Respond. Concilium nihil urgere contra Conclusionem, non dicit enim talem fieri irregularem, sed dicit *quodammodò Jure dispensatio debeatur*, non dicit absolutè, undè hoc commitit Episcopo examinandum, an videlicet reverà fuerit cum moderamine vel cum excessu inculpatæ tutelæ, nam in foro externo præsumitur semper dolum fecisse, ut habetur *cap. 1. de Præscript.* in delictis enim præsumitur dolus, quare talis probare debet defensionem inculpatam, quod Ordinario committitur. XXXII. Episcopus examinare debet, an homicidiū factum sit cum moderamine inculpatę.

Confirmatur tertia pars: Quia occidens, vel percutiens Clericum ad defensionem proximi etiam extranei non incurrit excommunicationem ob violentam injectionem in Clericos latam ex Innocentio, *cap. Si verò. de sententia excom.* ergò nec fit irregularis occidendo alium ad defensionem inculpabiliter proximi.

Dices: In Irregularitate non valere argumentationem à pari, ùt sæpè dictum est, ergò. Respond. quòd licet alioquin non liceat argumentari à pari, in casu tamen præsente licere, nam sicut excomunicatio non incurritur sine delicto, ita nec ista irregularitas incurritur sine delicto.

Dico Octavò: *Homicidium omninò casuale, & involuntarium simpliciter non inducit irregularitatem, benè tamen homicidium casuale secundùm quid, & voluntarium simpliciter in se, vel in causa, licèt sit involuntarium* XXXIII. Homicidiū involuntarium & casuale non inducit irregularitatem.

rium secundùm quid. Ità Suaretz, Avila, Solonius, Henriquetz &c. Ratio est, Quia tale homicidium est simpliciter impeccaminosum, ergò. Et hæc est ratio etiam secundæ partis à sensu contrario, quia homicidium casuale secundùm quid est sufficienter peccaminosum mortaliter. Imò Doctores putant, quòd etiam homicidium simpliciter casuale inducat irregularitatem, si occidens non daret operam rei licitæ, sed illicitæ periculosæ; Tum, Quia sic videtur expressum in *cap. Tua nos. de homicid.* Tum, Quia dans operam rei illicitæ periculosæ, censetur velle homicidium indè sequens. Quamvìs putem cum Bonacinna dantem operam rei illicitæ non esse irregularem secuto homicidio, si primò diligentiam debitam adhibeat, ne homicidium sequatur; secundò, dummodò res illicita periculosa non sit talis, ex qua mors ordinariè, & ut plurimùm solet, si enim talis esset, omninò sic dans operam rei illicitæ, fieret irregularis. Tertiò, dummodò non sit casus contrarius in Jure expressus, ùt videtur esse *in cap. ult. de homic. in* 6. ubi mandans percuti alterum, incurrit irregularitatem, ex eo, quòd causaliter ex percussione tali vulneraverit percussum lethaliter mandatarius, ex quo mortuus fuit, & *cap. Tua nos de Monacho.* apostema in gutture mulieris aperiente, qui secutâ morte mulieris declaratur irregularis.

Dans operam rei illicitæ & occidens fit irregularis.

XXXIV. Inter dormiendum opprimens infantem fit irregularis.

Hic infero, irregularem esse, qui inter dormiendum opprimit infantem, dat enim operam rei illicitæ periculosæ, & non adhibet debitam diligentiam; Item ob eandem rationem Titium projicientem lapidem in Cajum, qui declinando non tangitur, sed tangitur Mævius, & is vel occiditur, vel graviter vulneratur, & mutilatur in oculo, Cajus autem declinans non fit irregularis, quia non dat operam rei illicitæ.

XXXV. Dans occasionem abortûs per saltum, copulam, est irregularis.

Similiter, qui projicit tegulam aut lapidem ex tecto; qui immoderatè saltat cum muliere prægnante; aut immoderatè utitur copulâ; aut eam percutit, aut gravem terrorem incutit, ex quibus abortus hominis sequatur, si enim abortus fiat antequam homo est, seu ante animationem, talis licèt graviter peccet, non est irregularis, quia non est homicida, ùt probat Glossa *in caput. & ex cap. Quod verò.* 3. *q.* 2.

XXXVI. Præcipitans equo occidens puerum, non est irregularis.

Et licèt Sixtus V. extendat hanc irregularitatem ad facientes abortum fœtûs etiam non animati, tamen Gregorius XII. reduxit Bullam Sixti V. ad terminos Juris antiqui. Denique irregularis est, qui hominem maturum terrefacit in tali loco, ex quo ob terrorem dat se præcipitem. E contra non est irregularis, qui insidens equo, qui habenas rumpens & frangens, per avia deferens sessorem cursu occidit puerum, nec eum, qui domi diligenter feram custodit, quæ absque ipsius culpa soluta, occidit hominem, secus, si negligenter eam custodiret. Nec deniq; irregularis est, qui detegens alicujus uxorem esse adulteram, aut in domo esse adulterum, quod alter defert ad maritum, qui audiens hoc occidit uxorem, quia illa prima manifestatio est valdè remota causa.

XXXVII. Consulentes, auxiliantes, cooperantes ad homicidiū, vel mutilationem, sunt irregulares.

Dico Nonò: *Voluntariè & privatâ authoritate malitiosè occidentes, vel mutilantes graviter, ad id consulentes, si alii parati non erant absque consilio mandantes expressè, vel tacitè, dummodò sufficienter mandatorio voluntas mandantis innotescat, & nullò modò revocet, aut si revocet, & mandatorio non constet. Denique omnes auxiliantes & cooperantes, & non impedientes, si ex justitia tenebantur rei sunt homicidii & mutilationis, & consequenter irregulares, secutâ morte, vel mutilatione.* Ità Authores passim, & est communis doctrina. Probatur ex *cap.* 1. *de homicid. volunt.* ubi dicitur: *Si quis occiderit per industriam proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. & ex cap. Notum fit.* 2. *q.* 1. & aliis pluribus locis, videatur totus titulus de homicidio, Ratio est, Quia omnes sunt rei sanguinis effusi & mutilationis, ergò omnes irregulares, quia facientem & consentientem

tem par pœna constringit. Et patet Conclusio etiam ex dictis, si diligenter examinentur. Sed.

XXXVII. Ratihabens homicidium non fit irregularis. Quæres. An ratihabens homicidium, vel mutilationem factam, censendus sit irregularis? Respond: Quòd licèt graviter peccet, talem non esse reum homicidii externi, nec consequenter irregularem, Ratio est, quia talis ratihabitio non est injuriosa contra occisum, nec in occisionem ullatenus influit, neque enim Voluntas ratihabentis influere in illud potest, quod jam præteritum est, & factum, ergo.

XXXVIII. Ratihabitio comparatur mandato quoad culpam, non quoad pœnam. Dices. Ratihabitio *retrotrahitur, & comparatur mandato. cap. 23. de sentent. excom. in 6.* Sed mandans reus est homicidii, ergo etiam ratum habens. Respond. Ratihabitio comparatur mandato quoad culpam, concedo, quoad pœnam, nego Antecedens. & Conseq. Si dicas etiam deberi comparari quoad pœnam, & frequenter sic comparatur, ut contingit in eo, qui percussionem Clerici ratam habet, hic enim incurrit excommunicationem, si inquam dicas, tunc Respond. debere etiam comparari quoad pœnas, si in Jure sint expressæ, concedo, si non sint, nego; In Jure autem non est expressum ratum habentem homicidium esse irregularem, Hinc si Titio donarem decem aureos, quod Mævium inimicum meum occiderit, dummodo id fecerit me nesciente, non sum ego irregularis, per istam donationem & ratihabitionem.

QUÆSTIO SEXTA.

De Dispensatione in Irregularitatibus.

I. Summus Pontifex dispensare potest in omni irregularitate. Imprimis certum est, summum Pontificem dispensare posse in omni irregularitate, licet enim bigamia videatur esse Juris Divini, revera tamen non est, sed ab ipsis Apostolis impedimentum hoc est introductum, tanquam quid Juris Ecclesiastici, nam ait D. Paulus 1. ad Corinth. 7. *Cœteris dico ego, non Dominus:* ut in ea etiam dispensare possit, quamvis non debeat fieri ex quacunque causa, unde Canones antiqui non *liceat dispensare*, supple absque urgente necessitate, non tamen dicunt *non possit.*

Certum etiam est, irregularitatem ex inscientia cessare per scientiam, ex defectu libertatis per manumissionem, si servus sit; per mortem conjugis, si uxoratus sit; item defectus ætatis per supervenientes annos; & defectus Natalium per Professionem, legitimationem & denique infamia per bonam famam, vel per dispensationem Principis Ecclesiastici & sæcularis, si sit infamia Juris, & non facti. Nec de his ulterior est difficultas, major tamen an in aliis, & in quibus Episcopi possint dispensare, sicut etiam in quibus Regulares, ad quas difficultates resolvendas. II. Plures casus, in quibus irregularitas cessat per se.

Dico primò. *Episcopi in suis Diœcesibus dispensare possunt cum suis Subditis in omnibus irregularitatibus, provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate, proveniente ex homicidio voluntario justo, vel injusto, aut ex delicto ad forum contentiosum deducto.* Ità Doctores communiter, & hoc privilegium (quamvis sit in lege communi, & superioris, in qua alioquin inferiores dispensare non possint) concedit Tridentinum in suis Diœcesibus respectu suorum Subditorum, in quo tamen eximuntur duo casus in conclusione specificati. Et hoc verum est tam de homicidio injusto, quàm justo, seu ex defectu lenitatis, quia semper est voluntarium. III. Episcopi dispensare possunt in irregularitatib° provenientibus ex delicto.

Hinc infertur primò. Episcopos non posse dispensare cum Judicibus sanguinis, etiam quoad mutilationem, Quia imprimis homicidium est voluntarium, & mutilatio non est ex delicto & occulta, Episcopi autem tantùm possunt dispensare in illis, quæ proveniunt ex delicto, quod est occultum, ergo. Nihilominus in aliis mutilationibus injustis occultis dispensare possunt. Similiter non possunt dispensare cum Militibus IV. Episcopi nō possunt dispensare cum Judicibus sanguinis. Nec cum militibus.

bus occidentibus aliquem in bello justo, sive injusto, quia si justum est, tunc occisio non est ex delicto; si autem injustum, tunc vel est voluntarium, vel publicum, sed in his nequeunt dispensare, ergo.

V. Episcopus potest dispensare in excedente moderamē inculpatæ &c.

Infertur Secundò. Episcopos posse dispensare in occisione illius, qui solum leviter alterum voluit percutere, vel volendo se defendere, etiamsi excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, quia hoc non est voluntariam simpliciter, & licèt *Trid. Sess.* 14. *cap.* 7. committat facultatem dispensandi Ordinario in dicto casu, quia non loquitur de homicidio occulto, sed publico, & dispensatione in foro externo, prout idem est, ac causæ cognitio, non verò in foro interno.

VI. Episcopi possunt dispensare in irregularitate ob violatas censuras.

Infertur Tertiò. Episcopos posse dispensare in irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, suspensionis, & interdicti, per exercitium ordinum, quamdiu delictum est occultum, id est, ut Bonacinna notat, quamdiu non scitur de delicto & pœna excommunicationis, suspensionis & Interdicti, licet publicè exerceat ordines. Item in irregularitate proveniente ex occulta iteratione baptismi, aut quando aliquis alterum rebaptizat, & nescit an sit baptizatus. Quia istæ omnes irregularitates provenientes sunt ex delicto, in quibus Episcopis conceditur Authoritas dispensandi, si delicta sint occulta.

VII. Episcopi nō possunt dispensare cum irreg. ex bigamia.

Dico Secundò. *Episcopi non possunt dispensare cum irregularitate contracta ex bigamia, vera & interpretativa, nec quoad ordines sacros suscipiendos, nec quoad usum susceptorum, benè tamen in bigamia similitudinaria.* Prima pars habetur *ex cap. super eo de bigamis.* Ratio est, Quia nemo potest dispensare in Jure communi, nisi à Pontifice facultatem habeat, de qua non constat, ergo. Secunda pars *ex cap.* 1. *Qui Clerici, vel voventes.* Imò Bonacinna putat, quòd hoc tempore Episcopi non possint dispensare nec quoad minores suscipiendos, & primam tonsuram, ac beneficium simplex, & colligit illud *ex Trid. Sess.* 23. *cap.* 17. Quod ait etiam congregationem sacram Cardinalium declarâsse ex Garzia 7. p. cap. 6. n. 5.

VIII. Episcopi nō possunt dispensare in irregularitate, ex defectu corporis.

Dico Tertiò. *Episcopi non possunt dispensare in irregularitate, proveniente ex defectu Corporis & infirmitate, Ad eos tamen pertinet judicare, an defectus vel deformitas inducat irregularitatem.* Ità Bonacinna, & Probat *ex cap.* 2. *de corpore vitiatis.*

Quidnam possint Regulares, certum est, eorum Superiores habere amplissimam facultatem dispensandi in omnibus Censuris, & Irregularitatibus respectu suorum Subditorum, ùt ex privilegiis pluribus id probat Sanctorus, imò etiam respectu Novitiorum, & habitum suscipientium, maximè *ex Clemente IV. Sixto IV. & Paulo III.* qui amplissimum privilegium dedit Societati Jesu, in quo communicamus. Unde dictus Sanctorus, non excipit nisi defectus corporis & animæ, nec non infamiam. Quid autem possimus respectu sæcularium, videnda sunt privilegia cujuslibet Religionis, & sic finio hunc tractatum de Censuris, & pœnis Ecclesiasticis.

TRA-

TRACTATUS VIII.
DE EXTREMA UNCTIONE.
PROOEMIUM.

AMaræ duæ ſequuntur ſpecies, Myrrha & Aloë : Amara conficiunt unguenta : & quidem olim dixit Philoſophus : *Omnium terribilium terribiliſſimum eſt mors.* ; quod impugnari poſſet, niſi etiam Sapiens lamentaretur Eccleſ. 41. *O mors quàm amara eſt memoria tua !* Verùm ut Juſtorum animas hoc amarum non tangat tormentum mortis, ex Myrrha confecit unguentum Pigmentarius noſter, *Unctionis Sacramentum*, quod promulgat D. Jacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* In quem finem ? ut athleta fortis evadat, mortis amaritudinem ſuperet, & immortalitatis prœmium conſequatur, nam ùt Gilbertus Anglicus Vir omninò inſignis & ſanctæ vitæ, ſerm. 36. ſupra hactenus citato, ait : *Hæ ſpecies, ea etiam, quæ per ſe corruptibilia ſunt, à corruptione illæſa ſervare noſcuntur, imputribilitatem conferunt, incorruptibilitatem non habentibus exhibent*, & ideò Myrrhâ etiam mortuorum corpora condiuntur, & ad hoc unguentum conficiendum Magi ab Oriente venientes & munera offerentes, Myrrham quoque præſentare voluerunt Cœleſti Unguentario. Sed quoniam per ſingulos tractatus Superiores in Prooemiis, metaphoram de Unguentario noſtro JESU Chriſto authoritate Gilberti Abbatis ùt

plurimùm confirmavi, operæ pretium esse duxi, ante Canones Concilii Tridentini, breviter insinuare, quis sit & fuerit ille Gilbertus: Is itaque fuit Cisterciensis Monachus, postmodùm Abbas Svvinshetensis, cognomento *Anglicus*, S. Bernardi Discipulus, melliflui spiritûs illius hæres, ac ab illo loco, *In lectulo meo quæsivi*, capitis 3. ubi ille scribere & vivere desiit, suavissimos sermones quadraginta octo, usque ad versum: *Dilectus meus candidus*, capitis 5. in Cantica continuavit: *In quo opere*, ait Joannes Pitseus, *stylum & Magistri spiritum ita sapit, ut si sine nomine opus reliquisset, ipsum sibi quodammodo Bernardi nomen imposuisset, omnesque Bernardum Authorem judicassent.* Unde non nemo elegantissimum hoc eidem inscripsit epigramma:

Ecquis Gilbertus Bernardo invidit, & uno
Tàm similes calamo credidit esse duos?
Mortuus ille fuit! Legi monumenta duorum,
Lactea, nec potui dicere scripsit uter.

Teste Pitseo & Bostono scripsit plures alios eósque elegantissimos libros, sed Tu accipe de Extrema Unctione Canones:

Canon I.

SI quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum, & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

Canon

Canon IV.

SI quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate Seniores in quavis Communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem: anathema sit.

DISPUTATIO UNICA.

DE Institutione, Essentia, Ministro, & Effectibus hujus Sacramenti.

SAcramentum hoc dicitur Extrema Unctio, *quia est ultima, quam homo acquirit ex pluribus ab Ecclesia usitatis, nam primam accipit fidelis Catholicus in Baptismate, secundam in Confirmatione, tertiam in Ordinatione Sacerdotis, quartam aliqui iterum in Ordinatione Episcopi in vertice, & finaliter quisquis ut Orthodoxus moritur ex infirmitate, ultimò accipit Unctionem hanc & Sacramentum morientium.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Extrema Unctio, & an sit Sacramentum propriè dictum?

I. Extrema Unctio definitur.



SCotus hic dist. 23. qu. unica definit hoc Sacramentum sic: *Extrema Unctio, est unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cùm intentione debita proferente, ex institutione Divina efficaciter significans curationem finalem venialium.*

Per ly *Unctio*, exprimitur materia proxima hujus Sacramenti, cujus remota est oleum Olivarum ab Episcopo benedictum. Dicitur *Hominis infirmi*, quia non sano, aut etiam qualitercunque infirmo, sed solùm extremè periclitanti debet ministrari. Dicitur *Pœnitentis*, quia nullus est capax hujus, nisi sit in gratia per Confessionem Sacramentalem, aut Contritionem, si est conscius de peccato mortali. Dicitur *In determinatis partibus*, videlicet in organis quinque sensuum. Dicitur *A Sacerdote*, quia solus iste est ordinarius Minister, *Verba proferente*, hoc est, formam, *Ex institutione Divina significantem curationem venialium* denotat, ejus institutionem esse à Christo, ejusque efficaciam & effectum. Si hæc descriptio videtur longa, describatur aliter, *Esse Sacramentum Unctionis, quâ mediante, & prolatâ formâ verbali, infirmus acquirit gratiam habitualem.* Et per hoc satisfactum est quoad primam partem Quæstionis. Quoad secundam, Waldenses jam olim & Albigenses negârunt hanc Unctionem esse Sacramentum, & nunc idem negant Lutherani & Calvinistæ. Attamen cum Ecclesia Catholica

Dico Primò: *Extrema Unctio est verum Sacramentum novæ Legis à Christo Domino institutum.* Ita Fides docet ex Florent. in Decreto Eugenii, & Trid. Sess. 14. c. 1. contra Hæret. II. Est verum novæ Legis Sacramentum.

Probatur Conclusio Primò: Ex Scriptura, & omissis aliis, ex illo Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei &c.* ubi omnia requisita ad propriè dictum Sacramentum exprimit, nam pro signo sensibili ponitur Unctio & Oratio: pro Ministro Presbyter, & prò effectu remissio peccatorum, quæ fit collatione gratiæ sanctificantis.

Nec obstat, quòd Hæretici dicant, hanc Epistolam esse stramineam, & nullô modô Canonicam, quia Patres & Concilia primitivæ Ecclesiæ eam semper inter Canonicas numerârunt.

Nec valet dicere: Hoc oleum tantùm commendari, eò quòd infirmos sanet à morbo corporali: Non valet, inquam: Quia Apostolus tribuit ipsi remissionem peccatorum.

III. Probatur Secundò: Ex diffinitione Ecclesiæ, & inprimis ex celebri testimonio Innoc. I. qui floruit Anno 402. *in Epist. ad Decentium c. 8.* ubi de hac Unctione exponit locum Jacobi: Eandem veritatem docuit *Innoc. III. in cap. un. de sacra Unctione*, ubi unctionem visibilem, de qua Jacobus locutus est, dicit, esse signum invisibilis unctionis interioris, atque adeò Sacramentum: & subdit, *quòd si dignè sumatur, vel agit, vel auget, quod designat*, id est, vel primam producit gratiam, si eam non invenit, vel auget illam. Item Martinus V. in Constitutione sua Constantiana, & habetur quoque in *cap. ad abolendum, de Hæreticis.*

Pontifices imitata sunt Concilia, nam Wormatiense cap. 27. verba Innocentii transscripsit. Cabilonense sub Carolo Magno & Leone III. circa Annum 813. celebratum cap. 48. eodem modô exponit locum Jacobi, & subdit: *Non itaque contemnenda est hujusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.* In Concilio verò Aquisgranensi II. sub Ludovico cap. 8. præcipitur Episcopis, ut in die Cœnæ oleum sanctum conficiant, quia in eo salvatio infirmorum esse creditur. Concilium Moguntinense, præsidente Rabano cap. 26. agens de infirmis; *Sacra*, inquit, *cum unctione Dei animati, secundùm statuta sanctorum Patrum Communione viatici reficiantur.* Expressiùs tandem traditur hæc veritas in Concil. Florent. in Decreto Eugenii. Trident. Sess. 14. in Doctrina & Canonibus de hoc Sacramento, ubi cap. 21. locum Jacobi eleganter exponit, dicitque eum sensum ex Apostolica Traditione per manus acceptum Ecclesiam didicisse. Attingens verò ibidem locum Marci 6. *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Solùm ait apud Marcum fuisse Sacramentum hoc insinuatum, ut intelligamus ex mente Concilii, non esse parem vim horum testimoniorum.

Probatur Tertiò: Ex Patribus D. Augustino lib. *de Rectitudine Catholicæ conversationis*, & *lib. 2. de visitatione infirmorum. cap. 4.* ubi de unctione loquens, de ea interpretatur locum D. Jacobi supra. & Serm. 215. de Tempore tom. 10. dicit: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi, ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo. Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum &c. Videte Fratres, quia in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* ergò Extrema Unctio est verum Sacramentum, quia ex D. Augustino per illam obtinetur indulgentia peccatorum. Divus Bernardus in vita Malachiæ Episcopi circa finem, refert illum in fine vitæ hoc Sacramentum postulâsse. Et antecedenter longis temporibus D. Dionysius lib. 7. de Ecclesiastica Hierarchia parte 3. in fine de hoc Sacramento loquens dicit: *Idcircò Sanctorum sacra unctio Divinas* IV.

participationes largitur utrique, animæ quidem in vera eorum, quæ ignorantur, scientia; corpori verò per sacratissimum unguentum, & per Divinæ Communionis augustissima signa totum sanctificans hominem, integramque ipsius salutem operans, & resurrectionem denuntians. In quibus verbis loquitur de speciali unctione infirmorum adhuc viventium, nam planè significat dari homini ad sanctificationem totius, & animæ profectum, licèt in corpore fiat; undè illi satis clarè tribuit Sacramentalem efficaciam, illamque cum Communione conjungens declarat illam esse unctionem vivorum, & esse verum Sacramentum. Idem affirmat Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio. Cyrillus Hierosolymit. Beda & alii Patres.*

§. V. Congruentiæ pro Extrema Unctione.

Probatur Quartò ex Congruentiis: Primò: Quia possibile est, DEUM finaliter dimittere venialia, confortare hominem, sanare infirmos, augere gratiam: ergò possibile est ipsi, instituere signum efficax illorum effectuum. Probatur consequ: Quia possibile est, hominem instituere signum efficax practicum cujuscunque operis sui: ergò multò fortiùs est DEO possibile, atque ita quodcunque signum sensibile, cujus institutio non includit contradictionem, instituere potest, tanquam signum practicum efficax istorum effectuum.

Propter venialia delenda.

Secundò: Quia congruum est recessurum ab hac vita finaliter à venialibus absolvi, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ. Nam licèt venialia stent cum gratia, nôn tamen stant cum gloria, si enim quis moreretur in peccato veniali, nunquam beatus esset, nisi prius deletum esset illud peccatum veniale.

Ob tentationes majores.

Tertiò: Ubi major est necessitas, major requiritur DEI gratia, atqui in extremo vitæ periculo major est necessitas, ergò major requiritur gratia, vel assistentia & beneficium divinum. Probatur Minor. Quia in articulo mortis natura contremiscit, incertitudo futuri status terret, & Sathan acriùs tentat, sed istæ sunt majores necessitates, quàm aliis vitæ temporibus, ergò. Sed in contra

VI. Unctio à Jacobo prædicata est, alia ab Apostolis, Marci 6. adhibita.

Arguitur Primò: Si hæc Unctio esset Sacramentum à Christo institutum, deberet aliqua mentio institutionis ejus reperire in Evangelio, aut Scriptura. Sed non reperitur, ergò. Probatur Minor. Si alicubi maximè apud Jacobum, sed ille non refert de alia unctione, quàm illa, quâ utebantur Apostoli, Marci 6. quæ non est Sacramentum, ergò.

Confirmatur: Quodlibet Sacramentum habet ex institutione Christi suum effectum infallibiliter ex opere operato in subjecto disposito causare, sed hæc unctio hæc non facit, ergò. Probatur Minor. Unus ex effectibus ipsius est sanitas corporalis infirmi, sed hanc non semper tribuit secundùm omnes, ergò.

Respond. Negando Min. ejusque Probationis Minorem. Nam cùm ipse dicat, unctionem valere ad liberandum infirmum à peccatis, quam virtutem non potest habere, nisi ex institutione Christi, & non habuit illa altera unctio, quæ solùm deserviebat principaliter ad sanandos infirmos à morbis corporalibus, & eos disponendos, ut crederent Doctrinæ Christi, & eam amplecterentur, constat illas unctiones esse diversas, hæc tamen unctio habet aliquam proportionem cum illa Marci 6. quatenus subindè curat infirmitatem corporalem, sicut illa, hinc fortassis hæc unctio dicitur à Tridentino fuisse insinuata à Marco, & promulgata per Jacobum.

Ad Confirmationem Neg. Minorem, cujus probationis Minorem distinguo: Quando Institutori Sacramenti non videtur expedire, ut tribuatur iste effectus; Conc: Minor Quando videt expedire, nego Minorem & Consequentiam, quia restitutio sanitatis non est intenta, nisi quando expedit infirmo, non semper autem expedit ipsi, sed aliquandò. Et

do. Et quamvis Sanctus Jacobus dicat absolutè, quòd alleviabitur infirmus, id intelligendum est cum illa conditione, si expediat, ùt expresfè docet Tridentinum Sess. 14. c. 2.

VII. Arguitur Secundò: Non sunt multiplicanda Sacramenta, nisi in necessariis aliquomodo ad salutem, sed hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem, ergò. Probatur Minor: Quia supponit hominem in gratia. Respond. Neg. Majorem: Quia Medicus bonus non tantùm debet administrare, quæ sunt necessaria ad sanitatem infirmi, sed etiam, quæ eandem accelerant, & juvant contra omnia pericula. Sic Christus non tantùm, quæ ad salutem animæ necessaria sunt, nobis providit, sed etiam, quæ ad eam juvant, & confortant contra tentationes Diaboli in ultimo agone & molestiis infirmitatum, uti facit hoc Sacramentum.

Arguitur Tertiò: Apostolus monet inungi quoslibet infirmos, sed Ecclesia inungit moribundos solos, & periculosè laborantes, ergò in hoc facit contra mentem Apostoli. Respond. Apostolum non velle eam promiscuè exhibere infirmis, sed solummodò juxta mentem & institutionem Christi, de qua ex Conciliis, & continuâ traditione Ecclesiæ nobis sufficienter constat; undè meritò hæc vocatur quoque *Extrema Unctio*, eò quòd non nisi extremè laborantibus conferatur.

VIII. Aliter ungebant Valentiniani, aliter Catholici.

Arguitur Quartò: Ritum ungendi desumptum fuisse partim ab Hæreticis Valentinianis, partim ab Ethnicis, de quibus agit Irenæus lib. 1. c. 18. Respondetur: Diversos esse ritus, nam Valentiniani ungebant jam defunctos, ùt constat ex Epiphanio, Hæresi 37. & ungebant oleò aquâ permixtò, ut esset illa unctio loco Baptismi, nos autem separamus hanc unctionem à Baptismo, nec miscemus aquam cum oleo.

IX. Extrema Unctio est à Christo instituta.

Dico Secundò: *Sacramentum Extremæ Unctionis est à Christo Domino immediatè institutum.* Ita Scholastici communiter, D. Thomas, Scotus, Paludanus, Gabriel, & alii, estq; definitum in Concilio Tridentino, cujus authoritate

Probatur Primò: Nam Sess. 14. cap. 1. de hoc Sacramento ita loquitur: *Instituta autem est Sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum verò Apostolum & Domini Fratrem, fidelibus promulgatum.* Et Canone I. dicitur: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, &c. anathema sit.* ut supra.

Probatur Secundò ratione: Quia si ab alio, quàm à Christo Domino fuisset institutum, maximè ab Apostolo Jacobo, sed hoc non est, cur dicatur, quia licèt ipse solus illius fecerit mentionem, potuit autem loqui, non ùt Author Sacramenti, sed ùt Præco, Prædicator, & Doctor, aut Promulgator, ùt dicit Scotus ad Primum.

X. Extrema Unctio non fuit instituta Marci 6.

Cœterùm: Quò determinatò tempore fuerit hoc Sacramentum institutum à Christo controvertitur: aliqui enim putant, fuisse institutum ante Passionem Domini, dum Marci 6. misisset Apostolos ad prædicandum, cum potestate ejiciendi Dæmonia, & sanandi infirmos, per Sacram Olei Unctionem; sed probabilius alii dicunt, fuisse tunc tantùm insinuatum eò modò, quò dicitur, Baptismum Christi fuisse insinuatum in Baptismo Joannis, quia hic fuit umbra & figura illius; Ratio est, quia Apostoli non erant tunc instituti Sacerdotes, sed primò in Cœna Domini, adeóque nec erant tunc idonei Ministri hujus Sacramenti, & quamvis potuerit Christus etiam per non Sacerdotes Sacramenta conferre, tamen non est probabile, hoc eum fecisse in aliis Sacramentis magis necessariis, ut est Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ergò multò minùs in Sacramento Unctionis.

Confirmatur: Quia tunc Apostoli promiscuè ungebant quoslibet ægrotos, cœcos & claudos, baptizatos

zatos & non baptizatos, sed Sacramentum Unctionis non datur, nisi iis, qui decumbunt cum periculo vitæ, & solis baptizatis, ergò.

Nec obstat, quòd Cornelio Centurioni fuerit data gratia Confirmationis ante Baptismum, ùt habetur, Act. 10. nam non accepit Sacramentum Confirmationis, ante Baptismum, licèt benè effectum Sacramenti DEO hâc in re dispensante.

XI. Extrema Unctio fuit instituta, sicut post resurrectionem, Joan. 20.

Dico Tertiò: *Hoc Sacramentum non fuit plenè institutum ante Resurrectionem Domini nostri JESU Christi; benè tamen perfectè consummatum ante Ascensionem ejusdem, & probabiliter quidem Joannis 20.* Probatur prima pars: Nam ante ascensionem suam Christus Dominus perfectè fundavit Ecclesiam, ergò etiam ante priùs perfectè instituit omnia Sacramenta. Probatur Conseq. Quia congruebat, ùt priusquam Christus ad gloriam conscenderet, nos plenè instrueret, & media institueret, per quæ nos ad ascendendum cum illo disponeremur.

Probatur secunda pars: Nam Joannis 20. acceperunt Apostoli potestatem remittendi peccata, factiq; sunt Ministri Sacramenti Pœnitentiæ, tunc enim & ipsum Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, ùt docet Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. Can. 6. & 10. Sess. 6. cap 14. & Sess. 23. cap. 4. ergò etiam tunc acceperunt potestatem remittendi reliquias peccatorum, factique sunt Ministri Extremæ Unctionis, atque adeò ipsum Sacramentum Extremæ Unctionis plenè institutum est.

Confirmatur Primò: Quia Tridentinum Sess. 14. in Procemio dicit, extremam unctionem vocari à Patribus consummationem Pœnitentiæ.

Confirmatur Secundò: Quia Patres Chrysost. Cyrill. August. Hieron. ùt citat eos Bellarminus, docent, vel saltem insinuant Apostolos fuisse Joannis 20. institutos Ministros trium Sacramentorum, quæ ordinantur contra peccata, scilicet Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.

Dices cum Joanne Eckio, non videri absurdum, si quis sentiret, Sacramentum istud à Jacobo Apostolo fuisse institutum: ergò. Respondetur neg: antec: Nam cum Extrema Unctio sit verum Sacramentum vim habens conferendi gratiam, non nisi ab ipso Christo, ut authore gratiæ potuit institui.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia & Forma hujus Sacramenti.

DIco Primò: *Materia remota hujus Sacramenti est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, proxima verò ipsa Unctio.* Prima Pars definitur à Florent. in Decreto Eugenii. *Quintum,* inquit, *Sacramentum est Extrema Unctio, hujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum.* Trid. Sess. 14. c. 1. Colligitur ex illo Jacobi 5. *Ungentes eum oleo,* per quod oleum ex communi sensu Ecclesiæ intelligitur Oleum Olivarum, quod simpliciter est oleum usuale, sicut per aquam, quæ dicitur materia Baptismi, intelligitur naturalis. Accedit, quòd Sancti Patres soli oleo olivarum attribuant hanc proportionem ad significandum scilicet nitorem conscientiæ, ad quem ordinatur hoc Sacramentum, tanquam Pœnitentiæ, & totius vitæ Christianæ complementum. I. Materia remota extremæ Unctionis est oleum.

Secundùm tamen probabilem sententiam non impediret tamen validitatem hujus materiæ, si aliquid balsami admisceatur oleo in parva quantitate, nam adhuc esset oleum, sicut admixtio aquæ non impedit, quominus vinum, cui admiscetur, sit valida materia sanguinis, ita nec admixtio balsami. II. Nihil impediret, si quid balsami admisceretur.

Secunda Pars constat iisdem rationibus, quibus in materia de baptismo, aut confirmatione ostenditur, ablutionem & unctionem esse materiam proximam.

Arguitur: Sanctus Jacobus non facit mentionem hujusmodi benedictionis ab Episcopo, ergò non est necessa- III. Ex traditione habetur oleum debere esse benedictū.

cessaria. Confirmatur: In Ecclesia Græca ex antiqua consuetudine Presbyteri consecrabant hoc oleum, & Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos datâ Anno 1595. dicit, Grecos Sacerdotes non esse cogendos accipere olea benedicta ab Episcopis Latinis, cum ejusmodi olea ab eismet ex veteri ritu consecrentur & benedicantur. Resp. Quamvis Apostolus non fecerit expressam mentionem, sufficere, quòd traditio & praxis Ecclesiæ dicat, oleum debere benedici ab Episcopo, vel ex commissione ejus à Sacerdote, quia Minister ordinarius hujus benedictionis est Episcopus, extra-ordinarius, & ex delegatione Sacerdos, sicut dicitur communiter de benedictione Chrysmatis in Confirmatione.

IV. Forma Extremæ Unctionis.

Dico Secundò: *Forma est hæc, vel æquivalens; per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid per visum deliquisti, repetendo eadem verba supra singulos sensus juxta cujuslibet naturam & nomen.* Ita præfata Concilia, & patet ex continua praxi Ecclesiæ, quæ circa materiam & formam non potest errare.

Dixi: *Æquivalens*, nam Ecclesia Græca utitur aliâ formâ, quæ est hæc: *Pater Sancte, Medice animarum & corporum, qui misisti Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum JESUM Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem, sana quoque hunc servum tuum à corporali, spiritualique infirmitate, qua continetur, in nomine Patris, & Filii &c.*

Similiter forma Ambrosiana ejus tempore in Ecclesia Mediolanensi usitata sic habet: *Ungo te oleo sanctificato, ut more militis uncti ad certamen præparatus aëreas possis superare potestates, in nomine Patris &c.* Similem formam habet Rituale Venetum à Leone X. approbatum, videlicet: *Ungo te oleo sancto, ut hâc Unctione protectus fortiter stare valeas adversus aëreas catervas, in nomine Patris &c.*

Deindè non ungebant in iisdem partibus, in quibus Ecclesia Latina, neque dum ungerent, sensus specificabant. Hæc tamen verba in sensu tantùm substantiali, quo significatur effectus, & materia proxima Sacramenti conveniunt, quod signum est, cœtera non esse de essentia.

V. Forma deprecativa & indicativa sunt in substantiali significato æquivalentes.

Arguitur cum Thomistis, qui dicunt formam Venetam & Ambrosianam non esse æquivalentem, aut sufficientem: Forma deprecativa & indicativa non sunt æquivalentes, sed forma Ecclesiæ Romanæ est deprecativa, ùt patet ex terminis suprà dictis, & illæ aliæ non, sed indicativæ, ergò non sunt æquivalentes. Confirmatur Florentinum & Tridentinum, assignant formam deprecativam, ergò indicativa non sufficit. Respond. dist: maj: quantum ad sensum Grammaticalem, conc: maj: quantum ad sensum substantialem, quem intendit Christus, neg: Maj: & Consequen: Quia ad sensum substantialem sufficit, ut exprimatur ad summum efficacia Sacramenti, materia proxima & effectus ejus, quæ in prædictis formis explicantur æquè ac in Latina Romana. Imò magis difficilè videtur, quòd forma deprecatoria, infallibiliter & ex opere operato significaret practicè effectum hujus Sacramenti, nempè gratiam habitualem, & remissionem venialium, quàm forma indicativa.

Ad Confirm: neg: Conseq: Quia licèt Concilia proposuerint formam, quæ in usu Ecclesiæ Romanæ, non voluerunt præjudicare per hoc ritibus aliarum Ecclesiarum: nam sicut in materia proxima hujus Sacramenti, quantum ad Unctionem indeterminatis partibus, ex diverso ritu Ecclesiarum admittuntur aliquæ unctiones, quæ fiunt in Ecclesia Romana, non esse essentiales de necessitate Sacramenti, ita ex eodem motivo non debemus præjudicare Ecclesiæ Ambrosianæ & Venetæ, quæ utuntur formâ indicativâ, maximè cùm illud Rituale Venetum fuerit

fuerit à Leone X. Summo Pontifice approbatum.

VI. Ritus Extremæ Unctionis. Cœterùm: Ritum communem Ecclesiæ Romanæ tradit in terminis Florentinum dicens: *Hoc Sacramentum non debet dari, nisi Infirmo, de cujus morte timetur, qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum & locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; & in renibus propter delectationem veneream ibi magis dominantem.*

Hæc Ultima unctio propter honestatem omittitur in fœminis, & ejus loco ungitur pectus, quod in Ecclesia Herbipolensi observari scribit Nicolaus Serarius, etiam quoad viros, sed dubitatur, an omnes istæ unctiones præter ultimam sint necessariæ de essentia Sacramenti?

Dico Tertiò: *Non est de essentia Sacramenti Extremæ Unctionis facere omnes illas Unctiones; sed sufficit unam partem ungere, faciendo tamen in forma mentionem quinque sensuum, vel nullius, præsertim tempore necessitatis.*

VII. Non est de essentia Sacramenti facere omnes unctiones à Florentino præscriptas. Probatur hoc ex praxi Ecclesiæ Mechlinensis in Belgio, approbata ex facultate Theologica Lovaniensi Anno 1588. & confirmata à Nuncio Apostolico. Item ex Pastorali Passaviensi capite 11. ubi expressè dicitur: *In morbis contagiosis & Peste grassante, ut periculum vitetur, sufficiat unius organum sensûs, magis ad unctionem expositum & detectum dicendo: Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Reliquæ preces præmittendæ vel subjungendæ sunt in Ecclesia coram Venerabili. Ratio etiam suffragatur, quia si casus necessitatis excusat ab integritate materiali Confessionis, quantò magis ab integritate harum unctionum; si in baptismo ad valorem Sacramenti sufficit una vel trina immersio, cur non una, aut plures unctiones? Si praxis Græcorum non adhibet omnes illas unctiones, & toleratur ab Ecclesia Romana, ut quid ultra nos urgemur ex necessitate.

Deindè Florentinum eodem modo requirit unctionem in renibus, ac in reliquis partibus corporis, sed constat, hanc posse & debere intermitti in mulieribus sine ulla jactura Sacramenti, ergò similiter in casu necessitatis aliæ unctiones, observanda tamen est praxis Ecclesiarum cujuscunque Diœcesis, & maximè in Ecclesia Romana, quantùm fieri potest. Quinque ad minus sensus corporis inungendi sunt, ad quod faciendum citra gravem necessitatem tenentur Sacerdotes, tempore autem necessitatis sufficit omninò una unctio, hinc

Dixi, in Conclusione mentionem fieri debere *quinque sensuum, vel nullius*, quia forma Ecclesiæ Græcæ, Ambrosiana, & Veneta nullius sensûs specialis sensûs, & tamen valet. Nec D. Jacobus facit mentionem de pluribus unctionibus, sed tantùm dicit *Ungentes*, sicut Christus dixit Baptizantes.

Dices: Ergò in praxi erit Parocho licitum administrare Extremam Unctionem, mediante unicâ unctione. Respond. tempore necessitatis gravissimæ, ùt est pestis, contagionis &c. omninò licere, & aliàs etiam valiturum, nisi prohiberetur ab Episcopo, & Pontifice Summo in suis Ritualibus.

Instabis, ergò similiter conficeretur hoc Sacramentum validè mediante unicâ unctione, & formâ, in qua fieret mentio de unico sensu, seclusis reliquis, maximè cùm in isto unico sensu sit tota anima, quæ est causa principalis peccati. VIII. Unum sensum inungi non sufficit, benè tamen una unctio. Respondeo cum Pontio, quidquid dicant alii, neg: Conseq: quia tali modò non sufficienter forma significaret effectum, ad quem conferendum Sacramentum hoc institutum est, qui est gratia, quâ condonantur peccata quinque sensuum, prout illa peccata originem ducunt ab illis, tanquam ab instrumentis: videtur illum effe-

ctum per unctionem solius visûs in sua particulari forma non significari sufficienter, adeóque formam esse insufficientem. Si tamen in forma non exprimeretur ullus sensus expressè, ùt suprà dixi, sufficeret, quia tunc sufficienter significaretur totus effectus.

IX. Non est opus, ut geminatum organum inungatur. Ulteriùs communiter docetur, non requiri, ùt organum geminatum utrumque inungatur, v. g. uterque oculus, aut utraque auris; nec esse observandum ordinem à Florentino descriptum, nempè ut priùs inungatur oculus, quàm nares, sed posse à quolibet sensu inchoari & finiri; neque esse necessarium ad valorem Sacramenti, ut sensus infirmi in modum crucis inungatur; Neq; secundùm multos, ut unctio fiat immediatè manû Sacerdotis, sed sufficere, mediante virgâ ligneâ, vel argenteâ ungat à longè infirmum, quem ritum, ait Amicus, observari in Belgio tempore pestis, sed hæc citra extremam necessitatem non sunt in praxi exercenda.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro hujus Sacramenti.

I. Minister Unctionis est Sacerdos. Dico Primò: *Solus Sacerdos ritè ordinatus est Minister necessarius hujus Sacramenti.* Est communis inter Catholicos, & definitur à Tridentino Seff. 14. c. 3. Can. 4. Ex illo Jacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ubi explicat per Presbyteros Ecclesiæ non esse intelligendos Seniores populi, sed officio & dignitate alios præcellentes, ait enim: *Eo nomine non ætate Seniores, aut Primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab iis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyteri.* Probatur etiam ratione congruentiæ, nam Patres & Concilia docent, hoc Sacramentum esse Pœnitentiæ consummativum, ergò congruit, ut ille sit idem Minister hujus Sacramenti, qui est Pœnitentiæ, & idem dicat super Pœnitentem deprecatoriè, *Indulgeat tibi DEUS*, qui ut Judex antecedenter authoritativè dixerat, *Absolvo te.*

Dices Primò: Apostoli Marci 6. ungebant, & tamen tunc nondum erant Sacerdotes, ergò etiam laici unctionem præstare possunt. Respond. Apostolos tunc non unxisse infirmos sacramentaliter, sed in sensu morali medicinaliter, præcisè ad salutem corporaliter.

Dices Secundò: Ob summam necessitatem & mortis periculum laici possunt baptizare, ergò etiam ob mortis periculum laici possunt extremam unctionem præstare. Respond. dist: ant: ob necessitatem & ob Sacramentum necessitatis concedo ant: ob mortis periculum præcisè nego ant: Extrema autem Unctio est tantùm Sacramentum utilitatis. Sed contra Conclusionem adhuc

Arguitur: Innocentius I. in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum dicit: *Non solùm Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis licitum esse uti hâc unctione in sui ac suorum necessitate.* ergò non est solius Sacerdotis eam administrare. II. Propter hanc authoritatem Thom. Waldensis putavit, posse Laicum in absentia Sacerdotis hoc Sacramentum administrare; Sed Respond. neg. Consequ: Quia verba Pontificis non sunt intelligenda de usu activo, sed passivo, nam imprimis dicit, licitum esse omnibus Christianis uti, quod utique passivum est: Deindè explicans verba D. Jacobi, ita scribit: *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrysmatis perungi possunt, ubi accipi, & perungi* potius significant passionem, quàm actionem vel administrationem.

De Ministro tria adhuc resolvenda sunt dubia in hac Quæstione: Primum est, An plures Sacerdotes possint simùl, vel successivè administrare hoc Sacramentum? Secundò, An à quolibet Sacerdote possit licitè? Et tertium est de obligatione pro-

proprii Parochi quoad primum. Triplex potest esse sensus. Primò, ut unus solam formam proferat, & alter inungat: Secundò, ut, dum unus inungit unum sensum proferendo simul formam, alter alterum sensum inungat, & formam ei competentem proferat: Tertiò, ut, dum unus unum sensum inungit, alter non quidem simul, sed successivè alium sensum inungat, aliámque proferat partialem formam.

III. Unctionem potest conferri à pluribus, quorum unus ungat, & alter formam dicat.

Dico Secundò. *Hoc Sacramentum non potest à pluribus Sacerdotibus conferri, ita unus solam proferat formam, & alter inungat.* Est certa.

Probatur à pari: Quia non valet baptismus, si ab uno ablueretur infans, & ab altero forma proferatur; ergò nec valet extrema Unctio, Probat. conseq. Quia Sacramenta, quæ in ipsa actione Ministri consistunt, debent determinari per verba ab ipsomet prolata: unde Apostolus ait: *Orent super eum ungentes eum oleò*: ubi ostendit, eundem debere inungere, & orando formam proferre.

IV. Bene si quilibet sensum unum ungat & formam convenientem proferat.

Dico Tertiò. *In secundo, & tertio sensu possunt in casu necessitatis plures Sacerdotes simul aut successivè hoc Sacramentum administrare.*

Probatur per exemplum: In infirmo extremè laborante, cujus mors evidenter timetur futura, antequam omnes unctiones ab uno Sacerdote possunt absolvi, tunc potest alius Sacerdos ipsum in aliquibus unctionibus adjuvare, ungendo diversas partes, modò secundùm exigentiam partium formas proferant. Deinde casu, quo Sacerdos post adhibitam unam vel alteram unctionem moribundo, incidat in deliquium, vel tangatur appoplexia, potest tunc alter Sacerdos præsens reliquas unctiones adhibere, non repetendo priores formas antecedenter prolatas, sicut in Ordinatione & Consecratione admittitur communiter. Talis tamen modus non potest licitè practicari, nisi in extrema necessitate, cùm sit contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Nunc ad secundum dubium.

V. Minister unctionis debet esse proprius Parochus.

Dico Quartò. *Licèt quilibet Sacerdos ritè ordinatus validè possit conferre hoc Sacramentum, attamen ut licitè etiam conferat, necessarium est; ut sit proprius ægroti Parochus aut ab illo potestatem habens.*

Prima pars Probatur. Quia Sacramentum hoc non pendet quoad substantiam, nisi ex potestate ordinis sacerdotalis, sed hanc plenam habet quilibet simplex sacerdos, ut de fide certum est. Probatur Antec. Quia hoc Sacramentum non confertur per modum judicii, sed per modum cujusdam sanctificationis, & pro medicina: ergò per se & essentialiter non requirit potestatem jurisdictionis, sed solam potestatem ordinis. Patet Conseq. Quia præter has duas potestates non potest fingi alia potestas vel conditio simpliciter necessaria.

Probatur secunda Pars. Ex Clementina I. de privilegiis, ubi generatim omnibus Sacerdotibus interdictum est, sub excommunicatione, nè quis administret hoc Sacramentum, aut Eucharistiam, aut Matrimonium, aut Absolutionem ei, qui non sit suus subditus proprius, sine legitima ad id facultate per privilegium Sedis Apostolicæ aut licentiam Parochi. Unde Sotus, & post ipsum Valentia existimant, Sacerdotem quemcunque sinè facultate hoc Sacramentum administrantem incurrere excommunicationem majorem ipsô factô, nam judicant, illam Clementinam loqui universaliter de omnibus Sacerdotibus non Parochis, Clementinam verò *Dudùm. de Sepulturis.* loqui specialiter de Religiosis. Sed licèt hæc posterior Clementina de solis Religiosis loquatur, non tamen de hoc Sacramento, nisi fortasse negativè, quia illius usum non concedit specialiter Religiosis; positivè tamen non prohibet, nec propter hoc aliquam pœnam statuit. In Prima verò Clementina sine omni dubio non universaliter de simplicibus Sacerdotibus, sed

sed tantùm de Religiosis est sermo, nec licet à similitudine rationis in materia pœnali argumentum sumere, quare illa Clementina comprehendit præcisè Religiosos respectu sæcularium, non verò respectu Regularium inter se: nam textus limitatè loquitur, ut Doctores annotârunt: Simplex ergò Sacerdos sæcularis non Parochus non potest licitè hoc Sacramentum ministrare sinè licentia Parochi, quia hoc est officium Pastoris, quod usurpare propria authoritate, in materia adeò gravi, grave est peccatum, cœterùm si hoc facit, censuram excommunicationis non incurrit. Regularis verò si absquè licentia Parochi hoc Sacramentum administret & peccat graviter, & ipsô factô est excommunicatus; Excipe tamen casum extremæ necessitatis, quando vel Parochus abest, vel absolutè non vult administrare hoc Sacramentum, ùt docet Sotus & Cajetanus. Quia in Ecclesia in tali casu non censetur hoc velle prohibere, aut Parochi malitiæ patrocinari, & Pontifex non intendit prohibere, quod est institutum ad fidelium solatium.

Tertium Dubium ratione Ministri est, An sub præcepto teneatur Parochus per se, vel per alium hoc Sacramentum suis subditis administrare, præsertim tempore pestis?

VI. Parochi tenentur suis subditis administrare hoc Sacramentum.

Dico Quintò. *Parochi & Superiores tenentur ad hoc Sacramentum per se, vel per alios suis subditis administrare.*

Probatur. Quia sunt ordinarii Ministri hujus Sacramenti, eisque ex officio incumbit subditis in tali articulo providere, nam in ordine ad hoc officium, & beneficium, ac stipendia à subditis accipiunt: Unde Catechismus Romanus ait: gravissimè peccare non solùm negligentes hoc Sacramentum administrare, sed etiam qui opportuno tempore, quando infirmus est sui compos, illud non administrant.

VII. Non tenetur cum manifesto vitæ periculo.

Dico Sextò. *Probabiliùs est, quod Parochus per se loquendo, non teneatur ad hoc Sacramentum administrandum Infirmis, cum aperto vitæ periculo.* Ita Armilla, Tabiena, Suaretz, & alii apud Amicum. Et hæc Conclusio maximè vera est, si probabiliter sciat, ipsos esse in statu gratiæ, ut si in ipsa infirmitate, vel paulò ante audivit confessionem Infirmi, vel alteri confitentem vidit, & probabiliter ex statu ipsius colligit, eum postea non peccâsse mortaliter, quia licèt in tali casu hoc Sacramentum sit valdè utile Infirmo, non est tamen ipsi specialiter necessarium, nec tenetur Parochus pro utilitate tantùm spirituali Infirmi exponere se manifesto vitæ periculo.

VIII. Si verò infirmus per unctionem ad statum gratiæ poneretur, teneretur.

Si verò Infirmus non fuit à longo tempore confessus, aut vero simile scit ipsum post confessionem mortaliter peccâsse, sitque in tali statu, in quo confiteri non possit, nec confessionem antea petierit, tunc tenent aliqui, Parochum obligari etiam cum periculo vitæ ad ministrandum hoc Sacramentum, cùm tunc non solùm sit utile, sed etiam necessarium ad salutem, suppono, quòd habeat virtutem non solùm per se remittendi venialia, sed etiam per accidens mortale, quod tunc supponitur inesse, modò Infirmus habeat attritionem, nec deniquè certum sit, quod hoc Sacramentum etiam per accidens possit remittere mortalia, non videtur teneri Parochum exponere se tali periculo manifesto: imò addit Præpositus, si Parochus sit valdè necessarius populo, ita ut ex ipsius morte immineat grave damnum spirituale Communitati, ratione perversionis in fide, tunc non teneri, quia grave damnum spirituale Communitatis præponderat damno unius.

Dices: Tenentur Parochi tempore Pestis administrare suis subditis Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ etiam cum periculo vitæ, ergò & hoc Sacramentum: Respond. neg. conseq. Disparitas est, quòd Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ sint necessaria infirmo necessitate medii, aut præcepti, Sacramentum

mentum verò extremæ Unctionis per se loquendo nec uno, nec altero modo sit necessarium.

QUÆSTIO QUARTA.

De Effectibus hujus Sacramenti.

I. Plures effectus Extremæ Unctionis referuntur. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. multiplicem effectum hujus Sacramenti enumerat, dicens, *Unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda & labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Porro Florentinum ad duos reducit omnes, docens, quod *Effectus* sacræ Unctionis *est mentis sanatio, & in quantum expedit etiam ipsius corporis*, ita quod unum spiritualem, & alterum ponat corporalem. Authores ex D. Jacobi textu supra allegata tres ponunt passim, qui sunt, Alleviare infirmum per auxilia gratiæ specialia ad superandas tentationes, & habendam fiduciam Misericordiæ divinæ: Alter est salvare infirmum, hoc est, liberare illum ab infirmitate corporali, scilicet quando ei expedit. Et tertius est, remittere peccata, si insint.

De his tribus effectibus quæritur quisnam ex illis sit principalis, & ad quem conferendum sit principaliter institutum, in quantum est determinatum hoc Sacramentum ab aliis distinctum, nam effectus primarius hujus Sacramenti, ut continet rationem Sacramenti communem, non est aliquis ex istis, sed gratia habitualis vel aliquod ejus augmentum.

II. Variæ opiniones, effectum primarium Unctionis. D. Thomas, ejusque aliquot Asseclæ existimant circa hoc Sacramentum esse institutũ ad tollendas reliquias peccatorum, per quas aliqui intelligunt peccata sive mortalia, sive venialia, quæ non sunt remissa per alia Sacramenta, ita Bellarminus, quem sequitur Amicus. Alii intelligunt reatum pœnæ temporalis, ut Valentia. Alii pravos habitus, promptitudinem ad peccandum, torporem & difficultatem benè operandi. Suares opinatur, primarium hujus effectum consistere in quibusdam specialibus auxiliis ordinatis ad roborandum animum Infirmi, contra in articulo mortis occurentes; Secundarium verò in remissione omnis culpæ tam mortalis, quàm venialis. Ad Dubium & ad Quæstionem Respondeo, &

III. Tres effectus sunt principales. **Dico Primò.** *Effectus principalis Unctionis, ut habet rationem hujus determinati Sacramenti, est liberare à venalibus, alleviare Infirmum, & curare infirmitatem Infirmi, si sit expediens, ita ut quilibet ex his sit principalis, licèt inadæquatus effectus ejus.* Ita Pontius contra præfatos, quorum aliqui dicunt unum ex illis esse effectum principalem solum, alii alios.

Probatur. Ille debet censeri effectus principalis, ad quem conferendum est directè institutum, sed hoc Sacramentum est directè & per se institutum, ut conferat illos tres effectus, ergò illi tres sunt effectus totales & principales ejus, ac consequenter quilibet ex illis seorsim est principalis partialis. Prob. min. ex illo loco Jacobi, ex quo colligitur institutio hujus Sacramenti à Christo facta, ubi omnes illi effectus attribuuntur ipsi, nec ponitur aliquod discrimen, ex quo colligeretur, quòd unus magis, quàm alius esset effectus principalis. Nec potest ostendi, cur quilibet ex illis effectibus non sit intentus ex primaria intentione, cùm certum sit, quemlibet sic posse intendi.

IV. Aliquando unus, aliquando alter intenditur. Verum est, quòd in aliquo eventu potiùs unus deberet primariò intendi, in alio alius, & in alio denique Tertius: nam quando expedit infirmo sanitatem habere, ut meliùs disponat se ad finem ultimũ, & acquirat cumulum illum meritorum, qui requiritur ad tantam gloriam, ad quam est prædestinatus,

vel

vel ut Ecclesiæ multùm profit doctrinâ, aut exemplo, potiùs conveniret DEO intendere conferre sanitatem illi, quàm remittere ipsi venialia, aut dare gratiam alleviationis, id enim longè meliùs esset illi, & magis conduceret ad finem, ad quem vult ipsum Deus perducere, quando tamen non expedit ipsi habere sanitatem corporis, magis congruit Divinæ bonitati, & multò meliùs est ipsi Infirmo remittere peccata & alleviare ipsum, quàm conferre sanitatem; Quando verò est in statu tam malo, ut amittat usum sensuum, cùm gratia alleviationis nihil ipsi conducat, meliùs est liberari à peccato, & potiùs id videtur Deus intendere.

V. Deniquè quando haberet usum sensuum, & Diabolus ipsum tentaret ad desperandum, vel ad incidendum in alia impedimenta salutis, magis expediret illi, & id videtur potiùs Deum magis principaliter intendere, conferre gratiam alleviationis mediante hoc Sacramento, quò confortaretur ad superandas illas tentationes, quàm remittere ipsi peccata venialia, ergò dicendum est, quòd Deus ex intentione principali intendat conferre omnes illos effectus per hoc Sacramentum, si non simul in casu omni, saltem in uno unum, in alio alterum, & sic de tertio, quod sufficit ad veritatem Conclusionis. Contra primam partem.

VI. *Causæ, ob quas Unctio aliquando citius administranda.* Arguitur Primò. Si remissio venialium esset effectus principalis hujus Sacramenti, non deberet unquam conferri, nisi in extremo vitæ periculo, & quando est Infirmus destitutus omnibus sensibus, quia si citiùs administraretur, posset adhuc incidere in venialia, contra quæ non haberet remedium. Respond. neg. Seq. Quia quamvis id esset fortassis probabile, si remissio venialium esset solus effectus principalis hujus Sacramenti, cùm tamen iste non sit solus effectus, argumentum nullam habet apparentiam: quia in ordine ad alios effectus melius est, cùm commodè potest, ut citiùs administretur, dum Infirmus est sui compos, ut sic citiùs vel restituatur sanitati, si ita magis expedit, vel allevietur contra tentationes Diaboli, quæ maximè tunc occurrunt.

Dices. Peccata venialia remittuntur per pœnitentiam, ergò eorum remissio non potest esse effectus hujus Sacramenti. Respond. dist. ant. Quando submittuntur Clavibus, conc. ant. quando non, neg. ant. & conseq. Quia illa, quæ non subjiciuntur Clavibus, remittuntur vi hujus.

VII. *Alleviatio est in aliquo casu principalis effectus.* Arguitur Secundo. Alleviatio Infirmi, hoc est erectio & confortatio ipsius ad sperandum Divinam misericordiam, & superandas morbi debilitates, & tentationes Diaboli est effectus principalis solus, ergò. Prob. ant. hic effectus promittitur absolutè, & remissio peccatorum non, nisi cum conditione, ut patet ex loco Jacobi, ergò hic solus est effectus principalis. Respond. dist. ant. In aliquo certo casu, & quando expedit, conc. ant. in omni casu, neg. ant. & conseq. Quia tantùm sequitur, quòd alleviatio Infirmi in certo eventu sit effectus principalis hujus Sacramenti, quando nimirum non sunt peccata remittenda: Nam casu, quo Infirmus ante susceptionem hujus Sacramenti esset benè spe munitus ad superandas morbi debilitates, & tentationes Diaboli, vel absolutè perderet usum rationis, & haberet peccata venialia, remissio venialium in hoc casu esset principalis hujus Sacramenti, sicut alleviatio in isto altero casu, aut sanitas corporis in alio; Itaquè ista tria sunt effectus principales & partiales hujus Sacramenti, licèt non omnes simul conferantur, sed in uno casu unus, & in alio alius.

Arguitur Tertiò. Sacramenta novæ legis per se primò ordinantur ad bonum animæ determinatum, sed tale bonum non est restitutio sanitatis corporis, ergò non potest esse principalis effectus hujus Sacramenti. Confirmatur: Principalis effectus Sacramenti datur infallibiliter, VIII.

ter, quando non est obex, sed sanitas non semper restituitur, etiam quando non est obex, ergò. Respond. disting. min. Secundùm se præcisè, transeat min. quatenus conducit, ut infirmus sibi augeat merita, aut ut meliùs disponat ad consequendam vitam æternam, neg. min. & conseq. in ordine enim ad hunc finem sanitas corporis vi hujus Sacramenti subinde restituitur. Ad Confirm. disting. maj. Si expedit semper, conc. maj. si non expedit, neg. maj. in proposito autem restitutio sanitatis non est intenta ab Institutore hujus Sacramenti, nisi quando infirmo expedit habere illam, sed non semper expedit, & licèt S. Jacobus dixerit, quòd mediante hoc Sacramento sanabitur Infirmus, id intelligendum est cum illa conditione, si expediat.

IX. Arguitur Quartò. In Sacramentis primarius effectus & finis coincidunt, sed finis hujus Sacramenti ex Trident: in Prooemio, in ipso est munire hominem firmissimo præsidio in fine vitæ contra tentationes Dœmonum tunc insidiantium Infirmis, ergo illud subsidium est principalis effectus hujus Sacramenti. Respond. disting. min. In aliquo casu seu eventu, conc. min. in omni casu & occasione, neg. min. & conseq. Nam Author hujus Sacramenti concedit ejus effectum, secundùm quod videt expedire:

Nec valet dicere, quòd Sacramenta causent suum effectum per modum causarum naturaliū, quando non ponitur obex, quia hoc tantùm verum est, quantum ad illum effectum illis communem, qui est gratia sanctificans, reliquos effectus causat hoc Sacramentum, ut distingvatur à reliquis, secundùm quod expedit Infirmo.

X. *Unctio per accidens etiam remittit mortale.* Dico Secundò. *Hoc Sacramentum per se non remittit mortalia, sed tantum per accidens accedente dispositione congrua, & bona fide suscipientis.* Prima Pars est contra Suarem, Henriquem & alios.

Probatur. Si hoc Sacramentum per se deleret mortalia, Pœnitentia non esset simpliciter necessaria necessitate medii, sed hoc esse falsum superiùs ostendimus. Prob. maj. Quando sunt duo remedia, ordinata per se ad effectum, quorū quodlibet est efficax, & sine subordinatione inter se, neutrum determinatè obligat, sed neq; Pœnitentia in sua efficacia subordinatur extremæ Unctioni, & utrúmq; Sacramentum est remedium peccati Mortalis, si peccatum Mortale per se deleatur per Extremam Unctionem, ergò min. principalis patet ex Trident. supra, ubi docet: *Contritionem fuisse Peccatoribus quovis tempore necessariam*; & Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium necessitate medii relapsis.

Confirmatur Primò. Peccata mortalia non possunt remitti, nisi simul, neque Ecclesia utitur Clavibus in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem partialem mortalium antequam fiat integra confessio peccatorum, sed in hoc Sacramento extremæ unctionis mutatur tam materia quàm forma: quæ est deprecativa remissionis peccatorum, ad singulas partes determinatas, in quibus fit unctio ergò intelligitur ex hoc modo ministrandi Sacramentum forma verificari præcisè quoad ea peccata, quæ per Pænitentiam non sunt remissa, sed illa sunt sola venialia, ergò nullum mortale per se vi ejus remittitur. Probat conseq. Si remissio peccati mortalis esset effectus per se ipsius, posset administrari infirmis, non præmissâ Pœnitentiâ, imò præmitti deberet Viatico contra determinationē Ecclesiæ, & Trident. Sess. 13. c. 7. quia ad fructum, & dignam susceptionem Eucharistiæ non requiritur, nisi status gratiæ, qui acquiri potest per Sacramentum Unctionis, si per se institutum est ad remissionem peccati mortalis.

Secunda Pars Conclusionis patet ex eo, quò in materia de Eucharistia probatur peccatum mortale inculpabiliter ignoratum, & oblivioni traditum, vi Sacræ Communionis XI. *Si infirmus fit debitè dispositus.*

nionis nonnunquam remitti, nam quando quis benè dispositus per attritionem bonâ fide existimans, se esse in statu gratiæ, ad hoc Sacramentum accedit, non censetur obicem ponere effectui Sacramenti, nam effectus communis omnibus Sacramentis est gratia sanctificans, quâ habitâ deletur peccatum mortale, licèt per accidens, & non per se, hoc insinuare videtur Trident. dum dicit, *reliquias peccatorum dimitti* per hoc Sacramentum, quæ sunt oblivioni tradita, sive mortalia, sive venialia.

XII. Unctio tollit ea peccata, quæ per alia nõ fuerunt sublata.

Confirmatur Secundò. Omnia Sacramenta novæ Legis instituta sunt, ut practica remedia ad tollenda omnia impedimenta, quæ pro variis temporibus & occasionibus possent impedire hominem à consecutione æternæ gloriæ, sed multa sunt obstacula, quæ possunt hominem tempore mortis à consecutione æternæ gloriæ impedire, quæ per alia Sacramenta tolli non possunt, ergò cùm hoc Sacramentum institutum sit à Christo ad Infirmum juvandum, ad consecutionem æternæ gloriæ, probabile est, quòd tollat ea, quæ per alia Sacramenta tolli non possunt, modò nullus sit in suscipiente obex. Major patet, nam per Baptismum tollitur obstaculum Originalis; Confirmatio Militis imbecillitatem roborat, ne in defensione veræ fidei coram hostibus succumbat, & sic de cœteris. Min. Prob. Potest homo infirmus post ultimam Confessionem & Communionem in aliquod peccatum incidere, cujus invincibiliter obliviscitur, quo casu cùm non teneatur amplius confiteri, nec habet peccati conscientiam, debet aliquod remedium habere, quo potest hujusmodi peccatum remitti.

Secundò. Potest infirmus confiteri & communicare invalidè defectu doloris sufficientis invincibiliter putans se validè confiteri & communicare.

Tertiò. Sæpè accidit, quod Infirmus existens in Peccatis cum sola attritione incidat phrenesim, vel loquelam, aut sensum amittat, ut nullum valeat dare signum confessionis petendæ, in quo casu pertinet ad Clementiam Christi, aliquod Sacramentum instituere, quo possit infirmus juvari ad æternam salutem consequendam, hoc autem est Sacramentum Extremæ Unctionis, quod præcipuè propter hujusmodi casus frequentes à Christo institutum, ergo per accidens potest remittere mortalia.

Arguitur Primò contra primam partem. Ex verbis Jacobi; *Et si in peccatis est, remittentur ei*, ergò per se remittuntur mortalia vi hujus Sacramenti. Respond: neg: conseq: Quia solùm sequitur inde, quòd peccata venialia per se deleat, & mortalia per accidens.

Dices: Hæc sententia est magis pia, & fundata in Divina misericordia, commendansque efficaciam hujus Sacramenti. Respond. Non debere ita commendari efficaciam ejus, ut contemnantur media salutis necessaria, ut est pœnitentia de mortalibus, quæ sola est secunda tabula naufragii, nec ullibi legimus tertiam tabulam inter Sacramenta.

Arguitur Secundò contra Secundam Partem: Ut deleantur peccata mortalia, debet præcedere aliquis dolor, sed nullus dolor tenetur hoc Sacramentum necessariò præcedere, ergò nulla peccata mortalia remittit. Respond. dist. maj. Si occurrerent memoriæ, conc. maj. Si non occurrerent, & inculpabiliter sunt oblita, neg. maj. similiter distinguo min. & conseq. XIII. Si memoria peccatorum occurrat, debet accedere contritio.

Verum est, quando infirmus confiteri non potest, & cognoscit, se esse in peccato, quòd teneatur cum dolore ad hoc Sacramentũ, accedere, secùs verò, quando nullam habet conscientiam peccati, quantum est ex vi Sacramenti.

Dixi. *Quantùm est ex vi hujus Sacramenti:* quia in fine vitæ etiamsi homo

homo non habeat conscientiam mortalis, tenetur contritionem elicere, vel attritionem cum Sacramento Confessionis, ut ponat se in securo statu. Hæc tamen obligatio oritur ex præcepto charitatis, quâ quisquè tenetur æternam salutem sibi procurare.

XIV. Unctiones singulæ, singulas causant gratiam. Dubitatur adhuc, quando hoc Sacramentum confert suum effectū, seu gratiam sanctificantem: Ratio dubitandi est, cùm hoc Sacramentum constet pluribus unctionibus, non apparet, in qua unctione gratiam conferat. Becanus dicit, quòd in prima Unctione, quod maximè sequitur in sententia illorum, qui docent unicam tantùm unctionem, in qua fieret mentio omnium sensuum esse sufficientem ad essentiam hujus Sacramenti, quam Sententiam dixi superiùs probabilem.

Soto, Suaretz, Valentia, Konning, & alii putant post ultimam unctionem, quod admittunt necessariò asserentes quinque unctiones esse de essentia, sed quia contrarium teneo. Respondetur in singulis unctionibus, & formis correspondentibus ad sensus, partialem gratiam conferri, ita Scotus hic dist. 23. n. 3. quem præter suos sequuntur Adrianus, Medina & alii.

Ratio est, quia ad singulas unctiones completur sensus substantialis formæ, & subjicitur materia sufficiens. Utráque applicatur per modum signi Sacramentalis infallibilis veritatis, quando non ponitur obex, ad cujus proinde veritatem requiritur, ut effectus ejus detur in ultimo instanti completionis sui esse: ergò quævis unctio cum sua forma est proprium Sacramentum gratiam conferens.

Præterea, juxta hanc Sentententiam meliùs provisum est casibus, qui possunt in hoc Sacramento suscipiendo, Infirmo occurrere, ut si moriatur ante omnes quinque unctiones expletas: Nam in hac sententia accipit in prima unctione gratiam partialem, unde si moriatur, antequam accipiat reliquas, moritur cum gratia Sacramentali. E-contra verò, si Sacramentum esset solùm efficax in ultima unctione, sæpè frustraretur suo effectu & fructu.

Deinde notandum est, per primam gratiā partialem, quæ in primâ unctione confertur, remitti omnia peccata mortalia, si quæ in subjecto sunt invincibiliter ignorata, cùm nequeat unum mortale absquè alio remitti. Repugnat enim saltem de potentia ordinaria ullum gradum gratiæ habitualis compati cum ullo mortali. Peccata verò venialia, cùm nullam habeant inter se connexionem, possunt successivè per diversas unctiones remitti. Ex hoc etiam sequitur, quòd si in prima unctione Infirmus non sit sufficienter dispositus ad remissionem peccatorum, modò sit in secunda, tertia, vel quarta, gratiam remissivam peccatorum consequatur. XV. Mortalia delentur in prima Unctione.

QUÆSTIO QUINTA.

De Subjecto receptivo hujus Sacramenti, ejúsque dispositione.

Certum est solos baptizatos esse hujus Sacramenti capaces, & habentes usum rationis, hinc infantibus, & à natura stultis non esse administrandum. I. Unctio non debet conferri nisi infirmis.

Secundò: Solos Infirmos infirmitate naturali & periculosa juxta Florentinum & Tridentinum; Unde qui morapitur ad patibulū, vel est iturus ad conflictum, aut navigationem periculosissimam, nisi infirmitate aliquâ naturali laborent, non sunt ungendi hoc oleo. Sed quæstio est, An requiratur ad validitatem hujus, ut suscipiens sit, vel fuerit aliquando in peccato aliquo actuali? Secundò: An licitè ministrari possit iis, qui nullum defacto habent usum rationis, esto ante habuerint. Prima quidem Quæstio est speculativa tantùm, tamen ut non transeat.

Dico Primò. *Magis probabile est, quòd suscipiens hoc Sacramentum cum effectu, debeat esse, vel fuisse ali-* II. Unctionis capax debuit fuisse in peccato.

quando in peccato actuali mortali, aut veniali. Ita Amicus citans D.Thomã, & alios,quos sequitur Hicqueus contra Suarium, Koning, & Pontium.

Probatur. Hoc Sacramentum est per se institutum ad remittenda peccata, quæ per alia Sacramenta non fuerunt remissa, si obicem non inveniat, ut patet ex Conciliis, quæ dicunt ipsum remittere reliquias peccatorum, & ex ipsa forma Sacramenti, ex quâ maximè innotescit nobis effectus Sacramenti, ergò cùm forma hujus Sacramenti expresse importet remissionem peccatorum, verificari non potest, de subjecto, quod nunquam commisit peccatum, sicut nec verificaretur forma absolutionis de subjecto, quod nunquam peccavit, nam esto neutra forma necessariò supponat actuale peccatum in subjecto, quia potest contingere ut omnia actualia supponantur remissa, necessariò tamen supponere debet aliquod actuale in tali subjecto præcessisse, ut capax sit gratiæ remissivæ peccati, quam confert Sacramentum Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis; alioquin neutra forma esset vera.

III. Unctio est Pœnitentiæ consummativum.

Confirmatur: Sacramentum extremæ Unctionis ex Tridentio est completivum & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ,ergò supponit subjectũ Sacramenti Pœnitentiæ, cùm debeat supplere id, quod Sacramentum Pœnitentiæ, vel non potuit, vel omisit, ergò aliquod peccatum debet inesse, vel infuisse.

Arguitur Primò. Ex verbis S. Jacobi, ex quibus colligunt Patres, ea, quæ sunt necessaria ad hoc Sacramentum, non constat illam conditionem, nempe aliquando actu peccâsse, esse necessariam, nam ibi non dicitur, Infirmum esse liberandum à peccatis per hoc Sacramentum, sed cum conditione, *si in peccatis sit* &c: qui modus loquendi videtur denotare quòd quamvis non esset in peccatis, adhuc ob alios fines deberet ei conferri hoc Sacramentum: ergò non requiritur status peccatoris de præsenti, aut præterito. Respond. neg. conseq: quia quamvis ex illo loco expresse non colligatur necessitas illius conditionis, colligitur tamen sufficientissimè ex veritate formæ hujus Sacramenti, quod sufficit, sicut ex veritate formæ absolutionis manifestè colligitur, quòd ille, cui ea forma impenditur, aliquando actu peccaverit: quomodo enim illa verba formæ hujus Sacramenti *Indulgeat tibi DEUS, quidquid per visum, vel tactum deliquisti*, essent vera, nisi supponerent hominem aliquando verè peccâsse.

V. Forma Unctionis non verificaretur si in peccato nō fuisset.

Dices. Etiamsi nullus præsupposuisset peccatum, quod deleret, posset habere alios effectus, nempe roborationem animi contra morbi molestias, tentationésque dæmonum, aut corporis sanitatem: ergò esto nullum peccatum præsupponeret, adhuc non frustraretur omni effectu.

Respondetur cum Hicquæo neg. ant. Quia hoc Sacramentum non potest conferre ullum effectum, nisi eum, qui est capax veritatis formæ, sicut nec Sacramentum Pœnitentiæ, hic elicienda est veritas formæ, ut determinet unctionem, quæ sine forma nihil conferre potest.

Arguitur Secundò. Si quis in mortis articulo baptizetur & viaticum sumat, potest hoc Sacramentum suscipere, etiamsi nullum peccatum post Baptismum commiserit; ergò actualiter peccâsse non est conditio necessaria ad validitatem Sacramenti. Confirmatur Primò. Actuale peccatum non est materia hujus Sacramenti, sicut est materia Sacramenti Pœnitentiæ, ergò licèt non præcesserit, possunt omnia essentialia ad hoc Sacramentum applicari. Confirmatur Secundò. Validus est baptismus collatus subjecto, quod nunquam peccavit, ergò & extrema Unctio: quia utrumque Sacramentum est remissivum pecati. Respondet Hiquæus, formam unctionis non verificari in adulto baptizato in extrema infirmitate jam moribundo. Sed Respond. neg. consequen-

quentiam. Nam ad veritatem Conclusionis nostræ sufficit, quòd aliquando peccaverit, sicut & peccavit, haud dubiè ille adultus saltem venialiter ante susceptionem Baptismi.

Ad primam Confirmationem nego Consequentiam, & antecedens, loquendo de materia circa quam, quia non potest applicari forma quoad suum subjectum formale ulli subjecto, in quo non est, nec fuit peccatum. Nego etiam Consequentiam secundæ Confirmationis: Nam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, uti exprimitur in forma Extremæ Unctionis, hinc fit, ut illa verificari possit etiam in subjecto, quòd nunquam peccavit, non autem hæc. Ex his sequitur, Beatam Virginem non fuisse capacem hujus Sacramenti, uti fuit capax Baptismi.

V. Unctio non est conferenda, qui usum rationis non habuit.

Dico Secundò: *Hoc Sacramentum est conferendum cuicunque adulto, qui aliquando rationis usum habuit, etsi de facto instante morte nullum rationis usum, aut judicium ostendat.* Probatur: Quia effectus hujus Sacramenti non solùm est animi roboratio, sed etiam peccatorum remissio, si quæ per alia Sacramenta non fuerunt remissa, fieri enim potest, ut quis in peccato existens in amentiam incidat, tunc virtute hujus Sacramenti in sententia probabili gratiam acciperet, & de attrito fieret contritus, qui alioquin damnaretur. Nec requiritur, ut expresse petat sibi administrari, quia sufficit, quòd potuisset, si advertisset, aut si compos esset.

VI. Unctio est reiterabilis.

Dico Tertiò: *Hoc Sacramentum est iterabile.* Probatur ex Tridentino Sess. 14. cap. 3. docente, posse in diversis infirmitatibus iterari. *Quod si*, inquit, *Infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari non potuerunt, cùm in aliud simile discrimen inciderint*, durante tamen eâdem infirmitate & eodem morbi statu non potest iterari juxta Catechismum Romanum n. 11. Sed si variatur morbi status, ut de periculoso fiat non periculosus, & rursus de non periculoso periculosus, toties iterari potest. Cœterùm de ritu administrandi hoc Sacramentum, & Cæremoniis utendi tempore collationis ejus patebit cuilibet ex Agenda Parochorum. Et hæc pauca pro Speculativo Theologo de re morali sufficiant.



TRACTATUS IX.

DE

MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

PROOEMIUM.

Loë ſeptima ſpecies aromatica: Matrimonium ſeptimum Sacramentum: Aloë ex ſpeciebus à Spiritu Sancto enumeratis inter emiſſiones Paradiſi eſt, quinimò in libro Pandecta. cap. XXXII. ajunt profani Scriptores, Aloë lignum in aquis Paradiſi reperiri, imò Paradiſi aquas ejicere hoc lignum ad terram versùs Babyloniam. Sit res hæc poſterior ùt velit, Spiritus veritas eſt: Aloës Matrimonii magni Sacramenti figura eſt: de Paradiſo prodit, ibi enim dictum: *Hoc nunc os ex oſſibus meis: Quam ob rem relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, Gen. 2. Aloës Unguentum triplex, *Sucerotinum*, *Epaticum, & Caballinum.* Sic varium quoque eſt Matrimonium, puriſſimum & perfectum, ùt in Joſeph & Maria: medium & purum, ùt in Patriarchis & Sanctis, cui applicari poteſt, quod Gilbertus Anglicus, S. Bernardi Diſcipulus, & poſtmodùm Abbas Svvinshetenſis, melliflui ſpiritûs hæres, ac ab illo loco, ubi ille in Cantica ſcribere & vivere deſiit, Sermones ſuaviſſimos in eadem continuavit: *In quo opere*, ait Joannes Pitſeus, *ſtylum & Magiſtri ſpiritum ita ſapit, ut ſi ſine nomine opus reliquiſſet, ipſum ſibi quodammodo Bernardi nomen impoſuiſſet, omnesq; Bernardum Authorem judicaſſent.* Quod breviter addere per incidens volui, quia ejus metaphorâ per totum hunc quartum Sententiarum Librum

brum

brum incipiendo à principio usque huc in singulis tractatuum procemiis usus fui, hic inquam Gilbertus Anglicus serm. 36. sæpè citato, ait: *In Myrrha temperantiam, continentiam & justitiam* significari, *in Aloë puritatem*; Sic sanè Matrimonium exigit *Justitiam* ad reddendum debitum, útque nec alios admittant amatores, *Puritatem* verò, sanctam semper & debitam fovendo intentionem ac finem. Est & tertium Matrimonium ex utentium geniô *imperfectum*, quod *caballinum* dici posset, quando scilicet postposito primo & secundario Matrimonii fine, solis voluptatibus, sicut caballus & mulus abutendo indulgent conjuges. Magnum tamen est Sacramentum, quia etiam ipsum est figura conjunctionis Christi cum Ecclesia, itaque ut ad illud progrediar, explicandum præmitto Concilii Tridentini de hac materia Canones.

Canon I.

SI quis dixerit: Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Evangelicæ Legis Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum: neque gratiam conferre: anathema sit.

Canon II.

SI quis dixerit: licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ Lege Divinâ esse prohibitum: anathema sit.

Canon III.

SI quis dixerit: eos tantùm Consanguinitatis, & Affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant: anathema sit.

Canon IV.

SI quis dixerit: Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia matrimonium, vel in iis constituendis erràsse: anathema sit.

Canon

Canon V.

SI quis dixerit: Propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à Conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.

Canon VI.

SI quis dixerit: Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit.

Canon VII.

SI quis dixerit: Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœchariq; eum, qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adulterio, alii nupserit: anathema sit.

Canon VIII.

SI quis dixerit: Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit: anathema sit.

Canon IX.

SI quis dixerit: Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit. Cùm DEUS id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos suprà id, quod possumus, tentari.

Canon X.

SI quis dixerit: Statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel cœlibatûs, & non esse meliùs, ac beatiùs manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio: anathema sit.

Canon

Canon XI.

SI quis dixerit: Prohibitionem Solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam: aut benedictiones, aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit: anathema sit.

Canon XII.

SI quis dixerit: Causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos: anathema est.

His visis, ùt secundùm rectum naturæ ordinem procedamus, qui, sicut in Physicis præmittit dispositiones ad formam introducendam, ita etiam in Moralibus, in hoc Magno Matrimonii Sacramento antecedenter de Dispositionibus ad ipsum est agendum: Quæ sunt Sponsalia, unde sit

DISPUTATIO PRIMA.

DE SPONSALIBUS.

I. Sponsalia unde derivantur. *SPonsalia à spondendo dicta sunt, eò quòd se mutuò Sponsi obligent ad contrahendum Matrimonium, per aliquam promissionem, aut aliud signum externum. Sponsor est ille, qui promittit Puellæ, Sponsa est illa, cui fiebat Sponsi promissio, seu contractus mutuus, inter Sponsum & Sponsam Sponsalia dicuntur. Sponsalia sunt duplicia: Alia de præsenti, & tunc fit Matrimonium ratum, si nulla deest Conditio requisita. Alia de futuro. De quibus*

QUÆSTIO PRIMA.

An ad Sponsalia requiratur vera Promissio?

II. Sponsalia definiuntur. SPonsalia communiter definiuntur, *quòd sint vera & mutua promissio, contrahentium, signô aliquô externô expressa.* Ex qua Definitione communiter tres requiruntur Conditiones. *Primò*: Quòd debeant esse vera promissio & non ficta. *Secundò*: Quòd sint mutua. *Tertiò*: Quòd sint signô aliquô externô expressa, quas conditiones tribus sequentibus Quæstionibus expediam. Et ad Primam

Dico Primò: *Sponsalia debent esse vera Promissio Contrahentium.* Ità communis Theologorum. Probatur Primò: Quia sicut ipsa Sponsalia sunt Dispositio ad Matrimonium, ita promissio illorum constitutiva debet esse in ordine ad Matrimonium, sed Matrimonium non potest esse absque vero contractu, ergò neque Sponsalia, & consequenter non sufficit nudum propositum, neque Promissio ex parte unius Personæ, ut habetur *l. 1. ff. de Sponsalibus.* ubi III. Sponsalia debent esse vera promissio.

Sponsalia dicuntur, *Reciproca Promissio.* Sed in Contra.

Arguitur Primò: Potest quis fictè promittere contrarium Matrimonium, non tamen animo se obligandi, sed tunc sunt vera Sponsalia, ergò non requiritur necessariò, quòd sint vera promissio. Major patet: Tum, Quia potest non habere voluntatem positivam se obligandi, aut contrariam voluntatem: Tum, Quia potest esse ignarus naturæ promissionis, & Obligationis, quæ ligat promittentem: Tum etiam, Quia potest scire, se obligari post promissionem, & habere voluntatem positivam non implendi Promissionem.

Probatur jam Major: Primò: Obligatio est naturalis effectus Promissionis, sicut Ignis est calefacere, ergò sicut posito igne, velit nolit apponens, calefactio sequetur, ita positâ promissione statim consurgit Obligatio.

Secundò: Qui vult antecedens, necessariò vult consequens, *L.* 1. *§.* 10. *ff. si fructus petatur &c.* Sed Obligatio consequitur Promissionem, ergò necessariò vult obligationem.

Tertiò: Dans formam tenetur dare consequentia ad formam, ergò dans Promissionem tenetur ad Obligationem: & consequenter erunt vera Sponsalia inter taliter promittentes, etiamsi neutra persona habeat animum se obligandi.

Respondeo Primò: admittendo Maj: & neg: Min: cujus Probationis primæ antecedens distinguo: Quando Promissio est vera, concedo. Quando adjicitur conditio contraria veritati Promissionis, neg: ant: Similiter distinguo Maj: secundæ & tertiæ Probationis, & neg: ultimas Conseq: Quia ad vera Sponsalia requiritur verus & realis consensus utriusque cum animo se obligandi implicitè vel explicitè.

Dixi *Implicitè*: Quia diversis modis, potest quis habere animum se non obligandi. Primò positivè habendo actum positivum, quò obligari nolit. Secundò negativè, hoc est, non habendo voluntatem se obligandi, neque contrariam voluntatem; & hoc rursum bifariam: Primò, quando explicitè eam voluntatem se obligandi non habet, implicitè tamen & virtute id vult, ut quando quis est conscius naturæ Promissionis & Obligationis indè consurgentis, nec habuit intentionem contrariam. Secundò, quando nec explicitè nec implicitè habuit intentionem se obligandi, nec etiam contrariam, eò quòd sit ignarus naturæ Promissionis & Obligationis. His visis plures subjungo Conclusiones.

Dico Secundò: *Habens positivum animum, se non obligandi, & promittens alteri Sponsalia, sunt nulla.*

Probatur: Quia non vera promissio, sed Promissionis fictio; verum est, sicut dicit Scotus in 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *num.* 6. talem per suam fictionem graviter peccare: Quia alteram partem in re gravi decipit, & ulterius teneri fictum consensum in verum commutare; præsertim, quando ex tali fictione imminet Sponsæ notabile damnum, aut nota infamiæ, fortassis si nullum tale damnum infertur Sponsæ, fictè promittens non teneretur consensum ratificare. III. Habens positivum animum nò se obligandi, nullìter promittit.

Dico Tertiò: *Si promittens sciat naturam Obligationis suæ Promissionis, etiamsi non habeat voluntatem positivam, aut contrariam, teneri ad servandum Promissum, & ibi intervenire vera Sponsalia.* IV. Sciens naturam promissionis, tenetur ad servandam eam.

Probatur: Quia virtualiter censetur habere voluntatem se obligandi, hôc ipsô, quòd promittat, & sciat Obligationem Promissionis.

Dico Quartò: *Si promittens ignoret hanc Obligationem sequi ex pura Promissione, non videtur manere obligatus.* Ita Sanchez *Disputatione* 9. *num.* 20. V. Secus videtur, si nesciat.

Probatur: Quia Obligatio Promissionis consurgit ex spontanea promittentis voluntate, sed in hoc casu

casu omninò involuntaria est, cùm non intelligat per hanc vocem *Promitto* ullam obligationem oriri, sed si intelligat obligationem oriri, etiamsi non habeat animum adimplendi promissionem, validè contrahit, & tenetur ad servandum promissum: quia pessima illa intentio non eximit illam obligationem, quæ naturaliter consurgit ex promissione & notitia obligationis.

VI. Ficta promissio etsi jurata non facit valida Sponsalia.

Dico Quintò: *Si quis fictè promittat, etiamsi suam Promissionem Juramento confirmet, Sponsalia non redduntur valida.* Ita Sanchez, Amicus, & alii plures.

Probatur: Quia nullus Contractus quoad substantiam invalidus etiam in foro interno potest per subsequens Juramentum revalidari, sed Sponsalia animo se non obligandi contracta, sunt quoad substantiam invalida & nulla, ergò per nullum juramentum possunt revalidari. Supponitur enim, quòd sicut promissio fuit ficta, ita & juramentum sit fictitium. Attamen licet vi contractûs, aut ex justitia non teneretur ad contrahendum Matrimonium, & ad deponendam suam fictionem, vi Religionis & Juramenti teneretur, & longè graviùs resiliendo peccaret, quàm si tale Juramentum Promissioni non adderet.

VII. Fictè promittēs subsecutâ copulâ tenetur stare promissioni.

Dico Sextò: *Si fictè promittens Matrimonium se initurum, & sub ea spe copulam carnalem cum Sponsa habuit, tenetur illam postmodum in uxorem ducere, regulariter loquendo.* Ita Bonacinna, & Sanchez Disput. 13. quæst. 9. contra Antoninum, Ledesmam.

Probatur: Quia Sponsa infamiam pateretur ex copula, & ob eam inepta redderetur Matrimonio, nec satisfacit dotando istam Virginem, si ipsa non est contenta; quia promissio non fuit de dote, sed de Matrimonio.

Confirmatur: Quamvis damnum violatæ Virginitatis possit pecuniâ resarciri, injusta deceptio consensûs ficti non potest compensari, nisi auferendo injustum dolum, veròque consensu præstito. Non potest verè dici æquale, dum non satisfacit in propria specie; quia in omnibus Contractibus, in quibus intervenit, *do, ut des*, vel *facio, ut facias*, ubi unus ex una parte implevit, tenetur alter quoque implere, quamvis fictè contraxerit, eò quòd tenebatur ex justitia benè contrahere: Unde si fictè promisi Petro centum aureos, ut eat Romam, si Petrus eò ivit, teneor dare, ergò cùm hic contractus fuerit mutuus, Mulierque suam partem impleverit, tradendo corpus, tenetur fictus promissionem implere suam, eam ducendo.

VIII. Si Sponsus sit longe altioris conditionis nō tenetur.

Dixi: *Regulariter loquendo*, nam Conclusio limitatur: Primò: Quando Sponsus taliter decipiens, est longè altioris ordinis & conditionis, quàm Sponsa, ùt si ille sit magni stemmatis, & illa Civissa, aut Rustici Filia; vel si vir sit in magna dignitate constitutus, divitiis & pecuniâ affluens, Mulier verò abjecta & pauper; quia poterat illa, & debuit supponere illum non verè, aut animo Matrimoniali promisisse, sed fictè & animo fornicario.

IX. Si teneatur malus [illegible], non tenetur [illegible] ducere.

Limitatur Secundò: Non teneri Sponsum deceptam ducere, quando ex Matrimonio timetur scandalum, aut malus exitus, v. g. rixæ inter Consanguineos & Parentes contrahentium, quia virtus Justitiæ nequit obligare ad actum, qui sine peccato impleri non potest; sed contrahere Matrimonium cùm tali scandalo, est mortalis culpa, cùm notabiliter Charitas proximi lædatur, Parentum pietas & cognatorum amicitia dissolvatur: Hinc Jus *in capite, Cùm tua, de Sponsalibus.* docet, debere Judicem in tali casu interdicere Matrimonium.

X. Si fœmina decipiat dicendo, se esse Virginem, non tenetur.

Limitatur Tertiò: Si fœmina virum decipiat fictè promittentem, dicendo se esse Virginem, cùm revera non sit; nam utrinq; intercessit dolus, & Injuriis datur compensatio, cùm talis fraus ex parte Sponsæ esset causa sufficiens dissolvendi, non solùm Sponsalia ficta, sed etiam vera,

ùt postea videbitur, nisi fortassis cognitâ corruptione eam postmodum cognoscat, quia tunc non obstante corruptelâ videretur confirmare Promissionem.

XI. Si Sponsa post deceptionem cum alio copulam habuit, non tenetur.

Limitatur Quartò: Si Sponsa post deceptionem cum alio copulam carnalem habuit, & hoc Sponso innotescat, non tenetur eam ducere, quantumvis fictè promisit, & carnaliter cognovit. His non obstantibus secundùm Navarrum, tenetur competenti dote, vel aliô modô satisfacere damno illato, maximè si vir eam dolo defloraverit, licèt contrarium existimet Sanchez, cujus Ratio est, quia ante fornicationem cum alio tantùm tenebatur facere veram promissionem eam ducendo; ergò si culpa fœminæ est, non tenetur eam ducere, & ad nihil amplius tenebitur; sed fornicatio ipsius cum alio viro extinxit debitum contrahendi; ergò & reliqua extinxit. Si fictè promittens jam non potest fœminam à se defloratam ducere; vel quia sacris Ordinibus est initiatus, vel quia alteri Matrimonio copulatus est, tenetur illi fœminæ de Nuptiis providere, aliquam saltem partem dotis dando, nisi supponatur eam scivisse ante copulam tale impedimentum deflorantis; nam hoc cognito facilè poterat advertere, virum non habuisse animum verè promittendi: sed potiùs decipiendi. Vir non tantam censetur illi fecisse injuriam, cùm fœmina videatur sciens impedimentum, consensisse; scienti autem & volenti non fit injuria.

QUÆSTIO SECUNDA.

An ad Sponsalia requiratur mutua Promissio?

I. RAtio difficultatis est, quia videtur sufficere, si Sponsus verè promittat Sponsæ, se eam ducturum, adeóque sufficere hanc repromissionem Sponsæ dicendo: *Accepto, gratias ago, placet mihi vestra promissio*, & hujusmodi, ùt ex Objectione patebit. Interim respondeo ad Quæstionem.

Dico: *Sponsalia debent esse mutua Promissio.* Ita Theologi communiter.

Probatur: Ex *L. 1. ff. de Sponsalibus.* ubi Sponsalia dicuntur *Reciproca Promissio.* ergò &c.

Probatur Secundò: Ex communi axiomate Doctorum asserentium, Sponsalia non posse claudicare, hoc est, non posse ab una parte tantùm obligare, & non ab altera. II. Sponsalia debent esse mutua promissio.

Probatur Tertiò: Tum, Quia Sponsalia sunt essentialiter contractus, qui est consensus, & placitum duorum in idipsum, ex quo oriatur ultrò citróque Obligatio: Tum, Quia Sponsalia promissionem futuri Matrimonii continent, sicut ergò Matrimonium utriusque consensu & traditione perficitur, ita Sponsalia utriusque consensu & promissione de ultrò citróque tradendis corporibus. Sed in contra

Arguitur: Ad Sponsalia contrahenda sufficit unius Personæ, & acceptatio alterius: ergò non requiritur mutua promissio. Probatur antec: Si vir dicat Sponsæ: *Accipio te in meam*, & Sponsa dicat: *Placet*, vel *accepto*, vel *gratias de tanto beneficio*, erunt Sponsalia: Sed hìc non est ulla promissio: ergò etiam non requiritur.

Confirmatur Primò: Casu, quo nec diceret Verbum Sponsa, viderentur Sponsalia, quæ hoc ipso quòd taceat, videtur consentire: juxta *Reg. Jur. in* 6. supposita promissione expressa Viri.

Confirmatur Secundò: In *Cap. finali. de Dispositione impuberum. tit.* 2. habetur; Valida esse Sponsalia, quæ Parentes pro Filiis puberibus vel impuberibus contrahunt ipsis præsentibus, & non contradicentibus: ergò sufficit taciturnitas contrahentium ad contrahenda Sponsalia. Respondeo contra Navarrum, Sylvestrum, Tabienam & alios apud Sanchez *Tom. I. Disput.* 5. Negando antec: Ejusque Probationis majo: defectu promissionis mutuæ. An autem teneatur Sponsus, qui verè & ani- III. Non sufficit acceptatio.

& animo se obligandi promisit satisfacere promissioni? Respondent communiter, non teneri, ratione Sponsaliorum, utpote quæ nullius roboris erant defectu mutuæ promissionis: an verò ratione simplicis promissionis obligetur servare promissionem? Respondeo, tales communiter non promittere, nisi sub Conditione ad minùs tacita, v. g. si altera pars repromittat. Et tunc si Sponsa non repromittat, non tenetur promissioni satisfacere. Si verò sine ulla tali conditione, aut respectu ad repromissionem alterius promittat, & intendat se obligare, tenetur servare promissum, esto altera pars ipsi non teneatur.

IV. Ad primam Confirm. neg: assumptum. Nam illa regula juris est vera, quando est in favorem tacentis, non autem, quando est in sui præjudicium, juxta aliam Reg. Juris ejusdem in 6. *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.* Cùm autem repromissio & Consensus traditionis sui corporis non sit in favorem tacentis, sed in favorem Sponsi, tacens non videtur consentire, nisi fortè alicubi constat ex consuetudine, aut Lege, taciturnitatem accipi pro expressione consensus, ut docet Sanchez practicari ad Indos, qui taliter sunt subjecti, & sclavi, ut dum Matrimonium ineunt, nec verbum proferant, sed eorum nomine Gubernator totum profert.

V. Ad secundam Confirmationem distinguo Consequens: Omnium Contrahentium, nego Consequentiam; Quorundam Contrahentium, concedo Conseq: Quia Jus peculiare approbat taciturnitatem Filiorum præsentium & non contradicentium Parentibus contrahentibus locò ipsorum pro sufficienti consensu & promissione, nisi sint adulti. Ratio est: Quia Parentes ordinariè plus diligunt Filios, quàm seipsos, quapropter ex Jure præsumitur, rectè eos Filiis consulere. Imò plurimi Doctores sentiunt, valida esse Sponsalia contracta à Parentibus pro Filiis absentibus, si Filii, ubi hoc intellexerint, non contradicant; secùs verò, si alii præter Parentes, aut Tutores.

QUÆSTIO TERTIA.

An Promissio debeat esse aliquo signo expressa?

Et

An promissio purè internè DEO facta, de Matrimonio futuro teneat?

Quoad primam partem. Dico Primò: *Sponsalia debent esse signo aliquo externo expressa.* Hæc est pariter communis. Probatur: Quia talis promissio fit homini, homo autem non potest acceptare promissionem, & ejus obligationem acquirere, nisi aliquo signo externo manifestetur, ut sunt primò Verba, v. g. *Promitto tibi, obligo me, do tibi meam fidem, habeas me pro infami, nisi te ducam.* Secundò: Signa remanentia, ut attestatio subscriptione affirmativè facta; manuum, atque hinc indè munerum datio: Impositio annuli in digitos: & quidquid dat intelligere ex ratione circumstantiarum, quòd verè promittant contrahere de futuro. Si igitur verba aut signa sint ambigua, ut neque ex se, neque ex circumstantiis magis consensum illorum, quàm dissensum significent, nihil operantur. I. Sponsalia debent esse aliquo signo externo expressa.

Arguitur in Contra: Potest aliquis in mente promittere ducere aliquam fœminam, & fœmina etiam promittere internè; Sed tunc essent Sponsalia, ergò non requiritur ullum signum externum significans consensum internum. Probatur minor. De Jure naturæ promissio interna facta homini, obligat, & non adimplere illam promissionem esset mendacium & infidelitas, sicut infidelis dicitur, qui promissa DEO non reddit. Confirmatur Primò: Tota radix Obligationis in vinculis voluntariis est animus se obligandi, in tantum, ut qualiscunque sit externa pro-

promissio, deficiente hoc animo non obliget. Deinde si quis heri actu interno promisit homini centum aureos, hodiéque ipsi significet, non denuò promittens, illo acceptante manet obligatus: ergo antea erat, etiam ante significationem. Respondeo neg. minorem, ejusque Probam. Quia ea videtur inesse facta conditio illi promissioni internæ, si alteri intimata ab eo acceptetur per signum aliquod externum; Nec est simile de DEO, cui facta est promissio interna: quia ei omne cor patet, hominibus verò non, nisi manifestetur signo aliquo externo.

II. Interna promissio nequit acceptari.

Ad Confirm. dico; ibi esse totam radicem obligationis, eam tamen minimè exercere valet, donec intimetur aliquo signo externo, ad eum modum, quo catena ferrea majorem ligandi vim habet, quàm filum tenue, sed hanc vim non exercebit, nisi applicetur, sic nec ista promissio interna. Ad Ultimum nego Consequent. Verum est, quòd illa præcedens promissio duraverit adhuc moraliter, cùm non fuerit revocata, & ad hoc intimatur, ut acceptetur, quare accedente acceptatione nihil desideratur ampliùs, ùt sint Sponsalia.

III. Promittens DEO se aliquam ducturum illicitè agit.

Dico Secundò. *Internè promittens DEO se aliquam accepturum in Uxorem illicitè agit, nisi aliis vestiatur Circumstantiis.*

Probatur. Eo quòd Cœlibatum Matrimonio digniorem juxta Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 10. impediat. Votum enim debet esse semper de majori bono, etiam in materia sufficienti.

Dixi autem, *Nisi aliis vestiatur Circumstantiis*: Nam si ex Matrimonio speraretur utilitas maxima totius Rei-publicæ, ut pax inter Principes Christianos, bellorumque sedatio, vel copiosa Infidelium conversio, utilius & magis esset ad DEI honorem Matrimonio copulari, quàm ingredi Religionem.

Extra hos eventus triplici circumstantia potest votum hoc vestiri, ut meritò dubitari possit, an tunc obliget. Primò, Si quis voveat DEO se contracturum Matrimonium animo profitendi Religionem, ante matrimonii consummationem. Secundò, quando id voveret in remedium Concupiscentiæ, quâ se periclitari experitur. Tertiò, quando intuitu pietatis voveret ducere pauperem; ad hæc dubia Respondeo sequentibus Conclusionibus.

Dico Tertiò. *Votum DEO factum, se ducturum Uxorem in remedium Concupiscentiæ est validum.* Ita Sanchez citans plurimos alios, contra Sotum, & quosdam Neotericos.

IV. Votum Matrimonii in remedium concupiscentiæ est invalidum.

Probatur. Quia huic homini meliùs esset nubere, quàm uri: nam ut aliquid fiat in honorem DEI, non refert, quid in universali præstantius sit, sed quid hic & nunc præstet, sed huic est meliùs, attentis omnibus circumstantiis Uxorem ducere: ergò valet ejus votum de hac re.

Hinc si habens Concubinam, à qua difficillimè recedere posset, voveret se illam ducturum; ut vel sic à præcedenti statu desisteret, teneretur utique illam ducere: nisi mallet Religionem ingredi: nam multò gratiùs esset DEO exequi illam promissionem, quàm prædicto periculo expositum manere in sæculo, imò quilibet doctus, & prudens Confessarius, attentâ illius fragilitate, lapsuúmque frequentia obligaret eum ad id, nisi Religionem eligeret, etiamsi votum non emisisset, ergò à fortiori, voto jam emisso. Probatur Consequentia. Quia adimplendo hoc votum ascendit ab iniquissimo statu Concubinatûs ad statum optimum Matrimonii: ergò valet votum.

V.

Dices. Votum Matrimonii in isto casu impedit majora bona, & præcludit Spiritui Sancto viam, ne perfectiora, & efficaciora media, conducentia ad vitam æternam inspiret, & taliter vovens efficitur impotens in perpetuum ad continentiæ & Religionis statum. Secundò. Peccatum videtur uti Matrimonio, gratiâ

gratiâ fornicationis vitandæ: ergò de ineundo Matrimonio ob hunc finem erit irritum. Respondeo distinguendo assumpt. Impedit majora bona abstrahendo à statu hominis, concedo assumptum. Considerando ejus statum nolentis exire de sæculo, sed frequentissimè relabentis in similes spurcitias carnales, nego assumptum. Quòd reddatur impotens, id ipsi præstantius est, si non potest se continere à peccato. Similiter ad Secundum dico: esse peccatum uti Matrimonio præcisè ad vitandam fornicationem, quando aliâ viâ facilè vitari potest, secus verò quando esset difficile, ut in præsenti casu contingit, Ad Tertium.

VI. Vovens se ducturum pauperem, vel Meretricem obligatur.

Dico Quarto. *Votum factum sub conditione v: g: si ducturus sum, ducam pauperem, vel pressus carnis tentationibus & expertus sum, me non posse continere, voveo ducturum pauperem, aut Meretricem in honorem DEI, votum valeret.* Patet. Quia est opus pium. Si verò foveat absolutè ducere Uxorem pauperem sine isto titulo pio, non tenebitur juxta Sanchem illam ducere: quia ex parte voti præcluditur via ad perfectiorem statum.

QUÆSTIO QUARTA.

An ad Sponsalia requiratur deliberata Promissio; Et circa Personam determinatam?

I. QUæstio hæc movetur ob sequentes difficultates; Primò. Quia potest esse promissio sine ulla deliberatione ex iracundia, aut motu primo. Secundò. Quia potest Petrus v: g: sex Personis simul promittere se ducturum unam ex illis, & vicissim illæ repromittere: Et ad singulas Difficultates respondendo

II. Promissio debet esse deliberata.

Dico Primò. *Necessariò requiritur, ut promissio fiat deliberatione ad peccatum mortale requisita.*

Probatur Prima Pars. Quia actus, qui non procedit à tali deliberatione, non potest esse perfectè humanus aut voluntarius, sed actus, qui non est talis, non inducit perfectam obligationem, qualem inducit promissio requisita ad Sponsalia: Deinde Sponsalia suâpte naturâ obligant ad mortale, ut postea videbitur, Ergò petunt deliberationem ad mortale requisitam. Quanta autem debeat esse deliberatio ad mortale difficile est tangere, & traditur in materia de actibus humanis.

Certum est, quòd non sufficiat, quòd paulò post Promittentem pœniteat se promisisse: quia sæpè eorum, quæ ex magnâ deliberatione gesta sunt facientem pœnitet; debet ergò is, qui promittit Sponsalia, conferre id, circa quod deliberat cum ejus opposito; Nam discursus, quo intellectus rem aliquam cum ejus opposito confert, reperit viam, ut voluntas possit rem illam amplecti, vel repudiare, ostendens illi in utróque aliquam rationem boni, quam eligat, non tamen mora magna temporis requiritur.

III. Promissio debet esse inter personas habiles ad contrahendū.

Dico Secundò. *Promissio debet esse inter Personas habiles ad Matrimonium contrahendum.* Est indubitata.

Probatur. Quia cum Sponsalia sint quædam inchoatio Matrimonii, talis promissio non potest esse valida inter Personas, quibus illicitum est Matrimonium contrahere; Et tales sunt habentes impedimentum Canonicum, nisi sub conditione ablationis impedimenti promittant. Similiter perpetuò insani, tamen si gaudeant intervallis, tunc possunt Sponsalia contrahere. Similiter contrahentes ante septennium, ut habetur *C. litt: &c. accessit;* de desponsatione Impuberum: quia tunc communiter in Infantibus incipit Usus rationis.

IV. Si malitia suppleat ætatem valent Sponsalia ante septeñium.

Si tamen ante Septennium malitia suppleat ætatem, valebunt Sponsalia ante septennium contracta; ita Sanchez *disput.* 16. quia sufficit, quòd contrahentes habeant usum rationis. Nec valet dicere, quòd sicut Professio in Religione requirit decimum sextum annum completum,

tum, & testamentum in Viro decimum quartum, & in fœminâ duodecimum, ita & Sponsalia septimùm, etiamsi adsit malitia: quia Matrimonium & Sponsalia sunt magis favorabilia, quàm sit Professio, & Testamentum. Natura enim magis ad Nuptias, quàm ad alios actus Politicos inclinat, & propterea Jura aliter disposuerunt de Professionibus, & Testamentis, quàm de Matrimonio & Sponsalibus; quamobrem Jus expressè annullat Professionem & Testamentum factum ante dictum tempus, non verò Matrimonium & Sponsalia; quando malitia supplet ætatem. Casu quo finirent septennium, & adhuc desit Usus rationis Sponsalia erunt irrita.

Verum est, quòd Jus expressè concedat Parentibus, & Tutoribus potestatem in certis casibus contrahendi Sponsalia inter Infantes, antequam perveniant ad septennium, & hoc in favorem Infantum. Ita *c. Infantes, de Desponsatione Impuberum in* 6. ejusmodi tamen Sponsalia erunt nulla & invalida, nisi ipsi Infantes, ex professo confirmaverint. Hujus Confirmationis signa sunt, mutua cohabitatio, missio munusculorum mutua â Sponsis consueta; & alia hujusmodi, quibus manifestant se velle acquiescere dispositioni Parentum factæ de illis tempore Infantiæ, utriúsque vel alterius Personæ.

V. Infans non tenetur stare sponsalibus pro se à Parentibus contractis.

An autem teneatur tunc consentire Sponsalia contracta pro se à Parentibus, vel Tutoribus dubitatur? Sed Respondetur regulariter non teneri; quia Filii non tenentur per se loquendo obedire suis Parentibus in iis, quæ pertinent ad statum Matrimonii, aut Religionis, ut videbitur infra, bene tamen per accidens ad componendas lites inter suam, & Sponsæ familiam, vel ad succurrendum necessitati sui Parentis per dotem Sponsæ.

VI. Promissio debet esse circa determinatam personam.

Dico Tertiò. *Promissio ad Sponsalia sufficiens debet esse circa determinatam personam.* Et pariter certa est.

Probatur. Quia sicut Matrimonium necessariò debet esse cum determinata Persona, ita etiam Sponsalia, quæ sunt inchoatio Matrimonii, nam ex veris Sponsalibus nascitur impedimentum publicæ honestatis; sed hoc impedimentum non oritur ex Sponsalibus incertis, vel indeterminatis, ut habetur *C. unico de Sponsalibus in* 6. ergò Sponsalia, indeterminata non sunt vera & perfecta Sponsalia, hinc si Petrus promittit multis Personis se unam ex illis ducturum, & illæ repromittant etiam, non erunt Sponsalia absoluta.

Quæres Primò. Quomodo talia Sponsalia reddentur certa & perfecta? Respondeo; Quòd per determinationem, & electionem Promissoris. Itáque si promissio cœpit â Patre de una ex suis Filiabus suis danda, ipsius est eligere dandam, & Sponsus tenebitur assignatam accipere, modò se obligaverit ad accipere; Econtra verò, quandò â Sponsa cœpit Promissio. Secundò si quis se unam ex pluribus sororibus ducturum promittat, & illæ consentiant, & postea aliquam ex illis carnaliter cognovit, Sponsalia illa transeunt in vera, & perfecta, quia præsumitur ideò eum accessisse illam, animo eligendi illam, quam carnaliter cognovit; ergò cùm per copulam fiat affinis reliquarum Sororum; manet adstrictus Corruptæ. Ita Rebellius, Koning, & alii apud Bonacinnam.

VII. Promissio fit determinata per electionem Promissoris.

Quæres Secundò. An contrahentes ante septennium Sponsalia peccent mortaliter? Bonacinna citans Navarrum & alios affirmat; Ratio est; quia faciunt contra Legem, quæ de Desponsatione Impuberum dicit: *Districtius inhibemus,* ne aliqui, quorum utérque vel alter ad ætatem Canonibus determinatam, non pervenerint; conjungantur: nisi fortè aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente, utpotè pro bono pacis, talis conjunctio toleraretur. Sed ut bene advertit Sanchez hìc *disput.* 57. ibi prohibetur sola conjunctio, ut patet ex terminis, sed

VIII. Contrahentes ante septennium non peccant.

sed Sponsalia non sunt propriè Conjunctio, sed tantum Conjunctionis Promissio; ergò licèt ipsa Conjunctio Sacramentalis ipsis prohibeatur ante septennium, aut usum rationis, non sequitur quòd prohiberetur sub mortali contrahere Sponsalia.

Deinde vel in ea ætate Contrahentes habent Usum rationis, vel non? Si primum, similia Sponsalia admittuntur ab Ecclesia, quando malitia supplet ætatem. Si verò secundum, tunc non erunt Sponsalia vera, cùm non habeant Usum rationis, ergò nec ullum peccatum committunt ante Usum rationis, contrahendo illa Sponsalia. An autem per se, aut per Parentes possint contrahere Matrimonium ante illum rationis Usum, videbitur suô locô.

Quæres Tertiò: An Sponsalia clandestinè contracta absque Parochi præsentia, aut Testium sint valida? Ratio difficultatis est; quòd sicut Tridentinum *Sess. 24. cap. 1. de Reform.* invalidavit Matrimonium clandestinè contractum, ita eadem ratione censetur invalidare Sponsalia taliter contracta, cùm sint inchoatio quædam & via ad Matrimonium. Nam prohibito fine censentur prohiberi suo modo media, quibus ad illum finem pervenitur.

Confirmatur. Qui est inhabilis ad Matrimonium, est etiam inhabilis ad Sponsalia; ergò si Matrimonium clandestinum est illicitum, erunt & Sponsalia.

Confirmatur Secundò: Sicut se habet Matrimonium absolutum ad Sponsalia absoluta, sic Clandestinum Matrimonium ad Clandestina Sponsalia, sed prohibitò absolutô Matrimoniô, sunt irrita absoluta Sponsalia; ergò irritatô Clandestinô irritantur Clandestina. Hæc sunt rationes Menochii, aliorúmque citatorum apud Sanchez & Amicum ad tuendam partem negativam quæsiti.

IX. Clandesti- Sed Respondetur: talia Sponsalia modò nullum alium defectum habeant, præter absentiam Parochi, & Testium, esse valida. Ita Navarrus, aliique. Ratio est. Quia Sponsalia clandestinè contracta nullô Jure prohibentur, neque Lex illa Tridentini, annullans Matrimonium clandestinum ullam facit mentionem de Sponsalibus. Cùm ergò Lex illa Tridentini sit correctoria Juris communis, quô Matrimonium Clandestinum permittebatur, non debet ultra Casum expressum extendi maximè cùm sint favores ampliandi, & odia restringenda. na Sponsalia sunt valida.

Adde. Non eadem ratio militat in Sponsalibus, ac in Matrimonio clandestino, nam ratio prohibendi Matrimonia clandestina fuit, ad evitandum perpetuum Concubinatum, quem committeret qui priori Conjuge clandestinè ductâ, eâque repudiatâ secundam duceret in facie Ecclesiæ, cum qua non potuit aliter, quàm concubinariè vivere, si primum Matrimonium fuerat verum, hoc autem non militat in Sponsalibus Clandestinis, post quæ si alia publicè contrahantur, & Matrimonium cum secunda Sponsa in facie Ecclesiæ celebretur, validum erit Matrimonium, esto peccaverit, qui spretis primis Sponsalibus clandestinè contractis sine causa transiret, ad secunda, & per ea ad Matrimonium.

Ex his patet ad rationes in contrarium, nam nulla est connexio inter clandestinitatem Matrimonii & Sponsalium, optimè enim possunt Sponsalia clandestinè contrahi, etiamsi Matrimonium debeat publicè celebrari. Verum est, si prohibeatur finis absolutè & simpliciter, quòd prohibeantur Media perveniendi ad illum, sed non prohibetur Matrimonium absolutè, sed ejus tantùm Clandestinitas.

Hinc distinguitur Antecedens primæ Confirmationis, qui est inhabilis perpetuò ad Matrimonium, est inhabilis ad Sponsalia, concedo: qui est inhabilis in talibus circumstantiis ad Matrimonium, est in iisdem

dem ad Sponsalia, nego antec. & Consequentiam.

Similiter nego majorem secundæ Confirmationis, tamen si essent Sponsalia Clandestina de ineundo Matrimonio Clandestino, essent nulla, tanquam rei illicitæ promissio.

X. Sponsalia clandestina per copulam carnalem non transeunt in Matrimonium.

Quæres Quartò: An Sponsalia Clandestina per copulam carnalem in Matrimonium transeant? Respondeo in Locis, ubi Concilium Tridentinum non est receptum, transire in Matrimonium, ut habetur *in cap. 7. qui fidem de Sponsalibus*; quia talis copula censetur ab illis affectu maritali, & non fornicario exerceri, estque sufficiens signum præsentis consensûs utriúsque ac mutuæ traditionis corporum. In Locis verò, in quibus Tridentinum est receptum, non transeunt talia in Matrimonium: quia Tridentinum *Sess. 24. Can. 1. de Reformatione* annullat & invalidat Matrimonium quodcunque, nisi fiat coram Parocho, & duobus ad minùs Testibus.

XI. Promissio debet fieri per verba affirmativa, non negativa.

Quæres Quintò: Per quæ verba contrahantur Sponsalia? pro solutione supponendum, verba, per quæ potest contrahi, posse esse affirmativa, vel negativa. Affirmativa sunt hæc; *Habebo te in meam Uxorem. Promitto, me te ducturum. Volo te habere in Uxorem.* Negativa verò quando dicitur; *Non contraham cum ulla alia à te: Nullàm aliam præter te ducam.* Respondeo Verba ista affirmativa esse sufficientia ad Sponsalia: sed Negativa minimè: quia illa verba salvantur absque eo, quòd ullam ducat; Sanchez tamen dicit *disput.* 19. Si ullo modo Matrimonium inire velit, quòd teneatur illam ducere, cui dixit negativa verba præfata.



QUÆSTIO QUINTA.

An & qualiter obligent Sponsalia?

I. Obligatio Sponsaliorum oritur ex duplici capite principali.

HActenus de Sponsalibus, Eorumque Conditionibus, jam de Obligatione ex ipsis consurgente. Hæc Obligatio potest oriri, ex intrinseca ratione ipsius contractûs obligantis ad datam fidem servandam, oritur etiam ab extrinseco ratione coactionis Judicialis, vel conventionalis per amissionem, vel restitutionem Arrhæ in fidem Matrimonii datæ, vel alicujus pœnæ solvendæ frangenti fidem. De his omnibus in hac Quæstione.

II. Sponsalia obligant sub peccato mortali.

Dico Primò. *Sponsalia ritè contracta obligant regulariter sub peccato mortali ad contrahendum Matrimonium.* Est communior Theologorũ.

Quia omnis Contractus legitimè, & communi partium consensu initus ex Justitia obligat & si sit in re gravi sub peccato mortali, obligat ad sui observationem, sed in proposito, promissio Matrimonii, est verus Contractus mutuo contrahentium consensu, in materia gravi initus: ergo obligat sub mortali. Minor patet: Nam fieret magna injuria post Contractum, ut aliquis resiliret. Multa alia adduntur à Doctoribus, hic quo ad tempus obligationis implendæ, quoad abstinentiam spondentium ab his, & illis actibus, quoad Circumstantias addentes huic vel illi Actui post Sponsalia malitiam aliquam specialem aperiendam necessariò in Confessione, quæ magis in dissolutione Sponsalium sunt tradenda, quàm in promissione Matrimonii. Hinc ea omitto hic, & in Contrarium Conclusionis

Opponitur. Lex prima *cap. de Sponsalibus*, ubi habetur. *Alii desponsata renuntiare Conditioni, & nubere alii non prohibetur.* Respondet Sanchez *hic disput.* 17. hanc legem correctam esse per Canones, tamen veriùs dicendum est, eam communi Sententiæ non adversari, sed intelligi desponsatam non prohiberi Sponsalibus ex consensu Sponsi renunciancian-

tiantis, alteri nubere. Possunt enim contrahentes ex communi consensu inita Sponsalia sibi mutuò relaxare, iisque relaxatis validè ac licitè cum aliis contrahere, non verò ante.

III. Injustè resiliens à Sponsalib. potest per censuras & Juris remedia cogi. Dico Secundò. *Injustè resiliens à Sponsalibus si admonitus nolit stare promissis, petente parte, potest & debet per se loquendo, Censuris, & aliis Juris remediis ad hoc cogi, idque sive Sponsalia fuerunt firmata, sive non.* Est communis apud Amicum *Disput.* 30. *Sect.* 2. Qui citat pro se multos Authores, contra Angelum, verbo *Sponsalia*, & Armillam, existimantes tantùm esse monendum: Et contra Sotum, asserentem, esse cogendum, si Sponsalia essent Jurata, secus si non essent Jurata.

Probatur Conclusio. Authoritate Alexandri III. *Can. ex litteris de Sponsalibus*, ubi mandat Episcopo Pataviensi, ut taliter in sua Diœcesi resilientem imprimis moneat, & si monitus non acquieverit, Ecclesiasticis Censuris compellat ad contrahendum, nisi rationabilis causa obstiterit. Ratio est. Quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique quod suum est ex Justitia, sub peccato mortali servare promissum, sive juraverit, sive non: ergò tenetur Judex ipsum ad hoc compellere. Minor patet quoad Secundam partem: quia Ecclesia *ex Cap.* 1. *de pactis*, non tantùm jurantem, sed simpliciter promittentem ex animo se obligandi compellit.

IV. Nisi gravia damna obstent. Dixi in Conclusione *Per se loquendo:* quia ob gravia incommoda, quæ ex tali coactione frequenter subsequuntur, non expedit, quandoque resilientem cogere, puta si attentis circumstantiis prudenter cogitet Judex ex invitis Nuptiis gravia mala & scandala oriri, ut perpetua jurgia inter Conjuges, aut Vir discessurus ab uxore, dissensiones inter parentes, & Amicos Conjugum &c. in tali casu non expedit fini Matrimonii eos ad contrahendum cogere, & hoc est, quod dicitur *in Capite ex Litteris de Sponsalibus:* talem esse cogendum, nisi rationabilis causa obstiterit. Sed in Contra

Opponitur. *Cap. Requisivit: titulo de Sponsalibus:* ubi absolutè prohibetur, ne tales ad contrahendum Matrimonium cogantur; nam Lucius III. Pontifex *Requisivit*, inquit, *à Nobis tua Fraternitas, quâ Censurâ Mulier compelli debeat, quæ Jure jurando, Religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam interposito Juramento firmavit. Ad quod dicimus, quòd cùm libera debeant esse Matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Ergò ex Jure communi, tales non possunt cogi ad contrahendum. Confirmatur. Metus Excommunicationis comminatæ est metus cadens in Virum constantem: ergò reddit contractum Matrimonii coactum, adeóque invalidum defectu libertatis. V.

Respondeo distinguendo Consequens. Si timentur majora mala, quàm solutio vinculi Sponsalium, concedo Consequentiam; si minùs, nego Consequentiam.

Ad Confirmationem distinguo Antecedens, quando injustè fertur, Concedo Antec. quando justè, nego Antecedens, & Consequentiam: debet tamen Judex in hac causa diligenter perpendere incommoda, quæ possibiliter possent ex hujusmodi coactione sequi; quæ partim ex qualitate Personarum, conjectandæ erunt, quòd si videantur præponderare Sponsalium dissolutioni, eos ad contrahendum non cogat, sed potiùs juxta Consilium Innocentii III. *cap.* 2. *de Sponsalibus:* quod fieri potest inducat, ut sibi mutuò Sponsalia remittant, & sic sinè obligatione utrinque manebunt: si hoc non poterit evincere; excommunicet resilientem per modum Medicinæ, casu tamen quô esset nimis pertinax in suo proposito absolvatur. VI.

Dico Tertiò. *Licitè cohibentur in Sponsalibus Arrhæ, quæ injustè resilienti deperduntur.* Ita communis apud Sanchez. hic *disp.* 35. Et constat *ex Lege, Arrhis, & Lege fin. c. de Sponsalibus* VII. In Sponsalibus licitè adhibentur Arrhæ.

salibus, ubi tales Arrhæ Jure Civili, tanquam licitè permittuntur, prout experientiâ fieri cernimus, nec refert, quòd in Jure Canonico, & *cap. gemma de Sponsalibus*, prohibeantur pœnæ ullæ apponi Sponsalibus, quibus injustè resilientes afficiantur, aut si apponantur in nullo resilientem obligare: Quia maxima est differentia inter illas pœnas, & arrhas, ut pulchrè explicat Sanchez.

VIII. Pœnæ prohibentur, ne diminuant libertatem. Prima Ratio, quare prohibentur pœnæ, est, quia cum Pœnæ addantur in futurum solvendæ ab illo, qui injustè resilit, soleántque proinde in magna quantitate promitti, multùm de libertate Matrimonii impedirent, si talem pœnam resiliens teneretur solvere; Arrhæ verò cùm de præsenti tradantur, & in minori quantitate, non ita futuri Matrimonii libertatem impediunt, quantumvis injustè resilienti deperdantur; Quia faciliùs & minùs impedit libertatem traditum, aut solutum, amittere, quàm denuò solvere post traditas Arrhas. Hinc Jus Civile pœnas prohibuit, & Arrhas permisit.

Secunda Ratio: quia Arrha datur ad securitatem Matrimonii, & respicit actum favorabilem Matrimonii, Pœna verò datur, ut adstringantur Contrahentes, quapropter videtur respicere actum odiosum, & prohibitum à Jure.

IX. Non est determinata Arrhæ quantitas. Dubitant aliqui, in qua quantitate debeant tradi? & an locò ejus posset pignus aut fundus donari? Respondet Sanchez, Jus non assignavisse ullam certam quantitatem magnam aut parvam, aut pignus mobile pro immobili pro Arrhis, adeóque sufficere unum aut alterum, hoc tamen addit Sanchez hìc, quando unus solus Contrahentium tradit Arrhas, cujus culpâ non provenit ut Matrimonium minimè sequatur, sed culpâ recipientis, tunc, inquit, recipiens non solùm traditas Arrhas restituere, sed etiam tantumdem de suo Patrimonio, imò duplum, aut triplum, si ita conventum est inter illos. Sed qui justè resilit, non amittit arrhas, sed recuperat, quia nulla est ratio, ut adsit pœna, ubi culpa non est; celebratô tamen Matrimoniô non amittuntur Arrhæ ab illo, qui eos tradidit, sed recuperantur.

Sed quid, quando Parentes dant vel recipiunt Arrhas, & Filii posteà injustè resiliunt sinè consensu suorum Parentum, an teneantur acceptas restituere, aut datas amittere? Respondeo, quòd non; quia talis amissio pro pœna apponitur resilienti. Pater autem faciens, quod in se est, ut Matrimonium sequatur, non meretur pœnam, tamen si Parentes inter se convenirent, ut quacunque ratione contingeret, filios aut filias justè aut injustè resilire, datæ vel acceptæ Arrhæ deperdantur, secundùm conventionem debet fieri. X. Si filii resiliant, parentes non perdunt Arrhas.

QUÆSTIO SEXTA.

De Dissolutione Sponsalium.

CErtum est, Obligationem in Sponsalibus contractam, aliquando cessare propter multas causas, sed discrepant Doctores in causis recensendis. I. Sponsalia puberum mutuo cõsensu dissolvuntur.

Dico Primò: *Sponsalia Puberum etiam jurata, mutuò Contrahentium consensu, possunt absque ullo peccato dissolvi.* Ita Bonacinna, Sanchez.

Prima pars est contra Hugonem, quem aliquot sequuntur. Probatur ex *cap. 1.* & Regulis Juris, *titulo 41. Omnis res, per quascunq; causas nascitur, per easdem dissolvitur*, maximè si est solubilis, & *cap. 2. de Sponsalibus*, docet Innocentius III. Sponsalia posse eôdem modô dissolvi, quô alii contractus, sed alii contractus possunt absque ulla contrahentium culpa mutuo eorum consensu dissolvi, ergò & Sponsalia.

Secunda pars est sub majori dubio: Quia quidam dicunt, si Juramentum sit præstitum in favorem partis, mutuum consensum sufficere ad

re ad tollendam ejus Obligationem. Si autem in honorem DEI, & intuitu pietatis aliquis juret fœminæ pauperi, se eam ducturum, si illa præbet suum consensum; negant Angelus, Sylvester, &c. & alii mutuo consensu posse dissolvi talia Sponsalia. Hæc sententia, licèt sit probabilis, nostra etiam non est improbabilis, &

II. Etiam jurata. Probatur: Tum, ex *Leg. finali. C. de Pecun. numerat.* Juramentum additum contractui sequitur naturam & conditionem contractûs: Tum, Quia quamvis Juramentum DEO præstitum sit, ipse DEUS, recipit tamen illud in Partis utilitatem: ergò Pars, cui debetur, potest remittere: Tum, Quia potest Pater v. gratiâ, filiorum maximè impuberum Vota irritare, & Prælatus subditi, quæ sunt extra Regulam: eò quòd potest tollere materiam, quâ sublatâ Votum cessat, sed simpliciter pars potest condonare Sponsionem in sui favorem à DEO acceptatam; ergò non obstante Juramentô mutuô consensu possunt Sponsalia dissolvi.

Arguitur Primò: Contra primam partem: *Cap. 2. de Sponsalibus.* ubi dicitur, quòd contrahentes purè & sine omni conditione sint monendi, & omnibus modis inducendi, ut præstitam fidem observent; ergò videtur negare, licitum esse Sponsalia dissolvi. Confirmatur ex Reg. Juris in 6. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest;* sed semel placuit Sponsis obligare se ad contrahendum Matrimonium; ergò non potest ipsis displicere, adeóque nec retractare possunt. Respondeo, negando consequentiam; Lex enim monet ob incommoda, quæ ex ejusmodi dissolutione frequenter oriuntur, & maximè, quia una pars non ità liberè in dissolutionem consentit, sed vel metu, vel nimiâ alterius partis importunitate, cum quo benè stat, ut seclusis ejusmodi impedimentis mutuò, & liberô contrahentium consensu licitè & validè Sponsalia dissolvantur. Major Confirmationis distinguitur, in præjudicium sui, aut alterius, transeat: In favorem sui, & alterius, nego Majorem, & consequentiam, cùm de utriusq; libero consensu procedat.

Arguitur Secundo: Contra secundam partem: Juramentum factum DEO intuitu Pietatis, Voto æquivalet, sed in Voto nil potest privata Persona disponere, cùm solus DEUS Jus acquirat in rem votatam, & ejus Juri alter renuntiare non valeat. Respondeo distinguendo Min: nisi cedat con- persona, in cujus utilitatem cedit votum, Concedo Minorem, si cedit & consentit, Nego Minorem; Nam si Ego promitterem DEO, me daturum Eleemosynam Petro pauperi, potest Is remittere mihi meam Obligationem, quô factô cessat Jus DEI, quod est annexum Juri hominis illius. Consequentia patet. Ad reliqua

Dico Secundò: *Sponsalia impuberum, quamdiu impuberes sunt, non possunt mutuò eorum consensu dissolvi, benè tamen, quando ad Pubertatem perveniunt, si tamen sint jurata, una pars invitâ alterâ non potest renuntiare, licèt benè mutuo eorum consensu.* Prima pars est communis apud Sanchez *Disput. 51.* Bonacinnam, & Amicum, & nonnullos alios cit. III. Sponsalia impuberũ, quamdiu tales sunt, non dissolvuntur.

Probatur ex *cap. De illis. de Desponsatione Impuberum*, ubi hoc sancitum est, ne Impuberes ob debile judicium passim contraherent Sponsalia, & per inconstantiam & levitatem ab illis resilirent.

Secunda pars patet: Quia ut subveniatur immaturitati judicii ipsorum in infantili ætate, datur ipsis libertas à jure, & ratione, ut adveniente maturitate possent reclamare: neque est necesse, ut is, qui priùs ad pubertatem venit, expectet, donec altera pars ad eandem perveniat, sed sufficit, ut illa pars judicium habeat, & reclamet; tamen statim & ad annospubertatis pervenerit, reclamare debet, aliàs censebitur tacitè confirmare promissum, nec poterit ampliùs resilire. Statim IV. Possunt quando ad annos pubertatis pervenerint.

autem fieri debet, quòd infrà triduum post pubertatem, ita *Lege finali, Codice de errore Advocatorum*, & *Codice de judiciis*, ubi dicitur: *Illicò dicitur fieri, quod intra triduum fit.* Sed si pubes cum impubere contrahit, non potest resilire, antequam pubescat impuber, & tunc eo ratificante tenetur pubes stare promissis, licèt impuber factus puber resilire potuisset.

V. Si juratasint, non possunt resilire invita parte altera.

Tertia pars est communior apud Sanchem, Bonacinnam, Amicum, & alios contra Paludanum. Et Probatur authoritate Alexandri III. *cap. ex litt. 2. de Sponsalibus.* ubi mandat compellendum esse quendam juvenem, qui impuber sub juramento cum puella impubere Sponsalia contraxit, ad ea servanda. Hanc sententiam, teste Covarruviâ, sequuntur omnes Canonistæ; Idem dictat Jus Civile, *Lege finali. ff. de liberali causa*, ubi admittitur juramentum impuberis, & ad illud servandum cogitur puber factus.

Cœterùm plerique ex citatis, ut impuberes valeant contractum juramento firmare, requirunt, ut sint proximi pubertati, & doli ac discretionis capaces: quia maturius judicium desideratur ad se obligandum irrevocabiliter, quàm aliàs, quod fit per juramentum, unde qui capax est juramenti, est etiam capax Obligationis juramenti, hoc non obstante, quando ambo ad pubertatem pervenerint, poterunt liberrimè rescindere contractum.

Arguitur contra secundam partem: Si possunt in puncto pubertatis dissolvere Sponsalia mutuò consensu, frustra contraxerunt ea à principio. Respondeo Neg. Assumptum; Quia habent alios effectus, nam obligant impuberes, ut durante impubertate non possint cum aliis contrahere, & adveniente pubertate, non est novô opus consensu explicitô, sic sufficit; ut tempore pubertatis neutra pars reclamet. Deindè sufficit, quòd Jus Canonicum ita disposuerit ob imbecillitatem talis ætatis.

Arguitur Secundò contra tertiam partem: Ex *Can. Parvuli*, & *ex Can. Pueri*, Impuberes non permittuntur ad juramentum, quod si juraverint, & eorum Parentes audiverint, modò contradicant, vota & juramenta eorum erunt nulla. Similiter *Lege, qui jurasse. ff. de jurejurando*, etiam cassatur juramentum pupilli.

Confirmatur: Juramentum sortitur conditiones, actus, & contractus, super quem cadit ex *l. finali. cap. de non numerata pecunia.* Sed Sponsalia impuberum, super quæ cadit juramentum, ex juris dispositione habent hanc tacitam conditionem, nisi facti puberes resilierint. Ergò juramentum additum Sponsalibus impuberum, censetur factum sub conditione, nisi resilierint, & consequenter si impuberes possunt à Sponsalibus non juratis propter dictam conditionem resilire, poterunt & à Juratis. Respondetur, in istis Canonibus prohiberi, nè pueri jurare cogantur maximè ad danda testimonia, cùm nimis faciles, & proni sint ad pejerandum: tamen positô, quòd jurent, & eorum juramenta à Parentibus non irritentur, ad illa servanda obligantur. Lex autem citata intelligitur de Pupillo sub potestate Tutoris constituto, & in sui damnum jurante, non de homine libero, etiamsi sit impuber, ùt eadem glossa explicat.

Ad Confirmationem Respondeo distinguendo Majorem & Minorem, nisi aliud in Jure statuatur, concedo utramque propositionem, quando aliter Jus disponit, nego: Nam idem Jus Canonicum disponens *cap. de illis. l. 1. de Sponsalibus. Impub.* inesse tacitam conditionem Sponsalibus Impuberum, nisi post pubertatem resiliat aliqua pars, vel utraq; pars, statuit *cap. ex litt.* deficere hanc quoad unam Personam tantùm, quâ non juramento firmata sunt Sponsalia; ut juramentum obliget, sufficit, ut sine dispendio salutis servari possit.

Dico

VI. Sponsalia dirimuntur per professionem.

Dico Tertiò: *Non tantùm per Professionem in Religione approbata, sed etiam per ejus ingressum bonâ fide factum, etiam Professione non secutâ dissolvantur Sponsalia.* Ità communior apud Sanchez, &c.

Quoad primam partem patet: Quia Tridentinum Seff. 24. Can. 6. definit: *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum*, ùt suprà, *anathema sit.* Ergò multò magis dirimuntur Sponsalia per Professionem.

VII. Etiam per Novitiatum.

Secunda pars patet contrà Durandum, & alios, quia ita se habet Novitiatus ad Professionem, sicut Sponsalia ad Matrimonium, nam sicùt ille est dispositio ad Professionem, ita hæc ad Matrimonium, sed Professio publicâ dirimit Matrimonium ratum non consummatum; Ergò & Novitiatus Sponsalia.

Confirmatur Primò: Minus requiritur ad dissolvenda Sponsalia, quàm ad Matrimonium ratum: Ergò si ad hoc sufficit Professio, ad ea minùs desiderabitur.

Confirmatur Secundò: Sponsalia non obligant ultra intentionem promittentis, sed promittens non habet animum obligandi se superveniente ingressu in Religionem, nam promissio censetur facta cùm hac tacita conditione, nisi melior status eligatur: cùm ergò melior status eligatur per ingressum Religionis, cessat obligatio Matrimonii promissi per illum ingressum.

Amicus citans alios existimat per talem ingressum non dissolvi Sponsalia ex utraque parte, sed ex parte illius, qui manet in sæculo, quæ Persona potest cum quacunque alia Sponsalia contrahere: tamen illa Persona remanens, cùm non cesserit suo juri, quod in Personam ingredientem habuit, non censetur ingrediens liber ab obligatione; undè si modò egrediatur, & altera pars petat, videtur obligari ad Matrimonium contrahendum, nisi manens in sæculô auditô alterius ingressu, alia Sponsalia contraxerit; nam si hoc faceret, sicut potuit, videretur æqualiter suo juri cedere.

VIII. Si bona fide ingrediatur.

Verum est, quòd hæc sententia sit probabilis, & fundetur in quadam justitia, quâ obligabatur, qui contraxit Sponsalia, etiamsi ingressus fuerit; sicut in simili, Pecuniarium Jus, quod habet Creditor in debitorem, non extinguitur, etiamsi Debitor ingrediatur Religionem, ità neque Jus Sponsalium. Tamen probabilissimum est, ex utraque parte Sponsalia dissolvi, adeóq; Sponsum bonâ fide ingredientem non teneri post exitum Sponsam ducere: quia dissolutio Sponsaliorum per ingressum Religionis, non est in favorem partis remanentis in sæculo, ùt putant isti Doctores, sed in favorem Religionis, & status.

Dixi, *bonâ fide factum*, Quia si quis dolosè, & animo decipiendi Sponsam, ac postmodum statim exeundi ingreditur Religionem, non censetur per hoc liber ab obligatione Sponsalium. Quia fraus nemini debet patrocinari, ùt habetur *c. tenore. de Rescriptis.*

IX. Etiamsi Sponsalia sint juramento firmata.

Sed quid si Sponsalia illa fuerint juramento firmata utrinque? Ratio dubitandi est: quia in *Cap. Commissum de Sponsalibus.* Pontifex consultus an jurans Sponsalia teneatur ante Religionis ingressum contrahere Matrimonium? Sic Respondet, *Tutius est ei, Religione Juramenti servatâ priùs contrahere, & posteà si elegerit ad Religionem migrare.* Respondetur tamen. Etiamsi illa Sponsalia fuerint juramento firmata, quòd per ingressum Religionis dissolvantur, nisi aliquod aliud obstet; quia accessorium sequitur naturam, & conditionem principalis, ut habetur ex *C. quemadmodum de Jurejurando*, sed principale est ipsum Matrimonium, & Sponsalia accessorium, ergò sicut Promissio Matrimonii censetur facta, cum hac tacita conditione, nisi status melior eligatur; ità censetur factum juramentum, & consequenter sicut promittens sine juramento potest Reli-

Religionem ingredi, ita etiam sive celebraverit Sponsalia cum vel sinè Juramento.

X. Non posset tamen si copulam habuisset cum Sponsa.

Dixi: *Nisi aliud obstet*, Quia fieri potest, ut aliquid obstet, ratione cujus non possit religionem ingredi, sive celebraverit Sponsalia cum, vel sine juramento, ut accidit; quando quis virtute Sponsaliorum copulam habuit cum Sponsa: quia in hoc casu obstat Vinculum Justitiæ, cùm Sponsus teneatur resarcire injuriam, nam non videtur moraliter loquendo posse aliter resarcire, quàm contrahendo Matrimonium cum Sponsa, obligatio enim naturalis est præferendo consilio, sed ingressus in Religionem est de consilio, & reparatio famæ est ex obligatione naturali, ergò Sponsus tenetur ingressui Religionis præferre reparationem famæ; Idem dicendum, si defloravit viduam bonæ famæ; quæ alioquin gravem infamiam pateretur, nisi duceretur in Matrimonium: Similiter quando Sponsus tantam habuit familiaritatem, ut indè oriatur Sponsæ infamia, si Sponsus ingrediatur Religionem, & nolit eam ducere.

XI. Votum Religionis per Matrimonium suspenditur ad tempus.

Quidam limitant has Resolutiones: Primò sic: Si deflorata fuerit ignara Voti deflorantis, admittunt obligationem deflorantis ad contrahendum cum ipsa Matrimonium, aliter verò si fuit conscia: Quia non censeretur decepta, postquam scivit impedimentum Voti, & tradidit usum corporis sui. Secundò: Votum Religionis, quod Sponsus emisit, postquam virtute Sponsaliorum copulam extorsit, obligare ipsum post Matrimonii dissolutionem, & consequenter Sponsus dissolutis Sponsalibus, vel per mortem Uxoris ducendæ, aut ductæ, vel ob aliam justam causam, tenetur ingredi Religionem: Quia Votum ex parte Sponsi videtur esse validum, nec ejus obligatio extinguitur per Matrimonium, sed suspenditur ad tempus. Tertiò dicunt aliqui, si Votum Religionis præcessit Sponsalia, quod dirimit Sponsalia, si autem sequatur, minimè: de his omnibus sigillatim agendum. Unde

Arguitur. Primò: Nulla alia vota simplicia obligantia extinguuntur per ingressum Religionis, licèt benè per Professionem, ergò nec Sponsaliorum obligatio; Antecedens patet, quia omnia manent suspensa, quousque remittatur Professio. Respondeo, Negando consequentiam, Disparitas est, quia vota simplicia non extinguuntur ratione aut favore statûs Novitiatûs, sed manent suspensa, quousque ille moriatur spiritualiter per Professionem; & resurgat tanquam novus homo, quò factò omnia vota simplicia, quæ fecit ante Professionem in materia libera, extingvuntur. Sponsalia verò, quæ Matrimonii obligationem includunt, non tantùm propter mortem intrantis, per Professionem solvuntur, sed etiam favore statûs Religionis, in qua congruum est, ut sicut Matrimonium ratum per Professionem solemnem dissolvitur, ita & Sponsalia, quæ sunt ad Matrimonium dispositio per Novitiatum, qui est dispositio ad Professionem, dissolvuntur.

XII. Vota simplicia per ingressum Religionis non extinguuntur.

Arguitur Secundò: Si Sponsalia dissolverentur per ingressum Religionis, potuisset Sponsus etiam post deflorationem ingredi Religionem, quod nos negamus. Probatur Sequela. Ideò non posset ingredi, quia teneretur ratione Promissionis Matrimonium contrahere, vel ratione damni illati, sed ex neutro capite obligatur, ad non ingrediendum Religionem: ergò: Probatur min: quoad primam partem, Non ratione Promissionis Matrimonii; Tum, Quia Promissio est rei illicitæ, & contra votum ipsius de ingressu in Religionem: Tum, Quia Promissio facta DEO est gravior, & prior Promissione facta fœminæ: Tum etiam, quia si Sponsus celebret Sponsalia cum una, & postea alia cum altera, cum qua etiam habuit copulam, tenetur adhuc secundùm communem stare primis Sponsalibus, & Matrimonium contrahere cum illa,

cum

tum qua priora Sponsalia habuit sine copula, quia injuria illata posteriori, non aufert Jus suum priori, & fides posteriùs data in præjudicium prioris, irrita est. Ergò similiter, qui priùs fecit votum ingrediendi Religionem, & postea defloravit virginem cum promissione Matrimonii, tenetur potiùs adimplere votum ingrediendi Religionem, quàm adimplere promissionem Matrimonii factam per votum. Minor eadem, quoad secundam partem patet: Quia violans Virginem nullâ datâ fide nuptiarum, non tenetur eam ducere, licèt benè aliter satisfacere, sed ibi nulla fuit promissio nisi irrita, & nullô modô obligans, ergò.

Respondeo cum Sanchetz *Disput.* 45. & Bonacinna *puncto* 5. quæstionis primæ negando Sequelam, ejúsque probationis minorem quoad utrámque partem. Ad Probationem primam prioris partis dico, esto promissio data defloratæ fuerit invalida, propter causam sibi occultam ratione deceptionis, & damni illati Sponsæ, tamen præbet justam causam, ut prior obligatio, ob quam promissio erat invalida, possit differri. Nec obstat, quod Promissio facta DEO de ingressu sit prior, quia vinculum Justitiæ est fortius, quàm vinculum Charitatis, sed ob Charitatis vinculum superveniens; tenetur aliquis præcedens votum Religionis suspendere, v. g. ratione indigentium Parentum: Ergò à fortiori propter vinculum Justitiæ, quale in proposito reperitur & damnum gravissimum proximi, quod ex Justitia impediendum est. Hinc negatur consequentia, aut paritas tertiæ probationis, quia votum ingrediendi Religionem est contractus quidam gratuitus in hoc casu cedit oneroso, eò quòd DEUS non ita exactè velit Promissionem sibi factam adimpleri cum præjudicio tertii, secùs dicendum est de promissione facta hominibus, nec volunt sibi jus aufferri per injuriam alteri factam.

Addit tamen Sanchetz primam Sponsam esse liberam, si velit, & ulteriùs ex quadam æquitate servanda esse secunda Sponsalia facta cum fœmina, quæ fuit deflorata; quando deflorata grave damnum, aut injuriam subiret, prior verò Sponsa exiguum, casu quo non duceretur. Ratio est, quia quælibet videtur teneri leve damnum pati ad vitandum, & impediendum gravissimum proximi detrimentum, ut aliis satisfiat.

Dico Quartò: *Probabile est simplex votum Castitatis, aut Susceptionis Sacrorum Ordinum Majorum, sive ante, sive post Sponsalia emissum, modò nullum aliud damnum virginitatis aut famæ contingat, dissolvere Sponsalia, licèt contrarium sit probabile, quando Sponsalia præcedunt votum.* Primam partem tenet absolutè Amicus *Disput.* 32. citans Sotum, Bonacinnam, Laym. & alios, contra Sanchem, quoad Sponsalia præcedentia votum utriusque, licèt admittat currere in Sponsalibus sequentibus Votum unius aut alterius. Admittit tamen Sponsalia dissolvi ex parte voventis, quæ pars, licèt contrahere teneatur, petente alterâ parte, non tamen renunciare juri suo, propter gravamen consurgens ex voto unius, quod adversatur naturæ Matrimonii, in quo onera quoad debitum conjugale deberent esse paria, nam qui vovit, non potest petere debitum, sed tantùm reddere; at sæpè onerosum est, præsertim fœminis naturâ verecundis, semper petere.

XIV. Votum Castitatis dissolvit sponsalia.

Probatur prima pars: Quia in Sponsalibus quandocunque contrahuntur, subintelligitur ista conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, sed status Cœlibatus perfectior est statu Matrimonii: ergò. Confirmatur, maximè si votum præcedat Sponsalia; quia promissiones de eadem re incompatibiles, ita se habent, ut quæ prior sit tempore, potior sit jure, sed in hoc casu promissio voti, quô traditur corpus DEO, est prior promissione Sponsalio-

XV. Sponsalia habet semper annexam conditionem, nisi perfectior status eligatur.

sponsaliorum, quando promittitur corpus homini: ergò promissio voti est potiori jure servanda.

Aliqui dicunt, hoc votum Castitatis debere esse perpetuum; Nam votum Castitatis ad tempus emissum videtur non dissolvere Matrimonium, quia hoc non constituit voventem in statu immobili cum perpetua obligatione in illo perseverandi. Deinde, si votum Castitatis ad tempus dissolveret Sponsalia, potuisset una pars studiò, & ex dolo vovere castitatem ad tempus, ut posset resilire à Sponsalibus contractis cum una Persona, & alia de novo cum alia contrahere, quod esset maximè præjudiciosum priori parti; Similiter propositum tantùm servandi cœlibatum in sæculo non dissolvit Sponsalia.

XVI. Votum suscipiendorum Ordinum dissolvit Sponsalia.

Secunda pars, seu quod Votum suscipiendi sacros Ordines sponsalia dissolvantur, est eorundem Authorum, & patet; quia per votum suscipiendi sacros Ordines majores censetur eligi perfectior status: Sponsalia autem habent hanc tacitam conditionem, nisi perfectior status eligatur; nec obstat, quod talis conditio non habeatur expressè in Jure Communi, nisi assumendo statum Religiosi, quia satis probabiliter colligitur eam in favorem status Clericalis à Christo & Ecclesia tacitè concessam, præsertim cum rationabile sit, & contrahentis voluntati maximè conforme, ut nolit per Sponsalia in hoc tàm excellenti statu sibi præjudicare. Tamen Sponsalia non dissolvuntur ex parte ipsius, nisi sacri Ordinis susceptione secutâ, licèt benè ex parte alterius partis, si velit.

Nec valet dicere, quòd sicut Votum castitatis ipsô factô dissolvit Sponsalia, ita deberet votum suscipiendi Ordines ante susceptionem eorundem: Non valet, inquam, paritas: quia nil dissolvit ipsô factô Sponsalia, nisi quod constituit voventem simpliciter in statu morali impotentiæ ad alia Sponsalia contrahenda. Nam priora retinent suum robur, quamvis vovens non est in statu incompatibili cum aliis Sponsalibus; sed Votum suscipiendi Ordines potest solvi sine culpa voventis, ut quando non admittitur ullò modò ad Ordines, quod potest contingere sine culpa voventis: at votum castitatis semel emissum pendet quoad sui adimpletionem à sola voluntate voventis, quapropter obligat ipsum semper ad sui adimpletionem à sola voluntate Voventis, quapropter ipsum semper obligat ad sui observantiam, & consequenter dissolvit Sponsalia hoc ipso, quod emittatur stabiliter.

XVII. Votum castitatis non dissolvit Sponsalia præcedentia.

Tertia pars: Seu quòd Sponsalia præcedentia non dissolvantur per votum simplex castitatis, aut susceptionis sacrorum Ordinum, quod sequitur, est multorum Authorum apud Sanchem hic citantem Navarrum Paludanum, & multos alios. Et Probatur Primò: Ex *cap. Veniens: Titulo: qui Clerici vel Voventes*, ubi fœminæ promisit Matrimonium imponitur Pœnitentia de fide mentita Sponso, cùm per ipsam steterit, quòd Matrimonium non sequebatur, vovendo post Sponsalia castitatem, ergò votum castitatis subsequens non dissolvit Sponsalia, aliàs nulla Pœnitentia tali fœminæ imponeretur.

XVIII. Deus non acceptat rem alteri promissam.

Probatur Secundò Ratione: Primò, Quia DEUS non acceptat promissionem rei priùs alteri promissæ, & in præjudicium tertiæ Personæ, ut si aliquis promisit Petro equum, & postea repromittat Ecclesiæ, prævalet prior Promissio; sed Sponsus per Sponsalia promisit suum corpus alteri, & votum castitatis, aut susceptionis Ordinum cedit in præjudicium Sponsæ; Ergò Repromissio hujus corporis facta à DEO per votum castitatis, aut susceptionis Ordinum non erit illi accepta. Secundò nullò jure probatur inesse Sponsalibus tacitam conditionem; *nisi castitatem vovero, aut sacros Ordines suscipere voluero.* Hæ sententiæ sunt probabiles, & qui vult primam tenere, facillimè solvit

solvit ultimas Rationes has posterioris. Respondeo ergò ad illud *cap. Veniens:* Pœnitentiam non fuisse injunctum Mulieri propter votum castitatis post Sponsalia emissum, sed quia fuit factum in fraudem, ut à Sponsalibus liberaretur, & fornicationi vacaret, quod colligitur ex ipso Responso Pontificis apud Amicum, qui Pontifex judicavit tutiùs esse, ut præfata Mulier Matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat.

XIX. Utraq; sententia est probabilis.

Potest aliter dici, quòd Votum istius fœminæ fuerit occultum, & Sponsalia publica, quo in casu illa fuit cogenda ad Matrimonium: quia Ecclesia debet judicare secundùm forum externum tantùm.

Ad primam Rationem negatur primò Major, quia Votum Religionis in Professione emissum dissolvit non solùm Sponsalia, quæ sunt Promissio traditionis corporis de futuro, sed etiam Matrimonium ratum non consummatum, & tamen illud votum est de re alteri promissa, imò tradita & obligata.

Quòd si dicatur: Hoc esse ex Privilegio Christi in favorem Religionis, pari modò dicam, hoc esse concessum voto castitatis in favorem statûs perfectioris, in quo non debet Sponsus per Sponsalia sibi præjudicare. Non est ulla paritas hujus cum aliis Promissionibus, aut contractibus, quia tales Promissiones sunt absolutæ; in hac enim semper subintelligitur illa tacita conditio, nisi perfectiorem statum elegero, proindè qui post Sponsalia vovet castimoniam, non vovet rem alteri simpliciter promissam, sed sub restrictione tacita, nisi illam altiori vinculo per votum perpetuæ continentiæ devoverit DEO. Hinc distinguitur Minor: istius Majoris quoad primam partem, sub tacita illa conditione, concedo Min: sine illa, nego Min: quoad primam & secundam partem, quia cùm hæc conditio subintelligatur ex parte utriusque, neuter rationabiliter poterit offendi, aut conqueri de ullo præjudicio.

Ad secundam Rationem dico, sufficere Jus Naturæ ad dandam probabilitatem illi sententiæ, hoc enim jure præsumitur, quòd nemo per Sponsalitiam Promissionem vellet sibi in tam excellenti bono præjudicare.

Dico Quintò: *Per Fornicationem cujuscunque partis dissolvuntur Sponsalia etiam jurata.* Ita Sanchez, Cavellus, Cardinalis Tuscus, Koning, Covarruvias, & alii. Definitur *c. Quemadmodum. de jurejurando.* ubi duplex Ratio redditur. Primò: Quia talis Fornicatio superveniens ipsi Matrimonio, dissolvit ipsum quoad thorum: Ergò à fortiori Sponsalia. Secundò, illud juramentum tacitum semper includit hanc conditionem, nisi alter peccet in thorum: frangenti enim fidem non est servanda fides, & fornicarius ob hoc fit suspectus de fide in futurum servanda. Deindè, Promissio non obligat, quando supervenit notabilis mutatio, quæ si fuisset prævisa, non fuisset facta promissio, sed si una pars prævidisset fornicationem alterius partis, non promisisset, ergò.

XX. Per fornicationem dissolvuntur Sponsalia.

Idem dicunt de fornicatione spirituali, ut contingit, si una pars in hæresim labatur post Sponsalia, ut docet Sanchez *Disput.* 55. Bonacinna citans multos alios. Docent etiam sufficientem causam Dissolutionis esse, si Sponsa admittat tactus impudicos, alterius amplexus & oscula, quia est mutatio cedens in magnum dedecus Sponsi, & dans ipsi materiam suspicandi profundiùs: Secus dicendum est de Sponso, qui hos actus patitur ab alia, juxta illos Authores, quia, inquiunt, non est dedecus Sponsæ, nec in viro magna mutatio, nisi essent adeò frequentes, ut animum Sponsi in aliam nimis propensum indicarent.

XXI. Etiam fornicatio spiritualis.

Verùm hæc Sponsalium dissolutio est in solius innocentis favorem, unde fornicans manet adhuc obligatus ad contrahendum Matrimonium, si altera pars velit, & solus innocens manet liber, quod enim in fa-

in favorem alicujus introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri. l. Quod favore. c. de Leg.

XXII. Si uterque fornicetur, licitum est Sponso resilire.

Dico Sextò : *Si post Sponsalia uterque Sponsus fornicetur, licitum est resilire Sponso, non tamen Sponsæ, à Sponsalibus.* Ita Sanchetz, Henriquetz, Diana, Mastrius, Reginaldus. Probatur : Quia multò turpior est fornicatio in Sponsa, quàm in Sponso, in Jure Civili, & Sponsa notabiliter fit vilior per talem fornicationem, non autem Sponsus : Et ex fornicatione Sponsæ gravius damnum Sponso resultat & imminet propter incertitudinem secuturæ prolis, quare delicta sunt valdè imparia, nec debent inter se compensari, quamvis enim quoad fidei fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad utilitatem, siquidem longè ignominiosius est Sponso talem ducere, quàm Sponsæ tali nubere. Nec valet paritas de Matrimonio assumpta ab Authoribus contraria sententiæ sententiæ, nam faciliùs possunt solùm Sponsalia, quàm Matrimonium separari quoad thorum, & ideò inter conjuges possunt compensari delicta, ut neuter possit separationem petere.

XXIII. Fornicatio etiam vi illata dissolvit Sponsalia.

Dico Septimò : *Fornicatio Sponsæ etiam vi illata dissolvit sponsalia ex parte Sponsi.* Ita Bonacinna, Mastrius, Becanus, Hurtadus, Stephanus à S. Gregorio. Probatur : Quia ista censetur notabilis mutatio ex parte Sponsæ, ex qua vir grave dedecus pati potest, cùm vulgò satis infame sit corruptam ducere, præsertim cùm non ita facilè constare possit, Sponsam per vim, & omninò involuntariè passam esse ; Et quamvis etiam id constaret, & Sponsa in tali casu inculpabilis esset, adhuc tamen facta est talis mutatio circa eam, propter quam meritò Sponsus eam repudiare potest. Et hoc clarè deducitur ex *cap. Raptor. 37. qu.* 1. ubi sic dicitur : *Raptor pœnitentiâ publicâ mulctetur, raptam verò, si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit licentia nubendi alii non negetur.* Nec obstat *cap. de Sponsalibus. 27. q.* 2. ubi priori sponso puellæ raptæ restitui jubentur, quia vel intelligitur, si sponsus eam recipere voluerit, vel intelligitur de Puellis de præsenti desponsatis, ùt advertit Glossa.

Dico Octavò : *Sponsalia quoque dissolvuntur per fornicationem sponsæ præcedentem ea, quando fuit existimata virgo.* Ita Sanchetz, Mastrius, Koning, &c. Probatur : Quia per talem fornicationem sponsa est notabiliter vilior, quàm fuerit existimata à sponso, quare sponsus in tali casu graviter deceptus censeri debet, & quòd tantùm per errorem consenserit, contractus autem, cui error gravis causam dedit, potest à deceptò irritari, eadem ratio habenda est de vidua putata honestioris famæ. XXIV. Fornicatio etiam antecedenter commissa dissolvit Sponsalia.

Non obstat *Cap. Quemadmodum.* Quia ibi apertè loquitur de fornicatione præcedente cognita ante Sponsalia, ùt Glossa ibi advertit, & exponunt passim Doctores.

Sponsa autem econtra ob fornicationem Sponsi præcedentem, quamvis ignoratam & postmodùm cognitam, resilire non potest, quia sponsus redditus notabiliter vilior in ordine ad Matrimonium.

Dico Nonò : *Dissolvuntur Sponsalia etiam jurata per subsequens Matrimonium validè celebratum cum alia persona, non tamen per secunda Sponsalia etiam jurata.* Prima Pars est Sanchetz, Henriquetz, Valentiæ, & communis apud Bonacinnam, & alios. Probatur ex *cap. Si inter. de Sponsalibus. & cap.* 1. *de Sponsa duorum.* XXV. Subsequens Matrimonium dissolvit sponsalia.

Probatur Secundò : Quia fortius vinculum Matrimonii superveniens dissolvit prius, & debilius vinculum Sponsaliorum ; in solutione enim is, cui res tradita est quoad possessionem, præfertur illi, cui promissa est, sed per Matrimonium de præsenti corpus traditur uni ; ergò aufertur illi, cui tantum promissum fuit.

Dixi :

Dixi: *Validè celebratum*, quia si esset invalidè contractum, non dirimeret Sponsalia præcedentia, nam ex Regula Juris in 6. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, sed Matrimonium invalidum non sortitur effectum; ergò non præstat impedimentum satisfaciendi prioribus Sponsalibus.

Sed Difficultas est, an per subsequens Matrimonium dissolvantur Sponsalia facta cum Juramento, ita ut Sponsus dissolutô Matrimoniô, ob mortem uxoris non teneatur adimplere priora Sponsalia? Affirmat Sanchetz *Disp.* 48. cum multis aliis, fundamentum est, *Obligatio semel extincta, ampliùs non reviviscit*, ex *Lege, quæ res. §. Aliam. ff. de solutionibus, & cap. Quæris. de Conservatione. dist.* 4. Ulterius, inquiunt, Vinculum fortius superveniens vinculo ejusdem rationis debiliori illud totaliter extinguit, sicut votum Religionis strictioris omninò extinguitur secuta Professione in laxiori, sed Sponsalia & Matrimonium sunt obligationes ejusdem rationis: ergò adveniente Matrimonio extinguitur perpetuò altera obligatio.

XXVI. Non tamen jurata. Amicus verò, Bonacinna & alii existimant, ratione juramenti obligari stare Sponsalibus celebratis: Quia juramentum erat validum, nec obligatio erat extincta per subsequens Matrimonium, sed tantùm suspensa. Confirmat, qui vovit Religionem ingredi, & postea uxorem duxit, tenetur mortuâ Religionem ingredi, eò quòd votum Religionis non fuerit planè extinctum per subsequens Matrimonium validum, sed tantùm suspensum, quod totum concedunt Adversarii.

Quamvis prima sententia sit probabilis, secunda videtur probabilior; quia Leges citatæ tantùm dicunt celebratô Matrimoniô cum secunda Sponsa non posse cum priori contrahere, quod verum est etiamsi dissolutô Matrimoniô cum secunda, contrahere teneatur cum priori.

Nec obstat Doctrina Sanchetz; Tum, Quia malè supponit juramentum, & Matrimonium esse obligationes ejusdem rationis: Tum etiam, Quia falsum est, generaliter loquendo, obligationes ejusdem rationis hoc habere, ut prior extinguatur per adventum fortioris posterioris, alioquin sequeretur Matrimonium ratum dissolvi per subsequens Matrimonium consummatum, quod est fortius vinculum.

Secunda pars Conclusionis probatur: Quia promissio de re illicita, & in præjudicium tertii est nulla. Nec refert superadditum juramentum, quia sublatô principali tollitur accessorium. Nec contrahens secunda Sponsalia ad ea tenebitur, casu, quo priora ob aliquod impedimentum solverentur, quia juxtà Regulam Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non fuit validum*, sed illa secunda Sponsalia ab initio erant nulla, quia quod debitum est uni, non potest justè alteri promitti. Verum est, quòd contrahens secunda Sponsalia det sufficientem causam alteri parti resiliendi à Sponsalibus si velit, quia suo juri renunciavit. XXVII. Nec per secunda Spōsalia.

Sed quid si cum secunda Sponsâ sub spe Matrimonii copulam habuit, an teneatur eam ducere omissâ priori? Covarruvias, & Coning affirmant, propter damnum illatum aliàs irrecuperabile, negant multi alii apud Sanchem, quia injuria illata posteriori non aufert suum jus priori Sponsæ. Verum tamen est ex quadam æquitate aliquando servanda esse secunda Sponsalia, ut quando deflorata grave damnum pateretur, magnamq; honoris jacturam, prior verò leviter læderetur. Nam ex charitate videtur quis obligari pati leve damnum, ad impediendum gravissimum proximi.

Dico Decimò: *Impedimenta dirimentia Matrimonium dissolvunt Sponsalia ex parte innocentis, non tamen ex parte nocentis, cujus culpâ introductum est impedimentum.* Ita communis. Et Probatur: Quia illa reddunt Matrimonium impossibile sine dispensatione, quam non tene- XXVIII. Impedimēta dirimentia dissolvunt Sponsalia.

tur procurare innocens. Secus verò est, de illo, cujus culpâ intercessit: quia ex crimine non debet reportare commodum; Unde sublatô impedimentô tenetur contrahere cum altera parte id exigente, imò & ad id dispensationem procurare, si sine gravi incommodo obtinere poterit, secùs non; quia non videtur se obligasse ad contrahendum per media valdè difficilia. Ex hoc sequitur, Sponsalia dissolvi, quando sponsus copulam habuit cum Consanguinea Sponsæ in primo, vel secundo gradu, nam per hujusmodi copulam fit affinis Sponsæ, & affinitas dirimit ipsum Matrimonium, usque ad secundum gradum, ùt infra videbitur.

XXIX. Quæcunque notabilis mutatio superveniens dissolvit Sponsalia.

Dico Undecimò: *Quotiescunque aliqua notabilis mutatio, aut causa notabilis supervenit ex parte unius vel alterius Personæ, quæ si ab initio contigisset, aut fuisset cognita, contrahentes, aut eorum aliquis re ipsa judicio prudentis Viri non velit contrahere Matrimonium, est sufficiens causa dissolvendi Sponsalia, maximè ex parte illius, qui cognita priùs tali mutatione non esset contracturus.* Ità Sanchetz, Bonacinna &c. Quæ probatur: Quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem, sed promittens non censetur habuisse animum se obligandi superveniente notabili mutatione ex parte unius vel alterius, quæ redderet Matrimonium odiosum, & quam si prævidisset, non vellet promittere, aut se obligare. Promissio enim obligare non intelligitur rebus notabiliter mutatis, sed in eodem statu permanentibus, ùt expresè docetur *Cap. Quemadmodum. de jurejurando.*

XXX. Ut sunt morbi contagiosi.

Ex hac Propositione solvuntur multi casus. Primò: Quoties Sponsus vel Sponsa post contracta Sponsalia incidit in lepram, paralysim, morbum gallicum, aut alium morbum contagiosum, poterit altera pars resilire à Sponsalibus.

XXXI. Notabilis fœditas.

Secundò: Quoties una vel altera pars incidit in notabilem fœditatem, & deformitatem, amittendo oculos, nasum, aut aliud membrum principale.

Tertiò: Quando alterutra pars incidit in notabilem paupertatem, ut promissam dotem non possit præstare, v. g. Mulier pauper nobilis contrahit cum viro ignobili prædivite, paupertas Sponso superveniens videtur posse esse causa sufficiens dissolutionis, quia in tali casu censetur mulier suam Nobilitatem velle conservare divitiis, & opibus viri ignobilis, cum quo aliàs non contraxisset; ergò deficiente conditione, tacitâ subintellectâ, dissolvitur contractus sub ea initus. Pariter si vir pauper Illustris Familiæ ad suam Nobilitatem tuendam contrahit cum fœmina ignobili ditissima, superveniens paupertas Sponsæ Sponsalia dissolvit ex parte Sponsi. Si verò unô ex ipsis manente in eodem statu alter notabiliter ditescat, non poterit secundùm Sanchem à Sponsalibus resilire, licèt contrarium affirmet Amicus citans multos alios. Sed quid si utèrque Sponsus in paupertatem incidat? Respondet Bonacinna, Sponsalia tunc non posse sinè mutuo utriusq; consensu dissolvi. XXXII. Paupertas.

Quartò: Sufficiens causa dissolutionis est notabilis ira & sævitia alterius Sponsi de novo cognita: quia illa sunt causa sufficiens divortii: Ex *cap. litteras.* Ergò à fortiori dissolvuntur Sponsalia. Item capitales inimicitiæ inter Sponsos exortæ ex *cap. requisivit. de Sponsalibus.* ne Matrimonium infelices exitus habeat. XXXIII. Ira gravis de novo cognita.

Quintò: Quando Sponsalia contrahuntur dolo & fraude unius partis, ut si corrupta finxit se Virginem, aut laborans morbô occultô, vel omninò paupercula, simulat se sanam, & divitem, illôque modô inducit alium, ut secum contrahat, qui aliàs cognitô errore nullô modô contraxisset, potest secundùm omnes, pars decepta cognitô postmodum errore à Sponsalibus resilire, & universaliter quoties dolus ab una parte admissus, & ab altera ignoratus dat causam contractui, est ipso XXXIV. Fraus & dolus commissus.

Jure

jure irritus, & nullus: secus verò, si dolus non dedit causam contractui; ut si contrahens sit ita constitutus, ut æquè contraheret detectô dolô, ac eô ignoratô, tunc enim detectô dolô non censetur notabilis mutatio, aut Sponsus multùm deceptus, quia si dolum primò scivisset, æquè contraxisset.

Sed quid si pars decepta post notitiam doli, & ex hoc sciens se habere justam causam resiliendi habuit copulam carnalem cum decipiente, potéstne illâ invitâ postmodum resilire? Respondetur, si post notitiam doli adhuc Sponsalibus non renunciavit, post copulam cum Sponsa habitam, non posse resilire: quia sciens & volens censetur per istam copulam priorem consensum confirmare, & juri, quod habuit ad resiliendum, renunciâsse. Si verò postquam renunciavit Sponsalibus talem copulam habuit, non tenetur Sponsam ducere, nisi de novo promiserit, vel si dum copulam habuit, ignoravit adhuc dolum, nec scivit, se habere jus resiliendi, non censetur per illam priorem consensum confirmare, nisi expresè aliud ostendat.

XXXV. *Defectus occultus non dissolvit.* Sextò: Quando alterutra pars contrahentium habet defectum aliquem occultum, cujus si altera pars fuisset conscia, nullô modô contraxisset, vel jam contracta Sponsalia dissolvisset, non tenetur illum aperire, potéstque alteram partem adhuc istius defectûs ignaram ad contrahendum impellere. Ita Sanchetz, quia nemo tenetur se ipsum defamare, aut occultos defectus aperire, quod maximè verum est, quando defectus occultus, non est valdè perniciosus, aut contagiosus alteri parti.

XXXVI. *Grave crimen dissolvit.* Septimò: Quando alterutra pars post contracta Sponsalia convicta est, & damnata de aliquo gravi crimine, ùt furtô, aut proditione; &c. potest pars innocens resilire.

XXXVII. *Appositus terminus ad obligationem.* Octavò: Si cùm contrahantur Sponsalia, terminus apponatur ad faciendam obligationem, tunc lapsus termini ab obligatione liberat illum, per quem non stetit, quo minùs contraheretur, ex *cap. Sicut. de Sponsalibus.* Illum verò, per quem stetit, quô minus contraheretur, ab obligatione non liberat, nisi fortassis sine omni sua culpa in præfixo termino non potuit contrahere, ut si fortè detentus gravi infirmitate, necessariò itinere, aut gravissimis negotiis Reipublicæ, quæ non possunt differri, tunc enim per lapsum termini ex neutra parte dissolvuntur.

Dico Duodecimò: *Si Sponsus post contracta Sponsalia sine licentia Sponsæ in longinquam Regionem abierit, sine spe tam citò, aut facilè redeundi; liberum erit Sponsæ alteri nubere, quantumvis Sponsalia fuerint juramento stabilita.* Ità Mastrius, Sanchetz, Filliutius. Probatur ex *cap. de Illis.* Quia taliter recedens non petitâ & obtentâ licentiâ Sponsæ videtur suo juri cedere, si verò de licentia Sponsæ abeat ad certum temporis spacium, tenetur Sponsa terminum illius temporis expectare. XXXVIII. *Abitus Sponsi in nimis longinquam Regionem.*

Quanto autem tempore debeat Sponsa expectare reditum Sponsi in longinquam Regionem abeuntis? Respondeo: Jus Civile aliud circa hoc, & aliud Canonicum instituisse, Nam Jus Civile *Lege Si is. cap. de Sponsalibus.* determinat Sponsum absentem intra eandem Provinciam esse biennio expectandum, in aliâ verò aut longinqua Provincia esse triennio expectandum. Ex *Lege Liberum, cap. de Repudiis.* ubi statuitur, ut dum Sponsus ex causa necessaria, & licita abest, in alia Provincia expectandum esse, donec causa finiatur, aut cesset, etiamsi quadriennium excedat: Sed Jus Canonicum, secundùm Sanchem, & communiorem sententiam correxit in hoc Jus Civile, *cap. de illis.* & *cap. de Sponsalibus.* ubi Alexander III. scribit Archi-Episcopo Panormitano: *De illis autem, qui præstitô juramentô promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad alias partes transferentes,*

tes, hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus illis, si non est ampliùs in facto processum, hoc est, si non sit Matrimonium de præsenti contractum, vel Sponsalia initâ copulâ carnali subsecutâ, ad alia se vota transferri. Ratio est, quia taliter recedens videtur suo juri cedere.

XXXIX. Sponsa debet expectare terminum reditûs.

Si verò de licentia Sponsæ abeat ad certum temporis spatium, tenetur Sponsa terminum illius temporis expectare.

Aliqui hîc disputant, an Jus Civile sit correctum per Jus Canonicum? Pro utraque parte inveniuntur affirmantes & negantes, sed mihi perindè est, hoc certum est, quòd in Tridentino habeatur, Sessione 24. Can. 12. in causis Matrimonialibus standum esse Juri Canonico, & Ecclesiasticis Judicibus, qui supponuntur Canonum peritiam habere.

Sed Difficultas est, an in his & similibus casibus sufficientibus ad Dissolutionem faciendam possint partes propriâ authoritate, aut earum aliqua præsertim innocens Sponsalia dissolvere, vel cujus licentia est necessaria?

XL. Quàdo causa est certa, possũt propriâ authoritate dissolvere.

Respondetur ad primum cum Sanche *Disp.* 109. & Bonacinna *qu.* 1. *puncto* 9. citante multos alios, quando causa dissolvendi est certa, & manifesta, posse propriâ authoritate dissolvi, modò non timeatur scandalum inde oriri. Ratio est, quia Sponsalia tacitam conditionem habent, nisi aliquis casus ex dictis adveniat, quo currente licitum est parti innocenti resilire. Si verò causa Dissolutionis est incerta, non possunt propriâ authoritate, sed recurrendum est ad Judicem, ne alteri pari fieret injuria. Respondetur ad secundum, hunc Judicem debere esse Ecclesiasticum, ut Episcopum, vel Delegatum ab ipso, quia materia est spiritualis: Nec potest esse Parochus, nisi ipsi ex commissione demandetur. Ità Sanchetz, & alii ab ipso citati *Disp.* 79. Monet tamen, causam non esse statim deferendam ad Judicem, sed priùs monendam esse partem, ut Dissolutioni consentiat, ne infamiam incurrat. Quòd si illa nolit acquiescere, adeundi sunt Parentes, Amici, vel Filii, ut eam paternè moneant, quod si his nolit acquiescere res ad Judicem est referenda, etiamsi sequatur infamia partis: Quia Sponsus utitur suo jure, & Sponsa debet sibi damnum imputare. Qualis autem requiratur probatio ipsius causæ coram Judice? Sanchez dicit sufficere testimonium unius testis, fide digni, deponentis & jurantis coram Judice, ut habetur *cap. Super eo, de Testibus & attestationibus.*

DISPUTATIO SECUNDA.

DE

Natura & Proprietatibus Matrimonii.

I. Matrimonii etymologia.

Matrimonium magnum in Christo & Ecclesia Sacramentum, etymologicè à matris *munere* vel *munio* derivatur, eò quòd fœmina mater efficienda sit per conjunctionem cum viro, matrísque munus sit proles generare & educare, ad quod præstandum viri authoritate munitur, & defenditur. Gregorius IX. cap. 2. de Convers. Infidel. derivat ex eo, quòd mulier varia munera subeat, variósque habeat labores tàm in, quàm ante,

ante, & post partum, vel ex eo, quòd mater prolis sit certa, incertus frequenter Pater, matríque plus creditur, quàm viro de prole attestanti. Vocatur etiam *Nuptiæ*, à verbo *Nubo*, quod significat *velare*, *tegere*, *operire*, eò quòd apud Gentiles Sponsæ obnubebantur seu velabantur, ùt testatur Lucanus. Sicut etiam apud Christianos velari æstimantur, cùm Virgines in Ecclesia benedicuntur, unde in jure & apud Theologos tales benedictiones velationes appellantur, causa hujus sacræ apud nos cæremoniæ esse potest, tum ad designandam erubescentiam propter deceptionem viri in Paradiso, tùm ad demonstrandam suam erga virum subjectionem hujus rei figura præcessit in antiquo Testamento Genes. 24. ubi Rebecca obvianti Isaac occurrens *operuit se*. Et ob easdem speculationes dicitur quoque *Connubium*. Tandem dicitur *Conjugium*, seu quod per illud duo simùl conjungantur, & una caro efficiantur: seu quod simùl jugum portent. De Matrimonio igitur agit Doctor Subtilis *in 4. à dist. 26.* usque *ad dist. 42.* inclusivè. Jus Canonicum verò apud Gratianum habet decem integras causas, nempe *27.* & sequentes usque *ad 36.* inclusivè, nisi quod in 33. intersecantur distinctiones de Pœnitentia. & Tridentinum Sess. 24. quod ad amussim attendam. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia & Institutione Matrimonii.

II. Matrimonium tripliciter sumitur.

ANTE Resolutionem Notandum ex Doctore 4. dist. 26. quæ. un. Matrimonium tripliciter considerari, & accipi posse. Primò sumitur pro vinculo inter conjuges, quod consistit in relatione mutuæ obligationis dominii & servitutis, quæ relatio est moralis & permanens. Secundò sumitur pro ipso contractu in fieri, ex quo emanat vinculum illud tanquam ejus effectus, & consistit in actione illa transeunte contrahentium. Tertiò tandem sumitur pro Sacramento, seu signo sensibili causante gratiam. Unde cum hoc nomen *Matrimonium* satis sit æquivocum, seu potius cùm hoc nomen consideratum directè importet primò vinculum; secundò contractum; & Sacramentum pro tertiò, in obliquo, ejus essentia unâ definitione explicari non potest, unde etiam Doctor, ut sciatur, de quo Matrimonio sit sermo, secundùm triplicem respectum dictum, triplicem assignat Definitionem Matrimonii. Itaque prout est vinculum sic definit: *Matrimonium est vinculum indissolubile inter marem & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandam prolem, & debitè educandam.* Ut est contractus: *Contractus Matrimonii est maris & fœminæ mutua trãslatio corporum suorum pro usu*

III. Matrimonium tria importat.

IV. Matrimonii triplex definitio.

usu perpetuò ad procreandam prolem, debitè educandam. Ut tertiò modò sumitur, Sacramentum Matrimonii est *Expressio certorum verborum, vel signorum æquivalentium maris & fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum, ad prolem debitè procurandam ex institutione divinâ efficaciter significans gratiam conferendam mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.*

Dicitur *Expressio certorum verborum, vel signorum &c.* quia Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu matrimoniali, qui consistit in expressione interni consensus per actus externos & sensibiles, & non in vinculo, quod nec gratiam confert, nec sensibile est, nec suo usu conjuges sanctificat, licèt Patres subindè illud Sacramentum vocent, sumunt enim Sacramentum largè pro signo quovis rei sacræ à DEO institutæ, quô modò vinculum illud est signum conjunctionis CHRISTI cum Ecclesia. Imo idem nomen Matrimoniis Gentilium tribuitur, *Cap. Gaudeamus. de divortiis.*

V. Ratio Matrimonii non consistit in copula.

Item nec consistere potest contra Gratianum *C. institutum.* 27. *q.* 2. in Copula, quæ nec pars Sacramenti est, nam ante eam est Sacramentum perfectum, & manet, etsi copula non sequatur, hæc enim non est medium conferens gratiam, aut effectum supernaturalem ex opere operato, nec quoties iteratur, augmentum gratiæ, vel effectûs supernaturalis præstatur, in cujus probationem adducitur *cap. Connubia.* 32. *q.* 2. ex Origine *hom.* 6. *in Numer. Non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritûs Sancti dabitur;*

Dices: *Cap. Debitum. de Bigamis.* dicitur: *Copulam conjugalem designare conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam*, adeóque Matrimonium non consummatum non pertinere ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus *ad Ephes.* 5. dixit: *Hoc Sacramentum magnum esse in Christo & Ecclesia*, ergò. Respondeo, Innocentium III. hoc adferre quidem per modum probationis suæ rationis, & cujusdam congruitatis, seu proportionis in ipso contractu, ad designandum quodammodò, & minùs perfectè Incarnationis mysterium, nihilominùs tantùm vult copulam pertinere ad rationem Matrimonii, quà sumpti pro signo dictæ conjunctionis, non autem quà Sacramenti gratiæ collativi, quinimò de consensu animorum & contractu ibidem permittit illam significare charitatem, quæ consistit in Spiritu inter DEUM & animam justam. Similiter explicari potest *cap. Non est dubium.* Et *cap. Cum Societas.* apud Gratianum supra. Item patet, quid dicendum sit ad paritatem Bellarmini & Sanchetz de Matrimonio & Eucharistia, nam licèt conveniant in ratione præsentationis in esse permanenti, non tamen eôdem modò, nam Matrimonium permanens, seu vinculum solùm speculativô modò conjunctionem Christi cum Ecclesia, non verò practicô in ratione medii causativi gratiam, quod tamen Sacramentorum proprium est, repræsentat, Eucharistia verò per suum usum, dum sumitur, gratiam confert suscipienti, & species panis & vini significant, & continent alimentum gratiæ spiritualis, quam conferunt. Itaque

VI. Matrimonium qualiter significet conjunctioné Christi cum Ecclesia.

Dico Primò: *Hæ tres Definitiones Matrimonii secundùm diversas considerationes datæ bonæ sunt.* Patet Conclusio cuilibet consideranti eas & perpendenti dicta. Et sic primæ parti tituli est satisfactum. Pro Secunda

VII. Matrimonii definitiones bonæ sunt.

Dico Secundò: *Matrimonium ùt est contractus indissolubilis, est valdè conforme legi naturæ, sed non est de lege naturæ strictè loquendo, ita scilicet ut aliquis ex lege naturæ teneatur illud inire ex tota hominum communitate.* Ita Doctor 4. *dist.* 26. *qu. un. n.* 8. *sub lit. I. H. & U.* Pontius, Mastrius, Hiquæus &c.

VIII. Matrimonium ut contractus est conformis legi naturæ.

Proba-

Probatur prima pars: Quia indissolubilis illa conjunctio viri & mulieris sine dubio valdè prodest ad proportionatam multiplicationem generis humani, bonam educationem prolis, & vitandas multas inconvenientias, quæ ex solubilitate ejus sæpè nascuntur, de quo nemo dubitat.

IX. Non est tamen propriè loquendo de jure naturæ. Probatur secunda pars: Quia neque ex terminis patet talis obligatio, neque potest deduci ex ullis principiis evidentibus ex terminis, quamvis enim potest esse præceptum ex lege naturæ, quòd homines se multiplicarent ad conservationem naturæ humanæ, bonum proprium, ac universi, & etiam esset tale præceptum de ineundo contractu inter se invicem, ad procreationem & commodam educationem prolis, nullò modò tamen apparet talis obligatio respectu contractûs perpetuò indissolubilis, nam licèt talis contractus esset magis conveniens ad educationem prolis, & conservationem Rerum publicarum, ac proindè sit valdè conveniens naturæ, & consequenter legi naturæ, ut dicebam in prima parte, hoc tamen non sufficit ad inducendam obligationem, quia propagatio, & prolis educatio posset esse sine contractu indissolubili, nimirum mediante contractu ad determinatos annos, ùt frequenter Romanos fecisse refert D. Augustinus *lib. de fide & operibus*. 7. qui pro levissima causa uxores repudiabant, & alias ducebant.

Dices: Aristoteles *8. Ethic. 12.* dicit: *Hominem esse magis naturaliter animal conjugabile, quàm politicum & gregale*; ergò de jure naturæ est Matrimonii institutio, & favent etiam Jurisperiti, quia *ex ff. lib. 1. tit. 1. C. 1.* habetur, quod sit jus naturale maris & fœminæ conjunctio, quam nos Matrimonium vocamus. Respond. ex Aristotelis dicto tantùm deduci posse, Matrimonium esse jure naturæ institutum in ratione contractûs tantùm, & conjunctionis maris & fœminæ, non autem in ratione vinculi perpetui & indissolubilis, & quando Legisperiti Matrimonium jus naturale appellant, per jus naturale intelligunt, quòd in omni natione, & in quacunque lege notum est solo naturæ lumine, sic autem notum est Matrimonium in ratione contractûs tantùm, non autem ùt habet vinculum indissolubilitatis annexum.

Dico Tertiò: *Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis est à DEO institutum.* Ita Doctor Subtilis sub *litt. H. & Q.* D. Thomas 4. dist. 27. qu. 1. a. 3. cum suis. D. Bonacinna &c. Aliqui probant ex illo Genesis 2. *Non est bonum homini sic esse:* Alii ex Gen. 9. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, verùm in creatione Evæ mutuus consensus nec exprimitur nec insinuatur, in secundo loco benedictio potius collata fuit primis Parentibus jam Matrimonio conjunctis, ùt docet D. Augustinus 14. Civit. 12. X. Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis est à DEO institutum.

Melius ergò probatur ex illis verbis Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter quod relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Nam in illis verbis consensus Adami expressus est, quibus Eva suum adjunxisse credi debet. Exprimitur etiam indissolubilitas per verba *Adhærebit, &c.* ùt dicit Doctor non momento, nec ad tempus, sed perpetuò. Nec tamen ex eo, quòd Adamus illa verba protulerit author matrimonii dici debet, quia ille tantùm protulit ut Præco Divinæ institutionis, quod probatur ex Matth. 19. ubi Christus verba Adami refert tanquam â DEO dicta per ipsum: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non sunt duo, sed una caro, quod ergò DEUS conjunxit, homo non separet.* Quæ verba significant, DEUM instituisse contractum indissolubilem inter virum & mulierem, qui

qui authoritate humanâ dissolvi nequeat. Quod adhuc confirmatur ex Trident. *Sess.* 24. *Cap. Doctrinali*, ubi sic loquitur: *Matrimonium perpetuum, indissolubilémque nexum primus humani generis parens Divini Spiritûs instinctu pronunciavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. &c.* Sed in contra

Arguitur: Matrimonium est quid inhonestum; ergò non est institutum à DEO. Probatur ant: Quia ordinatur ad copulam conjugalem, sed hæc non est honesta, ergò. Probatur min: ex variis Authoribus, Paulus ad Corinth. 7. de ea loquens dicit: *Hoc dico secundùm Indulgentiam*, hoc est, secundùm veniam, super quæ verba S. Augustinus *lib.* 9. *de bono conjugali*, inquit, *ita evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Deindè *ad Roman.* 8. docet: *Eos, qui sunt in carne, non posse placere DEO*; quod S. Hieronymus explicat de conjugatis: Item, *Bonum est homini, mulierem non tangere*, super quod idem D. Hieron. sic argumentatur: *Si bonum est, mulierem non tangere, ergò malum est, mulierem tangere.* Respond. Neg: antec:

XI. Copula cōjugalis non est inhonesta.

quia objectum participat honestatem vel inhonestatem à Lege, item falsitas ejus patet ex *Cap. Damnamus. Extrav. de Summa Trinitate & Fide Catholica. Ex Concil. Trid. Sess.* 24. *Bracharensi I.* Et Scriptura nobis allata, neque enim DEUS conjungeret, si conjunctio esset mala. Item ex 1. *Corinth.* 7. *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem; & si acceperis uxorem, non peccasti, si nupserit Virgo, non peccavit. Nolite fraudare vos invicem*, id est, reddite debitum conjugale unus alteri; *Revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram*: Ergò falsum est, quòd copula maritalis sit inhonesta.

Ad primum locum Pauli dico, quòd Apostolus non præcipiat illis nubere, sed quòd permittat, si velint ipsimet nubere, & si velint etiam uti copulâ, id illis licere. Quod autem hoc voluerit Apostolus, colligitur ex ipso textu: nam cùm hoc dixisset: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam*, subjunxit rationem, *Volo enim vos omnes esse sicut meipsum*, hoc est, magis placeret mihi, ut essetis cœlibes, sed tamen non præcipio vobis, ut ita sitis, ne laqueum vobis injiciam, sed indulgeo, & veniam concedo vobis, ut Matrimonium ineatis, & reddatis vobis debitum ad vitandam fornicationem, nè, si non nuberetis, nec redderetis invicem debitum conjugale, Sathanas vos tentaret ad fornicandum, aut ad alia peccata.

Ad S. Augustinum dico, quòd per culpam intelligat id quod minus bonum est, & sic libenter admittimus, sed nihil contra nos. Vel si nec sic explicari potest, transeat, quòd hoc senserit, non tamen movet nos ad sic sentiendum propter rationes Conclusionis, quæ præponderant.

Ad alteram authoritatem Apostoli Respondetur, quòd loquatur de iis, qui secundùm carnem, hoc est, secundùm concupiscentiam carnalem illicitam ambulant, & vivunt, quod credo etiam sensisse D. Hieronymum.

Ad tertium respondeo concedendo authoritatem Scripturæ, & nego consequentiam, quia actus conjugalis, & abstinentia ab eo non est contraria in esse morali, sed se habent ùt majus & minus bonum, ex quo patet, quid etiam ad S. Hieronymum dicendum.

Dico Quartò: *Suppositâ institutione Matrimonii, & prohibitione fornicationis est præceptum etiam juris naturæ, respectu hominum de Matrimonio ineundo, ita ut in casu, in quo non fieret multiplicatio generis humani sine Matrimonio cujuscunque in particulari, ille, etsi Religiosus esset, Matrimonium inire deberet, non tamen ut quilibet teneatur illud contrahere.* Probatur prima pars, non solùm ex illo: *Crescite & multiplicamini, &c.* Sed etiam, quia propagatio generis humani, & conservatio speciei tàm nobilis, ad cujus usum totus hic mundus deservit, omni-

XII. Matrimonium est sub præcepto juris naturæ.

omninò apparet ex terminis exigere, ut quicunque fine cujus matrimonio propagari non posset, teneatur inire Matrimonium, nec habet apparentiam, quòd votum castitatis possit talem obligationem impedire, quia nemo potest per ullum actum liberum suum ab obligatione legis naturæ liberari, impedimentum autem contrahendi Matrimonium ortum ex voto castitatis dependet à libera voluntate voventis.

XIII. Non tamen ita, ut quilibet teneatur contrahere. Probatur secunda pars: Quia constat viros sanctissimos abstinuisse à Matrimonio, ùt Josue, Elisæus, Elias, Jeremias, ùt contra Jovinianum docuêre SS. Ambrosius & Hieronymus, quos non est dicendum transgressos præceptum legis naturæ, aut Divinum. Et quia obligatio illa Legis naturæ fundatur in obligatione propagandi, & conservandi illam speciem humanam, ergò si satisfiat huic fini per aliquos, alii non tenentur inire Matrimonium in ordine ad hoc. Et illud: *Crescite & multiplicamini*, supponendo quod significat præceptum Divinum, quod multi negant, commodissimè intelligitur respectu communitatis, nec est ratio aut authoritas, ob quam debeat intelligi respectu singulorum totius communitatis, quando singulorum Matrimonium non est requisitum ad necessariam propagationem generis humani. Sed in contra

Arguitur Primò: Si unusquisque non teneretur Matrimonium inire, sed aliquis, posset communitas obligare aliquem ad Matrimonium, quando de se nullus vellet inire, sed hoc est absurdum, quia non est ratio, quare unus potiùs quàm alius, ergò. Respond. Negand. min. ad cujus probationem dico, si nulla esset ratio ex natura rei (ut posset esse, si unus esset magis aptus quàm alius) vel mittendas sortes, vel danda suffrágia.

Arguitur Secundò: Si esset talis obligatio respectu Communitatis, malè hortaretur S. Paulus omnes ad cœlibatum, 1. *Corinth.* 7. Sed ergò. Respond. S. Paulum loqui de omnibus, quorum Matrimonium non esset necessarium ad propagandum genus humanum: Casus est Metaphysicus.

Dico Quintò: *Contractus Matrimonialis est elevatus à Christo ad dignitatem Sacramenti.* Ità Catholica Ecclesia. Estque veritas definita in Conciliis Constantiensi, Florentino, & Tridentino, quorum definitio fundatur in perpetua Traditione Ecclesiæ tàm Orientalis, quàm Occidentalis. Probatur etiam ex Patribus Augustino *lib. de Fide & Operibus. cap.* 7. dicente: *In Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Et *lib. de bono Conjug. cap.* 18. *In nostratum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Ambrosius *lib. 1. de Abraham cap.* 7. ait; *Eum, qui conjugii thorum polluit, peccare in* DEUM, *ejúsq; gratiam solvere, ac Sacramenti Cœlestis amittere consortium.* Cyrillus Alexand. *lib. 2. in Joannem cap.* 22. vocat nuptias sanctas, & ait, Christum suâ institutione sanctificâsse principium nostræ nativitatis, & in ipsis nuptiis præparâsse gratiam hominibus nascituris. XIV. Matrimonium est Sacramentum.

De tempore Institutionis non clarè constat nobis, nam esto, Patres dicant, Christum nuptias in Cana Gallilææ factas sanctificâsse, hoc tamen fortè benè intelligi posset, quatenus sua præsentia approbaverit tanquam quid bonum & gratum DEO, quando fiunt ob bonum finem contra hæreticos, qui oppositum docuerunt. Nec etiam *Matth.* 19. Quia ibi videtur tantùm docere Matrimonium institutum esse à DEO, & habere vinculum indissolubile annexum. Undè quidquid sit de tempore, non est necessarium, id scire, sufficit nobis, quòd institutum fuerit aliquando.

Arguitur Primò: Pro Hæreticis: Unum Sacramentum non repugnat cum alio, sed Matrimonium repugnat cum Ordine, quem etiam nos Sacramentum dicimus, ergò.

Sed revera quanti valoris sit hoc argumentum, quis non videt? cùm continentia solummodò ex Jure Ecclesiastico ob majorem puritatem divini cultûs sit Sacerdotio annexa, adeóque alia responsio non est necessaria.

Arguitur Secundò: Pro Durando, qui tantùm æquivocè Sacramentum Matrimonium vocat, non conferre gratiam, contra damnationem Concilii Tridentini *Can. 1.* In aliis Sacramentis applicantur semper pro materia res externæ suscipienti per Ministrum, in Matrimonio non. Deindè non confert gratiam primam sicut Baptismus, neque secundam, quia alias sequeretur, quòd qui primùm in gratia & continentia vixerunt; eadem gratia ipsis augeatur per Matrimonium, quod non est credibile, quia transeunt ad statum imperfectiorem.

XV. Matrimonium habet speciale quid in applicatione materiæ.

Respond. ad primum universaliter loquendo, quod convenit generi, convenit omnibus speciebus & singulis, sed quod est speciale & proprium unius speciei, non convenit aliis, esse signum efficax gratiæ, est commune Sacramentis in genere, sed esse applicationem ab alio, non omnibus competit Sacramentis, cùm igitur Matrimonium sit Sacramentum in specie, speciales habet etiam rationes aliis non convenientes, unde, quia in contractu consistit, qui debet per consensum partium se obligantium perfici, ita perficientes contractum perficiunt & Sacramentum, & ideò hoc Sacramentum perfici potest sine applicatione materiæ extrinsecæ alienæ ab ipsis contrahentibus.

XVI. Confert gratiam.

Ad secundum dico: Conferre gratiam ex opere operato, imò etiam ex opere operantis augeri juxta dispositionem suscipientis, quia est actus honestus & meritorius, si fiat cum debitis circumstantiis, nec refert, quòd fiat transitus à statu perfectiori ad minus perfectum, quia ille prior status est consilii, non præcepti, neque tenetur quis semper sequi perfectiora, sed observare legem, & operari bonum, quamvis ergò assumens Matrimonii statum, non habet meritum cœlibatûs, habet tamen meritum matrimonii, si illud debitè observet.

Arguitur Tertiò: Pro Juristis, In Matrimonio pactum intervenit de dote, ergò si est Sacramentum, fit Simonia. Respond. Pactum de dote non fieri propter Sacramentum, sed propter onera Matrimonii.

XVII. Matrimonium infidelium non est Sacramentum.

Dico Sextò: *Non quodlibet Matrimonium est Sacramentum, sed tantùm illud, quod est inter fideles.* Hæc patet ex communi axiomate, quòd Baptismus sit janua Sacramentorum, & S. Augustinus *lib. de bono Conjugii. 24. Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis, quod autem ad populum DEI pertinet* (id est, Fideles) *etiam in sanctitate Sacramenti.* & 18. *In nostratum nuptiis plùs valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri, &c.*

XVIII. Nec fit, quãdo baptizantur.

Dico Septimò: *Matrimonium Infidelium, quando baptizantur, non fit Sacramentum.* Probatur: Quia hoc deberet fieri vel per consensum novum & ratificationem prioris contractûs, vel absque tali; non secundum, quia essentia Sacramenti hujus est annexa contractui in fieri, non autem in facto esse, vel moraliter permanenti, nec in vinculo permanenti post contractum, ergò non potest fieri Sacramentum postea, quia Sacramenta tantùm fiunt, quando applicatur materia & forma. Nec etiam per novum consensum & ratificationem fieri potest Sacramentum, quia jam neuter habet sui corporis potestatem, & nemo potest alteri tradere, quod suum non est, ergò. Antec: patet. Probatur conseq: Quia ideò recurreretur ad novum consensum, ut fingatur nova materia, & forma hujus Sacramenti, sed hic contractus non potest innovari, quia supponit, tales partes esse sui juris, quod de jam conjugatis nequit dici, cùm jam legitimum contractum celebraverint, qui non est suspensus, aut impeditus, neque

neque positô Baptismô amplius impediri potest, si est Matrimonium consummatum. Confirmatur, Quia alioquin possent homines iterare Matrimonium, quoties renovarent contractum, & consequenter semper sibi plus de gratia acquirere, quod consequenter nec fidelibus negari posset.

XIX. Matrimonium fidelis cum infideli non est Sacramentum.

Dico Octavò: *Nec Matrimonium fidelis cum infideli est Sacramentum.* Probatur: Quia Sacramentum est tantùm inter solos fideles baptizatos, sed hic, ergò. Nec explicari potest hæc propositio, unum sufficere fidelem esse, sicut non valeret, si alicubi constitutum esset, ut inter solos Nobiles possit celebrari contractus emptionis bonorum immobilium, dicendo sufficere, si unus contrahentium sit Nobilis. Confirmatur. Hoc Sacramentum est unum integritate (non integritate Eucharistiæ, ubi utrobiq; alia est materia, & alia forma) sed integritate includente partes & consensus duorum: ergò vel in utroque erit Sacramentum, vel in nullo esse debet, sed in utroque esse non potest, quia infidelis est incapax ob defectum Baptismi, ergò in nullo erit.

XX. Matrimonium cum hæretico est Sacramentum.

Quæres: An saltem Matrimonium orthodoxi cum hæretica sit Sacramentum, cùm sint uterque baptizati? Respond. Primò: Si hæreticus habeat intentionem contrahendi Matrimonium, prout Catholici contrahunt, etsi non credat esse Sacramentum, contractum illum matrimonialem esse verum Sacramentum, quia omnia requisita ad Sacramentum adsunt, materia, scilicet, Forma, Ministri, & intentio, nec est necesse, ut reduplicativè feratur, & specificè in Sacramentum, sed sufficit in Generali, & modò implicitô: Sicut dictum est de intentione, quam infidelis habere debet, si quempiam baptizaret. Vide tract. 1. disp. 3. q. 2. Deindè Hæreticus est capax Sacramentorum, cùm habeat Baptismum, qui est janua; Tertiò: Hæreticus est capax subjectum Ordinum, ergò & Matrimonii, tanquam Sacramenti. Quartò: Quia nimis difficile foret dicere, Catholicum in hoc casu, non acquirere Sacramentum, quod tamen necesse esset; nam cùm contractus Matrimonialis unus sit, & unum Sacramentum, si in hæretico non esset Sacramentum, nec esset in Catholico, nam licèt duplex interveniat consensus, neuter tamen ab altero separatus habet rationem contractûs, vel Sacramenti, quasi dici possent, duo contractus partiales, vel duo Sacramenta partialia, sicut est in Eucharistia, quia non unius tantùm consensus signis & verbis expressus, est forma hujus Sacramenti, sed consensus utriusque simul, & indivisibiliter gratiam significat, quæ per hoc Sacramentum confertur, adeóque contractus iste, & istud Sacramentum absolutè, & propriè dici debet, unus & simplex contractus, unum & simplex Sacramentum, quamvis dicatur unum quoque unitate integritatis, quia duorum includit consensum, & duplici signo externo expressum.

XXI. Explicatur quomodo Matrimonium sit unus contractus, & unum Sacramentum.

Respond. Secundò: Si hæreticus absolutè non intenderet contrahere ut Sacramentum, sed tantùm civili modô, tunc non futurum Sacramentum: Quod probatur, Quia valor Sacramentorum pendet ab intentione Ministri, sicut patet de baptizante, proferente verba Consecrationis, si enim intentio absit, nihil conficiet, sed hic hæreticus esset quoque Minister, ergò. Deindè est probabile inter Fideles, contractum Matrimonialem posse separari à Ratione Sacramenti, cùm oppositum ex nullo jure probari possit. Imò necessariò dicendum, contractum Matrimonialem aliquando separari à ratione Sacramenti, quia dum Matrimonium contrahitur sub conditione de futuro, positâ conditione statim in ratione contractûs est firmum & factum, sicut omnes alii contractus, ut habetur ex *L. Hæc venditio. ff. de contract. empt.* ubi dicitur: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Et tamen tunc non est Sacramen-

men-

mentum, quia non adest *consensus de præsenti expressus*, quod requiritur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.

I. Mutuus cōsensus non est materia Matrimonii.

REM de se satis conspicuam & facilem multitudo, diversitásque opinionum reddunt perdifficilem, nam Becanus sex refert diversas opiniones, Koning & Aversa decem. Catherinus dixit, materiam esse mutuum contrahentium consensum, formam verba illa *Genes.* 2. *Propter quod relinquet*, sed improbabiliter, quia novum Sacramentum novam formam, quæ simùl moraliter in eodem tempore, cùm materia ponatur, requirit, nec una extenditur ad plura Sacramenta, ergò verba illa semel prolata, omnium Sacramentorum forma esse nequeunt.

II. Actus contrahentium non sunt materia.

Canus & alii, Actus contrahentium materiam, verba Sacerdotis: *Ego vos conjungo*, formam esse Matrimonii ùt Sacramenti ajunt, sed ab omnibus rejiciuntur; Tum, Quia Matrimonium clandestinum est verum Sacramentum: Tum, Quia Eugenius in Concilio Florentino *in Decreto Fidei*, dicit, quòd causa efficiens Matrimonium est mutuus consensus per verba de præsenti expressus, ergò verba Sacerdotis non sunt forma, seu causa efficiens.

III. Nec verba contrahentium.

Richardus asserit verba unius contrahentis prius prolata materiam, posterius prolata alterius esse formam, sed si contrahentes simùl verba proferrent, ubi esset materia & forma? nulla omninò, vel vaga, & determinabilis à contrahentibus, ita ut quæ in uno forma esset, statim in alio Sacramento esset materia.

Hicquæus asserit, traditionem per contractum mutuum materiam, formam esse conformitatem contractûs ad Legem, seu ut sit legitimus.

IV. Nec contractus mutuus.

Pontius contractum mutuum materiam, formam divinam esse institutionem, ut Matrimonium est Sacramentum, sed nec conformitas illa, nec institutio est quid sensibile. Deindè, quando absolutè quæritur de materia & forma Sacramentorum, non quæritur de materia & forma, ex qua habent, quòd sint Sacramenta, sed de re sensibili à DEO instituta. Denique gratis distinguit Pontius Matrimonium ùt Sacramentum, & ùt contractum, quia communiter fatentur omnes Theologi, eandem esse materiam & formam Matrimonii, ùt est Sacramentum, & ùt est contractus civilis, quia Christus in nullo penitus hujus contractûs naturam mutavit, sed illum sub Principum dispositione & potestate Ecclesiæ relinquens, id quod fuit legitimus contractus Matrimonii, ad statum Sacramenti evexit.

V. Nec consensus internus.

Navarrus sat quidem probabiliter apud multos dicit, consensum internum esse, materiam, formam verba, quibus exprimitur, sed si dicam, & quæram, ubi sensibilitas consensûs interi? dicit hoc non requiri: Tum à paritate de contritione, quæ est pars Pœnitentiæ, & per se sensibilis non est, sed per confessionem, ergò etiam sufficit in Matrimonio, ut per aliquid aliud determinetur, & sensibilis fiat: Tum, quando dicitur, quòd requiratur sensibilitas, intelligendum est de toto Sacramento, verùm non est paritas de contritione, quæ est tantùm partialis materia, non enim est inconveniens, ùt partialis materia per suam compartem fiat sensibilis, benè tamen de totali materia, & quando dicitur, quod de toto Sacramento dicatur requiri sensibilitas, intelligitur de toto non tantùm cathegorematicè, sed etiam syncathegorematicè sumpto, quia dicitur signum sensibile ratione suarum partium.

VI. Nec signa expressiva consensûs.

Aversa & Sanchetz dicunt, signa expressiva consensûs esse sibi invicem materiam & formam sub diversa ratione, materiam quidem quatenus sunt traditio corporis ad usum Matri-

Matrimonialem, formam verò quatenus sunt traditionis ab altero factæ acceptatio: sed gratis, nam tunc etiam in aliis contractibus traditio rei deberet dici materia, & traditionis acceptatio forma, quod est mandatum. Deindè acceptatio non censetur determinare traditionem, sed utraque per modum completi unius entis moralis afficit & determinat objectum contractûs. Denique inter materiam & formam semper intelligitur distinctio realis in Sacramentis, qualis hìc non esset, sed ad summum rationis, imò vix hæc videtur esse, nam eo ipso, quo traditio est mutua essentialiter, simul est acceptatio, non enim fieri potest, ut unus conjugum velit corpus suum tradere, & non acceptare alterius corpus, & acceptare corpus alterius & non tradere suum. Itaque refutatis his sententiis, & non subsistentibus, ego quam existimo probabiliorem pono. Et

VII. Materia Matrimonii sunt corpora contrahentium, forma, verba, vel signa.

Dico Primò: *Materia hujus Sacramenti sunt corpora contrahentium mutuò tradita, vel tradenda, forma verò sunt verba eorundem, vel alia signa externa æquivalentia sufficienter exprimentia consensum.* Ita Scotus *dist.* 26. *sub litt. L.* D. Bonaventura *dist.* 26. *part.* 2. *qu.* 1. ubi ait: quòd semper vir & mulier fuerunt materia hujus Sacramenti. D. Thomas, Mastrius, Bassolius, Hurtadus &c.

Probatur: Quia materia & forma hujus Sacramenti est eadem, quæ est contractûs, cùm Christus contractui in natura invariato solùm addiderit Dignitatem Sacramenti; sed contractûs matrimonialis materia sunt corpora contrahentium, forma est consensus sensibiliter expressus, ergò sunt eadem materia & forma Sacramenti. Quia tamen corpora contrahentium sunt contractui extrinseca instar objecti & materiæ circa quam, idcircò non sunt materia Sacramento intrinseca & essentialis, sed essentialiter supposita, quod sufficit. Nec Concilium Florentinum *in Decreto de Armenis* obstat, dum docet, Sacramenta perfici rebus ùt materia, verbis ùt forma & persona Ministri, non enim voluit Sacramentum hoc habere aliam materiam, quàm habeat ipse contractus, materia autem contractûs vocatur ipsummet objectum, aut res, de qua contrahitur, prout merces dicitur materia emptionis, &c. sicut autem nemo in aliis contractibus est sollicitus ad inveniendam aliam materiam ex qua, sic nec debemus esse solliciti in præsenti, unde Concilium præscindit; nam de hoc Sacramento loquens ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, abstinendo in assignanda materia, prout de aliis fecerat Sacramentis.

Dico Secundò: *Ministri Sacramenti hujus sunt ipsi Contrahentes.* Ità communissimè Doctores. Probatur Conclusio: Nam olim Matrimonia clandestina fuerunt valida, & ubi Concilium Tridentinum receptum non est, adhuc sunt, vel etiam in locis hæreticorum, in quibus nullus est Parochus, vel non datur ad eum tutus accessus, ergò. Deindè Concilium Tridentinum non petit assistentiam Parochi, nisi per modum conditionis necessariò requisitæ, nec verba ipsius: *Ego vos conjungo*, aliud sonant, quàm Ego vos conjunctos declaro, approbo, conjunctionem vestram benedico, nomine & authoritate Ecclesiæ. Nec est absurdum, quòd hoc Sacramentum ob peculiarem rationem contractûs exigat duplicem partialem Ministrum. Similiter absurdum non est, laicos & fœminas esse Ministros, sicut absurdum non est ipsum contractum Matrimonii elevatum esse ad dignitatem Sacramenti. Pariter non est absurdum hoc Sacramentum perfici validè sine ullâ aliâ cæremonia sacra, cùm ipsemet contractus quatenus elevatus ad Sacramentum sit cæremonia sacra, uti Baptismus. Nec *cap. Tribus gradibus. de consec. dist.* 4. prohibet fœminis aliam administra-

VIII. Ministri sunt ipsi contrahentes.

nistrationem, quàm Eucharistiæ, vel aliam, quæ fit per Consecrationem, alioquin nec in necessitate posset baptizare. Sed

Opponitur Authoritas D. Pauli 1. *Corinth.* 4. docentis, Sacerdotes Domini esse tantùm Ministros, *sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI*, ergò Episcopi & Parochi sunt Ministri Matrimonii. Confirmatur: Quia *cap. Tribus gradibus. de Consecrat. d.* 2. universaliter dicitur, fœminam non posse Ministrum Sacramentorum esse. Respond. Negando Consequ: Quia Paulus loquitur de Ministerio & dispensatione Mysteriorum fidei, id est, de Ministerio Evangelicæ prædicationis, quæ maxima Mysteria continet, sicut idem Paulus vocat Timotheum *Ministrum DEI in Evangelio Christi*, 1. *Thessal.* 3. Deindè licèt etiam loquatur de administratione Sacramentorum, intelligendus est de iis Sacramentis, quæ particulari benedictione & Consecratione indigent, alioquin nec laicus aut infidelis in & extra casum necessitatis validè baptizaret. Et hoc tantùm nec aliud vult *Cap. Tribus gradibus.*

IX. Matrimonium validè celebratur inter absentes.

Dico Tertiò: *Validè celebrari potest per Procuratorem, Epistolam, vel Nuncium, etiam in ratione Sacramenti.* Ità Doctor Subtilis litt. M. Mastrius, Herinx, Diana, Bonacinna &c. Et quidem quod in ratione contractûs Matrimonium sit validum, patet ex *cap. Finali. de Procurator.* 6. *cap. Honorantur.* 32. *qu.* 2. *l. Mulierem. ff. de ritu nuptiar.* (per epistolam) *ex l. Sufficit. ff. de Sponsal.* Notandum tamen est, differentiam esse inter Procuratorem & Internuncium, quòd Internuncius consensum mittentis tantùm exprimat, Procurator & exprimat, & eliciat.

X. Etiam in ratione Sacramenti.

Quod etiam in ratione Sacramenti valeat Matrimonium, probat Sanchetz ex eo, quòd contractus & Sacramentum non sint separabiles: Sed contrarium jam insinuatum est suprà, de hæretico contrahente & positivè nolente suscipere Sacramentum, cum actiones non operentur ultra intentionem agentis, quare ratio Sanchetz non concludit. Teneo enim de mente Scoti contractum à Sacramento esse apud fideles separabilem, cùm Sacramentum sit posterius contractui, utpote quod in contractu fundatur: Quare Probatur Conclusio quoad istam partem aliter: Tum, Quia Matrimonium celebratum inter præsentes est Sacramentum, ergò etiam celebratum inter absentes: Probatur consequ: Quia tunc quoque concurrit, materia, forma, & intentio Ministri, id est, intentio contrahentium intendentium accipere Sacramentum, vel saltem facere, quod S. Mater Ecclesia. Tum, Quia in tali casu concurrere possunt omnia, quæ requiruntur à Tridentino, videlicet præsentia Parochi, & testium. Tum, Si non esset Sacramentum, fuisset à Tridentino vetitum, vel saltem præcipere, ut iterum contraherent, quod tamen non facit, ergò. Nota tamen Sanchetz rationem non esse malam, & improbabilem, verùm mihi penes Scoti mentem manendum, quamvis etiam illam per decursum non nunquam adhibeam pro materiæ ratione, & ex probabilitatis principio. Sed contra Conclusionem

Arguitur: Sententia Judicialis potest ferri à Judice in reum absentem, ùt de se patet, & tamen, ut habeat rationem Sacramenti, nempè Pœnitentiæ, reus debet esse præsens, ergò etiam licèt contractus Matrimonialis possit fieri inter absentes, non poterit tamen fieri in ratione Sacramenti. Respond. Negando consequ: Disparitas est, quia Sacramentum Pœnitentiæ debet habere Confessionem cum attritione & dolore de peccatis, & erubescentiâ quâdam de peccati turpitudine, quæ est motivum partiale attritionis, hanc autem non habet Confessio per litteras, quia juxta vulgatum proverbium, *Littera non erubescit*, ideò permitti non debet, ut Confessio fiat per litteras, nec ut absenti

detur

detur absolutio, quia insuper Sacerdos non potest esse certus de Pœnitentis contritione, quæ ex modo confitendi colligitur, quæ omnia in Sacramento Matrimonii non occurrunt, cùm solùm consensum externè expressum exigat.

Dices: Sequeretur, quòd dormiens posset gratiam recipere, si ipso dormiente & existente in gratia contraheretur Matrimonium à Procuratore, imò etiam dormiens posset peccare, si ipso dormiente & existente in peccato mortali fieret Matrimonium à Procuratore, ergò.

XI. Dormiens potest accipere gratiam. Respond. non esse inconveniens illum dormientem recipere gratiam, & Sacramentum, quia id etiam accidere potest in aliis Sacramentis, ùt patet de Baptismo & Pœnitentia in iis, qui antea petierunt, & postea obmutuerunt, & tamen eis sunt danda hæc Sacramenta, ex 26. *qu.* 6. *cap. Qui recedunt. cap. His qui. & cap. Agnovimus.* obligatur tamen sub mortali, ut sit in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter judicat celebrandum esse contractum, & peccat mortaliter, si non est in gratia, nec est inconveniens dormientem peccare mortaliter ratione consensûs liberi in vigilia habiti, sicut pariter ebrius peccat, hominem occidendo in ebrietate, ratione liberæ voluntatis, quá se voluit inebriare non obstante periculo homicidii prævisso, juxta communem doctrinam.

XII. Conditiones ut Matrimonium validè contrahatur per Procuratorem. Quæres Primò: Quæ conditiones requirantur, ùt Matrimonium, per Procuratorem factum, sit validum. Respondeo: Primò requiri, ut Procurator habeat speciale mandatum ad ipsum Matrimonium contrahendum. Secundò, ut Procurator agat per se ipsum, non enim ipse potest alium substituere, nisi habeat speciale mandatum, ut habet *Gloss. ultim. de Procurat.* Tertiò, ut ante contractum Matrimonium non revocetur mandatum ipsi datum, si enim revocetur, Matrimonium est nullum, etsi revocatio non innotesceret Procuratori; ùt habetur dicto *cap. Finali.* Et Probatur: Quia contractus Matrimonii debet esse liber, non autem esset liber, si mandans revocaret mandatum antea, aut interius retraheret consensum priorem per dissensum posteriorem. Quartò, ut mandatum detur ad contrahendum cum certa persona. Quintò, ut Procurator non excedat limites commissionis quantum ad illa, sine quibus non vellet mandans inire Matrimonium. *L. diligenter. ff. Mandati.*

Qæres Secundò: Quænam verba adhibenda sint à Procuratore, quando nomine alterius contrahit? XIII. Verba à Procuratore adhibenda. Respond. cum Bonacinna hæc & similia: *Recipio te in uxorem nominè Titii:* aut, *Titius te accipit in uxorem me mediante.* Similiter fœmina respondere debet: *Ego te mediante duco Titium*, tali enim ratione exprimitur sufficienter consensus de præsenti.

Quæres Tertiò: An mandatum debeat dari in scripto? Respon. Non esse necessarium, ut commissionem habeat in scriptis, sicut generaliter habetur de Procuratore, *L. 13. tit. 5. p. 3. & L. Maritus. C. de Procurat.* Sed sufficit, quòd sic detur, ut possit probare. Quare nullatenus opus est, ut mandatum Procurator accipiat coram Parocho & testibus: Tum, Quia Tridentinum tantùm irritat: quando contractus fit sine præsentia Parochi & testium. Tum, Quia ista solemnitas in constituendis Procuratoribus, nec in antiquo, nec novo jure invenitur præscripta: Tum, Quia Praxis Ecclesiæ etiamnum habet totum contrarium, à nemine tamen improbatum.

QUÆSTIO TERTIA.

De mutuo contrahentium consensu ad Matrimonium necessario.

I. Deus quomodo possit supplere consensum. EXistimârunt nonnulli, DEUM posse absolutè conjungere matrimonialiter virum & fœminam absque eorum consensu, & sic

factum fuisse, probatur ab illis, ex Gen. 2. ubi DEUS absque Adami scitu adduxit Evam, eámque in conjugem illi dedit, unde etiam Christus *Matth.* 19. simpliciter ait: DEUM eos conjunxisse nullâ factâ eorum consensus intentione, & ratio etiam suadet: Tum, Quia DEUS est absolutissimus Dominus corporum humanorum, adeóque poterit viro dare potestatem in corpus fœminæ quantum ad usum & copulam, & vice versâ: Tum, Quia DEUS potest supplere vices cujuscunque causæ efficientis, atqui causa efficiens Matrimonii est consensus, ut tradit Florentinum, quod adhuc limitat per particulam regulariter, ergò. Quidquid sit de DEI omnipotentia, ad ea veniendo, quæ humanitus fieri solent & debent.

II. Consensus contrahentium est absolutè necessarius.

Dico Primò: *Adeò necessarius est consensus contrahentium ad Matrimonium, ut nullâ authoritate humanâ suppleri possit.* Est communis opinio. Probatur primò ex *cap. Tua nos.* 26. *de Sponsal.* ubi habetur, quòd debeat esse volitio efficax, & ex *Concil. Florent. in Decreto Fidei*, ubi dicitur: *Causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Probatur secundò: Quia soli contrahentes habent potestatem suorum corporum, & tradendum super illa dominium in usum conjugalem: nec ex ullo capite constat Reipublicæ aut Principibus concessam esse hanc potestatem independenter ad consensum ipsorum contrahentium, posse cogere virum & fœminam ad matrimoniale vinculum, quare nec eâ unquam usi sunt, quia non expediebat bono communi, quoniam conjugum indissolubilis vitæ societas & mutua charitas exigit, ut nonnisi consentienti imponatur. Quare etsi adsint verba externa, & millies repetantur, copuláque sequatur, nullum erit adhuc Matrimonium sine consensu interiori.

Dices: Ecclesia aliquid de facto statuit, nam *cap. His, qui fidem.* 3. *de Sponf.* decernitur, Sponsalia transire in Matrimonia per subsecutam copulam, unde coguntur post copulam in Matrimonio vivere, neque admittitur exceptio reclamantium, quòd non consenserint. Et *cap. Finali. de condit. appos.* etiam decernitur, Matrimonium sub conditione impossibili contractum esse validum, & tamen in his casibus sæpè deficit consensus, ergò. Respond. Ecclesiam in his juribus non decernere contractus illos esse verum Matrimonium, si revera consensus non adfuit; sed solùm in foro externo præsumit illum adfuisse, & in tali consensu ad copulam affectu maritali accessisse, & sic reputat eos Matrimonium verum contraxisse, & validum esse judicat, nec ullam reclamationem admittit, &, si fortè consensum non habuerint, obligat illos, ut habeant, quod facere possunt, atque adeò in tali Matrimonio permanere debent.

III. Ecclesia cogit, ut habeant consensum.

IV. Non est necessarius consensus Parentum.

Dico Secundò: *Ut validus sit contractus Matrimonii, non est necessarius consensus parentum, peccarent tamen graviter sic contrahentes sine legitima causa.* Secunda pars est communis: Quia filii sub peccato mortali tenentur obedire parentibus in rebus justis magni momenti. Sed etiam prima pars est communis Catholicorum contra LUTHERUM & recentiores Hæreticos. Patet ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* ubi eos anathemate damnat, qui falsò affirmant, Matrimonia à filiisfamiliàs sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Et ex *cap. Sufficiat.* 27. *qu.* 2. ubi Nicolaus Papa II. ait: *Sufficiat secundùm Leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur, qui consensus si in nuptiis solus fortè defuerit, cœtera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Probattur etiam ratione. Quia nullibi extat Jus Divinum, quo requiratur ad valorem Matrimonii consensus parentum. Imò in Scriptura Gen. 28. legitur, Esau duxisse uxorem sine consensu Parentum, & Jacob unâ acceptâ duxit alias etiam sine

sine consensu. Nec refert, quòd opponant hæretici, quòd scilicet in Scriptura committantur conjugia filiorum Parentibus, quia hoc arguit tantùm ad melius esse, non ad validitatem, nec authoritas S. Basilii illis favet, qui in Epistola ad Amphilochium conjugia sine Parentum consensu appellat fornicationes, quia tantùm vult, quòd habeantur pro fornicatione in foro exteriori, antequam probetur utrinque, sine extorsione & metu, legitimus consensus.

Arguitur: DEUS conjungit matrimoniò conjunctos, *Quod Deus &c. Matth.* 9. sed non conjungit eos, qui se conjungunt peccaminosè, sicut conjunguntur, qui sine parentum consensu conjunguntur, ergò. Respond. distinguendo Majo: DEUS conjungit &c. impellendo, vel suadendo, nego Majorem: Sacramentum præstando, per quod sibi indissolubiliter conjunguntur, concedo Majorem & disting: Mino: nego consequentiam.

V. Non sufficit purus consensus internus.

Dico Tertiò: *Consensus non sufficit internus, sed externus exprimi debet per verba, vel alia signa æquivalentia.* Prima pars est communis. Secunda est Mastrii, Hurtadi, Koning, Ledesmæ &c. Probatur quoad totum. Id namque requirit, Tum ratio contractûs humani, & mutuæ traditionis ac acceptionis: Tum, ipsa ratio Sacramenti, cujus pars essentialis est sensibilis expressio consensûs interni.

Opponuntur plures Authoritates ex Jure, ùt *cap. Cùm locum. de Sponsal.* ubi dicitur: Matrimonium contrahi solo consensu. Similiter *cap. Tuæ, de Sponsal.* dicitur: *Matrimonium in veritate legitimè contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti.* Respond. in primo loco subintelligendum consensum expressum per signa externa, ùt patet ex *cap. Licèt. de Sposa duorum.* Secundum locum intellige hoc modo, quòd Ecclesia requirat, quòd consensus, qui alioquin potest fieri per nutus, exprimatur, dum potest, vel dum non subest legitima causa, per verba, ut certius Ecclesiæ constet, hoc tamen non probat ad valorem verba vi Sacramenti requiri, cùm ad contractum non requirantur; unde sufficiunt quæcunq; verba, quæ consensum de præsenti (omnia enim Sacramentorum verba talia sunt, quæ effectum significant, tunc fieri, quandò proferuntur, ut de præsenti non prognosticè significent) exprimunt. Item signa & nutus v. g. seria capitis ad interrogationem de traditione, & acceptatione inclinatio, manus porrectio ad factam petitionem, ùt si vult talem pro nunc in conjugem accipere, manum porrigat. Item si parentes exprimant consensum prolium præsentium nomine, & non contradicentium, *cap. 1. de Sponsal. impube. in* 6. Solebat etiam ante Tridentinum copula subsequens Sponsalia esse signum sufficiens consensûs de præsenti, *cap. Veniens. cap. Is qui fidem. cap. fin. de Spons.*

Dico Quartò: *Objectum primarium consensus contractûs Matrimonialis est jus ad copulam, secundarium verò in ipsam copulam, si non explicitè & formaliter, saltem implicitè & virtualiter intentam.* Ita deduco ex Mastrio, Sanchetz, Becano & pluribus aliis. Probatur prima pars ex D. Paulo 1. *Corinth.* 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* ubi satis insinuat Apostolus, potestatem seu jus ad corpus & copulam esse, quod per matrimonialem cōtractum conjuges acquirunt. VI. Objectum contractûs matrimonialis est jus ad copulam.

Confirmatur ex Definitione Matrimonii ùt est contractus, *quòd sit maris & fœminæ mutua translatio corporum pro usu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam.* ubi translatio corporum pro essentia ipsius contractûs ponitur, ergò ille consensus, qui contractum hunc efficit, pro objectò habere debet jus ad corpus & ad copulam.

VII. Consensus debet implicitè ferri in copulam vi contractus.

Probatur secunda pars Primò. Quia Matrimonium essentialiter ordinatur ad procreationem prolis tanquam primarium finem, quæ haberi non potest naturaliter sine copula, atque adeò consensus efficiens illud, saltem implicitè in illam ferri debet. Probatur consequentia, quia contractus Matrimonialis debet specificari per differentiam aliquam essentialem, sed per translationem puram corporum non specificatur, ergo. Probatur minor. quia profitens Religionem etiam transfert suum corpus; item vendens se in servitutem transfert dominium sui corporis, suntque omnes veri contractus, ergo, ut distinguatur, & specificetur qualis sit translatio, implicitè saltem & virtualiter in copulam ferri debet.

Probatur secundò ex D. Augustino, qui refertur *cap: Beata Maria. 27. q. 2.* ubi loquens de Matrimonio ejus cum S. Joseph ait: *Beatam Virginem consensisse in copulam carnalem, scilicet implicitè, & secundùm id, quod spectabat ad contractum, absque tamen illo proposito actualis copulæ, cùm jam de illo fuerat certificata*, quasi diceret in radice & fundamento habuisse consensum ad copulam, eò quòd consenserit in matrimonialem contractum, qui enim explicitè consentit in contractum hunc, consentit implicitè in id, ad quod ordinatur contractus, nempe ad copulam, & tali ratione universaliter dici potest consensum contrahentium implicitè & virtualiter in copulam ferri debere, atque talem consensum ad essentiam & integritatem Matrimonii pertinere.

VIII. Non est opus, ut cōsensum dirigant ad copulam.

Dico quintò. *Non est opus, ut ipsi contrahentes dirigant consensum ad copulam sive explicitè, sive implicitè illam intendendo.* Hæc deducitur ex Doctore subtili, & Authoribus suprà citatis. Et probatur ratione Scoti efficacissima. Quia dominium distinguitur ab usu, ergo fieri potest, ut quis transferat dominium, & alter accipiat sine ulla intentione utendi dominio, sed in contractu matrimoniali transferuntur dominia corporum, quorum usus est copula, ergo non est opus, ut contrahentes habeant consensum ad copulam. Probatur secundò. Quia potest transferri, dominiúmque acceptari cum expressa conditione, clausula, & obligatione nunquam utendi dominio tali, ut patet de agris, quorum dominium quis habere potest cum tali resignatione nunquam eo utendi. Tertiò. Potest quis acquirere jus & potestatem in aliquam rem, nec tamen velle habere liberam & expeditam positionem actûs, sed ligatam & restrictam per oppositam promissionem DEO vel hominibus factam, ergo. Probatur Quartò. Non est opus, ut conjuges post matrimonium & ratum habeant consensum ad copulam, imò possunt per castitatis votum, vel ingressum in Religionem mutuo consensu nunquam velle habere, ergo etiam antequam contrahant, vel cùm contrahunt, non est necesse, ut in copulam aliqua ratione consentiant, imò possunt directè & explicitè non velle illam habere. Unde non abs re Scotus 4. *dist. 27. q. 1.* approbat definitionem matrimonii, quam Alexander III. tradit in jure canonico *cap. illud quoque. de præsumpt:* Quòd sit *maritalis conjunctio viri & mulieris inter personas legitimas individuam vitæ consvetudinem retinens*, in qua nulla fit mentio nec de consensu in copulam, nec de copula, nec per *individuam vitæ consvetudinem* intelligi potest, quia hæc non est tam essentialis, quin non separari possit, uti frequenter fiunt separationes à mensa, thoro, & à cohabitatione. Confirmatur, Quia copula non est de essentia matrimonii, neque de integritate, ergo non est necesse, ut contrahentes ad illam dirigant suum consensum.

Dices contra rationes primas Scoti. Dominium conjugum in corpora sua absque usu & copula esset omninò inutile, & frustratorium, ergo nequeunt contrahentes dominium

nium corporum transferre sine respectu ad usum & copulam. Respond. negando antec. Quia etsi conjuges transferrent corpora cum expressa clausula non utendi, adhuc dominium non esset frustraneum; nam in primis, si postmodum convenirent, non peccarent peccato fornicationis, sicut soluti, & è contra, si peccarent cum persona extranea, adulterium committerent contra fidem datam in contractu.

Deinde est alius solemnis effectus, quòd indissolubiliter maneant colligati, nec ad alias nuptias transire possint, quamdiu sunt simul superstites. Ex hac & priori conclusione benè sequitur illatio de Matrimonio B. V. Mariæ, de quo

IX. Inter B. V. Mariam & S. Josephū verum fuit Matrimonium. Dico Sextò. *Desponsatio inter Beatissimam Virginem Mariam & S. Josephum verum fuit Matrimonium.* Hanc Conclusionem putat Suaretz esse de fide 3. p. q. 29. art. 2. Canisius verò in Mariali suo lib. 1. cap. 5. ait, esse arbitrariam. Medina verò (ut refert Sanchetz) lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, cap. 64. tenet, posse probabiliter defendi, non fuisse verum Matrimonium, sed Sponsalia de futuro. Probatur tamen Conclusio Primò ex Scriptura, in qua Joseph dicitur vir MARIÆ, & ipsa ejus Conjux, ut patet *Matth. 1. Joseph autem Vir ejus*, & infra: *Joseph Fili David, noli timere, accipere Mariam Conjugem tuam. Luc. 4. Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore*, sed ubi sunt vir & conjux, vir & uxor desponsati cohabitantes & se accipientes, ibi est verum Matrimonium, ergo. Probatur minor. Quia verba Scripturæ semper accipienda sunt in sensu proprio, quando nulla alia opponitur Scriptura, nec aliqua sequitur inconvenientia, qualis hic non sequitur, quia hoc nihil est contra ejus purissimam Virginitatem, hic enim charitas conjugalis, & non libido uxorem fecit.

Probatur Secundò ex D. Augustino *lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 11.* ubi sic loquitur de iis: *Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur, imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius, concordiùsque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum: Neque enim fallaciter dictum est ab Angelo ad Joseph; Noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam, Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus: Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio.*

Dices. Beatissima Virgo MARIA habuit votum perpetuæ virginitatis, sed hoc est impedimentum jure divino, si non dirimens, saltem impediens Matrimonium, ergo non potuit contrahere Matrimonium cum Josepho. Respond. distin. min. Est impedimentum ad contrahendum cum reservatione particulari observantiæ illius voti, nego min. Est impedimentum in ordine ad consummationem, concedo min. & nego consequen.

Instabis. Ad minus in tali contractu consentire debuisset, si petita fuisset à Josepho. Respond. implicitè & virtualiter, si peteretur, sed cùm jam erat certificata, hanc nunquam fore petendam, adeóque virginitati ejus nihil obstitit.

QUÆSTIO QUARTA.

De Matrimonio conditionatè contracto.

Sicut omnes contractus cum clausulis & conditionibus valorem suspendentibus, vel limitantibus fieri possunt, ita etiam posse Matrimonium contrahi, nemo est, qui ambigat. Quare:

Notandum Primò. Conditiones hujusmodi apponi posse vel per modum oneris & obligationis perseve- I. Conditio apponi potest per-

modum oneris & obligationis. severaturæ, ut v. g. duco te, si mihi servieris, si te sic & sic gesseris, vestieris, vel per modum clausulæ suspensivæ contractûs Matrimonialis, Et quamvis post Concilium Tridentinum amplius non contingat Matrimonia cum conditionibus celebrari, quæ in facie Ecclesiæ fieri debent absoluta, nihilominus, ut conditiones hujusmodi intelligantur, & sciatur, quid judicandum sit de Sponsalibus sic contractis, circa quæ Tridentinum nihil innovavit, operæ pretium est de conditionatè contracto Matrimonio, vel Sponsalibus hic agere. Unde

II. Variæ cōditiones referuntur.

Notandum Secundò. Conditiones in Matrimonio apponibiles & suspensivas effectûs alias esse *generales*, alias *necessarias*, alias *contingentes*; alias *possibiles* & *impossibiles*: alteras, *honestas* & *turpes*, *de præterito* vel *de præsenti*, contra bona Matrimonii &c. *Generales* sunt, quæ in quolibet contractu tacitè supponuntur licèt explicitè non apponantur, ut si vixerimus, si fraus & dolus non intercesserit; *Necessariæ* ab extrinseco, ùt si sol cras orietur: aliæ *necessariæ* ab intrinseco, si non intercedat impedimentum aliquod dirimens: *Impossibiles*, & tales sunt triplices, *à natura*: ut si cœlum digito tetigeris, *à facto* & *qualitate* contrahentium: ùt si pauperi apponatur: si 10000. aureorum attuleris. *à Jure*, ut si licet inter consanguineos & affines. *Contingentes* & *possibiles*, quæ evenire possunt, & non evenire: *Honestæ*, quæ à pietate decorantur: *Turpes*, quæ à vitiis vel obscœnitate deturpantur, & aliæ sunt contra bona Matrimonii, id est vel contra educationem prolis, aut procreationem; ùt *si partum impedieris; si sterilitatis venenum sumpseris*: aut contra fidem: ùt *si pro quæstu te prostitueris: si tui copiam feceris iis, quibus voluero*: aut contra Sacramentum, ut si ad tempus tantùm ducat, vel *usque dum ditiorem vel formosiorem inveneris.* Turpes à bonis Sacramenti præscindentes sunt tales & similes: *Si Patrem tuum occideris, si in primo coitu mihi placueris.* His prænotatis

Dico Primò: *Matrimonium celebratum sub conditione necessaria validum est tam in foro externo, quàm interno, ante expectationem conditionis, ùt si cras sol orietur, nisi absolutè contrahentes voluissent suspendere actum.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Mastrius, Becanus. Probatur: Quia tunc est validum Matrimonium, quando est inter contrahentes sufficiens consensus signo externo expressus, sed hic esset, ergo, probatur minor, Quia conditio apposita non suspendit valorem, cùm tam certa sit, ac si actu adesset, atqui quando actu adest, non suspendit, ergo. Tales ergò conditiones sunt necessariæ, actúq; existunt in causis suis naturalibus. Attamen uterque debet cognoscere conditionem illam ùt necessariam, nam si illam existimarent contingentem, Matrimonii valor suspenderetur. Deinde non debent habere intentionem in oppositum, tunc enim Matrimonium non esset validum, non ob conditionem appositam, sed propter defectum sufficientis consensûs. Et quod dicitur de conditione necessaria, idem dici potest de conditione contingente infallibiliter futura, ùt si quis diceret, *duco te, si Antichristus vel dies judicii futurus est*, quia tales contingentes reducuntur ad naturam necessariarum, cum ex ordinatione præsenti divinæ Providentiæ necessariò quoque sint futuræ, unde omnes istæ conditiones necessariæ videntur hunc facere sensum, *quàm verè cras sol orietur, te accipio in meam: tam verè ac Antichristus venturus est contraho tecum.*

III. Matrimonium celebratum sub conditione necessaria, statim est validum.

IV. Contractū sub conditione de præsenti vel præterito est statim validū.

Dico Secundò. *Matrimonium contractum cum conditione honesta de præterito vel præsenti statim validum est, si conditio adsit, invalidum, si absit.* Ita Sanchez, Bonacinna, Mastrius &c. Probatur: Tum, Quia consentiens sub conditione solùm videtur velle consentire, si conditio adsit, ergo si adest conditio,

tio statim obligabitur, si verò non adest, non obligabitur. Probatur consequentia, Quia totus valor & obligatio Matrimonii dependet à contrahentium voluntate & consensu, tanquam à causa efficiente, ergo si non intendit se obligare aliter, quàm cum ista conditione aliter non manebit obligatus &c. Quare si quis contrahat Matrimonium cum aliqua sub conditione *Duco te, si Patri placet, vel placuit*, statim valet Matrimonium, si Patri placet vel placuit, nullum autem sed irritum, si Patri non placet aut displicet: si autem Patri nec placeret nec displiceret, puto adhuc valiturum, quia illa conditio, si Patri placet, non videtur requirere positivum placitum, sed sufficere, si non displiceat.

V. Contractû sub conditione de futuro non valet ante eventum conditionis.

Dico Tertiò. *Matrimonium contractum sub conditione honesta vel indifferente de futuro, non est validum, antequam ponatur conditio.* Probatur ex *cap. de illis, & cap. super eo, de condit. apposit.* Tum ratione, Quia Jus rejiciens à Matrimonio conditiones turpes & impossibiles in *cap. finali eodem tit.* censetur admittere honestas & possibiles, quæ utpote de futuro, contractui adjectæ suspendunt valorem usque ad earum eventum, & quidem cum tali obligatione, ut ante hunc eventum neutri contrahentium liceat resilire invito altero, cùm ex contractu conditionali non minus obligatio oriatur in spe, quàm ex Contractu absoluto obligatio absoluta, & in re.

VI. Adimpleta conditione Matrimonium est firmum in ratione contractûs.

Dico Quartò. *Adimpleta conditione honesta de futuro, Matrimonium statim redditur firmum & absolutum in ratione contractûs, non in ratione Sacramenti, sed requiri novum consensum.* Prima Pars est communio Canonistarum, Secunda verò est Hiquei, Mastrii, &c. Probatur prima Pars, Quia omnes contractus cum conditione de futuro celebrati eâ adimpletâ sine novo consensu perfecti censentur, ùt patet ex *L. Hæc venditio. ff. de contractu emptionis*, ubi habetur: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio. L. Potior. ff. Qui potiores in pignore*, dicitur: *Cùm conditio semel extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.*

Probatur secunda Pars ex Regula generali Sacramentorum, ubi requiritur, ut materia & forma sit præsens actu, & non in habitu tantùm ad causandum effectum Sacramentalem, & per Ministros applicantur, sed Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, & per consensum conditionatum non ponitur materia & forma Sacramenti in effectu, quia requiritur consensus absolutus verbis de præsenti expressus, ut fiat Sacramentum, cujus effectus neq; per arbitrium Ministri, neque alterius, cujus est conditionem adimplere, suppleri potest: Ex qua Conclusione iterum patet, Contractum Matrimonialem à ratione Sacramenti esse apud fideles separabilem, quamvis ordinariè contractus habeat sibi adjunctam rationem Sacramenti.

VII. Non tamê in ratione Sacramenti.

Dico Quintò. *Matrimonium contractum sub conditione impossibili naturaliter seriò ex ea intentione adjecta, ut aliter se obligare nolit, invalidum est.* Ita Aversa, Brancatus, Mastrius, & plures alii, quos posterior citat, contra Sanchetz, qui fusissimè hanc materiam tractat, & *cap. finali* infra objiciendum defendit. Probatur Primò. A paritate. Alii contractus initi sub conditione de impossibili sunt nulli, ergo etiam Matrimonium, patet conseque. quia Matrimonium majorem libertatem requirit ad consensum, quàm alii contractus, quos frequenter metus non irritat; probatur antec. ex *L. Impossibilis. 7. ff. de verborum obligatione.* & *L. non solum. 30. ff. de act. & obligat.* ubi ratio hæc additur. *Quia in ea re, quæ ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est,*

VIII. Matrimonium sub conditione impossibili est nullum.

est, ut nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. unde etiam apud vulgum inolevit consuetudo, quando aliquid negare volumus, vel non dare, conditionem apponant impossibilem naturaliter, ut *si cornua Lunæ dentibus apprehenderis; si circulum solis palmo concluseris*, adeóque appositio seria talis conditionis impossibilis indubitatum est signum dissensûs & nolitionis, quem nulla authoritas & potestas humana supplere potest.

Probatur Secundò. Si valeret Matrimonium sub conditione impossibili naturaliter maximè propter constitutionem *Gregorii IX. in cap. finali de condit. appos.* ubi dicitur *aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi*, atqui hæc constitutio non potest facere legitimum Matrimonium, sub conditione impossibili initum, ergo. Probatur minor. Constitutio Pontificia non potest facere esse Matrimonium, quod non est, sed contractus sine consensu initus non est Matrimonium, ergo illa constitutio non potest facere, ut sit.

Dices. Ecclesiam non efficere Matrimonium esse, sed tantùm declarare illud esse legitimum Matrimonium, ergo. Respond. Hinc sequi etiam ante Decretum Gregorii IX. fuisse validum Matrimonium sub tali conditione initum, quod dicere est absurdum, ergo. Deinde ante decretum illud non erat Matrimonium, ut est certum, ergo nec potest, cùm decretum sine consensu non possit hoc efficere.

Probatur Tertiò. Constitutio illa *cap. finali citat.* est facta in Matrimonii favorem, sed non potest ostendi, in quo favor iste consistat, si valere debet sine contrahentis consensu voluntario, cùm potius onus imponi videatur, nam major favor foret, si valdè spontaneum sit, & liberum propter perpetuitatem vinculi, onus autem est introducere Matrimonium, ubi nullum est.

Probatur Quartò. Ex diversitate & difficultate explicandi illam, nam requiritur à Sanchetz, ut talis conditio sit cognita ùt impossibilis, si enim putaretur possibilis, jam fatetur futurum Matrimonium nullum, sicut si in testamento talis cõditio apposita putata fuisset possibilis, actus testandi rejicitur ut nullus. Deinde uterque contrahens debet esse conscius hujus constitutionis, ita quòd ipse Sanchetz fateatur nunquam, moraliter loquendo, eventurum casum, in quo etiam in foro externo judicari possit, Matrimonium cum tali conditione impossibili contractum valere.

Probatur Quintò. Explicando Constitutionem Gregorii IX. Eam intelligendam esse, quando dubitatur, an sint seriò vel jocô adjectæ, tunc enim præsumit jus in foro externo, quòd sint tantum adjectæ jocô, eò quòd nemo censeatur in tam serio contractu voluisse nugari, aut nihil agere, quæ explicatio decretalis, licèt satis communis sit; Fortè meliùs explicaretur, quòd loquatur Gregorius IX. non de conditione propriè dictâ suspensiva valoris contractûs, sed de conditione per modum pacti initi obligatoria ad aliquid præstandum, quæ contrahentibus injiciatur, quam declarat Pontifex pro non adjecta habendam, cùm nemo possit obligari ad turpe vel impossibile.

Explico Tertiò, Pontificem ibi non velle determinare, valere taliter contractum Matrimonium, cùm revera de consensu præsumptio fieri non possit, quæ temeraria videretur, sed solùm talem conditionem habendam esse pro non apposita, seu non attendendam vel acceptandam esse pro excusatione, sed ea non obstante adigendum, ut verè contrahat, & tunc prior contractus esset per modum promissionis, potestque adigi, ut fictè promittens verè promittat, sicut in aliis Sponsalibus. IX. Explicatur constitutio Gregorii.

Dico

X. Nullum etiam est sub conditione impossibili de facto.

Dico Sexto. *Matrimonium contractum sub conditione impossibili de facto & à quantitate contrahentium apposita per modum suspensionis nullum est, & bene tamen si per modum obligationis & pacti.* Ita Authores supra. Probatur prima Pars ex *L. cum hæres. 4. §. 1. ff. de statu liberi* ubi hoc deciditur his verbis: *Non est statu liber, cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore is, qui manu missus est, vivere, non possit, Aut si tam difficilem aut penè impossibilem conditionem adjecerit &c. nec animus dandæ libertatis est.* ubi Glossa verbo *dandæ* ait: *Quod præsumitur ex eo, quod tam longum tempus, aut conditionem impossibilem adjecerit*, v. g. Si servo 30. annos habenti promitteretur libertas, si mihi octuaginta annis adhuc serviveris, talis revera non censetur liberare velle, ergo etiam non censetur contrahere velle, qui pauperi fœmellæ diceret, si mihi Adamantem de valore unius regni attuleris, vel si mihi sex milliones pro dote dederis, nemo enim rationabiliter dicet talem habuisse verum consensum, sed potius dissensum.

XI. Benè tamè si addatur per modū pacti.

Probatur secunda Pars. Quia talis simpliciter & absolutè contraheret, atque consensum contrahendi haberet, & altera pars consentiret quoque tam in contractum, quàm in obligationem & pactum, & in tali casu valet *cap. finale de condit. apposit.* talis enim non obstante illa obligatione tenetur contrahere, licèt nunquam adimpleta fuerit, cùm impossibilium non sit ulla obligatio.

XII. Valet Matrimonium cum conditione, si Pontifex dispensaverit.

Dico Septimò. *Matrimonium contractum sub conditione impossibili de jure, ùt si mea es consanguinea, invalidum est, bene tamen si addatur altera conditio inter impeditos, si Pontifex dispensaverit.* Probatur prima Pars: Tum, Quia consanguinei scientes incidunt in Excommunicationem latam in Clementina unica de consang. & affinitate: Tum, Quia Matrimonium initum cum impedimento dirimente est nullum, atqui in tali casu esset cum impedimento dirimente, ergo nullum, quia impossibile censetur, quod practicè fieri non potest. Probatur secunda Pars. Quia licèt tales inhabiles sint ad contrahendum, non tamen pro tempore adimplendæ conditionis, sed contrahentes cum conditione non contrahunt pro tunc, sed pro tempore adimpletæ conditionis, ergo. Probatur minor, Quia ea est natura conditionis, ut suspendat actum & ejus absolutam obligationem in tempus impletæ conditionis, ut dicitur *L. Cedere diem. 213. ff. de verborum signif.* ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies pendente adhuc conditione, & confirmatur, Quia talis conditio non est turpis, sed honesta & licita, quare licèt ante illius positionem sint ad contrahendum inhabiles, erunt tamen ea posita.

Dico Octavò. *Matrimonium contractum cum conditione turpi, quæ non ingreditur substantiam Matrimonii, ut si quis dicat, contraho tecum si Matrem occideris, suspendit quidem contractum usque ad ejus impletionem, non tamen irritat.* Probatur, Quia turpis conditio eandem ex se habet naturam, ac honesta, ergo supposito consensu, & acceptatione utrinque facta suspendet contractum, non tamen irritabit, quia haberi debet *ex cap. finali.* pro non adjecta, in foro externo, ergo. In foro interno autem standum erit intentioni contrahentium, de qua, si dubitetur, præsumi debet, eos verè nec Matrimonium nec sponsalia contraxisse, nec contracta obligare, nisi talis conditio impleatur, quia turpis conditio communiter adjicitur ut impleatur, solet enim valdè expeti illud, quod pro tali conditione apponitur.

XIII. Conditio turpis apposita non irritat Matrimoniū.

Dico Nono. *Matrimonium contractum sub conditione turpi, quæ sit contra substantiam, & bona Matrimonii est nullum, bene tamen sub conditione honesta.* Ita Scotus, Mastrius, Herinx, Reginaldus, Bonacina, quoad secundam partem est contra

XIV. Contractū sub conditione turpi, quæ sit contra substantiam Matrimonii, nullum est.

tra Sanchetz. Probatur prima Pars ex Decretali sæpè citata *cap. final. de condit. apposit.* ubi sic loquitur Pontifex: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam digniorem, aut si pro quæstu adulterandum te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Idem habetur *cap. solet.* 32. *q.* 2. Probatur secunda Ratione. Quia sine sua substantia nullus potest subsistere contractus, ùt habet *cap. Tua nos. de Sponsal.* & *cap. detrahe* 1. *q.* 1. sed substantia Matrimonii consistit in consensu ad societatem conjugalem, eámque perpetuam, ad fidem mutuò servandam, & ad potestatem usûs corporis, si id requisitum fuerit, & consequenter ad prolem inde natam debitè educandam, ut habet *cap. Omne.* 27. *q.* 2. ex D. Augustino lib. de bono Conjugali *cap.* 6. & 7. ergo conditiones contra illa bona appositæ irritant Matrimonium.

XV. Debent esse de futuro. Nota autem, conditiones istas debere apponi de futuro contractui Matrimoniali, nam si apponantur de præterito vel præsenti, Matrimonium non irritant, ùt si dicas Bertæ: contraho tecum, si in priori Matrimonio adulterium commisisti, sterilitatis poculum ebibisti, validum est Matrimonium, si ea peccata commissa fuerunt, secus si non, quando contrahens revera seriò vult habere appositam conditionem, quia conditiones de præterito vel præsenti non habent virtutem suspendendi actum, nec suspendunt actum. *L. Institutio talis. ff. de conditionibus.* Nec etiam tunc sunt contra bona Matrimonii hujus, cùm in altero præcesserint.

Nota iterum, Conditiones istas esse adhibendas in ipso matrimoniali contractu, non verò post, nam ex post facto appositæ non irritant illud, cùm jam supponatur legitimè contractum; Ratio est, Quia ad valorem contractûs matrimonialis requiritur, ùt tunc habeant animum obligandi se ad hæc servanda, nam observatio illorum non est de essentia contractûs.

Secunda pars patet ex dictis in superiori Quæstione, veruntamen probatur ulterius primò ex Gersone 3. *p. serm. de Nativit. virg. consid.* 2. *alphabeto* 56. *litt. U.* in fine dicente: *Vovit Maria Virginitatem, vovit & Joseph ipse, cui voto non repugnavit matrimonialis conjunctio.* Secundò: Quia Matrimonii essentia consistit in traditione, potestate, ac jure ad corporis usum, non verò in ipso usu, qui separabilis est à dominio, ùt manifestè liquet, ergò. Nec hoc est ullô modô contra Decretalem suprà, quia illa loquitur de evitatione prolis malitiosa, quando videlicet conjuges copulâ utuntur, & per media illicita generationem impediunt, nòn verò de remota & virtuosa. XVI. Conditio honesta; quæ est quasi contra matrimonii bona, non irritat illud.

QUÆSTIO QUINTA.

De Indissolubilitate Matrimonii.

MAtrimonium definitur quoque à Doctore Subtili 4. d. 26. per ordinem ad indissolubile vinculum inter Marem & Fœminam, ùt patet ex quæst: prima hujus dissolutionis, ubi de ejus institutione reduplicativè ùt est contractus indissolubilis, egi, & inquisivi, à quo suam habeat institutionem, in hac autem quæstione tractabo de ejus indissolubilitate contra complures hæreticos, qui ob levissimas res illud dissolubile existimant, pro cujus resolutione

I. Matrimonium est triplex, legitimum, ratum, & consummatum. Notandum Primò: Matrimonium aliud dici *legitimum*, *ratum* aliud, & tertium *consummatum*; *Legitimum* dicitur, quod inter personas habiles & idoneas ipso jure naturali spectato juxta leges debito accedente consensu est contractum, quale fuit ante Christi Domini adventum, & etiamnum est inter Gentiles & Infideles, quare à Jure legitimum quidem appellatur, sed *cap. Quanto. de divortiis.* dicitur non esse

ratum

ratum. *Ratum* verò legitimum includit & superaddit rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem & indissolubilitatem acquirit. *Consummatum*, denique utrumque præsupponit, & actualiter exercet usum dominii acquisiti per corporum traditionem, veram, propriam & completam practicando.

II. Matrimonium consummatum significat unionem hypostaticam, ratum unionem gratiæ cum Ecclesia.

Notandum Secundò: Mysticam esse differentiam, non solùm physicam inter Matrimonium ratum & consumatum, ùt pulchrè docet Innocentius III. *cap. Debitum. de Bigamis*. Matrimonium enim consumatum repræsentat unionem hypostaticam Verbi Divini cum Ecclesia per carnem assumptam, quæ unio sicut est indissolubilis, *quod enim assumpsit semel, nunquam dimisit*. Ratum verò significat unionem Christi cum Ecclesia per gratiam, & charitatem, ùt idem Pontifex ex loco eodem docet, quæ unio sicut frequenter in membris per peccata fidelium dissolvitur, ita etiam Matrimonium ratum dissolvi potest, nunquam consumatum. Et ratio hujus differentiæ mysticæ est, quia solùm per Matrimonium consumatum fiunt conjuges una caro, ùt habetur *cap. 2. de convers. conjug.* & *cap. Lex. 27. qu. 2.* & colligitur ex *cap. Agathosa. in fine. 27. qu. 3.* & tandem *cap. Cùm societas eadem dist. & q.* ubi dicitur: *Cùm Societas Nuptiarum sit ita à principio instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeat in se conjunctionis Christi, & Ecclesiæ Sacramentum.* His prænotatis

III. Matrimonium Christianorum consumatum est indissolubile.

Dico Primò: *Matrimonium consummatum Christianorum est omninò indissolubile, ita ut neque ob adulterium alterius conjugis, neque ob hæresim, aut molestam cohabitationem, vel aliam similem causam dissolvi possit, ut proindè alio conjuge superstite nunquam licitum sit ad alias nuptias transire.* Ita Tridentinum Sess. 24. Can. 6. & 7. & Catholici omnes.

Probatur ex Scriptura Marci 10. ubi Christus Dominus generaliter loquens ait: *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Idem habetur Lucæ 16. *Omnis, qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Ad Roman. 7. *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi, & vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* 1. Corinth. 7. *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Probatur Secundò: Authoritate Patrum, præcipuè D. Augustini *lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 10. Hoc custoditur in Christo & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullò divortiò separetur, cujus Sacramenti tanta observatio est in Civitate DEI nostri, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, quibuscunque fidelibus conjugatis, qui sine dubio sunt membra Christi, ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.* Iterum ibidem paulò pòst: *Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altera copulatio possit aufferre.* Eadem habet *lib. eodem cap. 17. Sacramentum verò, quod nec separati & adulterati amittunt conjuges, cap. 21. quod est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusve viris atq; uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum.* Et in eodem libro sæpe repetit indissolubilitatem istam.

Probatur etiam ex determinatione Ecclesiæ in Tridentino suprà appellans illud *perpetuum indissolubilémque nexum*, & ex Innocentio III. *in cap. Quanto. de divortiis*, dicente: *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem est verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel jam est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum,*

mentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Et

Ratio etiam hujus rei allegari melior non potest, quàm mystica significatio conjunctionis inseparabilis Verbi Divini cum Ecclesia per Incarnationis mysterium, non enim habet ex ratione Sacramenti, nam Ratum est etiam Sacramentum, & tamen per professionem dissolvitur. Sed incontra

IV. Matrimonium non dissolvitur ob fornicationem. Opponitur Authoritas Evangelii & Christi *Matth.* 9. respondentis ad factam secundam instantiam Pharisæorum sic: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*, ubi Christus Dominus libellum repudii refutavit factum ex aliis causis, exceptâ *causâ fornicationis*, ergò ob hanc causam potest dissolvi. Respond. Negando Conseq: Quia Christus ibi non docet aut concedit ob fornicationem seu adulterium dimitti posse uxorem, quoad vinculum & quoad solutionem, sed solùm quoad thorum & habitationem, quia alioquin sibi contradiceret, nam consequenter subdit & dimittentem, & dimissam futuros mœchos, si ad alias transirent nuptias, dicens: *& aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*, si autem propter fornicationem vinculum esset dissolutum, non mœcharetur, sicut non mœchabantur, qui libellum dabant repudii, nec mœchantur, qui ad secundas post mortem transeunt nuptias; Breviter dico: Duo Christus Dominus docuit, primò, ob adulterium adulteram quoad thorum dimitti posse: secundò, sic dimittenti, & dimissæ facultatem ademit, & graviter prohibet, alteri nubere.

V. Indissolubilitas provenit non ex jure naturæ. Dico Secundò: *Indissolubilitas Matrimonii consummati, licèt valdè sit conformis juri naturæ, non est tamen propriè de jure naturæ, sed positivo Divino antiquo & Evangelico.* Ita Doctor Subtilis *in* 4. *d.* 26. Probatur prima pars: Quia talis inseparabilitas valdè conducit ad bonam educationem prolis, si enim fœmina nunc huic, nunc alteri nuberet, proles erit incerta, maléque educabitur, ergò. Deindè ex principiis practicis naturæ videtur inconvenientissimus tàm promiscuus fœminarum concubitus, toties revelando turpitudinem, ergò.

Probatur secunda pars: Quia jus naturæ semper manet immutatum, atque Matrimonii consumati indissolubilitas non mansit semper immutata, ergò. Probatur Minor: Quia in lege antiqua admissus fuit libellus repudii, ita quidem, ut non peccarent, qui unam repudiaret, & alteram duceret, nec etiam repudiata prohibebatur alteri nubere, ergò fuit mutata indissolubilitas, imò totaliter sublata non solùm quoad habitationem, sed etiam quoad vinculum, quamvis multi Interpretes dicant solùm permissum ad majus malum vitandum, quod clarè exindè liquet, quia tales fœminæ aliis viris nubentes non puniebantur pœna adulterantium, quô modô tamen debuissent fuisse punitæ, si vinculum indissolubilitatis mansisset, cùm talia matrimonia fuissent adulteria: Tum, Quia Lex *Deut.* 24. prohibuit, nè talis repudiata post mortem secundi mariti amplius ad priorem redire, & ille recipere eam in uxorem posset: *Cúmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit, eam - - - - vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.*

Probatur minor principalis suprà Secundò ex Lege Evangelica, in qua Matrimonium consumatum Infidelium dissolvitur, si alter ad fidem convertitur, & alter converti nolit, ut mox dicam, & infrà fusiùs, ubi acturus sum de impedimento disparis cultûs, sed si esset indissolubilitas Matrimonii jure naturæ propriè, non possent propter fidem dissolvi, quia gratia fidei, naturam non destruit, sed perficit.

Probatur tertia pars: Ex *Matth.* 19. ubi Christus interrogatus à Pharisæis, an liceat dimittere uxorem qua- VI. Sed positivo Divino.

quacunque ex causa, respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam creavit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, concludens: *Quod ergò DEUS conjunxit, homo non separet*, quibus verbis clarè insinuat hanc Lege & Præcepto Divino antiquo fuisse factam indissolubilem. Quod confirmatur, nam cùm Pharisæi replicarent libellum repudii obtrudendo respondit: *Quoniam ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic*: id est, à prima institutione non licebat dimittere uxorem, sed Præceptum Divinum erat, ut indissolubiliter cõjuncti manerent conjuges. Hinc Tridentinum dicit: *Matrimonii perpetuum indissolubilémque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit, hoc nunc os ex ossibus meis.*

Per quæ satis probatur, Præceptum Divinum antiqvum, & etiam novum, quando Christus dixit: *Quod ergò DEUS conjunxit, homo non separet.* Quem textum Alexander III. *cap. Ex publico. de convers. conjug.* in fine explicat de Matrimonio consumato: *Quod Dominus dixit, non licere viro dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, intelligendum est de his, quorum Matrimonium est copula consummatum, sine qua confirmari non potest*, & D. Gregorius præceptum hic esse Divinum Christi clarè docet, qui refertur *cap. Sunt, qui dicunt. 20. q. 2. Sunt, qui dicunt, Religionis causa connubia debere dissolvi: Lex tamen Divina prohibuit, cùm Veritas per se dicat: Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

VII. Matrimonium infidelium dissolvitur per susceptionem fidei.

Dico Tertiò: *Matrimonium Infidelium consummatum dissolvi potest, si alter conjugum convertatur ad Fidem, & alter nolit alteri sine injuria Creatoris cohabitare.* Ita Doctor. D. Thomas, D. Bonaventura. Probatur ex verbis Pauli 1. *Cor.* 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*; quæ verba sunt intelligenda non tantùm de separatione quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, éstque decisum *cap. Si infidelis.* ex Ambrosio dicente, ùt in ejus loci expositione, refert Cornelius à Lapide *Qui in infidelitate perseverat, non debetur ei reverentia conjugii, qui horret Authorem conjugii, sed potest alteri se conjungere.* Idem habetur *cap. Quanto. cap. Gaudemus. de divortiis.*

VIII. Matrimonium consummatum fidelium dissolvitur per ingressum Religionis manẽte vinculo.

Dico Quartò: *Matrimonium consummatum fidelium dissolvi potest, manente tamen vinculo per ingressum utriusque fidelis, vel unius saltem in Religionem approbatam.* Hæc habetur ex *cap: Agathosa. & ex cap. Quia Agatho. & ex cap. Scribit nobis. 27. q. 2. & ex cap. Cùm sit. de convers. conjug.* Et quàm maximè ex Regula S. Francisci *cap. 2.* ubi permittuntur recipi, qui uxores habent: *Si habent, & jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint authoritate diœcesani Episcopi voto continentiæ jam emisso, & illius ætatis sint uxores, quòd de eis non possit oriri suspicio.* En quantus Canonista Seraphicus Patriarcha pauperum, nam eædem conditiones postmodum in jure Canonico sunt requisitæ, in *cap. uxoratus. & cap. Ad Apostolicum. de convers. conjug.*

Hucusque de in- & dissolubilitate Matrimonii consummati, nunc videre oportet, quid de Matrimonio rato sit sentiendum, pro quo

IX. Matrimonium ratũ dissolvitur per professionem Religionis etiam quoad vinculum.

Dico Quintò: *Vinculum Matrimonii rati dissolvitur per solemnem Religionis professionem alterius Sponsi, ita ut remanens in sæculo maneat omninò liber ad aliud contrahendum.* Est de Fide definita ab Eusebio Papa, & habetur *cap. Desponsatam. 27. q. 2.* & à D. Gregorio Papa habetur *cap. Decreta Legalia. 28. qu. 2.* & Alexandro III. & Innocentio III. in capitibus suprà citatis, qui quidem dicere videntur, etiam per ingressum Religionis dirimi vinculum, sed intelligendi sunt de ingressu cum effectu, prout explicat Joann. XXII. in *Extra. Antiquæ. de voto.* & ita definitum est novissimè à Tridentino Sess. 24. cap. 6. *Si quis*

Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem non dirimi, anathema sit. Probatur Secundò: Ex usu & Apostolorum traditione à Christo derivata, nam, ùt testatur Beda in procemio in Joannem, Christus Dominus ipse vocavit Joannem à nuptiis ad Apostolatum, & idem sentit Doctor subtilis, licèt alii contrarium opinentur, quibus alia addi possunt exempla, nam D. Paulus vocavit sanctam Teclam ante Matrimonium consummatum ad vitam perfectiorem, teste D. Ambrosio lib. 2. de Virginibus, & Epiphanio hæref. 58. D. Alexius, & S. Cœcilia ex nuptiis ad statum perfectiorem transierunt, ùt testantur Metaphrastes & Surius in vitis eorum, & idem de Macario refert D. Hieronymus, & affert Gratianus *cap. Scripsit. 27. q. 2.*

Nota autem, ad dirimendum hoc vinculum professionem debere esse solemnem, quare professionem quorundam & quarundam Tertiariarum non dirimunt, nec Eremitarum de facto, nec per Ordinem sacrum vel Episcopatum, nam votum Ordini sacro est per accidens tantùm solemne, ùt definit Joann. XXII. suprà, & Episcopatus ex natura rei non repugnat conjugio, sed solùm ex Ecclesiæ statuto. Benè tamen dirimit votum in Equestri Religione emissum: Tum, Quia verè sunt Religiosi: Tum, Quia alioquin eorum votum non dirimeret Matrimonium ex postfacto contrahendum.

X. Jure Divino positivo.

Dico Sextò: *Vinculum Matrimonii rati non dissolvitur ex natura rei, nec jure Ecclesiastico, sed jure Divino à Christo Domino derivato.* Ita Doctores passim, & Scotus dist. 31. q. un. lit. C. ubi sic dicit: *Christus autem, qui istam indissolubilitatem induxit* Matth. 19. reprobans pro Lege sua *repudium Mosaicum ipse relaxavit istam indissolubilitatem, quando alter conjugum convertitur ad Religionem, unde Ecclesia nunquam attentâsset post Matrimonia rata, non consummata licentiare alterum ad Religionem altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset.* Probatur ex Jure Canonico *cap. Verum. cap. ex parte tua. de convers. conjug.* ubi asseritur: *Ex sacri eloquii interpretatione, & Divinâ revelatione in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, ut ratum Matrimonium per professionem solemnem solveretur.* Ratio etiam est, quia semper est licitus transitus à statu imperfectiori ad perfectiorem, si fiat sine alterius præjudicio, ergò, &c. Ex quo infertur qualecunque tempus post Matrimonium ratum, non consummatum intercessit, posse conjugem intrare Religionem, imò ex *cap. Ex publico.* conceditur (præsertim ex antecedente, consensu Doctorum Canonem sic explicantium) conjugi meditanti Religionem bimestre ad deliberandum, quo proindè tempore non obligabitur ad reddendum debitum.

XI. In Matrimonio rato potest Pontifex dispensare.

Dico Septimò: *Pontifex etiam in aliis casibus justa de causa in Matrimonio rato dispensare potest.* Probatur: Quia in dubiis standum est sententiæ superiorum, *cap. ad aures. de temp. ordin. & cap. Quia culpatur. 23. qu. 1.* & maximè Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit, & ita Spiritus S. magis assistit, sed actu varii Pontifices dispensârunt, ergò possunt optimâ consequentiâ; probatur minor, Nam D. Antoninus 3. *p. tit. 1. cap. 21. §. 3.* affirmat, se vidisse Bullas *Martini V. Eugenii IV.* qui dispensârunt. Navarrus Summa Latina *cap. 22. num. 21.* refert, ter vel quater ad petitionem suam *Paulum III. & Pium IV.* dispensâsse. Cajetanus *in opusculis tom. 1. tract. 28. de Matrimo. qu. unica.* refert, suo tempore Pontifices sæpè dispensâsse, & Henriquetz *lib. 11. de Matrim. cap. 8. nu. 11. in Commento. L. F.* refert, *Gregorium XIII.* unica die cum undecim dispensâsse, prout eos omnes citat Sanchetz *lib. 2. disp. 14. n. 2.* ergò. Confirmatur primò: Quia Summi Pontificis authoritas amplianda est in omnibus casibus, qui Ecclesiæ utiles sunt, frequentérque necessarii, quia Christus non videtur defuisse in conferenda clavium potestate ad animarum salutem, atqui frequenter est ne-

est necessaria in Ecclesia hujusmodi dispensatio, v. g. propter tollenda scandala, ergò. Confirmatur Secundò: Quia Summus Pontifex potest dispensare, & de facto dispensavit in professione solemni, quod est vinculum potentius, cum hoc dirimat vinculum Matrimonii non consummati, sitque factum DEO, Matrimonium verò soli homini, ergò si potest id, quod majus est, poterit & quod minus est, si enim vinco vincentem te, â fortiori vincam te, *L. de accessionibus. ff. de divor. & tempor. præscript.* Hócque dicendum est, Pontificem habere à Christo, & non ex Jure positivo, quod ex praxi probatur, sicut etiam ex Praxi Ecclesiæ probat Scotus per professionem dissolvi posse, Christi esse dispensationem.

XII. Causæ, ob quas Pontifex in Matrimonio rato dispensare potest.

Dixi in Conclusione: *Justa de causa.* Quales à Canonistis recensentur, Primò: Quando intercedit inter conjuges notabilis disparitas in conditione, & solummodò ex amore aliquo cœco præcipitârunt se ad contrahendum Matrimonium, non considerantes effectus subsecuturos, qui frequenter sunt rixæ, odia, discordiæ ex disparitate conditionis oriri solitæ, ut experientia constat, unde Cleobulus, unus ex septem Sapientibus, dicebat: *Par pari jugato conjux, quod impar est, dissidet*, & Euripides in Rheso, unus ex ipsis: *Nolim ex potentioribus me ducere uxorem*, tandem Ovidius in Epistola Dejaniræ ad Herculem: *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Secundò: Ob periculum gravis scandali, aut homicidii, quando maritus incipit habere diffidentiam ad conjugem, nec est spes sanioris mentis. Tertiò: Ob lepram supervenientem, cùm enim Matrimonium ordinetur ad mutuum corporis usum, ad procreandam prolem, libidinémque sedandam, hos fines nequit habere alter conjux. Idem dicunt aliqui de superveniente impotentia. Quartò: Quando alter conjunx dicit, se non habuisse consensum, & etiam adigi non potest, ut habeat illum.

QUÆSTIO SEXTA.

De Unitate Matrimonii.

Sicut Monogamus unius uxoris vir dicitur, sic Monogamia uxoris est unitas, de qua ait D. Hieronymus: *Quàm sancta sit Monogamia, hinc ostenditur, quòd digamus in Clerum eligi non potest*, quare digamus, seu bigamus vocatur, qui duas habet uxores, polygamus, qui plures, à quibus sunt abstracta, digamia seu bigamia, & polygamia, quæ Monogamiæ seu unitati Matrimonii opponuntur. Itaque notandum, Polygamiam seu Bigamiam duplicem esse, unam *Successivam*, alteram *Simultaneam.* Prima est, dum vel uno conjugum mortuo, vel repudiato assumitur alius. Altera dum vel unus eodem tempore plures uxores sibi copulat, vel una pluribus maritis & viris nubit.

I. Polygamia alia est simultanea, alia successiva.

Dico Primò: *Pluralitatem conjugum successivam uno mortuo validam esse.* Ita tota Ecclesia Catholica contra Montanistas, & Novatianos colligit apertè ex illo 1. *Corinth.* 7. *Mulier alligata est legi &c. Rom.* 7. *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, quòd postea confirmatum est in Concilio Florentino; quod expressè definit, non solùm secundas nuptias licitas esse, sed etiam tertias & quartas, ac ulteriores. Et tandem ratione constat, quia mortuo uno conjuge solvitur in superstite vinculum & obligatio, ergò etiam cum altero liberè contrahere potest, siquidem ex priori Matrimonio nullum relinquitur ligaminis impedimentum, unde Christus Dominus *Matth.* 12. non damnavit mulierem, quòd septem viros legitimè habuisset. Et *Joann.* 4. Samaritanam ex eo, quòd quinque habuisset, ex quo manifestè habetur ex Jure Divino & naturali non prohiberi secundas nuptias, & ulteriores, quod habetur etiam in pluribus Canonibus, 31. *qu.* 1. *de quotiescunque nuptiis*, & in Decretalibus *Tit. de secundis nuptiis*, quam-

II. Polygamia successiva post mortem alterius est licita.

quamvis nonnulli Canones alii etiam sint, qui minus eas laudent.

III. Debet tamen constare de morte conjugis.

Notandum tamen est, non posse Conjugem transvolare ad secundas nuptias, donec constet de morte compartis, in cujus præjudicium viventi cederet Matrimonium, quæ juri suo in casu dubio spoliandus non est, *cap. in præsentia. de Sponsal.* Putat Laymann. quòd in foro conscientiæ sufficiat probabilitas de morte conjugis per conjecturas, sed communior & tutior Doctrina requirit moralem certitudinem, *in cap. Dominus. de secundis nuptiis* dicitur: *Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit Conjux ejus.* Et in *cap. Præsentia.* suprà deciditur, quantocunque numero annorum abfuerint viri, non posse uxores aliud Matrimonium inire, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. Qui Canones non agunt solùm in foro externo, cùm dirigantur ad ipsos contrahentes, imò dicto capite non tantùm non permittuntur contrahere, sed simul Judici præcipitur, ne iis permittat; Et sanè in re tàm gravi tot incommodis & periculis obnoxia non est prudentis, præsertim absque necessitate, duci sola probabili existimatione, aut certè, etsi ex natura rei sufficeret illa, plus tamen requiritur saltem jure positivo.

Nec obstat *caput. Cùm per bellicam.* 34. *quæst.* 2. & *cap. Quoniam.* ubi dicitur: *Si de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Nam id intelligitur de præsumptione & existimatione justa, & moraliter certa, & quæ probationi æquivaleat. Pro sequenti Conclusione

IV. Benedictiones in nuptiis dandæ.

Nota Primò: In Nuptiis benedictiones quasdam adhibendas esse, convenientissimè Ecclesiam statuisse, ùt patet ex Innocentio I. *Epist.* 2. *cap.* 6. Siricio Papa *epist.* 1. *cap.* 4. Ambrosio *epist.* 70. *ad Vigilium.* & *lib.* 1. *de Abraham. cap. ultimo.* D. Isidoro *lib.* 2. *de Officiis. cap.* 19. Item ex Concilio Constantiensi contra Wiklephum, & Tridentino *Sess.* 34. *Can.* 1. Porrò benedictiones tales aliud non sunt, quàm ritus quidam & formulæ Orationum à Ministris Ecclesiæ ex ejus institutione super personas (& alias res) prolatæ, ad impetrandam Divinam gratiam, à malis dæmonis liberationem, & alia DEI dona, quarum effectus licèt non sint infallibiles, DEO tamen placent, qui etiam juxta fidem petentis dat quando, & ubi expedire visum fuerit.

Notandum Secundò: Has benedictiones fieri debere à proprio Parocho sub pœna suspensionis, ex Decreto ejusdem Concilii supra *cap.* 1. *de Reform. Statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Sæcularis sit - - - sine illorum Parochi licentia conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tàm diu suspensus maneat, quàm diu ab ipso Ordinario non absolvatur.* His prænotatis — V. Benedictiones à proprio Parocho fieri debent.

Dico Secundò: *Transeuntes ad secundum Matrimonium, seu Nuptias secundas, de jure communi non debent benedici, si ànte uterque conjux, vel alteruter, benedictionem in primis acceperit, secus verò si neuter in primis nuptiis acceperit.* — VI. Benedictiones in secundis nuptiis non debent dari.

Probatur ex *cap. Vir autem. de secundis nuptiis.* dicente: *Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens, non debet à Presbytero benedici, quia cùm aliâ vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet*, ubi textus disjunctivè loquitur, sive vir sive mulier fuerit benedicta in prioribus nuptiis, bene-

benedictionem non esse iterandam, adeóque licèt unus non fuerit benedictus, manet per alterius benedictionem benedictus, eò quòd benedictio semel accepta maneat, & conjux illam communicet socio carenti. Ratio autem hujus prohibitionis est, ne benedictiones publicæ ab Ecclesia adhibitæ & iteratæ vilipendantur.

Dices: Tridentinum suprà citatum nullam facit distinctionem de primis vel secundis nuptiis, sed jubet eas fieri. Respond. Tridentinum non corrigere ibi jus antiqvum, adeóque intelligendum esse de primis nuptiis, aut si de secundis, loquitur de casu non prohibito à Jure Canonico, quando scilicet neuter in primis nuptiis benedictionem accepit.

VII. Si alteruter conjugum benedictionem non accepit, benedici potest. Quid autem de facto sit observandum in praxi, consulantur Synodales cujusqve Provinciæ & Diœcesis Constitutiones, ego censeo benedictionem conferendam etiam in secundis nuptiis, quando alteruter conjux benedictionem minimè in priori accepit sive vir sive fœmina, quia in tali casu non censetur propriè benedictio iterari, sed solùm per accidens ratione socii, qui nondum fuit benedictus, nec benedici potest, nisi per Ordinem ad alterum, cum quo Matrimonium contrahit, atque ita ex consuetudine hodierna solam secundarum nuptiarum benedictionem prohiberi, quando uterque fuit benedictus. Et sic determinavit Joannes XXII. *in Extrav. Concertationi*, ubi sic habetur: *Concertationi antiquæ vim imponere volentes, præsenti declaramus edicto, quòd licèt vir vel mulier ad secundas nuptias transiens benedici non debeat, cùm aliàs sit benedictus, contrahens tamen secum benedici debebit: Quia si forsitan alter eorum vel ambo ad secundas nuptias transeuntes in primis nuptiis benedicti non fuerint, danda erit benedictio in secundis.*

VIII. Transiens ad secundas nuptias fit irregularis. Dico Tertiò: *Vir transiens ad secundas nuptias sive ante sive post baptismum efficitur irregularis, & incapax ad suscipiendos Ordines.* Hæc est definita ab Innocentio I. *epist.* 22. *cap.* 2. *& epist.* 2. *cap.* 5. *Refertur cap. Deinde. d.* 26. *& cap. Si quis viduam. d.* 24. ubi dicitur: *Si quis viduam, licèt laicus duxerit uxorem, sive ante Baptismum, sive post Baptismum, non admittatur ad Clerum: Quia eodem vitio videtur exclusus. In Baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.* Idem tenuit olim D. Augustinus contra D. Hieronymum. Vide de hac irregularitate plura in tractatu de Censuris. *disp.* 5. *q.* 4.

Dico Quartò: *Omnis Polygamia simultanea Jure Divino positivo prohibita est Christianis.* Est de Fide: Et probatur apertè ex Scriptura ex Gen. 7. *Erunt duo* (non tres, quatuor) *in carne una.* Marci 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam;* & Matth. 19. ubi Christus expressè docet esse adulterium, qui dimissâ uxore (plus est aliis adhuc retentis) suâ ducit aliam, quod non esset, si vivente priore alia adhuc esset legitima conjux: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Et iterum: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam creavit eos, & dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo, in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Et ex D. Paulo 1. Corinth. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat.* & alibi semper de una uxore in numero singulari loquitur. IX. Polygamia simultanea est Christianis prohibita.

Probatur Secundò: Ex Pontificibus & Conciliis, qui ita definiunt, prohibitam esse polygamiam, ùt posterius Matrimonium superstite adhuc priore uxore sit irritum & nullum, ita Syricius Papa *epist.* 1. Innocentius I. *epist.* 9. Alexander III. *cap. Licèt. de sponsa duorum.* Innocentius III. *cap. Final. eòdem tit. & cap. Gaudemus. de divortiis.* ubi sic dicit Pontifex: Neque unquam licuit insimùl plures habere uxores, nisi cui fuit Divina revelatione concessum. Et novissimè Tridentinum *Sess.* 24. *de Matrim.*

Matrim. Can. 3. Si quis dixerit: Christianis licere plures simùl habere uxores, & hoc nullâ lege esse probibitum divinâ, anathema sit.

Probatur Tertiò: Ex Patribus D. Augustino *lib. 1. de nuptiis & concupiscentia. cap. 9.* Hieronymo *lib. 1. in Jovinianum.* D. Ambrosio *lib. de viduis.* Theophylacto *in cap. 9. Matthæi* suprà. Chrysostomo *hom. 63. in Matthæum,* qui omnes docent pluralitatem uxorum contrariari primævæ Matrimonii institutioni.

Probatur Quartò: Ex congruentia: Tum, Quia aliàs non una caro, sed multiplex efficerentur: Tum, Quia ex pluralitate uxorum non unio, sed divisio consurgeret: Tum, Quia cessaret significatio mysticæ conjunctionis Christi cum Ecclesia, per unionem hypostaticam, per unum Baptisma, & per unam fidem.

X. Polygamia virorum cum una muliere est contra jus naturæ.

Dico Quintò: *Polygamia seu pluralitas virorum cum una muliere, est contra jus naturæ, & positivum, posset tamen Deus dispensare.* Prima pars est communis, & Probatur: Tum ex D. August. *lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 12. & lib. de bono conjug. cap. 13.* id comprobante: Tum, Quia, licèt unus Dominus posset benè gubernare multis servis, unus servus tamen non potest inservire pluribus dominis, ex *Matth. 6.* & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, atque adeò quomodo pluribus benè inserviet: Tum, Quia maximè obstat fini principali matrimonii, ùt est contractus in ordine ad procreandam prolem, & commodam ejus educationem, nam conjunctio plurium virorum maximè impedit conceptionem, ùt docent Medici, & patet experientiâ. Item impedit bonam educationem, quia propter incertitudinem patris, nemo maritorum haberet tantam curam educandi prolem, quàm oportet. Deindè nascerentur multa jurgia & dissensiones, ut consideranti patebit.

Secunda pars ex illo: *Erunt duo in carne una.* Per quæ verba colligitur communiter, quòd DEUS instituit tantùm Matrimonium unius cum una, non verò unius cum pluribus.

Tertia pars etiam patet, quia DEUS potest dispensare in aliis præceptis juris naturæ, ùt in homicidio, &c. ergò. Deinde posset DEUS ita disponere res, ut non sequerentur illa inconvenientia, ob quæ lex naturæ prohibet Polygamiam, ergò. &c.

XI. Polygamia viri cum pluribus uxoribus nô est contra jus naturæ.

Dico Sextò: *Polygamia unius viri cum pluribus uxoribus non est probibita jure naturæ stricto, ita, ut, nisi accederet jus positivum illud probibens, esset peccatum uni viro ducere plures uxores.* Est Doctoris *dist. 33. qu. 1. num. 6.* Probatur, Quia talis polygamia non esset contra procreationem prolis, nec educationem ejusdem, ergò. Primum patet: Quia potius adjuvat illam. Secundum etjam patet: Quia posset tot ducere, ut proli educandæ cum subsidio præsertim uxorum possit abundè sufficere, imò videretur magis conveniens, quàm semper obligari uni, ad quam, cùm laborat menstruo, aut gravida est, aut filium lactans, non datur adeò utilis accessus. Nec obstaret finis secundarius, qui est remedium concupiscentiæ: Tum, Quia ille finis non fuisset in statu innocentiæ, si perseverâsset: Tum etiam, Quia non tenetur quis uxori, quoties indigeret, ita satisfacere, quin ob multas occasiones possit illam privare, ùt constat de facto, quando viri frequenter per longum tempus absunt à suis uxoribus, ergò obligatio finis secundarii non impedit. Sed in contra

Arguitur Primò: Tolleretur in hoc casu obligatio debiti, quæ est de substantia Matrimonii, ergò. Respond. distinguendo antec: obligatio debiti pro tempore congruo in ordine ad finem primarium, est de substantia Matrimonii, concedo; in ordine ad finem secundarium Matrimonii, ùt fecit Jacob cum Rachaële, & Lia, nego.

Arguitur Secundò: Matrimonium jure naturæ est tale, quale Christus

ftus Dominus explicuit *Matth.* 19. ubi illud revocavit ad primam institutionem, sed explicuit, debere esse unius cum una tantùm, ergò. Respond. Negando Majorem. Nam licèt Christus *Matth.* 19. reduxerit Matrimonium ad primam institutionem, illa tamen non erat de jure naturæ, hoc est jure naturali præcepta, sed ad summum erat de jure positivo divino, sicut indissolubilitas ejus.

Arguitur Tertiò: Talis Polygamia repugnat fini Matrimonii, ùt est contractus civilis, nimirum convictui pacifico & finali, ergò. Patet antec: exemplo Rachaëlis & Liæ, Saræ & Agar.

Respond. Si hoc argumentum valeret, sequeretur, quòd de facto sæpissimè impediretur Matrimonium, sat enim frequenter experimur, quòd in Monogamia non sit magis convictus pacificus, quàm lupi & agni, canis & cati.

Respond. Secundò: distinguendo antec: repugnat fini primario Matrimonii, aut etiam illi alteri, ita ut non possit simpliciter haberi ille finis, nego; secundùm quid, transeat; nec valent illa exempla ad invertendam Conclusionem: Tum, Quia privata sunt, & consequenter insufficientia ad improbandum universaliter: Tum etiam, Quia facilè posset caveri rixis, quæ impediunt illum finem, ùt fecit Jacob, & hodiè faciunt Turcæ.

XII. Polygamia cum pluribus uxoribus fuit olim licita. Dico Septimò: *Polygamia seu pluralitas uxorum tàm unâ retentâ, quàm repudiatâ, antiquitus licita fuit.* Ita Doctor, D. Thomas, D. Bonaventura. Probatur prima pars, de una retenta, *Gen.* 16. & 25. de Abrahamo, qui habuit Saram & Agar & Cæturam, de Jacob, qui habuit Rachaël & Liam, de David 2. *Reg.* 5. qui plures habuit uxores, nec propter hoc à Nathan reprehensus fuit, licèt fuerit propter adulterium cum Bethsabee, imò DEUS per os Nathan improperavit Davidi tanquam magnum DEI beneficium, quòd plures ei dedisset uxores, quod non fecissent Patres illi, nisi desuper à DEO fuissent dispensati. Notandum, hanc dispensationem non fuisse illis factam per Scripturam aliquam, vel locutionem, sed per inspirationem, quæ per modum exempli & consuetudinis ad totum populum Israëliticum derivata fuit, imò etiam ad ipsos Gentiles, ita ut illis etiam fuerit Polygamia licita, prout docere videtur D. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum. cap.* 47.

Secunda pars probatur ex illo *Deuteron.* 20. ubi supponitur tanquam notum & licitum, *si quis habuerit homo duas uxores. &* 24. de concessione libelli repudii, quod Moyses non fecisset, si DEUS non dispensâsset, quia alioquin occasionem & marito dimittenti, & alteri assumenti dimissam ac mulieri peccandi dedisset, quod de tàm magno DEI amico, & familiari collocutore non est sentiendum.

Dices: S. Ambrosius *Hom.* 16. *in Lucam* dicit: Mòysem permisisse libellum repudii, non Dominum, ergò. Respond. S. Ambrosium intelligendum de DEO, quatenus primo instituit Matrimonium, non vero quatenus postea dedit Moysi authoritatem concedendi legem, secundùm quam erat licitum repudium.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Solemnitate Matrimonii ex denuntiationibus prævijs.

Solemnitas opponitur Clandestinitati, unde quot modis Matrimonium olim poterat esse & solemne, erat clandestinum, nunc tot modis dicitur solemne; olim enim celebrabatur per dissvetudinem sine proclamationibus, valebàtque contractum sine testibus, & sine Parochi præsentia, post Concilium Tridentinum istæ omnes solemnitates requiruntur. Et dicitur fieri in facie Ecclesiæ, non quòd in templo, & Ecclesia materiali fiat, sed coram certa hominum multitudine, qui publicitatem I. Quod Matrimonium solemne, quod clandestinum dicatur.

& legalem solemnitatem faciant, & sicut solemniter celebratum, nunc est validum, ita invalidum est clandestinum. In hac & sequentibus duabus agam quæstionibus de his solemnitatibus, quibus tamen quædam generaliora præmitto, &

II. Matrimonium clandestinum de jure naturæ non est prohibitum.

Dico Primò: *Licèt legi naturæ consonum sit, ut Matrimonium non fiat clam, ex jure tamen naturæ propriè loquendo non requiritur, ut fiat coram ullis testibus, ut validum sit, licèt ab Ecclesia semper fuerit prohibitum.* Ita Mastrius, Brancatus, Herinx &c.

Probatur prima pars: Quia jus naturæ explicitè non dictat contractum Matrimonialem coram testibus esse faciendum, nullum enim apparet tale dictamen, neque ex immediatis juris naturæ principiis deducitur hoc, etiamsi consideretur Matrimonium sub ratione contractûs, nullum juris naturæ principium obstare videtur, quin possit vir & mulier proprio consensu absque aliorum concursu & interventu tradere sibi mutuò dominium suorum corporum, séque invicem conjuges accipere. Deindè, si Matrimonia clandestina essent jure naturæ prohibita, cùm Concilium Tridentinum talia Matrimonia antea facta declaravit esse vera & rata, ùt constat *cap. 1. cit.* sequeretur, Ecclesiam approbâsse ùt valida & rata, quæ sunt contra jus naturæ, quod est omninò falsum, quia Ecclesia jus naturæ immutare non potest, ergò. Sequitur itaque, ad minus consonum esse legi naturæ adhibere testes, ùt in Republica, & Communitate notum sit, quinam sint conjuges, ut discernantur filii legitimi, & quorum sunt filii, & nè conjugati possint impiores impunè separari, ergò.

III. Ecclesia inhibuit semper clandestina.

Probatur secunda pars ex Tridentino *Sess. 24. cap. de Reformatione Matrimonii*, ubi ait: *Sancta DEI Ecclesia justissimis ex causis illa semper detestata est & prohibuit.* & *causa. 30. c. 1. qu. 2.* Ex Evaristo, qui fuit IV. post Petrum, & ab anno 110. usque ad 118. rexit, ubi ait, scribens ad Episcopos Africæ: *Se à Patribus & Sanctis Apostolis, eorúmque Successoribus traditum invenisse, aliter Matrimonium non esse conjugium, nisi sacerdotaliter, ùt mos est, cum precibus & obligationibus benedicatur, & alia Matrimonia non esse conjugia, sed adulteria.*

IV. Matrimonia clandestina olim erant valida.

Dico Secundò: *Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum fuerunt valida.* Ita definivit Innocentius III. *cap. 2. de clandestin. despons.* & Tridentinum *Sess. 24. cap. 1.* dicens: *Tametsi dubitandum non sit, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proindè jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant.* Ratio etiam est, Quia quotiescunqve concurrunt essentialiter requisita ad aliquem contractum, contractus ille est validus, sed sine solemnitatibus extrinsecis concurrerunt essentialia contractûs, nempè liber consensus, mutua corporum traditio, ipsique contrahentes habiles erant, ergò contractus & Matrimonia erant valida.

V. Ecclesia potuit irritare matrimonia clādestina.

Dico Tertiò: *Ecclesia sicut potuit, ita justissimis de causis de facto irritavit Matrimonia clandestina.* Et definitum contra quadraginta Episcopos, plurésque Doctores, qui ad Concilium Tridentinum confluxerant, antequam definiretur, existimabant, Ecclesiam non posse irritare talia Matrimonia. Verum Probatur potuisse, nam Ecclesia potest ipsos contractus in substantia directè mutare, & irritare apponendo conditiones, sine quibus sint nulli irriti & inanes: Potest etiam indirectè, nempè ipsos contrahentes reddere inhabiles, ùt patet de consanguinitatis, affinitatis & honestatis impedimento, ergò. Probatur anteced: quoad priorem partem, nam valor contractuum humanorum est sub potestate Principum & Superiorum in ordine ad bonum commune & publicum, prout quieti & tranquilli-

tati,

tati, aut saluti animarum deserviunt, sed in quantum sic subsunt, mutari & variari possunt. Confirmatur: Quia Ecclesia de facto irritavit alios contractus, ùt professionem ante peractum novitiatûs annum, ante completos ætatis 16. annos: ùt patet ex Tridentino *Sess. 25. de Reg. cap. 16.* Item Simoniacam commutationem beneficiorum. *cap. Cum olim. & cap. Quæsitum. de rerum permutatione.*

VI. Justæ causæ, ob quas Concilium actu irritavit Matrimonia clãdestina.

Probatur secunda pars: Ex ipsomet Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 1.* dicente: *Qui aliter quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit.* Ecce indirecta irritatio contractûs Matrimonialis propter ipsosmet contrahentes redditos inhabiles; *Et hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Ubi directè ipsos contractus clandestinos invalidat, & cassat, videturque Concilium Spiritu Sancto assistente, utrumque irritandi modum adhibuisse: Tum, ut ostenderet quanto fervore clandestina Matrimonia detestaretur: Tum, ut omnibus subterfugiis, & elusionibus fœcunditate ingeniorum Libertinorum adinventis occasionem amputarent.

Justissimas autem causas, quas Sacrum Concilium habuit ad irritandos tales contractus, ipsummet insinuat citato capite. Primò: Quia propter adulteria, quæ ex clandestinis oriebantur, dum aliqui perversi, *priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palàm contrahebant, & in perpetuo adulterio vivebant.* Secundò: Sanctitas & reverentia debita Sacramento, quam violabant, qui absque consideratione & deliberatione rem tàm arduam sine ullo teste, vel Ministro Ecclesiæ, qui saltem benediceret, peragebant, undè etiam frequenter pœnitebant. Tertiò: Poterant malevoli negare prolem esse legitimam, quia negabant ullum præcessisse Matrimonium. Quartò: Negabant aliquando virgines vel filiæ Matrimonium consummatum metu parentum, aliisque nubebant, vel per talem metum ad Monasterium destinabantur non obstante consumatione. Quintò: Oriebantur exindè multæ discordiæ, lites, dissensiones &c. Sextò: Quia contrahebant cum impedimentis, quæ non sciebant inesse, & sic prostituebantur familiæ, postquam detegebantur. Et tandem, Quia Concilium cognovit & animadvertit *Prohibitiones illas* antecedenter factas, nè clandestinè contrahantur, *propter hominum inobedientiam jam non prodesse*, nec aliis malis succurri posse, *nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, idcirco contractus ipsos censuit irritandos, & actu irritavit.

Nunc à generalioribus descendo ad particularia, &

Dico Quartò: *Ad contrahendum debitè Matrimonium necessariò præmittendæ sunt denuntiationes, ità ut mortaliter peccent eas omittentes.* Est determinata pars prima in Concilio Lateranensi II. sub Innocentio III. & habetur *cap. Finali. de clandest. desponf.* & Tridentino Sess. 24. cit. *Idcircò S. Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut imposterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* VII. Requiruntur denuntiationes ad debitè contrahendum.

Ex qua determinatione plura inferuntur corollaria. Primò: Eas debere fieri à proprio Parocho contrahentium, & in Parochia ejusdem, quare si essent diversarum Parochiarum, ab utroque Parocho denuntiari deberent attento hoc decreto, ut impedimenta ex utraque parte,

parte, si quæ subsint, facilius detegantur, nam in vicinia mulieris non possunt scire impedimenta viri, & vice versa, maximè si sint distantes. Dixi autem *Attento hoc decreto*, quia non sunt condemnandæ Consuetudines, quæ vigent adhuc in quibusdam Ecclesiis, ut denuntiationes solummodò fiant in Parochia illius Sponsi, ubi nuptiæ sunt celebrandæ.

Infertur Secundò: Eas debere fieri tribus vicibus, tribúsque diebus continuis festivis, quamvis aliquod intervallum intercedat; Ratio autem triplicationis est, quia si semel tantùm vel tribus immediatis diebus fierent, impedimenta ob brevitatem tẽporis detegi non possent. Et econtra continuitatem trium dierum petit, ne Parochiani earum oblivìscantur, & desides fiant ad detegenda impedimenta, si tamen unus vel alter dies festus interrumperetur, non credo talem Parochum graviter peccaturum, cùm interruptio ista sit levis materia, & non impediat denuntiationem impedimentorum.

Infertur Tertiò: Denuntiationes regulariter loquendo debere fieri in Ecclesia inter Missarum solemnia, quia ita determinat Concilium, verùm quia ejus intentio duntaxat fuit, ut fierent coram populi multitudine & frequentia, possunt quoque fieri in solemnibus Concionibus extra Ecclesiam factis, ubi populus multus concurrit, nam sicut Matrimonium ipsum extra Ecclesiam celebrari potest, ita etiam possunt præviæ fieri denuntiationes.

IX. Denuntiationes obligant sub peccato mortali. Probatur secunda Pars Conclusionis: Tum, Quia Concilium Lateranense & Tridentinum id graviter præcipiunt, ùt patet ex verbis *Præcipit Sancta Synodus*: Tum, Quia materia est gravissima, cùm multa mala ex illarum omissione subsequi possint, ut modò dictum est: Tum Quia diligentia Parochi tam commodè id supplere non potest, nec in ipsius est potestate mutare modum tam gravium decretorum: Tum denique, Quia Concilium Tridentinum contrahentibus ignoranter cum impedimentis dirimentibus Matrimonium omissis denuntiationibus denegat spem dispensationis dicens *Sess. 24. cap. 5. Siquidem solemnitates requisitas* (denuntiationes) *in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis* (separationis, & carentiæ spe consequendæ dispensationis) *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* Quo stylo non uteretur pia Mater Ecclesia, si omissio esset levis culpa, adeóque sub mortali obligabunt.

Dico Quintò. *Matrimonium celebratum absque solemnitate denuntiationum non est clandestinum quoad valorem.* Ita Navarrus, Bonacina, communis Theologorum sensus Matrimonium absque illis contractum esse validum, & Probatur. Quia jure antiquo erat validum Matrimonium absque denuntiationibus contractum, ergo etiam nunc est: Probatur conseq. Quia non est recedendum à jure antiquo, nisi illud vel revocetur, cassetur, aut illi contrarium statuatur, sed Tridentinum nihil horum fecit, imò oppositum clarè insinuavit, nam cùm cap. 1. citato requisivisset primò denuntiationes, subdit dispensari in illis ab Ordinario posse, postmodùm agit de præsentia Parochi, & testium, & hanc solùm sub terminis irritantibus comprehendit. X. Sine denuntiationibus est validum Matrimonium.

Dico Sextò. *Ex denuntiationibus oritur gravis obligatio detegendi, & denuntiandi impedimenta, ita ut quilibet occultum manifestare teneatur.* Est communis & Probatur: Tum, Quia hoc Ecclesia expresse præcipit: Tum, Quia jure naturæ charitatis tenetur quis impedire cum peccato contrahere volentium, & quæcunque postea subsequuntur manendo in tali conjugio, aut saltem (si sint bona fide) tam grave incommodum Matrimonii irriti, & periculum peccati ac scandali, si postea discant suum impedimentum. Hoc autem verum est, quamvis impedi- XI. Obligatio denuntiandi impedimenta gravis est.

pedimentum sit occultum, vel sub secreto commissum, quia major est habenda ratio Sacramenti & salutis proximi, quàm hujus famæ aut secreti commissi. Si tamen contracturi Matrimonium putentur privata monitione facta ulterius non progressuros esse, hæc semel atque iterum secundùm leges fraternæ correctionis est præmittenda.

XII. Etiamsi sint tantum impedientia. Hæc obligatio etiam locum habet in impedimentis merè prohibentibus Religionis, Castitatis, Sponsalium alteri factorum, licèt enim non immineat Matrimonii nullitas, imminet tamen peccatum contrahentium, aut injuria tertii; quamvis non tanto rigore, aut cautela in his procedendum sit, sicut in impedimentis dirimentibus. Qualis verò impedimenti probatio sufficiat, ut non permittatur Matrimonium contrahi, disputat Sanchez *lib. 1. disp. 71.* ex communi sententia, tradit sufficere testem unicum, etiam ipsummet deferentem, & seriò de veritate impedimenti informantem, quod quidem in Sponsalibus non juratis expressè habetur *Cap. Præterea. 7. de Sponsf.* & *cap. super eo 22. de testibus*, quod & ego probabile existimo, ut Parochus suspendat Matrimonium, donec causa benè examinetur, & discutiatur.

XIII. Episcopi possunt dispensare in denuntiationibus. Dico Septimò. *Possunt nunc Episcopi dispensare in solemnitate denuntiationum, ut omittantur tres, vel una loco trium fiat habita justa causa etiam extrajudicialiter recognita.* Ita Authores passim. Probatur prima Pars. Ex Trident: sæpè citato. *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit.* Hinc non solùm Episcopi, sed etiam Abbates exempti; nulli Diœcesano subjecti, habentes Episcopalem quasi jurisdictionem, idem possunt, quia tales sunt veri Ordinarii. Hinc poterunt quoque Ordinarii abbreviare vel prolongare tempus denuntiationum, & etiam dispensare in diebus festivis, ut ferialibus fiant, quia ista sunt minora, quàm eas remittere, si esset in Ecclesia aliqua concursus populi propter v. g. preces & aliam causam.

Si quæras, Quis Episcopus & Ordinarius id possit, quando contrahentes sunt diversarum Diœcesium? Respondet Sanchez, Posse alterutrum Episcopum hoc facere, quia sicut alteruter potest assistere Matrimonio, ita etiam poterit alteruter dispensare. Sed melius videtur Respondendum cum Bonacinna, Posse quemlibet Ordinarium dispensare cum suo subdito, cum utroque autem contrahente non nisi illum, in cujus Diœcesi Matrimonium est celebrandum. Ratio est: Tum, Quia Episcopus, in cujus diœcesi non est celebrandum Matrimonium, nullam habet jurisdictionem directam vel indirectam in subditum alterius Episcopi, ubi Matrimonium celebrabitur: Tum, Quia in tantum potest dispensare cum utroque, in quantū ipse, vel aliquis suus Parochus, vel delegatus debet assistere Matrimonio, sed Episcopus, in cujus diœcesi non celebrabitur, nullatenus per se vel per subdelegatum debet assistere, sed nec potest, nisi ab illo Episcopo loci sibi delegetur, ergo.

Probatur secunda Pars. Quia Concilium non liberæ voluntati Episcopi id relinquit, sed ejus judicio & prudentiæ, quæ verba prudentiam ratione regulatam & examinationem ac dissensionem significant, prudenter enim non agit, qui sine justa causa aliquid facit. Deinde omnes dispensationes debent fieri cum justa causa, aliàs sunt veriùs dicendæ prævaricationes & contemptus. XIV. Ex justis causis.

Justæ autem causæ dispensandi possunt esse, Primò, Contrahentium pudor, confusio, aut explosio, ut si duo valdè senes contraherent, vel valdè in statu & conditione dispares, ùt si senex valdè juvenculam, valdè nobilis ignobilem, valdè dives pauperem acciperet, in quibus fiendis plurimæ oblocutiones, infamationes, detractiones generan- XV. Justæ Causæ allegantur, propter quas possunt dispensare.

nerantur, in factis unica admiratio terminat negotium, & ora concludit.

Secundò. Si periculum sit per dilationem Matrimonii, peccata multiplicari, ùt in concubinario, aut tales jam dudum fuissent existimati verè conjuges, vel si aliàs esset grave incontinentiæ periculum.

Tertiò. Quando Matrimonium contrahitur inter magnates, in istis enim, cùm sint valdè noti, non est timendum, aliquod impedimentum sublatere possit, quod non sciretur vel detegeretur, & idem dicendum de aliis, ubi nullus alicujus impedimenti timor subest. Quartò. Quando instant gravia corporis incommoda, scandala, negotiorum impediendorum pericula, ut si iter necessarium instaret, jussa Principis urgerent &c. Quintò. Quando tempus instat, quo nuptiæ celebrandæ prohibentur, ita ut non possint commodè præmitti omnes. Denique ultima & principalissima est, quam assignat Tridentinum, *Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiosè impediri posse*, sive per potentiam, sive alio modo, *si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantùm fiat denuntiatio.* Idem dicendum est, si sit suspicio usum Matrimonii impediendum per maleficium, qui casus sat, proh dolor, frequens est.

XVI. Non requiritur examen judiciale.

Probatur tertia Pars. Quoties aliquid committitur cuipiam judicio & prudentiæ, idem est dicere committi suæ conscientiæ, nam conscientia nihil aliud, quàm prudens mentis dictamen est, sed quæ committuntur conscientiæ, non exigunt examen judiciale, aut probationem judicialem, ergò. Probatur minor ex *cap. Statutum. §. Assessorem de Rescript. in 6. Assessorem nisi eo indigeat, quod conscientiæ ejusdem relinquatur, sibi nequaquam adjunget*, ubi Glossa, *Cùm conscientiæ relinquatur ejusdem, ergo solus* DEUS *hoc, & nullus alius Judex, vel Cognitor*, & idem sentiunt quamplures gravissimi Doctores apud Sanchetz.

Nec obstat Tridentinum, quod *Sess. 14. cap. 7.* ubi dispensatio committitur Ordinario, *qui non nisi causâ cognitâ & probatis precibus, nec aliter dispensare possit*: Tum, Quia ibi est in gravissimo casu de irregularitate ex homicidio, unde requirit, ut præcedat probatio precum, & cognitio causæ: Tum, Quia ex illo textu sumi potest argumentum pro nobis, nam cùm hic non requirat cognitionem causæ, non est adstruenda, ac consequenter sufficiet, si extra judicium fiat.

XVII. Vicarius generalis potest etiā dispensare.

Dico Octavò. *Vicarius Generalis Episcopi potest etiam dispensare in solemnitute denuntiationum, non tamen Parochus.* Ita Sanchetz, Bonacinna &c. Probatur prima Pars. Ordinarius potest dispensare; ergo etiam Vicarius Generalis. Probatur conseq. quia hic venit nomine ordinarii, *cap. Romana de Appellat. in 6.* Tum Quia Jurisdictio, quæ est à canone, vel à lege est ordinaria, atqui Vicarius Generalis habet eam à canone & lege, ergo. Probatur minor ex *can. 2. de officio Vicarii in 6.* Ex quo infert Sanchetz, quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarii, nisi subjecta materia aliud deposcat, intelligi non tantùm Episcopum, sed omnes, qui habent jurisdictionem ordinariam, & etiam ipse Vicarius Episcopi, *cùm verè sit Ordinarius.*

XVIII. Non tamen Parochus.

Probatur secunda Pars. Jure antiquo *ex cap. finali de clandestin. desponsat.* non poterat Parochus in denuntiationibus tunc præceptis dispensare, ergo nec modo, quia Tridentinum illud decretum non corrigit, sed innovat, ùt patet ex verbis: *Sacri Concilii Lateranensis vestigiis inhærendo.* Sed

Dices. Tridentinum videtur clarè dare facultatem Parocho celebrandi Matrimonium absque denuntiationibus in casu suspicionis malitiosi impedimenti, nam usque ad illa verba: *Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant*, nec hucusque ullam de Ordinario fecit mentionem, solùmque

que Ordinario remittit, quando contracto jam Matrimonio denuntiationes sint omittendæ. Respond. negando antec. Nam licèt dicat suspicionem malitiosi impedimenti esse justam dispensandi causam, attamen non definit tunc ad cujus arbitrium & beneplacitum fieri debeat, sed in versu allegato, quare versus subsequens: *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit*, utrumque casum præcedentem complectitur, nempe de suspicione malitiosi impedimenti, & *Ante consummationem*, clausula enim in fine posita refertur ad omnia præcedentia *L. talis Scriptura. §. final. ff. de Lege 1.*

Verumtamen existimo, posse Parochum assistere concubinario morti vicino ad celebrandum Matrimonium absque denuntiationibus propter legitimationem prolium: Item in simili casu, si quis obligatus ad contrahendum Matrimonium incideret in gravem morbum, &, ut beneficium absolutionis consequatur, peteret contrahere, quod postmodum non esset facturus, si antea absolutionem accepisset, maximè in casu, ubi Episcopus adiri non possit, cæteroquin existimo Parochum nullatenus posse uti Epikeia.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Solemnitate Matrimonii ex præsentia Parochi.

SEcundam Solemnitatem Matrimonii facit præsentia Parochi, quæ tam necessaria est ex jure Ecclesiastico, ut non solumodo mortaliter peccent absque illius præsentia contrahentes, sed etiam nulliter & invalidè contrahant, & hæc erit hujus quæstionis pertractanda materia, pro quo

I. Præsentia Parochi nõ requiritur in revalidatione.

Suppono, Matrimonium irritum & nullum ob aliquod occultum impedimentum dirimens semel contractum coram Parocho, ad revalidationem ejus non amplius requiri Parochi vel testium præsentium: Tum, Quia in facie Ecclesiæ jam solemniter fuit celebratum, adeóque lex Tridentini impleta: Tum: Quia cessat ratio legis ad cavenda peccata, & adulteria, cùm jam supponatur impedimentum per dispensationem ablatum, econtra verò scandala & infamationes graves suboriri possent, si semel publicè contrahentes, iterum ad eam solemnitatem obligarentur.

Suppono Secundò. Infideles existentes in terris fidelium non obligari ad contrahendum Matrimonium coram Parocho, nam licèt Principes sæculares pro suis subditis contractibus Matrimonialibus possint conditiones irritantes addere, non potest tamen Pontifex pro territoriis sibi civiliter non subjectis, nec pro infidelibus, cùm de his, qui foris Ecclesiam sunt, non habeat judicare, & solemnitas ista præsentiæ merè sit ex Ecclesiastico præcepto. II. Nec apud infideles in terris fidelium.

His suppositis difficultas est Primò. An ista præsentia sit ita necessaria, ut v. g. in articulo mortis concubinarius ob servandum honorem concubinæ, & legitimationem prolium, validè contrahi possit: Vel an possit Episcopus dispensare, maximè quando ita publicè celebratur, ut integræ viciniæ notum sit, vel an non excuset ignorantia contrahentium. Ad quæ

Dico Primo. *Solemnitas ista seu præsentia Parochi ita requiritur ad valorem Matrimonii, ut sine illa in nullo præfatorum casuum sit validum, sed semper irritum & nullum.* Ita communior Theologorum opinio. Probatur Primò Ex Concilio citato *Sess. 24. cap. 1.* ubi sic habetur: *Qui aliter quàm præsente Parocho*, videatur textus suprà, *eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Ex quo sic argumentor: Quoties-cunque in lege dicitur *aliter fieri non posse* & omnino inhabitat, inducitur essentialis forma ad contractum, sed hoc facit Tridentinum, ergo lex ista inducit essentialem formam con- III. Præsentia Parochi in omni aliàs casu est necessaria ad valorem.

tractui; subsumo; sed contractus sine sua essentiali forma semper est invalidus & nullus, ergo. Confirmatur, Quando in lege additur particula. *Omninò. aliter fieri non posse*, intelligitur in omni casu & eventu non posse aliter esse, ergo.

Probatur Secundò. Quia inhabilitas materiæ Sacramentorum per nullum necessitatis casum potest habilitari, & sufficiens fieri, ùt patet de Aqua in Baptismate, Pane & Vino in Eucharistia, sed materia Sacramenti Matrimonii sunt corpora contrahentium, quæ Ecclesiæ authoritate inhabilitata sunt ad contrahendum sine Parocho, ergo. Confirmatur. Quia licèt similes casus, & etiam ignorantia legis excusent à peccato & quoad pœnam, non excusant tamen quoad substantiam actûs, ita quòd darent valorem actui in lege irritante, ùt patet à pari de Matrimonio consanguineorum & Religiosorum.

IV. Valet clandestinum in loco, ubi Tridentinũ non est receptum.

Dico Secundò. *Valet Matrimonium contractum sine ista solemnitate, seu sine Parochi præsentia in loco* (v.g. Anglia, Suecia, Brandeburgo) *ubi Tridentinum non est receptum, etiamsi sit receptum in loco, ubi habent domicilium.* Probatur. Quia leges non respiciunt nudè personas, sed cum ordine ad locũ, ubi sunt receptæ. Deinde hoc est speciale in contractibus (excepto contractu dotis) ut celebrentur juxta solemnitates receptas in loco, ubi sunt celebrandi, juxta *cap. Finale. de foro competenti. & l. Si fundus. ff. de Evictionibus.* Ita Sanchetz, & plurimi alii, qui docent, id esse verum, etsi contrahentes eo fine se ad talem locum contulerint*, quod tamen difficile est, Quia fraus & dolus nemini debent patrocinari, aliud esset, si quispiam inde si sponsam & uxorem adduceret.

V. Proprius Parochus debet esse unius vel alterius cõtrahentis.

Dico Tertiò: *Ad solemnizandum Matrimonium non sufficit præsentia cujuscunque Parochi, sed debet esse proprii, quando contrahentes sunt ejusdem Parochiæ, si diversarum sufficit præsentia cujusvis ex illis, sive intra propriam Parochiam fiat, sive extra, tutius tamen est, ut fiat in Parochia unius vel alterius contrahentis.* Ita Theologi & Canonistæ. Et Probatur prima pars: Quia debet esse Parochus, qui sit Pastor contrahentium tanquam ovicularum, cujus vultus & qualitates debet cognoscere, ergò non sufficit præsentia cujuscunque Parochi, sed requiritur proprii. Proprius autem Parochus dicitur, ubi quis habet domicilium, & pro majore anni parte commoratur ibi, vel eò se transtulit animo commorandi.

Probatur secunda pars: Tum ex dictis de denuntiationibus: Tum, Quia quoad Matrimonium quivis ex Parochis contrahentium est utriusque Parochus propter connexionem utriusque, eò quòd Matrimonium non nisi inter duos celebrari possit, nam ùt benè Bartolus *in l. Si communem. ff. quemadmodum servit. amitt.* dicit: *In individuis retinet quis per socium, quod per se non potest*; Tum, Quia Tridentinum requirit solùm præsentiam Parochi, & non exprimit unum præ altero, ergò alteruter sufficit: Tum quilibet Parochus potest suis ovibus administrare Sacramenta, vel assistere ministrantibus, ergò. Et ita declamâsse sacram Congregationem ex Rebello refert Brugnoli.

Probatur tertia pars: Quia Tridentinum aliud non requirit, quàm assistentiam proprii Parochi, ergo non requiritur, ut in propria unius vel alterius Parochia fiat.

Probatur quarta pars: Ex duplici declaratione Cardinalium, quas refert Sanchetz, prima sic habet: *Si quando vir ad domum uxoris accedit, pro Matrimonio contrahendo is proprius Parochus est, qui uxoris est.* Et altera: *Quando contrahentes sunt diversarum Parochiarum, sufficit proprius Parochus mulieris, qui intersit Matrimonio.*

Sanchetz putat, valere etiam Matrimonium extra, si Parochus proprius unius vel alterius contrahentis assistat, etiam extra propriam

Diœcesim, sed nolim hoc sequi, neque suadere, quia fundamentum liberæ & voluntariæ jurisdictionis est nullum. Tum, Quia sive sit voluntaria, sive contentiosa exerceri non potest absque licentia & facultate alterius, sicut nec subditi Confessiones, quas allegat pro proba fundamenti sui post Decretum Clementis X. in aliena Diœcesi audire.

Ex Conclusione infertur: Non posse validè contrahi coram Parocho illius loci, ad quem intra annum bis vel ter ad recreationem exit, vel ad messem, aut ad vindemiam colligendam, quia hic non est proprius Parochus, prout cives ad villas & pagos annuè aliquoties excurrere solent.

VI. Potest etiam alius Sacerdos assistere de licentia Parochi.

Dico Quartò: *Ad validè solemnizandum Matrimonium non est necessaria præsentia Parochi, sed sufficit alterius, Sacerdotis tamen, Sæcularis vel Regularis, habentis licentiam ab ipso Parocho, vel Ordinario, vel Vicario Generali.* Hæc habetur ex Tridentino suprà, *Vel alio Sacerdote* præsente, *de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia.* Porrò hæc licentia debet esse vel specialis, vel generalis, v. g. ad exercenda omnia munia Parochialia, adeóque non sufficeret, si esset restricta tantùm ad aliquos casus, & causas particulares, v. g. ad baptizandum & sepeliendum, nec sufficeret tacita ex ratihabitione de futuro, quia licentia dum Matrimonium fit, adesse debet. An autem tacita de ratihabitione de præsenti, dubium est, ego censeo non sufficere, quia in Sacramentis non dubia, sed certa, semper est materia & forma amplectenda. Parum tamen refert, an licentia detur in scripto, vel vocetenus, quia gratiæ & privilegia non requirunt Scripturam.

Notandum autem, Sacerdotem sive Sæcularem sive Regularem, non debere statim credere dicenti sibi, se habere à suo Parocho licentiam, nam licèt id credatur in foro pœnitentiali, Eucharistia & Extrema Unctione, in foro tamen externo, & in spectantibus ad illud non creditur, ùt habetur expresse in *cap. Sicut. de sent. Excomm.* ubi probatur, non adhiberi fidem excommunicato, dicenti, se absolutum esse ab Excommunicatione, *Nisi excommunicati litteras absolutionis ostendant, aut alio modo legitimè de eorum absolutione constet.* Et hâc ratione nec possunt Episcopi ordinare subditos alterius Episcopi, nisi facultatem in Scripto portent, ùt habetur *cap. 1. de tempore ordinan. Per ejus patentes litteras.* Denique, Quia in Eucharistia & Pœnitentia minus præsumi potest deceptio, quàm in Matrimonio, quia illa Sacramenta suscipiuntur, ut saluti animæ spirituali consulatur, in Matrimonio verò sunt alii fines, & multa temporalia commoda quæruntur.

Dico Quintò: *Nihil obest ad valorem Matrimonii, licèt Parochus proprius vel delegatus assistens sit excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis.* Ita Theologi & Canonistæ passim. Probatur: Quia hæc assistentia non est talis actus jurisdictionis, ut non possit à præfatis omnibus exerceri, ergò. Probatur antec: Quia est tantùm actus, ut rei gestæ præstet authoritatem & infallibilitatem, atque hanc possunt etiam præstare, qui sunt excommunicati. Confirmatur, Quia alia Sacramenta non possunt administrari à Parocho invito, & contrariam intentionem habente, nam actus agentium ultra intentionem agentium non operantur, ùt habet *Lex. Non omnis. ff. de rebus creditis.* & tamen in Sacramento Matrimonii sufficit assistentia Parochi etiam inviti, & contrariam intentionem habentis, ergò illa præsentia non est actus jurisdictionis propriæ. Probatur Secundò: Quia Parochus excommunicatus &c. quamdiu non privatur Parochiâ, est verus Parochus, sed ad valorem aliud non requiritur, quàm assistentia veri & proprii Parochi. ergò.

VII. Non obest Excommunicatio, vel suspensio Parochi.

Hinc quoque inferò, validum esse Matrimonium, cui adstitit Parochus, habens titulum invalidum, ob vitium

VIII. Etiam quãdo tantùm habet titulum coloratum.

vitium aliquod occultum, aut habens beneficium incompatibile sibi collatum à legitimo Superiore, Quia talis habet titulum coloratum cum errore communi existimantium eum esse verum Parochum, nec adest aliquod impedimentum juris naturalis vel divini, quæ tria ab Authoribus requiruntur ad censenda ea gesta esse valida ab eo, qui putabatur Prætor esse, cùm non esset, sed esset servus, ùt habetur in *L. Barbarius. ff. de officio Prætoris.*

IX. Quilibet Parochus potest vagis assistere. Dico Sextò: *Quicunque Parochus potest solemnizare & assistere matrimonio vagorum, id est, nullum habentes domicilium habitationis, licèt habeant originis.* Ita Doctores communiter. Probatur: Quia quilibet Parochus potest audire vagorum Confessiones, ergò etiam quilibet potest assistere Matrimonio illorum. Probatur antec: Tum, Quia non subduntur alicui Parocho potius, quàm alteri, ergò quilibet poterit, cùm nulli fiat in jurisdictione præjudicium: Tum, Quia ubique sortiuntur forum, possùntque pro delictis alibi commissis puniri, ùt docet Glossa *L. Absens hæres. v. debebit. ff. de judiciis.*

X. Vagi qui sint. Nota autem, vagos dici illos, qui nullibi habent stabile domicilium, *l. Ejus qui manumisit. §. final. ff. de mancipiis.* Vel qui pristinum domicilium deferentes navigant, & iter faciunt, quærentes domicilium nondum destinatum in animo: ita habetur eadem *lege, §. Celsus.* Imò ex eadem lege possunt vagi, qui domicilium prius deferentes navigant, vel iter faciunt pergentes ad domicilium, quod sibi jam in animo præfixerunt, quia tales sunt sine omni domicilio, nam primum deseruerunt, tàm animo, quàm facto, adeóque perdiderunt, posterius nondum acquisiverunt, cùm non animo, sed facto, & actuali habitatione acquiratur, unde si qui tales paulisper in aliqua Parochia commorarentur, verè vagi forent dicendi.

XI. Parochi vagis assistentes debent habere licentiam. Notandum Secundò: Ut Parochus assistat Matrimonio vagorum, debere habere licentiam ab Ordinario, & diligentem præmittere inquisitionem, sive uterque, sive unus sit tantùm vagus, & ita constituit Tridentin. *Sess. 24. cap. 7.* his verbis: *Parochus autem præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod etiam de alienigenis dicendum erit ob paritatem rationis, nam Concilium vult hoc remedio obviare, ne tales vagi & ignoti *primâ relictâ uxore aliam, & plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducant.* Quod tàm benè attendendum est, sive sint alienigenæ, sive vagi, sive uterque, sive unus tantùm foret talis.

XII. Parochus non habet necesse proferendi aliqua verba. Dico Septimò: *Ut Parochus solemnizet, & validè assistat Matrimonio, non est necesse, ut aliqua verba proferat.* Probatur: Quia Parochus seu Sacerdos non est Minister hujus Sacramenti, nec verba ejus sunt materia vel forma, ùt ex dictis suprà patet, ergò non spectant ad essentiam Sacramenti, adeóque sine illis erit validè contractum. Tum, Quia Tridentinum in Decreto irritante nullam fecit mentionem verborum, cum ergò sit correctorium, non debet extendi ad alia. alioquin etiam denuntiationes forent de necessitate valoris: Tum denique, Quia, quæ sunt de essentia vel necessaria ad valorem, debent esse determinata, sed Tridentinum non petit verba determinata, *sed juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.*

XIII. Est tamen præceptum ea proferre. Notandum tamen verba ea de necessitate præcepti requiri, quæ Concilium in dicto capite requirit, dicens: *Præcipit Sancta Synodus, ut Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonio conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* An autem illa omittere sit peccatum grave, vel leve controvertunt Authores, ali-

qui

qui putant, esse tantùm culpam venialem, cùm non sit materia gravis, nec verba sint forma Sacramenti, nec faciant magnam solemnitatem, nec includant magnum mysterium, sed nimis inconsequenter, nam cùm suprà dixerint, gravitatem præcepti colligi ex eo, quando dicitur: *Præcipit Sancta Synodus*, hinc puto regulariter non posse omitti, & peccatum grave esse, quando omissio foret scandalum pusillorum, uti apud simplices facilè contingere posset.

Notandum Secundò: Parochum debere habere librum, in quo acta notet, ita dicente Concilio: *Habeat Parochus librum, in quo conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.* Hoc autem non habere vel facere non esse tantum peccatum, insinuat verbum *Habeat* simpliciter positum.

XIV. Præsentia Parochi nō debet esse materialis, sed humana.

Dico Octavò: *Præsentia Parochi, idem est de testibus, non sufficit simpliciter physica & materialis, sed requiritur, ut sit moralis & humana, & aliquomodo politica, ita ut intelligat. quid agatur, sive vi, metu, vel dolo fuerit adductus, etiam dissentiens.* Probatur: Quia qui non adest more humano intelligens & advertens quid agatur, de jure censetur non adesse, ex *l. Coram Titio. ff. de verb. & rer. signif.* ubi sic habetur: *Coràm Titio aliquid facere jussus, non videtur eo præsente fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, dormiat, non videtur coram eo fecisse, scire autem, non etiam velle is debet, nam & invito rectè fit, quod visum est.* Intellige, quando in jure requiritur aliquorum præsentia; solùm ut conscii sint de eo, quod agitur, non verò, quando requirunt, ut consensum suum etiam præstent, vel quando exprimitur aliàs, ut intersint volentes & rogati, ut in testamentis.

Probatur Secundò: Ex ipso Tridentino, quod expresè requirit, ut Parochus consensum intelligat. *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto*, ergò debet esse præsentia humana. Deindè ex fine Concilii, quia vult, ut de Matrimonio in facie Ecclesiæ contracto possit haberi testimonium. Sed testimonium haberi non potest, nec testificari possunt, nisi modo humano & politico adsint, nam, ubicunque in contractibus, Præses, Notarius, & Testes adhibentur, civilis & politica præsentia esse dicitur, vel Parochus est quasi Præses nomine Ecclesiæ, debet etiam agere Notarium, ex Trident. cit. ergò.

Non requiritur tamen, ut consensum contrahentium intelligat per verba significantia consensum, sed sufficit etiam per Interpretem, quando sint peregrini idiomatis, nam & cœteri contractus possunt per interpretem fieri, *l. 1. §. final. ff. de verbor. oblig. Sed verum puto, ut omnis sermo verborum contineat obligationem, ita ut alter alterius linguam intelligat, sive per, sive per verum interpretem.* Et confirmatur, Quia sufficit, ut ipsi contrahentes intelligant consensum per interpretem, qui tamen est essentialiter requisitus, ergò etiam sufficit, ut assistens sic intelligat. Deinde sufficit etiam, ut consensum eorum intelligat ex signis, quia Matrimonium non solùm verbis, sed & signis contrahitur, ergò.

Peccabunt tamen mortaliter celebrantes coram Parocho vi detento, tum ratione contemptûs Ecclesiæ, quia ejus authoritate & consensu positivè concurrente non contrahunt.

Dico Nonò: *Sacerdos sæcularis vel Regularis, qui audet solemnizare, & assistere Matrimonio non sibi subditorum, aut eis benedicere sine licentia Parochi, vel Ordinarii, ipso jure incurrit suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario illius Parochi.* Ita Tridentinum *Sess. 24. cap. 1.* sæpè citatum dicens: *Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetu-* XV. Pœnæ assistentium Matrimonio sine licentia.

suetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tàm diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

Jure antiquo excommunicationem incurrebant, ùt habetur in Clement. final. de Privilegiis, quam tamen communiter Authores testantur modò esse sublatam.

Omittentes autem propria authoritate denuntiationes per triennium sunt suspendendi, ùt habetur in *cap. Cùm inhibitio. de clandest. desponsat.*

QUÆSTIO NONA.

De Solemnitate Matrimonii ex præsentia Testium.

I. Non potest Parochus simùl testis vicem agere.

TEstes Matrimonium solemnizantes duos vel tres esse, ordinat Concilium sæpè citatum, ita quòd revera unus cum Parocho non sufficiat, cùm penes Parochum duo vel tres requirantur, Parochus autem testis vicem supplere non potest, cùm sit in alio genere, nam ùt docent Doctores in *cap. Ex litteris. de probat.* quando statutum requirit duo personarum genera, persona unius generis non potest vicem utriusque gerere, quorum præsentiam non materialem esse debere, sed moralem & humanam, ex superiore deducitur quæstione, quid amplius verò in iis requiratur, præsens elucidabit quæstio. Itaque

II. Præsentia debet esse simultanea.

Dico Primò: *Præsentia Testium solemnizans Matrimonium debet etiam esse simultanea cum Parocho, ita quòd successiva non sufficiat.* Probatur: Quia Tridentinum exigit præsentiam Parochi & testium copulativè, quod clarè exprimit copula *Et*, ergò non sufficit præsentia successiva. Deindè Tridentinum vult, ùt plenè probari possit Matrimonium, sed per successivam præsentiam non posset plenè probari, ergò. Probatur minor, quia successivi testes sunt tantùm testes singulares, per quos non fit plena probatio, sed per contestes. Quare, si Parochus aliquos copularet, & hodiè adhiberet unum testem, ac cras alterum, Matrimonium non esset solemne, sed clandestinum.

III. Cujuscunque conditionis homines possunt esse testes in Matrimonio.

Dico Secundò: *Ad solemnizandum Matrimonium omnes homines rationis capaces, cujuscunque sint ætatis, sexûs, statûs, & conditionis, testes agere possunt, quamvis pro aliis actibus & contractibus non haberent qualitates à jure requisitas, ut habiles & legitimi censerentur.* Probatur: Quia testes aliàs inhabiles & illegitimi faciunt plenam fidem, quando sunt instrumentarii, hoc est, appositi in instrumento de communi consensu contrahentium, ùt habet Glossa *in Authent. de Testibus. §. Et. licet. v. suppliciis.* Sed testes isti adhibentur de communi contrahentium consensu, súntque instrumentarii, ergò. Probatur minor: Quia Tridentinum jubet, ut Parochus tàm contrahentium, quàm testium nomina in libro ad hoc deputato, qui rationem matriculæ vel Archivi cujusdam habet, describat, plurimúmque robur addit, si ipse se subscribat.

Probatur Secundò. Quia inhabiles testes juncti habilibus & omni exceptione majoribus habilitatem aliquam accipiunt, & habiles aliorum defectum supplent, sed Parochus est testis omni exceptione major, supplétque aliorum defectum, ergo. Probatur minor ex *cap. Cùm esses. de testamentis*, ubi non obstante consuetudine antiqua cujusdam civitatis, ut non valeret testamentum absque quinque testibus, definitur valere, si in præsentia Parochi, & duorum testium fiat. Nec obstat Parochum ipsum aliquando tam bene ac testes suspectum esse posse, Quia leges non respiciunt casus particulares, sed eos, qui frequentius contingere solent, ùt dixit Iuris consultus *L. nam ad ea ff. de legibus*, ubi dicitur: *Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & facilè,* quàm

quàm ad ea, quæ perrarò eveniunt, quoniam, ùt ait Theophrastus, quæ semel & bis accidunt, contemnunt Legislatores.

Probatur Tertiò. Quia in causa favorabili admittuntur testes aliàs inhabiles, ùt ob fidei favorem decernitur *cap. in fidei favorem. de Hæreticis in* 6. sed causa Matrimonii est valdè favorabilis, ùt habetur *cap. final. de senten. & re judicata*, & ideo ad testificandum in eo admittuntur fœminæ. *cap. super eo de testibus, & consang. cap. videtur. qui matrimon. accus. pos.* ergo in Matrimonio sufficiunt quicunque testes.

Probatur Quartò. Quia jure antiquo valebat Matrimonium absque omni teste, & nunc Tridentinum requirens testes, non specificat, quales esse debeant, ergo sufficiunt quicunque, cùm enim hoc decretum sit rigidius, tanquam irritans, strictius est intelligendum.

Probatur Quintò. Ex congruentia, Quia Christus Dominus in omnibus Sacramentis adhibuit materias & facilè acquisibiles, ùt in Baptismo Aquam, in Eucharistiâ Panem & Vinum, &c. ergò à pari congruebat, ut Ecclesia irritans Matrimonia clandestina, contractum variando, adhiberet testes de facili acquisibiles, aliàs enim Matrimonium tanquam rem toti Ecclesiæ necessariam & frequentiorem pluribus difficultatibus exposuisset, ergò. Hinc infertur: Infames, Excommunicatos, Parentes, Consanguineos, Clericos, Monachos, fœminas, pueros, impuberes usum rationis habentes filios, servos, familiares, domesticos, imo & infideles sufficere ad solemnizandum Matrimonium, & idem de Procuratore sentiendum esse docet Sanchetz, videlicet in illo aliam qualitatem non requiri, nisi illam, quam jus naturale requirit ad explicandum consensum alterius, videlicet usum rationis.

IV. Non est necesse, ut testes rogati vel vocati adsint.

Dico Tertiò. *Ad solemnizandum Matrimonium non est necesse, ut testes ad hoc specialiter sint vocati vel rogati, sed satis est, si casu adsint, vel etiam vi detenti, quamvis convenientius sit, ut spontè & rogati adsint.* Ita Sanchetz, Bonacinna. Probatur ex *l. Coram Titio. ff. de verb. oblig. Scire autem, non etiam velle is debet, nam eo etiam invito rectè fit*, ubi deciditur dici aliquid coram aliquo fieri, quamvis invitus adsit, dummodò advertat, quod fiat. Idem docet *Execrabilis. verbo. Coram. de Præbend.* Cùm ergò Tridentinum solùm exigat Matrimonium celebrari coram Parocho & testibus satisfit, si ipsis præsentibus quamvis invitis celebretur. Et hæc sufficiunt de Natura Matrimonii. Sit igitur:

DISPUTATIO TERTIA.

DE Impedimentis Matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA.

De Impedimentis in genere.

I. Impedimēta sunt duplicia.

IMpedimenta Matrimonii generatim sunt illa, quæ obstant, nè Matrimonium ritè celebretur, & quidem si obstat, nec Matrimonium validè celebretur, vocantur impedimenta dirimentia, si verò tantùm, nè celebretur licitè, vocantur impedimenta tantùm, seu prohibentia. De his ergò impedimentis quæritur, an in Ecclesia sit authoritas ponendi talia impedimenta, & penes quos resideat? Unde

II. Ecclesia potest statuere impedimenta.

Dico Primò: *Ecclesia potest statuere aliqua impedimenta pro fidelibus, non infidelibus, non solùm impedientia, sed*

sed etiam dirimentia Matrimonium. Est de Fide definita in Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 3. & 4. Probatur prima pars: Quia Ecclesia potest irritare contractus, quando non fiunt sub certis conditionibus & certa forma, sed Matrimonium est contractus, vel fundatur in contractu, ergò Ecclesia potest irritare, & dirimere Matrimonium statuendo aliqua impedimenta dirimentia, quando non adest aliqua conditio, aut non servatur certa forma. Probatur Secundò, Quia Ecclesia potest respectu subditorum suorum quoad salutem, quidquid potest Respublica Civilis, sed hæc potest irritare contractus civiles, & de facto plures irritavit, ùt Minorum absque authoritate Curatorum, alienationem Majoratuum, sæpéque impedit translationem bonorum, quamvis attento jure naturæ à solo Domini consensu dependeant, ergò etiam poterit Ecclesia. Item lex civilis inhabilitat aliquas personas ad cõtrahendum absq; certis solemnitatibus, v. g. Prodigos & Minores absque authoritate Tutorum, mulieres conjugatas absque licentia mariti, ergò à pari. Probatur Tertiò: Potest Ecclesia statuere & ordinare, quæ ad æternam subditorum salutem conducunt, sed talia impedimenta frequentissimè conducunt, ùt patet de impedimento disparis cultûs, ne conjux cogatur audire blasphemias in Creatorem: In Cõsanguinitate propter debitum respectum sanguinis, principii & originis &c. ergo. Nec hoc est immutare essentiam, naturam, vel formam, aut materiam Sacramenti, sed substrati contractûs.

III. Non tamen pro infidelibus. Probatur secunda pars: Tum ex D. Paulo 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare:* Tum ex Innocentio III. *cap. Gaudemus. de divortiis,* id expresè fatentis: Tum, Quia Infideles sunt extra gremium Ecclesiæ, ergò nullam in eos habet jurisdictionem: Tum, Quia ideò conceditur communiter possePrincipes infideles suis subditis Leges ponere Matrimonia dirimentes, non posse tamen id Principes Christianos, quia hoc sibi reservavit Ecclesia, quæ reservatio ad Infideles non protrahitur, cùm illi non subsint, ergò. Si tamen velis dicere Pontificem ponere impedimenta pro Judæis, v. g. in suo territorio temporali habitantibus, id libenter concedam, verùm hoc non facit ùt Pontifex, sed ùt sæcularis Princeps, hinc Judæis in aliis territoriis existentibus non potest.

Dico Secundò: *Ut Pontifex ponat impedimenta sive impedientia sive dirimentia, requiritur legitima causa, quâ non existente, Matrimonium contra impedimenta initum erit validum.* Ita Ledesma, Sanchetz. Probatur: Quia Matrimonium est vinculum naturale, & divinum omnibus concessum, nisi in gradibus aliquibus Consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, ergò Ecclesia non potest absque legitima causa hoc vinculum impedire, & eos jure hoc privare, cùm hoc valdè læderet libertatem Matrimonialem. Deindè Pontifici data est potestas ad justam gubernationem, & subditorum utilitatem, non verò ad destructionem. Denique in tali casu invalidaret & immutaret ea, quæ jure naturali & Divino sint licita. IV. Requiritur legitima causa.

Dico Tertiò: *Spectato Jure Divino & naturali possent Episcopi in suis Diœcesibus etiam statuere impedimenta dirimentia.* Ita Sanchetz, Ledesma, Bonacinna, Becanus, Mastrius &c. Probatur: Quia quidquid potest Pontifex in universa Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi, spectato Jure Divino, sed Pontifex &c. ergo & Episcopi. Probatur Major: Quia Episcopi in sua Diœcesi sunt verè Pastores, & Principes respectu suorum subditorum, quamvis subordinati Summo Pontifici, ergò possunt in sua Diœcesi statuere, quæcunque ad utilitatem & salutem ovium suarum judicaverint expedire: Probatur antec: Quia Episcopi ex vi suæ Ordinationis & Officii accipiunt hanc pote- V. Possent etiam Episcopi sibi reservare Impedimenta.

potestatem immediatè à Christo, licèt designationem territorii à Pontifice acquirant, ut patet ex Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ergò.

Dixi autem spectato jure Divino, quia illud est limitatum propter subordinationem ad visibile unum caput Ecclesiæ, *Nisi sibi Pontifex reservet*, uti sibi reservâsse ex generali Ecclesiæ consuetudine, receptissimoque usu certum esse debet, nam nullus textus Juris Canonici ab Authoribus adducitur, sicut & alia per consuetudinem sunt Pontifici reservata, ubi est de Dispensationibus verborum.

VI. Princeps Christianus potest quoque ea statuere.

Dico Quartò: *Princeps Fidelis ex vi Jurisdictionis & Officii sui præcisè statuere potest similiter impedimenta respectu suorum subditorum, licèt hæc potestas quoad subditos fideles impedita sit.* Ita Mastrius, &c. Probatur prima pars: Quia Principibus & Regibus data est à DEO potestas condendi leges pro subditis, pro eorum gubernatione in bonum Reipublicæ, sed quandoque ad bonum Reipublicæ expedit prædicta impedimenta statuere, ergò &c. Nec obstat, quòd Matrimonium Christianorum sit Sacramentum, quia impedimenta non statuuntur circa Matrimonium ùt Sacramentum est, sed solùm ùt contractus civilis, ergò, cùm alios contractus irritare possint, & certas personas ad tales, vel tales inhabiles reddere, poterunt etiam circa contractum Matrimonii. Deindè circa Matrimonium ùt est Sacramentum, nec Ecclesia potest ejus rationem vel essentiam irritare vel immutare, ergò.

VII. Est modò hæc potestas impedita.

Probatur secunda pars ex *Cap. Per tuam. de Ord. cognit.* ubi dicitur causas natalium, seu matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinere, & *cap. 1. de Consang. & Affinit.* ac ita etiam definit *Tridentinum Can. 12.* Et licèt sibi Ecclesia contra Principes hoc reservaverit, possunt tamen adhuc leges condere de quibusdam rebus merè temporalibus Matrimonio annexis, & non concernentibus ipsius vim ac substantiam, utpote de dote, de donationibus inter virum & mulierem, de sponsalitia largitate, & similibus.

VIII. Princeps infidelis pro infidelibus potest statuere impedimenta.

Dico Quintò: *Possunt Principes sive Infideles, sive Fideles, pro suis subditis infidelibus non verò fidelibus statuere impedimenta dirimentia Matrimonium.* Ita Sanchetz, Bonacina, Mastrius, Ledesma. Probatur Primo de Principe infideli: Tum, Quia apud ipsum non est periculum immutandi aliquid in Sacramento; cum non sit. Deindè potest Princeps Infidelis respectu suorum subditorum, quidquid pertinet ad bonum commune & Reipublicæ tranquillitatem, sed impedire & dirimere Matrimonia frequenter pertinent, quod patet, quia ex Matrimoniis indebitè contractis integra Regna & Provinciæ vastissimæ perierunt, ùt patet de Helena &c. ergò. Deindè Principes hujusmodi non arctantur reservationibus Pontificum & Ecclesiæ, cùm foris sint. Hinc est, quod si qui infideles contraherent Matrimonium cum impedimento apud illos dirimente, & postmodum uterque converterentur, debere de novo contrahere, quia contractus illorum supponitur invalidus. Similiter, si inter infideles contentio oriretur de impedimento vel de valore Matrimonii, non Ecclesiasticum, sed sæcularem Principem esse Judicem competentem.

Probatur Secundò de Principe fideli: Quia si infidelis potest, poterit & fidelis, quia quoad infideles subditos non est sibi authoritas reservata, nam ideò Pontifex sibi reservavit Fidelium Matrimonia, quia hæc sunt Sacramenta, sed Matrimonia Infidelium non sunt Sacramenta, ergò.

Probatur Tertiò: Hanc potestatem esse solummodò pro infidelibus subditis non verò fidelibus, Quia ex quo Matrimonio est elevatum ad statum Sacramenti, jam extractum est ab omni potestate & Lege cujuscunque

cunque Principis sæcularis, unde talis fidelis, non secundùm Regis præceptum, sed secundùm Ecclesiæ statutum contrahere deberet, undè si contraheret cum aliquo impedimento dirimente, Matrimonium esset irritum & nullum, licèt apud infideles suum haberet domicilium, nisi esset casus, ubi ipsa Ecclesia conniveret, sicut de facto est in Matrimoniis clandestinis, nam hæc non irritantur, licèt fiant sine præsentia Parochi in partibus infidelium, sed nec hæreticorum, ubi Tridentinum non est receptum.

IX. Consuetudine introduci possunt.

Dico Sextò: *Etiam consuetudine impedimenta introduci possunt, non tamen abrogari.* Prima pars probatur ex *cap. Super eo. cap. quod delicto. de Consanguin. & cap.1. de cognat. spiritual.* ubi declaratur valere Matrimonium inter duorum Compatrum filios: *Nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur*, ubi planè supponitur ex consuetudine fieri potuisse, ut illud esset impedimentum dirimens. Sanchetz, Bonacinna, & alii requirunt ad introducendum aliquod impedimentum dirimens, consuetudinem debere esse mixtam laicorum, & Clericorum, nam Clerici non contrahunt Matrimonia, adeóque se soli impedimenta inducere nequeunt; laici verò etiam per se solos non possunt aliquid immutare, quod spectat ad Ecclesiasticas leges, prout Matrimonium concernentes spectant, cùm non sit tantùm contractus naturalis; sed etiam res quædam spiritualis. Secunda pars habetur *cap. Quod super his. de consang. & affin.* ubi Pontifex definit, non valere Matrimonium in gradibus prohibitis contractum: *Non obstante consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela.* Ex quo loquendi modo non solùm deducitur ratio Conclusionis, sed etiam solutio Objectionis, quæ afferri solet, scilicet, quòd sicut consuetudine leges introduci possunt, ita etiam abrogari, ex *cap. Finali. de consuetud.* Quia nimirum licèt alioquin consuetudo possit absolutè abrogare legem, tamen consuetudo per legem reprobata id non potest legitimè.

X. Non tamen abrogari.

Dicitur autem, Consuetudo per legem reprobata, non quando lex dicit: *Non obstante consuetudine in contrarium*, quia per hæc & similia verba revocatur tantùm consuetudo, sed non reprobatur, sed quando contrariam consuetudinem vocat abusum & corruptelam, ùt loquitur Pontifex loc. citato. Ratio est, quia consuetudo in tantum valet, in quantum Legislator eam permittit.

XI. Contrahere cum impedimento est peccatũ mortale.

Dico Septimò: *Contrahere scienter Matrimonium cum impedimento dirimente est peccatum mortale.* Est communis Theologorum, & Canonistarum. Probatur Primò: Quia est transgressio in re & materia gravi contra Legem Ecclesiasticam vel naturalem graviter obligantem, ergò. Et de hoc non est ulla apud Authores difficultas.

Mastrius noster existimat etiam hoc esse insuper peccatum sacrilegii: Quia præter peccatum inobedientiæ contra præceptum Ecclesiasticum, etiam irrogatur injuria Sacramento, atqui hoc inducit specialem sacrilegii malitiam, ergò. Probatur min: administrare aut recipere alia Sacramenta cum peccato, invalidè & irritè inducit specialem malitiam, ergò etiam hic.

Verùm, quamvis hæc sit probabilis opinio, existimo conformiter ad dicta de Sacramentis in genere, non esse specialem malitiam sacrilegii: Tum ex dictis ibi: Disput. 3. q. 4. ubi dixi Ministros in statu peccato mortali ministrantes peccare mortaliter, si ad hoc sint specialiter ordinati, nam Laici contrahentes non sunt specialiter ordinati, adeóque neque dupliciter peccabunt, peccant tamen, si non existant gratia, quando contrahunt, quatenus Sacramentum recipiunt, quia ponunt obicem ad gratiam ejusque augmentum, in casu autem nostro nec Sacramentum conficiunt, nec suscipiunt, quia contractum cum impedimento est nullum, ergò aliud peccatum non habebunt, quàm inobedientiæ, & ita

ita quoque sentit Bonacinna, in quantum tenet contrahentes in peccato mortali, non peccare duplici peccato, sed unum solum quatenus recipiunt. Tum, Quia alia Sacramenta habent Jure divino præscriptam materiam certam & determinatam, & solam rationem subeunt Sacramenti, ac proinde, si sit indebitus usus eorum, statim irrogatur injuria Sacramento, ast Matrimonium apud Christianos non sic habet determinatam materiam, quin necessariò unam adhibere debeat, sed potest fieri, verbis, nutibus, per procuratorem inter absentes, ergo, adeóque dicendum non Sacramento aliquam irrogari injuriam, sed contractui, quem dixi esse separabilem. Unde etiam hoc Sacramentum multa alia specialia habet, quæ non habent alia Sacramenta, à quibus proinde non licet semper facere paritatem. Et hanc sententiam tenent Sanchez, Ledesma, Fillucius, Diana &c. Vide Sanchetz lib. 7. p. 4. n. 1.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Impedimentis merè prohibentibus.

IMpedimenta merè prohibentia sunt duodecim, quorum quinque prima ex simplici Ecclesiæ determinatione sunt introducta, posteriora verò septem justissimè olim propter prævia crimina fuerunt inflicta, quæ omnia à Theologis & Canonistis memoriæ juvandæ gratiâ sequentibus complectuntur versibus.

I. Impedimẽta prohibentia enumerantur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum
Atque Cathechismus, Sponsalia, jungito Votum,
Incestus, Raptus, Sponsatæ, mors mulieris,
Susceptor propriæ Sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Acccipias, prohibent hæc Conjugium sociandum.

Impedimentum primum habetur *cap. Non uxorem.* 33. *p.* 1. & *cap. Capellanus.* Estque, quando Ecclesia, vel Prælatus, aut etiam Parochus vetat, nè aliqui ad certum tempus ineant Matrimonium, v. g. quod dubitatur de impedimento aliquo, num subsit; sub hoc comprehenduntur Excommunicatio, quia excommunicatus arcetur ab usu omnium Sacramentorum. II. Ecclesiæ interdictũ.

Impedimentum secundum est *Tempus Feriatum*, Cujus notitia dependet totaliter ab explicatione *cap. Capellanus. de feriis* & habetur in pluribus aliis locis, ut *cap. non oportet* 1. & 3. *cap. Non licet cap. Nec uxorem* 33. *q.* 3. & *Trident. Sess.* 24. *de Matrimonio cap.* 10. Ubi solemnitates Nuptiarum certis temporibus interdicuntur. Jure antiquo pluribus temporibus interdicebantur, nempe ab Adventu ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad octavam Paschatis, & à diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, ùt constat ex textibus & capitibus allegatis. Ratiò autem hujus prohibitionis fuit, quòd illa tempora erant particulariter dedicata devotioni, jejuniis, & aliis sanctis exercitiis, & quidem Paschali esset de præcepto Communio, ex *Concil. Agathensi can.* 18. Solemnitates autem Nuptiarum vehementer avocant animos à Spiritualibus, cùm in illis convivia, & multa alia vanæ lætitiæ signa exerceantur, Nunc autem Tridentinum temperat illud tempus feriatum ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum, usque ad octavam Paschatis dicens: *Ab Adventu Domini nostri JESU Christi usque in diem Epiphaniæ & à feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter omnibus observari sancta Synodus præcipit, in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrare permittit.* III. Tempus feriatum.

Ex qua authoritate deducunt Authores passim esse gravem culpam, illo tempore huic præcepto contra- IV. Transgredientes peccant graviter.

contravenire, & solemnes dare benedictiones, seu facere velationes, ita quòd Parochi id facientes gravi pœna, quamvis arbitraria, essent plectendi, Sponsi verò in delicti pœnam ad tempus sint separandi, ùt expresse habet *cap. Non oportet supra.* Verumtamen

V. Sponsalia, denuntiationes, & ipsa Matrimonia in silentio possunt fieri de licentia Ordinarii.

Dico Primò. *Non est interdictum tempore feriato celebrare Sponsalia, facere vel præmittere denuntiationes prævias. Imò etiam Matrimonium ipsum celebrari potest, si absque solemnitate & pompa fiat.* Primæ partes patent, Quia hæc fieri nullo jure prohibita inveniuntur.

Probatur tertia pars ex Ecclesia consuetudine & praxi, propter quam frequenter Ordinarii dispensant, ut his temporibus celebrari possint, quod alioquin non facerent, si ita rigidè esse prohibitum, cùm nullus inferior in lege Superioris dispensare possit. Nec videtur pia Mater Ecclesia velle tot tempora pro Matrimoniis celebrandis inhibere, nè propter concupiscentiæ ardorem detur occasio pluribus carnis peccatis. Nec obstat *cap. Nec uxorem* 33. *q.* 4. ubi expresse dicitur *Nec uxorem ducere posse*, quia iste textus, & omnes alii similes prohibent tantùm solemnitates benedictiones, convivia, saltationes, & traductiones Sponsæ de paterna domo vel aliena, ad domum Sponsi, nam ibidem subditur *nec convivia facere*, quæ vanæ lætitiæ signa nimiam mentis causant evagationem, illis sacris temporibus indecentem.

VI. Cathechismus.

Tertium est *Catechismus*, qui est instructio in fide, quæ fit ante Ecclesiam super baptizando à patrino, qui ad interrogationem factam à Parocho respondet, nomine ejus, qui baptizari debet, per hanc ergo sacram cœremoniam contrahit hic patrinus cognationem quandam spiritualem imperfectam cum eo, quem tenet, ob quam non dirimitur quidem Matrimonium, sed prohibitum est cum illo postea contrahere. Ita habetur *ex cap. contracto, de cogn. Spirit. & cap.* 2. *de cogn. Spirit. in* 6. Verùm hoc impedimentum per Concilium Trident. Sess. 24. cap. 2. sublatum est, nam ibi post designatas personas, inter quas voluit contrahi cognationem spiritualem concludit: *Omnibus inter alias personas hujusmodi cognationis spiritualis impedimentis omnino sublatis.*

Quartum sunt *Sponsalia* prius celebrata, quamdiu enim hæc non solvuntur, obligant ex natura sub mortali, nè cum alia Matrimonium contrahatur, nam Sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii, quæ gravem obligationem post se trahit, cui stare debet. VII. Sponsalia.

Quintum *Votum simplex Castitatis* de quo

Dico Secundò. *Votum Castitatis simplex impedit Matrimonium licitè contrahi posse, non tamen dirimit contractum.* Ita habetur *cap. Consuluit, & cap. Rursus, qui Clerici cap. unico de voto. in* 6. & *cap. quidam. d.* 27. *desumptum ex D. Augustino lib. de bono viduitatis ad Julianum cap.* 10. & *cap. Nuptiarum.* 27. *q.* 1. Ubi decernitur & vetatur similibus contrahere Matrimonium, non tamen irritatur, adeóque est impedimentum prohibens tantùm, non verò irritans, &. Ratio est, Quia res uni promissa, potest alteri validè dari, cùm per promissionem non sit adhuc abdicatum, & translatum dominium, sed per votum simplex tantùm promittitur corpus Domino, ergo adhuc per Matrimonium potest tradi alteri, Nam hæc est natura promissionis, ut impediat licitam translationem dominii rei promissæ in alterum, utpotè cùm sit contra fidem datam alteri, non tamen irritat, si alteri donetur, quod promissum fuerat, quia adhuc fuit verus Dominus. Et quamvis Ecclesia potuerit etiam statuere, ut votum simplex Castitatis dirimeret Matrimonium, sicut fecit Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino in naviculam*, cum simplicibus votis Societatis Jesu post biennium in illa emissa, nihilominus ex altissimis motivis id non fecit, quia frequen- VIII. Votum simplex Castitatis.

ter contingunt, quòd emittentes similia vota faciant absque magna deliberatione, sine testibus, & statum suum propriè non mutant, nec magis subjiciuntur Ecclesiæ, quàm ante subjecti fuerant, ideóque noluit judicialiter contra illos procedere.

IX. *Ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines.*

Voto Castitatis annectuntur votum ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines sacros; non contrahendi Matrimonium, seu non ducendi uxorem; & Juramentum de his, & castitate, ùt supra, servanda factum. Quia hujusmodi vota directè opponuntur statui Matrimonii, ac proindè id impediunt, non tamen dirimunt, eò quòd solam promissionem non verò traditionem importent, ùt modò dictum est de Castitate.

Est tamen inter hæc vota, notanda quædam differentia, nam qui contrahit Matrimonium emisso voto non contrahendi, peccat quidem in ipsa contractione, postmodum tamen potest petere & reddere debitum, eò quòd votum illud se tantùm extendat ab abstinendum ab actione contractiva Matrimonii. Similiter qui vovit suscipere Ordinem sacrum, peccat contrahendo, quatenus se facit inidoneum ad susceptionem Ordinis sacri, cùm tamen ultra non videatur se obligâsse, potest petere & reddere debitum, donec Matrimonio dissoluto, vel aliàs fiat ei integrum suscipere Ordines.

X. *Vovens nõ contrahere Matrimonium, vel suscipere Ordines potest petere & reddere debitum.*

XI. *Non tamē vovens Castitatem.*

Qui verò vovit Castitatem, non tantùm peccat contrahendo, sed insuper obligatur nunquam petere debitum (nisi dispensetur) ut sic votum servet, quantum est sibi possibile, quia tamen per votum non potuit juri alterius præjudicare, tenetur petenti reddere debitum, etiam prima vice, quando & sicuti teneretur non ligatus voto. Ita Lessius, Herinx.

XII. *VovensReligionem, prima vice nec reddere nec petere debitum potest.*

Qui denique vovit ingredi Religionem, manet obligatus usque ad consummationem, nec potest sub mortali consummare, sive petendo debitum, sive reddendo, eò quòd per consummationem facit sibi impletionem voti impossibilem, positâ tamen consummatione, cùm impletio voti facta sit impossibilis, potest ulterius debitum reddere & petere, donec conjuge moriente, aut adulterante, vel consentiente in ingressum Religionis ipse votum suum debitæ executioni mandet.

Sed adhuc circa hanc materiam aliqua alia dubia sunt resolvenda, ad quæ per Conclusiones respondendo

XIII. *Conscius etiam peccat.*

Dico Tertiò. *Scienter contrahens cum habente votum Castitatis, vel Religionis &c. peccat mortaliter.* Ita Sanchetz, & plures alii. Probatur: Tum, Quia cooperatur alterius peccato, fitque socius & particeps illius: Tum, Quia cùm votum illud sit Matrimonii impeditivum, non modò voventem, sed etiam conscium afficit, cùm illi curare utrinque debeant, ut Matrimonium licitè contrahatur.

Dices. Contrahens cum excommunicato parato ad contrahendum alioquin, non peccet, ergo nec ille, qui conscius est voti castitatis, aut Religionis, & hujusmodi. Respond. primò. Æque dici posse talem peccare, si aliqua ratione cooperaretur ad peccatum. Respond. secundò. Negando conseq. Disparitas est, Quia excommunicatus non habet speciale impedimentum ad contrahendum, sed solummodo propter Sacramenti reverentiam, quod quod sanctè suscipi deberet, sicut alii omnes, qui in aliquo peccato mortali existunt, votum autem castitatis etiam impedit rationem contractûs, qui, ut justus sit, petit, ut in nullo contrahente sit impedimentum.

Instabis. Potest ille, qui votum castitatis habet, esse paratus, sicut excomunicatus ad contrahendum, ergo non plus peccabit. Respond. negando conseq. Nam licèt in eo casu non cooperaretur conscius voti, cùm vovens sit paratus, & conscius tantùm consulat suæ utilitati, annuendo parato, nihilominus adhuc

huc peccat, eò quòd contraveniatur impedimento graviter obliganti.

XIV. Voventes nō possunt contrahere absque dispensatione.

Dico Quartò. *Votis superioribus adstrictus, quamvis ingentibus stimulis carnis urgeatur, sentiátque se insufficientem ad resistendum, frequentérque labentem, non potest Matrimonium inire absq; dispensatione.* Probatur ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ non eximit similes à voto licèt difficultates illæ, quas voventes sentiunt, sint subsequentes ad votum, sed semper requirit dispensationem. Probatur secundò. Quia materia votorum est gravissima, Deóque gratissima, & in eorum violatione non modò grave peccatum, sed & salutis periculum versatur, ergo non debet relinqui ad cujuslibet arbitrium dijudicare, an nunc & defacto bene ponderatis omnibus circumstantiis melius sit à voto resilire, & ad Matrimonium transire, sed prudentiùs & consultius est, id authoritate Superioris facere, nè fortè sibi blandiatur imbecillitas, & mentiatur iniquitas.

Quæres. Quid faciendum Theologo, si talibus votis adstrictus interrogaret, An Matrimonium contra illa initum valeat? Multi multa respondent, Nam aliqui denegandum esse responsum, alii putant eludendum. Verùm Respondeo simpliciter dicendum, Contrahentem cum simili voto peccare mortaliter, si tamen initium fuerit valiturum, Quia hæc dicere, non est præbere ansam alicujus ruinæ spiritualis, cùm veritas dicatur, & si accepta fuerit, non erit data scandali occasio, alioquin nec scriptò Authores hæc relinquere possent posteris. Gravior est difficultas, An votis his obstricto frequentérque & passim labenti sine spe succurrendi alio modo consuli posit, ut potiùs Matrimonium contrahat, cùm nunquam sit faciendum malum, ut eveniat bonum, vel ut caveatur aliud malum. Attamen.

XV. Voto obstricto potest in certo Casu consuli Matrimonii.

Dico. *In casu, quo votis hujusmodi adstrictus adhibitis mediis necessariis, spes non est, ut ei consulatur ad ea servanda absque frequentiori lapsu, ad quem semper paratus est, neque vult abstinere, aut dispensationem petere, & speratur per Matrimonium sufficiens remedium, licitum est ei consulere, ut Matrimonium ineat.* Ita Navarrus, Sotus, Corduba &c. apud Sanchetz. Probatur ex D. Augustino *lib. 2. de adult. Conjugii cap. 15.* & refertur *cap. si quod verius 33. q. 2.* ubi dicitur, *si enim facturus es, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat*, ubi D. Augustinus suadet potiùs adulterium, quàm homicidium, quia illud est minus malum, quàm uxorem occidere, ut alteram ducere possit. Item ex D. Epiphanio *lib. 2. contra hæreses. tom. 1. hæresi 61. pag. 6.* Ubi postquam docuit gravissimè delinquere, qui contra votum castitatis Matrimonio copulatur, consulit tamen, nè quis contra votum libidini vacet, ut potius uxorem ducat, *Melius est unum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum palam sibi uxorem sumere, quàm quotidiè occultis jaculis sauciari.* & D. Gregorio *lib. 32. moralium cap. 18. & refertur cap. Nervi*, ubi sic habetur: *Si omninò nullus sine peccato evadendi pateat aditus, minora semper eligantur.*

Probatur Secundò. Ratione. Quia consulens vel petens minus malum fieri, quando alter à majori malo non potest, vel vult revocari, non consulit malum, sed bonum, nam non petit illud malum fieri, sed petit solam electionem minoris mali, quæ bona est, cùm semper currat Regula vulgaris: *Ex duobus malis minus est eligendum.* Et confirmatur. Quia per consilium ad malum non inducitur, cùm ille majus malum paratus sit patrare, sed solùm svadet, ut peccata sua minuat, & ex parte saltem desistat à culpa. Confirmatur secundò exemplo Loth, qui filias suas stuprandas obtulit Sodomitis, ut à nefando vitio eos retraheret, quem ideo D. Ambrosius, & Augustinus excusant, ejúsq; factum vindi-

vindicant. Verùm nota: Nunquam dicendum est, in tali casu suaderi malum aliquod, sed electio, quæ est bona, suppositâ determinatione voventis ad majus malum, à quo aliter revocari non potest. Verba proindè, quibus consilium datur, debent cauta, prudentia, & talia esse, ùt nunquam videantur in malum tendere, sed in bonum.

Progredior nunc ad explicanda impedimenta, quæ originem trahunt ex prævia culpa, & ex crimine dicuntur. Ita

XVI. Incestus. Sextum, seu ex Crimine Primum est *Incestus*, qui in præsenti est fornicatio cum affine, sive uxore vivente, sive mortuâ, quia est eadem ratio, utrobique enim est incestus in gradu prohibito, scilicet quando vir habet copulam cum consanguinea uxoris usque ad quartum gradum, vel econtra, talis enim incestus impedit, ne vir amplius possit contrahere cum alia quacunque post mortem uxoris, & econtra. Sumitur ex *Cap. De eo, qui cognovit consanguineam.* ubi dicitur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore, alii se poterunt Matrimonio copulari. &* *cap. Si quis.* 10. *Si quis cum noverca sua dormierit, neutrum ad conjugium poterit pervenire.* Et ratio est, quòd iniquè concurrerint ad injuriam irrogandam Matrimonio contractâ affinitate inter conjuges, ex quâ impeditur usus Matrimonii, ideò puniuntur in ipso Matrimonio, contra quod deliquerunt, & interdicitur eis, ne cum quacumque alia persona possint contrahere.

Antiquitus extendebatur Incestus iste usque ad quartum gradum cum consanguineis alteris conjugis seu affinis, ast hodiè post Trident. Sess. 24. de Matrimon. cap. 4. restrictâ affinitate ex copula illicita orta usque ad secundum gradum, incestus etiam commissus ultra secundum gradum, non est ullum impedimentum impediens.

Nota ulterius, hoc impedimentum non contrahi, si quis incestum haberet cum Consanguinea propria, licèt enim ex se sit gravior, non est tamen Matrimonio injuriosior, & cùm versemur in materia pœnali, hæc potius est restringenda, quàm amplianda, jura autem loquuntur de incestu in affinitate: Similiter non incurritur ex incestu ob cognationem legalem, vel spiritualem, quia jura id non exprimunt, nec incurreret aliquis, si quis cum affine incestum haberet, ignorans affinem esse, ùt habetur *cap. 1. De eo, qui cognovit*, nam sicut ignorantia excusat à culpa, ita & à pœna. Ita Sanchetz, Bonacinna, Mastrius. XVII. Non contrahitur ob quemcunque incestum.

Probabiliter tamen tenetur, Eum, qui habet cum Consanguinea in primo gradu Sponsæ de futuro vel præsenti copulam, incurrere hoc impedimentum, quia ex publica honestate consurgit quædam affinitas, adeóque incestuosa copula in primo gradu isto faciet impedimentum, dixi tamen in primo gradu, quia sicut post Tridentinum publica honestas non excedit primum gradum, ita nec impedimentum per eandem consurgens. Addunt Authores tamen, cùm hic non sit propriè incestus, impedimentum quoque non esse perpetuum, sed solùm vivente Consanguineâ, cum quâ habuit copulam.

Septimum & secundum ex Crimine est *Raptus Sponsæ alienæ*, ipsâ, vel Sponsô invitô, per quem contrahitur impedimentum, ut non possit Raptor nec cum Raptâ, nec cum aliâ Matrimonium inire, & si rapta consensum præbuit Sponso resistente in eandem incidit pœnam, & impeditur, nè cum alio Matrimonium contrahere possit. Ita habetur *cap. Statutum.* 27. *q.* 2. ubi habetur: *Statutum est à Sacro Conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe conjugii maneat.* Ratio est, quia alienum Matrimonium perturbans dignus est ab omni alio arceri. Quæ breviter hic dicta sufficiant, XVIII. Raptus Sponsæ alienæ.

cùm fusior sermo sit futurus, cùm agetur de Raptu, ut est impedimentum dirimens.

XIX. Uxoricidium. Octavum est *Uxoricidium*, quod non debet fieri animo, ùt quis ad aliud Matrimonium transire possit, aliàs erit impedimentum dirimens, sed ob quamcunque aliam causam, v. g. ex ira, odio, vindicta, ob adulterium &c. tunc enim impeditur Uxoricida, ne cum alia fœmina Matrimonium contrahere possit, & habetur clarè ex *cap. Interfectores.* 33. *quæst.* 2. ubi dicitur: *Quibus Pœnitentibus conjugium denegatur. & cap. Admonere.* 33. *q.* 2. quod est Stephani Pontificis, qui Astulphum reprehendens, quòd uxorem occidisset, sic ait: *Uxorem nunquam ducere audeas. & cap. quicunque supra*, ex Pio Pontifice habetur: *Quicunque propriam uxorem absque lege, vel sine causa, & certa probatione interfecerit, aliàmque duxerit, publicam agat pœnitentiam.* Ex quo ultimo capite infertur, occidentem uxorem in adulterio deprehensam incurrere hoc impedimentum, nam facit *absque certa probatione*, non tamen incurreret, qui adulteram traderet Judici occidendam, cùm id non faceret *absque Lege.*

XX. Etiam uxor occidens virum, incurrit. Hîc disputant aliqui, an etiam hanc pœnam incurrat fœmina occidens virum, & potest utrumque dici: Affirmativè quidem ex *cap.* I. *de divortiis*, ubi habetur: *quòd mulier insidiatrix morbis mariti absque spe conjugii stet pœnitentiæ subjecta:* Tum à paritate rationis: Tum à paritate impedimenti criminis, quod non solùm vir uxorem occidens, sed etiam fœmina virum necans, incurrit. Negativè verò, quia est materia pœnalis, adeóque non debet extendi ultra, quàm leges loquantur, & Canones, nulli autem Canones de viricidio mentionem faciunt, ergò. Verùm ego maneo penes affirmativam.

XXI. Susceptio propriæ sobolis. Nonum est *Susceptio propriæ sobolis* ex sacro fonte, vel in Confirmatione, quod habetur *cap. de eo.* 30. *qu.* I. dicente: *De eo, qui filium suum baptizavit, & uxor ejus eum de fonte suscepit, hâc causâ, ut dissidium conjugii fieret, de talibus sic respondendum est, si Conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerunt, ut filium suum de fonte susciperent, si prævaricator conjugii supervixerit, sine spe conjugii maneat.* Ubi notandum Primò: Hoc fieri debere malô animô, ut contrahendo cognationem spiritualem cum altero conjuge eximat se à debito conjugali reddendo, in pœnam fraudis hujus, & insidiæ in usum Matrimonii proprii aliud Matrimonium inire prohibetur post mortem alterius conjugis. Notandum Secundò: Quia talis filius susceptus sit communis utriusque Conjugis, aut alterius ab eo, qui est patrinus, vel baptizat, quia tunc contrahitur cognatio spiritualis, & fit insidiatio Matrimonii: Nam si esset filius solius baptizantis conjugis, vel qui est patrinus, cùm nullam tunc cognationem contrahat cum altero conjuge, nec debiti petitio impediatur, cessat insidiatio Matrimonii, etiamsi illam intenderet, quia hæc intentio tunc frustraretur.

Decimum est *Presbytericidium*, si de eo convictus fuerit, ex *cap.* 2. *de Pœnit. & remiss.* ubi dicitur: *Qui Presbyterum occiderit, convictus usque ad ultimum vitæ suæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat.* Hoc enim Sacramento Matrimonio injuriosum putatur, cùm Sacerdotis officium sit assistere & benedicere Matrimonium. XXII. Presbytericidium.

Undecimum est *Pœnitentia solemnis* & publica, quæ antiquitus ob varia crimina imponebatur, eâ durante prohibebantur Matrimonium contrahere, ex *cap. de his. & cap. ult.* 33. *qu.* 2. XXIII. Pœnitentia solemnis.

Duodecimum est *Conjugium cum Moniali*, scienter contractum, hoc enim casu non solùm contractus est nullus, & irritus, verùm etiam contrahens impeditur, ne possit cum alia contrahere, ùt habetur *cap. Si quis. & cap. Hi ergò.* 22. *quæst.* I. Et hoc quidem satis rationabiliter, quia XXIV. Cōjugium cum Moniali.

quia sic contrahens non solùm in Matrimonium carnale delinquit, tentans quod non potest, sed etiam in Matrimonium spirituale, Sponsam Christi sibi usurpare volens, idem est de fœmina contrahente cum Religioso.

XXV. Hæc impedimenta vigent, quando ad forum deducuntur. Intellige tamen, hæc crimina obligare & vigere, quando publica sunt, & ad forum Ecclesiasticum deducuntur, quia secundùm hunc dicendi modum nunquam Judices ita connixerunt, ut consuetudine abrogari potuissent, & fortè etiam non aliter antiquitus obligârunt. Deindè etiam licèt obligarent, ita ut quis mortaliter peccaret contrafaciendo, ubi consuetudine non essent abrogata, adhuc Episcopus dispensare potest, præter votum Castitatis & Religionis, in non præsupponentibus culpam, in præsupponentibus autem, ut in incestu cum consanguinea, à solo Pontifice dispensari potest, ùt notat Stephanus à S. Gregorio *lib. 3. cap. 110. ex cap. Si duo. 35. quæst. 6.*

QUÆSTIO TERTIA.

De Impedimentis dirimentibus in Communi.

I. Enumerantur impedimenta dirimentia. IMpedimenta Matrimonium dirimentia ex antiquo jure recensentur duodecim, ex jure novo post Tridentinum Sess. 24. cap. 6. quatuordecim, quæ his versibus comprehenduntur:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptàve sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant Connubia, facta retractant.

Antequam ergò de his in particulari aliquid agam, quædam generalia prius hìc examinabo.

II. Impedimenta ista obligant etiam ignorantes. Dico Primò: *Impedimenta etiam ista obligant seu stringunt ignorantes.* ita Mastrius, Herinx, & communis. Ratio est, quia dum revera talia subsunt impedimenta, eo ipsò inhabiles sunt ad contrahendum, quamvis ipsi id ignorent, ergò re ipsa Matrimonium est nullum & invalidum, & detectô impedimentô remedium quærere debent, ad convalidandum Matrimonium, nè in peccato permaneant, nec ista nullitas incurritur ratione pœnæ, suppono enim eos esse in bona fide, sed tanquam effectus inhabilitatis, quæ contrahitur etiam non cognita.

III. Falsè putantes subesse impedimentum, non videntur posse efficaciter velle contrahere. Econtra verò, si verè quidem impedimentum non subsit, tamen ex errore adesse putetur, multi censent valiturum Matrimonium, multi negant. Et quidem si omninò certò sibi persuadeant subesse impedimentum dirimens, & vim illius probè nôrint, non videtur quomodo practicè & efficaciter possint velle contrahere, cùm efficax voluntas non possit esse nisi possibilium, non verò impossibilium prout contingit. Quia tamen fieri potest, ut falsò putantes se esse v. g. Consanguineos, aliqualiter suspicentur contingere posse, ut non sit gradus tàm propinquus, qui dirimat Matrimonium, vel ut putantes priorem conjugem vivere, cogitent posse fieri, quòd obierit, vel sanè vim impedimenti non penetrent, hinc possent tales habere intentionem & voluntatem sufficientem contrahendi, scilicet, si, & in quantum possunt, seu faciendi quidquid possunt, unde combinando duas dictas sententias contrarias cum distinctione in medio incedendum erit, & dicendum, si contrahentes intendant contrahere, quantum est in ipsis, valiturum Matrimonium, quia sunt habiles ad contrahendum, & habent efficacem consensum, quòd ad Matrimonium sufficit, si verò non haberent sufficientem consensum, Matrimonium fore nullum.

IV. Bonâ fide contrahentes cognito Dico Secundò: *Qui bonâ fide contrahunt Matrimonium cum impedimen-*

impedimento debent abstinere. *dimento dirimente, eò cognitò abstinere debent, & ab usu, & quoad thorum separari.* Ita Mastrius, Herinx, &c. Ratio primæ partis est, propter continuum peccatum. Ratio secundæ partis, propter periculum carnalis commercii.

Difficultas tamen est in casu, quo unus solus post Matrimonium contractum rescit, aut illius antea conscius contraxit, nec potest illud absque summa infamia manifestare comparti, aut non absque alio magno periculo separari, vel debitum negare, aut quando ob defectum probationis compellitur ab Ecclesiæ Prælatis reddere debitum. Quo casu certum est conscium impedimenti non posse reddere debitum, donec interim impetretur dispensatio, nè quidem dum impedimentum est juris Ecclesiastici, & Judex cogit ad reddendum debitum. Ita enim expressè declarat Innocentius III. *cap. Inquisitioni. 44. de sua Excomm.* ubi in casu, quo alter conjugum pro certo scit impedimentum, propter quod sine peccato mortali non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probari non possit, respondet, eum potius debere Excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm propter carnale commercium exercere & operari mortale peccatum. Idem *cap. litt. de restit. spoliat.* Ratio etiam est, Quia fornicatio nunquam licet. Neque tunc est debitum, sed crimen, quod nec quidem ob jacturam vitæ est admittendum, putat quidem nescia pars se habere jus petendi, sed ipsam verè illud non habere constat parti impedimenti consciæ. Quare etsi sit Ecclesiasticum, non censetur Ecclesia per talem Prælatum excommunicantem & compellentem ad debitum reddendum dispensare, sed hic proceditur per allegata & probata supponendo, non faciendo Matrimonium valere; Unde si postea impedimentum detegeretur, Ecclesia eos separaret, & liberos declararet, Censura autem tunc non ligat innocentem in foro conscientiæ, & coram DEO non tenet, sed tantùm in foro externo deberet se talis gerere pro Excommunicato ad vitandum scandalum, & alia majora incommoda.

V. Etiamsi excommunicetur.

VI. Ad revalidandum Matrimonium non sufficit sola impedimenti sublatio, sed etiam requiritur novus consensus.

Dico Tertiò: *Ad revalidandum Matrimonium ratione impedimenti invalidè contractum non sufficit sola impedimenti ablatio, sed etiam non unius tantùm, sed utriusque requiritur novus consensus.* Ita Authores supra.

Primæ partis Ratio est, Quia consensus ille nullus fuit, utpote inter personas inhabiles, ergò post habilitationem debet poni consensus perficiens Matrimonium. Ratio secundæ partis, Quia antea utriusque partis consensus nullus erat, utpote qui erat inter inhabiles, & utrinq; acceptio, ac traditio personarum inhabilium, ergò non est ratio, cur unius, & non alterius partis consensus esset revocandus. Certum insuper est, non sufficere consensum internum tantùm, sed etiam signis & verbis exteriùs exprimi debere. Sed

VII. Pars inscia debet aliquo modo fieri conscia impedimenti.

Controversia est: An uterque conjux debeat fieri conscius nullitatis Matrimonii, sive impedimenti præcedentis, an verò sufficiat impedimento sublato conjuges consentire, séque tractare ùt conjuges? Quidquid dicant alii cum Scoto *dist. 35.* quæst. uni. Richardo &c. censeo requiri utrique conjugi aliquo modo notificari nullitatem matrimonii, eò quòd alioquin inscius nullitatis per suum novum consensum tantùm intendat confirmare contractum prius factum, cúmque præstare vi existimationis, quâ credit illum valuisse, & valere; qui proindè si non valuerit, tali confirmatione non revalidatur, cùm tantùm approbetur, quod factum erat, & prout factum fuisse apprehenditur, quod manifestè apparet non sufficere. Imò cum tali consensu potest stare actualis intentio nequaquam tunc contrahendi, si si prius Matrimonium foret nullum, adeóque procedit ex præsumptione falsa de valore Matrimonii, & jure.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De Impedimento Erroris.

I. Impedimenta alia contractum, alia personas afficiunt.

PRimum est hoc impedimentum tum in carnalibus supra positis, tum ex iis, quæ contractus annullant, primúmque sortitur hic locum, verùm aliàs non servabo ordinem carminum impedimenta exprimentium, sed naturæ connexionem, quam ad se invicem habent: Nam quædam ipsum contractum matrimonialem afficiunt, faciúntque consensum nullum, ùt *Error, Conditio, Vis, Raptus, Præsentia Parochi, testium &c.* Alia ipsos contrahentes respiciunt tanquam ad contrahendum inhabiles, & hoc vel ex inhabilitate physicâ, vel morali secundùm juris dispositionem, quare ea, quæ ad se majorem habent affinitatem conjungam, & incipio ab universalioribus, quæ ipsum Matrimonii contractum & essentiam concernunt.

II. Error & ignorantia differunt.

Notandum Primò: Errorem & Ignorantiam inter se differre: Nam ignorantia ex sua ratione nullam præviam cognitionem desiderat, sed consistit & subsistit in sola scientiæ negatione: Error verò debet habere judicium prævium, illúdque falsum ut sit, necesse est, qui etiam frequenter *ignorantia* dicitur, sed cum additò *pravæ dispositionis*; ubi verò non adest judicium falsum, & prava dispositio, tunc dicitur ignorantia *simplicis & puræ negationis.* Utraque tamen ignorantia sufficit ad causandum involuntarium, quia *nihil volitum, quin præcognitum*, teste Philosopho 5. de Anima. Commento. 39.

III. Error quid sit.

Notandum Secundò ex D. Augustino in Enchirid. cap. 21. refertur *cap. in quibus.* 22. *qu.* 2. *Errare esse unum pro alio putare*, unde si putarem Pragam distare Viennâ 20. milliaribus, cùm tamen distet 34. milliaribus germanicis, errarem, si verò me planè lateret, quantum distarent istæ Civitates à se invicem, non errarem, quia nullum conceptum de distantia earum formavi; sed ignorarem. Hinc

IV. Error non potest esse absque aliqua notitia.

Notandum Tertiò: Nunquam posse contingere errorem personæ absque aliquali prævia ejus notitia, sive ex visu, auditu, vel famâ, nam in penitus ignotam personam non possumus dirigere affectum nostrum ex *l. Cum ab eo. V. mensam. ff. de contrab. empt. & l. in Lege.* 77. *ff. eodem.* ubi venditò fundò lapidicinas penitus ignoratas in eo existentes, minimè vendi dicitur, quod nemo venditioni rei ignotæ connivere censeatur.

V. Alius est Error substantiæ, alius qualitatis.

Notandum Quartò: Errorem circa personam, prout huc pertinet (nam de errore Conditionis in sequenti quæstione erit sermo) esse duplicem: Nempè *circa substantiam*, ùt quando una pro alia supponitur: Alter est *circa qualitatem*, & illa iterum est duplex, vel est qualitas *corporis*, ùt cùm contrahere intendit cum pulchra, Nobili, & virgine, & est deformis, plebeja, & corrupta: vel *Fortunæ*, ùt cùm existimatur dives, & est pauper, uterque error, nempè substantiæ & qualitatis, iterum duplex est, unus *Antecedens* & *Concomitans. Antecedens* est ille, qui causat contractum, & à Canonistis dicitur, *Dans causam contractui*, ita si ille non adesset, nunquam fieret contractus, ideòque efficit, ut actus ille sit involuntarius, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, v. g. volens contrahere Matrimonium cum Amabilia, & offertur illi Florentia, quam si sciret, non esse Amabiliam, non contraheret cum illa, error est circa personam dans causam contractui. *Error Concomitans* est, qui non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, ut, eo non existente, adhuc actus fieret, v. g. quando quis ignorat oblatam esse Florentiam, sed existimat esse Amabiliam, si tamen id agnosceret, adhuc vellet cum illa contrahere: quia dispositus est habitualiter in corde contrahere cum illa, etsi non esset Amabilia. His prænotatis:

VI. Error circa substantiam personæ invalidat Matrimonium. Dico Primò : *Matrimonium contractum cum Errore circa substantiam personæ invalidum est , non solùm jure humano , sed etiam jure naturali.* Ita Scotus , D. Bonaventura, Mastrius , Ledesma , Sanchetz. Probatur prima pars , ex *cap. Unico. 29. quæst. 1. & cap. Tua nos. de Sponsalibus.*

Probatur secunda Pars : Quia Matrimonium jure naturæ non subsistit sine consensu libero , (libertas autem requirit cognitionem & advertentiam rationis) circa personam, cum qua contrahitur , sed quando error versatur circa substantiam personæ, non adest consensus circa illam personam, sed circa illam, quæ mente concipitur , nam *l. Si per errorem. ff. de jurisdictione omn. judic.* dicitur : *Nil esse magis contrarium consensui , quàm errorem , & lege. Cùm testamentum.* dicitur : *Errantis nullus est consensus.*

VII. Etiamsi sit concomitans. Et hoc quidem verum est, etsi error fuerit tantùm concomitans , id est, etsi sciret esse aliam personam, adhuc contraheret cum ea, nam licèt error iste reddat actum contrarium voluntati , tamen reddit non voluntarium , scilicet error concomitans non causat involuntarium positivè, causat tamen non voluntarium, cùm *nihil sit volitum, quin præcognitum* , Consensus autem conjugalis debet esse positivè voluntarius cum tali persona contrahendi. Ex Conclusione sequitur , Matrimonium contractum cum errore circa substantiam non solùm esse invalidum inter Fideles, sed etiam inter Infideles, quia tale est jure naturæ. Sed in Contrarium

VIII. Differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta. Arguitur Primò : Alia Sacramenta non irritantur per errorem personæ , ùt si quis baptizet Petrum , existimans esse Paulum, confirmet Jacobum , existimans esse Joannem , & sic de Absolutione, Ordine, Extremâ Unctione discurri potest , ergò etiam contrahens cum Florentia existimans esse Amabiliam, non erit invalidum Matrimonium. Respond. Negando Consequentiam. Quia in Sacramentis supra allatis non debet Minister arctare suam intentionem ad personam, sed ministrare illi , quicunque ei offertur, Ministri verò Matrimonii, qui sunt conjuges , possunt arctare suam intentionem ad hanc præcisè personam, & non ad aliam , quia personæ istæ ordinantur ad individuam vitæ humanæ consuetudinem, amorem, cohabitationem, usum corporum , & prolis educationem , quibus malè provideretur , si pro persona quæsita, & adamata substitueretur alia.

Arguitur Secundò : In aliis Contractibus onerosis v. g. venditionis & emptionis, non vitiatur , & irritatur contractus , si rem vendam Petro, licèt existimem esse Paulum , ergò à pari. Respond. iterum negando Consequ: Quia Justitia commutativa , ad quam cœteri contractus onerosi pertinent , v. g. emptionis, respicit solam æqualitatem inter rem & pretium, vel rei venalis usum, vel commoditatem , quæ si adsint, nihil postmodum interest , sive Petro vel Paulo fuerit vendita. In Matrimonio autem respicit contractus individuas personas, mutuam corporum traditionem facientes , ita ut corpora ipsa sint materia , circa quam contractus fit , sicut nec contractus emptionis valeret , si emere vellem aurum , & substitueretur mihi aurichalcum, plumbum pro stanno, stannum pro argento &c. IX. Differentia inter alios contractus & Matrimonium.

Arguitur Tertiò : Inter Jacob & Liam verum fuit Matrimonium , ùt patet ex veteri Testamento Gen. 29. & tamen Lia fuit tantùm supposita pro Rachaële , quam ducere volebat, ergò. Respond. Negando ant: nam *cap. Unico. 29. q. 1.* expressè dicitur, Quando Jacob cognovit Liam, existimans esse Rachaëlem , non fuisse verum Matrimonium , donec ipse Jacob animadvertens pro Rachaële Liam fuisse suppositam , de novo consensit in Liam.

Dico Secundò : *Error qualitatis non dirimit Matrimonium , etiamsi fuerit antecedens , & dans causam contractui.* Ita communiter Theologi X. Error qualitatis non dirimit Matrimonium.

logi & Canonistæ. Probatur Primò ex *cap. Cùm in Apostolica. de Sponsalibus.* ubi deciditur, Matrimonium non irritari ex mendacio & subreptione ad ipsum inducentibus. Probatur Secundò: Quia qualitates, ùt supponitur, non sunt objectum contractûs, sive consensûs, sed solùm ratio motiva, ergò licèt sit error circa illas, adhuc subsistit consensus substantialis, adeóq; est validus contractus, Probatur Tertiò: Quia licèt omnis error sit causa involũtarii, non tamen omnis efficit involuntarium simpliciter, sed iste tantùm, qui est circa qualitatem per se, & ex natura rei requisitus ad substantiam contractûs, ergò quando error est circa qualitatem per accidens se habentem, tantùm efficit involuntarium secundùm quid, ergò. Probatur Consequ: Quia tunc error est in apprehensione rei non necessariæ ad contractum, sed accidentaliter se habentis, ergò faciet voluntarium simpliciter, & secundùm quid tantùm involuntarium. Sed in Contrarium

Arguitur Primò: Sponsalia celebrata cum errore circa qualitatem personæ sunt invalida, ergò etiam Matrimonium. Respond. Negando ant: Quia talia Sponsalia sunt æquè valida propter similem errorem accidentalem, quamvis citiùs sunt dissolubilia, quia citiùs interveniunt aliquæ causæ, quæ notabiliter mutant ipsam substantiam, & deteriorant.

Instatur: Sponsalia celebrata per dolum, qui dat causam ipsis, sunt invalida, ergò. Respond. Negando Consequ: Quia hoc est speciale Matrimonio, quòd non irritetur per datum dolum, quamvis cœteri contractus per dolum facti dissolvantur, quia natura & Matrimonium postulat, ut non tàm citò dissolvatur, sicut Sponsalia, quæ minus sunt vinculum, majus autem est Matrimonium, adeóque gravior requiritur causa, quàm in Sponsalibus.

Arguitur Secundò: Si quis intendit donare Eleemosynam egeno, & dat ficto egeno, donatio illa non est voluntaria, nec fictus egenus accipit dominium illius Eleemosynæ ex defectu consensûs largientis. ergò nec contrahens fingens divitias, aut nobilitatem acquirit dominium corporis alterius partis, quæ ob divitias & nobilitatem intendebat dare dominium corporis, quod alioquin non dedisset. Respond. negando Consequ: & paritatem; Disparitas est, quia in elargitione eleemosynæ deficit titulus, nempè paupertas, adeóque non potest acquirere dominium accipiens fictâ paupertate. In Matrimonio sic contracto cum errore qualitatis non deficit titulus, & ratio acquirendi corpus conjugis, quia traditio corporis sui fit pro traditione corporis, non verò pro qualitate corpori ab extrinseco inhærente.

Dico Tertiò: *Error qualitatis irritat Matrimonium, si qualitas actualiter vel virtualiter per modum conditionis apponatur, aut quando qualitas ingreditur in errorem personæ.* Hæc deducitur ex Sanchetz, Bonacinna, Mastrio, & aliis passim Authoribus. XI. Error qualitatis dirimit, si qualitas fuit apposita per modũ conditionis.

Probatur prima pars: Quia sicut intentio talis est sufficiens ad constituendum Matrimonium, si verè actu qualitas subsit, ita etiam est sufficiens ad dissolvendum Matrimonium, si qualitas conditionaliter apposita non subsit. Confirmatur: Quia conditio apposita semper habet virtutem suspendendi effectum, sempérque significat dissensum, nisi adsit, quod sub conditione apponitur, ergò. Dixi autem actualiter vel virtualiter, quia si tantùm habitualiter apponeretur, non irritaret contractum, ùt v.g. quando jam esset per contrarium actum revocata.

Probatur secunda pars: Quia si aliqua per Procuratorem contrahat cum primogenito Titii, erit irritum, si substituatur secundò genitus, quia cùm tunc contrahat cum absente, quem non novit, nisi sub ratio- XII. Nisi error transeat in errorem personæ.

ratione primogeniti fertur intellectus, & consequenter consensus solummodo in primogenitum, quicunque ille sit, & in nullum alium. Tunc autem error qualitatis resultat in personam, quando qualitas determinat intellectum contrahentis, ut concipiat certam, & omnino determinatam personam, seu quando penes illum format sibi conceptum cujusdam singularis personæ, atque ideo determinat voluntatem, ut in eam præcisè consentiat. Quando verò quis independenter ab ea qualitate concipit, seu apprehendit certam personam, & postea decipitur putans tali personæ à se apprehensa inesse certam qualitatem, quæ non inest, tunc est error purus qualitatis, ut est, quando juvenis sollicitans filiam fingit se divitem, Nobilem, Filium Comitis &c.

QUÆSTIO QUINTA.

De Impedimento Conditionis.

I. Conditio multipliciter accipitur. NOmen Conditionis amplissimum est, nam significat primò actum condiendi fercula à verbo *condio*: deinde actum condendi leges, à verbo *condo*. Tertiò denotat clausulam seu qualitatem, pactum, legem limitantem in conventionibus apponi solitam, seu *cum quid in casum incertum, qui potest tendere ad esse, & non esse, confertur*, ut habet ser: Instit: de Verbo. obligat. unde oritur consensus conditionatus, quia is obligationem non inducit ante eventum appositæ conditionis. Quartò significat fortunam, officium, sortem, vel etiam qualitates fortunarum, rerum, temporum; Prout autem huc pertinet, significat statum servilem, subjectum Domino ad ejus dispositionem. Hinc

II. Servi sunt multiplices. Notandum Secundò. Homines de statu seu conditione servili, seu servos esse multiplices, maximè de jure antiquo, & antiquis terminis dicebantur alii *Atrarii* ab Atrio: *Focarii* à focis: *Mediastini* ab universali applicatione: *Arcarii* ab Arcis: *Saccularii*, qui saccis & loculis quibusdam præstigiosas exercebant recreationes: *Apolides* & *Insularii*, qui ad insulas deportabantur eruendis metallis deputati: *Orcini*: quos post mortem Dominus testamento liberos esse jussit, & hi erant ordinariè mancipia, sic dicti, quia ad particulares operas mancipabantur, dicebantúrque mancipia, qui propriè ita servi erant, ut à Dominis pro libitu vendi potuerint. Alii autem sunt servi, qui licèt ad certas operas, & labores obligentur, verè tamen sunt liberi, ut bene docet *glossa in cap. 2. de Judæis*, & tales sunt *Adscriptitii*, & *Originarii*: Primi dicuntur, qui colendis agris in prædiis sunt addicti, & obligati sunt omnes annuos redditus præter sumptus & victum reddere: *Originarii* verò sunt illi, qui ex præfatis adscriptitiis originem suam trahunt. His prænotatis continuatur difficultas ab errore originata, an contrahens cum servo vel serva, existimans esse liberum vel liberam, obligetur ad contractum, ita ut sit validus, & aliæ, quæ hunc errorem concomitantur. Itaque

Dico Primò. *Liber contrahens cum propriè serva adscriptitia vel originaria, quam credidit esse liberam, non obligatur ad Matrimonium, adeóque Error conditionis irritat Matrimonium.* III. Error Conditionis irritat Matrimonium. Probatur ex 2. & 3. *ac finali de Conjuge servo.* Et *cap. si quis ingenuus* 29. *q.* 2. Item ex jure Civili *Authent. Ad hoc C. de latina libertate*, & *L. 11. lit. 2. par. 4.* Probatur etiam ratione, Quia talis contractus adversatur bono Sacramenti, & individuæ cohabitationi, cum enim serva maneat in domo Domini, mittique possit aliò vendenda, non potest ad libitum viri reddere debitum, sed tantùm cùm vacaverit à servitiis Domini, quibus extitit occupata; similiter prolem debitè educare non possunt, cùm serva omnia acquirat Domino suo, & vice versa dicendum de servo. Probatur quoque de serva adscrip-

adſcriptitia & originaria. Quia jus Civile irritat Matrimonia libera cum adſcriptitio alieno, etiamſi cognita fuiſſet illa ſervitus, ùt habetur *Auth. Ad hoc, C. de latina libertate.* quæ deſumpta eſt *ex Authentica de Nuptiis. §. Adſcriptitio*, ubi additur, id non eſſe Matrimoniū. Idem tenet gloſſa, ergo à fortiori non erit Matrimonium, ſi illa ſervitus fuerit ignorata. Probatur id ipſum ratione, Nam licèt ſervitus adſcriptitia & originaria non ſit tanta, ac ea, quæ eſt jure Civili inducta, ac propria dicitur, nihilominus eſt talis, ut ſit contra Matrimonii bona, nempe contra bonum educandæ prolis, quæ nequit eſſe patrimonii paterni hæres, ſed Dominus, ejúsque Ærarium, nec erit proles habilis ad Ordines. Deinde eſt quoque contra bonum cohabitationis, quia tales ſervæ vel ſervi ſunt glebæ adſcriptæ, adeóque ignorans hanc conditionem, non cenſebitur habere voluiſſe conſenſum,

IV. Error Conditionis jure naturæ dirimit Matrimoniū.

Dico Secundò. *Error Conditionis dirimit Matrimonium jure naturali.* Ita Scotus 4. *d.* 42. *q. un. §. ex dictis breviter.* Sylveſter, Soto, Hiqueus, Maſtrius &c. & Probatur à paritate, Error circa perſonam jure naturali dirimit Matrimonium, ſimiliter Error qualitatis, quando in perſonam redundat, ut dictum eſt in quæſt. præced. ergo etiam Error conditionis, quia hic redundat in perſonam, quod probatur, Quia contrahens non ſolum intendit contractum, ſed etiam æqualitatem ex vi præſentis conſensûs, ita quòd ſicut liberum corpus, liberámque poteſtatem corporis transfert in alium, ita etiam liberum corpus, liberámque ejus velit habere poteſtatem, ſed in caſu non acquirit hoc, ergo non cenſetur habere conſenſum, conſequenter jure naturæ ex conſensûs defectu, quæ eſt ratio Scoti, nullum erit Matrimonium. Probatur Secundò, à pari: Si quis equum venderet alteri, cujus uſus dependet ab alterius voluntate & dominio, tacito hoc onere, venditio illa jure naturæ eſſet irrita, cùm conditio intrinſecè eò tendat, ut dominium cum libera uſus rei venditæ poteſtate tranſeat in emptorem, ſed uſus corporis ſervæ dependet potiori ex parte à Domini voluntate, ùt de ſe patet, ergò.

V. Error Conditionis nō invalidat, ſi perſonæ ſint æquales vel melioris conditionis.

Dico Tertiò. *Matrimonium contractum cum errore Conditionis non eſt invalidum, quando perſona, cum qua contrahitur, eſt æqualis, vel melioris conditionis.* Ita Maſtrius, Sanchetz, Bonacinna. Ledeſma. Colligitur *ex cap. ſi quis*, & *cap. ad noſtram, de conjugio ſervorum.* unde fit, ut ſi Titius ſervus cum Berta ſerva, aut cum Berta libera, exiſtimata ſerva, contraheret, valeret Matrimonium, Ratio eſt, quia eſſet æqualitas, & nulli fieret injuria.

VI. Error Conditionis præſcitæ nō dirimit Matrimonium.

Dico Quartò. *Error Conditionis non dirimit Matrimonium jure naturæ, ſi liber ſervitutem ancillæ, & libera ſervi conditionem noverit.* Probatur ex *cap.* 2. *de Conjug. ſervor.* Et *cap. ſi quis liber.* 29. *q.* 2. *cap. ſi quis ingenuus*, ibidem. Probatur Secundò. Ratione, Quia ſervitus cognita non adverſatur ſubſtantiæ Matrimonii ſimpliciter, maximè ſi in eadem domo eidem ſerviant domino. Nihilominus talis liber contrahens cum ſerva ſciens ejus conditionem fit irregularis ex *cap. ſi quis viduam*, & 2. *d.* 34. quod deſumptum eſt ex Canonibus Apoſtolorum can. 18. ubi dicitur, *ſi quis viduam aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, non poteſt eſſe Presbyter aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui miniſterio ſacro inſerviunt.* Et ratio eſt, quia ancilla eſt perſona vilis, & infamis, adeóque cùm unum corpus per Matrimonium cum illa efficiatur, infamis & vilis eſt perſona taliter ducens, ac conſequenter irregularis, & hoc verum eſt, etiamſi ancilla eſſet virgo, nam ſi eſſet corrupta ex bigamia irregularis foret.

VII. Servus fit liber, ſi Dominus conditionem liberæ perſonæ non manifeſtet.

Dico Quintò. *Servus fit liber, quando Dominus ejus collocat in Matrimonium cum perſona libera ignorante ſervitutem, ſi Dominus non detegat conditionem ſervilem, aut etiam ex dolo ſubticeat, imò licèt liber ſit ſervitu-*

vitutis conscius, si Dominus ancillæ instrumentum dotis conficiat, aut si Dominus ipse servam ducat. Ita Coning, Sanchez, Bonacinna, & alii. Probatur prima pars ex *Authentica ad hoc C. de latina libertate*, ubi dicitur, *Qui suam ancillam credenti tradidit in Matrimonium tanquam liberam, aut sciens eam tacuit ex studio, dominum ejus amittit, eáque ad ingenuitatem rapitur.* Idem dicitur de servo. Ubi glossa ly *credens* explicat, Quando liber credit eam non esse ancillam. Et Ratio est, Quia consentiens ad aliquid fiendum, consentit in omne id, sine quo illud perfici nequit, neque factum subsistit, sed absque libertate Matrimonium nequit subsistere, cùm sine ea liber non esset habiturus, aut præbiturus consensum.

VIII. *Sufficit, si Dominus taceat.* Probatur secunda Pars. *Ex authentica de Nuptiis. collat. 4. §. si verò decretum v. hoc autem decernimus. & L. Regia.* Et Ratio est, Quia Dominus tunc non aperiens conditionem servilem sui mancipii est in culpa, & dolo gravi injuriæ contrahenti libero illatæ, adeóque dignus est, ut in fraudis suæ pœnam, & favorem Matrimonii servus libertate donetur, Porro authentica illa non solam taciturnitatem, sed fraude mixtam requirit, dicit enim *sive consensit, sive malignatus est Dominus*, ubi glossa addit *scilicet tacendo.*

IX. *Ancilla libera fit, quãdo Dominus instrumentũ donationis conficit.* Probatur tertia Pars. Ex *L. unica §. sed & si quis homini C. de latin. libert.* ubi hoc habetur, *sed & si quis homini libero ancillam suam in Matrimonium collocaverit, & dotem pro ea conscripserit (quod solitum est in liberis personis solùm procedere) ancilla non latina, sed Civis efficiatur Romana.*

Probatur quarta Pars. Tum ex glossa *in cap. si quis viduam. 34. v. Ancillam.* Tum ex *L. Libertæ. 8. cap. de operis libert. & Authent. Ut liberti de cœtero. §. Si quis autem.* Dicente *Neque enim quilibet eum putaturus erit voluisse quidem filiorum legitimum patrem esse, & hoc tam magnum donâsse opus libidinis, proprios autem filios ex suo natos semine, adhuc relinquere servituros*, ergo si filii ex ancilla nati liberi sunt censendi, consequenter & mater debuit fuisse consecuta libertatem.

Dico Sextò. *Servi invitis Dominis possunt licitè Matrimonio copulari.* ita Authores passim. Probatur Primò. ex *cap. 1. de conjug. servor.* dicente *Nec inter servos debent Matrimonia ullatenus prohiberi, & si contradicentibus Dominis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.* Probatur Secundò Ratione, Quia jus naturale & Divinum non potest tolli jure gentium, sed Matrimonium est jure naturæ & Divino ad propagationem generis humani & concupiscentiæ remedium institutum, ergo. Patet major, quia servitus solùm jure gentiũ & potentia tyrañorum est inductum, cùm naturâ omnes simus liberi. Confirmatur. Quia jus hominis ad Matrimonii contractum non est tam hominis, quàm ipsius humanæ naturæ, ergò licèt jure gentium induci possit, ut privatus quisque perdat jura privata, non tamen jus ipsius naturæ. X. *Servi invitis Dominis possunt nubere.*

Verum tamen est, Dominum non teneri consentire, si ipsi damnum immineat ex tali conjunctione, aut suis defraudetur servitiis, tunc poterit impedire servum aliò mittendo, vel etiam vendendo ad partes remotas, maximè si nondum sint vel fuerint Sponsalia celebrata, tunc enim directè non impediret Matrimonium, sed suo uteretur jure, adeóque tunc non poterit dici fraudem committere.

Dico Septimò. *Filii sequuntur conditionem Matris, id est, servitutem, quando mater est serva; libertatem, quando mater est libera, nisi contrariũ aut per consuetudinem aut per Provincialia constituta receptum sit.* Ita habetur ex *L. Partum. ff. de rei vendicatione.* Ratio est, quia mater gravida non est satis apta obsequiis Domini sui, & pariendo subit periculum mortis, ob quod periculum & privationem obsequiorum Domini indem- XI. *Filii sequũtur conditionem Matris.*

indemnes servari debent, & licèt filius sequatur conditionem matris quoad servitutem & libertatem, non tamen illam sequitur quoad honores & dignitates ac nobilitatem *ex L. si legitimi. ff. de statu hominum.*

Item notandum filium non quovis tempore sequi conditionem matris, nam si mater erat libera tempore conceptionis vel partûs, vel quocunque tempore medio inter conceptionem & partum filius non remanet servus, licèt mater se in servam vendat. Ita habetur *Instit. de ingenuis. §. sed si quis.*

Unus autem casus excipitur, videlicet quando mater gravida jure belli fit serva, tunc enim fœtus cum matre fit servus, licèt tempore conceptionis esset libera. Disputant Authores plura alia, sed quia hoc tempore servitutis impedimentum est rarissimum, ideo hæc pauca sufficiant.

QUÆSTIO SEXTA.

De Impedimento Vis, seu Metus gravis.

Pulchra & difficilia continet hæc materia, pro cujus elucidatione

I. Vis duplex est: absoluta & conditionata. Notandum Primò. Vim duplicem esse: *Absolutam*, quæ violentum simpliciter, coactum, & involuntarium efficit, violentum autem dicitur, *quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim*, ùt definit Aristoteles 3. Ethic. 2. & talem vim expertus fuit Eleazarus, *qui aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare* 2. Machab. 6. aliique Martyres vi rapti ad simulacra thurificare coacti, quod quia absolutè voluntatem faciendi non habuerunt, non solùm excusantur à culpa, sed duplicatur eis ad gloriam; *Conditionata* est altera, quando quidem quoad actus imperatos violentia infertur, quoad actus tamen elicitos voluntas simpliciter vult, unde pulchrè Scotus in 4. d. 29. q. un. art. 1. docet, voluntatem simpliciter cogi non posse ad actum elicitum, seu ad actum volendi, aliàs volens nollet, & nolens vellet, sed cogitur tantùm secundùm quid, scilicet metu majoris mali, quàm sit ille actus imperatus, quem facit, ùt dum mercator metu naufragii, nè pereat in eo, merces suas ad mare projicit eligens magis eas perdere, quàm vitam, tunc voluntarium est involuntario mixtum.

Notandum Secundò. Metum per ordinem, ad quem describitur Vis conditionata ab Ulpiano *L. 1. ff. de eo, quod vi metùsque causa*, esse *mentis trepidationem causâ instantis præsentis vel futuri periculi*, dicitur autem *mentis trepidatio*, quia metus ortum habet à forti imaginatione, dicitur *instantis vel futuri periculi*, nam pericula remota non causant formidationem, sicuti mortem non timemus, quia eam adhuc remotam esse credimus. II. Metus describitur.

Notandum Tertiò. Metum alium esse provenientem *ab extrinseco*, alium *ab intrinseco*. Metus ab intrinseco est, qui à causa intrinseca naturali infertur, v. g. ob conscientiæ gravamen, metum gehennæ, ob mortem ex infirmitate, vel à feris & bestiis transeunti per sylvam. *Metus ab extrinseco* is dicitur, qui à causa libera, ab homine incutitur, de metu intrinseco non erit hic nobis sermo, quia certum est, talem non irritare Matrimonium, sed tantùm ab extrinseco, pro quo III. Metus alius est extrinsecus, alius intrinsecus.

Notandum Quartò. Metum extrinsecum præter alias divisiones prout huc pertinet, principaliter dividi in metum gravem & cadentem in constantem virum, & levem cadentem in virum inconstantem, seu non cadentem in virum constantem, qui iterum diversis nominibus compellantur; *Gravis* dicitur quoque sæpe *justus*; *levis*, *injustus*, aut vanus, justus iterum potest esse justè vel injustè incussus, iterum prior vocatur *probabilis*, *improbabilis* posterior, Ratio horum nominum est, Quia metus primus non repugnat constantiæ & fortitudini, sed justè IV. Metus extrinsecus dividitur in gravem & levem.

& probabiliter terretur eo vir constans, posterior verò constantiæ & fortitudini repugnat, & viri vani, leves, & inconstantes injustè eò terrentur.

V. Metus alius ad hoc incussus, alius ad alium finem.

Notandum Quintò. Metum extrinsecum aliquando incuti directè ad extorquendum Matrimonium, & dicitur *ad hoc incussus*, aliquando non intendendo Matrimonium, sed aliquid aliud, seu alium finem v.g. Rex obsidet arcem, ut eam regno suo incorporet, obsessus offert filiam in Matrimonium, ut obsidionem solvat, tunc metus non est *incussus ad hoc*, seu ad Matrimonium, & consequenter nec Matrimonium dissolvet.

VI. Plures requiruntur conditiones ad metum gravem.

Notandum Sextò. Ad metum gravem in virum constantem cadentem plures requiri conditiones, Primò, ut malum, quod timetur, sit grave ex *L. Metum. ff. de eo quod metus* ubi glossa dicit magnum debere esse malum, non quidem comparativè, sed in substantia & in entitate. Secundò debet illud malum non leviter & vanè timeri, sed probabiliter & rationabiliter judicare illud sibi imminere, nam *qui citò credit, levis est corde*, *Eccle.* 19. & *Fugit impius nemine persequente. Proverb.* 28. non est tamen necesse expectare illationem mali, quia tunc jam est damnum, sed satis est timere proximam illationem *L. Nec timorem.* 7. *ff. de eo quod.* Tertiò, ut metum incutiens sit potens mandare executioni minas. ex *L. famosi. ff. ad legem Juli. Majest.* ubi dicitur. *Nam & persona spectanda est, an potuerit facere & ante quid fecerit*, sive per se, sive per alium, quare si vir senex inermis, debilis minaretur viro robusto, ridendus potius foret, quàm timendus, benè tamen si quis in potestate esset constitutus, & per alium comminata exequi posset. Imò adhuc taliter minans considerandus est, an solitus sit minas exequi intentatas, si enim facilis esset ad minas, faciliórque ad deponendas irâ sedatâ, unde *L. Metum. C. de his quæ vi.* dicitur: *Metum non jactationibus tantùm, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit.* Quartò ut metuens non possit facilè occurrere malis occurrentibus, atque remedium pro illis quærere.

Quintò denique, ut metus incutiatur injustè, & eo fine, ut Matrimonium contrahatur, qui enim peccato ansam dedit, meretur, ut sibi talis metus incutiatur & libertate privetur. His prænotatis

Dico Primò. *Matrimonium contractum per metum incussum à causa libera irritatur, si alio fine incutiatur, quàm ad hunc ut Matrimonium ineatur.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Coning, & plures alii. Probatur, Quia tunc non impellitur homo ab alio ad ineundum Matrimonium, sed à seipso, cùm nullus tunc exigat ab illo Matrimonium, sed contrahens spontè eligat tanquam medium ad evadendum aliquod corporis, vel animæ periculum. Deinde Involuntarium, quod in eo Matrimonio invenitur, non est intentum ab incutiente, sed tantùm habet occasionem ab illo. Denique votum emissum ex simili metu validum est, ùt habetur ex *cap. sicut nobis. de Regul.* ubi votum factum à laborante morbo mortis timore dicitur obligare & Numer. 21. Populus Israël victus à Chananæo voto se obligavit, & votum judicatur validum, hinc de omni simili metu & occasione vel afflictione ait David. *Reddam tibi vota mea, quæ locutum est os meum in tribulatione mea.*

VII. Metus aliò fine incussus, quam ob Matrimonium, non irritat illud.

Hinc infertur, Matrimonium contractum cum concubina ad evadendum animæ periculum, infamiam, mortem &c. esse validum. Item ad evadendam obsidionem, incarcerationem, dummodò non sit incarceratus propter hunc finem, aliàs esset nullum. *L. Qui in carcerem. ff. de eo quod metus.* Tertiò ut supplicio afficiendus evadat ducens meretricem, sive ipse offerat Matrimonium, sive ab alio offeratur, etiam ab ipso Judice, quia tunc metus non incutitur, sed aliunde incussus aufertur, & non infertur, quod in quibusdam

busdam

busdam Germaniæ urbibus practicatum fuit, & practicari potest, ùt v. g. homicida damnatus ducat occisi filiam vel consanguineam &c. Sanchetz putat,hoc verum esse, sive talis justè sive injustè sit damnatus. Ex conclusione priori possunt plures similes casus resolvi, dummodo duo attendantur, scilicet metum non esse incussum *ad hoc*, ut Matrimonium contrahat, Et metum incussum aliam præsupponere culpam.

VIII. Matrimonium per metum celebratum, invalidum est in utroque foro.

Dico Secundò: *Matrimonium celebratum per metum gravem cadentem in constantem virum injustè incussum in ordine ad Matrimonium, invalidum est in foro poli & fori.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Mastrius, & Doctores omnes Juris Pontificii. Probatur primò: *Ex cap. Cùm locum. de Sponsal.* ubi rogatur Pontifex super Matrimonio cujusdam puellæ, quam duo Cives Papienses prætendebant, quorum uterque allegabat se cum illa contraxisse, timebatque puella sibi metum inferendum, definit Pontifex in loco tuto esse reponendam, usque dum causa finiretur addita ratione: *Quia Matrimonium solo consensu perficitur, qui non invenitur, ubi est timor cadens in constantem virum*, ergò clarè sentit Pontifex consensum illum voluntarium ex timore ortum non esse sufficientem ad valorem Matrimonii. Et *cap. Veniens. l. de Sponsal.* idem est definitum *cap. Significavit. de eo, qui duxit in Matrimon.* ubi refertur casus, quendam metu compulsum duxisse uxorem,qui postmodum spontè cum alia contraxit, interrogatus Pontifex respondit: *Si constiterit, quòd tanta vis eidem illata fuerit, quòd non spontè in primam consenserit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem*, ergò prius per metum initum fuit nullum.

Probatur Secundò: Tum, Quia Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ facta fuit per omninò liberum amorem: Tum, Quia metus adversatur tàm mutuæ cohabitationi, quàm debitæ educationi prolis, & indissolubilitati, *Quod enim quis non diligit, facilè contemnit. cap. Præsens. 20. qu. 3.* Tum denique, Quia Matrimonia coacta infelices exitus habent, *cap. requisivit. de Sponsal.* Sed in contra à paritate de Sacramentis.

Arguitur Primò: Alia Sacramenta, ùt Baptismus, Confirmatio, Ordo, & Extrema Unctio per metum suscepta, sunt valida, ergò etiam Matrimonium ab omnimoda paritate rationis, probatur antec: ex *cap. Majores. de Baptismo.* ubi determinatur per metum hujusmodi baptizatum cogendum esse ad observantiam semel susceptæ fidei. Respond. Negando Consequentiam: Disparitas secundùm Doctorem subtilem d. 29. ad 1. principale, est propter tria. Nam per Baptismum & alia Sacramenta, persona fit melior, non sic per Matrimonium coactum. Secundò, Quia voluntas Superioris, nempè DEI, ratificat per talem consensum coactum aliquem fieri filium Ecclesiæ, non sic autem in Matrimonio,quòd aliquis coactus sit ligatus vinculo perpetuo. Tertiò,Quia in Baptismo aliquis in filium DEI adoptatur, in adoptatione autem quilibet consensus adoptati, imò frequenter planè nullus consensus requiritur in adoptatione, & in Baptismo,ùt si mente captus adoptetur, baptizetur, sicut contingit quotidiè cum infantibus, hic autem non quilibet consensus sufficit, qui in Matrimonio se habet, veluti partem intrinsecam, qualiter non se habet in aliis Sacramentis, sed solùm per modum conditionis sine qua non, quæ conditio etiam stat cum consensu coacto. Deindè est etiam aliundè magna disparitas, quia Ecclesia non potest irritare alia Sacramenta, benè tamen Matrimonium, ita irritat,quod fit per metum.

Instatur: Valet Matrimonium cum errore & dolo contractum, ergò etiam per metum cadentem in virum constantem: probatur Con-

sequ: Quia dolus & error magis repugnat Matrimonio, nam nihil ita consensum & libertatem diminuit, quàm error & dolus, ergò. Respond. distin: antec: Cum errore & dolo circa personam, nego antec: circa accidentales qualitates concedo antec: & nego consequ: Disparitas ergò est, quia error & dolus circa qualitates non contrariatur ita consensui legitimo & libero, sicut metus cadens in virum constantem, ibi enim est multum de voluntario, & parum de involuntario, in metu autem gravi est parum de voluntario, & multum de involuntario, undè etiam voluntas sibi relicta, statim resiliret. Hinc in contractu matrimoniali Voluntarium debet superare involuntarium, & istud totaliter absorbere, vel saltem potiori ex parte, quod in hac materia pro regula observari debet, nempè ut plus sit de voluntario, quàm &c.

IX. Alii cōtractus per metum facti sunt validi. Arguitur Secundò: Alii Contractus per metum gravem, cadentem in virum constantem initi sunt validi, quamvis per Judicem sint rescindendi, ergò etiam Matrimonium. Probatur antec: ex *l. Si mulier.* 21. *§. Si metu coactus. ff. de eo, quod metus causa.* ubi dicitur: *Si metu coactus adivi hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per prætorem restituendus sum.* & ex *Instit. de Excepti. in principio: Si metu coactus Titio stipulanti promisisti, quod non debueras promittere, palàm est, jure civili te obligatum esse.* Respond. Negando Consequ: Disparitas est Primò: Quia alii contractus semel validi, possunt rescindi per Principem & Judicem, & sic remedium injuriato fieri, Matrimonium autem non, sed est Jure Divino indissolubile, adeóque hic major requiritur libertas & voluntarium plenum, non secundùm quid. Deindè est iterum alia Disparitas, quia alii contractus non relinquunt post se tot conditiones, sicut Matrimonium, nam in venditione, v. g. locatione, aliud non requiritur, nisi quòd res pro re vel pretio transferatur, & ad hoc faciendum sufficit qualecunque voluntarium, ast Matrimonium non solùm transfert dominium corporum, sed etiam usum, & habet annexam animorum conjunctionem, prolis educationem, &c. adeóque plenè consentire debent, ut, si postmodum eos quandoque pœniteat, sibi culpam imputent, & adscribant, nullam dissolubilitatis spem habituri.

Instatur: Si ad Matrimonium requireretur voluntariū omnimodè liberum, & non sufficeret voluntarium in substantia, sequeretur etiam per metum levem initum esse nullum, ergò. Probatur sequela, quia metus levis etiam minuit libertatem, qui enim cum eo operatur, non operaretur, si metus ille levis non adesset. Respond. Negando sequelam, cujus probationem distinguo: minuit libertatem valdè exiguè, ita quòd pro nihilo reputari possit & debeat, concedo: graviter aut etiam cum aliquo damno, nego antec: & consequen: Nam licèt in simili casu libertas modicè diminuatur, in genere tamen moris habetur pro plena & perfecta, adeóque etiam valet Matrimonium.

Dico Tertiò: *Matrimonium ex gravi metu contractum nullum est, non tantum jure positivo Ecclesiastico, sed jure naturali divino.* Ita Doctor Subtilis hoc impedimentum à DEO fuisse inductum, sed ab Ecclesia expressum & explicatum, sequuntur complures Scotistæ, & ex Thomistis latè defendit Ponce, contra Sanchetz, Bonacinnam. Probatur Conclusio Primò: Quia nullibi invenitur textus alicujus Pontificis irritans Matrimonia per metum gravem inita, sed omnes supponunt talia Matrimonia esse irrita & invalida, ergò sunt nulla, non Jure Ecclesiastico positivo, sed naturali Divino. Probatur antec: Nam *cap. Cùm locum. & cap. Consultationi. & cap. Veniens. de Sponsal. & cap. Significavit. de eo, qui duxit in Matrimon.* de hac X. Matrimonium per metum cōtractum jure divino est nullum.

re lo-

reloquendo agunt de Matrimoniis jam contractis, & declarant, si metu inita sint, esse invalida, ergò ante illa decreta erant invalida, ergò jure naturali, nam Ecclesia non potuisset validè contracta per subsequentia decreta irritare. Quare Sanchetz fatetur, minimè constare, ubi per modum & formam alicujus statuti talis irritatio sit scripta, sed esse ab antiquissima Ecclesiæ consuetudine, sicut nec aliter potest demonstrari nullitas Matrimonii fidelis cum infideli.

Probatur Conclusio Secundò: Ex bonis Matrimonii, quibus absolutè contrariatur coactio; nam indissolubilitati perpetuæ obstat violentum, quod nunquam potest esse diuturnum, hinc etiam fit, ut citò contemptus sequatur, contentiones, rixæ, odia, rancores, cùm tamen Matrimonium non solùm significet conjunctionem corporum, sed magis animorum, ex *cap. Beata Maria. & cap. Conjuges. 27. quæst. 2.* ubi dicitur, non coitum facere Matrimonium, sed voluntatem. Deindè etiam coactio contrariatur bonæ educationi prolium, quos enim matres ex violentia concipiunt & generant filios, nunquam diligunt, cùm odium ex aversione in Patrem retorqueant in proles.

Dices: Hinc sequeretur, etiam metum gravem justè incussum irritare Matrimonium, quia metus justè incussus tàm minuit libertatem, quàm injustè incussus, ergò. Resp. Negando sequelam, cum sua probatione, Quia in tali casu metus justè incussus se habet, ac si non adesset, cùm ipsemet qui causam dedit, sponte se præcipitaverit, & occasionem præbuerit, ut metu adigatur ad id prosequendum, cujus liberè dedit principium. Deindè in tali casu metus justè incussus non habet rationem metûs ab extrinseco provenientis, sed ab intrinseco. Ut hæc replica fusiùs explicetur.

XI. Metus justè incussus non irritat Matrimonium. Dico Quartò: *Matrimonium per metum gravem in ordine ad contrahendum incussum justè non est invalidum & irritum, sed validum, si fiat per Judicem, & servato juris ordine.* Probatur Primò ex Sciptura, *Exodi 22. Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxoem.* Et iterum *Deuteron. 22. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit, cum dormivit cum ea, Patri puellæ quinquaginta siclos, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, nec poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Ex quibus textibus clarè deducitur, Virum, qui violavit puellam, per Judicem interposito etiam gravi metu posse adigi ad contrahendum, eò quòd causam & ansam per culpam & delictum præbuerit.

Probatur Secundò: Quia Judex juridicè procedens, non dicitur inferre metum, ùt habet Glossa *cap. Cùm dilectus. V. metum. de his, quæ vi, & Lex continet. 3. §. Sed vim. ff. de eo, quod metûs causa,* ubi dicitur: *Sed vim accipimus atrocem & eam, quæ adversùs bonos mores fiat, non eam, quam Magistratus intulit, scilicet jure licito, & jure honoris, quem sustinet.*

Probatur Tertiò: Tum, Quia in tali casu Judex metum non incutit, sed potius liberat à metu, quem justè patiens concepit propter Leges, quas novit positas; Tum, Quia nulla fit injuria patienti metum, cùm sua sponte delictum committens illi pœnæ se subjecerit: Tum, Quia talis metus non censetur gravis, aut cadens in constantem virum, imò magis credendum est oppositum, quia vir fortis & constans tenetur secundùm rectam rationem operari, quod magis conscientiæ, & legibus est conveniens, atqui conscientiæ & legibus convenientissimum est, ut v. g. qui virginem defloravit, eam ducat in uxorem, ergò à Judice ad hoc adigi potest, consequenter talis metus non irritabit Matrimonium. Idem dicendum est de illo, qui Sponsalia spontè cum aliqua

liqua contraxit; Item cui fit comminatio accusationis, si v.g. puellam constupratam non duxerit. Nec obstat *cap. Veniens.* supra, ubi resolvitur, juvenem coactum ad puellam ducendam non obligari, & Matrimonium esse nullum, quia ille metus fuit injustè incussus, v.g. metu mortis, quam incutiens justè non potest inferre, adeóque nec metum incutere, qui verò alteri comminatur accusationem sicut eam justè facere potest, ita injustè metum non incutit, sed servato juris ordine.

XII. Matrimonium nulliter contractum non fit validum per copulam metu extortam.

Dico Quintò: *Matrimonium metu gravi cadente in virum constantem contractum non ratificatur, aut revalidatur per copulam simili metu extortam, benè tamen per spontaneam, & affectu maritali habitam.* Ita Navarrus, Sanchetz. Probatur prima pars: Tum, Quia copula nihil facit & superaddit ad validitatem Matrimonii, ergò quomodocunque sit extorta, non revalidabit illud, probatur Consequ: Quia copula per metum extorta, non tollit metum, sed auget, & novum superaddit timorem, ergò non poterit revalidare Matrimonium nulliter ante contractum: Tum, Quia aliàs Author Matrimonii non sufficienter providisset de remedio ob coactiones, nam sicut quis potest metum incutere ad contrahendum Matrimonium, ita etiam ad habendam copulam, ùt de se patet: Tum, Quia ex tali copula metu extorta, eadem seqvuntur inconvenientia, quæ ex Matrimonio extorto, imò & majora, quia injuriæ priori cumulatur injuria nova, ergò.

Probatur secunda pars: Ex *Cap. 2. de eo, qui duxit in Matrimonium*, ubi dicitur: *Si constiterit, quòd tanta vis eidem illata fuerit, quòd non spontè in primam consenserit, nec post præstitum juramentum ipsam carnaliter NB. cognoverit*, ubi Glossa ait: *Quia tunc consensisse videtur.* Et *cap. Insuper. qui Matrim. accusa. pos. in fine. Copulæ carnali consensit*, ubi Glossa ait: *Ex quo carnali copulæ consensit, omnis violentia sublata intelligitur.* Et *cap. Consultatio. de sponsal. Mox à sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam*, ubi Glossa superaddit: *Secus si post, quia tunc consensisse videtur*, ergò Matrimonium metu initum per subsequentem copulam revalidatur, & hi textus omnes de spontaneo consensu sunt intelligendi, adeóque malè citantur pro parte prima. Et ratio est, quia tunc copula est signum liberi consensûs, ob cujus defectum antecedenter Matrimonium nullum erat. Et quosi dixi de copula, idem dicendum est de juramento, quod Matrimonio invalidè contracto per similem metum superadditur, quia juramentum sortitur naturam & conditionẽ primi actûs, cui apponitur, ùt habetur *l. Finali. C. de non numer. pecun.* cùm ergò actus primus fuit nullus, etiam nullum est juramentum.

XIII. Metus gravis considerandus respectivè ad subjectum.

Dico Sextò: *Metus gravis cadens in constantem virum, non est accipiendus absolutè, sed respectivè ad subjectum, quod patitur.* Probatur ex *l. 3. ff. Ex quibus causis majores*, ubi habetur: *Metûs autem causa adesse videtur, qui justo timore mortis, vel cruciatu corporis perterritus, & hoc ex affectu ejus intelligitur*, id est, ex dispositione ejus, qualitate, conditione & animo; Tum, Quia etiam in testamentis verba testatoris intelligenda sunt secundùm conditionem personæ, ad quam referuntur, *L. Plenum. ff. de usu & habitu.* Similiter in delictis attendi debent personarum delinquentium qualitates, quæ aggravant, & diminuunt, ùt habetur *cap. Sicut. de Homicidio. Nosti, quòd in excessibus non solùm quantitas delicti, sed ætas, sexus delinquentium sunt attendendæ.* Tandem Privilegia quoque sunt interpretanda, secundùm personarum conditiones. Hinc ex Conclusione infertur, minorem metum requiri in fœmina, quàm in viro, quia fœminæ ex natura sunt imbecilles, & licèt aliquando constantissimæ fuerint ex DEI gratia, ex naturali tamen corporis constitutione minus possunt resistere metui.

metui. Sic quoque inter viros ipsos unus altero est fortior, generosior, magis à natura & ab ætate ad resistendum dispositus, alia enim differentia facienda est de pueris, infirmis, senibus, quàm de juvenibus & robustis.

XIV. Enumerantur mala, quæ metû gravem causare possunt. Dico Septimò: *Metus cujusvis peccati mortalis, mortis, servitutis, carcerationis diutinæ, exilii, infamiæ juris & facti, amissionis status, honoris, bonorum, instrumentorum, & etiam Excommunicationis injustæ sunt mala gravia, quæ metum cadentem in virum constantem causare possunt.* Probatur quoad singula mala, & quidem de peccato quolibet mortali patet, Quia hoc plus quàm mors, & mala omnia est fugiendum, ex *cap. finali.* 31. *q.* 2. *& cap. Sacris. de his, quæ vi.*

Mors. De Morte habetur *cap. Cùm dilectus. de his, quæ vi, & l. Nec timorem.* 7. *ff. de eo, quod metûs causâ.* quia *omnium terribilium terribilissimum mors est*, teste Philosopho. Ad mortem reducitur mutilatio, quæ est quædam partialis mors, & inchoata, *cap. Si quis absciderit d.* 55. Item gravis & vehemens cruciatus, ex *cap. Cùm dilectus.* suprà.

Servitutis. De Servitute habetur expresse *l. Ego puto. & l. Isti quidem. ff. de eo, quod metûs causâ.*

Incarcerationis, De Carceratione, *l. Nec timorem. & l. Qui in carcerem. ff. de eo, quod metûs causâ.* ad carcerationem reduci potest captivitatis metus, attamen metus incarcerationis debet esse diuturnæ, si enim brevis tantùm timeretur, non caderet in constantem virum, & vice versâ metus exilii est quoque grave malum, cùm patriæ dulcedine privetur.

Infamiæ, De metu infamiæ juris & facti, si illi occurri non possit, v. g. si quis comminetur homini deprehenso in delicto infami, se illum accusaturum vel proditurum, habetur *l. Nec timorem.* 7. *& cap. Isti quidem. ff. de eo, quod metûs causâ.* Et probatur ex *Proverb.* 22. *Meliùs est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.*

Amissio honoris. Amissionem status, honoris esse gravia mala, manifestum est, quia viro bono est gravior honoris jactura, quàm ipsa mors.

Bonorum. Metum amissionis autem bonorum, vel majoris partis esse gravem, probatur ex *cap.* 1. *de restitut. spoliato. in* 6. *Illum autem spoliatum intelligi volumus, qui tota sua substantia vel majore parte ipsius se per violentiam destitutum affirmat. & l. propter litem. ff. de excusat. tutor. Nisi fortè de omnibus bonis aut plurima parte eorum, controversia sit.* Et ratio est, quia talis amissio ipsi morti æquiparatur. Idem dicendum de metu amissionis documentorum, quibus patrimonium, hæreditas, libertas, &c. probari possunt.

XV. Excommunicationis injustæ. Probatur tandem de Excommunicatione injusta, Quia nulla major pœna à Jure Canonico potest inferri, quàm Excommunicatio, ex *cap. Corripiantur.* 24. *& cap. Sacris. de Sent. Excommun.* quæ à Concilio Tridentino vocatur gladius & nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ. Non enim levis pœna est, inter homines esse, & hominum consortio privari. *l. Hi qui sanctam. C. de Apostatis.* Nec etiam aliquid ita formidandum, quàm ab Ecclesia per Excommunicationem separari, *cap. Nihil.* 11. *quæst.* 3. Dixi autem *Excommunicationis injustæ*, quia si justa est, non potest cadere in constantem virum, utpote cùm sit medicinalis applicata ad hoc, ut Excommunicatus à pertinacia & ab inobedientia resipiscat, quod facilè potest, ac tenetur, quod, si nolit, sibi imputare debet.

XVI. Non est necesse, ut mala illa timeantur in propria persona, sed etiam in Consanguineis. Dico Octavò: *Non est necesse, ut hæc mala timeantur in propria persona, sed etiam in persona filiorum, Parentum, uxoris, fratrum, & aliorum Consanguineorum, idque probabiliter usque ad quartum gradum.* Probatur prima pars de Filiis, ex *Leg. Isti quidem. ff. de eo, quod metûs causâ*, ubi dicitur: *Hæc, quæ diximus ad edictum pertinere, nihil interest in se, quis veritus sit, an in liberis suis, cùm pro affectu magis in liberis terreantur.*

Probatur secunda pars de Parentibus: Quia Pater & Filius censentur una persona, *L. Ultima. de Impuber. & aliis substit.* Similiter eadem Caro sunt Vir & Uxor, adeóque mala, quæ uni timentur imminere, imminent & alteri.

Probatur tertia pars de omnibus aliis Consanguineis: Tum ex *cap. Sciant cuncti. de Elect. in 6.* ubi habetur: *Vel Consanguineis eorum. & cap. Quicunque. de Sent. Excomm. In bonis suis vel suorum.* ubi Glossa superaddit: *Consanguineorum*, vel *Familiarium*: Tum, Quia natura ipsa conciliat amore Consanguineos, ex eodem sanguine prognatos, ita ut nunquam carnem suam odio habeant.

Probatur quarta pars: Ex *cap. Non debet. de Consanguinit.* Quia usque ad illum gradum durat naturalis affectio, inclinatio, & ultra illum non graviter læditur aliquis, ex timore incusso alicui Consanguineo, nisi esset timor alicujus mali tangentis totam prosapiam, cui infamiæ nota incurreretur, tunc enim in propria persona damnum timeretur.

XVII. Metus reverentialis non irritat Matrimonium.

Dico Nonò: *Metus reverentialis, quo inferior respectu Superioris, vel ejus, cui aliquo modo subest, ducitur ad contrahendum Matrimonium, v. gr. Filius respectu Patris, Avi, Soceri, Curatoris, Patrui, Sororis respectu Fratris natu majoris, se solo non irritat Matrimonium.* Probatur Conclusio ex *L. Si Patre cogente. 22. ff. de ritu Nuptiarum.* ubi habetur: *Si Patre cogente ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, Matrimonium contraxit, maluisse enim hoc videtur*, in quem locum Glossa ait: *Maluisse hoc videtur, quàm odium Patris incurrere, non autem dicas metum adhibitum*, ergò solus metus reverentialis non sufficit. Ratio hujus rei est, quia metus reverentialis non habet vim ad cogendam voluntatem, ut Vir constans terreri debeat.

Dixi *se solo*, quia si accedunt minæ, eæque graves, aliaque mala pertimescantur, omninò irritant Matrimonium, ut habetur ex *cap. Ex Litteris. de Sponsal. Impub.* ubi irritantur Sponsalia, si puella *nolens & invita minis parentum impulsa* contraxerat, ubi non sola reverentia, sed etiam minæ adjunguntur, quare si cum reverentia addantur graves minæ, quas minitans solet exequi, sitque durus & sævus, irritaret sic contractum Matrimonium.

Enumeravi autem in Conclusione complures personas, respectu quarum vel ex jure, vel ex communiori Doctorum opinione reverentia debetur, quia enumerati Parentum locum obtinent, ut de Socero habet *L. Quia Parentis. 17. ff. soluto Matrimonio*, nam cùm conjuges per Matrimonium una caro efficiantur, qui est parens unius, est & parens alterius.

XVIII. Importunæ preces cum reverentia causant metum gravem.

Dico Decimò: *Importunæ preces, id est, instantissimæ sæpius repetitæ & inculcatæ una cum metu reverentiali erga Principem, vel Superiorem causant metum cadentem in virum constantem.* Ita Juristæ & Canonistæ plures. Probatur Primò ex Scriptura, *Judicum 16.* ubi Dalila importunis precibus suis coëgit Sampsonem ad manifestandum fortitudinis suæ mysterium: *Cùmque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & usque ad mortem lassata est*, ubi Vatablus vertit sic: *Cùm coarctaret & penè cogeret*, & Abulensis in hunc locum quæst. 15. dicit: *Molestabat, & per istum modum necesse erat, quòd tædio affectus exponeret veritatem*: Item ex parabola CHRISTI de amico veniente de nocte & petente tres panes ait: *Si ille perseveraverit pulsans, & si non dabit illi, eò quòd amicus sit, propter improbitatem tamen ejus surget & dabit illi*, ubi Syriaca vertit: *Propter importunitatem surget.*

Proba-

Probatur Secundò: Ex Jure *cap. Petitio. de jurejurando*, ubi dicitur: Juramentum, quod Antiochenus Princeps extorsit, non esse servandum, & rationem reddunt Innocentius & Hostiensis, quia precibus importunis extorsit, unde Covarruvias docet, Professionem & Matrimonium annullare per preces importunas cum metu reverentiali.

Probatur Tertiò: Quia metus reverentialis cum minis irritat Matrimonium, ergò etiam preces importunæ cum metu reverentiali. Probatur consequentia: Quia preces magnorum virorum, & Principum importunæ æquivalent minis, semperque habent annexum periculum gravis indignationis, undè commune est proverbium Principum & Magnorum: *Est orare Ducum species violenta jubendi.* Quare licèt importunæ preces maximè minorum solæ non causant metum, benè tamen quando sunt cum reverentia conjunctæ, quia majus pondus addunt, sicut à pari, licèt non possit unus trahere navim, potest tamen cum alio conjunctus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Impedimentis Raptûs.

I. Raptus ût luxuriæ species est. RAptus est violentiæ ac vis famosa species, ideóque post impedimentum vis, hujus examen est assumendum: Pro quo

Notandum Primò: Raptum generaliter loquendo esse violentiam fœminæ factam causâ libidinis, etiamsi à loco non abducatur, & tunc est luxuriæ species, quæ violentia, si fiat virgini, stuprum dicitur, quod consistit in particulari injustitia aufferendo violenter à virgine claustrum virgineum, adeóque talis duplicem luxuriæ malitiam in specie distinctam committit, si verò fiat fœminæ non virgini, solum importat raptum, qui aliquando est Sacrilegium, si Monacham opprimat; aliquando adulterium, si conjugatam; & incestus, si consanguineam; & sic in raptu triplex malitia quandoque continetur: Primò enim est fornicatio opposita castitati; deindè violentia opposita justitiæ; tertiò incestus, v. g. oppositus pietati, vel Sacrilegium oppositum Religioni, quare in hoc raptu attenditur ad personam, qualis sit, non fit tamen reflexio ad honestatem, nam si etiam meretrix violentè opprimeretur, raptus esset, licèt talis non puniretur pœnis à jure constitutis in foro externo, utpote cùm sint gravissimæ. Nec etiam hic curatur, an vir fœminam rapiat, an fœmina virum, sed satis est, quòd uterque raptus violentiam injustè illatam claudat.

Notandum Secundò: Raptum propriè dictum, prout huc pertinet, esse violentam personæ fœmineæ abductionem de loco ad locum causâ libidinis explendæ, vel contrahendi Matrimonii ipsâ invitâ, vel invitis parentibus ejus, aut illis, sub quorum cura est, uti colligitur ex *cap. Lex illa. 36. q. 1.* II. Raptus propriè dictus describitur.

Notandum Tertiò: Ad hunc raptum plures requiri conditiones; Primò enim debet esse violentus, seu cum violentia illata renitenti, sive illa sit physica, manus injiciendo, apprehendendo, sive moralis, minis, metúque gravi terrendo, non verò sufficit, si solùm blanditiis, promissis, donis, dolis aut fallaciis abducatur, & hæc conditio constat ex *l. 3. v. Non solùm. ff. de Incendio, ruina*, ubi dicitur: *Aliud autem esse rapi, aliud amoveri, palàm est, siquidem amoveri aliquid etiam sine vi potest, rapi autem sine vi non potest*, si enim mulier sub nullius potestate constituta spontè consentiret, nullus esset raptus, nam scienti, volenti & petenti non fit injuria nec dolus. *l. Nemo videtur. ff. de reg. juris.* E contra verò raptus omninò esset, si puella primò reniteretur esset; invita, postmodum tamen spontè in copulam consentiret, quia considerandum est initium, in quo violentia fuit. *l. Divus. 14. ff. ad Legem Juliam.* III. Raptus debet esse violentus.

liam. de Sicariis. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.

IV. Causâ libidinis. Secundò: Raptus debet esse factus causâ libidinis. Ratio est, quia raptus est luxuriæ species, hunc finem præfixum habere debet, licèt actu non sequatur, seu quòd raptor non valuerit, seu quòd pœnitentiâ ductus non voluerit copulam consummare, sufficit attentatio copulæ & violenta abductio, sicut si quis aggrederetur conjugatam, ubi rationem adulterii habebit, licèt copula non sequatur, sed in hoc casu extraordinariâ pœnâ, non ordinariâ, foret plectendus; si verò rapiat aliquam personam non causâ luxuriæ, sed v. g. servitutis, aut alterius hujusmodi, talis quidem injustitiam raptûs non committet, sed alterius speciei.

V. De loco ad locum traductio. Tertiò: Raptus propriè dictus huc spectans, debet esse de loco uno in alium abductio, ùt habetur *cap. Lex illa.* 36. *q.* 1. & est Gelasii Papæ, qui *Raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus nuptiis antea nihil actum fuerat, videatur abducta*, nam si tantùm fœmina in propria domo vel loco opprimatur violenter, erit quidem Raptus in specie luxuriæ, in genere secundùm primum notabile; Nec sufficit, ut abducatur quomodocunque, v. g. ad locum privatum & obscurum à publico, ab agro ad sylvam, ab una camera ad aliam, ut commodiùs libidini vacare possint, sed requiritur, ut abductio sit vera & realis de loco in locum, ad habendam raptam in sua potestate.

VI. Personæ honestæ. Quartò: Debet esse Raptus mulieris honestæ vitæ, ùt decidit *l. Unica. in principio. C. de Raptu Virginum*, his verbis: *Raptores virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum*, ubi Glossa V. *Virginum*, dicit particulam *honestarum* determinare etiam sequentia, ut verum sit de quacunque muliere honesta, sive virgo sive vidua, sive soluta sive sit nupta, dummodò sit honesta, sed hæc conditio est intelligenda de jure civili, aut etiam quantum ad pœnarum inflictionem, quæ non infligantur propter abductionem meretricum, quia præsumitur, tales non invitas abductas fuisse, sed spontè in abductionem consensisse, nisi constet, eas jam pœnitentiâ actâ honestam agere aut egisse vitam.

Notandum Quartò: Varias easque gravissimas pœnas esse tàm à Jure Civili, quàm Canonico pro Raptoribus constitutas; nam Jure Civili *l. Unica. C. de Rapt. virginum.* statuta est raptoribus honestæ mulieris pœna capitis, & bonorum omissio, quæ statim ad dominium raptæ transeunt, sicut etiam illorum, qui raptori auxilium & opem ferunt: Jure vero Canonico raptores & faventes excomunicantur, uti habetur *cap. Si quis virginem.* 36. *quæst.* 2. quod est Gregorii II. in Synodo Romana, ubi dicitur: *Si quis virginem, vel viduam (nisi desponsaverit) rapuerit, cum sibi faventibus, anathema sit*; quam Excomunicationem plures Doctores existimant esse latæ sententiæ. Novissimo autem Jure Tridentini Raptores pluribus plectuntur pœnis, nam primò ipsi & eis faventes excommunicantur, deindè redduntur infames, dignitatum incapaces, Clerici gradibus suis privantur, & Raptor tenetur raptam competenter arbitrio Judicis dotare, sive eam duxerit, sive non, & ita habetur *Sess.* 24. *de Matrimon. cap.* 6. in his terminis: *Raptor ipse ac omnes illi consilium vel favorem præbentes, sint ipso facto excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, Clerici verò de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Quare multi Doctores dicunt, Excomunicationis pœnam ipso facto incurri, reliquas verò non, nisi post sententiam Judicis. — VII. Pœnæ Raptoribus impositæ.

Notandum Quintò: Quòd jure antiquiori hoc impedimentum ita Matrimonium dirimebat, ut nullatenus inter Raptorem & raptam consistere possit, etiamsi rapta in pristi- — VIII. Raptus olim simpliciter dirimebat.

priſtinam libertatem remiſſa conſentire, & contrahere vellet. Ita habetur *cap. Placuit.* 36. *q.* 2. Jure tamen Canonico noviore correctum eſt, vel potius ablatum *in cap. finali de Raptoribus*, ubi ſub Innocentio III. ſtatutum fuit Matrimonium inter raptorem & raptam valere, ſi rapta conſentiat liberè abſque clauſula, quòd rapta eſſet priùs in alium locum liberum reſtituta. His itaque prænotatis, quid de jure noviſſimo ſentiendum ſit, videndum, quare

IX. Raptus eſt impedimentum dirimens.

Dico Primò. *Raptus eſt Impedimentum dirimens de jure novo, ita ſcilicet, ut Matrimonium contractum inter raptorem & raptam, quamdiu ſub poteſtate raptoris eſt rapta, nec ſeparata, ac in loco libero conſtituta, invalidum ſit & irritum, ac nullum.* Ita definit Tridentinum Seſſ. 24. de Matrimon. cap. 6. his verbis: *Decernit S. Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium: Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat.* Et quamvis hoc impedimentum ſit temporaneum, cùm rapta reſtituta in locum liberum ſtatim poſſit cum raptore contrahere abſque alia nova diſpenſatione, hinc non ſequitur non eſſe verum impedimentum dirimens, imò eſſe probatur à pari, nam *in cap. unico de cognatione legali*, definitur inter adoptantem & adoptatum non poſſe conſiſtere Matrimonium durante adoptione, quod tamen eſſe impedimentum dirimens ab omnibus conceditur, ut in hac eadem diſputatione infra videbimus. Itaque Concilium hoc impedimentum limitare conſtituit, ſcilicet pro eo ſolùm tempore, quo rapta in poteſtate raptoris manſerit, ſed poſtquam in locum liberum fuerit reſtituta extra poteſtatem raptoris poſſit cum eodem raptore contrahere, ſi velit, abſque ulla impedimenti diſpenſatione.

X. Limitatum eſt, quamdiu manet in poteſtate Raptoris.

XI. Raptor eſt, qui abducit etiam ſolùm libidinis causâ.

Dico Secundò. *Non ſolùm ille dicendus eſt Raptor, qui abduxit fœminam causâ Matrimonii contrahendi, ſed etiam qui rapit aut abduxit explendæ libidinis causâ.* Ita Emanuel Sà, Bonacinna &c. Probatur Primò. Quia Concilium Tridentinum generaliter loquitur de Raptoribus, ſed ille, qui rapit causâ libidinis tam benè eſt raptor, quàm qui rapit cauſa Matrimonii contrahendi, ergò. Probatur minor, Quia unus tam benè violentiam facit fœminæ ac alter, ergo.

Probatur Secundò. Quia textus generalior rubricâ non debet per illam reſtringi, ùt eſt Gloſſa, *Notabilis, Authentica de inceſtis, & nefariis nuptiis*, ubi licèt rubrica ſolùm loquatur de inceſtis & nefàriis nuptiis, quia tamen textus generaliter loquitur, *ſi quis illicitas & contrarias naturæ nuptias* &c. comprehendit omnes illicitas nuptias, etiamſi nòn ſint inceſtæ, aliàs illa particula *illicitas* eſſet ſuperflua, ergo à pari. Nec dicas in Tridentini decreto, nullam eſſe particulam generaliorem, quia licèt in terminis non ſit, eſt tamen in natura rei, nempe Raptûs, qui talis eſt, ſive fiat causâ libidinis, ſive causâ Matrimonii, ergo cùm Raptorem puniat, intelligendum eſt de Raptore, quacunque demum id faciat intentione.

Probatur Tertiò. Finis Concilii Tridentini fuit conſulere libertati Matrimonii, ſed quacunque intentione rapiatur fœmina, quamdiu eſt in poteſtate Raptoris, non conſulitur fœminæ libertati ad contrahendum Matrimonium, quia metus & vis nondum ceſſant, ergo propter violentiam illam & injuriam fœminæ factam dignum eſt illum incurrere pœnam impedimenti ad contrahendum cum illa Matrimonium. Confirmatur, Quia tali ratione poſſet quilibet eludere decretum Concilii Tridentini, aſſerendo ſe causâ libidinis rapuiſſe fœminam, & ſic impunè Matrimonium cum ea contrahere.

Probatur Quartò. Quia in præfato decreto puniuntur quoque Raptores Clerici pœnâ privationis

liam. de Sicariis. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.

IV. Causâ libidinis. Secundò : Raptus debet esse factus causâ libidinis. Ratio est, quia raptus est luxuriæ species, hunc finem præfixum habere debet, licèt actu non sequatur, seu quòd raptor non valuerit, seu quòd pœnitentiâ ductus non voluerit copulam consummare, sufficit attentatio copulæ & violenta abductio, sicut si quis aggrederetur conjugatam, ubi rationem adulterii habebit, licèt copula non sequatur, sed in hoc casu extraordinariâ pœnâ, non ordinariâ, foret plectendus; si verò rapiat aliquam personam non causâ luxuriæ, sed v. g. servitutis, aut alterius hujusmodi, talis quidem injustitiam raptûs non comittet, sed alterius speciei.

V. De loco ad locum traductio. Tertiò : Raptus propriè dictus huc spectans, debet esse de loco uno in alium abductio, ùt habetur cap. *Lex illa.* 36. q. 1. & est Gelasii Papæ, qui *Raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus nuptiis antea nihil actum fuerat, videatur abducta*, nam si tantùm fœmina in propria domo vel loco opprimatur violenter, erit quidem Raptus in specie luxuriæ, in genere secundùm primum notabile; Nec sufficit, ut abducatur quomodocunque, v. g. ad locum privatum & obscurum à publico, ab agro ad sylvam, ab una camera ad aliam, ut commodiùs libidini vacare possint, sed requiritur, ut abductio sit vera & realis de loco in locum, ad habendam raptam in sua potestate.

VI. Personæ honestæ. Quartò: Debet esse Raptus mulieris honestæ vitæ, ùt decidit *l. Unica. in principio. C. de Raptu Virginum*, his verbis: *Raptores virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum*, ubi Glossa V. *Virginum*, dicit particulam *honestarum* determinare etiam sequentia, ut verum sit de quacunque muliere honesta, sive virgo sive vidua, sive soluta sive sit nupta, dummodò sit honesta, sed hæc conditio est intelligenda de jure civili, aut etiam quantum ad pœnarum inflictionem, quæ non infligantur propter abductionem meretricum, quia præsumitur, tales non invitas abductas fuisse, sed sponte in abductionem consensisse, nisi constet, eas jam pœnitentiâ actâ honestam agere aut egisse vitam.

Notandum Quartò : Varias easque gravissimas pœnas esse tàm à Jure Civili, quàm Canonico pro Raptoribus constitutas; nam Jure Civili *l. Unica. C. de Rapt. virginum.* statuta est raptoribus honestæ mulieris pœna capitis, & bonorum omissio, quæ statim ad dominium raptæ transeunt, sicut etiam illorum, qui raptori auxilium & opem ferunt: Jure vero Canonico raptores & faventes excomunicantur, uti habetur *cap. Si quis virginem.* 36. *quæst.* 2. quod est Gregorii II. in Synodo Romana, ubi dicitur : *Si quis virginem, vel viduam (nisi desponsaverit) rapuerit, cum sibi faventibus, anathema sit*; quam Excomunicationem plures Doctores existimant esse latæ sententiæ. Novissimo autem Jure Tridentini Raptores pluribus plectuntur pœnis, nam primò ipsi & eis faventes excommunicantur, deindè redduntur infames, dignitatum incapaces, Clerici gradibus suis privantur, & Raptor tenetur raptam competenter arbitrio Judicis dotare, sive eam duxerit, sive non, & ita habetur *Sess.* 24. *de Matrimon. cap.* 6. in his terminis : *Raptor ipse ac omnes illi consilium vel favorem præbentes, sint ipso facto excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, Clerici verò de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Quare multi Doctores dicunt, Excomunicationis pœnam ipso facto incurri, reliquas verò non, nisi post sententiam Judicis. VII. Pœnæ Raptoribus impositæ.

Notandum Quintò : Quòd jure antiquiori hoc impedimentum ita Matrimonium dirimebat, ut nullatenus inter Raptorem & raptam consistere possit, etiamsi rapta in pristi- VIII. Raptus olim simpliciter dirimebat.

pristinam libertatem remissa consentire, & contrahere vellet. Ita habetur *cap. Placuit.* 36. q. 2. Jure tamen Canonico noviore correctum est, vel potius ablatum *in cap. finali de Raptoribus*, ubi sub Innocentio III. statutum fuit Matrimonium inter raptorem & raptam valere, si rapta consentiat liberè absque clausula, quòd rapta esset priùs in alium locum liberum restituta. His itaque prænotatis, quid de jure novissimo sentiendum sit, videndum, quare

IX. Raptus est impedimentum dirimens. Dico Primò. *Raptus est Impedimentum dirimens de jure novo, ita scilicet, ut Matrimonium contractum inter raptorem & raptam, quamdiu sub potestate raptoris est rapta, nec separata, ac in loco libero constituta, invalidum sit & irritum, ac nullum.* Ita definit Tridentinum Sess. 24. de Matrimon. cap. 6. his verbis: *Decernit S. Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium: Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.* Et quamvis hoc impedimentum sit temporaneum, cùm rapta restituta in locum liberum statim possit cum raptore contrahere absque alia nova dispensatione, hinc non sequitur non esse verum impedimentum dirimens, imò esse probatur à pari, nam *in cap. unico de cognatione legali*, definitur inter adoptantem & adoptatum non posse consistere Matrimonium durante adoptione, quod tamen esse impedimentum dirimens ab omnibus conceditur, ut in hac eadem disputatione infra videbimus. Itaque Concilium hoc impedimentum limitare

X. Limitatum est, quamdiu manet in potestate Raptoris. constituit, scilicet pro eo solùm tempore, quo rapta in potestate raptoris manserit, sed postquam in locum liberum fuerit restituta extra potestatem raptoris possit cum eodem raptore contrahere, si velit, absque ulla impedimenti dispensatione.

XI. Raptor est, qui abducit Dico Secundò. *Non solùm ille dicendus est Raptor, qui abducit fœminam causâ Matrimonii contrahendi, sed etiam qui rapit aut abduxit explendæ libidinis causâ.* Ita Emanuel Sà, Bonacinna &c. Probatur Primò. Quia Concilium Tridentinum generaliter loquitur de Raptoribus, sed ille, qui rapit causâ libidinis tam benè est raptor, quàm qui rapit causa Matrimonii contrahendi, ergò. Probatur minor, Quia unus tam benè violentiam facit fœminæ ac alter, ergo. etiam solum libidinis causâ.

Probatur Secundò. Quia textus generalior rubricâ non debet per illam restringi, ùt est Glossa, *Notabilis, Authentica de incestis, & nefariis nuptiis*, ubi licèt rubrica solùm loquatur de incestis & nefariis nuptiis, quia tamen textus generaliter loquitur, *si quis illicitas & contrarias naturæ nuptias* &c. comprehendit omnes illicitas nuptias, etiamsi nòn sint incestæ, aliàs illa particula *illicitas* esset superflua, ergo à pari. Nec dicas in Tridentini decreto, nullam esse particulam generaliorem, quia licèt in terminis non sit, est tamen in natura rei, nempe Raptûs, qui talis est, sive fiat causâ libidinis, sive causâ Matrimonii, ergo cùm Raptorem puniat, intelligendum est de Raptore, quacunque demum id faciat intentione.

Probatur Tertiò. Finis Concilii Tridentini fuit consulere libertati Matrimonii, sed quacunque intentione rapiatur fœmina, quamdiu est in potestate Raptoris, non consulitur fœminæ libertati ad contrahendum Matrimonium, quia metus & vis nondum cessant, ergo propter violentiam illam & injuriam fœminæ factam dignum est illum incurrere pœnam impedimenti ad contrahendum cum illa Matrimonium. Confirmatur, Quia tali ratione posset quilibet eludere decretum Concilii Tridentini, asserendo se causâ libidinis rapuisse fœminam, & sic impunè Matrimonium cum ea contrahere.

Probatur Quartò. Quia in præfato decreto puniuntur quoque Raptores Clerici pœnâ privatio-

nis suorum graduum, atqui Clerici non possunt esse Raptores causâ Matrimonii contrahendi, sed causâ libidinis, ergo. Tandem Concilium voluit ibi renovare Canones antiquos, & pœnas ab eis constitutas, limitando eos ad tempus, quamdiu manet rapta sub potestate raptoris, sed antiqui canones comprehendebant raptorem causâ libidinis, ùt patet ex paulò supra dictis, ergo.

Probatur Quintò. Raptus potest fieri cum fœmina conjugata & consanguinea, sed in tali casu non potest fieri intentione contrahendi Matrimonium, ergo solùm causâ libidinis, adeóque hæc sufficiet; probatur major: Quia nec Tridentinum attendit ad qualitatem personarum, an ad contrahendum sint habiles vel non, vel an Matrimonium ineatur, nec ne, sed punit tantùm simpliciter violentam abductionem vel propter Matrimonium, vel propter libidinem, quare cùm dixisset, Raptorem posse ducere raptam, postquam in loco libero fuerit constituta, nempe si habiles essent ad contrahendum, secus verò si impedimento alio laborarent, subjungit, *Nihilominus Raptor ipse, & omnes illi consilium vel favorem præbentes ipso facto sint excommunicati*, aliásque pœnas subnectendo, quasi diceret, sive raptam duxerit, vel ducere potuerit, aut voluerit, illa habere Raptorem in maritum, nihilominus Raptor illas pœnas incurrat.

XII. Raptus est, quando puella invitis parentibus aufertur.

Dico Tertiò. *Quando puella consentiens sub Parentum aut tutorum cura constituta ex ipsorum domo ipsis invitis abducitur, est quidem raptus, attamen non causat impedimentum dirimens, nec alias pœnas Tridentini incurrit, sed arbitrariâ per Judicem est plectendus.* Probatur, Quia fit gravissima violentia & injuria Parentibus, quam puella in suam abductionem consentiens remittere non potest, *L. 1. verf. usque adeò. ff. de injuriis*, ergo est verus raptus. Probatur consequentia à pari. Est vera percussio Clerici, licèt ipse Clericus in eam consentiat, ut manus violentæ ipsi injiciantur, nec talis percutiens liberatur à pœna Excommunicationis, ùt habetur *cap. contingit. de sentent. excommun.* & pulchrè advertit Glossa, nam licèt Clericus assensum præbere possit ad injuriam, ut est suæ privatæ personæ, non tamen quatenus injuria statûs clericalis, ergo etiam licèt puella possit consentire in raptum ut suæ personæ, non potest tamen tollere jus parentum, & eis injuriam remittere.

Probatur secunda pars. Quia Tridentini decretum loquitur tantùm de raptu, qui libertatem Matrimonii impedit, at quando puella spontè & liberè consentit, non impeditur Matrimonii libertas, cùm non Parentum sed puellæ consensus requiratur, & is solum sufficiat.

Probatur tertia pars. Quia pœna debet commensurari delicto ex *cap. Non afferamus, 24. q. 1.* & Scriptura dicente juxta mensuram delicti erit & plagarum modus, sed consentiente puella minus est delictum invitis parentibus abducere illam, quàm si quoque ipsa dissentiret, ergò.

XIII. Non est raptus, si Sponsa volens invitis parentibus abducatur.

Dico quartò. *Non est raptus, quando post Sponsalia celebrata de futuro, aut alias de Matrimonio tractatum fuit, puella consentiens abducitur, etiamsi Parentes contradicant.* Probatur ex *cap. penult. de Raptor.* ubi dicitur: *Cum ibi raptus dicatur admitti, ubi ante nihil de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt Parentes reclamarent, à quibus dicitur eam rapuisse.* Per quem textum Juris Canonici corrigitur Jus Civile *L. unica. C. de raptu virginum* dicens: *Quibus connumeramus eum, qui saltem Sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* Si textus iste loquatur de Sponsa consentiente, si verò agit de renitente omninò verum esse, eum esse raptorem. Confirmatur Conclusio. Quia Tridentinum non corrigit jus antiquum, ùt patet ex contextu: Deinde si puella & sponsa consentit

ſentit non offenditur libertas Matrimonii, aliud eſſet, ſi ipſa non conſentiret, nam ad obſervantiam ſponſalium, quamvis ſit obligata, non tamen debet violenter compelli.

Dices Cap: penultimum dicit ibi raptum eſſe, ubi nihil ante de nuptiis agitur, ſed per Sponſalia nihil agitur de nuptiis, ergo. Reſpond. textum illum intelligendum eſſe de nuptiis cum effectu accipiendum, unde cùm tractantur ſponſalia, nihil adhuc actum eſt de nuptiis, ſed cùm ſponſalia concluſa ſunt, jam eſt actum de nuptiis, & Matrimonio contrahendo, quare ſicut ſponſa non poteſt abſque urgentiſſima cauſa reſilire ab illis, ita ſponſus poteſt ipſam conſentientem abducere abſque peccato eſt pœnis raptûs.

XIV. Raptus alienæ ſponſæ. Raptus alienæ perſonæ impedit hodie, ne cum rapta, aut quacunque alia Matrimonium inire poſſit ex *cap. ſtatutum* 32. *q.* 2. ſupra in impedimentis merè prohibentibus, cui addi poteſt *cap. ſi autem* 36. *q.* 2. ubi dicitur *Iterare non præſumat conjugium*, ipſa tamen ſponſa vel priori ſponſo vel alteri nubere poteſt, ſi prior amplius habere nollet, dummodò illa conſentiens non fuerit, ut habet *cap. ſtatutum* citatum, *Etſi ipſa crimini conſentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur*, ex quo à ſenſu contrario infertur, etiam illam incurrere impedimentum prohibens, ſi conſenſerit, & tunc non erit raptus propter violentiam puellæ factam, ſed propter injuriam ſponſo illatam.

XV. Non eſt Raptor, qui poſt ratum Matrimonium puellam abducit. Dico Quintò. *Non eſt Raptor, qui puellam, cum qua habet Matrimonium ratum, nolens ei concedere tempus bimeſtre deliberationi ad perfectiorem ſtatum eligendum conceſſum, per vim abducit ad copulam.* Probatur: Quia Tridentinum loquitur de Raptu, quo libertas ad Matrimonium læditur, in hoc caſu autem non læditur, quia ſpōſi quoad hoc jam functi ſunt ſuo jure, & Matrimonium cum tota libertate eorum jam contractum ſupponitur, & ratum.

Dico Sextò. *Raptus, quo fœmina ex authoritate & potentia rapit virum, dirimit Matrimonium.* Contra Bonacinnam & Sanchetz, qui negant: Quia Tridentini decretum loquitur tantùm de Raptoribus non verò raptricibus, adeóque ad eos, cùm correctorium ſit juris antiqui, extendi nō debet. Verùm Concluſio XVI. Raptus, quo fœmina virum rapit, dirimit.

Probatur. Quia eadem eſt ratio de viro & fœmina, cùm in utróque ad Matrimonium eadem requiratur libertas, alioquin fœmina potens, cogere poſſet adoleſcentem nolentem, ut cum ea contraheret. Tum, Quia Lex correctoria & pœnalis extendi debet ad ea, ubi eadem omninò militat ratio, atqui hic omnino eadem eſt ratio, ergo. Et hinc eſt, quòd Doctores paſſim dicant, Raptorem nec Sponſalia cum rapta validè celebrare poſſe propter rationem paritatis, & libertatis, quæ tam in Sponſalibus, quàm in Matrimonio requiritur. Deinde non minus viri, quàm mulieris libertati conſulendum fuit, finis autem Eccleſiæ & Conciliorum fuit in ſtatuendo hoc impedimento Matrimonii libertas. Et licèt Concilia & Canones quaſi ſemper de mulieribus raptis loqui videantur, non proindè viri excludi debent, ſed ita loquuntur, quia id in mulieribus non in viris frequenter loquendo accidere ſolet.

Probatur Concluſio Secunda. Ab aliis paritatibus, nam Textus *cap.* 1. & *cap. tranſmiſſæ de eo, qui cognovit conſanguineam* tantùm loquuntur de viro, cui interdicitur debitum petere, & aliud Matrimonium inire, & tamen extra controverſiam eſt, hoc impedimentum extendi ad fœminas, ergo. Similiter *Cap. Interfectores*. 33. *q.* 2. ſtatuitur impedimentum prohibens, Quibus pœnitentibus conjugium denegatur, & *cap. Admonere*, & *cap. Quicunque. eadem quæſtione & cauſa*, idem ſtatuitur, ut viſum eſt ſupra in quæſtione ſecunda hujus diſputationis. n. 19. & tamen hoc impedimentum etiam extenditur ad viricidium, ob omnimodam rationis paritatem, ergo etiam

riam de fœmina rapiente, ac de viro intelligendum est decretum Concili Tridentini. Denique certum mihi videtur fœminam auxilium & consilium præbentem incurrere pœnam raptûs, uti expresse decernit *L. Unica. C. de Raptu virg.* sicut incurrit Clericus, ergo à fortiori incurret, si ipsa rapiat, nam quando verba possunt aptari mulieribus sicut masculis, & materia potest convenire utrique sexui, masculinum comprehendit fœmineum etiam in pœnalibus & odiosis, ùt docet Bartholus *L. Jura. in fine. ff. de legibus*, cujus doctrina communiter recipitur, & confirmatur ex *Clementina* 1. *de Regularibus*, ubi statuitur Religiosos mendicantes ex Pontificia authoritate transeuntes ad non mendicantes non habere vocem & locum in Capitulo, ubi licèt nulla fiat mentio de fœminis, nihilominus extenditur quoque ad Moniales sic transeuntes, & masculinum comprehendere fœmininum. Per hæc patet, quid dicendum sit ad rationem Sanchetz supra, & insuper, Quia decretum correctorium Tridentini non est ita odiosum, quin etiam ex alio capite sit in causa favorabili, scilicet Matrimonii libertatis, cui favendum est.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Impedimento Impotentiæ.

1. Hucusque actum est de impedimentis afficientibus ipsum contractum Matrimonialem, quæ debitum consensum & libertatem ad contractum validum necessariò prærequisitum tollunt, adeóque reddunt irritum & nullum ex natura rei, & non ex sola constitutione Ecclesiæ, prout irritatur contractus Matrimonialis clandestinus, de quo sufficienter dictum est supra, nunc agendum est de Impedimentis respicientibus ipsos contrahentes, tanquam habentes aliquam inhabilitatem physicam vel moralem ad contrahendum, & quidem de inhabilitate physica in hac quæstione erit agendum, pro cujus resolutione.

Notandum Primò. Ex Scoto in 4. dist. 34. q. un. *Impotentiam*, quæ est inhabilitas physica, seu ineptitudo ad exercendam copulam carnalem aptam ad generationem humanam, duplicem esse, scilicet *Perpetuam*, cui subveniri non potest per ullam artem, aut naturam absque peccato, vel absque arte magica, *Illud enim non possumus, quod jure non possumus*, hinc maleficium censetur impedimentum perpetuum, quando non potest auferri absque alio maleficio. Item *Perpetua* est, quæ non potest auferri nisi per miraculum supernaturale. Et *Temporalem* seu ad tempus, quæ remediis naturalibus tolli potest. item potest esse vel *Absoluta*, id est, in ordine ad omnem personam, vel *Respectiva*, id est, in ordine tantùm ad aliquam personam. II. Impotentia est duplex perpetua & temporalis.

Notandum Secundò. Utriusq; impotentiæ duplicem esse causam, una *Naturalis*, altera *Præter-naturalis*, vel *Casualis*, ùt ait Doctor. *Naturalis* potest esse, vel ab intrinseco, nimirum ex corporis naturali indispositione & complexione, & provenire potest ex nimia frigiditate, quæ reddit copulam impossibilem, vel ex nimia arctitudine in muliere, quæ à viro effringi nequeat, vel ex nimio calore, quo vir accensus statim ad primum conatum congrediendi cum fœmina præproperè extra vas semen effundit, vel potest esse ab extrinseco, ex mutilatione viriliũ, aut testium in viris. *Præternaturalis* verò seu *Casualis* accidit per maleficium dæmonis, qui solet ligare maximè in viris potentiam ad carnalem congressum, ùt patet experientiâ, & qui laborant primâ *Frigidi* appellantur, qui verò arte magica ligati sunt *Maleficati* dicuntur in decretalibus titulo *de Frigidis & Maleficiatis*, ubi hæc materia tractatur, & in *Decreto Gratiani*. 33. *q.* 1. III. Impotentiæ causa alia est naturalis alia casualis.

Notandum Tertiò. Impotentiam frigiditatis non inveniri in mulieribus, sed solùm in viris, quia vir fit IV. Impotentia frigiditatis est in solis viris.

fit enervis, atque adeò ineptus ad congrediendum, quod in fœmina non reperitur, cùm se quasi passivè habeat in hoc opere, frigiditas autem passioni non obstat, quare veniam dabit lector necessitati adhibendi terminos, qui in communi sermone verecundiam causarent, quoniam propter audiendas confessiones hujus materiæ habere notitiam, non solùm utile est, sed & maximè necessarium.

V. Impotentia subsequens nō dirimit. Notandum Quartò: Sermonem in hac quæstione futurum de impotentia Matrimonium præcedente, nam subsequens non dissolvit illud. Ex *cap. Hi qui Matrimonium.* 32. q. 7. & ratio est, quia Matrimonii vinculum est indissolubile. Si tamen dubium esset, an impotentia præcesserit, præsumendum est præcessisse, si naturalis est; subsecutà verò si fuerit accidentalis ex malitia proveniens, eò quod qualitas, quæ est à natura meritò semper inesse credatur, non verò adventitia, nisi contrarium probetur, quia præsumptio in dubio militat pro qualitate naturali, qualis est potentia coëundi excludens dictam impotentiam.

VI. Copula debet esse cum effusione seminis intra vas mulieris. Notandum Quintò: Ad copulam conjugalem, cujus impotentia impedit Matrimonii validitatem, requiri, ut vir ad vas mulieris seminet, seu ad illud semen virile effundat, quare potens quidem coïre, impotens autem perpetuò ad seminandum intra vas, vel quia nullo modo seminat, vel quia calore nimio præproperè ut vas expectare nequeat, si id vitium sit ita perpetuum, ut nulla medicina vel arte juvari possit, est incapax Matrimonii, & Ratio est, quia non reputatur copula conjugalis absque semine coïtus enim solùm est via ad actum conjugalem, unde etiam ex tali copula non oritur affinitas: Tum, Quia ad Matrimonium requiritur copula, per quam conjuges una caro efficiantur, ùt constat ex *cap. Laudabilem de frig. & male*: ubi dicitur: *uterque jurejurando dicit, nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quòd mulier valeat ad secundas nuptias convolare*, Eâdem ratione, si mulier sit ita arcta, quòd nunquam possit semen recipere, incapax Matrimonii foret, nihil enim refert, sive ex parte viri, sive mulieris consurgat impotentia ad recipiendum semen, ut una caro efficiantur. Similiter si fœmina præ nimia latitudine, aut alia latenti infirmitate minimè cognosci possit à viro, secus tamen esset, si semen suscipere posset, non tamen illud retinere, quia tunc verè consummaretur Matrimonium, & una caro efficerentur, adeóque validum foret & subsisteret. His prænotatis.

VII. Impotentia temporalis nō dirimit. Dico Primò: *Impotentia temporanea non dirimit Matrimonium.* Patet ex *cap. Fraternitatis. de frigidis & maleficiatis.* Ratio est: Tum, Quia tunc corpus est simpliciter potens & habile, solúmque pro tempore impeditum, adeóque simpliciter subsistit materia contractûs: Tum, Quia homo, qui nunc non est potens ad solvendum, si spes affulgeat certa eum futurum potentem ad solvendum, potest se obligare, cujus obligationis incapax esset, si nunquam foret solvendo.

VIII. Difficultas gravis & periculum ægritudinis non est impotentia. Dico secundò: *Ineptia ad coëundum, quæ non ex impotentia vera oritur, sed ex difficultate maxima, ita ut non possit fieri commixtio sine periculo ægritudinis, non dirimit Matrimonium.* Probatur ex *cap. 2. de conjug. & lepros*: ubi deciditur Matrimonium cum leproso esse validum, & ex *cap. fraternitatis. de frigidis & maleficiatis*, ubi quando per incisionem absque mortis periculo factam potest mulier arcta juvari, definitur valere Matrimonium, ergo. Hinc

IX. Fœmina arcta debet pati incisionem gravem, sed non periculosam. docent Doctores post Glossam in dictum caput, communiter fœminam arctam ex naturali defectu, qualis mihi relata fuit, quæ orificium pudendum majus non habuit, quàm fonticulus cauterii esse possit, esse obligatam pati incisionem gravem

cum molestia & gravi dolore vel cauterio faciendam, si sic viro aptari possit, non teneri verò pati cum gravissimo morbi periculo & incommodo. Ratio prioris illati est, quia hoc est necesse ad jus copulæ, quod in verum maritum transtulit, & ne vir innoxius cogatur sine fine Matrimonii vitam cœlibem agere, nec mulier excusare se valet, cùm culpâ suâ huic malo ansam præbuerit, quæ ante contractum Matrimonium sibi debuisset providisse. Ratio posterioris verò est, quia non videtur fœminam cum tanto onere obligatam ad debitum conjugale, ut ad incisionem cogi possit cum periculo infirmitatis, vel vitæ, maximè cùm dubitare possit, an adhuc remedio hoc sit aptanda, & sic graves dolores subiret, & tamen suo frustraretur effectu.

Dixi autem ex defectu naturali, quia si solùm esset propter virginitatis claustrum, non credo obligandam ad incisionem, si vir debilis penetrare non posset, cùm hìc non sit naturæ defectus, aut aliqua ægritudo, nec tamen talis posset se aptare per fornicationem cum alio viro potenti, quia hoc non est licitum medium.

X. Difficultas pariendi non est impotentia.

Dico Tertiò. *Difficultas pariendi non habet rationem impotentiæ.* Ita Sanchetz. Probatur: Tum, Quia fœmina talis apta supponitur ad copulam conjugalem, ergò validè potest tradere corpus suum & jus ad illam viro potenti reddere, nec enim requiritur, ut reddatur, aut ut proles sequatur, sed sufficit & potestas ad copulam: Tum, Quia illa difficultas non est perpetua, successu temporis cessat, & medicinis tolli potest: Tum, Quia difficultas pariendi subsequitur contractum Matrimonialem, ergo non potest habere rationem impotentiæ, aut impedimenti dirimentis: Denique talis difficultas est incerta, sicut & ipsa conceptio ac partus sunt incerti. Si quæ tamen talis mulier experiretur vitæ periculum sibi ex partu imminere, abstinere deberet à copula, quamdiu illa difficultas perseveraret, unde per accidens fieret copula illicita, sicut contingit in illis, qui voto castitatis sunt adstricti.

XI. Impuberes sunt temporanei impotentes.

Dico Quartò. *Defectus ætatis sufficientis est impotentia temporanea jure Ecclesiastico solùm introducta in masculis quidem usque ad annum 14. in fœmellis verò usque ad annum 12. completum, nisi malitia suppleat ætatem.* Hæc est certa. & Probatur Primò ex *cap. Continebatur. de desponsat. impub.* ubi determinatur de fœmella, & insinuatur debere annum 12. completum, nam ponderatur eam proximam duodecim annis fuisse, ac à viro cognitam, sed si non esset necesse annus completus, non esset opus ponderare utrumque, ergò. & *cap. finali.* proponitur casus de puellâ, quæ circa duodecimum annum nupsit, & deciditur non valuisse Matrimonium, *nisi malitia suppleat ætatem.* De masculo verò habetur *cap. attestationes eod. tit.* ubi dicitur: *Antequam ad annum decimum quartum pervenisset.* & *cap. ex litteris eod. tit.* donec compleat *puer annum decimum quartum.* Probatur Secundò. Quia impotentia temporanea non dirimit Matrimonium, sed impotentia puerorum est talis, ergo, non jure naturali, sed solùm Ecclesiastico dirimet, patet major ex dictis, sicut & minor, quia hæc impotentia successu temporis transit, nec ad eam tollendam aliquod miraculum requiritur, nec medicina & auxilia naturalia, sed sola temporis expectatio.

XII. Malitia supplet ætatem.

Dixi autem *Nisi malitia suppleat ætatem*, quia ita textus loquuntur, per quam particulam non intelligitur malitia moralis, sed prudentia & potentia, hæc ad generandum, de qua *cap. puberes. eodem tit.* dicitur: *Certum esse eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest.* Prudentia verò conjuncta supplet

plet ætatem, quando jam intelligit consensus conjugalis obligationem, quæ est gravissima & perpetua, & ita habetur ex *cap. finali de desponsat. impub.* ubi malitia ætatem præveniens vocatur prudentia.

XIII. Senectus non est impotentia. Dico Quintò. *Excessus ætatis senilis non est impotentia ulla ad contrahendum Matrimonium, nisi vir esset planè decrepitus.* Probatur primò. Tum ex Scriptura 3. *Regum* 1. *Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege & foveat eum, dormiátque in sinu suo & calefaciat Dominum nostrum Regem*, atqui David habebat ætatis plurimos dies, ergo. Tum ex D. Augustino *lib. de bono viduitatis*, *cap.* 8. & refertur *cap. Nuptiarum.* 27. *q.* 1. ubi agens de nuptiarum bono ait: *In quibusdam esse humanitatis solatium*, ubi Glossa v. In quibusdam explicat, *in senibus.* 2. ex *L. quæsitum.* 6. *ff. de lib. & posthu.* ubi dicitur: *Quoniam nec ætas impedimento est.* Probatur Tertiò. Tum, Quia licèt senes non habeant generandi facultatem tam propinquam, proximam, & expeditam sicut juvenes, habent tamen radicalem cum perfecto actu Matrimoniali, seminatione debita, etsi infœcunda: Tum, Quia nemo est tam senex, quin aliquando vel ex natura, vel ex arte & medicina possit incalescere ad copulam: Tum denique ex praxi Ecclesiæ, quæ non improbat Matrimonia senum.

Dixi *Nisi vir esset planè decrepitus*, quia si vir esset adeò exhaustus, ut judicio medicorum amplius per artem juvari non posset, incapax profectò foret talis ad ineundum Matrimonium.

XIV. Sterilitas non est impedimentũ impotentiæ. Dico Sextò. *Sterilitas non est impedimentum impotentiæ.* Probatur. Tum ex Matrimonio Elcanæ & Annæ 1. *Reg.* 1. Item ex Matrimonio Zachariæ & Elisabeth *Lucæ* 1. qui erant steriles: Tum, Quia licèt steriles frustrentur fine primario, qui est prolis generatio, assequuntur tamen finem secundarium, nempe concupiscentiæ remedium per veram copulam, nec etiam ita frustrantur fine primario, quin spem habeant ad prolem in habitu & potentia: Tum denique, quia potest tolli, sicuti nonnunquam factum est per extraordinariam viam à DEO, per intercessionem alicujus Sancti, vel etiam successivo aliquo tempore, unde sæpe contigit, quòd qui sunt steriles pro hoc tempore, pro alio fœcundantur, & ob alios fines communiter ab Authoribus traditos, nec non ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ non solet ob sterilitatem dirimere Matrimonium.

Dices. In *cap. Accepisti*, *de frigid.* dicitur mulierem, quæ proclamat, *volo Mater esse, volo filios procreare*, posse saparari à viro impotente, & alteri nubere, ergo sterilitas sufficit. Respond. negando conseq. quia ad intelligendum est, quando ratio, ob quam non fit mater, nec habeat filios, est, quia vir ex natura est frigidus, vel non potest immittere semen in vas ejus.

Dices Secundò. *Cap. solet* 32. *q.* 2. dicitur, non esse Matrimonium sine spe filiorum, sed ubi est sterilitas &c. ergo &c. Respond. illud caput intelligendum esse, quando non est spes de filiis, eo quòd in ipso contractu Matrimoniali involvebatur pactum de prole evitanda, quæ explicatio ex supra dictis, & ex contractu patet.

Dico Septimò. *Bisexus non causat impotentiam, ita quòd Androgyni, seu Hermaphroditi juxta sexum prævalentem, vel sibi in æqualitate eligendum, Matrimonium validè & licitè contrahere possint.* Ita Doctores passim. Probatur de sexu prævalente ex *L. Quæritur. ff. de statu hominum.* Ratio est; quia in eo statu potest generare, & secundùm præeminentiam vir & fœmina appelabitur. Quod si sexus est æqualis juxta utrumq; cõtrahere potest præstitô juramentô, se alio nunquam usurum, stante Matrimonio, ex *cap. diversis, de Cleric. conjug.* & *cap.* 15. *Presbyteros* 16. *q.* 1. Et ratio est, quia nihil XV. Bisexus nõ est impedimentum impotentiæ.

urget, cur potius hujus, quàm illius censeatur esse sexus, adeóque libertatem habet eligendi sibi hunc vel illum. Factus viduus etiam juxta alium sexum validè contrahet, utpote & capax ad copulam, & nullo jure prohibitus.

Dices. Hermaphroditus in quo uterque sexus est æqualis est incapax Ordinis & professionis religiosæ, ùt quasi omnes docent, ergo etiam est incapax Matrimonii. Respond. negando consequ. disparitas est, Quia cùm maximè dedeceat fœminam ad sacros Ordines promoveri, credibile est, Christum Dominum sic ordinâsse, ut homo, qui æqualiter est mulier ac vir, sit Ordinum incapax, & similiter indecentissimum est, ut qui æqualiter est vir ac fœmina profiteatur inter Moniales, qua vir, & inter Monachos qua fœmina, nam sicut nulla est professio viri apud Monachas, ita nec talis Hermaphropiti, qui revera est vir.

XVI. Impotentia perpetua antecedens dirimit.

Dico Octavò. *Impotentia naturalis absoluta perpetua coëundi antecedens Matrimonium dirimit, non solùm jure Ecclesiastico, verùm etiam jure naturæ, licèt contrahenti fuerit cognita.* Est communis. Probatur quoad primam partem ex *cap. Quod sedem, cap. ex litteris. de frigid. & malefic.* & *cap.* 1. 33. *q.* 1.

Probatur secunda pars Primò. Quia ad valorem Matrimonii requiritur, ut conjuges possint copulari, & fieri una caro, ergo cum impotentia perpetua Matrimonium non est validum. Probatur Secundò. Quia de ratione Matrimonii est, ut potestas tradatur ad usum corporis conjugalem, sed perpetuò impotens non potest potestatem sui corporis alteri dare ad copulam, & usum conjugalem, cùm nullus tradere possit, quod non habet, *cap. quod autem. de jure Patronatûs L. si universi. C. de legibus.* impossibilium nulla est obligatio *L. impossibilium ff. de Regulis Juris.* & *cap. Nemo ad impossibile, eodem titulo in* 6. ergo Matrimonium cum impotentia perpetua celebratum; irritum est, cùm nihil subsistat sine sua essentia. Quod etiam clarè supponit Sixtus V. *Constit.* 59. dicens: *Cùm frequenter secundùm Canonicas Sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.*

Etiam jure naturæ.

Dixi: *Licèt fuerit cognita*, quia Canones universaliter loquuntur, & absque ullo discrimine, & in *cap. Consultationi tuæ*, præsupponitur scientia impotentiæ.

XVII. Impotentia superveniens nō dirimit.

Dico Nonò. *Impotentiæ superveniens Matrimonii sive rato, sive consummato non dirimit.* Hæc est juxta Notabile quartum, & habetur *cap. Hi qui.* 32. *q.* 7. quod est ex Nicolao Pontifice, ubi generaliter dicitur, ob nullam impotententiam supervenientem Matrimonium cassari, & ex D. Augustino *lib.* 1. *Serm. Domini in monte. cap.* 32. & refertur *cap. si uxorem.* 32. *q.* 5. affirmante, retinendam esse uxorem ante ductam non obstante quocunque corporis incommodo superveniente, ergo intelligit etiam impotentiam, cùm ita universaliter loquatur. Confirmatur & receptissima omnium opinione, Matrimonium ratum per solam professionem dirimi, aut probabiliter per dispensationem Pontificiam.

Probatur Secundò. Tum ex indissolubilitate Matrimonii nunc insinuata: Tum, Quia potentiâ adhuc existente, fuit traditum jus & dominium. Denique licèt contractus in fieri non possit subsistere sine sua materia substantiali, potest tamen postea subsistere in valore, etsi materia substantialiter mutetur, ut si quis emat equum, qui postea infirmetur. Sed in contra.

Arguitur Secundò. Ex *cap. Proposuisti* 32. *q.* 7. ubi Gregorius III. concessit cuidam licentiam migrandi ad aliud Matrimonium propter

ter impotentiam perpetuam uxori priori supervenientem. Et *cap. ex litteris. de frigid. & malefic.* ubi Alexander III. facultatem dedit transeundi ad aliud Matrimonium, cujus uxor ante consummationem facta fuerat inepta copulæ, ergò etiam impotentia superveniens dirimit. Respond. ad primum, vel Pontificem tunc ex legitima causâ dispensâsse in Matrimonio rato, vel solùm declarâsse impotentiam uxoris esse perpetuam, atque adeò nullum Matrimonium, ut proinde vir ad secundas nuptias transire potuerit. Ad secundum dic cum Glossa. *v. contraxit.* Textum illum loqui, quando impotentia præcessitMatrimonium, ùt constat ex illis verbis: *Si mulier illa vitium illud à natura contraxit.*

XVIII. Respectiva perpetua quoque dirimit. Dico Decimò: *Impotentia respectiva perpetua, ex quacunque proveniat causa, sive ex parte unius tantùm interveniat, sive ex parte utriusque, dirimit Matrimonium.* Ita Doctores communiter, & præsertim Sanchetz, Hurtadus, Mastrius, & alii, quod probant ex *cap. Fraternitatis. de frigid. & mal.* ex *cap.* 1. 33. *q.* 1. ac etiam ratione: Quia sicut se habet impedimentum potentiæ absolutum respectu Matrimonii absoluti, ita se habet respectivum respectu particularis, ergò sicut absoluta impotentia absolutè Matrimonium dirimit, ita respectivum dirimet particulare: Tum, Quia Matrimonium contrahitur cum hac particulari persona, ergò si hanc non poterit cognoscere cum illa habebit impotentiam: Tum, Quia ùt arguit Hurtadus disp. 22. dist. 6. contingere potest, ut vir sit ita debilis, & mulier ita arcta, aut membrum viri sit ita grossum, & os vasis fœminei adeò angustum, quòd fœmina nullâ humanâ industriâ absque vitæ periculo possit ei proportionari, ut ab eo cognoscatur, & quòd sit proportionata alteri, aut quòd possit proportionari absque dicto periculo, ut possit ab eo cognosci., ergò negari non potest impossibilem esse aliquam impotentiam etiam naturalem respectivam, quæ sit perpetua, ac proindè dirimens Matrimonium. Nec oppositum deducitur ex *cap.* 2. 33. *q.* 1. ubi dicitur: *Nam si huic non poterit concordari naturaliter, quomodo alteri conveniet.* Non inquam oppositum deducitur, quia ibi tantùm est sermo de impedimento proveniente à naturali frigiditate, quod non est respectivum, sed absolutum, ùt patet legenti textum.

Dico Undecimò: *Impotentia perpetua ex maleficio, humana virtute non cassabili proveniens dirimit subsequens Matrimonium.* Ita Scotus 4. d. 34. q. un. & Doctores communiter. Probatur: Tum ex *cap. finali.* 33. *qu.* 1. Tum, Quia dæmon potest talem impotentiam tàm absolutam, quàm respectivam inducere, nam vir ille allegatus in *cap. finali.* petens dispensationem, fassus est se ad omnes mulieres potentem esse, præter eam, quam habebat pro uxore: Tum, Quia dæmon potest omnia adhibere, per quæ viri evirantur, elidendo scilicet, rumpendo, desiccando, infrigidando, subtrahendo nervos, spiritus impediendo, & cœtera hujusmodi, & hoc vel ad omnes mulieres, vel ad unam tantùm, & si ad omnes est absoluta impotentia, si ad unam, est respectiva. XIX. Perpetua ex maleficio dirimit subsequens Matrimonium.

Probatur ulterius ex aliis mediis, quia dœmon ex permissione DEI, de qua non est dubitandum, cùm maleficia similia ab experientia sint certissima: potest impedire, nè duo corpora sibi appropinquent, vel interponendo aliud phantasticum corpus, vel horrorem & aversionem conjugibus injiciendo, uti ego ipse novi conjuges de æstimatione magna, qui se invicem venerabantur, omnia humanitatis insignia & indicia dilectionis exhibebant, quando tamen ad amplexus ruere volebant, horror gravissimus invasit virum, displicentia, & nausea, & absque alia pellice retrahente, ad proprium suum sequestravit se cubiculum. Res profectò compassione dignissima. Deindè potest profectò reddere virgam viri flaccidam per appli-

applicationem alicujus occulti medii, quod vir ignorat, & pluribus aliis, quae fuse pertractat Martinus Delrius *lib. 3. disquisit. magicarum.*

XX. Quomodo cognosci potest impotentia perpetua vel temporanea.

Porrò, ut cognoscatur, an impotentia per maleficium causata, sit perpetua, vel temporanea, hæc sunt notanda signa; Primò: Si non possit aufferri nec medicinis, nec exorcismis, aut aliis moralibus applicationibus. Deindè, si non possit aufferri alia arte humanâ, sed solummodò virtute Divinâ, vel per aliud maleficium, aut peccatum, quia maleficium maleficio tollere gravissimum est peccatum, nam *Levitici* 19. dicitur: *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitamini; & cap.* 20. *Anima, quæ declinaverit ad ariolos & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Idem habetur *Deutron.* 20. Et ex Patribus omnibus, unus sufficiat pro brevitate Augustinus, cujus testimonium refertur *cap. Qui sine Salvatore.* 26. *q.* 2. ubi dicitur: *Omnis curatio, quæ à divinis vel magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum culpa petitur, mors potiùs dicenda est, quàm vita, & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam damnationem tendunt.* Si verò ex opposito infascinatus tantùm petat, ut signa maleficii destruat magus vel saga, non peccabit, quia, ùt præclarè Scotus notat hic, seu 4. *d.* 34. *qu. un. vers. ex hoc patet,* quia in tali casu non honoratur dæmon, nec pactum cum illo initur, sed creditur, quod nullo præcepto credi prohibetur, videlicet dæmonem posse hominem vexare positis his & illis signis, iisque vice versâ ablatis cessaturum à vexatione, nec hoc est nomen Domini assumere in vanum, vel habere Deos alienos, quia hæc nituntur rectæ rationi. Deindè, quando aufertur signum, amplius dæmon nihil operatur, sed privatur operatione, qui se spontè, voluntariè & liberè obligavit ad operandum durantibus illis signis, quibus ablatis cessat ejus operatio. Denique videtur esse paritas, si malitiosi supponentes Urbi Pragensi ignem Pœnitentiâ ducti fomitem & alia incentiva sustulissent, verè non peccâssent, sed benè operati fuissent, ergò etiam, si quis maleficii conscius tollat signum, ad quod affixum est maleficium, benè operabitur, & in tali casu non censebitur impotentia perpetua: benè tamen, si signum in aquam fluentem abjecisset, vel combussisset, & alia hujus irrecuperabilia fecisset.

XXI. Evnuchi & Spadones sunt incapaces Matrimonii.

Dico Duodecimò: *Evnuchi sic nati ex utero matris, & Spadones utroque teste privati, vel nervis eorum convulsis impotentes simpliciter censendi sunt ad Matrimonium, habentes verò unum saltem testiculum integrum & sanum, omninò sunt capaces.* Ita Theologi passim. Et Probatur prima pars Primò ex motu proprio Sixti V. qui incipit: *Cùm frequenter. edit.* 1587. determinatè sic: *Committimus fraternitati tuæ & mandamus, ut Conjugia per dictos, & alios quoscunque Evnuchos & Spadones utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas, eòsque ad Matrimonia contrahenda inhabiles, authoritate nostra, declares, & tàm locorum Ordinariis nè hujusmodi conjunctiones de cœtero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quàm eos etiam, qui de facto sic contraxerint, separari cures, & Matrimonia ipsa de facto sic contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas,* quæ litteræ ad Nuntium Apostolicum directæ fuerant.

Probatur Secundò ratione: Quia ad rationem Matrimonii requiritur capacitas verum semen emittendi & effundendi intra vas fœmineum, sed hoc nequeunt præstare Evnuchi & Spadones utroque teste carentes, ergò. Probatur minor: Quia testes sunt veluti folles habentes virtutem recipiendi & retinendi spiritus à corde & jecore transmissos, qui calefaciunt genitalia, & adaptant ad semen & copulam, ergò sine testibus non habent verum semen, unde licèt virgam erigant, & materiam aliquam aquosam emittant, semen tamen

men

men non est verum, quia ex defectu caloris non est maturatum, videatur Galenus, Hippocrates, & Aristoteles.

XXII. Evnuchi si unum testem. Probatur secunda pars Primò: Ex *L. Si serva. 40. §. Si spadoni. ff. de jure dotium.* ubi habetur sic: *Si spadoni nupserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne: ut in castrato dicas dotem non esse, in eo, qui castratus non est (quia est Matrimonium) & dotem & dotis exactionem esse.* ubi Glossa finalis ait, Spadonem in contextu appellari, qui generare potest, & quòd unum saltem testiculum habeat. Et *L. Sed est quæsitum. 6. v. Spadonem. ff. de liberis & posthu.* dicitur: *Spadonem quoque posthumum hæredem scribere, & Labeo & Cassius scribunt, quoniam nec sterilitas ei rei impedimento est.* Ubi Glossa verbo *Impedimento*, ait: Quia validè contrahit; & verbo *Posse* explicat de Spadone, cui alter solus testiculus deest.

Probatur Secundò Ratione: Quia virtus unita est fortior, quàm dispersa, ergò testiculus unus sicut est capax recipere & retinere spiritus & calorem, ita quoque est sufficiens ad generationem, sicut unus oculus est capax ad recipiendos, & spiritus vitales & species transmittendas ad phantasiam, & quidem frequenter perfectiùs, quàm quando sunt duo oculi.

XXIII. Impotentes nec ad cohabitandum possunt contrahere. Dico Decimo tertiò: *Impotentes nec validè contrahunt Matrimonium, non quidem animo habendi copulam, sed castè vivendi.* Ita D. Bonaventura d. 34. a. 1. q. 1. ad 2. Doctor subtilis ibidem contra Basilium Ponce. Probatur Primò ex pluribus Canonibus in *titulo de frigid. & malefi.* præsertim verò *cap. Laudabilem. cap. Consultationi.* ubi absque ulla distinctione de impotentia cognita, vel ignorata, absque differentia ad actus conjugales, vel ad castè vivendum, absolutè dicitur fœminam, quando est impotens ad copulam, non posse haberi ùt uxorem, sed ùt sororem. Idem definit Sixtus V. in motu suo proprio suprà *Secundùm Canonicas sanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur,* ubi expressè dicit, Matrimonia impotentium non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali esse nulla, ergò.

Probatur Secundò: Quia Confœderatio (in qua Ponce salvat essentiam Matrimonii) animorum, non est verum Matrimonium, non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali: quia ratio Matrimonii primò, & per se respicit propagationem generis humani per copulam in ordine, ad quam debent conjuges sibi invicem tradere potestatem corporis sui, quam tradere nequeunt impotentes, licèt eam possint tradere ad rerum domesticarum obsequium, uti servi.

Probatur Tertiò: Ex multis absurdis, quæ sequuntur: Nam imprimis possent pariter tali intentione contrahere ipsi potentes, qui proindè habendo copulam, fornicarentur, utpotè ad quam non tradidissent invicem protestatem, cùm tamen planè repugnet esse verum Matrimonium, & copulam fornicationem, similiter accessus ad aliam personam liberam, non foret in tali casu adulterium. Insuper juxta talem modum Matrimonio ineundo, non obesset consanguinitas, uti non obesset obligationi invicem obsequendi & alendi, sed soli potestati ad copulam ejúsq; executioni. Denique inquiri posset, an Matrimonium sic initum esset verum Sacramentum, an dissolubile, an postea perfectibile modò ordinario, idque per novum contractum, an contrahibile cum pluribus, ad quæ & similia non posset sufficienter responderi. Sequerentur multa inconvenientia.

Arguitur in contra opponendo plures authoritates Pontificum & Canonum, nam Lucius III. *cap. Consultationi.* dicit: Viros habentes uxores impotentes ad copulam, detinendas tamen, *ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ùt sorores.*

forores. Item Gregorius III. *cap. Requisisti*, si non potest eâ *uti pro uxore, habeat ut sororem, quod si retinaculum conjugale voluerint rescindere, maneant utrique innupti.* Ubi clarè supponit Pontifex vinculum Matrimonii esse validum, quia rescindentes debent manere innupti. Denique Cœlestinus III. *cap. laudabilem.* determinat in casu impotentiæ, *si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem ut sororem habeat*, ergò. Respond. Negando consequen: quando enim in præallegatis textibus permittitur, ut impotentes possint post deprehensam impotentiam cohabitare tanquam frater & soror, sive in continentia, non supponunt Matrimonium esse validum, imò agunt in casu, quo tales contraxerunt modô consuetô ad vacandum actibus conjugalibus, ideóque concedunt experientiam triennalem copulæ, & ei, qui potens est, facultatem posteà contrahendi, *cap. autem Requisisti. Gregorii III.* 33. *q.* 1. loquitur solùm de retinaculo seu vinculo putativo præsumpto & apparenti.

XXIV. Triennium experientiæ quando impotentibus conceditur.

Dico Decimo quartò: *Quando post Matrimonium contractum & ratum signa evidentia, vel quasi evidentia adsunt impotentiam probantia, non est opus expectare triennium ad dissolutionem Matrimonii, benè tamen quando non constat, an temporanea sit vel perpetua impotentia, quo elapso Conjuges putati separari debent à thoro, & potens ad aliud Matrimonium transire potest.*

Probatur prima pars: Nam *cap.* 1. *titul. de frigid, & malefici.* in principio decernitur viro post mensem, aut trimestre, aut ab inito Matrimonio fatenti propriam frigiditatem, & uxore eandem affirmanti, si ea per verum indicium probari possit, dissolvi posse Matrimonium, & *cap. laudabilem.* eodem tituo deciditur esse expectandum triennium experientiæ, ubi reclamatio contra Matrimonium ante illud tempus facta rejicitur tanquam præmatura, sed isti textus contrarii ad se invicem melius concordari non possunt, quàm dicendo primum capitulum loqui de casu, quo adsunt signa evidentia omninò, posterius verò de casu, in quo non constat, an impotentia sit perpetua vel temporanea. Confirmatur, Quia dum evidentia impotentiæ adsunt, frustra expectatur eventus triennii, cujus nullus induceretur effectus, ex *cap. Contingat. de offic. deleg.*

Signa autem evidentia impotentiæ sunt, si virilia omninò sint amputata, vel arida, si vir jam propter frigiditatem ab alio Matrimonio sit separatus, si fœmina sit omninò arcta, &c.

Probatur secunda pars ex *cap. Laudabilem.* suprà, ubi Pontifex super frigiditate cujusdam consultus: *Quantum tempus indulgēdum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis*, respondet his verbis: *Nos verò in præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati connubii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.* Et hoc verum est, etiamsi uterque conjux affirmet, & amici juramento confirment, quia nec propria confessio, nec juramentum propinquorum evidentiam faciunt perpetuæ impotentiæ, ergò.

XXV. Matrimonium per errorem dissolutum, eò cognito est restaurandum.

Dico Decimo quintò: *Quando ob impotentiam probatam in separatione matrimonii facta error fuit commissus, vel detectus, eò quod potentes ad se invicem conjuges fuerint deprehensi, restaurandum est Matrimonium primum.* Probatur ex 33. *qu.* 1. *cap.* 1. & 2. atque ex *cap.* 1. & 5. *de frigid. & malefici.* ubi decernitur Matrimonium dissolutum ratione frigiditatis viri, instaurandum esse, si contingat eum virum ad alias nuptias transivisse, & consummâsse. Et *cap. Fraternitatis.* §. 2. ubi jubetur, Matrimonium restaurari propter arctitudinem fœminæ dissolutum, his verbis: *Sententiam divortii per errorem licèt probabilem, novimus esse prolatam, cùm pateat ex postfacto, quod cognoscibilis erat illi, cujus simili commisceture, & ideò inter ipsam & primum virum ditimus*

cimus Matrimonium extitisse, quare inter eam & præfatum Guidonem Matrimonium non esse censemus, eósque præcipimus ab invicem separari. Intellige hunc Canonem juxta dicta superius, & quando respectu omnium fuit judicata nimis arcta, aut quandò est omninò æqualis inter illos viros similitudo.

QUÆSTIO NONA.

De Impedimento Ligaminis.

MAleficium appellatur etiam aliquandò ligamen, vel ligatura, sed prout hîc de ea est sermo, est vinculum conjugale, quod ex Matrimonio priore ritè ac validè contracto impedit, nè posterius contrahi possit, atque contractum dirimat, & hoc non tantùm Jure Ecclesiastico ex *cap.* I. 3. *& ultimo. de sponsa duorum. & cap. Gaudemus. de divortiis*, sed etiam Jure Naturæ & Divino, quia, quod uni plenè & adæquatè traditum est, alteri amplius dari nequit, Præceptum autem Divinum esse Matrimonium prius irritare posterius, patet, Tum ex Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Tum ex tota Quæstione sexta superioris Disputationis, ad quam me remitto, & sic sufficiat hoc impedimentum hic esse insinuatum.

QUÆSTIO DECIMA.

De Impedimento defectûs testium, & præsentiæ Parochi.

ISTA duo Impedimenta accreverunt antiquis per Jus novum Tridentini Concilii, quod *Sess.* 24. *cap.* I. de Reformatione Matrimonii statuit, ut Matrimonia aliter contracta, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ejusdem Parochi, aut Ordinarii licentia, simul præsentibus duobus vel tribus testibus nulla sint, irrita, atque invalida, verùm, quia hæc solemnitas magis spectat ad ipsam essentiam contractûs matrimonialis, ideò quoque de isto egi, cùm agerem de Matrimonii solemnitate, quo me pariter revoco. Quare sit

QUÆSTIO UNDECIMA.

De Impedimento Voti Castitatis solemnis.

PRincipium & finis Resolutionum omnium difficultatum circa impedimentum voti emergentium meâ opinione dependet à notitia essentiæ & differentiæ inter votum solemne & simplex, circa quam diversificant Authores, nam aliqui dicunt solemnitatem, seu essentiam voti solemnis consistere in benedictione particulari & consecratione quâdam, quâ solemniter professi votum castitatis redduntur inhabiles ad opera carnis, sæculi, & Matrimonii: Alii dicunt, differentiam consistere solummodò in Ecclesiæ constitutione & ordinatione. Denique tertiò, aliqui docent, votum solemne actualiter consistere in traditione actuali plena & perfecta dominii sui ipsius in manus DEI, & Superiorum, locum DEI sustinentium, ita ut traditio sola non sufficiat. Quare I. *Resolutiò difficultatum circa impedimentum voti dependet à notitia essentiæ & differentiæ inter solemne & simplex votū.*

Notandum Primò: Non ex natura rei præcisè, sed ex ordinatione Ecclesiastica statum Religiosum habere annexa tria vota, Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, ùt docetur *cap. Placuit.* 16. *q.* I. *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut Monachorum conversatio & vita secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet, Monachus enim græcè latinè singularis dicitur*, id est, ùt omnia relinquat, & mundo & carni moriatur, quia, ùt *cap. Placuit.* loquitur: *Mundo mortuus est, DEO autem vivit.* II. *Monachi definitio.*

Notandum Secundò: Votum solemne debere emitti in Religione ab Apostolica Sede approbata, ùt benè docet Glossa Clementinæ. *Cùm ex eo, v. Tertiò. de sentent. Excomm. & cap. final. de Religiosis domi. & cap. Unico. eodem titulo. in* 6. quare licèt III. *Votum solemne debet in Religione approbata emitti.*

Religionum Sanctorum Benedicti, Basilii & Augustini non habeantur Confirmationes in Bullario, indubitatum tamen esse debet, eas vel vivæ vocis oraculo, vel beneplacito & ratihabitione Pontificum confirmatas fuisse. His prænotatis

IV. Votum solemne & simplex quid sint.

Dico Primò: *Votum solemne Castitatis est, quod emittitur in professione alicujus Religionis approbatæ, vel in susceptione Ordinum Majorum, simplex verò quod fit ad cujusque libitum.* Hæc de se patet, sed est alia difficultas, an ista duo vota essentialiter, & ab intrinseco differant. Circa quod

V. Differentia inter votũ simplex & solemne.

Dico Secundò: ***Votum solemne Castitatis à simplici non differt per se & essentialiter ex natura & substantia voti, Jure Divino & ab intrinseco, sed solummodò ex Ecclesiæ Constitutione & Decreto, quod solemne dirimat Matrimonium, non verò simplex.*** Ita Doctor Subtilis in 4. d. 38. qu. un. & Scotistæ communiter. Probatur Conclusio ex *cap. Unico. de Voto. in 6.* his verbis: ***Voti solemnibus ex sola Ecclesiæ institutione est inventa.*** Item ex *cap. Meminimus. cap. Rursus. cap. Insinuante. Qui Clerici vel Voventes.* & Ratio constituendi hanc solemnitatem seu voto superaddendi fuit frequens excessus voventium, qui non obstantibus gravissimis pœnis, quæ habentur per aliquot Canones relatos. *dist. 27. q. 1.* & de sacris Ordinibus in *dist. 27. 28. & 31.* contrahebant post castitatis votum; Ecclesia tandem resolvit ad tollendam utriusque Matrimonii spem, constituit ut Matrimonium postmodum contractum irritum sit, & nullum. Hinc

Probatur Secundò: Quia posset Ecclesia constituere, ut Vota in Religionibus approbatis emissa desinerent esse solemnia, & Matrimonium non dirimerent, sicut de facto non dirimit contracta post votum simplex, & econtra posset Ecclesia statuere, ut votum quodcunque castitatis emissum coram tribus testibus, vel alia cæremonia publica esset solemne.

Probatur Tertiò: Quia Ecclesia statuit, ut quædam vota simplicia Castitatis dirimerent, & quædam non, ergò tota solemnitas & impedimenti ratio pendet à statuto Ecclesiæ. Probatur antec: Nam vota simplicia in Societate JESU emissa dirimunt Matrimonium, ùt determinat Gregorius XIII. in Bulla: ***Ascendente Domino.*** edita 1584. dicens: *Statuimus atque decernimus tria vota hujusmodi, etsi simplicia, ex hujus Sedis Institutione, ac nostra etiam Declaratione, Confirmatione, esse verè substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tanquam in Religione approbata, per Sedem eandem admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti.* Ex altera verò parte Fœminæ quædam dictæ Beatæ Ordinis tum S. Dominici, tum S. Francisci in congregatione viventes, licèt emittant vota Castitatis in manibus Superiorum, quibus se subdunt, nihilominus tamen non sunt solemnia, quia Ecclesia non acceptat ùt talia, ergò. VI.

Probatur Quartò à pari: Quia Testamentum solemne, Jusjurandum solemne, & Matrimonium non differunt à Testamento simplici, nec à simplici juramento Jure Divino, & ex naturâ Juramenti, aut Testamenti, sed solummodò ex Ecclesiæ Constitutione, quòd sub certis formulis & cæremoniis fiant, ergò à paritate nec votum solemne à simplici aliter differt.

Probatur Quintò: Ex refutatione fundamenti principalioris oppositæ sententiæ tertiæ, nempè perfectæ traditionis: Quia homo tàm perfectè tradit dominium corporis sui per votum simplex, ac per votum solemne, ac æquè benè DEUS acceptat tanquam rem sibi gratissimam, ergò Traditio perfecta non est ratio, cur votum simplex minus dirimat, quàm solemne. Probatur anteced: Quia materia est eadem, forma eadem, causa eadem, intentio, objectum & subjectum idem, ergò. Confirmatur: Quia in natura non differunt votum pro præsenti VII.

& pro

& pro futuro, & tamen unum dirimit alterum non, ergò causa dirimens non est ex rei natura; Probatur antec: Quia, si quis dicat, voveo castitatem in Religione Fratrum Minorum, & alter, voveo me ingressurum & professurum Religionem Fratrum Minorum, uterque vovet, & quidem eandem rem, unus de præsenti, alter de futuro, & tamen unius votum dirimit Matrimonium, alterius non, ergò hoc solùm provenit à statuto & Constitutione Ecclesiæ. Confirmatur Secundò: Quia traditio corporis sui DEO ad abstinendum ab omni actu venereo aliàs licito, habet rationem generis ad votum solemne & simplex, sed distinctiones specierum rerum non desumuntur à genere, sed à differentiis contrahentibus, quæ in proposito aliæ non possunt assignari, nisi quòd Ecclesia sic ordinaverit, & unum acceptaverit tanquam solemne, & alterum non, ergò.

VIII. Votum castitatis dirimit Matrimoniū. Dico Tertiò: *Votum Castitatis emissum in professione valida Religionis approbatæ dirimit Matrimonium, etiam consummatum contractum post ipsam Professionem, idque jure Ecclesiastico.* Quoad primam partem est hæc veritas de Fide in *Concilio Toletano I. cap.* 16. *Tolesano IV. Can.* 51. *Turonensi Can.* 16. *& Innocentio I. epist.* 2. *cap.* 12. Gelasio I. *epist.* 1. *cap.* 22. *&* 23. Gregorio I. Alexandro III. & refertur *cap. Meminimus, qui Clerici vel Voventes.* Innocentio III. & refertur *cap. finali. eodem titulo.* & novissimè ex Tridentino *Sess.* 24. *Can.* 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus vel Regulares.* vide Canonem plenè suprà in principio tractatûs. Idem dicendum est de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis Jesu peractô biennio, ùt patet ex motu proprio Gregorii XIII.

Probatur quoad secundam partem: Quia de Jure Ecclesiastico constat, de Jure autem Divino ex nullo capite probatur, ergò. Confirmatur Primò: Quia votum solemne non dirimit Jure naturæ aut Divino in quantum est votum, cum votum simplex non minus obliget apud DEUM, quàm solemne, ùt tradit Cœlestinus III. *cap. Rursus. qui Clerici vel Voventes*, & tamen votum simplex non dirimit: Solemnitas voti est quoque introducta ab Ecclesia juxta dicta in superiore Quæstione. Non irritat etiam in quantum est traditio facta Religioni, & hæc per solemnem professionem acquirit dominium aliquod in Religiosos, nam etiam per vota simplicia Societatis JESU fit hæc traditio, quæ solo Jure Ecclesiastico irritat Matrimonium; Deindè dominium illud non repugnat dominio, quod acquiritur per contractum Matrimonii, quod patet, dum conjuges post Matrimonium consummatum mutuo consensu profitentur, & à paritate, dum servus cum serva retinente dominium domino. Confirmatur Secundò: Quia vinculum Matrimoniale stat cum professione religiosa, quæ emittitur postea, quidni ergò quantum est ex jure naturæ stare posset professio cum postea ineundo matrimonio. Sed solùm Jure Ecclesiastico.

Dico Quartò: *Votum Castitatis in Professione valida Religionis approbatæ subsequens Matrimonium ratum, dirimit illud etiam quoad vinculum.* Hæc definita est in Concilio Tridentino suprà *Sess.* 24. *cap.* 4. & Alexandro III. & ab aliis Pontificibus, & hoc ex privilegio Christi Domini, ut dictum est supra. IX. Votum castitatis dirimit Matrimonium ratum.

Dico Quintò: *Votum Castitatis subsequens Matrimonium consummatum non dirimit istud quoad vinculum, nec quoad thorum.* Ita definitum est *cap. Si quis conjugatus.* 27. *qu.* 2. fundatúrque in Scriptura Matth. 19. *Si quis dimiserit uxorem.* Et Ratio est, Quia talis non habet potestatem corporis sui, sed mulier &c. ùt patebit ex Conclusione sequenti. X. Non consummatum.

Dico Sextò: *Unus conjugum post Matrimonium consummatum validè professionem emittit, si alter Conjugum consentiat, atq; etiam vel Religionem ingrediatur, vel in sæculo votum continentiæ de licentia Episcopi emittat: invalidè autem, si fiat altero conjuge* XI. Post Matrimonium consumatum possūt conjuges votum solemne emittere altero consentiente.

juge insciente, vel non consentiente, vel consentiente per dolum, metum, vel dissimulante, exceptâ causâ perpetui divortii. Probatur prima pars ex *cap. Cùm sis. de conversat. conjug.* ubi de ingressu viri in Religionem dicitur: *Prohibentes ne virum vel uxorem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verùm si ita uxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poterit, ut ea in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem.* Et *cap. ad Apostolicam. eodem tit.* sic habetur: *Non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere.* Et juxta horum textuum distinctionem debet intelligi caput primum ejusdem tituli, ubi decernitur, virum à Religione esse revocandum, nisi uxor ad Religionem transierit, aut continentiam in sæculo voverit, ita ut simpliciter & semper non sufficiat alterutrum, sed cùm remanens est juvenis, etiam Religionem debet ingredi, si vero sit senex, potest in sæculo continentiam vovere. Similia habent *cap. Uxoratus. eodem tit. & cap. Agathosa. 27. qu. 2. & cap. Qui uxorem. 33. quæ. 5.* Quòd autem licentia Episcopi requiratur, habetur *cap. Si vir & uxor. 27. qu. 2.* ubi dicitur: *Si vir & uxor divertere, pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat,* quod non quidem requiritur ad voti valorem, nec tanquam ex obligatorio præcepto, sed ex congruentia, honestate, & pro benedictione.

XII.

XIII. Invalidè altero nesciente.

Probatur secunda pars de altero nesciente, ex *cap. Placet. de convers. conjug.* ubi de muliere, quæ virum defunctum credens professa, & postmodum à viro revocata fuit, dicitur: *Respondemus, quòd licèt votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius. Redire verò ad sæculum, non erat in potestate ejus, sed in potestate mariti, & ideò quantum ad ipsam tenuit votum, consultiùs itaque dicimus, & congruentius ad salutem, ut ad monasterium redeat, si verò ad hoc induci non potuerit, ipsam invitam credimus non cogendam.* Ex quo capite plura deduci possunt documenta. Primò enim sequitur, illud votum sic emissum non habere rationem voti solemnis, cùm ratione illius non teneatur in Religione manere, quia dominium & potestatem sui corporis non habuit, quod potuisset ad Religionem transferre; sed vir, & non esse cogendam, ut viro defuncto ad monasterium redeat. Secundò sequitur, illud votum inscio marito ab uxore in Religione emissum, saltem habere rationem voti simplicis, & obligâsse illam, quantum in se erat, atque ad maritum regressa debitum petere non potuit. Tertiò: Conjugem, sine cujus scitu facta fuit professio, posse professum revocare ad thorum, & ad sæculum, quia nequivit invitus suo jure privari.

XIV. Vel contradicente.

Probatur tertia pars de contradicente, ex *cap. Quidem. eodem tit.* ubi agitur de viro professo contradicente uxore, & ad ejus instantiam revocato ad sæculum, his verbis: *Respondemus, quòd votum non tenuit, unde ratione voti ad monasterium non tenetur redire, ulterius verò non poterit uxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit.* Ubi iterum duo inferuntur: Primò, propter votum non teneri redire ad Monasterium defuncto conjuge, & absque peccato mortali non posse transire ad secundas nuptias; quòd si tamen contraheret, validum foret Matrimonium, sed non licitum. Confirmatur hæc eadem pars ex D. Augustino in epist. 45. & refertur *cap. Una sola. 33. qu. 5.* ubi sic habetur: *Nam & vovenda talia non sunt à conjugatis, nisi & consen-*

consensu & voluntate communi, & si præposterè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persolvenda promissio.

XV. Vel consentiente per dolum & metum.

Probatur quarta pars de consentiente per dolum & metum, supple, gravem & cadentem in virum constantem: de dolo quidem habetur *cap. Veniens. de conversat. conjug.* ubi mulieri conceditur revocatio viri, qui dolo licentiam extorserat, nisi fuisset fornicata, sic: *Super revocatione ipsius non est aliqualiter audienda, cum ipsius intentio exceptione possit commissæ fornicationis elidi, maximè cùm antequam fuerit fornicata, ipsum non duxerit repetendum.* De metu verò habetur *cap. accedens. eodem tit.* ubi proponitur casus de uxore, quæ metu gravi coacta ingressa est Religionem, habitu non assumpto, nec voto emisso, ut ibi moraretur, & vir professus est Religionem, posteaque eam deserens, repetitus est ab uxore, ut jubetur ut illi restituatur. Ex quibus infertur, non ex solo Judicis officio debere nulliter professum restitui, sed ad instantiam innocentis id petentis.

XVI. Etiam dissimulante.

Infertur etiam probatio quintæ partis de dissimulante, quia ad validam professionem licentia vera requiritur, dissimulatio autem nulla est licentia, unde potest ingressum ad Religionem repetere, si tamen tantum temporis præterlaberetur, quòd in sæculo remanens jure censeri possit consentire per taciturnitatem suam, aut si desuper conjux moreretur, tunc videtur mihi professionem omninò valituram, & de hoc casu loquitur *caput Consuluit. eodem titulo*, ubi dicitur: *Respondemus, quòd prædictus vir nec habitum possit abjicere, quem assumpsit, neque aliquam sibi Matrimonio copulare, quòd si contraxerit Matrimonium, decernimus dirimendum.*

XVII. Nisi in causa divortii perpetui.

Probatur ultima pars de casu perpetui divortii, ex *cap. Veniens.* suprà, ubi de viro, qui cum licentia metu extorta professo, cujus uxor postmodum fornicata fuit, sic decitur: *Mandamus, quatenus si ita est prædictum Laurentium in Monasterio, quod intravit, perseverare liberè permittatis*, atque adeò professio erit valida, si adulterium anteillam emissam fuerit cognitum, non tamen si adulterium fuit secutum professionem, sed si profitens voluerit perseverare, ratihabere eam debet, & si vellet remanenti adulterium condonare, posset ab illa repeti, & exire deberet, cùm professio ex defectu licentiæ fuerit nulla. Pro fine

XVIII. Religiosi, Clerici & consanguinei incurrunt Excômunicationem.

Dico Septimò: *Religiosi post votum solemne in Religione approbata emissum contrahentes Matrimonium, incurrunt excommunicationem, idem dicendum est de constitutis in sacro Ordine aliquo, ac de incestuosis.* Hæc constat ex *Clementina unica de Consanguinitat.* ubi excommunicatio ista fulminatur his verbis: *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis constitutione Canonicâ interdictis, aut cum Monialibus matrimonialiter contrahere non verentur, nec non Moniales & Religiosos & Clericos in sacris Ordinibus constitutos Matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententia ipsò factò decernimus subjacere.* In qua fulminatione tria personarum genera comprehenduntur, nempe Consanguinei, Religiosi & Moniales, ac Clerici in sacris Ordinibus constituti.

QUÆSTIO DUODECIMA,

De Impedimento Ordinis.

I. Continentia est sacris Ordinibus annexa.

AFfines sibi sunt Quæstiones istæ, & una ex alterius intelligentia dependet, quare Voto subnecto Ordines, & impedimentum ex iis consurgens. Itaque suppono tanquam certum continentiam esse annexam Ordinibus sacris sic, quòd spontè eos suscipientes teneantur imposterum abstinere non solùm à conjugio, sed etiam ab omni actu venereo, ùt definitum est *cap. Rursus. qui Clerici vel Vovent. cap. 2. de Cleric. Conjug. Clement. unica. de*

consangui: & pluribus aliis textibus, ac novissimè à Tridentino *Sess.* 24. *can.* 9. quem vide suprà. Et hoc esse non ex jure naturali vel Divino, sed Ecclesiastico docui cum communi supra, unde Tridentinum id clarè insinuat *can.* 9. dicens: *Non obstante lege Ecclesiastica*, & Calixtus I. *cap. Presbyter. d.* 27. vocat Ecclesiasticam, *Contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis disjungi juxta sacrorum canonum definitiones judicamus*, ubi solos allegat sacros canones, non verò aliquod jus naturale vel Divinum.

II. An continentiam voveant ordinati sive explicitè sive implicitè.

Sed difficultas est, an hæc obobligatio sit annexa sacris Ordinibus mediante aliquo voto ipsorummet ordinatorum sive explicitum, sive sit implicitum, expressum vel tacitum, sicut datur implicita professio, qualem præstant RR. Canonici Regulares, qui in solemni sua professione nullam faciunt castitatis mentionem, An verò obligatio ista immediatè & directè proficiscatur ex præcepto Ecclesiæ affigentis eam sacris Ordinibus inseparabiliter sicut affigit præceptum de recitando Divino officio, & consequenter inhabilitet & illegitimet personas hujusmodi ad contrahendum Matrimonium. Et communiter quidem existimatur, hanc obligationem esse affixam Ordinibus per modum voti, nec est sententia improbabilis, nihilominus in Schola Scoti.

III. Continentia est ordinibus ex præcepto Ecclesiæ annexa.

Dico Primò. *Obligatio continentiæ sacris Ordinibus annexa oritur immediatè & directè ex præcepto Ecclesiæ obstringentis ordinatam ad eam observandam sine alio voto.* Ita Doctor subtilis *in* 4. *d.* 37. *q. un.* §. *dico igitur.* Probatur conclusio, Quia in pluribus canonibus & decretis invenitur hæc obligatio simpliter & absolutè per modum præcepti nec ullibi injungitur Clericis, ut ordinati faciant votum aliquod ad observandam continentiam, ergo non est annexa aliter quàm per modum præcepti, hinc passim hæc obligatio vocatur à Doctoribus *Lex continentiæ*, & *præceptum continentiæ*, Confirmatur: Tum, Quià in ipsa Ordinatione nulla fit voti mentio, sed subdiacono tantummodo insinuatur continentiæ obligatio, quod tantùm habet rationem præcepti: Tum, Quia in Ordinatione posset quis habere intentionem non vovendi castitatem, imò etiam non observandi illam, & tamen talis adhuc obligaretur, sed non ratione voti, quia illud emittere non voluit, ergo tantùm ratione præcepti.

Et hoc dicendo facilius salvantur dispensationes Pontificum cum initiatis sacris Ordinibus, quia continentia non est annexa jure Divino, nec per votum, sed solummodò per præceptum Ecclesiæ, ideóque Ecclesia habita causa rationabili dispensare potest, imò etiam validissimè faceret, si non haberet prægnantem causam.

Dices. *Cap. Diaconi. d.* 28. dicitur, *Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam.* Item *cap. cùm olim. de Cleric. conjug. Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit*, ergo supponit Ecclesiam Occidentalem tale votum admisisse, & iterum *cap.* 1. *d.* 28. sic præcipitur: *Nullum facere Diaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit*, id est, voverit, ergo canones omnes clamant Ordinibus esse annexum votum continentiæ. Respond. negando conseq. quia in illis, & omnibus aliis canonibus, quando lex continentiæ vocatur votum, per votum nihil aliud intelligitur quàm ipsa lex, præceptum, & obligatio ab Ecclesia injuncta, quæ tali ratione votum implicitum, vel tacitum, vel æquivalens appellari potest, quòd imposita sit ob majorem DEI cultum, reverentiam sacrorum mysteriorum, &c. quæ obligatio in ordinatione spontè & liberè acceptatur perinde, ac si voveret.

Dices Secundò. Si non esset particulare aliquod votum Clericus ordinatus in peccatum carnis lapsus, non incurreret aliam malitiæ speciem quàm

em quàm laici, quia præceptum solum novum in eadem materia super additum non causat speciem malitiæ v. g. Sacrilegii. Respond. negando sequelam. Quia Clericus fornicans peccat non solùm contra castitatem, sed etiam contra Religionem ob reverentiam Divini mysterii, & sacri Ordinis, atque adeo duplicem habet specie malitiam, quare si Ordinatus & professus simul laberetur in peccatum carnis duplicem sacrilegii speciem contraheret in rigore loquendo, & probabiliter esset in confessione exprimenda.

IV. Primo Tõsura & minores Ordines nõ impediunt Matrimonium. Dico Secundò. *Nec Tonsura nec minores Ordines dirimunt, vel impediunt Matrimonium subsequens.* Hæc est certa. & Probatur, Quia nullus textus invenitur in jure canonico, ubi prohiberetur, imò id expressè conceditur *cap. si quis eorum. d.* 32. & *cap. si qui verò. eadem dist.* & *cap.* 1. *de Cleric. conjug.* Et ratio est, quia Ordo ex sua natura non repugnat cum Matrimonio, sed est omnino compatibilis, ùt patet ex Ecclesia græca, & ex natura rei, licèt enim in susceptione Ordinum fiat aliqualis DEO traditio, est tamen distincta à traditione corporis ad Matrimonialem obligationem, ergo cùm non sit aliquod præceptum de continentia servanda, vel de non contrahendo Matrimonio in minoribus constitutis, dicendum est Ordines istos minores nec dirimere, nec impedire Matrimonium.

V. Majores dirimunt Matrimoniũ. Dico Tertiò. *Sacri Ordines Majores validè ac liberè suscepti dirimunt subsequens Matrimonium non tamen jure Divino, sed tantùm Ecclesiastico.* Hæc est definita de fide in Concil. Trident. *Sess.* 24. *can.* 9. quem licèt supra præmissus sit, commoditatis gratiâ hìc adduco, & sic sonat: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos* (hoc pertinet ad præcedentem quæstionem) *posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica vel voto, anathema sit:* ubi pulchrè Concilium distinguit, Clericos in Ordinibus sacris constitutos, & Regulares solemniter professos, dicens ad primos *non obstante lege Ecclesiastica*, quasi isti solummodò sint per talem legem adstricti ad continentiam, non verò per votum, pro Regularibus verò addit particulam *vel voto*, quod valet notare pro confirmatione primæ conclusionis. Et idem definitum est à pluribus Pontificibus ut Innocentio II. refertur *cap. ut Lex.* 27. *q.* 1. Nicolao & Alexandro II. referuntur decreta eorum *cap. Nullus Missam* & *cap. Præter hoc. d.* 32. Joan. XXII. in sua *Extrav. Antiquæ.* Item in sexta Synodo refertur *cap. Si quis eorum.* 32. & aliis Canonibus, ex quibus pro illuminatione solùm adduco *cap.* 1. & 2. *Qui Clerici vel voventes. cap. unico de voto in* 6.

Probatur secunda pars. Quia de nullo jure naturali vel Divino constat, ergò erit tantùm Ecclesiasticum, quod Tridentinum satis insinuat mox citatum, particulâ illâ *non obstante Lege Ecclesiastica.* Doctor subtilis ait, maximam fuisse congruentiam ad hoc statuendum, quia tales deputantur ministerio sacro, quod munditiam requirit mentis & carnis, perspicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs, ad quæ omnia disponit continentia, & impedit incontinentia, præclarè proindè dixit Doctor Gentium: *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* 2. *Timoth.* 2.

Dixi in Conclusione *validè suscepti*, quia si invalidè susciperentur v. g. ab aliquo, qui non fuisset Episcopus, aut aliàs essentialem defectum commisisset, aut ipse Ordinatus non habuisset intentionem suscipiendi, talis validè contraheret Matrimonium, nec ad castitatem particulariter obligaretur, quia non subsistente principali supposito, non subsistit quoque præceptum illi affixum, non entis enim nullæ sunt obligationes. VI. Validè suscepti debent esse.

Dixi etiam *ac liberè*. Quare, si quis vi ac metu gravi compelleretur ad Ordinum susceptionem, non obli- VII. Et liberè suscepti.

obligaretur ad castitatem, quia continentia est sacris Ordinibus ab Ecclesia annexa iis, qui spontè eos volunt suscipere, & se dedicare pro servitio DEI, qui sicut magna sortiuntur privilegia, & commoda, ita conveniens est, ut sentiant etiam continentiæ onera, invitis ergo non debet jugum hoc imponi. Idem dicendum est de iis, quibus ante usum rationis collati fuerunt Ordines sacri, cùm in illis vel nulla fuerit voluntas, vel non omnino libera. Similiter censendum puto de illis, qui ante annos pubertatis Ordines susceperunt, nisi post annos pubertatis ratificent susceptionem, nam tales ante annos pubertatis non tenentur ad observantiam voti castitatis in Religione aliqua emissum ex *cap.* 1. & *cap. illud.* 20. *q.* 1. & *cap. ad nostram de Regularibus*, ergo à pari currunt Ordo, & Votum in ratione impedimenti.

VIII. Matrimoniū non dirimitur per subsequentes Ordines sacros.

Dico Quartò. *Matrimonium antea contractum sive sit ratum sive consummatum non dirimitur per subsequentem susceptionem sacrorum Ordinum.* Ita communis, & habet Bonacinna, & Probatur Primò. ex Extravaganti: *Antiquæ.* Joann. XXII. de voto, qui id definivit, atque subdit, Si maritus ante Matrimonii consummationem sacrum Ordinem suscipiat absque conjugis licentia, & non sicut sacris canonibus definitum est, irregularem fieri, atque monendum non verò cogendum, ut Religionem profiteatur, si nolit, uxori repetenti restituendum esse Matrimonium cum ea consummet reddendo debitum, sed non exigendo, sicut Glossa notat verbo *consummare*.

Probatur Secundò. Tum, Quia nullo jure canonico invenitur Matrimonium ante contractum per subsequentem Ordinum sacrorum susceptionem irritari, sicut invenitur de voto castitatis solemnis: Tum, Quia hæc est differentia inter sacros Ordines & votum solemne, quod votum dissolvat Matrimonium tam subsequens, quàm etiam antecedens, etiam quoad vinculum, dummodo antecedenter contractum non fuerit consummatum, non verò sic dissolvunt Ordines, sed tantum subsequens, ùt paulo ante est dictum. Quare autem Ecclesia voluerit ordinare, ut votum solemne castitatis dirimat Matrimonium ratum etiam antecedenter contractum, fundamentalis ratio est, Privilegium per ipsum Christum ad Ecclesiam derivatam; Congruentia verò esse potest, quia per professionem censetur fieri perfectissima traditio sui ipsius ad DEI servitium, & fit reciproca obligatio cum Religione, ideóque dicitur mors quædam spiritualis, nova regeneratio, novúmque ac spirituale Matrimonium, cui proinde de jure cedere debet alterum secundùm carnem initum; Per susceptionem autem sacrorum Ordinum non fit tam perfecta sui ipsius traditio.

IX. Conjugatus non potest sacros Ordines suscipere absque uxoris licentia.

Dico Quintò. *Matrimonio sive rato sive consummato copulatus non potest sacros Ordines suscipere sine expressa & spontanea uxoris licentia.* Probatur ex *cap. conjugatus. de convers. Conjug.* ubi id expresè definitum est his verbis: *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente, fuerit absolutus.* Et Extrav. supra citata, ubi Joan. XXII. sic loquitur: *Districtius inhibentes, ne quisquam durante Matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris canonibus noverit convenire*, nempe petita uxoris licentia, & voto castitatis ab illa emisso, nisi uxor adulteretur, tunc enim etiam ipsâ invitâ Ordines sacros suscipere potest, ut dictum est in superiori quæstione.

Adde conjugatum nec ad primam tonsuram, & quatuor minores promoveri posse sine consensu uxoris, ita enim habetur *cap. final. de tempo. ordinandorum in 6. Nullus Episcopus vel quivis alius clericalem præsumat conferre tonsuram conjugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad sacros Ordines promoveri, prout est sacris canonibus definitum*, subin-

subintellige iterum licentiam & votum uxoris.

Cum licentia autem uxoris suscipientes Ordines sacros amplius non possunt petere nec reddere debitum, nam ipse per Ordines obligatur ad abstinendum ab omni actu venereo, & mulier exigere ab illo non potest, quia spontè se jure suo privavit, & votum Castitatis emittere debet, vel Religionem ingredi.

X. Conjugatus potest etiam fieri Episcopus.

Dico Sextò: *Conjugatus potest etiam ad Episcopatum & Cardinalatum promoveri de consensu uxoris, ipsa tamen debet Religionem ingredi, etsi esset vetula.* Probatur ex *cap. Sane. de Convers. Conjug.* ubi hoc deciditur: *Prohibemus, nè Uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam Sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem ac vitam assumat.* Et ratio est propter Episcopalis dignitatis eminentiam, nè Episcopalis domus à fœminis visitetur.

XI. Clerici cōtrahentes Matrimonium, privantur beneficiis.

Dico Septimò: *Tam Clericus in Minoribus constitutus validè, quàm in Sacris existens, invalidè contrahens Matrimonium ipso jure & facto amittit omnia beneficia.* Ita Doctores plurimi apud Sanchetz. Probatur prima pars: Quia amplectitur statum incompossibilem cum beneficio, ùt ex probatione secundæ partis videbitur, adeóque absque sententia Judicis statim perdet illa, nam hæc amissio non est in pœnam delicti, ut sententia Judicis requireretur, quare, cùm spontè statum illum amplectatur, spontaneè videtur renuntiare, & repudiare, *Contrariò enim factò juri proprio ceditur. L. 1. C. de furtis. L. quod in hærede. 9. §. Eligere. ff. de Tribunaria actione.*

Probatur secunda pars ex *cap. Quanto. de translat. Episcop.* ubi deciditur, Episcopum ad aliam Ecclesiam se transferentem carere habita & ambita: Tum, Quia Clerici conjugati sunt incapaces beneficiorum universaliter, ùt constat ex *cap. 2. de Clericis conjugatis.* ubi dicitur: *Providens attentiùs, nè deinceps Clericus conjugatus ad beneficia Ecclesiastica, aut sacros Ordines, vel administrationes Ecclesiasticas admittatur.* Tertiò: Ex *cap. Eum, qui de præbendis. in 6. cap. Relatum. de Cleric. non Resid. & cap. Cum singula. de præbendis. in 6.* decidentes per secundi beneficii adeptionem, si curatum sit vacare primum curatum, ipso jure procedere, etiamsi adeptio secundi sit irrita, ac redditur ratio his verbis: *Non enim decet, ut stultus, melioris, quàm peritus sit conditionis, vel quod invasor eo, qui justè ingreditur, privilegio gaudeat potiori.* Sed in casu Conclusionis militat prorsus ratio utriusque textûs, si enim justè iniens Matrimonium amittit eo ipso beneficia, à fortiori amittet Clericus, qui injustè iniit, qualis est in Sacris constitutus.

Dico Octavò: *Clericus in Minoribus constitutus contrahens Matrimonium, perdit privilegia clericalia, præter fori & canonis, si tamen requisitas conditiones observet.* XII. Clericus in Minoribus contrahens amittit etiam omnia privilegia clericalia duobus exceptis.

Probatur Primò ex *cap. Joannes. de Clerico conjugato. Quoniam igitur ipse etiam tonsuratus non potest privilegio clericali gaudere*, id est, præter fori & canonis: Tum, Quia propter assumptum contrarium statum dignum est, ùt privilegia amittat, nec sententia Judicis requiritur, cùm in isto transitu nullum sit delictum.

Probatur secunda pars ex *cap. Unico. de Cleric. conjugat. in 6.* ubi conceditur, Clericum in Minoribus constitutum ineuntem Matrimonium gaudere posse privilegio Canonis, *Can. Si quis suadente. 17. q. 4.* propter violentas manuum injectiones: & fori, ut non pertineat ad Judicem sæcularem in causis criminalibus, sive criminaliter sive civiliter agatur, ex *cap. 2. de foro compet.* atque subjungit: *In cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio clericali.* & petitur ibi duplex conditio: Prima. ut unicam tantùm uxorem & virginem duxerit, Secunda, ut tonsuram & ve-

stes clericales deferat, quòd si utramque conditionem non observet, non hisce privilegiis gaudere potest.

Pro fine nota, Clericos in sacris Ordinibus constitutos contrahentes Matrimonium incurrere excommunicationem, ex *Clement. Unica. de Consang.* & irregularitatem ex *cap. Quotquot. 27. q. 1.*

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Impedimento Cognationis carnalis.

I. Cognatio carnalis describitur.

NOtandum Primò: Cognationem, si nomen spectes, esse quasi connationem, id est, plurium ex eodem genere communem nativitatem, sicut etiam consanguinitatem, quasi communem sanguinis unitatem, hinc cognati vocantur, qui ab eodem propagati vel orti sunt sanguine. *L. Non facilè. ff. de Gradibus.* quamvis aliqui distingvant inter agnatos & cognatos, ut agnati qui paterna origine invicem conjuncti sunt, cognati verò dicantur respectu maternæ originis, *L. Juris-Consultus. ff. citato.* Quoad rem autem aliqui definiunt Cognationem carnalem *Attinentiam personarum ex eo provenientem, quia una descendit ab altera, vel ambæ ab eadem.* Verùm Scotus noster in 4. d. 40. q. un. cum comuni Decretistarum definit: *Esse vinculum personarum ab eadem persona descendentium carnali propagatione contractum.* Dicitur *vinculum*, eò quòd Consanguinei majori affectu & vicissitudine inter se conjungantur, & sibi invicem devinciantur amicitiâ ex sanguinis comunicati ratione, nam amicitia fundatur in bonorum comunicatione, undè vinculum dicitur, vel quia sanguis est causa vel effectus amicitiæ. Dicitur *personarum*, non brutorum animantium, quia ex Aristotele 8. Ethicorum cap. 11. homines, non bruta, sunt capaces veræ amicitiæ & amoris. Dicitur *ab eadem persona*, quæ alioquin à Canonistis dicitur *Stipes*, Persona autem illa debet esse *stipes proximus*, ut virtus ejus in descendentibus perseveret, & secundùm similitudinem individualem, juxta mores, complexionem, & effigiem, non remotus, alioquin, quia omnes descendimus ab Adamo, omnes essemus Consanguinei, cùm in omnibus perseveret virtus Adami, secundùm similitudinem specificam, non tamen secundùm individualem, nam quo remotior quis est, eò magis similitudo individualis debilitatur, & tandem deficit. Dicitur *carnali propagatione contractum*, quia Consanguinitas non oritur ex quacunque dependentia, sed per carnalem propagationem, alioquin Angeli essent Consanguinei DEI, quia ab ipso creati sunt, Eva Consanguinea Adami primi, quia de ejus costa formata est; est tamen Adam secundus Consanguineus Evæ Virginis, Christus Mariæ, quia ùt D. Thomas & Scotus docent, Beatissima Mater omnia subministravit in generatione CHRISTI, quæ aliæ Matres subministrare solent, purissimum scilicet suum sanguinem naturalem.

Notandum Secundò: Personalem Consanguinitatis radicem dici stipitem, translatâ metaphorâ ab arborum truncis, qui stipites dicuntur, ex quibus nascuntur rami flores, fructus, ac nova generationum semina, hinc Canonistæ ad explicandam Consanguinitatem plurium hominum solent efformare arborem quandam, quam per lineas, & gradus, seu per scalas & cellulas diversimodè distingvunt, ut oculari inspectione facilius tota hominum collectio per phantasiam ad intellectum transmittatur, ùt colligi potest ex *§. final. ff. de grad. cognat.* & apud Ostiensem in sua Summa. Quam ut semper inspicere possis, & in explicatione ulteriori penitiùs penetrare, subjicio eandem arborem, sub litera A. II. Arbor Consanguinitatis unde dicatur.

Notandum Tertiò: Consanguinitatis arborem esse duplicem Canoni III. Arbor Consanguinita-

...tis est duplex. nonicam & Civilem: Canonica utitur suis lineis & gradibus præcisè quoad Matrimonia contrahenda, ùt patet ex *cap. ad Sedem*, *quod est Alexandri II.* 35. *qu.* 5. Civilis verò gradus suos facit in Ordine ad tutelas & successiones in hæreditate defuncti, quæ proximioribus gradibus deferri solet. Deindè in arbore civili singulæ personę, excepto stipite, singulos cōstituunt gradus, sed in Canonica duæ semper personæ lineæ æqualis pro uno gradu reputantur, ratio diversitatis assignatur in dicto *cap. ad sedem.* Intellige quoad lineam collateralem, nam quoad lineam ascendentium & descendentium in computatione graduum non differunt, ùt hæc ipsa figura demonstrat, quæ utramque complectitur simul.

IV. Linea quid sit. Notandum Quartò: *Lineam* aliud non esse, quàm collectionem personarum ab eodem stipite descendentium, quæ gradus contineat & numeros discernat. Et hæc linea est duplex: *Recta* & *Collateralis*. *Recta* dividitur iterum in ascendentium & descendentium. *Ascendens* continet personas, à quibus Origo deducitur, ùt Pater, Avus, Proavus, Abavus: Descendens complectitur personas originem ab eodem stipite trahentes, ùt Filius, Nepos, Pronepos, Trinepos. Dicitúrque recta, eò quòd contineat directos gradus, per quos ad Progenitores ascenditur & ad progenitos descenditur, absq; eo, quòd ad ullum latus declinetur, unde gratis plures Canonistæ istam lineam in duas principales distinguunt, una eadémque est, & sola ratione differt, nam iisdem gradibus ascenditur & descenditur per scalam.

V. Linea Collateralis. Linea *Collateralis est*, quæ competit iis, qui nobis ex latere juncti sunt, à quibus nec nos ducimus originem, nec ipsi à nobis, & tamen ab eodem stipite & sanguine descendimus, ùt sunt fratres, sorores, & alii Consanguinei ulteriores. Et hæc etiam est duplex, *æqualis* & *inæqualis*, illa est, in qua est æqua graduum distantia à communi stipite, & hæc competit fratribus & sororibus, & simul junctis patruelibus, Consobrinis, & similibus. *Inæqualis* est, quando una persona alteram unô gradu vel pluribus sequitur vel præcedit, ùt Patruus & Nepos ex Fratre, item avunculus & nepos ex sorore distant in secundo gradu.

Notandum Quintò: *Gradum* esse intervallum, seu mensuram & habitudinem, per quam cognoscimus, quanta sit inter personas consanguineas distantia, ad similitudinem graduum in scala, per quos ascendimus & descendimus ad vicinos & proximos nostros. *L. Juris-Consultus, versu. Gradus. ff. de Gradibus*, prout arbor omnia clarè exhibet, nam, singulæ cellulæ suos faciunt gradus. VI. Gradus explicatur.

Nota Sextò: Singulas cellulas esse notatas per duplicem cyfram Romanam desuper, & Gothicam ad intra, superior denotat gradus Juris Canonici, inferior Juris Civilis, undè quia in linea ascendentium & descendentium non est differentia inter Jus Canonicum & Civile, cyfræ omnes sunt æquales, & idem significantes, ùt de se patet. Quia verò in Jure Canonico duæ personæ excepto stipite gradum faciunt, & singulæ personæ singulos gradus in Jure Civili, in linea transversa seu collaterali jam pluribus differunt gradibus & cyfris, nam accipe exemplum, ac perge ex cellula patris ad latus, invenies scriptum Frater, suprà I. infrà 2. Deindè erit Fratris Filius, suprà II. infrà 3. & sic deinceps, nam frater v. g. Theophili, qui est filius patris in linea recta, secundùm Canones est in primo gradu cum patre & fratre, secundùm leges in secundo gradu: Fratris filius est in secundo gradu consanguineus cum patre, secundùm leges in tertio, & sic deinceps. Accipe aliud exemplum, faciendo stipitem ex cellula Avi, ubi suprà & infrà est cyfra II. & 2. Ex eo ùt filius sequitur patruus & amita, suprà sunt II. infrà 3. deindè sequitur frater patruelis & amitinus, soror VII. Cyfræ graduum explicantur, & Computatio Juris Civilis.

patruelis & amitina suprà est iterum II. infrà 4. Postmodum horum filius & filia, suprà in III. infrà 5. & tandem horum nepos & neptis suprà IV. infrà 6, patruus est in secundo gradu, frater patruelis etiam in secundo gradu, filius in tertio, nepos in quarto secundùm Canones; secundùm leges autem patruus in tertio, frater patruelis in quarto, filius in quinto, & nepos in sexto, & sic de cœteris, ita quòd si abavum feceris stipitem, qui generavit tres filios Propatruum, proavum, & proavunculum, & ad latus descenderis, ubique suprà invenies IV. quia omnes distant secundùm Canones in quarto gradu, & ex illa nullus exit lineam æqualitatis, secundùm leges tamen propatruus distat in quinto gradu, filius 6, nepos 7, pronepos 8, & hæc quoad explicationem arboris sufficiant. Porrò relictâ computatione secundùm Jus Civile, quam ad alios fines deservire dictum est suprà, in Ordine ad Matrimonium autem debitè contrahendum, secundùm Juris Canonici præscriptum, quod in passu isto simpliciter est observandum, ut dignoscatur, quoto quisque gradu ab alio distet, D. Thomas, Scotus, & alii Theologi omnes tres Regulas assignant.

VIII. Regula prima pro linea recta.

Prima pro linea recta est talis: *Tot numerantur gradus, quot numerantur personæ, stipite dempto, mediæ*, seu, *Tot numerantur gradus, quot numerantur & deprehenduntur inter personas ascendentium & descendentium generationes*. Hinc Pater & Filius sunt in primo gradu, quia inter ipsos nulla mediat persona, nec ulla alia intercedit generatio; nepos verò distat ab avo in secundo gradu, quia inter ipsos mediat una persona, scilicet pater, quæ si auferatur, erunt tantùm duæ personæ, duo gradus, sicut sunt duæ generationes. Proavus autem distat à pronepote in tertio gradu, quia sunt duæ personæ externæ, nempè proavus & pronepos, & duæ mediæ nempè avus & pater pronepotis, si ergò dematur una persona, nempe pater, qui est stipes, manebunt tres personæ, adeóque tribus gradibus distabunt, sicut non intercedunt, nisi tres generationes. Ratio totius Regulæ est, quia pater secundùm se non constituit gradum, sed in ordine ad illum, qui ab ipso per generationem descendit.

IX. Regula secunda pro linea collaterali æquali.

Secunda Regula pro Linea collaterali æquali est hæc: *Personæ Consanguineæ tot gradibus conjunguntur, & distant inter se, quot conjunguntur & distant à communi stipite proximo*, ùt duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant à communi stipite, in quo conjunguntur, qui est parens: Filii duorum Fratrum sunt Consanguinei in secundo gradu, quia in eo conjunguntur in communi eorum utriusq; stipite proximo, qui est avus, & sic de aliis.

Ratio autem hujus Regulæ est, quia cùm tota & adæquata conjunctionis horum ratio sit unio in stipite, ideò debent computari gradus penes distantiam ab illo, nec magis aut minùs possunt distare, quàm à stipite; Et hæc Regula traditur in *cap. ad Sedem. quod est Alexandri II. & cap. Parentelæ*, quod est Zachariæ Pontificis, 35. q. 5.

Dices: Filius est propinquior Parentibus, quàm fratri, ergò frater & filius malè ponuntur in eodem gradu. Respond. Filium esse quidem propinquiorem parentibus, quàm fratri quoad dilectionis propinquitatem, cùm sit effectus ad causam, & frater ac frater, ubi tantùm est propinquitas effectuum ab eadem causa promanantium, ast quantùm ad distantiam physicam æqualiter distant à causa sua, stipite, & parente.

X. Regula tertia pro linea collaterali inæquali.

Tertia Regula pro linea inæquali collaterali traditur *in cap. finali de Consanguinitate*; Estque talis *Consanguinei in linea collaterali inæquali eo gradu distant inter se, quo gradu alter, qui est remotior, distat in communi stipite*. Ut patruus & filius ex fratre distant inæqualiter ab avo, in quo uniuntur, ille enim distat in primo gra-

In Secundo Gradu.
Groß Vatter: Avia: Groß Mutter: Patruus:
ruder oder Vetter: Amita: Vatters Schwester
: Avunculus: Mutter Bruder oder Vetter: Ma
utters Schwester oder Baaß: Patrueles vel Fra
Geschwister Kinder von 2 Brüdern: Amitini:
atters Schwester Kinder: Matrueles Meiner
ruder Kinder. Consobrini. Geschwister Kinder
western. Nepos. Enikel oder Sohns Sohn. Nep
der Tochter Kindt: Fratregeniti: id est Filius
ris: Bruders Kinder: Sorore geniti: id est:
ilia Sororis: Schwester Kinder.

Terti...
Proavus: der ...
die Anfraw, P...
nes Vatters halb...
Amita magna. Mei...
Vatters Schwester ...
ner Mutter halb Gr...
tera magna Mein...
ter Schwester: Pro...
neptis. Enikels Toc...
norum, Matruelium...
us. Filia Kinder...
schwister Kind...
vel sorore Nep...
Bruders od...
tel oder...

In Quarto Gradu.
Abavus: Abavia: Groß Vatters
oder Groß Mutters Groß Eltern: Pro-
patruus: Proamita: dessen Bruder, dessen
Schwester: Proavunculus: Promatertera: Der
Schwester Bruder Schwestern: Abnepos: Abnep-
tis: deß Enikel Kindts Kindt: Ex Fratre vel
Sorore Pronepos, et Proneptis: Unsers Bruders
oder Schwester Enikel Kindt: Ex Patrueli, Ma-
trueli, Amitino, Consobrino, Nepos, Neptis: Uns-
ers Vetters Enikele oder Tochter Kindt:
Magni Patrui, Avunculi, Magnæ Ami-
tæ, Matertera Pronepos, Proneptis:
Derendeßgleichen Enikel, oder
Tochter Kindt.

IV. Eorum Pronepos, Proneptis. 8.

IV. Eorum Nepos, Neptis. 7.

IV. Horum Nepos, Neptis. 6.

IV. Sororis Pronepos, Proneptis. 5.

Arbor C...

Arbor Affinitatis.

Socrus, Socer, Noverca, Vitricus seu Parentes contrahentium.

Coniunx

Contrahunt Affinitatem.

Contrahunt Affinitatem.

discooperies & ...
tuæ non revelabis, &c. & quidem ...
secundus, ut vitrici cum filia privignæ. In linea autem transversa erat prohibitum in duplici quodam gra-

... trimonium, effrenatè fervirent libidini, quia in eadem domo die noctúque habitantes naturali amore sanguinis

guinis

... quo gradu ... remotior, distat in com-
... nempe muni stipite. Ut patruus & filius ex
...s & pater pronepotis, si ergò de- fratre distant inæqualiter ab avo, in
...tur una persona, nempe pater, quo uniuntur, ille enim distat in pri-
mo gra-

mo gradu, est enim filius, patruus verò distat in secundo, utpote, qui est ejus nepos, & quia patruus est remotior, quàm filius fratris, distabunt inter se in secundo consanguinitatis gradu. Ratio autem, cur attendatur propinquitas non per propinquiorem, sed remotiorem, est; Quia, cùm adæquata ratio propinquitatis aut distantiæ collateralium inter se sumatur per ordinem ad proximum stipitem, in quo uniuntur, implicat conjunctiores esse inter se quàm cum stipite, quod tamen fieret, si proximioris haberetur ratio, ùt patet de filio fratris & patruo.

XI. Gradus prohibiti in Levitico. Præmissâ igitur explicatione super arborem Consanguinitatis, ad explicandas difficultates progredior, & Primò occurrit, an linea recta dirimat Matrimonium jure naturæ, & ad quotum gradum: Secundò, an Jus naturæ dirimat in linea transversa in primo gradu; Et tertiò, an Ecclesiastico, & ad quotum gradum? Difficultatum priorum causa est gravis inhibitio plurium graduum Consangvinitatis & Affinitatis, Levitici 18. & quidem Consangvinitatis duplex erat gradus prohibitus in linea recta, nempè parentum cum filiis, avorum cum neptibus, & aviarum cum nepotibus: *Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem Matris tuæ non discooperies, Mater tua est. - - - Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est.* In linea quoque transversa primus gradus, ùt fratrum cum sororibus, sive ex uno, sive ex utroq; parente, & partim secundus gradus in linea inæquali, ùt nepotis cum amita, aut matertera vel patruo; Affinitatis primus gradus in linea recta ascendentium erat quoque prohibitus, ut soceri cum nuru, vitrici cum privigna, & è contra privigni cum noverca, socrûs cum genero: *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies &c. Turpitudinem nurûs tuæ non revelabis, &c.* & quidam secundus, ut vitrici cum filia privignæ. In linea autem transversa erat prohibitum in duplici quodam gradu, ùt cum uxore fratris, & cum sorore uxoris vivente sorore, & cum uxore patrui. Cùm ergò Scriptura post has prohibitiones subjungat: *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus istis quidpiam, peribit de medio populi sui*, nonnulli putârunt in his gradibus Matrimonium esse jure naturæ prohibitum, atque adeò contractum irritum & nullum. Itaque

Dico Primò: *Matrimonium in primo gradu Consanguinitatis lineæ rectæ, nempè inter parentes & filios, est ipso jure naturæ irritum & nullum.* XII. Gradus primus lineæ rectæ jure naturæ dirimit. Ita Doctor Subtilis in 4. dist. 40. q. un. quod colligit & probat ex verbis Adami Genes. 2. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, ubi satis insinuat, personam extraneam assumendam esse in uxorem, non patrem vel matrem, cùm debeant Conjuges fieri una caro, pater verò & mater sunt jam una caro in filio: *Erunt duo in carne una, &c.*

Probatur Secundò ex Patribus, D. Augustino lib. 3. quæstionum in Leviticum. q. 61. asserente Persas, & similes gentes admittentes hujusmodi connubia barbaras esse, & lib. 11. de Civitate cap. 16. testatur, conjugalem actum sine turpitudine & irreverentia exerceri non posse, quæ est potissima ratio, quare natura horreat hujusmodi Matrimonia. D. Ambrosius, epist. 66. ad Paternum, dicit connubium patris cum filia pugnare cum lege naturæ in singulorum cordibus scripta.

Probatur Tertiò ratione: Tum, Quia est contra substantiam Matrimonii, quod requirit, quòd uxor sit subjecta viro, ejus socia, eique par in actu conjugali, sed repugnat naturæ filium esse æqualem, & socium in hoc actu parentibus, quibus filii ex præcepto naturæ summam debent reverentiam, ergò. Tum ex fine secundario Matrimonii, qui est concupiscentiam reprimere, si enim jure naturæ non esset inhibitum Matrimonium, effrenatè fervirent libidini, quia in eadem domo die noctúque habitantes naturali amore sanguinis

 guinis

guinis præditi effervescerent magis, si eis Conjugium licitum esse crederent.

Probatur Quartò. Ab Experientia, quâ constat omnes gentes benè instructas, solo luminæ Naturæ edoctas, Matrimonia inter Parentes & filios nefanda & abominabilia reputâsse: Tum etiam, quia bestiæ solo Naturæ ductu dicuntur fugere commercia cum Parentibus, testantè Aristotele lib. 9. de historia Animal. cap. 47. & Plinio lib. 8. Naturalis historiæ cap. 42, ubi Camelos & Equos non posse adigi referunt, ut cum Matribus admisceantur.

XIII. Omnes gradus lineæ rectæ dirimunt jure Naturæ.

Dico Secundò. *Omnes gradus usque in infinitum in linea recta dirimunt Matrimonium jure Naturæ.* Ità Doctor subtilis supra art. 2. & Scotistæ communiter Brancatus, Mastrius, Majoronius, Bassolius, Durandus, & complures alii. Probatur primò ex jure Civili determinante hoc impedimentum esse perpetuum, *Gloss.* 35. *q.* 5. *in expositione Arboris Consang. v. quæro an inter ascendentes, Gloss. L. Nuptiæ, L. & nihil, L. Regia, v. ad infinitum ff. de ritu Nupt. & Institutione de Nuptiis. §. Ergo non omnes*; sed hoc Jus Civile non est correctum per Canonicum, licèt enim *Cap. Non debet. de Consang.* restringat consanguinitatem usque ad quartum gradum, hoc est intelligendum de linea laterali, non verò recta.

Probatur Ratione. Natura horret Matrimonium inter Parentes & filios ob reverentiam illis tanquam principiis debitam, sed major subjectio & reverentia debetur ascendentibus remotioribus, ergo etiam horret. Secundò, quia in omnibus gradibus invenitur ratio principii & principiati, quod est fundamentum reverentiæ, hinc Christus Dominus Matthæi. 1. vocatur filius Abrahæ & David, à quibus tamen remotissimè descendit. Tertiò, licèt in remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, est tamen major inæqualitas ætatis, & consequenter major indecentia ratione illius, ac proindè propinquitas sanguinis hac inæqualitate compensatur. Imò verò ultra quartum gradum est major impotentia, quis enim in quinto, sexto, & ulterioribus gradibus ad Matrimonii onera sufferenda, spectatâ naturâ de se, amplius sufficiens & idoneus est. Et licèt Adam tales supervixerit, non legitur tamen aliam duxisse Uxorem præter Evam, sed & nunc si resurgeret, non haberet quam duceret, uti docent Juristæ & Theologi plurimi; Et hoc esse de jure Naturæ satis constat, quia nec cum Neptibus legimus unquam dispensatum.

Dices, Avus vel Proavus non est nisi principium per accidens respectu Neptis vel Nepotis, ratione scilicet Patris, ergo etiam non debetur illi reverentia, nisi per accidens, & non ex natura. Respond. dist. Antecedens, physicè loquendo transeat, politicè & in genere moris, Nego Antecedens, adeóque principium per se censeri debet. Respond. Secundò, Negando Antecedens, quia qui est causa causæ est causa causati, sed Avus est causa Patris per se, ergo etiam est per se causa causati.

Dices Secundò. Post quartum gradum jam evanescit propinquitas sanguinis, proprietatum & morum Symbolizatio, ergo &c. Respond. Negando consequentia, nam seu naturâ, seu hominum malitiâ evanescant illa, per hoc tamen non tollitur naturale reverentiæ & subjectionis debitum.

XIV. Secundus & tertius gradus non dirimit jure Naturæ.

Dico Tertiò. *Nullus gradus lineæ trans-versæ dirimit Matrimonium jure Naturæ.* Hæc quoad secundum, tertium, & quartum gradum est communis, controvertitur tamen quoad primum, & quidem nec istum dirimere tenet Alensis, Majoronius, & plures Scotistæ, existimantes esse veriorem mentem Scoti. Probatur Conclusio Tum ex Scriptura Genesis II, ubi refertur Nachor duxisse Melchiam unam filiam fratris sui Aram. Similiter Abraham duxit Sarai alteram filiam fratris sui, id est, Neptem, ut asserunt D. Augustinus

gustinus *lib. 6. de Civ. DEI Cap. 12. & 19. & Quæst. in Genesim q. 26.* & refertur *cap. Queritur 22. q. 2.* Josephus, D. Thomas, Lyra &c. quare, quando vocavit eam Abraham Sororem suam Gen. 20, & filiam Patris sui, non Matris suæ, intelligendum est: Thare Patrem suum Sarai habuisse tanquam filiam mortuo Patre suo Aram, non quòd verè fuerit filia Thare, & Soror Abrahæ.

Probatur Secundò. Tum ex Jure *cap. Gaudemus. de Divortiis*, ubi Innocentius III. decernit *Conversos ad fidem, qui antea in secundo, & in ulterioribus gradibus contraxerant, non esse separandos*, qui tamen separandi forent, si gradus illi essent jure naturæ prohibiti, cùm juri naturæ subjaceant. Tum ex Concilio Tridentino, Sess. 24. de Matrimonio cap. 5. decidit Ecclesiam posse cum magnis Principibus ex urgenti causa in gradibus illis dispensare, & anathemate damnat Can. 3. dicentes: Eos tantùm gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, *Nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare*, quod non posset facere, si essent de jure naturæ, ergo.

XV. Nec primus gradus lineæ transversæ.

Probatur etiam quoad primum gradum, Tum, quia 2. Regum 13. Thamar ad Amon fratrem suum, filium David volentem se opprimere dixit: *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, ergo non erat inusitatum, fratres & sorores jungi simul Matrimonio, sicut statim fuit factum à principio mundi, ubi filii & filiæ Adæ sine ulla ulteriori dispensatione, cùm de tali non constet, contrahere debuerunt ad generis humani propagationem. Tum, quia frater & soror non sunt directè una caro, ut sunt Pater & filius, nec inter ipsos intercedit tanta reverentia, nec repugnat inter illos æqualitas, cùm neuter sit alterius superior, nec denique conjunctio inter illos adversatur fini & substantiæ Matrimonii.

Nec obstat *Cap. Gaudeamus de Divortiis* suprà. Quia Pontifex tantùm definivit quod certum erat, scilicet tales Infideles conversos non esse ultra primum gradum separandos, eò quòd de hoc solummodò interrogatus fuerat, ex quo non licèt statim inferre oppositum, ergo primus gradus est de jure naturæ prohibitus, quia etiam idem Concilium Sess. 14. de Pœnit. cap. 7. definit circumstantias mutantes speciem esse necessariò confitendas, ex quo tamen efficax argumentum inferri non potest, ergo notabiliter aggravantes intra eandem speciem non sunt confitendæ.

XVI. Jure Ecclesiastico in linea transversa prohibita sunt connubia usque ad quartum gradum.

Dico Quartò. *Nunc Jure Ecclesiastico prohibita sunt Matrimonia in linea transversa usque ad quartum gradum.* Est de Fide, & Probatur ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. & habetur *Cap. Non debet de Consanguinitat.* Dixi *Nunc*, quia olim erant prohibita Matrimonia usque ad septimum gradum, uti patet Ex *Cap. Ad Sedem 35. q. 5. Et Cap. Nullum 35. q. 3.* & *cap. Nulli, quod est ex Concilio Lugdunensi.* Ratio autem hujus inhibitionis, est convenientissima. Tum propter Consanguinitatis reverentiam; Tum propter statum politicum ad propagandam pacem & amicitiam, si enim Matrimonia inter eandem familiam relinquerentur, pax, & amicitia multùm restringeretur: Tum ad præcavendos frequentes incestus, si enim Matrimonia illis non interdicerentur, agnati ex sanguine ipso & progenie magìs ad se invicem inclinati, ad effrenatos libidinis actus magis inflamarentur, cùm in eadem domo habitantes frequentiores & faciliores haberent occasiones.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

De Impedimento Cognationis spiritualis.

I. Cognatio spiritualis describitur. SIcut ex generatione carnali oritur Cognatio, seu Consanguinitas secundùm Naturam, sic ex generatione spirituali in aqua & Spiritu Sancto contrahitur cognatio quædam spiritualis, quæ communiter definitur, quòd sit *Propinquitas quædam personarum ex Statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem, vel receptionem Baptismi, vel Confirmationis.* Dicitur *Propinquitas,* quia Cognatio est veluti quoddam vinculum plures convinciens & conjungens homines. Dicitur *quarundam personarum,* quia non omnes homines assistentes illis Sacramentis contrahunt istam Cognationem. Dicitur *ex Statuto Ecclesiæ;* Quia hæc Cognatio non est Juris Divini, sed purè Ecclesiastici. Dicitur *propter collationem* &c. nam licèt Jure antiquo *ex Cap. per Cathechismũ de Consangu. in.* 6. ex Cathechismo contrahebatur impedimentum Matrimonii, id tamen non erat dirimens, sed solùm impediens, unde Bonifacius VIII. confirmans Decretum Innocentii III. subjungit, *per illam tamen cognationem Matrimonium post eam contractum minimè separatur;* attamen Jure novo Tridentini penitus hoc impedimentum est sublatum, dicit enim: *Omnibus inter alias personæ hujusmodi spiritualis Cognationis impedimentis omninò sublatis.* Dicitur tandem *Baptismi vel Confirmationis,* nam per susceptionem aliorum Sacramentorum hæc Cognatio non contrahitur, prout definitum est *Cap. finali in fine de Cognat. spirit. in.* 6. ubi, postquam de Baptismo & Confirmatione decisum esset, additur: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum Cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat vel dissolvat,* providè & cautè addit Can. 1. *quæ Matrimonium impediat,* quia est probabile per Sacramentum Pœnitentiæ oriri cognationem spiritualem, quæ in transgrediente sacrilegium faciat, nam *Cap. finali.* 30. *q.* 1. dicit Cælestinus Pontifex: *Non debet Episcopus aut Præsbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua peccata fuerant confessæ, si fortè, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat quomodo de filia spirituali Episcopus.* 15. *annos, Præsbyter.* 12. *& deponatur.* Unde vulgò vocantur pœnitentes filiæ spirituales.

Cognatio spiritualis Jure antiquo erat Triplex, *Paternitas, Compaternitas, & Confraternitas: Paternitas* inter baptizantem & baptizatum, (eadem semper est habenda ratio de Confirmationis Sacramento) & inter Patrinum baptizati cum ipso baptizato. *Compaternitas* est inter Parentes baptizati cum baptizante, & inter Patrinos cum Parentibus, ità ut Parentes hinc ad baptizantem, & illinc ad Patrinos contraherent cognationem spiritualem, & hæc transfundebatur à Viro in Uxorem *Cap. Martinus. de Cognatio. spirit.* eò quod sit una caro cum viro. *Confraternitas* erat inter filios carnales baptizantes, vel Patrinorum, & ipsum baptizatum, ùt habetur *cap. eodem.* 30. *q.* 1. *cap. Veniens de cognatione spirituali.* Jure novo hæc *Confraternitas* totaliter sublata est. Restricta est autem Paternitas, nè transfundatur ad Uxores, similiter *Compaternitas* restricta est, ut non contrahatur inter baptizantem & Patrinos: adeóque hodie non est nisi Paternitas & Compaternitas: Paternitas est inter baptizantem & baptizatum, & inter Patrinos cum baptizato. Compaternitas verò est ex una parte cum baptizante, & Patre ac Matre naturali baptizati, & inter Parentes baptizati cum Patrinis. Ità Trident. Seff. 24. de Matrim. cap. 2. ut tibi clarè exhibet arbor Cognationis spiritualis sub litt. B. Nunc ad resolutiones circa hanc materiam necessarias progrediendo, II. Cognatio spiritualis subdividitur.

III. Non est Juris Divini. Dico Primò. *Cognatio spiritualis non est introducta ex Jure Naturali, vel Divino, sed purè Ecclesiastico congruentissimè statuto.* Est Communis.

nis. Probatur prima Pars, Tum quia ipsa Sacramenta Baptismi & Confirmationis non sunt de Jure naturali, sed tantùm ex institutione Christi, ergo nec Cognatio ex illis consurgens. Probatur secunda Pars. Quia nullus in Sacra Scriptura invenitur locus, ubi de hac cognatione fieret mentio, ergo. Probatur tertia Pars. quia hoc invenitur Statutum inConcilio Nicæno *Can.* 21. Et in pluribus Juribus, *ùt Cap. de eodem, & Cap. si quis filiastrum*, & multis aliis locis. 30. *q.* 1. *Cap. Veniens* & multis aliis textibus *de Cognat. spirit. & Capitul.* 1. *eodem titulo in* 6. ac novissimè in Trident. *Sess*: 24. *de Reform: Cap*: 2. Probatur secunda Pars scilicet congruentissimè esse statutum, Tum, Quia recipiens ab alio esse spirituale debet illi aliquam Reverentiam, non secus ac illi, à quo accipit esse corporale, unde apud primævos Christianos zelabant & contendebant pro illo, à quo baptizabantur, ùt patet 1. *ad Corinth.* 3. ubi alius erat Cephæ, alius Pauli &c. Tum, ut homines altius sibi hæc Sacramenta imprimerent, cognoscentes ex illis cognationem spiritualem imprimi.

IV. Non contrahitur ab infidelibus. Dico Secundò. *Hæc Cognatio spiritualis non contrahitur ab Infidelibus, sive ipsi baptizent, sive levent.* Ità D. Thomas, Sanchetz, Bonacinna, & plures alii. Probatur. Qui non habet vitam carnalem, non potest cognatus esse carnalis, ergo nec, qui non habet vitam spiritualem, potest esse cognatus spiritualis. Confirmatur. Quia cum Infidelis non sit subjectus Ecclesiæ, non obligatur ejus statutis. Deinde Infidelis est incapax Juris Patronatûs, quod quasi spirituale est *Cap. quicunque*, 16. *q.* 17. Hinc Catechumenus non est capax hujus Cognationis, qui non procedit ex eodem stipite Christo, mediante signo visibili Sacramenti Baptismi, sicut nec aliorum est capax Sacramentorum. Nec contrahit Christianus cum infideli, si unus Christianus baptizet, & infelis cum Christiano ex fonte suscipiat, bene tamen Christiani ipsi inter se; Quia infidelis non est capax, consequenter nec Christianus cum illo contrahit, quia cognatio ista est veluti quædam Relatio, quæ non ponitur in subjecto, nisi adsit terminus illius, infidelis autem non est terminus illius, ergo. Christianos tamen inter se contrahere, licèt simul assistens non contrahat: *Quia utile non vitiatur per inutile*, quando commodè separari possunt, ùt habet *Regula Juris in.* 6. Et hoc de Infideli tam verum esse puto, ut nec quidem resurgere existimem, licèt postmodum Infidelis baptizetur. Quod enim semel nullum fuit, convalescere non potest, sicut *quod ab initio non subsistit, successu temporis non firmatur*, ùt habet Regula Juris in 6.

V. Nec Catechumenus, nec fidelis cum infideli contrahent illam.

Dices. Impedimentum Cognationis carnalis contrahitur ab Infidelibus Parentibus, quod resultat, quando postmodum baptizantur, ergo etiam Cognatio spiritualis resurget, quando postmodum convertuntur. Respond. Negando Consequentiam, quia illa est connaturalis, naturaliter est necessariò sequens, hæc verò liberè ex sola Ecclesiæ ordinatione, adeóque non obligat nisi suos, sicut nec impedimenta ipsa carnalis Cognationis Infideles constringunt, quàm diu Infideles sunt, præter illa, quæ sunt Juris Naturæ.

Dico Tertiò. *Cognatio spiritualis contrahitur quoque inter baptizatum & baptizantem ejúsque Parentes in Baptismo privato, vel necessitatis, non tamen inter tenentes vel levantes.* Ità Mastrius, Sanchetz, Bonacinna &c. Probatur prima Pars. Quia est verus Baptismus, omnia autem Jura clamant ex vero Baptismo consurgere Cognationis impedimentū. VI. Cognatio contrahitur etiam in Baptismo privato.

Nec obstat *Cap. ad limina* 30. q. 1. quod declarat Parentes in necessitate baptizantes suos filios non arcendos à petitione debiti, allegata ratione: Quod injustum sit propter actum præcepti pœnam subire, sed si contraheretur Cognatio &c. petere debitum non posset baptizans, ergo. Non obstat inquam, quia aliud

aliud est loqui de impedimento consurgente ad contrahendum Matrimonium, aliud in jam contracto, in hoc non consurgit, quia esset ipsis Conjugibus pœnale, non tamen pœnale est in contrahendo. Nec actus præcepti excusat à Cognatione spirituali contrahenda, quia Parochus habet præceptum baptizandi solemniter, & tamen ipse contrahit hanc Cognationem.

Probatur secunda Pars, quia Ecclesia instituit Cæremoniam Patrinarum in Baptismo solemni tantùm, ùt patet ex Trident. Sess. 24. Cap. 1. adeóque non contraheretur si quis majoris commoditatis gratiâ teneret tunc infantem, etiam si haberet intentionem agendi Patrinum, quia non est in ipsius potestate velle ordinare aut disponere aliquid circa Baptismi solemnitates aliter, quàm Ecclesia ordinavit, vel disposuit; unde etiam fit, quòd taliter tenentes nec Compatres, nec Commatres vocentur.

VII. Requiritur in Patrinis contactus infantis. Dico Quartò. *Ut Patrinus contrahat cognationem spiritualem, requiritur contactus physicus, seu, ut ille puerum teneat, dum baptizatur infans, vel immediatè de manu baptizantis suscipiat.* Ità Sanchez, Bonacinna, Sà, & communior Canonistarum. Probatur primò. Quia textus Juris hanc cognationem statuentes utuntur his terminis *Suscipit, accipit, tenet, levat, tangit*, qui simpliciter significant tactum physicum, ergo. Probatur Ant. *Ex Cap. Post susceptum.* 30. *q.* 3. *& ex Cap. si quis, unus*, 30. *q.* 4. *& Cap. Martinus ibi, Filium de sacro fonte suscepit. Ex cap. finali. ad suscipiendum de Baptismo. de Cognat. spirit. in.* 6. *& Trident. Sess.* 24. *de Matrim. cap.* 2. ait, *Baptizatum de Baptismo suscipiant*, & paulò inferius: *Quòd si alii ultra designatos baptizatum tetigerint.* Probatur Secundò. Quia Cæremonia susceptionis & tentionis instituta est ab Ecclesia ad designandam infantiam, & imbecillitatem spiritualem, adeóque tunc teneri debet, etiamsi quis foret adultus, ergo.

Hinc non sufficit contactus quicunque momentaneus & levis, v. g. extremitate digiti. Nec sufficit contactus antecedens, sed debet esse in ipso Baptismo, nec subsequens, v. g. de manu susceptoris, sed debet immediatus de manu ipsius baptizantis, quia omnes tales non dicuntur verè tenere in Baptismo, vel suscipere & levare de sacro fonte, & ità declaravit Sacra Congregatio, ùt citat Bonacinna. Sed ultra

Dico Quintò. *Non omnes etiam realiter tangentes contrahunt hanc cognationem spiritualẽ, sed tantùm unus, vel unus, & una, vel plures, qui ad hoc munus fuerint designati.* Ità Trident. Sess. 24. de Matrim. cap. 2. Sanchetz, Bonacinna, Coning, Mastrius &c. Probatur prima Pars, scilicet non omnes contrahere tangentes, Tum, quia si quis assisteret honoris gratiâ, aut in obsequium Patrini, & tangeret infantem, non contraheret Cognationem, ùt ordinariè fit, quando Procuratores constituuntur. Tum, quia in Concilio requiritur, ùt designetur unus, ùt erat constitutum Jure antiquo *Cap. Non plures, de Consecrat. d.* 4. vel unus & una, ùt Tridentinum ampliat, ergo ex pluribus tangentibus non designatis nemo contrahet cognationem, quia designatio requiritur tanquam conditio limitans Patrinorum multitudinem, nè cognatio spiritualis nimiùm augeatur, quare si nullus designaretur, nullus contraheret, etsi plurimi attingerent, cùm enim Tridentinum tollat omnes Cognationes spirituales inter Patrinos præter designatos. Probatur secunda Pars ex ipso Trident: ubi unus & una admitti jubentur, & non ultra, quos contrahere extra controversiam est; Porrò etiam contrahere plures tangentes si designentur, quæ est Tertia Pars, Probatur. Quia Trident. prohibens plurium admissionem, aut duorum ejusdem sexûs non irritat contrarium factum tanquam nullum, ergo etiam illi contrahent: Probatur Conseq: *Cap. Finali de Cognat. spirit. in.* 6. *& cap. Non plures. de Consecrat. d.* 4. prohibebatur olim plurium admissio, & tamen eodem *cap. finali* decisum erat non irritari VIII. Nõ omnes tangentes contrahunt cognationem istam.

contra-

contrarium factum, sed omnes tangentes contrahere Cognationem istam, ergo similiter dicendum de Decreto Tridentini, quod confirmatur, quia dictum Trident. confirmavit dictos sacros Canones, *ut unus tantùm, sive vir, sive mulier juxta sacrorũ Canonum instituta assumatur*, addens tantùm, ut unus vel una, aut unus & una. Probatur Secundò ex Lege Civili. *L. non dubium. C. de Legibus, L. Prætor ait. ff. de novi operis nuntiat.* traditur, Actum gestum contra legem esse firmum, ubi lex non addit Decretum irritans, sed tantùm transgressores punit, atqui Trident. non addit Decretum irritans, sed tantùm transgressores punit ad arbitrium ordinarii, ùt ibi est videre.

Dices. Esse omninò adjectum in Tridentino Decretum irritans, dicit enim, *omnibus aliis, præter has personas, cognationis impedimentis sublatis*, ergo. Respond. Decretum illud irritans non afficere designatos, si enim voluisset illos etiam comprehendere, facilè addere potuisset ad ly *Quod si alii ultra designatos* particulam *duos*.

IX. Requiritur intentio. Dico Sextò. *Ut Patrinus contrahat cognationem spiritualem, requiritur intentio saltem faciendi actum ab Ecclesia institutum, seu agendi Patrinum.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Sà, Navarrus &c. AA. passim. Probatur primò. Ex *L. 2. & L. in omnibus negotiis* 56. *ff. de act. & oblig.* dicitur ex consensu oriri obligationem, ergo si non haberet intentionem, non oriretur obligatio, nec cognatio spiritualis. Deinde, qui vult principale vult etiam accessorium, quod ex eo sequitur. *L. Si quis. ff. Commodati*, sed cognatio spiritualis sequitur ex actu Patrinatûs, ergo qui vult esse Patrinus, vult consequenter cognationem. Imò nec hoc est necessarium, quia quæ sunt ex Ecclesiæ instituto, non pendent ab hominum voluntate, ùt patet de cognatione carnali & affinitate, quæ contrahitur, licèt quis non intendat eam contrahere, dumodò actum ponat, ex quo affinitas sequitur.

Probatur Secundò, Quia baptizans absq; vero animo faciendi per illum actum, quod intendit Ecclesia, nec verè baptizat, nec cognationem spiritualem contrahit, ergo qui infantem tantùm materialiter suscipit absque animo faciendi, quod intendit, nec verè suscipit, nec cognationem spiritualem contrahit. Hinc sequitur, eum, qui suscipit ex Baptismo filium Mævii, existimans esse filium Claudii, non contrahere cognationem cum Claudio, nec cum ejus filio, quia revera non levavit ejus filium sed Mevii, quem levare simpliciter habuit in intentione. Sed nec talis ignorans contrahit cognationem cum filio Mævii, aut cum Mævio, quia non habuit intentionem eundem levandi, sed Claudii, quod probatur ex *cap. 2. de cognat. spirit.* ubi deciditur Conjugem, qui per ignorantiam levavit filium Mariti, non arceri à debiti petitione.

Dices. Baptizans contrahit cognationem cum illo, quem baptizavit, & cum Parentibus ejus, quicunque sint, ergo etiam Patrinus. Respond. Negando Conf. Disparitas est, quia baptizans debet semper habere intentionem baptizandi hunc præsentem, quicunque ille sit, non tamen sic Patrini.

Dico Septimò. *Cognatio spiritualis potest etiam contrahi per Procuratorem, seu mittens Procuratorem contrahit cognationem, non verò Procurator.* Ità Hurtadus, Mastrius, Bonacinna contra Sanchetz, & Probatur primò; Potest quis facere per alium, quod quis potest facere per se, *ut est Regula Juris in 6.* Secundò, nihil obstat, quò minus per Procuratorem fieri possit, si enim quid esset, maximè quòd sit actio personalis, at hoc non obstat, Tum, Quia Matrimonium est actio personalis, & tamen potest fieri per Procuratorem, *Cap. finali. de Procurat. in 6.* Tum, Quia Juramentum est actio personalis *Cap. quoties 1. q. 7. Cap. Ego enim. de Jure jurando*, & tamen Juramentum præstatur per Procuratorem, *Cap. Tibi Domino. d. 63. & Cap. Procura-* X. Cognatio spiritualis etiam contrahitur per Procuratorem.

curator de Elect. in 6. & Cap. finali de Jure calum. ergo à pari. Tum denique Jure antiquo *Cap. Martinus* &c. ad contrahendam cognationem non requirebatur actio personalis, nam transfundebatur ista Cognatio à Viro in fœminam, quæ non assistebat. Probatur Tertiò. Tum ex praxi Ecclesiæ, quæ non improbat assistentiam Procuratorum pro Magnatibus mandantibus, nec illi, sed isti Patrini vocantur. Tum, mandans & mittens est designatus à Parentibus, sed Concilium dicit ultra designatos non contrahere, ergo. Denique Bonacinna ex Navarro dicit ità Sacram Congregationem declarâsse.

Dices, Baptizans alterius nomine contrahit cognationem, non verò mandans, ergò etiam Procurator contrahet non mittens. Respond. Negando Conseq: quia nemo alterius nomine potest baptizare, sed quilibet immediatè nomine Christi baptizare, & ùt Minister Christi, nec tunc committentis personam repræsentat, sed Christi personam, nec nomine committentis baptizat, sed nomine proprio, licèt de alterius licentia.

XI. Inter quas personas cognatio dirimat Matrimonium. Dico Octavò. *Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico inter personas supra numerò secundò recensitas.* Hæc est certa apud omnes. Probatur Tum *ex Cap. 1. de cognat. spirit. in. 6. & Cap. Veniens.* Tum ex Trident. Sess. 24. cap. 2. Tum, Quia sicut congruum fuit, ut propter generationem & reverentiam sanguinis constitueretur impedimentum dirimens, ità etiam congruum fuit propter reverentiam principii vitæ spiritualis & regenerationis, ut impedimentum constituatur.

Hinc sequitur, Patrinos inter se ipsos, quando est unus & una, non contrahere impedimentũ dirimens, adeóque se invicem ducere posse, ùt declaravit Pius V. in Bulla *Cum illius vicem*, ùt citat Bonacinna, adeóque etiam uxor & Maritus Patrini simul esse possunt absque privatione reddendi vel petendi debiti, cùm nullo Jure id prohibeatur.

QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

De Impedimento Cognationis Legalis.

Cognatio Legalis ità dicitur, quòd à Lege principium habeat, sicut etiam revera per Legem Civilem primitus introducta fuit. *L. adoptivus de Ritu Nupt. & Institut. de Adopt.* quod Lex Canonica postmodum confirmavit. *Cap. Ità diligere. Cap. Per adoptionem 30. & Extra. unica. de Cognatione legali*, adeóque patet, quod Cognatio legalis effectus sit adoptionis, sicut affinitas est effectus copulæ carnalis, hinc antequam de ipsa cognatione legali agam, de adoptione præmittendum censeo necessarium. Itaque adoptio à Juris peritis describitur, quòd sit *Actus legitimus, per quem fit filius aut Nepos, qui non est, bene naturam imitans.* A Theologis autem, *Quòd sit personæ extraneæ in filium vel filiam aut Nepotem legitima assumptio*, & in re coincidunt. Et declaratur, dicitur *legitimus actus* seu *legitima assumptio*, quoniam secundum formam & præscriptum Legum fieri debet, *forma enim dat esse rei, & conservat eam in esse L. Julianus. §. si quis rem. ff. ad exhibent. Cap. Tua de Sponsal. Cap. quia propter te. de electi. Assumptio*, idem est *ac Electio*; Dicitur *Personæ extraneæ*, id est, quæ non sit in adoptantis potestate, sive postmodum sit Consanguinea, sive non. Dicitur in Filium vel Nepotem, quia non potest aliquis adoptari in fratrem vel sororem *L. Nec apud. C. de Hæredib.* cùm enim omnes homines intendant vivere in posteris, & frequenter quidam hæredibus careant, ad propagandas & conservandas familias adinvenerunt homines medium, quò filios & Nepotes acquirerent per adoptionem, unde hæc cognatio inde consurgens etiam *Artificialis* dici potest. I. Adoptio describitur.

Notandum Secundò: Adoptionem esse duplicem, *Perfectam* & *Imperfectam*: *Perfecta* dicitur *Arrogatio*, estque, quando quis transit in po- II. Adoptio alia perfecta, alia imperfecta.

in potestatem adoptantis, & fit hæres illius necessarius, etiam ex Testamento, non secus ac filius naturalis: *Imperfecta* nomen adoptionis retinet, quando quis non sic transit, sed remanet sub patria potestate, & non hæres ex testamento necessarius, sed ab intestato. Adeóque multipliciter inter se differunt, primò, quòd non transeant æqualiter in potestatem adoptantis, nec æqualiter fiant hæredes, ex quo sequitur, ut quis arrogetur, non debere esse alterius Juris, sed sui, adeóque homo liber, emancipatus, aliàs seipsum tradere non posset. *l. 2. §. ult. ff. de Adoption.* Secundò, adoptio potest fieri per quemcunque legitimum Magistratum, seu coram ipso, arrogatio verò debet fieri authoritate supremi Principis, ùt habetur *l. 1. C. de adopt.* Tertiò, arrogator tenetur satisdare de restituendis bonis arrogati illis personis, ad quas essent ventura, si arrogatus mansisset in suo statu. *L. Nec ei. §. final. ff. sup.* Quartò, in arrogatione requiritur, ùt uterque coram Principe suum sensum, mentem, & voluntatem verbo exprimat, hinc infans arrogari non potest. *L. in adopt. L. 2. ff. de adopt.*

III. Conditiones requisitæ, ut quis possit adoptare. Notandum Tertiò: Plures conditiones requiri ad hoc, ut quis possit adoptare: Primò debet esse sui Juris, & major 25. annis, aliàs non posset de suis bonis disponere. Secundò, ut fit Vir, quia fœminæ adoptare non possunt, nisi ex privilegio Principis, cùm nec filios habeant in potestate. Tertiò, ut possit generare, vel si non possit, id provenire, sive ex naturali, sive ex morali accidente, quare frigidi adoptare non possunt, quia sunt naturaliter impotentes. *L. 2. ff. de Adopt.* benè tamen possunt, quibus testes essent violentiâ ablati, & etiam Sacerdotes, qui propter Regnum Cœlorum se ipsos castraverunt gladiô voti sui. Quartò debet excedere adoptatum in ætate saltèm 18. annis; ut verè ejus Parens esse possit, si verò arroget, quadraginta debet habere annos. Quintò, Tàm adoptans quàm adoptatus debent esse præsentes, absentes enim nequeunt, nec quidem per Procuratorem. *L. Neq. & L. post Mortem. §. Neque. ff. de adoptionib.* His prænotatis

Dico Primò: *Cognatio Legalis benè describitur, quod sit Propinquitas quarundam personarum ex adoptione proveniens.* Ita Doctores communiter, & explicatur: Dicitur *Propinquitas*, quod habet rationem generis cum cognatione naturali & spirituali, ac idem significat. Dicitur ex *adoptione proveniens*, ad denotandam ejus causam, & differentiam ab aliis. IV. Cognatio legalis describitur.

Cognatio hæc Legalis est triplex. Prima est in linea recta inter adoptantem & adoptatum ad adoptati descendentes, ut habetur *Instit. de Nupt. §. Ergò non omnes. & l. Quin etiam. 55. de ritu Nupt.* Secunda est Lateralis, seu in linea transversa inter adoptatum & filios carnales adoptantis. *cap. Unico. de Cognat. Leg.* Tertia est per modum cujusdam affinitatis Legalis ad instar affinitatis carnalis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & vice versâ. *L. Adoptivus. 14. ff. de ritu nupt.* V. Cognatio legalis est triplex.

Ut hæc ad oculum habeas, & facilius capias, inspice arborem sub litt. C. ubi centrum, seu truncus hujus arboris est *Adoptans cum sua conjuge*, ex quo procedunt in formam duplicis trianguli quatuor cellulæ, quasi rami, duæ, videlicet superior & inferior comparantur in ratione descendentium vel quasi; & ad se invicem per semicirculum denotatæ per modum lateralium, scilicet filiorum Naturalium & Adoptivorum. Tertia cellula per quartam partem circuli conjuncta, scilic. filiorum adoptati, habet rationem descendentium quoad centrum, & quoad filios naturales adoptantis habet rationem collateralium. Quarta cellula quoad centrum habet rationem affinitatis. VI. Arbor legalis explicatur.

Dico Secundò: *Cognatio Legalis tàm ex arrogatione, quàm ex adoptione simplici seu imperfecta, causat impedimentum dirimens Matrimonii.* VII. Adoptio etiam imperfecta dirimit Matrimonium.

Ita Scotus 4. d. 40. qu. un. Scotistæ communiter, Bassolius, Hiquæus, Brancatus, Mastrius, & de Arrogatione conveniunt omnes Doctores. Probatur ergò de Adoptione Primò: Quia omnes textus tàm Juris Canonici, quàm Civilis hactenus de cognatione huc allati non distingvunt inter Arrogationem & Adoptionem, ùt habet *Glossa in cap. Uni. ad finem. de cognat. legali.* Sed ubi jura non distingvunt, nec nos distinguere debemus, ergò. Secundò, Quia adoptio, quamvis sit imperfectior comparata ad arrogationem, est tamen simpliciter, verè, & propriè adoptio, ergò. Tertiò: Quia ratio, ob quam impedimentum hoc introductum est, militat utrobique æqualiter, licèt enim non transeat in potestatem adoptantis, acquiruntur tamen ei alia Jura, & licèt non adsit periculum proximum fornicationis, est tamen grave; quæ sunt causæ, ob quas Jure Ecclesiastico inter affines & cognatos est introductum impedimentum dirimens Matrimonium.

VIII. Cognatio legalis triplex dirimit Matrimonium. Dico Tertiò: *Cognatio Legalis ex legitimè facta adoptione dirimit Matrimonium inter personas triplicis speciei cognationis legalis in arbore expressas, & suprà allegatas.* Ità Bonacinna, Hurtadus, & AA. passim. Probatur ex Jure Canonico approbante Leges Civiles hanc Cognationem statuentes, nam in *cap. Ita diligere.* 30. *q.* 3. quod est Nicolai Pontificis ad consulta Bulgarorum dicitur: *Quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filii sunt, Venerandæ Romanæ Leges Matrimonia contrahi permittunt*, ubi approbatur prima Cognatio legalis in linea ascendentium. Et *cap. Uni. de Cognat. Leg. & Cap. Per adoptionem.* 30. *q.* 3. approbatur cognatio legalis secundæ speciei, & quia rubrica Juris Canonici *de Cognatione legali* est universalis, idem censendum est de tertia specie. Quod confirmatur. Quia jam per Consuetudinem Ecclesiasticam tres illæ species receptæ sunt à Pontificibus id scientibus.

Dico Quartò: *Impedimentum Cognationis Legalis in prima & tertia specie, seu in linea recta & tranversa affinitatis est perpetuum, ità, quòd illi nunquam secum legitimè possint Matrimonium contrahere*; Est communis Doctorum. Probatur de prima specie ex *L. quin etiam.* 55. *ff. de ritu Nupt. & Instit. de Nuptiis. §. Ergò non omnes.* Probatur de tertia specie ex *L. Adoptivus.* 14. *de ritu nupt.* Et ratio hujus perpetui impedimenti est Reverentia, quam debet exhibere adoptatus cum sua uxore adoptantis & uxori ejus, quæ obligatio cum sit perpetua, similiter est perpetuum impedimentum. IX. Cognatio legalis primæ & tertiæ speciei est perpetua.

Dico Quintò: *Impedimentum Cognationis Legalis in linea transversa secundæ speciei, inter filios scilicet carnales adoptantis, & filios ejus adoptivos non est perpetuum; sed quàm diu durat adoptatio, & quàm diu sunt in patria potestate.* Est etiam communis Canonistarum. Probatur expressè ex *cap. Unico. de Cognat. Leg.* ubi dicitur: *Si quæ per adoptionem mihi soror esse cœperit, quàm diu durat adoptio, nuptiæ inter me & ipsam consistere non possunt. Et cap. per Adoptionem.* 30. *q.* 3. *& L. Per adoptionem.* 17. *ff. de ritu nupt. & Instit. de nuptiis. &c.* X. Impedimentum secundæ speciei non est perpetuum.

Limitavi autem, quàm diu durat adoptio, nam cessante adoptione, & factâ emancipatione, quod est facillimum remedium solvendi adoptionem, statim cessat impedimentum, unde filius carnalis tunc poterit ducere sororem adoptivam, & filia carnalis fratrem adoptivum, ùt habet Sanchetz. Verùm tamen emancipatio debet fieri cum solemnitate à Legibus præscripta, scilicet coram Magistratu; Res enim, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Hinc

Infertur Primò: Filiis legitimis licitum esse contrahere cum adoptivis post adoptantis obitum, Ratio est, quia tunc cessavit adoptatio, & patria potestas.

Infer;

Infertur Secundo: Fratres plures adoptivi, & adoptivæ sorores posse inter se contrahere Matrimonium, & Ratio est, quia nullo Jure vel Lege est illis prohibitum, & insuper, quia inter plures filios & filias spirituales, qui magis conjuncti sibi sunt, quàm legales, potest subsistere Matrimonium, ergò à fortiori, ita tenet Glossa *in cap. Unico. verbo. Quamdiu.* hinc à fortiori possunt Matrimonia inter se inire filii duorum fratrum adoptivorum, cùm nullô cognationis vinculô prohibeantur.

Infertur Tertiò: Filium adoptatum posse celebrare Matrimonium cum filia illegitima adoptantis, & filium illegitimum adoptantis carnalis cum filia adoptata; Ratio est, quia filii illegitimi non transeunt in patriam potestatem, *Instit. de Nupt. §. ultimo.*

QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

De Impedimento Affinitatis.

I. Affinitas describitur. Affinitas secundùm nominis etymon, est finium quædam propinquitas, hinc etiam agri sibi propinqui dicuntur affines, Cicerone teste, sic homines ad se alioquin non pertinentes, per Matrimonium Cognationis unius Consanguinei accedunt ad vicinitatem & propinquitatem alterius Cognationis, unde communiter definitur, quòd sit *vinculum seu propinquitas personarum quarundam ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ.* Dicitur *vinculum seu propinquitas*, in quo covenit cum cognatione carnali. Dicitur *ex Copulâ*, præscindendo à *licitâ*, vel *illicitâ*, quia oritur ex omni, nam per hanc accedunt cognationes diversæ ad se invicem, ùt habetur *L. Non facilè. ff. de grad. affin.* nam in licita fit vir & mulier una caro, ad quam cognationes istæ ùt fines accedunt, undè D. Greg. relatus *cap. Fraternitatis. 35. q. 10.* sic ait: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri.* Et in omni copula tunc sanguis sanguinem tangit, adeóque sanguinis commixtio principium est affinitatis. Dicitur, *omni parentelâ carens*, scilicet per se, & ex parte affinitatis, cui per accidens est, si aliquando affinitas & consanguinitas in eodem reperiantur. Hinc etiam Arbor affinitatis stipitem alium non habet præter Conjuges.

Notandum Secundò: Olim triplicem fuisse Affinitatis speciem: II. Affinitas olim triplex fuit. Prima erat inter personam carnali copulâ licitâ vel illicitâ cognitam, ac ejus Consanguineos, & è contra inter eam personam cognitam, ac Consanguineos personæ cognoscentis, ùt constat ex *toto tit. de eo, qui cognosc. Consang.* Secunda erat inter verum affinem & maritum, seu uxorem sui affinis, v. g. Mævius est affinis Florentiæ uxoris fratris, si mortuo fratre Florentia nubat alicui, cum hoc viro habet Mævius affinitatem secundæ speciei. Tertia species erat cum Marito vel Uxore illius conjuncti secunda affinitatis specie, ùt in exemplo posito, si vir illo posterior Florentiæ ducat factus viduus aliam, hæc est conjuncta Mævio tertia affinitatis specie, habentur hæ duæ species *cap. Porrò. & cap. de Propinquis. 35. qu. 3.* & ita ex affinitate oriebatur affinitas, unde, qui antiquam affinitatis arborem per quinque lineas & cellulas hinc inde ductas, v. g. in medio *Primus gradus*, à parte dextra in prima cellula *frater*, in secunda *uxor fratris olim relicta*, & à sinistris *soror*, in secunda *vir uxoris olim relictus*, nunc allegant, non instruunt quid modò fit, sed quid fuerit, adeóque legentibus magis confusionem afferunt, quàm illuminationem, cum jam tolli debeant laterales ultimæ cellulæ.

Notandum Tertiò: Affinitatis III. Affinitas nunc est simplex. nunc esse unam tantùm speciem, nempè inter habentem copulam licitam vel illicitam, & consanguineos mulieris cognitæ, & vice versâ. Nec ex affinitate jam oritur affinitas ex *Decreto Concilii Lateran.* & habetur

cap.

cap. Non debet. de Consanguin. & affinit. adeóque Consanguinei Uxoris fiunt affines mariti, verùm inter Consanguineos mariti & Consanguineos Uxoris nulla prorsus intercedit affinitas, nec inter affines ipsos oritur aliud vinculum cum quacunque alia persona, unde filia uxoris ex alio Matrimonio habita, potest nubere filio aut fratri viri secundi, & duæ Sorores possunt nubere duobus fratribus, ùt habetur expresſè *cap. Quod super his. de Consangu. & Affinit.* Item potest quis in uxorem accipere relictam à propriæ uxoris fratre, v. g. Hortensius habet Florentiam in uxorem, Florentia habet fratrem Mævium, Mævius ducit in uxorem Amabiliam, si Florentia uxor & Mævius frater morerentur, potest Hortensius ducere in uxorem Amabiliam. Simili ratione potest quis diversis temporibus, plures fœminas sibi uxores accipere, quæ cum pluribus fratribus Matrimonio unitæ fuerunt, sit exemplum, Florentia & Amabilia nupserunt duobus Fratribus, potest quis tertius, v. g. Hortensius ducere *effectam viduam Florentiam*, & eâ mortuâ accipere Amabiliam, & tales fœminæ, quæ duobus fratribus junctæ fuerunt, dicuntur *Janitrices. Modestin. in l. Non facilè. §. ad fines sunt. ff. de gradib. Cognat.*

IV. Affinitas iterum alia est in linea recta, alia in transversa.

Notandum Quartò: In Affinitatis arbore stipitem esse duplicem illam personam, quæ per carnalem copulam commiscetur, in licita quidem, Uxor & Maritus, quæ Affines non sunt, sed principium affinitatis, habétque duplicem lineam, rectam scilicet & transversam seu lateralem. In linea recta Ascendentes sunt *Socer, Socrus, Vitricus, Noverca:* Descendentes sunt *Nurus, Gener, Privignus, & Privigna:* In transversa collaterali sunt *Levir*, seu frater viri, & *Glos* seu soror viri, & sorores uxoris, & omnes illi, qui alteri Conjugi sunt Consanguinei. Hinc

V. Regula ad cognoscendum affinitatis gradum.

Notandum Quintò: Ad cognoscendos Affinitatis gradus Glossam *in cap. Non debet. v. In secundo. de Consangu.* hanc ponere regulam: *Persona addita Personæ per carnis copulam mutat genus, sed non gradum.* Id est, si ex duobus fratribus, qui sunt in primo gradu Cosanguinitatis, unus contrahat Matrimonium cum aliqua fœmina, vel eam aliàs cognoscat, hæc fœmina addita viro mutat genus Consanguinitatis in affinitatem, non tamen gradum, nam sicut fratres erant uniti simul in primo Consanguinitatis gradu, ita frater cognoscentis fit mulieris Affinis in primo gradu, & vice versâ, unde Scotus in 4. d. 41. hanc clariorem præbet regulam ac Universaliorem: *Quoto gradu Consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis ab eodem distat illa, quæ est ab isto carnaliter cognita*, hinc frater viri distabit in primo, filius fratris illius in secundo, & sic deinceps; eâdem ratione discurre de aliis lateralibus, hinc patebit vulgare illud axioma: Affinitatem gradus non habere, sed mensurari gradibus Consanguinitatis. Inspice arborem sub litt. D. & quæ in transversis desunt, accipe ex arbore Consanguinitatis. His prænotatis

VI. Affinitas ex copula licita dirimit usque ad quartum gradum.

Dico Primò: *Affinitas orta ex copula licita, seu matrimoniali, dirimit Matrimonium contrahendum usq; ad quartum gradum inclusivè.* Patet ex *Concil. Lateran. & refertur cap. Non debet de Consang. & Affinit.* ubi dicit: Prohibitis quoque copulæ Conjugalis quartum Consanguinitatis & Affinitatis gradum de cætero non excedat, adeóque nunc etiam antiqui Canones restringuntur, quibus impedimentum hoc extendebatur usque ad septimum gradum, & alia duo Affinitatum genera etiam tolluntur, scilicet, in quo affinitas oriebatur ex affinitate, nam olim maritus viduæ contrahebat affinitatem secundi generis cum Consanguineis prioris mariti usque ad quartum gradum, si verò viduâ defunctâ duxisset maritus ejusdem secundam uxorem, hæc rursum contrahebat affinitatem tertii generis cum Consanguineis primi mariti usque

que ad secundum gradum, ùt declarat Glossa in *cap. Non debet.* uti patet ex dictis supra.

VII. *Ex illicita usque ad secundum.* Dico Secundò: *Affinitas orta ex Copula illicita dirimit Matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè.* Patet ex Conc. Trident. *Sess.* 24. c. 4. *de Reform.* ubi etiam Jura antiqua restringit his verbis: *Sancta Synodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

Dices: Ex authoritate hac saltèm sequi copulam in ulterioribus gradibus impedire Matrimonium, licèt non dirimat, quia utitur termino limitante *non dirimere*, adeóq; manebit impedimentum impediens. Respond. Negando ant: nam in primis dici posset: Omne impedimentum dirimens esse eminenter impediens, cùm ergò tollatur impedimentum dirimens, tolletur etiam impediens. Deindè mentem Concilii volentis tollere tàm impedimentum dirimens, quàm impediens, declaravit Pius V. per motum proprium editum 1566. incipit: *Ad Romanum Pontificem*, ubi ait: *Declaramus, & authoritate Apostolicâ decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quo minùs in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè & licitè matrimonium contrahere possit.*

VIII. *Affinitas non dirimit Jure naturæ in linea transversa.* Dico Tertiò: *Affinitas in linea transversa nec in primo dirimit Matrimonium jure naturæ, sed tantùm Ecclesiastico.* Quòd dirimat Ecclesiasticò, patet ex pluribus capitib. 35. q. 1. q. 10. &c. Prima pars ergò probatur: Quia Jacob Patriarcha accepit duas sorores, *Genes.* 29. Judas dedit eidem mulieri successivè duos filios in Matrimonium, *Genes.* 39. nec tamen hoc reprehenditur à Scriptura, imò *Deut.* 25. præcipitur, ùt, si frater obierit absque liberis, alius frater viduam in uxorem suscipiat. Idem Probatur etiam, Tum ex *cap. finali. de divortiis*, ubi Pontifex permittit, ut qui in infidelitate contraxerat cum vidua fratris sui, permaneat cum ipsa. Tum denique ex factis multorum Pontificum, Alexandri VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ. Julii II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, & Catharina Arragonica, quam postea impuro amore Annæ Bolenæ ductus iterum repudiavit. Innocentii X. cum Rege Poloniæ Casimiro.

Opponitur in contrarium Authoritas Scripturæ Sacræ tàm antiqui, quàm novi Testamenti, nam Levit. 18. dicitur: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.* Et Matth. 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et Marci 6. ubi Joannes Baptista graviter increpavit Herodem, quòd uxorem fratris sui Philippi duxisset, atqui Herodes non tenebatur alia lege, quàm Jure naturæ, ergò. Respon. ad primum, illud præceptum fuisse Mosaicum legale, non naturale. Ad alterum dico, D. Joannem justè increpâsse Herodem propter Herodiadem, Tum Quia ille, utpote Proselytus, tenebatur ad Legem Mosaicam, quam professus fuerat, sicut & Pater suus ac alii. Deindè redarguit illum, quia vivente fratre suo Philippo eam duxerat, ùt explicat D. Thomas.

Dices: D. Augustinus de fide & operib. cap. 19. ait: Ambiguum esse, an Philippus frater ejus tunc viveret: Imò D. Chrysost. hom. 41. in Matthæum asserit, illum mortuum fuisse, ergo nulla solutio. Respond. Sicut asserunt Patres isti, ita oppositum quoq; docent alii, ùt Beda in illum locum, & antecedenter Josephus lib. 18. Antiqvit. cap. 6.

Dico Quartò: *Affinitas ex copula licita probabiliter nec in primo gradu lineæ rectæ Jure naturæ dirimit Matrimonium, quamvis oppositum sit etiam non minus probabile.* Ita Doctor Subtilis in 4. d. 41. §. Ad quæstionem, quoad primam partem, Mastrius & Scotistæ. Probatur prima pars ex 3. Regum 2. ubi Adonias filius David petiit Abisai Sunamitidem in uxorem, & illa erat uxor David, ùt constat ex 2. Regum cap. ult. IX. *Probabiliter non dirimere in primo gradu Jure naturæ.*

 ergò

ergò signum est, tale Matrimonium non esse Jure naturæ interdictum.

Probatur Secundò: Tum, Quia talis conjunctio non opponitur primario, aut secundario fini Matrimonii, nam & prolificatio haberi potest, & remedium concupiscentiæ, & mutuum Conjugum obsequium in rebus domesticis: Nec intercedit apud ipsos aliqua relatio Superioritatis, vel principii, aut debitæ reverentiæ, nec apparet tanta indecentia, sicut inter Parentes & filios. Adde, aliquos Authores dicere in isto gradu fuisse aliquando dispensatum, quam tamen in nullo classico authore citato deprehendi.

X. Probabile quoque est Jure naturæ dirimere. Probatur secunda pars ex Scriptura, Deut. 25. ubi dicitur: *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus, & dicet omnis populus Amen*; & paulò pòst: *Maledictus, qui dormit cum socru sua, & dicet omnis populus Amen.* Et hinc ante Gen. 49. Jacob morti vicinus maledixit Ruben primogenito suo, quòd maculâsset paternum thorum, dormiens cum Patris uxore, cùm tamen aliis filiis majoribus criminibus infectis non maledixisset. Amos 2. dicit Patrem & filium euntes ad puellam, blasphemâsse Nomen Sanctum Domini. In novo testamento quoque tale vitium graviter reprehendit D. Paulus 1. Corinth. 5. ajens: *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ità ut uxorem Patris sui quis habeat.* Si ergò gentes legem non habentes pro magno scelere, & nefas habuerunt tale connubium, signum est, id Jure Naturæ inhibitum esse.

Probatur eadem pars ex D. August. *lib. 22. contra Faustum. cap. 61. & refertur cap. Si vir & uxor. 35. q. 3.* ubi dicitur: *Si vir & uxor non duo, sed una sunt caro, non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* Hinc sequitur Ratio; Quia Privignus eandem ferè debet reverentiam Novercæ, quàm Parenti, quia Vitricus & Noverca per Matrimonium facti sunt una caro. Deindè, maxima omninò videtur indecentia, quòd privignus ad novercam auderet accedere. Tandem qui hanc sequuntur opinionem, dicunt nunquam in simili casu fuisse dispensatum, deferat Authoribus Lector, quibus voluerit. Ego censeo, primam partem esse amplectendam tàm ptopter authoritatem Doctoris, quàm propter alia dicta, & dicenda.

Si primam partem quis etiam vult amplecti, ad authoritates proximè allegatas dicere oportet, maledictiones illas, & exaggerationes factas esse, eò quòd tàm Ruben vivente Patre ascenderet cubile suum, sicut etiam incestuosus Corinthius, ùt explicat Cajetanus, Sedulius, Sanchetz. Ad rationem autem fatendum est, aliquam esse indecentiam, eámque satis gravem, non quidem ex qua jus naturæ colligi posset, sed talis tamen, idque jure naturæ, quæ Matrimonium prohibendum dictet, neque dispensandum esse, nisi aliqua gravissima ratio præponderaret.

Qui verò hanc secundam partem vult amplecti, dicat Adoniæ petitum fuisse irrationabile, adeoque etiam per Salomonem merito mulctatum. Vel dic, ejus petitum non probare unquam fuisse, vel Jure naturæ non esse prohibitum, cùm in sua petitione errare potuerit. Rationes facilè solvuntur per oppositas de reverentia debita, & magna indecentia.

Dico Quintò: *Ut Affinitas vera impedimentum dirimens contrahatur, debet copula habita fuisse facta cum emissione seminis virilis intra vas naturale mulieris.* Ita Sanchetz, Reginaldus, Coning, Bonacinna, &c. Probatur Primò ex *cap. Lex Divina. 27. qu. 2.* ubi Benedictus Pontifex dicit: *Sed nec osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem.* Et *cap. Extraordinaria. 35. q. 3.* ubi Urbanus II. Pontifex ait: Pollutionem non impedire Matrimonium cum Consanguineis mulieris pollutæ, nisi in naturalibus admissa XI. Copula ad affinitatem debet esse cum emissione seminis.

missa sit. Quia tota ratio, ob quam affinitas ex copula oritur, est, quia per eandem vir & mulier una efficitur caro, sitque tunc diversorum sanguinum commixtio, & unus accedit ad fines Cognationis alterius, seu fiunt affines, ex *cap. Fraternitatis. 35. quæst.* 10. sed non fit sanguinis commixtio, nisi per copulam perfectam, & aptam ad generationem. Probatur Tertiò: Si fœmina conciperet absque congressu viri, sicut dicunt quidam historici, factum fuisse in fœmina balneante, quæ à viro aliquo malitiosè emissum semen concepit: aut si dæmon semen ab aliqua familia ablatum intra vas fœminæ deportaret, atque conciperet, tunc vera fieri commixtio seminum non ex copula, sed ratione seminis præcisè, ergò emissio seminis ad affinitatem contrahendam necessariò requiritur. Hinc

XII. Corollaria, ex quibus copulis oriatur affinitas.

Infertur Primò: Ex copula spadonum consummantium peccatum intra vas legitimum non oriri affinitatem, quia verum semen non emittunt aptum ad generationem.

Infertur Secundò: Non contrahi affinitatem sola fœmina seminante, quia hæc non est satis ad generationem.

Infertur Tertiò: Ex perfecta pollutione extra vas legitimum facta non sequi affinitatem, ex *cap. Extraordinaria. suprà.* adeóque nec ex coitu damnato & Sodomitico, aut cum muliere mortuâ, quia tantum est, ac si fieret cum trunco.

Infertur Quartò: Ex copula quacunque perfecta, sive licita, sive illicita, voluntaria, sive coacta, scita, vel occulta oriri affinitatem quoad Matrimonium dirimendum, & quidem de licita non est ullum dubium, de illicita putant aliqui Juris Consulti, non contrahi, sed solùm ex nuptiis, ex *L. Non facilè. ff. de grad. affinit.* Verùm lex illa loquitur & dicit, non oriri affinitatem quoad delationem hæreditatis & tutelæ, non verò quoad Matrimonii prohibitionem, clarus etiam est textus D. Pauli 1. ad Corinth. 9. in oppositum: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum ea.* De invita habetur *cap. Per discretionem. de eo, qui cognov. Consang. &c.*

XIII. Affinitas superveniens Matrimonio privat debitū petendi jure.

Dico Sextò: ***Affinitas Matrimonio superveniens privat incestuosum jure petendi debitum.*** Ita Sanchez, Bonacinna; & Probatur ex *cap. 1. de eo, qui cognov. Consan.* Verùm nota, incestum illum debere esse in primo vel secundo gradu, quia impedimentum affinitatis ex copula illicita post Tridentinum non extendit se ultrà, quare cognoscens consanguineam in tertio vel quarto gradu, non privaretur Jure petendi debitum, neque incestum committeret, nam sicut Jure antiquo affinitas se extendebat ad septimum gradum, intra quam copula illicita erat incestuosa, sed postquam per Tridentinum reductum est ad quartum gradum, copula illicita ultra illum non est incestuosa, ergò nec erit ultrà secundum, cùm ad illum gradum sit reductum præfatum impedimentum.

Attamen talis incestuosus tenetur reddere debitum petenti innocenti, quia innocens non debet pati propter delictum nocentis, si autem uterque deliquisset, neuter posset petere vel reddere, nisi fortè altera pars ex malitia copulam cum Consangvinea habuisset, ut se liberaret à reddendo debito, quia fraus non debet illi patrocinari, quare Jus in hoc casu *cap. Si vir. de Cognat. spirit.* restringit suam prohibitionem, vúltque Conjugem reddere debitum alteri petenti, quando commisit copulam eo malo fine.

QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De Impedimento publicæ Honestatis.

I. Ratio honestatis publicæ.

IMpedimentum publicæ honestatis in Jure dicitur *Justitia publicæ honestatis*, à Theologis verò communiter *publica honestas*, & aliquando simpliciter *honestas*, quæ est filia quædam affinitatis, nam sicut per Matri-

trimonium vir & fœmina perfectè copulantur, atque ita affines efficiuntur, ita sponsi imperfectè conjunguntur; illi quidem per copulam, isti per sponsalia; illi habent Matrimonium consummatum; isti tantùm aliquod Matrimonii initium, ideò ibi majus vinculum & impedimentum contrahitur, minus verò ex sponsalibus, & solùm ex æquitate, convenientia, & decentia. Itaque Notandum Primò:

II. Describitur publica honestas. Impedimentum *publicæ honestatis* benè describi, quòd sit *propinquitas, seu necessitudo quarundam personarum ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione ob honestatem ejus.* Et patet, ly *Propinquitas* habet rationem generis. Per ly *Ex sponsalibus proveniens* distinguitur ab affinitate. Dicitur ex *Ecclesiæ Institutione*, ad denotandum cujus sit Juris; nempè Ecclesiastici, quod habetur *cap. Litteras. de Desponsat. impub. cap. Juvenis. cap. Veniens. cap. ad audientiam, cap. Sponsam. de sponsal.* & meliùs *cap. Unico. de sponsalibus. in* 6. Dicitur, *Propter honestatem ejus*, id est, Ecclesiæ, quia nimirum æquum & consonum est honestati Ecclesiæ, ut propter inchoationem Matrimonii, quæ in sponsalibus habetur, Consanguineis sponsi interdicatur Matrimonium cum altera.

III. Publica honestas oriebatur olim ex sponsalibus irritis. Notandum Secundò: Jure antiquo consurgebat ex quibuscunque sponsalibus certis, determinatis, absolutis, id est, absque conditione, quæ nondum impleta esset, initis, quamvis ea irrita essent quacunque ex causa, dummodò non irrita essent ex defectu consensûs, uti habetur *cap. Unico. de sponsal. in* 6. ex motivo, ut obviaretur fraudibus, atque impedirentur iniquè contra impedimenta Matrimonii, contrahentes sponsalia; Verum tamen hoc est de facto correctum per Jus novum Tridentini Sess. 24. de Matrimon. cap. 3. ubi clarè decidit, atque determinat, publicam honestatem non oriri ex sponsalibus invalidis, dicens: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quâcunque ratione valida non erant, Sancta Synodus prorsus tollit*, hinc contrahenti cum quocunque impedimento invalidante sponsalia, non consurget publica honestas.

IV. Publica honestas dirimebat ex sponsalibus usque ad quartum gradum, nunc tantùm ad primum. Notandum Tertiò: Jure antiquo impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum extendebatur usq; ad quartum gradum, ut tenent AA. passim, licèt textus expressus non habeatur, & quod cap. I. & alii textus suprà relati expressè loquantur de Consanguineis, Consanguinei autem censentur usque ad quartum gradum. Tamen Jus novum Tridentini suprà, ubi deciditur Impedimentum hoc ex sponsalibus validis ad primum Consanguinitatis gradum solùm extendi, cùm ergò indistinctè loquatur, intelligi debet de primo gradu tantùm, sive in linea recta, sive transversa. Hinc contrahens, sponsalia valida, non potest validum inire Matrimonium cum patre, fratre, matre, sororibus, vel filiis alterius sponsi, attamen potest cum aliis Consanguineis, sive ascendentibus, sive descendentibus, sive collateralibus, quia omnes alii sunt tantùm conjuncti ultra primum gradum. His prænotatis

V. Ex sponsalibus invalidis non oritur honestas. Dico Primò: *Ex Sponsalibus invalidis quâcunque ratione, etiam defectu consensûs non oritur impedimentum publicæ honestatis.* Ita Ledesma, Navarrus, Bonacinna, contra Sanchetz: Probatur, Quia Trident. suprà statuit ex sponsalibus quacunq; ratione invalidis non oriri impedimentum honestatis publicæ, sed nihil magis requiritur ad valorem sponsalium, quàm consensus internus, qui est fundamentum & basis contractûs, ergò sponsalia nulla ex defectu consensûs non inducunt publicam honestatem. Hinc sponsalia celebrata ex metu gravi constantem in personam cadente, sicut nulla sunt ex defectu liberi consensûs, ex *Glossa. Clementina. Unica. v. Matrimonialiter. de Consang.* ita etiam honestatem non inducunt. Item non inducunt sponsalia puerorum ante usum

usum rationis, & amentium, quia non possunt habere debitum consensum. Similiter nec sponsalia cum errore personæ, quia nulla sunt ex defectu consensûs, nihil enim tàm contrariatur consensui, quàm error.

VI. Nec ex sponsalibus incertis. Dico Secundò: *Ex Sponsalibus incertis nullum oritur honestatis impedimentum.* Probatur ex *cap. Unico. de sponsalibus. in* 6. ubi habetur decisa; Tum ex Trident. suprà, Tum, Quia incerta sponsalia dicuntur, quando aliquis protestatur, vel promittit se velle aliquam ducere ex quatuor filiabus Hortensii, atqui hæc promissio est nulla, ergò nec impedimentum afferet.

VII. Nec ex sponsalibus conditionatis. Dico Tertiò: *Ex Sponsalibus conditionatis de futuro nulla consurgit honestas, ante conditionis eventum.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Mastrius &c. Probatur ex eodem capite suprà, ubi etiam redditur ratio: Quia conditio suspendit consensum usque ad ejus eventum, ergò sponsalia ante eventum conditionis sunt nulla, ergò nec impedimentum inducent. Hinc existimant aliqui, si quis sub conditione contraheret cum Florentia, posset postmodùm, antequam conditio impleretur, contrahere cum sorore ipsius. Florentiæ sponsalia, ex quibus nasceretur impedimentum honestatis, ita quòd amplius Florentiam nequiret accipere. Ast obstat *cap. Unicum. suprà* ajens: Posteriora sponsalia non derogare prioribus, & quia posteriora non sunt validè contracta, quod tamen ex Trident. requiritur, unde AA. illi loqvuntur præcisè, quid de Jure antiquo fuerit, ubi etiam sponsalia invalida inducebant hoc impedimentum, contra quod statim ponam sequentem Conclusionem. Dixi autem in Conclusione *de futuro*, quia si esset de præterito vel præsenti conditio adjecta, statim oriretur impedimentum honestatis, si conditiones verè existerent, ùt habet *cap. cit. §. ante conditionem extantem.*

VIII. Sponsalia posteriora non inducunt honestatem. Dico Quartò: *Supervenientia sponsalia prioribus validè factis cum Consanguinea sponsæ, non inducunt impedimentum publicæ honestatis.* Ita Sanchetz, Bonacinna, Mastrius. &c. Probatur ex *cap. Unico. de sponsalibus, in* 6. ubi dicitur: *Ex sponsalibus puris, & certis, dummodò non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.* Uubi Glossa verbo *Derogatur* rationem reddit: *Quia posteriora sponsalia prorsus irrita sunt ratione publicæ honestatis justitiæ ex prioribus inductæ,* ac proindè ex posterioribus non potest honestas prioribus derogans consurgere. Itaque nunc est certum ex Tridentino decidente, ex sponsalibus irritis non consurgere impedimentum honestatis. Per quod patet solutio ad opinionem suprà insinuatam; Nam, quamvis ante eventum sponsalia priora non haberent suum effectum plenum, valida tamen erant, & tenebantur sponsi expectare eventum conditionis, antequam possent ad alia progredi sponsalia.

IX. Sponsalia debent esse pura. Dico Quintò: *Ut Sponsalia publicam honestatem inducant, quæ dirimat Matrimonium cum Consanguineis alterius sponsi in primo gradu, requiritur, ut sint pura, certa, determinata, & omnimodè valida.* Patet, Tum ex Trident. cit. Tum supra refutatis aliis Sententiis; Tum ex Disputatione prima, ubi de Sponsalibus fusius fuit actum.

X. Honestas trahitur cum illegitimis Consanguineis. Dico Sextò: *Publica honestas ex validis sponsalibus orta, contrahitur quoque cum Consanguineis illegitimis alterius sponsi.* Ita Sanchetz. Probatur: Quia in contrahendis sponsalibus Jus naturale & pudor sunt inspicienda. *L. Adoptiv. §. Serviles. de Ritu Nupti.* Sed illegitimi sunt verè naturales Consanguinei, ergò eadem versatur honestas inter illos quoad abstinendùm à Matrimonio, ac cum legitimis, adeòque sponsalia illam quoque inducent. Confirmatur à pari: Quia Consanguinitas, Affinitas, Cognatio spiritualis contrahi-

trahitur cum illegitimis æquè ac legitimis, ergò.

Dices. *Authentica. Ex Complexu C. incest. Nupt.* dicitur, illegitimos non esse nuncupandos filios, ergo. Respond. verum esse quoad aliquos effectus juris Civilis, ùt successionis, hæreditatis, & tutelæ, non verò quoad effectus juris Canonici circa Matrimonialia.

XI. Honestas non solvitur per spõsalia mutuo consensu dissoluta.

Dico Septimò. *Publica honestas oritur quoque ex sponsalibus ritè contractis, mutuò tamen consensu dissolutis.* Ità Bonacinna, Brancatus, Mastrius &c. Probatur primò. Quia sponsalia illa ante mutuam dissolutionem vera, ac valida fuerunt sponsalia, ut supponitur, ergo tunc induxerunt impedimentum publicæ honestatis. Probatur Conseq: Quia impedimenta Matrimonium dirimentia non dependent à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ constituit illa etiam contra voluntatem subjectorum, ergò. Secundò. Quia ratio, propter quam Ecclesia introduxit impedimentum publicæ honestatis, ista est, quia non decet Matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia, atqui non obstante dissolutione per mutuum consensum, factæ sibi erant propinquæ, ergo. Probatur. Non obstante dissolutione sponsalium per mortem subsequentem manent sibi superstites adhuc propinqui, ergo.

Dices pro Rebello, & Basilio Ponce Congregationem Sacram declarâsse sponsalia talia non esse valida, ergo non inducunt honestatem. Respond. Congregationem Sacram posteriorem declarâsse oppositum, scilicet: Non tolli impedimentum publicæ honestatis sponsalibus mutuo consensu dissolutis, ut refert Bonacinna. q. 13. de Imped. n. 11, ob quam priorem suam opinionem revocavit. Potest etiam responderi, Congregationem Sacram priorem non dixisse sponsalia mutuo consensu dissoluta esse invalida, sed non esse obligatoria, quod enim semel validum fuit, nunquam potest amplius dici pro illo tunc invalidum.

XII. Honestas quoq. provenit ex Matrimonio.

Dico Octavò. *Impedimentum publicæ honestatis non solùm provenit ex validis sponsalibus, sed etiam ex Matrimonio rato, etiam invalido, modò non ex defectu consensûs.* Ità Sanchetz, Coning, Bonacinna, Mastrius. Prima Pars patet *ex Cap. sponsa, & Cap. Ad audientiam de sponsal.* & licèt ex præfatis locis expressè non haberetur, Ratio à fortiori convincit, quia sponsalia valida inducunt honestatem, ergo & Matrimonium ratum validum, quia hoc sponsalia de præsenti involvit, aut præcessisse præsupponit. Deinde est fortius vinculum connectens personas quaspiam in Consanguinitate, ergo.

XIII. Etiam invalido.

Probatur secunda pars ex Motu proprio Pii. V. edito 1568, qui incipit *Ad Romanum Pontificem*, ubi præmittens multos dubitâsse, an Tridentinum Seff: 24. cap. 4. irritans impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus invalidis, & determinans valida hanc solùm inducere, nec excedere primum gradum, illud decretũ intelligatur solùm de sponsalibus de futuro, vel etiam de Matrimonio de præsenti non consummato, dicit: *Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus decretum Concilii hujusmodi, non intelligendum esse & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio sic (ùt præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat*; sed Jure antiquo oriebatur impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio irrito, dummodò non ex defectu consensûs *Cap. Unico. de sponsalib. in. 6.* ergò etiamnum oritur, cùm nihil sit aliter jure novo dispositum, & ità à Pontifice declaratum.

Dices. Impedimentum publicæ honestatis non consurgit ex sponsalibus invalidis, ergo nec ex Matrimonio invalido. Respond. Negando Conseq.

Conseq. Quia aliter dispositum est de Matrimonio rato per Bullam Pii V. supra.

XIV. Nisi sit ex defectu Consensus. Limitata autem fuit Conclusio, modò non sit invalidum ex defectu consensûs, quia id etiam jus antiquum limitabat, unde Matrimonium invalidum ex defectu consensûs, ex errore, gravi metu, fictione, cum persona incerta, non inducet honestatem, prout etiam de sponsalibus similibus dictum fuerat.

E contra verò Matrimonium ratum invalidum ex defectu alicujus impedimenti, qualecunque illud sit, sive affinitatis, sive cognationis alicujus, sive ex ipsis sponsalibus prioribus ortum habeat; Unde, qui contraheret sponsalia cum Florentia, & postmodum haberet Matrimonium ratum cum ejus sorore, quod est nullum, talis postea non posset contrahere cum Florentia, quia ex Matrimonio rato cum ejus sorore consurrexit publica honestas dirimens usque ad quartum gradum, inter quos etiam est Florentia, quæ est in primo.

XV. Ad quos gradus dirimat publica honestas. Ex his patet Publicam honestatem ex sponsalibus ortam dirimere Matrimonium intra primum gradum; Ortam veò ex Matrimonio rato usque ad quartum gradum: Primum patet ex Trident. sæpe cit. Secundum verò ex Bulla Pii. V. *Ad Romanum Pontificem* supra.

XVI. Impedimentum honestatis est perpetuum. Dico Nonò. *Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, ità ut nec morte alterius Conjugis extinguatur.* Ità Sanchetz. & hoc decidunt *Cap. Sponsam de sponsal. in. 6. & Cap. Si quis Uxorem. & Cap. Si quis desponsaverit* dicentia: nullum ex Consanguineis alterius sponsi posse sponsam ducere; cujus decisionis sensus non est, nullum ex Consanguineis quibuscunque, sed nullum ex Consanguineis intra gradum prohibitum posse in perpetuum id Matrimonium inire. Idem colligitur ex Cap. Fraternitatis. 35. q. 10. Et ità tenet etiam Glossa *Cap. Uni. de sponsal. in 6. Publicè.*

QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De Impedimento Criminis.

TRia enumerant aliqui post D. Thomam impedimenta criminis Matrimonium dirimentia, verùm duo tantùm sunt, & quando utraque simùl concurrunt, quasi tertium constituunt; Primum est Homicidium: Secundum est Adulterium, & hoc iterum debet esse triplici vitiô gravatum & caudatum; nempe cum homicidio; vel secundò, cum fide data, de contrahendo cum adultera post mortem Conjugis Matrimonio. Tertiò vel cum contractu Matrimonii de præsenti cum adultera. Hoc præmisso: I. Crimen est duplex: Homicidium, & Adulterium.

Dico Primò. *Crimen Homicidii & Adulterii jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium inter criminosos tantùm.* Ità definitum & constitutum est in pluribus Canonibus *Cap. 1. 2. 3. 4. & Cap. super hoc*: de eo qui duxit in Matrimonium eam, quam polluit per adulterium, ubi dicitur: *Si adulter. est aliquid in mortem Uxoris machinatus, sive fidem dedit, sive non, quod eâ defunctâ hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur.* Item *Cap. finali eodem tit. Si quis Uxore vivente fide datâ promisit illam se ducturum, vel cum ipsa defactò contraxit, si nec ante, nec post legitimo ejus superstite cognovit eandem, non est Matrimonium, quod cùm eâ contraxit post Uxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, si prius vel post, eam, dum vixerat Uxor ipsius, adulterio polluisset.* Idem statuitur *Cap. 1. de convers. infideli. Cap. 11. Si quis vivente* 31. q. 1. Ratio hujus impedimenti est, nè propter spem futuri Matrimonii detur captandæ mortis conjugum ansa & occasio. II. Crimê Adulterii & Homicidii est de Jure Ecclesiastico.

Dices: David Vir Legum zelantissimus post adulterium Bethsabee, & simul junctum homicidium Uriæ Mariti illius duxit eandem in Uxorem, ergo frustra prohibuit Ecclesia. Respond. Negando Conseq. III. Non de Jure Naturæ, adeóq; infideles non constring.

quia

quia ex facto illo tantùm sequitur impedimentum hoc non esse juris naturæ, sed Ecclesiastici sanctissimè conditi ad impedienda Uxori- & Viricidia, nihil enim atrocius in Conjugio reperiri potest, quàm parari insidias, aut machinari mortem consortis, cùm arctissimô & summô vinculô inter se devinciri debeant; Unde etiam infideles, qui tempore infidelitatis crimen adulterii vel homicidii commisissent, possunt postmodum ad fidem conversi invicem validè contrahere, cùm tunc Ecclesiæ subjecti non fuerint, si tamen unus complex esset fidelis & alter infidelis, fidelis hoc impedimentum contraheret, cùm ipse sit Ecclesiæ subjectus, non autem infidelis.

Instabis. Fidelis non contrahit cognationem legalem, quando Patrinum agit cum infideli, aut illo baptizante, quia infidelis non contrahit illam, ergo si infidelis non subjacet crimini homicidii, nec subjacebit fidelis à paritate rationis. Respond. Negando Conseq. Disparitas est, quia cognatio habet veram rationem relationis, ùt ipsum denotat vocabulum cognationis, & relatio non ponitur in esse, nisi sit fundamentum & terminus correlativus; Crimen verò homicidii non sic se habet, sed subsistere potest, licèt non sit in altero complice, videlicet in infideli.

Probatur secunda Pars *ex Cap. Litterarum. de eo, qui duxit*, adeóque criminosi cum aliis quibuscunque non interessatis ducere possunt.

IV. Homicidiũ solum dirimit Matrimonium. Dico Secundò. *Homicidium solum Viri vel Uxoris ab utraque parte machinatum, sive ut fiat consulendo, imperando, media subministrando, actu consummatum cum spe Matrimonii dirimit postmodum contractum inter Criminosos.* Ità D. Thomas, & universi Theologi, ùt ait Sanchetz. Ubi notandum, conclusionem habere plures partes, quas alii per modum Conditionum separatim subjungunt, sed in Conclusione duxi addendas.

Probatur prima pars de Homicidio solo; Quia Canones hoc impedimentum statuentes adulterium conjunctum non requirunt, *ùt Cap. 1. de convers. infidel.* nullam de adulterio mentionem facit. Deinde, quia, cùm ratio hujus impedimenti sit, nè ob Matrimonii spem detur occasio homicidiis, rationi consonat, ut ex solo homicidio perpetrato consurdat hoc impedimentum, licèt non adsit adulterium: fateor quidem, si una pars tantùm rea esset Machinationis, requiri tunc conjunctum adulterium, ùt deducitur *ex Cap. Significâsti, de eo, qui duxit.*

Probatur secunda Pars *Viri vel Mulieris*, quia parum refert, sive Uxor occidat Virum, sive Vir Uxorem, ut habetur *Cap. Si quis vivente.* 31. *q.* 1. ubi casus deciditur sequens: Quidam cum Conjugata adulterium commisit, & postea Vir illius Conjugatæ obiit, quæsitum fuit, an mulier illa adulterum præfatum ducere possit, & deciditur, posse illam adulteram ducere cum hac tamen clausulâ, *Nisi fortè adulter, aut Mulier Virum, qui mortus fuerat, occidisse notetur. Et Cap.* 1. *de Convers. Infidel.* ubi hoc impedimentum statuitur, sermo est de Uxore, quæ mediô cujusdam infidelis ministeriô virum interfecit. *Item Cap.* 1. *de Divortiis*, ubi deciditur: quòd Mulier insidiatrix mortis mariti absque spe Conjugii stet pœnitentiæ subjecta, ergo parum refert, sive sit Uxori sive Viricidium; sive fiat per se, sive per alium, sive physicè, sive moraliter influendo. V. Sive sit Uxori-sive Viricidiũ.

Non sufficit autem sola ratihabitio. Nam licèt ratihabitio retrahatur, & mandato comparetur etiam in delictis, & etiam quoad Excommunicationis sententiam inducendâ ex *Cap. cùm quis. de sent.* Excom. in. 6. nihilominùs, cùm ex sola juris fictione retrotrahatur, & mandato comparetur, non habet locum, nisi in subjecta antecedenter aliqua ratione consenserint, cùm enim sit res pœnalis, & Matrimonium cassans, extendi minimè debet, sed valdè restringi, cùm igitur ratihabitio non sit machinatio, nec homici-

micidium, his comparari non debet.

VI. Debet esse actu perfectum, & secutum. Probatur tertia Pars, nempè quòd debeat esse actu consummatum; Nam *ex Cap. Si quis vivente.* Manifestè petitur actus consummatus ibi: *occidisse notetur.* quamvis alii igitur textus ùt *cap. super hoc. Cap. 1. & Cap. Significâsti. de eo qui duxit,* de sola machinatione mortis Conjugis mentionem faciant, tamen verba illa cum effectu sunt accipienda, si non adsit conjunctum adulterium, *Cap. Relatum. de Clerico non resid.*

Dices. Glossa dicto *Cap. super hoc. verbo. machinata.* refert quosdam dixisse sufficere solum conatum, ergo. Respond. Sufficere conatum verè influentem per modum consilii, mandati &c. licèt ipsemet actu, & propriis manibus homicidium non perpetret, si enim illa consilia vel auxilia nullius fuerint effectûs & cooperationis ad mortem, nihil operantur, v. g. Si interficiens jam omninò erat determinatus ad interficiendam compartem, nec per consilium fuit animosior factus; vel si consilium aut mandatum suum jam revocavit, ut nullum prorsus effectum habuerit, ità ut excuset à restitutione, & ab irregularitate mandantem & consulentem.

VII. Cum spe futuri Matrimonii. Probatur quarta Pars De spe, & fine Matrimonii contrahendi ex *Cap. Si quis. 31. q. 1.* ubi hoc requiri dicit Bonacinna; ast Cajetanus negat illud ibi expressè inveniri. Quidquid tamen sit, hanc spem debere adesse ad Homicidium saltèm ex una parte, nullibi enim reperitur necessariam esse utriusque intentionem: Probatur Tum, licèt id expressè in textu non haberetur, colligitur tamen ex eodem *Occidisse notetur,* Verbum enim *Notetur* significat malitiosam procurationem mortis Conjugis, ac notâ infamiaque dignam, qualis est, quando eo dirigitur, ut Matrimonium cum homicida contrahatur. Tum etiam ex fine hujus impedimenti; Quod ideò statutum est, nè Conjux Conjugem vitâ orbaret, & sic dissolutô Matrimoniô ad aliud transire possit cum persona, quam inordinatè depetiit. Hinc non contrahitur hoc impedimentum, quando Vir occidit fœminam, ut ad alias possit transire nuptias nullam sibi determinando personam, nec cum aliqua certa correspondendo. Nec contraheretur, si uterque consentirent in mortem Conjugis, tantùm ut liberius libidini vacare possint, aut nè in adulterio deprehendantur, & à Viro occidantur.

VIII. Adulteriū cum Homicidio dirimit. Dico Tertiò. *Adulterium consummatum habens adjunctum homicidium illius, cum cujus conjuge contrahendum cum intentione contrahendi Matrimonium, cum illo causat impedimentum dirimens.* Probatur *ex Cap. Si quis. 31. q. 1.* nec requiritur in hoc casu, ut uterque cooperetur in mortem alterius, aut etiam consentiat, vel sciat, sed sufficit, si unus cooperetur, & sit conscius, nam per hoc distinguitur crimen adulterii cum homicidio à crimine solius homicidii, in quo requiritur, ut uterque contrahens sit homicidii particeps.

Dixi autem *consummatum*, id est plenè perfectum, id est, cum seminis emissione intra vas mulieris, ante hanc enim adulterium non est consummatum. Unde etiam ulterius requiritur, ut uterque noverit esse adulterium, si enim Florentia peccaret cum Gaudentio, quem existimaret Juvenem liberum, non contraheret hoc impedimentum, quia non est adulterium formale, tunc Florentia posset validè Matrimonium cum Gaudentio contrahere, ùt patet *ex Cap. Veniens. Cap. Significâsti. de eo qui duxit.*

IX. Adulteriū cum Contractu Matrimonii dirimit. Dico Quartò. *Adulterium cum contractu Matrimonii de præsenti etiam clandestino vivente altero Conjuge inducit impedimentum Matrimonii.* Ita Doctores passim.

Probatur *ex Cap. Veniens, & Cap. finali. de eo, qui duxit,* ubi hæc duo, scilicet Matrimonium & Adulterium simul requiruntur, nec unum sufficit sinè altero parum, tamen refert, an Matrimonium de præsenti contra-

contractum, quantum scilicet est in ipsis, præcedat copulam seu adulterium, sive sequatur, uti benè advertit *Cap. finali*, quia in utroque casu datur captandæ mortis Conjugis occasio.

Probatur de Clandestino, quamvis Matrimonium clandestinum aliàs sit irritum & nullum, nihilominus, si fiat talis contractus inter adulteros, non modò ex clandestinitate erit nullum, sed etiam ex hinc superveniente crimine, non enim ponderatur hic valor Matrimonii, sed attenditur Criminis ratio, quod facit, ut, si & ubi alioquin Matrimonium clandestinum esset, validum tamen ex solo hoc capite propter crimen irritaretur.

Probatur secunda Pars de vivente altero Conjuge *ex Cap. finali. de eo qui.* ubi dicitur; *Dum vixerit Uxor ipsius. Et cap. 1. eodem tit. Et illam maximè cui fidem dederat Uxore sua vivente.* Et Ratio est, quia si non viveret, non esset adulterium ex parte illa, adeóque nec crimen induceretur, unde, si quis Conjugatus esset, dubitaret autem, an Conjux suus viveret, à simili contractu deberet abstinere, præsumendus enim esset vivere, Mors enim non præsumitur, nisi id tempus transactum sit, ultra quod vita humana moraliter non extenditur.

X. Adulterium cum promissione Matrimonii dirimit.

Dico Quintò. *Adulterium cum promissione futuri Matrimonii post mortem illius, cum cujus Conjuge committitur adulterium, dirimit Matrimonium.* Ità Doctores passim. Probatur ex *Cap. Relatum* 31. *q.* 1. ubi sic habetur. *Insuper Mœchæ vivente Viro suo juramentum dedisse, ut post Mariti legitimi mortem, si supervixisset, duceret Uxorem.* Ex quo infertur etiam hanc promissionem esse grave peccatum præscindendo ab adulterio, quæ est causa ordinati hujus impedimenti, cùm non expectetur mors alterius Conjugis ad Matrimonium perficiendum, neque eo usque differatur, hinc Cap. finali sæpe cit. mandatur eis pœnitentiam esse injungendam, si enim non super adderetur adulterio promissio, adulterium simplex non impediret postmodum contrahendum, nam ipsa promissio facit quandam certitudinem de futuro Matrimonio, adeóque præbetur ansa captandæ mortis, quod textus omnes præcavere intendunt, & habetur etiam *ex L. final.* de Pactis.

Dico Sextò. *Promissio Adulterio superaddita, ut impedimentum dirimens adducat, debet esse vera, signò aliquò externò expressa, & à Comparte acceptata.* Ità Sanchez, Bonacinna &c. Probatur prima Pars, Quia promissio ficta nulla est promissio, sicut fictè hæresim pronuntians non est hæreticus, & fictè baptizans non baptizat, ergò nec fictè promittens, ullatenus promittit. Confirmatur, qui fictè rebaptizat, non incurrit pœnam irregularitatis, & qui fictè hæresim profert, non incurrit Excommunicationem, alioquin à Jure utrobique latam, ergo nec qui fictè promittit, incurret impedimentum Criminis. Probatur Consequentia. Tum à paritate Rationis; Tum, Quia pœnæ Ecclesiasticæ non imponuntur pro delictis imperfectis, aut nullis, sed pro perfectis, & consummatis in propria specie. IX. Promissio debet esse vera, externa, & acceptata.

Confirmatur Secundò. Quia ex promissione ficta non sequitur periculum, & occasio captandæ mortis Conjugis, quando ille ex modo promissionis colligere potest fuisse factam jocose, & fictè.

Probatur secunda Pars. Quia promissio interna non præbet alteri ansam captandæ mortis Conjugis, cùm illius interni actûs sit ignara, nec innotescere sibi possit, nisi signò aliquò exprimatur, adeóque purè interna promissio non inducit hoc impedimentum.

Probatur tertia Pars primò. *Ex Cap. finali* supra, ubi dicitur: *Si quis fide data promisit. & Cap. Veniens. eodem tit. dummodò non præstiterit fidem;* atqui si non acceptaretur à comparte, non esset promissio, nec fidei datio, quæ tamen dicta jura requi- XI. Promissio debet esse acceptata.

Digitized by Google

quirunt, sed simplex pollicitatio, ergo. *Pollicitatio enim est solius offerentis promissio*, ut, si fit absenti, absque epistola, vel nuntio; aut præsenti, hoc nec acceptante nec recusante *L. Pactum in principio ff. de pollicit.* quare in pollicitante non adest consensus duorum, nec est pactum, sed quædam pacti pars, promissio autem verum est pactum, & non genericè, prout est genus ad pollicitationem, promissionem, & stipulationem, sed specificè, & tunc debet esse mutuus consensus promittentis, & ejus, cui fit promissio: Si verò fiat per modum liberalis cujusdam oblationis, satis est, nè sit pollicitatio, sed pactum ac simplex promissio, ut fiat præsenti & tacenti juxta *L. tale Pactum, in princip. v. Te. ff. de Pactis.*

Dices. In promissione ad sponsalia non sufficit sola acceptatio, ergo nec hic. Respond. Negando Conseq. Quia textus hoc impedimentum inducentes non requirunt promissionem ad sponsalia sufficientem, quod prius probandum foret, sed simplicem promissionem, ad quam sufficit acceptatio sola, nam cùm promissio sit peccaminosa, illicita & invalida, quod patet, cùm non debeat, nec possit eam implere, non requirit Consensum utrinque.

Probatur Secundò eadem Pars; quia verba cum effectu accipienda sunt *Cap. Relatum. de Cler. non resid.* ergo & illa verba *ex Cap. finali. de eo, qui duxit: Si fide præstita promisit adulteræ*, cum effectu sunt accipienda, sed effectum non habent, & inania sunt, si non acceptentur. Tum, quia promissio *Cap. 1. & Cap. Significâsti. eodem tit.* machinationi mortis Conjugis, sed machinatio non producit impedimentum, hoc nisi effectu secuto, ergo nec promissio, nisi effectum primum suum habeat acceptationis ex altera parte. Hinc non sufficit sola taciturnitas, cùm enim ista promissio sit nociva acceptanti, utpote, cui inducit damnum & impedimentum dirimens, tacuisse satis non est, licèt enim in quibusdam aliis casibus valeat, hic non sufficit.

Dico Septimò. *Promissio, de qua supra, ut impedimentum dirimens inducat, non est necessariò mutua, aut jurata.* Ità Sanchetz, & plures alii apud ipsum. Probatur prima Pars, ex *Cap. Significasti. de eo &c.* in quo divisivè textus promissionem requirit dicens: *Nisi alter eorum in mortem Uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente fidem illi dederit Matrimonio contrahendo*, ubi particula *Alter* de promissione unius tantùm verificatur. Deinde in eodem tit. *Cap. 1. & Cap. Veniens.* æquiparantur machinatio mortis Conjugis, & promissio futuri Matrimonii, sed cum adulterio non est necessaria machinatio ex utraque parte, ergo nec promissio cum adulterio debet esse mutua ex utraque parte. Denique, sive unus, sive uterque promittat, præbetur ansa & occasio machinandæ necis Conjugis, quæ est unica Ratio ad inducendum hoc impedimentum, ergo. Nec textus omnes ullam faciunt mentionem de repromissione. XIII. Promissio non est necessariò mutua.

Probatur secunda Pars; Quia secundum communem loquendi modum fidem dare dicitur, qui spondet, vel promittit, qualitercunque id fiat, unde, qui promittit sponsalia, dicitur fidem dedisse, & ita usurpantur *L. 1. ff. de Constit. & L. 1. ff. de Pactis.* Deinde textus omnes allegati non requirunt nisi fidei dationem, sed certum est fidei dationem, vel fidei suæ interpositionem non esse juramentum, nec requirere illud, ergo. Item sponsalia ad Matrimonium de futuro contrahendum valida, non requirunt esse jurata, ergo. Tum, quia qualitercunq; fiat promissio, semper militat ratio Ecclesiæ, ob quam hoc introduxit impedimentum, ergo. Ex dictis infero, sive Adulter fidem dederit Adulteræ de contrahendo cum ipsa Matrimonio, sive dederit tertio ad ducendam personam, quam ille designaverit, quando fraudulenter illa petitur fides, ut tertius adulteram designet, XIV. Non debet esse jurata.

quia perinde, ac si fides adulteræ detur, nec fraus ei patrocinari debet, *Cap. Adversus. de Immunit. Eccles.* si tamen fraus abesset, & tertius ille solummodò Adultero vellet consulere, ut Matrimonium contraheret, & ab Adulterio abstineret, tunc mortuo Conjuge, possunt Matrimonio copulari.

Infero Secundò. Si promissio talis præcederet alterius Conjugium, vel per mortem jam dissolutum esset, nec tunc hoc impedimentum contrahi, nec si copula haberetur vivente Conjuge, & promissio fieret eô defunctô, vel vice versa, si promissio fieret superstite Conjuge, & Copula eô jam defunctô, quia textus requirunt utrumque Conjugem superstitem. Pari ratione non induceretur hoc impedimentum, si promissio & Copula divisim fieret in diversis conjugiis, ità, ut in uno promitteret, & in altero Copula haberetur; Ratio est, quia per subsequens Matrimonium tolleretur prima promissio, & in secundo esset nudum adulterium, quod non sufficit; Et licèt vice versa in primo Matrimonio fieret Copula, & in secundo promissio, eodem modô non induceretur hoc impedimentum, quia textus semper loquuntur de superstite utroque Conjuge.

QUÆSTIO DECIMA NONA.

De Impedimento Disparis Cultùs.

INfidelitatis crimen uti maximum est, ità etiam justissimum dirimendi Matrimonii est principium, & motivum, unde dispar cultus dicitur, quando unus idola colit, alter DEUM verum; Unus Messiam venturum sperat, alter venisse dicit; Unus Machometem, alter Christum profitetur Mundi Salvatorem; Interim pro indubitato:

I. Apud Infideles est verum Matrimoniũ.

Suppono: Apud infideles esse verum, ac legitimum Matrimonium, uti patet ex D. Paulo. 1. Corinth. 7. ubi consulit ad fidem converso, nè à Conjuge sua discedat, quod tamen fas non esset, nisi tempore Infidelitatis verum fuisset initum Matrimonium; Et habetur hoc etiam *Cap. de infidelibus. De Consangv. Cap. Quanto. & Cap. Gaudemus. de Divortiis.* Ratio est, quia Matrimoniũ non est Sacramentum tantùm, sed etiam contractus naturalis, qui non minus ac alii contractus inter ipsos consistere potest. Verum tamen non est tam perfectum, sicut est inter fideles, nam hic est Sacramentum, gratiam confert, consummatum nunquam dissolvi potest, ratum non nisi per Religionis ingressum, quæ omnia Matrimonium infidelium non habet nam etiam consummatum dissolvi potest, uti supra breviter insinuavi, unde *Cap. Quanto. de Divortiis* dicitur non esse *ratum*, Scotus quoque. 4. d. 39. q. uni. dicit non esse simpliciter ratum. Hoc supposito:

II. Matrimonium inter fideles & infideles non est licitum.

Dico Primò. *Matrimonium inter fideles & infideles, & nunc inter baptizatos & non baptizatos est jure Divino naturali vetitum, & illicitum.* Ità Sanchetz. Probatur primò. Ex Lege naturæ Gen. 24. ubi Abraham adjuravit Eliezer: *Pone manum tuam super femur meum, ut adjurem te per Dominum cœli & terræ, ut non accipias uxorem Filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Et sic Isaac quoq; præcipit Jacob cap. 28. *Noli accipere Conjugem de genere Chanaan, sed vade, proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel, Patris Matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem*, cujus sollicitæ provisionis alia non fuit causa, nisi quod Chananæi ad infidelitatem, & Idololatriam jam deflexerant. Deinde probatur etiam ex jure divino scripto, Deutero: cap. 7. loquens de Gentibus, & prohibens, nè cum eis fœdera ineant, ait: *Neque sociabis cum eis Conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*, quod præceptum licèt sit judiciale, attamen morale quoque esse satis ostendit ratio subjuncta: *Quia seducet filium tuum, nè sequatur me*,

me, & ut magis serviat diis alienis. Et Salomoni hoc idem exprobratur. 3. Reg. 11. *Certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos alienos.*

Probatur Secundò ex novo Testamento, 2. ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus, quæ enim participatio Justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quem textum D. Hieronymus in epist. ad Gerontiam intelligit de Matrimonio fidelis cum infideli. Si dicas, textum illum intelligendum esse de omnibus Commerciis fidelium cum infidelibus, amplector lubens, & infero: Ergò magis de Matrimonio, in quo est summa conjunctio & familiaritas, majúsque periculum avertendi se à Creatore. Item 1. ad Corinth. 7. *Mulier, si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino*, id est, inter eos, qui Dominum colunt, & hunc textum de Matrimonio intelligunt D. Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, Tertullianus, Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum.

Probatur Tertiò Ratione: Tum, Quia talis conjunctio adversatur fini Matrimonii quoad educationem prolis, quæ non debet esse quæcunque, sed legitima, sed apud Parentes disparis cultûs non poterit legitimè educari, quivis enim parens ad suum conabitur prolem pertrahere, inculcando frequenter: *Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè vivere.* August. Alteri quoq; fini adversatur, nempè mutuæ Conjugum cohabitationi, quæ inter dispares cultu vix quieta, pacifica, & tranquilla esse potest. Tum, Quia Jus naturale dictat, peccandi periculum esse vitandum, sed quando Conjuges sunt dispares cultu maximum, proximum, & continuum est labendi periculum propter inordinatum aliquando atq; ardentem Conjugum inter se amorem, quod exemplum Salomonis viri aliàs sanctissimi & sapientissimi satis demonstrat, quod movere debet, nè quisquam fidelis sibi æquè præfidat, cùm ad talem apicem non pervenerit. Tum denique Matrimonium in Lege nova est Sacramentum, sed infidelis non est capax Sacramenti, ergò neque Matrimonii, ita ut nec apud fidelem esset Sacramentum, quia totus Contractus est ad rationem Sacramenti elevatus, quod sufficienter probat, saltem Jure Divino esse Matrimonium irritum inter dispares cultu, & hoc maximè in ratione Sacramenti, sive postmodùm infideles sint Judæi, sive Turcæ, & quicunque alii Gentiles & Pagani.

III. Matrimonium inter dispares jure Ecclesiastico est irritum.

Dico Primò: *Matrimonium inter dispares cultu non est ita Jure Divino naturali interdictum, ut eodem etiam jure sit irritum, sed tantùm Ecclesiastico.* Ita Scotus suprà art. 2. Mastrius, Sanchetz. Probatur prima pars: Quia in Lege Naturæ fuerunt aliquot talia Matrimonia inita, Moyses cum Sephora Æthiopissa filia Sacerdotis Madian, Exod. 2. Joseph cum Ægyptia Putipharis filia, Gen. 41. Item in Lege scripta talia inveniuntur connubia, uti fuit Esther cum Assvero. Esther 2. Salomonis cum filia Pharaonis. 3. Reg. 3. In Lege verò nova & gratiæ, maximè in primitiva Ecclesia, talia Matrimonia fuerunt frequentiora, nam D. Aug. lib. 9. Confess. 9. testatur hoc de S. Monica, dupliciter sua Matre, cujus Maritus, & suus Pater fuit Paganus. Item Clotildis fœmina sancta duxit Clodovæum Francorum Regem, tunc Gentilem. Et ex Patriis nostris historiis ac gestis constat, Sanctum Wenceslaum Ducem & Martyrem, ex Conjugibus cultu disparibus natum, nempè Patre Borzivojo Bohemiæ Principe Christiano, & Matre Drahomira Gentili, quæ Aviam illius Ludmillam sustulit, & Boleslaum Fratrem stimulavit, ut Wenceslao necem inferret, quæ probant jure naturæ similia Matrimonia non esse irrita, quamvis olim à Patribus Sanctis existimarentur à culpa non vacare.

Probatur Secundò: Nec esse positivo Jure Divino irritum, quia in Lege

Lege nova non est ullum jus positivum novum, præter *Fidei & Sacramentorum*, atqui hoc præceptum non pertinet ad Fidem & Sacramenta suscipienda, sed ad contractum naturalem à Christo elevatum ad rationem Sacramenti, ergò. Probatur Min: quoad secundam partem: quia juxta vulgatum Theologorum axioma, Christus in Matrimonio nihil innovavit, quod ad Jus naturæ pertineret, ergò.

Probatur secunda pars ex Toletano III. cap. 14. seu. 62. uti citat Sanchetz, *relatum cap. Judæi.* 28. *q.* 1. ubi decernitur, ut uxores Judæorum ab ipsis separentur, nisi ab Episcopis admoniti fidem suscipere Judæi voluerint. Tum ex universali Ecclesiæ Consvetudine, quæ sufficiens est ad inducendum impedimentum, licèt non esset in Jure expressum. Sed contra primam partem:

IV. Esdras separat Judæos ab uxoribus alienigenis.

Opponitur Authoritas Scripturæ, 1. Esdræ 9. ubi ipse deplorat, pallium, tunicámque scindit, eò quòd Sacerdotes & Levitæ tulissent de filiabus Ammonitarum & Moabitarum sibi & filiis suis uxores, *& commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum*, unde cap. 10. jussit congregari totum Israël, dixitq; eis: *Nunc date Confessionem Domino* DEO *Patrum nostrorum, & facite placitum ejus, & separamini à populis terræ, & ab uxoribus alienigenis*, & sic factum esse, infrà recensetur: ergò Matrimonium inter fideles & infideles Jure naturæ vel positivo est irritum & nullum, alioquin non irritâsset omnia. &c. Respond. Negando Conseq: Quia hoc præceptum fuit judiciale, quod morte Christi quoq; expiravit. Deindè præceptum illud non fuit universale, sed solummodò erant Matrimonia prohibita cum filiabus terræ Chanaan, quia per talem conjunctionem non poterant eos ejicere sicut debebant, nam amicitiâ juncti commiserebantur eorum.

V. Adducitur Jus Ecclesiasticum.

Instatur: Matrimonia inter cultu dispares sunt irrita & nulla, ùt tenent omnes, sed non jure Ecclesiastico, ergò Jure Divino & naturali. Probatur Min: Quia omnes Canones, qui ad hoc allegantur, vel sunt ex Sanctis, vel Conciliis Provincialibus desumpti, vel loqvuntur de speciali Conjugio inter Christianam & Judæum, nec expresse irritant, sed solummodò prohibent, ùt constat ex *cap. Cave. cap. Non oportet. cap. Si quis Judaicæ. cap. Judæi.* 28. *q.* 1. Respond. cum Sanchetz, fatendum esse, nullum esse textum, quo hæc irritatio inducatur, nec eam haberi ex lege aliqua Ecclesiastica Scripta, sed ex receptissimo Ecclesiæ usu vim legis obtinente, & ex Apostolorum traditione.

VI. Non statim per fidem dissolvitur Matrimonium.

Dico Tertiò: *Non eo ipso, quo alter ex Conjugibus ad fidem convertitur altero manente in infidelitate, dissolvitur Conjugium.* Hæc est de fide. Probatur ex 1. ad Corinth. 7. ubi Paulus consulit Conjugi fideli, ne ab infideli discedat, si infidelis habitationem admittat, dicens: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & similiter, si quæ mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum*, ergò. Probatur Secundò ex *Innocentio III. cap. Gaudemus. de Divort.* ubi ratio redditur: *Cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur Conjugia, sed crimina dimittantur.* Probatur Tertiò, ex D. August. qui fusè refutat Pollentium contrarium asserentem, *lib.* 1. *de adult. in Conjug. cap.* 18. *& sequentibus*, & refertur; *cap. Sic enim.* 28. *qu.* 1. Et Ratio est, quia Matrimonium jure naturæ consistit inter infideles, sed professio fidei nec naturam, nec ejus jura tollit, uti dicere solemus: gratia non naturam destruit, sed perficit.

VII. Fidelis tamen non est obligatus ad cohabitandum cum infideli.

An autem talis conversus teneatur cohabitare cum infideli obstinato remanente, dubium est inter Doctores, ego censeo cum D. Thoma nunquam esse obligatum, nam D. Paulus suprà relatus permittit, *Nam cœteris ego dico, non Dominus*, sic enim Dominus non præcipit, sed tantùm Apostolus consulit, signum

est fide-

Digitized by Google

est fidelem ad cohabitandum non fuisse obligatum, cùm non credendum sit, D. Paulum voluisse Fidelibus imponere onus, cujus mandatum à Domino non habuit. D. Thomas duplicem hujus reddit rationem. Primò: Quia adulterium & infidelitas pari passu currunt, sed conjux innocens non est obligatus ad cohabitandum cum adultero, maximè, si non sit spes emendationis, ergò à pari. Deindè: Per Baptismum moritur quis priori vitæ, ac proindè liber manet à servitute in illa contracta, sicut professus, eò quòd priori vitæ sit mortuus, non tenetur ad vota simplicia in sæculo emissa, ergò.

Dices: Servus infidelis ad fidem conversus non eximitur à Servitute, ùt patet de Onesimo servo, quem D. Paulus conversus remisit ad Philemonem, Dominum suum deprecans pro eo, ergò. Respond. Negandô Consequentiam. Quia hæc servitus Fidei Christianæ non repugnat, sed multùm ejus humilitati convenit, unde dicebat B. Agatha: *Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus Regum opibus ac superbiâ*; è contra verò fidelem Conjugem alligatum esse infideli, dedecet Christianam Religionem.

VIII. Dissolvi potest, quando alter manet in infidelitate pertinax.

Dico Quartò: *Matrimonium Infidelium quantumvis consummatum, potest dissolvi quoad vinculum, si alter Conjux ad fidem convertatur, & alter in infidelitate maneat pertinax, aut habitationem respuat, vel cohabitare nolit absque Creatoris contumelia, vel absque pertractione conjugis ad peccatum mortale.* Ita D. Thomas, Bonaventura, Sanchez, qui ait, de hoc absque erroris periculo dubitari non posse. Probatur primò ex D. Paulo, 1. Corinth. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror hujusmodi*, quem locum omnes Expositores intelligunt de Matrimonio, ùt D. Ambrosius relatus *cap. finali.* 28. q. 2. & Innocentius II. *cap. Quanto. de Divort.* ubi sic ait: *Si alter infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, alterô vel nullô modò, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi, & Canonem, in quo dicitur, Contumelia Creatoris solvit Jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Idem habetur *cap. Gaudemus. de Divortiis.* Hinc est versus, quem *Glossa l. Quanto. de Divortiis* recitat:

Spernas spernentem, vel blasphemare volentem,
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

Adeóqve videtur hoc non esse Juris Pontificii, quòd Matrimonium consumatum non potest dissolvere, sed beneficii Christi in favorem Fidei, quod D. Paulus in præfato textu explicuit. Probatur Ratione: Quia cùm Christus, cujus jugum svave est, & onus leve, noluit Neophytos, & in Fide Tyrones obligare ad actus heroicos castitatis, & ad statum cœlibem absqve propria cujuslibet voluntate, sciens non omnes verbum hoc capere, congruum fuit, ut conversos non valentes habitare cum infidelibus absque Creatoris contumelia, liberaret à vinculo Conjugii, ergò. Tum, Quia aliàs deterrerentur plurimi à conversione ad fidem, si cogerentur cum infideli in tantis injuriis cohabitare. Tum, Quia bonum fidei prævalet bono Conjugii, adeóque fidei & conjugii Author statuit illam huic præferendam, si simul absq; sua injuria consistere non possint.

IX. Quid sit nolle cohabitare absq; Creatoris contumelia.

Nota autem: Nolle habitare sine contumelia Creatoris dici juxta Scotum in 4. d. 29. quæst. uni. art. 2. quando infidelis blasphemias in DEUM eructat, contumeliis Religionem infestatur, per quas aures offenduntur Neo-Conversi, tali enim ratione fidelem fugare intendit, cùm fugæ necessariæ amplam præbeat

beat ansam, nam fidelis hoc sustinere nequit, nè sit turpitudinis fautor, & connivens illius convitiis, sicut vir retinens adulteram sæpe labentem, censetur Patronus esse adulterii & fautor, cùm res alioquin cedat viro in maximum dedecus. Pertractio verò ad peccatum mortale tunc dicitur, quando gravibus suggestionibus, consiliis sollicitat Conjugem vel ad latrocinia, vel adulteria, vel alia hujusmodi, quæ non possunt æquâ lance pro omnibus ponderari, nam fortiores viri sunt, debiliores ac fragiliores fœminæ, cujuslibet proindè conditio est considerandа, & talem suggestionem, vel svasionem sufficere docet D. August. *lib. de Fide & Operibus. cap.* 16. relatus *cap. Uxor legitima.* 28. *q.* 1.

X. Nunc non potest fidelis conversus cohabitare cum infideli.

Dico Quintò: *Hodiè est præceptum Ecclesiæ, ut ad Fidem conversus, quantumvis possit absque Creatoris injuria cohabitare, divertat quoad cohabitationem ab infideli remanente in obstinatia, seu nolente converti ad fidem.* Ita D. Bonaventura, Richardus, Sanchetz. Et Probatur: Quia magna est differentia inter statum primitivæ Ecclesiæ & modernum, nam in principio nascentis Ecclesiæ tanta erat efficacia gratiæ, tantúsqve ad fidem affectus in Neophytis, ut non esset timenda eorum perversio, sed magis conversio, ùt patet de S. Anastasia, & Publio, eam graviter frustra persequente, quæ nunc refrigescente charitate & fervore mutata est. Deindè in principio propter status publici tranquillitatem, ubi plurimi infideles convertebantur, necessarium fuit, ut cohabitatio admitteretur, nè fideles à suscipienda Religione deterrerentur.

XI. Triplex variatio dispositionũ circa Matrimonia ad fidem conversorum.

Unde Doctores distingvunt triplicem temporis differentiam, secundùm quam D. Pauli consilium respectivè viguisse ajunt: Et Primò quidem sexcentis annis juxta hoc consilium permittebatur cohabitatio fidelis cum infideli, quando sperabatur conversio, & habitatio fieri poterat absqve contumelia Creatoris, & intra hoc tempus vixit D. Augustinus, qui proindè tenuit hanc partem relatus *cap. Sic enim.* 28. *q.* 1. Aliis subsequentibus sæculis, ubi rariores erant conversiones Judæorum, & duriores in obstinacia sua, ordinatum fuit, ut Judæi nolentes ad fidem converti separentur à cohabitatione conversorum, & tunc editum fuit Decretum Concilii Toletani suprà, de aliis autem infidelibus, qui non ità durâ cervice videbantur, præscindebatur.

Posteris autem temporibus, in quibus & nos sumus, ab Ecclesiæ consvetudine receptum, & præceptum inductum est, nè Conjux ad fidem conversus permittatur cum infideli cujuscunque sectæ cohabitare, quod est contra consilium D. Pauli, quod tantùm temporaneum fuit, non perpetuum. Tum etiam, quia Ecclesia successû temporis ex causis resultantibus potest contra consimilia condere præcepta, ùt habetur *cap. Non debet. de Consangv. & Affinitate.* maximè quando altera illa præcepta fundantur in altioribus juribus, ùt sunt Naturæ, & Divinum, ergò.

Dico Sextò: *Tunc dissolvitur Matrimonium, quando fidelis transit ad alias nuptias vel professionem, postquam infidelis legitimè monitus noluit converti ad fidem.* Ita Coning, Sanchetz, & complures Doctores contra alios, qui putant statim dissolvi, postquam admonitus infidelis non vult converti ad fidem, vel quando terminus deliberationis est prætérlapsus. Probatur Conclusio ex *cap. Gaudemus. ad fin. de Divort.* dicente: *Quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellere,* ergò antecedenter non fuit Matrimonium solutum, si enim solutum fuisset, non posset compelli ad recipiendam eam, quæ vera ejus Conjux non esset, sicut non compellendus foret ad recipiendam Uxorem, quæ mortua fuerat, & postmodùm resurrexit, quia per mortem erat disso-

XIII. Secundæ nuptiæ dissolvũt prius Matrimonium.

dissolutum prius Matrimonium, possetque ad alias transire nuptias, licèt illa prior vivere persisteret. Deindè in eodem cap. cit. ad finem dicitur: Teneri fidelem ad admittendum infidelem, si nondum ad secundas nuptias fidelis transierat, limitando tamen, nisi infidelis fuerat fornicatus, ergò prius Matrimonium non erat ante dissolutum, nisi fornicatio seu adulterium, quod solùm Matrimonio legitimo injuriam facit, subsequatur.

XIII. Etiam per Professionem.

Probatur etiam de Professione in Religione approbata: Quia Professio dissolvit Matrimonium ratum Christianorum, ergò à fortiori Matrimonium consummatum infidelium. Probatur Consequentia, quia Matrimonium Infidelium non est ratum, ex *cap. Quanto. de Divort.* & Christianorum ratum est magis indissolubile, quia nec per subsequentes nuptias dirimitur ob venerationem Sacramenti, & tamen dirimitur per Professionem, cum ergò vincat quod fortius est, vincet etiam quod minus tale est, nam si vinco vincentem te, à fortiori vincam te, *l. de Accessionibus. ff. de divers. ac temporal. Præscript.* Ex Conclusione infero, si fidelis nunquam mutaret statum, semper perseveraturum Matrimonii vinculum, & quotiescunque infidelis convertetur, tenebitur fidelis eum recipere. Nec etiam infidelem posse transire ad alias nuptias, quia Jure Divino tenetur servare vinculum, & sequi fidelem meliorem partem eligentem, statim tamen, ùt fidelis ad alias nuptias, vel Professionem transierit, poterit quoque infidelis aliud inire Matrimonium, quia ex nulla lege constat sibi hoc esse prohibitum.

XIV. Per Ordines non dissolvitur.

An autem per susceptionem Ordinum Sacrorum dirimatur Matrimonium Infidelium, controvertunt Authores, nam aliqui censent æquè dissolvi ac per Professionem, negant alii, quia status Ordinum non est repugnans cum Matrimonio, ùt de se patet, nec ullâ ratione probari potest Ordines dissolvere Matrimonium consummatum Infidelium, quia etiam non dissolvunt Matrimonium ratum Christianorum. Sed quid faciendum esset, si post susceptionem Ordinum infidelis converteretur? Respond. Regulariter loquendo, illum, qui in Ordinibus est, non esse restituendum Conjugi tardè converso, qui sibi imputare debet tarditatis pœnam, adeóqve non posset transire ad aliud Matrimonium, nam per Ordines susceptos vinculum prioris Matrimonii non est dissolutum. Verum credo, tunc Ecclesiam cum Ordinato esse dispensaturam, ut cum postliminio converso ad priores amplexus redire possit, in favorem fidei. Ab Infidelibus non baptizatis progredior ad baptizatos, & pro fine hujus quæstionis.

XV. Matrimonia cum hæreticis sunt valida.

Dico Sextò: *Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis valida sunt; de jure tamen communi prohibita, in Germania, Gallia, & Polonia permissa.* Ita colligit ex Navarro Azor, & tenet quoque Sanchez. Probatur Primò: valida esse, quia nulla lege irritantur, nam licèt in pluribus Canonibus prohibeantur, & *cap. Non oportet. 28. qu. 1. & cap. Cave. 28. q. 2.* illa tamen non irritant, & clarè videtur supponere *cap. Decrevit, de Hæreticis. in 6.* esse valida, nam ibi decernitur Uxores, quæ scienter hæreticis nupsêre, privandas esse dote in pœnam delicti, non tamen jubetur separari, ergò supponit esse valida. Deindè adhuc potest stare ratio Sacramenti, quia habent fundamentum primum nempè Baptismum, licèt aliàs in cultu sint dispares, quæ disparitas non est extra genus, adeóque nec Sacramenti rationem tollet.

XVI. De jure prohibita.

Probatur secunda Pars, Tum ex Capitibus paulò antè relatis, in quibus prohibentur Matrimonia cum hæreticis. Tum etiam ex Sexta Synodo Generali Can. 72. ubi dicitur: *Non licere orthodoxum cum hæretica conjungi, nec orthodoxam cum hæretico.*

XVII. In Germania admissa.

Probatur tertia pars: Quia sicut per consvetudinem, & receptissimum

mum usum Ecclesiæ introductum est impedimentum dirimens inter fidelem & infidelem non baptizatum, quamvis in nullo Jure hoc inveniatur expressum, ita etiam per conniventiam Ecclesiæ usus obtinere potuit in partibus allegatis, ut Matrimonia inter hæreticos sint permissa. Deinde ea Matrimonia ineuntur instar aliorum Contractuum Civilium ob amicitiæ Leges, ad communem pacem, & Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Attamen etiam hic, ut à peccato gravi excusentur, debet abesse periculum perversionis, & libertas Catholicæ Religionis, imò debent etiam proles in Fide Catholica educari, nam Jure Divino tenentur Parentes educare proles in eo cultu & moribus, qui ad spiritualem vitam & salutem conducunt; Unde pacta illa, quibus convenitur, ut filii Religionem Patris, filiæ verò fidem Matris sequantur, iniqua sunt, irrita, & nulla, atque à Supremo Principe, vel quocunque Magistratu proscribenda, ùt fusè deducit Joannes Schefflerius Silesiæ Apostolicus Scriptor, & acerrimus Fidei Defensor.

QUÆSTIO VIGESIMA.

De Dispensatione Impedimentorum.

I. Dispensatio describitur.

NOtandum Primò: Dispensationem in rigore benè definiri, *Esse Juris relaxationem ab illo, qui potestatem habet relaxandi*, seu *Authoritate legitima factam*: quæ compendiosa est, & facilè explicatur: Dicitur *Relaxatio Juris*, per quam particulam distingvitur ab *Irritatione Legis*, vel alicujus statuti, quando scilicet Magistratus aliqui inferiores statuerunt quidpiam, quod per Principem supremum confirmandum foret, & non confirmatur, sed irritatur & cassatur: Item differt ab *Abrogatione & Derogatione Legis*, quando scilicet Lex, quæ jam vim obligandi acceperat, iterum tollitur & cassatur ex parte vel ex toto; Differt pariter ab *Interpretatione Legis*, quando scilicet tantùm declaratur, Legem in tali casu & eventu non habere vim obligandi. Particula illa *Authoritate legitimâ factam*, significat causam efficientem dispensationis. Glossa huic definitioni addit particulam, *cum cognitione causæ*, verùm hoc non pertinet ad naturam Dispensationis, sed tantùm, ut licitè fiat.

II. Dispensatio sumitur quoq; pro Juris declaratione.

Notandum Secundò: Dispensationem quoque frequenter sumi pro Juris Declaratione, vel Interpretatione, ùt habetur *Cap. Quinta vallis. de Jurejurando*, sed est in minus rigorosa ac impropria acceptione, quæ tamen necessariò admitti debet, quia nulla creatura potest dispensare in Jure Divino illud authoritativè relaxando, quô non obstante Summus Pontifex in Votis quibuscunque & Juramentis, quæ Juris naturalis Divini sunt, dispensat, quod salvari nequit, nisi per Dispensationem declarativam, & Interpretationem, quâ declarat in quibusdam Casibus Vota illa vel Juramenta non obligare, unde Scotus in 4. dist. 33. quæst. 1. disjunctivè definit Dispensationem, *Quòd sit Juris declaratio vel revocatio.*

III.

His prænotatis, Thomas Sanchetz per integrum octavum Librum & triginta quatuor Disputationes hanc materiam fusissimè, non minus ac doctè examinat, sed quia plura sunt genericè ad tractatum de Legibus pertinentia, hìc solummodò tangam ea, quæ concernunt Impedimentorum supra adductorum ablationem, quatenus illis innodati licitè ac validè possint contrahere Matrimonia, & quid in hac ablatione possit Summus Pontifex? Quid Episcopi, & quid Regulares tàm ante, quàm post contractum Matrimonium. Itaque

IV. Summus Pontifex non potest dispensare authoritativè in impedi-

Dico Primò: *In Impedimentis Jure Naturali & Divino dirimentibus non potest Summus Pontifex authoritativè dispensare.* Ita omnes Canonistæ

mentis jure naturæ dimrienti- bur. nonistæ & Theologi. Probatur: Tum, Quia nullus inferior potest Superioris sui Legem tollere vel relaxare, ùt habetur *Clement. Ne Romani. de Elect. & cap. Inferior. d.* 21. sed Pontifex est inferior creatura, &c. ergò Item ex *cap. Ex litteris. §. Sanè in fine. de Restitut. spoliat.* Tum, Quia ex nulla Scriptura constat, Pontifici concessam esse hujusmodi facultatem dispensandi: Tum, Quia hinc multa inconvenientia, pericula fornicationum, incestuum inter consangvineos orirentur, nam spe obtinendæ dispensationis effrenatè simùl habitantes libidini indulgerent, quæ pericula tanti sunt momenti, ut nullum bonum censeam esse reperibile, cui hæc postponi deberent.

Hinc Pontifex non potest dispensare in omnibus illis impedimentis, quæ essentiam contractûs quantum ad liberum consensum efficiunt, nec etiam in gradibus Consangvinitatis lineæ rectæ, & aliis hujusmodi.

V. In quibusdam impedimentis Jure naturæ potest Papa dispensare.

Dico Secundò: *Potest summus Pontifex in impedimentis Jure Naturæ, & Divino ex voluntate humana se obligante orto, v. g. Castitatis & Religionis dirimentibus, si id commune bonum exigeret, dispensare, non ad tempus, sed absolutè.* Ita Doctor Subtilis *in* 4. *d.* 38. *q. unica.* Scotistæ omnes, & ex Thomistis Cajetanus, contra reliquos Thomistas.

Probatur Primò: Authoritati Pontificis tanquam supremi Capitis Ecclesiæ debemus concedere id, quod ad bonum publicum, Ecclesiæ svave gubernium necessarium est & utile, quodque absque ulla inconvenientia & absurdo concedi potest: Sed posse dispensare in quibusdam impedimentis Jure Naturæ vel Divino, multùm ad hæc conducit, nec ullum absurdum aut inconvenientia sequitur exindè, ergò. Major patet: Quia credendum Christum Dominum fundando Ecclesiam, & Petrum constituendo suum Vicarium: *Pasce oves meas*, Joann. 21. Sic suaviter consuluisse & providisse, nè in ullo necessario ad pascendum vel utili deficeret, ergò. Probatur Minor argumenti: Quia potest, v. g. periclitari aliquod Regnum perturbationibus in tantum, ut in manus Infidelium devolveretur, nisi aliquis Religiosus ex Regia stirpe superstes ducat uxorem, sed in tali casu est conveniens, ut Pontifex dispenset, ergò.

Probatur Conclusio Secundò: Quia licèt inferior non possit regulariter dispensare in lege Superioris, v. g. Episcopus in Lege Pontificia, potest tamen in casu, quando scilicet Pontifex adiri non potest, vel aliàs id recta Ecclesiæ gubernatio exigit, ergò etiam poterit Summus Pontifex id facere in Lege Divina justâ id exigente causâ, quia non videtur DEUM in necessariis ad gubernationem rectam Ecclesiæ defecisse, sed potiùs commissionem hujusmodi dedisse, cum ille adiri non possit, nisi mediante suo Vicario, cui reliquit infallibilem Spiritûs Sancti assistentiam.

VI. Traditio & solemnitas non obstat quo minùs Pontifex possit dispensare.

Probatur Tertiò: Quia si esset aliqua inconvenientia concedere Pontifici hanc authoritatem, vel id fieret ex ratione promissionis DEO factæ per ingressum Religionis & Votum, vel ex traditione sui, atque solemni acceptatione Religionis loco DEI facta, sed ex nullo horum capitum reperitur repugnantia vel inconvenientia, ergò. Probatur Minor (quia Major est Adversariorum) quoad primam partem, Quia in voto simplici Castitatis est etiam hujusmodi promissio, in quo tamen Pontifex dispensare potest, ùt est extra controversiam. Probatur Minor, quoad secundam partem, Quia licèt rem alteri traditam non licèt ordinariè auferre, & alteri dare, potest tamen hoc fieri id exigente necessitate, & bono communi Reipublicæ, ergò. Probatur antec: Quia per præscriptionem à legibus transfertur dominium, & datur alteri ad evitandas lites, & controversias graves in Republica, & hoc tàm Jure Canonico, quàm Civili, ergò.

Et confirmatur: Quia DEUS non acceptavit ita dominium illius voventis per professionem, ut sit contrarius & nolens, quin alteri dari possit, si hoc bonum Ecclesiæ gubernium postulet, & requirat. Confirmatur Secundò: Quia nec tradens se per professionem, nec Religio acceptans ita absolutè hoc faciunt, quin semper subintelligant, implicitè saltem, nisi aliter à Majoribus authoritatem super nos habentibus dispositum fuerit, sed stanre hac tacita conditione non erit tàm absoluta traditio & acceptatio, quin Pontifex in ea dispensare possit, ergò. Probatur Minor: Ex hac tacita conditione potest Pater filiorum, & Maritus uxorum vota dispensare, si bonum domesticæ gubernationis id exigat & postulet, ergò etiam poterit Pontifex, si bonum Ecclesiæ, vel Regni, aut alicujus Provinciæ id exigeret, cùm hic majoris, excellentioris, & divinioris sit authoritatis. Vide plura, quæ dixi Disput. præcedenti. q. 5. & suprà in hac Disp. q. 11. Sed in contrarium

VII. Martyrium & Religio sunt meliora bona, quàm continentia. Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ Sacræ, *Levit.* 27. *Animal, quod quis DEO devovit, quod immolari potest, sanctum erit, nec mutari potest, id est, nec melius malo, nec pejus bono.* Sed Religiosus est animal DEO devotum atque valdè gratum & acceptatum ab ipso, nec aliquod melius ipsi offerri potest, nam *Ecclesiastici* 26. dicitur: *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*, ergò. Respond. ex textu Levitici nil probari contra Conclusionem, quia illud præceptum judiciale est, atque adeò per mortem Christi mutatum est cum victimis & omnibus hostiis. Minor quidem vera est, sed ratio ex Sciptura desumpta non subsistit, nam Ecclesiastici textus loquitur tantùm de bonis externis, & rebus sæcularibus, certum enim est etiam ex doctrina D. Thomæ, Bonum contemplationis, Martyrii, Obedientiæ, Religionis, majus esse, quàm bonum continentiæ.

Opponitur Secundò: Authoritas Innocentii III. *de statu Monachali. cap. Cùm ad monasterium*, ubi in fine sic ait: *Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, sicut & custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere*, quò clarius desiderari non potest, ergò. Resp. explicando Pontificis Decretum, Eum scilic. non posse dispensare, ut Monachus vel Religiosus talis manens possit nubere, & proprietatem, dominiúmve habere, benè tamen faciendo de Monacho non Monachum, & de Religioso non Religiosum, nam sicut Monachus factus Episcopus potest habere proprietatem, ita etiam Monachus factus Dux vel Princeps potest habere, & uxorem ducere, nam vota illa essentialia non sunt absolutè Jure Divino Statui Religioso annexa, sed cum subordinatione ad Ecclesiæ dispositionem, quæ illis votis solemnitatem contulit ad Matrimonia dirimenda, quam alioquin non haberent ex natura sua præcisè.

Arguitur: Sequeretur etiam Pontificem posse dispensare in impedimento ligaminis primam repudiando, vel utramque retinendo, quia traditio uni facta nihil obstat, nec jus naturæ est tàm strictum, quin olim ipsemet DEUS dispensaverit, & insuper posset hoc aliquando exigere totius alicujus Regni conservatio in fide, ùt prætendebat Henricus VIII. Rex Angliæ, sed in hoc impedimento non potest Pontifex dispensare, sed nec cum Rege Angliæ, non obstante ejus defectione, dispensare voluit, ergò. Respond. Negando sequelam: Quia in Matrimonio consummato est specialis ratio propter significationem inseparabilis conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ non est in præsenti casu, nec dicit Conclusio Pontificem in quocunque jure naturæ dispensare, aut Divinum relaxare, sed iis, quæ ab humana voluntate dependent, dependentesque ab ea obligant quæque ad providam Ecclesiæ gubernationem

nem spectant, nec aliqua particularis obstat ratio.

VIII. In omnibus Impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus Pontifex potest dispensare.

Dico Secundò: *Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis Ecclesiastico jure introductis.* Hæc est extra controversiam, & Probatur: Tum ex eo, quia Pontifex habet plenam authoritatem in totum corpus Juris Ecclesiastici in pectore suo reconditi, sicut etiam ejus intelligentiam, & obligationem: Tum, Quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, authoritate autem Pontificia jus Canonicum est natum, ejus quoque authoritate poterit in toto vel in parte, in uno vel pluribus subjectis, pro diversitate eventuum & exigentia temporum relaxare.

IX. Inter Magnates possunt fieri dispensationes in gradibus consanguinitatis.

Ex hac Conclusione infertur Primò: Summum Pontificem posse dispensare in omnibus gradibus consangvinitatis lineæ transversæ, primò forte apud aliquos excepto, prout etiam solet, quamvis Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 5. velit, ut: *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*, quod quidem sanctum est præceptum, sed non ita potens, ut manus Pontificis valeat ligare, nec ly *inter magnos Principes* tàm rigidè accipitur, quin etiam ad minores deducatur Dominos, quos saltem in Germania nostra magnos Principes non vocamus, nam Sanchetz lib. 8. Disp. 19. num. 2. post relatas aliorum opiniones ex Baldo dicit, *nomine Magnatum comprehendi nobiles, qui sunt in aliquo potentatu, & Baronia*, ego itaque credo id pro diversitate Patriarum intelligendum esse, ut Principes dici possint, qui apud nos sunt magni Barones & Comites, territoria & domicilia per plures leucas obtinentes. Imò nec cum istis solùm, sed & cum aliis multò minoris conditionis ex sua benignitate dispensare solet.

X. In affinitate etiam in primo gradu.

Infertur Secundò: Pontificem quoque dispensare posse in omnibus gradibus affinitatis lineæ transversæ, ut quis duas sorores ducere posset, prout habemus exemplum in Illustrissimo & Excellentissimo D. Comite Francisco Wrben (Tit:) qui duas sorores subsequenter habuit ex familia Martiniziana natas, simili ratione is, & alius quicunque posset ducere prioris uxoris materteram, vel consobrinam.

Infertur Tertiò: Hoc quoque fieri posse in primo gradu lineæ rectæ affinitatis, si hæc consurgat ex copula illicita, ita videlicet, ut quis ducat filiam fœminæ ante à se carnaliter cognitæ, prout mihi constat ab experientia id fuisse attentatum, ab aliis habeo factum relatum, & P. Candidus Brugnoli refert se vidisse talem dispensationem, sibiq; fuisse communicatam & exhibitam ad exequendas Apostolicas Litteras.

Dico Tertiò: *In Impedimentis prohibentibus tantùm potest dispensare Episcopus in sua Diœcesi, excepto absoluto & perfecto voto Castitatis & Religionis.* Ita omnes Canonistæ, & Probatur: Quia consvetudo vim legis obtinuit, ut in istis impedimentis non recurratur pro dispensatione ad Pontificem, sed solùm ad Episcopum, nam licèt inferior non possit dispensare in lege Superioris per se loquendo, potest tamen hoc fieri, quando Superior fieri scit, nec contradicit, atqui Pontifex hoc fieri scit, nec contradicit, nisi in duobus casibus in Conclusione exceptis, ut patet ex formula Jubilæi plenissimi: *Possint approbatos ab Ordinario Confessarios eligere, qui eorum Confessionibus diligenter auditis, licitè valeant ipsos à quibuscunque peccatis, criminibus, & censuris absolvere, ac vota quæcunque ab eis emissa, Castitatis & Religionis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare*, ergò. XI. Episcopus potest dispensare in Impedimentis impedientibus.

Probatur Secundò: Quia Episcopi in sua Diœcesi, quidquid potest Pontifex in toto orbe, nisi sibi restringatur sua authoritas, sed authoritas Episcoporum non est restricta quoad alia impedimenta, & alia vota, præter Religionis & Castitatis, ergò. Imò Sanchetz putat, nec quoad istos duos casus tam strictè accipiendam esse reservationem, quin

† Ggggg 3 Episco-

Episcopi dispensare possint, quando magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet præ paupertate, aut alia causa; quia jure optimo credi potest, non esse mentem Pontificis, velle sibi in tali casu reservare hæc vota, neque verisimile est, velle eum, ut animæ laqueis irretitæ in tanto periculo versentur.

XII. Etiam aliquando in voto castitatis.

Ex Conclusione infertur, Posse Episcopum dispensare in voto Castitatis temporaneo ad annum v. g. item in voto castitatis conjugalis v. g. ad non petendum debitum, quia hæc non sunt vota absoluta. Similiter in voto ad non nubendum, quia hoc non est votum castitatis, nam si talis fornicaretur, non committeret sacrilegium, nec prohibetur petere debitum si nuberet, sicut non posset petere, qui votum castitatis haberet. Et ob eandem rationem potest dispensare in voto assumendi sacros Ordines.

XIII. Potest aliquando Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus.

Dico Quartò. *Episcopus potest dispensare in foro conscientiæ in casu necessitatis in impedimentis dirimentibus, & quando in canone conceditur dispensatio, sine expressione cui concedatur v. g. nisi cum eis fuerit dispensatum.* Ita Sanchez & plures apud ipsum citati; Casus autem necessitatis est, quando impedimentum est occultum Matrimonium publicum bona fide contractum, & conjuges absque scandalo separari non possunt, nec datur aditus ex quacunq; demum causa ad Pontificem vel ejus Nuntium, ob paupertatem, debilitatem, infirmitatem. Quo præmisso

Probatur prima Pars: Quia non est credibile, Pontificem sibi velle reservare hæc impedimenta cum tanto animarum periculo, in tam gravi necessitatis casu, cùm hoc esset contra suavem Ecclesiæ gubernationem & paternam dilectionem, adeóque videtur Episcopis facultatem concessisse tunc dispensandi, maximè quando Matrimonium est bona fide contractum, nam si mala fide fuisset initum, tenendum est, Pontificem tunc non velle consentire in dispensationem, ne foveat iniquitates & scelera, quod satis constat ex Concilio Tridentino *Sess. 24. c. 5.* dicente: *Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, atque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed & consummare ausus fuerit.*

Probatur secunda Pars. Quia cùm verba debeant aliquid operari, *cap. Si Papa de Privilegiis. in 6.* & dubium non sit Pontificem posse in eo decreto dispensare, aut si ab ipso dispensetur, nullam contrahi culpam, aut pœnam à contravenienti incurri, censentur illa verba intelligi, ut permittant Episcopo dispensare, quòd si non concederetur ista facultas Episcopo, verba illa omnino essent frustranea.

XIV. Episcopus potest dispensare in impedimentis supervenientibus quoad debiti petitionem.

Dico Quintò. *Episcopus potest etiam dispensare in impedimentis Matrimonio legitimè contracto supervenientibus quoad petitionem debiti.* Ità Sanchez, Bonacinna &c. Ratio est, Quia consuetudo & praxis jam obtinuit, quòd in his possint Episcopi dispensare; & dispensent, atq; adeò videntur habere tacitam Pontificis facultatem; Hinc etiam censeo, eos posse dispensare in petitione debiti cum illis, qui cum voto castitatis transierunt ad nuptias, nam consuetudo eadem præbet eis jurisdictionem. *cap. Cum contingat. de foro competenti.*

XV. Mendicantes possunt etiam dispensare in petitione debiti.

Dico Sextò: *Religiosi mendicantes, si sint Confessarii approbati, possunt ex commissione sui Patris Provincialis dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum cum iis conjugibus, qui post Matrimonium validè initum affinitatem contraxerunt.* Ita Sorbus, Henriquetz, Sanchetz. Probatur ex declaratione quadam à Julio II. concessionis Martini V. factæ Monachis Benedictinis, & ex alia concessione Pii V. facta vivæ vocis oraculo, & impetrata à Patre Angelo de Anguillara Ordinis Minorum Anno 1569. ut refert Collector Privilegio-

Digitized by Google

legiorum mendicantium v. Dispensatio. n. 17.

XVI. Ad validè dispensandum requiritur justa causa. Dico Septimò. *Ut Pontifex validè dispenset in impedimentis Matrimonii votorum Religionis & aliis in jure Divino fundatis, justa & legitima requiritur.* Ita D. Thomas, Hurtadus, Aversa, Sanchetz. Probatur: Tum, Quia D. Paulus 1. *Corinth.* 4. dicit: *Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, atqui fidelis non esset, si absque ulla causa faceret, quia tunc dissiparet bona potius, quàm administraret: Tum, Quia hæc dispensatio est in bonis alienis, nempe DEO dicatis, ergò, ut validè fiat, causa requiritur, sine ista enim rationabiliter præsumere non potest DEUM non futurum invitum: Tum denique, Quia ideo Pater, Dominus, Maritus possunt ad libitum vota filiorum, servorum, & uxorum infringere, & irritare, quia habent potestatem dominativam super illos, sed Pontifex super vota &c. non habet talem potestatem, sed solummodo dispensatoriam, quæ debet esse ad ædificationem, & non ad destructionem.

XVII. Ad licitè dispensandum requiritur legitima causa in impedimentis Ecclesiasticis. Dico Octavò: *Ut summus Pontifex dispenset licitè in impedimentis ex Ecclesiæ statuto ortis, requiritur legitima & justa causa.* Ità D. Thomas, Cajetanus Sanchetz. Dixi: *Ut licitè*, quia, ut validè dispenset, non requiritur causa, cùm sit suprema sedes, Author juris canonici, Interpretator, Moderator, & Dominus potens etiam illud abrogare, adeóque sicut Dominus potest validè dissipare bona sua, ita etiam validè dispensare.

Probatur Conclusio Primò ex Conciliis Coloniensi III. parte 1. cap. 33. dicente: *Quàm imprudentissimè plerique diplomatis, ac dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis, præter Summi Pontificis mentem (qui & vult, & debet potestate sibi concessa non ad destructionem, sed ad constructionem uti) abutantur.* Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform: Quòd si urgens justáque ratio & major quandóque postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, & summa cum maturitate, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, præstandum est.* & *Sess.* 24. *de Matrimonio cap.* 5. *In contrahendis Matrimoniis vel omninò nulla detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa.* Confirmatur ex jure civili *L. Relegati. in fine ff. de Pœnis. Nemo potest commeatum, remeatúmve dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa.*

Probatur Secundò. Ex D. Bernardo lib. 3. de consideratione ad Eugenium prope finem, ubi talem dispensationem dissipationem dicit esse censendam. Audi verba ejus. *Quid inquis? prohibes dispensare. Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis non propria. Nam cùm nil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Probatur tertia Ratione: Tum, hoc læderet æqualitatem membrorum in Ecclesia, cùm aliqui legibus gravarentur, alii absque causa relaxarentur: Tum, Quia talis dispensatio ansam præberet multis inconvenientiis, odiis, dissensionibus, & inimicitiis: Tum, Quia hoc planè est contra rationem agere, nam ut lex vim habeat, justa esse debet, ita etiam dispensatio in lege candida, debet esse justa.

Ex Conclusione deduci potest. Impetrantes dispensationem, atque illa utentes pariter illicitè facere, & peccare pro qualitate materiæ venialiter vel lethaliter, prout res & lex gravis aut levis fuerit.

Causæ autem in Curia Romana censentur esse sequentes. Prima: Extinctio magnæ litis, ad quam reducitur pax consanguineorum, quæ acquiri non potest, nisi per tale Matrimonium, nam tunc censetur hoc conducere ad bonum publicum, ad hanc quoque reducitur evitatio scandalorum, vel obviatio ad impedimen- XVIII. Causæ sufficientes ad dispensandum.

diendum aliquod grave peccatum. Secunda: Quando ob alicujus oppidi angustiam, & nimis propagatam fœminæ cognationem non reperitur aliqua sibi par, cum qua Matrimonium iniri possit propter consanguineas vel affines. Tertia. Quando fœmina est pauper, & habet defectum dotis, ratione cujus alicui extraneo æquali nubere possit.

Quarta est conservatio divitiarum intra eandem familiam, nè distrahantur ad alias, quia hoc videtur quoque cedere ad bonum commune, dum sic conservatur Nobilitas, splendórque familiarum illustrium. Quinta est Excellentia meritorum pro Ecclesia DEI, vel pro bono publico, sive petentis dispensationem, si ejus pro quo petitur, quod probatur ex *cap. Conjug. 1. q. 7. vel evidens meritorum prærogativa recommendet.* Et hæc sunt causa pro persona privata, ubi

Notandum: Quòd si una non sufficiat ad jungendam pro subsidio aliam & plures, si adsint, Quia singula, quæ non prosunt, simul collecta juvant. *L. Rationes. L. Instrumenta. L. Non epistolis. C. de Probat.* semper tamen esse debent veræ non falsæ, & etiam nihil debet subticeri de impedimentis, si plura concurrerent, nec etiam aliquis falsus prætextus allegari, & ut vocant colorari, hinc

XIX. Dispensatio obreptitia & subreptitia est nulla.

Dico Nonò. *Dispensatio impetrata subticendo verum, aut allegando falsum in supplici libello, quæ Pontificem moverent tanquam finalis causa, quæque si scivisset, dispensaturus non fuisset, est irrita & nulla.* Hæc de se patet. Et deducitur ex *cap. super litteris. de Rescriptis*, in quo notatur, quòd quando tacetur aliquid in libello supplici, quod si apponeretur, faceret, ut Princeps non dispensaret, vel non tam facilè, & tunc dicitur dispensatio *Obreptitia*; similiter quando aliquid falsi allegatur, ut impetretur, quod si allegatum non fuisset, dispensatio secuta non fuisset, & tunc est *Subreptitia.* Idem deducitur ex *cap. finali. de filiis Presbytero: in* 6. ubi de quadam dispensatione ad beneficium nulliter impetrata ait: *Veluti per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti* .... Ratio hujus resolutionis ibidem est adjuncta: *Cùm non sit verisimile sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum, dispensare.*

Probatur Conclusio ratione: Tum, in foro spirituali decet adesse omnem puritatem & veritatem in allegando: Tum, Quia per taciturnitatem veri & allegationem falsi impetrata dispensatio non solùm jure est nulla, sed etiam ex defectu voluntatis concedentis, quam aufert deceptio, tacita veritate & expressa falsitate inducenti ad concedendum; nisi veritas tacita esset dispensanti notoria: Tum, Quia nemo dicet dispensationem impetratam ab Episcopo in voto non nubendi, allegatâ falsâ causâ periculi incontinentiæ, & tacitâ circumstantiâ alterius voti de suscipiendis sacris Ordinibus validam esse, ergo nec in aliis similibus dispensationibus à Pontifice impetratis.

Dixi in Conclusione. *Quæ Pontificem moverent tanquam causa finalis*, Quia illud verum tacitum, & allegatum falsum talia esse debent, quæ dispensantem quemcumque moveant tanquam causa finalis ad concedendum vel denegandum, nam si essent tantùm causa aliqua impulsiva, quæ etiam non existente, gratia fuisset concessa, tunc dispensatio esset valida, quod deducitur ex *cap. Dudum. vers. nos igitur. de Præbendis. in* 6. ubi ad valorem concessionis beneficii ponderat Pontifex non obstare taciturnitatem veri, quo cognito concessisset adhuc dicens: *Considerantes quoque quod nos exposito nobis de potestate prædicta nihilo minus litteras gratiosas daremus.*

XX. Quæ sunt exprimenda in petitione dispensationis.

Pro majori intelligentia Conclusionis Nota taciturnitatem earum rerum reddere dispensationem invalidam & nullam, quæ jura specialiter exprimi jubent, aut quæ ex stylo Curiæ Romanæ exprimenda sunt, ità quod etiam ignoranter omissa invali-

validitatem non excusent, licet excusent à peccato: Ratio est, quia taciturnitas hujusmodi obstat, quo minus adsit sufficiens dispensantis intentio, qua velit acta derogari juri Matrimonio impedimentũ adferenti, quem defectum ignorantia petentis non supplet. Exemplum præclarissimũ invenitur in Tridentino *Sess. 24. c. 5. de Reform. Matrim.* ubi statuitur, ut qui in gradibus prohibitis scienter Matrimonium contraxerit, (& multò magis qui contractum consummaverit) aut qui ignoranter quidem contraxerit, sed in contrahendo solemnitates requisitas neglexerit, separari debere, & carere spe dispensationis, si igitur quis talis peteret dispensationem non exprimendo à scientibus Matrimonium contractum esse, ac etiam (si ita se res haberet) consummatum: aut ab ignorante quidem, sed neglectas esse solemnitates requisitas, tunc impetrata dispensatio esset nulla & invalida. Hinc

XXI. Si plura sint impedimenta, omnia sunt inserenda.

Notandum Secundò. Si plura concurrant impedimenta, omnia esse exprimenda, quare si duo essent sibi duplici titulo conjuncti, in eodem vel diverso gradu, utriusque impedimenti mentio fieri deberet: Item si sit in linea recta v. g. in filiatione spirituali, quia in his major est difficultas dispensandi, sicut major ibidem deprehenditur irreverentia: Item si in impedimento publicæ honestatis inveniatur simul affinitas.

Notandum Tertiò. Sacram Pœnitentiariam Romanam dispensando in foro conscientiæ in impedimentis Matrimonium dirimentibus, ac etiam impedientibus, ut v. g. voto Castitatis, & Religionis cautissimo procedere modo, ita ut relaxationibus nimiis occasionem non præbeat, & tamen saluti animarum suaviter consulat, ob quod in litteris dispensatoriis relevantibus utitur clausulis, quarum notitiam utilem fore credo Confessariis, unde earundem explicationem breviter subnecto, qui fusiorem voluerit, videat Sanchetz lib: 8. disp: 33. Itaque

Primò Litteræ inscribuntur ordinariè ab extra hoc modo: *Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem eligendo salutem.* Ex quo patet, qui dispensatorias litteras aperire possunt, debere esse de rigore Doctores Theologiæ vel juris Canonici, quibuscunque autem Magistris æquivalent in Ordine nostro *Lectores jubilati* ex Declaratione Inocentii XI. Qui nunc apud Patres Reformatos vocandi sunt *Lectores Emeriti* ex ordinatione Capituli Generalis Romæ celebrati An. 1688. die 5. Junii, & additur simul debere esse approbatum ab Ordinario, Primum requiritur propter doctrinam, prudentiam, & discretionem ad expediendas tales litteras; alterum propter capacitatem ad confessiones audiendas. Dixi autem de rigore, quia existimo omnes mendicantes approbatos Confessarios aperire posse tales litteras, nam ita concessit Patribus Societatis Gregorius XIII. de anno 1582. quibuscum alii communicant, & ita video practicari in his partibus ultramontanis.

XXII. Explicantur clausulæ variæ in dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ.

Secunda Clausula, continet timorem incontinentiæ, his verbis: *Continenter vivere posse non sperat.* & iterum: *Quatenus si ita esse, ac Oratorem stimulis carnis adeò cogitatum, ut maximè dubitet, continere, posse, & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum sit.* Ex qua confessarius pro certo habere debet, non sufficere quascunq; tentationes carnis, nec timorem unius vel alterius lapsûs carnalis, sed exigi maximum frequentis lapsûs periculum, ita ut persona illa possit dici incontinenter victura; Nihil tamen curandum, an hoc periculum oriatur ex naturali inclinatione & propensione, an ex mala & habituata consvetudine.

Clausula Tertia continet obligationem, qualiter dispensandum debeat examinare, & inquirere de veritate allegatorum pro impetranda dispensatione: *Si ita esse per diligentem*

Oratoris examinationem ac post monita, & consilia opportuna juri præstita inveneris, unde Confessarius debet illum exhortari ad dicendam veritatem ingenuè ostendendo aliàs dispensationem non valituram, & se se in graviori periculo versaturum, si tamen talis inquisitio omitteretur, dispensatio non redderetur invalida, si alioquin subsisteret, cùm non apponatur per modum formæ dantis esse.

Quarta Clausula, ut petens dispensationem absolvatur, injunctâ ei salutari pœnitentiâ his verbis: *Eundem à mutatione propositi absolvas hac vice in formâ Ecclesiæ consvetâ, injunctâ ei pœnitentiâ salutari.* Quæ clausula insinuat absolutionem hujusmodi fieri debere in Sacramento Pœnitentiæ, quidquid dicat Sanchetz, nam ob id dirigitur dispensatio ad Confessarium, & quæ fieri injunguntur ordinariè in Sacramento Pœnitentiæ peragi solent; adeóque multò tutius est, & consequenter in praxi sequendum, quod confirmatur, Quia in Privilegiis mendicantium quoad hujusmodi litterarum apertionem, & dispensationem præmittitur Clausula. *Litteras aperiendi, Confessionibúsq; fidelium ad ipsos recurrentium auditis*, & postmodum subnectit dispensationem faciendam & sic *Confessionibus auditis* refertur ad omnia, quæ sequuntur, unde in fine clauditur *In foro conscientiæ duntaxat.*

Clausula Quinta continet opera, quæ Confessarius commutare debet, votum castitatis videlicet *in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua.* Unde non est liberum Confessario impositionem hujusmodi operum nmittere, liberum tamen est pro qualitate subjecti confessionem restringere ad bimestre vel trimestre; Pœnitentiæ opera, quæ sunt injungenda, etiam non determinantur, quoties fieri debeant, sufficiet proinde, ut fiant toties, quoties quis ad sacram synaxim vult accedere, verumtamen penes Pœnitentiæ opera etiam debent injungi *Aliqua Religionis, quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem, ut adimplens meminisse semper possit obligationis, quia hujusmodi voto adstringebatur*, & talia possunt esse quinquies Pater & Ave pro defunctis, vel pro conversione peccatorum, vel etiam aliquod aliud opus bonum, ex operibus misericordiæ sive corporalibus sive spiritualibus, & ut dispensandus tantò certiùs ea persolvat, potest Confessarius dispensans relinquere illi liberam electionem ad illud, ubi majorem habet inclinationem.

Clausula Sexta jubet litteras dispensatorias esse lacerandas, *Quas lacerare tenearis neque Latori restituas, quòd si restitueris, nihil illi præsentes litteræ suffragentur.* Quæ particulæ sic intelligi possunt, ut nihil illi suffragentur in foro externo, casu quo per illas aliquid probare vellet, nam supponitur dispensatio jam fuisse peracta, atque adeò jam suffragatæ fuerunt in foro interno.

Clausula Septima est, Facultas legitimandi prolem in foro conscientiæ, unde si est dispensatio ad Matrimonium ineundum ex occulto aliquo impedimento, hæc ponitur: *Dispenses, Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conscientiæ tantùm.* Quando autem jam invalidè fuit contractum, ut per dispensationem validetur, tunc sic: *Dispensa, ut Matrimonium inter se secretò contrahere valeant, prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde legitimam denuntiando in foro conscientiæ tantùm:* Hoc est, quod talis proles non sit censenda irregularis ex defectu natalium, sed sit capax ad Ordines sacros, & ad quæcunque beneficia Ecclesiastica obtinenda.

Clausula Octava est: *Dummodo impedimentum inde proveniens sit occultum.* id est, quod non laborat publica infamia, nam si tale esset, cùm soleat scandalum generare

nerare, non sufficit illi remedium occultum. Deinde non debet ad forum contentiosum esse deductum,& nondum finitum, Quia sacra Pœnitentiaria conscientiarum saluti providere purè volens ad exteriora non se vult immiscere, quod si ad forum contentiosum deductum esset, & jam ibi finitum, tunc Confessarius in foro conscientiæ quoque posset illum absolvere.

Clausula Nona continet diligentiam observandam in dispensando in Matrimonio v. g. contracto ex impedimento occulto irrito. Primò: Experiri debet diligenter, an sine scandalo separari possint: Quod si non, ut saltem experiatur, an non simul ut frater & soror in continentia vivere possint: Quod si nec hoc, & ex cohabitatione incontinentia immineat, tunc conjux, qui erat ignarus de impedimento, certificari debet de nullitate Matrimonii, & tandem facienda dispensatio in impedimento occulto, intellige, si absque damno gravi detegentis fieri possit.

XXIII. Consilium pro Confessariis recurrentibus ad Pœnitentiariam.

Pro fine hujus quæstionis Nota. Causas pro dispensatione allegatas non esse eas tantummodò, sed quæ communiùs occurrere solent, quare Confessarius recurrens ad sacram Pœnitentiariam pro aliquo pœnitente alleget illas vel unam ex illis, si adsit, tanquam generaliorem & præambulam, & subdat suas magis relevantes, easque urgeat, nec difficultatem faciat in Rescripto Pœnitentiariæ, vel cujuscunque signaturæ gratiæ vel justitiæ, si non fiat mentio suarum causarum, in quibus vim posuit, evenit enim frequenter, uti pro certo mihi experientiâ constat, Curiales Expeditores Romæ vel nimis esse tenaces sui styli Curiæ, vel non velle laborem assumere ad causas meliores inserendas, vel ipsosmet Agentes verioribus causis immiscere consvetas in Curia Romana. Quare si quid simile Confessario & Pœnitenti contingeret, Neuter sibi scrupulum facere debet, & si causa vera allegata in Rescripto non esset inserta, sed liberè ad executionem litterarum procedere potest dispensans, & in conscientia tuti sunt dispensati, dummodo in supplici libello ad Pontificem causæ illæ veræ fuerint insertæ, supponendum enim illas fuisse attentas, quia omissio scriptoris tertio nocere non debet, hinc providè etiam sacra Pœnitentiaria in dispensationibus occultis committit discretioni, judicio, & prudentiæ Confessarii.

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Usu & Abusu Matrimonii.

Quàm laudabilis est rerum, juriumque suorum usus, tam abominabilis est eorundem abusus; Et tamen sub titulo & specioso usûs pallio frequenter subrepunt, absconduntúrque deformes abusus, corruptelæ & peccata; nam cùm aliqua re nimis libenter utimur, illâ abutimur, qui moderatè vinum bibit, eô utitur; abutitur, qui se eo usque ad crapulam ingurgitat. Sic in Matrimonio est lex de reddenda copula petenti, usúsque ejus est honestus & licitus, ast quando

sine modo & ratione ad illam ruunt effrœnes, *Tam bene ex proprio, quàm alieno inebriantur vino*, ùt per parabolam quondam curiosè circa hanc materiam inquirenti eleganter respondit B Ægidius S. Francisci socius. Alter usus est in Matrimonio ordinatus ad individuam humanæ vitæ societatem, mutuo scilicet cohabitando, ut mutua sibi obsequia præstare valeant ad administrandam rem familiarem, prolémque debitè educandam, & in hac obligatione quanti sint abusus, testantur frequentia quoad thorum & cohabitationem divortia, tam proprio arbitrio, quàm authoritate Judicis facta. Quare cùm res Confessariis sit utilissima pariter & necessariissima, in hac Disputatione de Usu conjugalis Debiti, & ejus Abusu: quàm de Cohabitatione conjugum, & eorum dissolutione, quæ divortium dicitur, agam. Sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

De Usu Conjugalis Copulæ.

IN hac & sequentibus quæstionibus vincere debebit pudorem necessitas, & verecundiam superare utilitas, necesse est enim hæc confessariis scire, ut pœnitentibus salutaria præbere possint consilia, & opportuna providere remedia. Quare.

I. *Usus copulæ est honestus & meritorius.* Dico Primo. *Usus copulæ conjugalis de se est honestus, & in gratia, debitisque circumstantiis exercitus, etiam meritorius.* Ita Doctores Catholici omnes. Probatur primò, ex illo Gen. 2. *Crescite & multiplicamini*, quod præceptum DEI absque usu conjugali impleri non potest. Deinde D. Paulus dicit, quòd sit *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus.*

Tertiò. Quia est actus justitiæ, *Nolite fraudare invicem* 1. Corinth: 7. *Et iterum revertimini in idipsum.* Quartò. Quia usus copulæ conjugalis tàm petendo quàm reddendo ordinatur ad propagandam prolem, ad cultum DEI, & ad conservandam speciem, quæ ad talem cultum ordinata & creata est, ergo. Tandem, Actus iste est multùm mysteriosus, significat enim conjunctionem Verbi Divini cum natura humana, Christi cum Ecclesia, quod si autem esset quid illicitum & peccaminosum, non videtur à DEO ordinatum ad significandum magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia: ergo. Ex quo etiam sequitur esse actum meritoriū, cùm nihil illi ad hoc desit. Si autem quæras an conferat gratiam ex opere operato. Respondeo negativè, quia Sacramentum non est, nec pars ejus necessaria, benè tamen ex opere operantis, sicut alii actus boni.

Pro sequentibus conclusionibus Notandum, Canonistas ad explicandas conditiones, quæ usum conjugalem rectum & licitum faciunt, duos hos adhibent versus:

II. *Versus duo explicant ea, quæ usum cohonestant cōjugalem.*

Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohære,
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

Modus, situm significat: *Finis* causam, ob quam: *Sine damno* prolis in utero existentis: *Solve*, scilicet debitum: *Cohære*, id est cohabita: *Locus* sacrum denotat: *Tempus*, festivum, rogationum, jejuniorum & communionis consi-

considerat: *Tactus*, qui sint liciti: *Votum* quomodo impediat usum in petendo & reddendo: verùm licèt versus isti memoriæ gratiâ compilati exprimant multa observanda in usu Matrimonii, non tamen sufficienter, nec debito ordine, minus à me intento, ideò alio combinabo convenientiam odo, ut tamen nihil ex illis omittam, sed singula copiosè explicem.

III. Usus debet habere rectam intentionem & finem, ut non imaginetur sibi personam extraneam.

Dico Secundò: *Ut usus matrimonialis sit rectus & legitimus, debet habere rectam intentionem, & finem honestum.* Probatur: Quia ex intentione & fine actiones omnes humanæ legitimantur, & rectificantur, ergò: undè accedens ad suam uxorem habens intentionem copulandi cum Florentia conjugata, vel cum Monacha, vel cum Consanguinea, adulterium, vel sacrilegium, aut incestum committit, & idem est dicendum de uxore, si sibi conjugatum, religiosum, vel consanguineum imaginetur, hæc enim sunt peccata interna mentis & consensus accomplacentiæ præfigentis sibi objectum illicitum & prohibitum, circa quod morosè delectantur, adeóque graviter & mortaliter peccant.

IV. Usus conjugalis licitus est, & ex bono prolis & fidei.

Dico Tertiò: *Licitus est actus conjugalis relatus ad bonum prolis, & ad bonum fidei, seu cum exercetur gratiâ habendæ prolis, & servandæ fidei alteri conjugi.* Ita Sanchetz, ajens esse omnium Theologorum; & Probatur prima pars ex Scriptura, Tobiæ 8. ubi Tobias junior ostendit, quis finis in conjugio & ejus usu sit habendus: *Domine, Tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum;* & antecedenter cap. 1. Anna filia Raguelis uxor ejus futura declaravit mentem suam, quâ intentione in Matrimonium septem virorum consenserit, cap. 3. *Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam ab omni concupiscentia: virum autem cum timore, non cum libidine mea consensi suscipere;* ergò sicut Matrimonium propter generandos filios debet suscipi, ita etiam propter eosdem usum habere honestum erit & licitum.

Probatur etiam ratione, Quia cùm DEUS Matrimonium instituerit ad multiplicationem generis humani, quisquis eò utitur ex hoc fine peccare non poterit, aliàs DEUS aliquid illicitum instituisset, unde D. Augustinus dicit, complexum matrimonialem non nisi *propter prolis susceptionem* adhibendum esse, & iterum lib. de bono Conjugii. cap. 7. *Reddere debitum nullius est criminis, exigere verò ultra generandi necessitatem culpæ venialis.*

Probatur secunda pars de bono fidei, Quia tenentur Conjuges ex justitia ad debitum sibi reddendum; unde D. Augustinus *lib. 9. de Gene. ad litteram. cap. 7.* ait: *In fide attenditur, nè præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur,* ergò qui ex hoc motivo & fine ad conjugem accedit, non peccabit, sed opus justitiæ faciet.

Nota tamen, non esse necesse, ut quis conjugalem usum habens explicitè & expresè hos fines præfigat, sed sufficere, si implicitè & tacitè, atque ex habituali intentione per contrarios actus non revocata vel vitiata, eò quòd jam antecedenter istos fines sibi præfixerint, sicut hæc intentio sufficit ad meritum. Quare si Conjux Conjugi copuletur, & nihil aliud cogitet, quàm quod faciat, quia Conjux est, non peccat, quia virtualiter refertur ad prolis generationem, ad quam ex natura sua hic usus est institutus, & tunc non vitiaretur aliqua prava intentione. V. Non est opus, ut explicitè intendatur proles.

Nota Secundò: Prolem intendi etiam explicitè non esse necesse, ut referatur in obsequium DEI, sed sufficit propter successionem, nam eo ipso, quòd sit successor & creatura jam ex natura sua applicatus esse debet pro Dei obsequio.

Dico Quartò: *Usus conjugalis relatus ad bonum Sacramenti, videlicet ut expressius significet indissolubilem* VI. Usus non debet referri ad bonum Sacramenti.

lem unionem Christi cum Ecclesia, Verbi cum carne sanctus videtur, sed tamen culpa veniali non caret. Ita Sanchetz, Reginald. &c. Probatur, Quia bonum Sacramenti non respicit primò & directè Matrimonii usum, sed vinculum & essentiam, in quo differt à fine prolis & fidei, qui sunt fines intrinseci Matrimonii, finis autem Sacramenti est tantùm extrinsecus, consurgens ex illis finibus tanquam signum practicum, ergò qui hunc finem sibi præfigit, deficit à recta ratione finis matrimonialis, & quia defectus non est tantus, culpam venialem non excedit.

VII. Usus conjugalis ad vitandam incontinentiam est licitus.

Dico Quintò: *Usus conjugalis adhibitus ad vitandam incontinentiam in semetipso licitus est, & omni culpâ vacans.* Ita Almainus, Mastrius, Richardus. Probatur Primò ex D. Paulo 1. Corinth. 7. ajente: *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Et iterum: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram*, in quibus locis satis insinuat Doctor Gentium accessum ad Conjugem propter incontinentiam esse licitum: Nec obstat, quòd statim subjungat: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Quia ibi indulgentia non intelligitur culpæ remissio, sed actûs concessio tanquam liciti, quod enim in aliqua lege concessum & permissum est, attentâ illâ Lege non potest esse peccatum, ergò cùm actus conjugalis ob incontinentiam sit indultus & permissus, non erit peccatum, Probatur hæc Consequentia, quia peccatum est contra legem prohibentem: Si enim lex non esset, peccatum non esset, & peccatum non cognovi, nisi per legem, cùm sibi hæc opponantur permittere & prohibere, ita quòd sequatur, est permissum, ergò non est prohibitum, & vice versâ, est prohibitum, ergò non permissum. Deindè, non obstat secundò ille textus: Quia si ex illo inferri posset, esse peccatum veniale, etiam inferri posset, nuptias & connubium esse veniale, nam sicut de usu conjugali subdit: *Dico secundùm indulgentiam*, ita de nuptiis dicit: *Ego autem vobis parco*, ergò.

Probatur Conclusio Secundò: Tum, quia usus relatus ad finem, ad quem est institutus, licitus est, atqui post lapsum Adæ usus hic institutus est in remedium concupiscentiæ, ergò: Tum à pari, licitus est usus ad vitandam incontinentiam in altero Conjuge, út de se patet, quia est solutio debiti, ergò etiam in semetipso, cùm quis sibi primò prospicere debeat ex lege charitatis, ubi enim redditio est licita, petitio quoque erit licita, si aliàs non obsit obex: Tum, Quia in hoc fine etiam reperitur bonum fidei, nè eam alteri conjugi frangat, & caveat alienum concubitum: Tum denique, Quia aliàs sequeretur Matrimonia inter senes & steriles esse peccaminosa, quia hic non possunt sibi finem præfigere prolem, sed remedium concupiscentiæ, item aliàs accessus ad uxorem prægnantem semper esset illicitus, &c.

Ad quæ argumenta Authores oppositæ sententiæ dicunt ea esse vera, quando alio modo & medio vitari in se incontinentia non potest, sicut possunt Conjuges per mortificationes & jejunia; ergò. Verùm non solvunt difficultatem, Quia, dum sunt duo instituta remedia ad aliquid vitandum, alterutrum pro libitu licitè amplecti potest, sed in casu in remedium concupiscentiæ institutus est usus, & mortificatio, ergò alterum conjux amplecti potest, absque eo, quòd culpam aliquam etiam venialem committat. Hinc

Dico Sextò: *Usus conjugalis adhibitus præcisè ad conservandam, vel restaurandam corporis sanitatem licitus est, si aliud medium non adsit adeò aptum, & conveniens.* Ita Sanchetz, Reginaldus, & Authores passim. Probatur: Quia possunt Conjuges petere usum ob bonum prolis, ergò etiam ob bonum proprium corporis proprii, quia bonum proprium

VIII. Usus conjugalis licitus est propter sanitatem, si alia media non adsint commoda.

prium prævalet alieno bono: Et insuper, quia bonum individui semper includit bonum prolis, quæ speranda non est, nisi conjuges sani fuerint in potentiis generativis, cùm tunc aptiores sint & ad generandum, & ad reddendum debitum. Denique intendi potest sanitas minus principaliter & magis principaliter proles, & tunc etiam omnis levis culpa aberit, sicut etiam abest, quando non est amplius spes prolis.

Dixi autem: *Si non adsit aliud aptum & conveniens medium* ad salutem, quia si adesset, illud prius ex debito & recto rerum ordine deberet adhiberi, cùm usus conjugalis ad hunc finem non sit institutus. Hucusque dicta fuerunt, quæ particulam Finis concernunt. An verò Delectatio sola sit sufficiens finis usûs conjugalis, dicam negativè infrà Quæstione de Abusu in principio.

IX. Usus est etiam licitus tempore festivo & feriato. Dico Septimò: *Usus conjugalis quovis tempore festivo & feriato etiam communionis, & loco sacro, si ita exigat necessitas vel utilitas, est licitus.* Ita Scotus 4. d. 32. q. un. in solut. ad primum principale, Mastrius, Sanchetz, Reginaldus, &c. Pro qua Conclusione Nota: Tempus hîc considerandum in duplici differentia, una est physica, altera moralis: ad physicam spectant tempus menstrui, prægnantis uteri, partûs & purificationis, & lactationis. Ad moralem verò tempus bimestre deliberationis, tempus benedictionis, denuntiationumque fiendarum ex Ecclesiæ statuto. Item tempus supplicationum, jejuniorum, festivitatum, & sacræ Communionis, & de his omnibus est Conclusio, & incipiendo à tempore physico

X. Tempore menstrui. **Probatur Conclusio quoad primam partem de tempore menstrui: Quia usus ille non est prohibitus, nec ex parte petentis, nec ex parte reddentis, ergò. Probatur: Ex parte reddentis non: Nam hujus inhibitionis nec lex nec ratio adferri potest, ergò.** De lege non constat, & si esset aliqua ratio maximè ob bonum prolis, ne damnum patiatur, & menstruosa vel gybbosa nascatur, atqui hæc non obstat, quia melius est proli sic esse, quàm non esse, & si hoc tempore non fuisset concepta, fortè nunquam amplius, sed aliqua alia, quia nondum existentes non habent unitatem & individuationem. Et posito, quòd sequatur hoc damnum proli, hoc est merè per accidens & præter intentionem, ùt ait Glossa *cap. Si causa. verbo Conceptus.* 33. *q.* 4. Deindè proles est incerta semper, & maximè illo tempore, ùt docet Aristoteles *lib. de generat. animal. cap.* 16. *vel* 19. Tertiò, usus conjugalis non habet solum finem bonum prolis, sed etiam bonum proprium ad vitandam in se incontinentiam. Porrò licitum tunc quoque usum esse ex parte reddentis: Tum, Quia obligatur toties, quoties alter justè petere se asserit: Tum ex regula communiori Theologorum: *Quando petere nulla est culpa, vel etiam tantùm venialis, reddere nulla est culpa, quia ordinariè subesse causam præsupponendum*, nisi contrarium manifestè constet. Sed

Dices: Levit. 20. dicitur: *Qui coïerit cum muliere in fluxu menstruo, ipsáque aperuerit fontem sanguinis sui, interficiantur ambo.* Item in Jure Canonico idem prohibetur *cap. finali. d.* 5. ex D. Gregorio: *Cùm in consuetis menstruis detinentur uxores, viri sui misceri prohibentur.* ergò. Respond. Negando Conseq: Quia illud præceptum partim fuit cæremoniale, quia efficiebat accedentem irregularem, quo minus vasa sacra tangere posset; partim judiciale, quia mortis pœnam imponebat: Non verò morale, aut si tale fuit, tunc solum de congruentia & honestate, non verò de necessitate ad obligandum, si aliqua honesta causa subsit, ut v. g. propter vitationem incontinentiæ, ad impedienda jurgia & dissidia inter Conjuges; si verò nulla subesset causa, ob specialem indecentiam & turpitudinem omninò culpa

culpa esset venialis, quia videtur fieri ex nimia intemperantia, quod Scotum tantum velle, absolutè assero.

XI. *Ad prægnantem accedere non est peccatum.* Probatur secunda pars de tempore, quo uxor gestat uterum. Quia nullo jure prohibitum est, nec opus est culpas multiplicare, ubi necessitas non cogit, & nimis durum esset Conjuges obligare ad abstinendum sub veniali ab hoc usu tanto tempore, cùm aliquando potissimo anni tempore uxores soleant esse prægnantes. Nec refert, quod tunc semen frustretur suo effectu, quia etiam ante conceptionem frequenter frustratur, & tamen non facit aliàs usum esse illicitum, nam hic potest insuper habere alium finem præter generationem prolis. Veruntamen si præsumeretur de periculo abortûs tàm petere, quàm reddere esse culpam mortalem probabitur infra.

XII. *Purificatio non impedit.* Probatur tertia pars de tempore partûs, & Purificationis: Tum ex motivis paulò allegatis: Tum, Quia tempus Purificationis Levit. 12. præscriptum tanquam judiciale jam expiravit, & sicut etiam expiravit obligatio non ingrediendi Ecclesiam, nisi post octuaginta dies natâ fœmellâ, ita etiam obligatio non reddendi debitum, unde S. Gregorius relatus *cap. finali d. 5.* dicens: *Et nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri,* tantùm consulit, non inhibet.

XIII. *Nec lactatio.* Probatur quoque de tempore lactationis: Tum: Quia proles nata, aut concipienda non patitur ullum damnum, vel saltem non notabile, ut expressè liquet in pauperibus hominibus, qui hæc non attendunt, ipsi lactant proles, & sine illarum damno usum conjugalem adhibent: Tum, Quia aliàs viro hoc esset onus in Monogamia gravissimum, nam cùm lactatio unius duret usque ad partum aliquando alterius, vir semper deberet abstinere, quod est medium valdè difficile, & moraliter impossibile, cum quo non tenetur bono prolis providere, quare si illi aliquod damnum accideret, per accidens ad illud se parentes haberent. Nec obstat sæpè citat. cap. final. d. 5. ubi dicitur: *Ad ejus verò concubitum vir accedere non debet, quousq; qui gignitur, ablactetur:* Tum, Quia hoc est tantùm dictum per modum consilii: Tum, Quia illud caput loquitur de conjugibus, qui *Filios suos aliis nutriendos tradunt - - - viris suis non debent admisceri:* ita expressè ibidem; Non tamen ordinariè & in Pauperibus. Verum est, posse dari casum, in quo maritus teneretur abstinere à petitione, ut si uxor esset ob paupertatem impotens ad servandam nutricem, & ipsa sciret, se post prolem conceptam in uberibus exsiccandam, ita quod nullum lac natæ proli præbere possit, & proles alio medio ali non valeret, tunc debere maritum abstinere.

Nunc progredior ad differentiam moralem temporis, & probatur de tempore bimestri post Matrimonium contractum & ratum licitus est usus conjugalis, sed ex beneficio juris non obligat. Ita habetur *cap. Publico. de convers. conjug.* ubi habetur: *Mandamus quatenus si prædictus vir eam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire, intra duorum mensium spatium debeat, ipsam absolvas,* ubi conceditur sponsæ bimestre ad deliberandum de statu religioso, intra quod poterit consentire in conjugalem usum, non tamen tenetur. Quia cùm ex privilegio Christi possit Conjux ingredi Religionem, sequitur concessionem *cap. Publico.* in illo fundari, nam cùm hoc sit res magni momenti, requirit moram pro deliberatione, ad quam isti duo menses censentur sufficere, imò posset authoritate ordinarii prorogationem petere. XIV. *Primò bimestri licitus est usus.*

Probatur etiam licitum esse usum conjugalem ante benedictiones: Tum, Quia nullo jure prohibetur consummatio, unde Nicolaus Papa, & habetur *cap. Nostrates 30. qu. 5.* XV. *Licitus est usus ante benedictiones.*

qu. 5. enumeratis concurrentibus ad nuptias, & inter ea solemni benedictione subdit: *Hæc omnia non servare, non est peccatum.* unde quando Concilium Trident. Seff. 24. cap. 1. de Matrimonio dicit: *Eadem Sancta Synodus hortatur, ut Conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*, consilium est non præceptum, ùt clarè denotat ly Hortatur, facilè enim fuisset dicere, Præcipit, si culpam subesse existimâsset, quare convenientia & decentia omninò est, ut prius benedictiones accipiantur, quare si nulla prorsus necessitas vel utilitas esset, aut etiam contemptus accederet, à culpa omni pro prima vice excusari non possent.

XVI. Non est licitus usus conjugalis ante denûntiationes. Veruntamen usus conjugalis non est licitus ante Denuntiationes factas, quamvis iis omissis esset Matrimonium initum, quia hæ obligant sub peccato mortali, ut fiant vel ante contractum, vel post, ante Consummationem tamen, nisi Ordinarius dispenset, ùt patet ex Trident. Seff. 24. cap. 1. dicente: *Deinde ante illius Consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant.* Deindè peccat Parochus mortaliter non præmittens Denuntiationes ante Consummationem, ergò etiam contrahentes.

XVII. Diebus jejuniorum & rogationum. Probatur de tempore festivo & feriato, v. g. diebus Rogationum, & jejuniorum, quia præceptum de diebus festivis colendis solùm inhibet operas serviles externas, similiter in diebus rogationum & jejuniorum fideles non tenentur ad alias mortificationes, quàm ab Ecclesia præscriptas, sed debitum petere, vel reddere non est opus servile, & abstinere non est inter mortificationes ab Ecclesia ordinatas, ergò. Nec obstat objicere D. Paulum 1. Corinth. 7. qui post admonitionem de se non fraudandis subjungit: *Nisi fortè ad tempus, ut vacetis orationi*, atqui diebus festivis vacandum est orationi, ergò. Non obstat, inquam, Quia finis præcepti non cadit sub præcepto, inquit Sanchetz ex D. Thoma. Deindè usus conjugalis non impedit orationem, aut contemplationem, licèt fortè intensionem aliqualem, quam tamen quandoq; promovere potest, si per usum conjugalem carnalis concupiscentiæ stimuli fuerint sedati.

XVIII. Etiam die Communionis. Probatur secunda pars ex *Cap. Vir cum propria 33. qu. 4. Si quis suâ Conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solùm liberorum procreandorum gratiâ utitur, de sumendo Corporis Dominici, Sanguinisq; mysterio, suo est relinquendum judicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere.* Ubi Glossa *v. Prohiberi* ait, id est, *dissvaderi.* Deindè possunt concurrere plures causæ necessitatis vel utilitatis, quæ omnem indecentiam usûs conjugalis tollant, ob quam in die prævia Communionis non sit ulla culpa accedere ad illam v. g. magna solemnitas, in qua decet accedere ad Communionem; Tempus Jubilæi requirens illam: Specialis devotio singularisque præparatio; Item ad fugiendam infamiæ notam, quæ oriri possit apud familiam, si v. gr. confitens Conjux non communicaret, aut assuetus tali die sumere sacram Synaxim, abstineret.

XIX. Item in loco sacro. Probatur tertia pars de loco sacro: Quia tempore necessitatis, de hoc loquitur enim Conclusio, v. g. longæ obsidionis difficillimè foret conjugibus diu abstinere, & periculum esse posset pollutionum, quibus Ecclesia non intendit præceptis suis ansam dare, præsertim tempore necessitatis, sicut nec in aliis præceptis suis facit. Et licèt necessitas ista non sit absoluta & inevitabilis, est tamen gravis morali modo, & attenta humana fragilitate. Deindè, qui ex tali necessitate in Ecclesia conjunguntur loco Sacro nullam irreverentiam irrogant, imò potiùs reverentur, quia id agunt, nè alio modo illicito violetur. Extra tamen casum necessitatis ajo omninò non licere ex Doctore Subtili 4. dist. 32. quæst.

im. & si non sit grave peccatum, uti existimat Hiquæus esse mortale, est tamen notabile veniale.

Notandum tamen, Circumstantiam loci posse facere usum conjugalem esse mortalem culpam, ut si fieret in loco publico, quia hoc adversatur decentiæ, & honestati humanæ, essetque res scandalosa pluribus præbens ansam ruinæ spiritualis. Imò etiam ipsi tactus possunt esse mortales, si tales sint, qui adstantes valdè incitarent venerem ex eorum fragilitate.

Opponitur Authoritas alia ex jure, desumpta ex D. Hieronymo, qui refertur *cap. Sciatis.* 33. *qu.* 4. ubi sic habet: *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest oratione, nec de carnibus agni comedere debet. Item; Si panes propositionis ab iis, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæserunt complexibus, violari atque contingi*, ergò. Respond. D. Hieronymum, & Canonem loqui per modum consilii, non verò per modum præcepti. Deindè, si est per modum præcepti, tunc dicendum est de casu, quo quis ob solam voluptatem, & saturandæ libidinis gratiâ usum habuit, quia sicut tunc venialiter peccat, ita decet non accedere, & iterum erit venialis culpa accedere. Ego censeo simpliciter suadendum, ut diebus sacris solemnioribus Conjuges abstineant ab usu, excusare enim illos est tantùm ex compassione ob illorum fragilitatem, nè peccata multiplicentur, absolutè autem extra casum necessitatis & utilitatis non debent excusari, nisi aliæ accedant rationes. Tertiò, dicito Sermonem ibi esse de Presbyteris Orientalis Ecclesiæ, quibus ea die, quâ usum habuerunt conjugalem, interdictum est celebrare Sacrificium Missæ propter tanti Sacramenti reverentiam, manifestum enim est in Ministris, ob maximam illius muneris dignitatem plus puritatis & munditiæ requiri, & ideò apud nos planè eis interdicitur conjugium.

XX. Etiam post Communionem & alia Corollaria.

Hinc infertur, à fortiori reddentem debitum ab omni culpa, etiam levissima excusari, & nullatenus impediri de sacra Communione, Quia actum justitiæ præstitit, qui à jure non invenitur in aliquo casu exceptus.

Infertur Secundò: Conveniens esse Conjugem requisitam, suavi aliquo modo petenti persuadere, ut in tali solemnitate & die Communionis abstineat, quamvis aliqui existiment non teneri.

Infertur Tertiò: Non requiri aliquam determinatam temporis moram, post quam habitâ prius copulâ sumi possit Eucharistia, sed posse statim postquam mentis evagatio fuerit quietata, & distractio sedata, quod in quibusdam tardius, in aliis citius evenit, adeóque certa regula dari non potest, si enim cum mentis evagatione, & ad actum illum reflexione ad Sacram Communionem accederet, nullatenus à peccato graviore veniali excusare possem, aut vellem.

Infertur Quartò: Posse quoque eâdem die post Communionem ex fine honesto & legitimo, ut suprà peti & reddi debitum, quia nullibi reperitur prohibitum, nec indecentia culpam constituens ostendi potest, nisi fortè immediatè vel post parvum intervallum hoc fieret, tunc enim à culpa non vacaret, imò mortalis esset, si accederet contemptus, sicut etiam foret, si quis in contemptum diei festivi uteretur copula. Hæc pro particulis de loco & tempore.

XXI. Obligatio est æqualis respectu utriusque Conjugis.

Dico Octavò: *Obligatio ad usum conjugalem reddendum sub mortali æqualis est in utroque Conjuge, tàm viri respectu mulieris, quàm mulieris respectu viri, sive expressè, sive tacitè, & interpretativè petatur.* Ità Doctores Theologi communiter apud Sanchez. Et Probatur Primò ex D. Paulo 1. Corinth. 7. *Uxori*

Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro, quia mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, ubi satis clarè ostendit, æqualem esse inter Conjuges utrinque obligationem.

XXII. Obligatio est sub mortali. Probatur Secundò ex Ratione contractûs: Quia contractus inter Conjuges est mutuus, perfectus, & nullò modò mancus, sed contractus mutuus perfectus, ultrò citróque æqualiter obligat, ergò.

Probatur secunda Pars: Esse sub mortali, Quia reddere unicuique, quod suum est, debitè & licitè ac seriò petenti obligat sub mortali in re magni momenti, sed usus iste est res magni momenti, tàm propter generationem prolis, quàm propter vitandam fornicationem, ergò si debitè, licitè, & seriò petatur sub mortali obligabit; secus est, si solummodò alliceret, & gratum ostenderet per modum amicitiæ, non verò de rigore justitiæ, sicut etiam aliorum debitorum differri potest solutio, si seriò non petatur, sed solùm ut grata insinuatur, dummodò non sit positiva petitio interpretativa.

XXIII. Probatur Secundò de tacita & interpretativa petitione, quæ addita fuit propter fœminas, quæ verecundiores sunt ex natura, & rarò verbis, frequenter autem signis & nutibus suam necessitatem vel cupiditatem insinuant, quia nihil refert qualiter voluntas petentis exprimatur sive verbis, sive signis, vel nutibus, ùt habetur ex *L. De quibus. ff. de Legibus.*

XXIV. Obligatio copulæ patitur exceptiones. Dico Nonò: *Gravis hæc obligatio ad usum conjugalem non est ita universalis & absoluta, quin plures patiatur exceptiones.* Probatur: Tum ex eo, quod sit præceptum affirmativum, quod quidem semper obligat, sed non pro semper, & plures frequenter patitur exceptiones: Tum, Quia in omni contractuum obligatione est attendenda materia circa quam, atqui considerata usûs conjugalis ratione, si semper obligaret, nullásque pateretur exceptiones, intolerabile foret onus, ùt contingere posset, si quis nimis sæpè vehementer, importunè, molestè, & indiscretè peteret, ergò: Tum, Quia in omnibus contractibus usum exigentibus modus adhiberi debet, & usus esse moderatus, ut sit humanus, ùt patet de contractu inito ad utendum equis, vestibus, &c. ergò quàm maximè id considerandum erit in hoc contractu, ubi usus substantiam valdè destruit, exhaurit, & enervat, nam vir fit impotentior, & semen efficitur sterile.

Dico Decimò: *Periculum perdendæ sanitatis, imminentis infectionis à lepra, vel alio morbo contagioso contrahendæ, abortûs sequendi, mortis ex partu, & impotentiæ præsentis ùt plurimum excusant ab obligatione usûs conjugalis, seu ad reddendum debitum.* Hæc deducitur ex Scoto in 4. d. 32. q. un. sub lit. E. Probatur prima pars de salute & sanitate corporali: Quia rectus ordo naturæ & charitatis requirit, ut unaquæque res sibi magis consulat, quàm alteri, sed usus Matrimonii sequitur ordinem naturæ & charitatis, ergò magis debet quis consulere sibi suæque saluti, quàm proximi cupiditati; probatur minor: Quia natura semen non efficit, nisi prius membra reliqua suam debitam acceperint nutritionem, ergò prius individuum respicit, quàm speciei multiplicationem. Intellige tamen hoc, si notabile damnum sanitatis, si enim tantùm esset remotum aut imaginarium, non excusaret à redditione debiti. Probatur Secundò: Quia homo non habet vitæ suæ dominium, adeóque obligatus est ad illam cum moderamine tuendam, nec gravi periculo exponendam. Hinc XXV. Periculum sanitatis perdendæ excusat.

Infertur: Febri laborantes, Phlebotomicos, in die, qua incisionem fieri curârunt, curâ balnei utentes, (maximè statim post balneum) & in casibus similibus non esse obligatos ad reddendum debitum maximè, si nocumentum inde advertant.

XXVI. Item periculum infectionis. Probatur secunda pars de periculo infectionis à lepra, vel alio contagioso morbo, v. g. Gallico, &c. Tum, Quia dominium non habent suæ vitæ, ut modò dicebam: Tum, Quia in contractu matrimoniali hæc generalis semper supponitur conditio subesse, *salvâ personarum & individuorum incolumitate*, cùm naturaliter mortem, morbósque horreamus, & semper vivere naturali inclinatione appetamus, ergò cum periculo notabili non est obligatus ad reddendum debitum, & probabiliter illicitè faceret, maximè si ex infectione impedirentur œconomica administratio, forenses operationes, & famæ existimatio. Sed

Dices: *Cap. 2. de Conjug. lepros.* decidit, sanum conjugem obligatum esse ad reddendum debitum leproso, vel alio contagioso morbo laboranti, his verbis: *Quod si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit. & infirmus à sano debitum carnale exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto in hoc casu nulla exceptio invenitur*, ergò. Respond. cum Sanchetz, hoc capitulum intelligendum esse, quando redditio debiti non cedit in notabile damnum reddentis. Imò aliter potest Responderi, Pontificem tantùm intendere decernere lepram, quamvis de se horrorem afferat, & aliquem contagionis metum, non absolvere tamen conjugem ab obligatione debiti reddendi, nisi periculum infectionis esset moraliter certum, aut horror adeò ingens esset, ut natura ipsum congressum abominaretur, qui horror est sufficiens, etiamsi periculum infectionis non adesset. Respond. Tertiò: Capitulum intelligi de leproso, non in actu, sed in habitu, eo scilicet, qui leprâ, idem est de lue venerea, seu morbo Gallico, laboravit, & convaluit, quia tunc non excusatur, licèt horror aliquis remaneat.

XXVII. Periculum abortûs excusat. Probatur tertia pars Conclusionis de periculo abortûs: Primò ex authoritate Sanctorum Patrum, qui graviter redarguunt usum conjugalem habentes cum uxoribus prægnantibus, D. August. lib. de bono conjugal. cap. 6. habetur tom. 6. ubi dicit: *Sunt adeò incontinentes, ut nec conjugibus gravidis parcant.* Ambros. super primam Epistolam ad Corinth. 7. refertur *cap. Si causa. 33. q. 4.* Sic: *Ratio conceptûs & partûs juxta legem cessare temporibus his debere demonstrant.* D. Hieronym. lib. 1. contra Jovin. refertur *cap. Origo, ibidem. Quicunque se causâ Reipublicæ & generis humani jungi dicunt, imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios.* ubi Glossa verbo *Non perdant*, rationem reddit: *Eò quod frequenti concussione pereat fœtus*, & quamvis DD. August. & Ambros. de abortu mentionem non faciant, à fortiori Conclusionem probant, si enim contra usum conjugalem uxorum gravidarum invehuntur, magis facient, si periculum abortûs subsit.

Probatur Secundò ex Ratione: XXVIII. Quia Matrimonii finis principalis est generatio prolis, sed abortus directè huic repugnat, ùt de se patet, ergo, quando est tale periculum, non obligabitur Conjux ad reddendum debitum: Deindè illicitum est, innocentem periculo mortis exponere, in tali casu fieret. Nec valet dicere, hoc verum esse de abortu fœtûs animati, licere tamen, quando fœtus non est animatus. Non valet, inquam, quia hoc damnatum est ab Innocentio XI. propos. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Quia subsequenter alius dicere posset, fœtum ante nativitatem non animari, & sic gravissimis sceleribus ansa præberetur, quod iterum damnat Innocentius XI. propos. 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Nec etiam valet dicere, Periculum incontinentiæ excusare, quia revera hoc periculum non est tantum

tum ac alterum, nec huic præponderat, cùm aliis mediis consuli possit.

XXIX. Periculum mortis excusat à debito. Probatur quarta pars: De periculo mortis imminentis ex partu, Quia uxor non tenetur debitum reddere cum manifesto periculo vitæ, sed est manifestum periculum sive illa edere partum non possit, sive non possit vivam, ergò non est obligata ad reddendum debitum, adeóque in tali casu fœmina nec potest sterilitatem medicamentis procurare, nec post conceptionem audet potionibus fœtum pellentibus se juvare, primum enim est contra bonum prolis, secundum est innocentis mortem procurare, vel illum periculo vitæ exponere, nam supposito interdicto homicidio: *Non refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet*, ait Tertullianus in Apolog. cap. 3. Veruntamen potest talis uxor debitum viro petenti reddere, quamvis non teneatur, etiam petere si voluerit, quia aliàs tàm ipsa, quàm maritus magnum incommodum, & incontinentiæ periculum sustinerent, si neutrum potest, quare ut hoc vitet, potest vitam periculo exponere, ait Sanchetz: Tum, Quia nec conceptio est certa, nec periculum est certum: Tum, Quia periculum illud est remotum, & mors sive sua, sive fœtus est per accidens, & non intenta.

XXX. Impotentia excusat ab usu conjugali. Probatur quinta pars: De Impotentia ad coëundum sive ex causa licita, sive illicita, quia impossibilium nulla est obligatio, *Leg. Impossibilium. ff. de Reg. Juris.* & hoc extra dubium est, si vir ex copula priori cum uxore sit factus impotens ad prosequendam secundam. Item, si hæc oriatur ex moderatis vigiliis consuetis Ecclesiasticis jejuniis (secus si extraordinaria jejunia adhiberet, quia tunc spontè cooperaretur in impotentiam, essetque corruptela contra justitiam) nam licèt fieret tunc debilis, non tamen impotens. neque tenetur cum spirituali jactura à spiritualibus exercitiis abstinere, aliàs etiam deberet à corporalibus abstinere, & sic vacando libidini curas œconomicas negligere. Nec est obligatus vir calidis uti, ut vegetior fiat, quia sunt adinventiones valdè sensuales.

Dico Undecimò. *Conjux sanus non est obligatus per se & ex natura rei ad reddendum debitum conjugi amenti, vel furioso aut ebrio, licitus tamen est usus.* Ita Sanchetz, Ledesma, &c. & Probatur: Tum, Quia illa debiti petitio non est actus humanus, & perinde est, ac si vir in somnis peteret, cui annuere non teneri uxorem certum est: Tum, Quia vir ob furorem & amentiam amittit bonorum administrationem, & jus ad usum matrimonialem. Dixi tamen *per se & ex natura sua*, quia si furioso, amenti, aut ebrio esset periculum, ne accederet ad aliam, aut alio nefario modo expleret libidinem, per accidens ad præcavendum hoc periculum teneretur conjux sanus illi reddere debitum. XXXI. Sanus non est obligatus reddere amenti, furioso, aut ebrio.

Probatur secunda Pars. Quia verum est Matrimonium, nec proli imminet detrimentum, quia alter parens sanus est, qui illam educare possit, nisi aliunde adsit periculum & damnum conjugi.

Verum Nota, Magnam esse differentiam, si uxor sit amens, & si vir sit amens, Quia amenti viro citiùs tenetur uxor reddere debitum, quàm vir uxori amenti, quia apud virum nullum patitur periculum fœtus, benè tamen apud uxorem propter abortum causandum, & fœtum ex furia ab illa occidendum, si verò esset amentia mitis, & ipsa jam esset sterilis, aut non esset spes concipiendæ prolis. nec enecandæ conceptæ periculum, licitus esset usus conjugalis. Si verò ambo conjuges sint amentes, sunt separandi, & peccaret, qui eos ad usum incitaret, nam licet ipsi non peccarent, peccarent tamen incitantes, quia proles inde nascitura careret parentibus, qui eam educarent & instruerent, & ob quam rationem concubitus vagus est prohibitus.

XXXII. Conjuges consentire possunt ad abstinendum, nè proles multiplicetur.

Dico Duodecimò. *Possunt conjuges ex libero consensu abstinere ab usu conjugali, nè multiplicent proles, quas alere non valent ob paupertatem & rerum familiarium angustiam, qua conventione præcisa obligabitur tamen conjux petenti reddere debitum.* Ita Sanchetz, Reginaldus. Probatur prima Pars. Quia nulli irrogatur injuria, & neuter tenetur ad copulam nisi altero petente, cùm copula non sit præcepta nisi ad alterius instantiam, & nemo petere teneatur. Denique voluntas non generandi filios non est de se vitiosa, quando honesto & bono fine vestitur, qualis est, ut proles jam genitæ honestè alantur, & nè per numerum plurium filiorum res familiares distrahantur nimiæ aut familiæ decor pereat.

Probatur secunda Pars. Quia hæc ratio non est sufficiens ad denegandum petenti debitum, cùm generatio prolis sit primarius finis Matrimonii, qui cohonestat usum conjugalem, & hoc maximè verum est, si parentes habeant sufficientia media ad alendas proles, dum sunt superstites, quamvis pauperiores post mortem parentum ex divisione paternæ substantiæ sint futuræ, quia tunc spectabit ad ipsas proles sibi victum providere.

QUÆSTIO SECUNDA.

De illicita petitione Usûs Conjugalis.

ANtequam progrediar ad agendum de Abusu Matrimonii, prius proponendi sunt casus, quando unus conjux illicitè petit usum conjugalem, ubi insignis & gravissima oritur difficultas resolvenda: An scilicet quoties conjux illicitè petit ob aliquod impedimentum, an alter licitè possit reddere? pro quo

I. Licèt unus conjux nō possit petere, potest tamen alter petere.

Notandum Primò. In iis casibus, in quibus unus conjux impeditur petere, posse sine dubio alterum ab illo licitè petere, quotiescunque voluerit, quantumvis sciat impedimentum illius, quia ipse non ligatur alieno impedimento, nec alterum inducit ad peccatum, quia ille reddendo non peccat, & sic ambo rem licitam faciunt.

Notandum Secundò. Quando actus conjugalis, qui exigitur, est illicitus exigenti ratione alicujus circumstantiæ se tenentis ex parte actûs, ùt si sine necessitate petat in loco sacro, aut quando copula est graviter nociva alteri conjugi, aut proli jam conceptæ, tunc illicitè sic exigenti, seu exigenti illicitum actum non potest licitè reddi, quia tunc usus conjugalis, qui exigitur, est absolutè & ratione sui illicitus, atque adeò illicitus exigenti, & etiam alteri, & ideò sicut unus nequit licitè petere, ita nec alter licitè reddere. Ex his notatis sequitur differentiam duplicem hîc considerari posse in illicita petitione usûs conjugalis, unam tenentem se præcisè ex parte conjugis illicitè petentis; & alteram non præcisè ex persona petente, sed ex actu ipso, qui petitur à conjuge. His prænotatis. II. Quando conjugalis actus est illicitus alter non tenetur reddere.

Dico Primò. *Quando conjux scit Matrimonium non esse validè contractum ex quocunque demum impedimento sive Juris Divini, sive humani non potest petere debitum, sed neque reddere conjugi ignoranti, etiam si pœnâ Excommunicationis comminetur illi.* Ita communis sensus Theologorum. Probatur Primò ex *cap. Inquisitioni. de sent. Excommun:* ubi dicitur: *Credimus respondendum, utrum alter conjux sciat pro certo impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, aut non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum mortale operari.* & *cap: litteras. de restit: spoliat:* ubi de fœmina sic loquitur: *Porro cùm mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex Divina prohibuit, non posse viro sine peccato carnaliter commisceri, frustra in tali adjudicaretur restitutio spoliato, cùm illa contra* III. Scienter Matrimonium esse invalidè contractū nec possunt petere nec reddere.

DEUM

DEUM non debeat Judici obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere.

Probatur secundò ratione: Tum, Quia aliàs sequeretur fornicationem esse ob Superioris præceptum, vel ob vitandum famæ periculum, licitam, quod est falsum, probatur tamen, quia fornicari non est aliud, quàm accedere ad non suam, sed hoc fieret in casu, ergò: Tum, Quia nulla ratio excusans adferri possit, non quidem ob esse occultum, nam quod jure naturæ vel positivo est prohibitum, per hujusmodi circumstantiam fit licitum, maximè cùm hoc peccatum semper fiat in occulto, nec in ullo eventu definit esse peccatum.

Dices. Canones allegatos, non loqui universaliter de impedimentis dirimentibus, sed tantum de iis, quæ jure Divino id faciunt, ùt patet particula *Præsertim in gradibus, quos lex Divina prohibuit*, ergo. Respond. negando antec. Quia particula illa *Præsertim* & similes v. g. *maximè, signanter*, involvunt etiam & implicant disparata in genere, unde cum textus dicat posse reddi debitum in Matrimonio nulliter contracto ex impedimēto juris Divini *Præsertim* concludit etiam id non posse fieri in aliis impedimentis. Sed iterum:

Dices: In impedimentis jure humano inductis Episcopus per compulsionem sub excommunicatione videtur dispensare, atque adeo tunc cessat esse impedimentum. Respond. negando antec: Quia id ex nullo textu probari potest, & erubescendum est sine textu in tam gravi casu loqui, econtra verò manifestum est, talem compulsionem non esse dispensationem, sed sententiam secundum allegata & probata, nam aliàs sequeretur detecto postmodum impedimento non esse amplius separandos, nec necesse recurrere ad dispensationem impetrandam, cùm jam Episcopus dispensaverit, quando debitum reddere coëgit. Et posito casu, quòd talis coactio esset dispensatio, attamen eo ipso non posset reddere debitum, nisi prius novum consensum conjuges legitimè contrahendi inirent. Sed

Quæres Primò. Quid remedii in simili casu adhibendum sit conjugi impedimenti conscio? Sanchetz quatuor proponit. Primò. Tali conjugi fugiendum esse ad loca, ubi separationis à thoro & cohabitatione non sit scandalum: Secundò Ingredi Religionem, si Matrimonium non sit consummatum. IV. Remedia adhibenda iis, qui invalidè contraxerunt.

Tertiò. Petere dispensationem, si sit impedimentum dispensabile, vel petere divortium allegando alias causas, quæ tamen revera subessent. v. g. adulterium vel sævitiam: Quartò. Svadere ipsis, ut putati tales conjuges cohabitent simul ùt frater & soror juxta *caput Laudabilem. de frigid: & malef:* Quod tamen remedium mihi difficile & periculosum ob humanæ naturæ fragilitatem videtur, & si quis hoc svadere vellet, benè attendere deberet ad conjugum inclinationes, optimum esset, tolerare patienter excommunicationem.

Quæres Secundò. Quid sit faciendum conjugi, qui per excommunicationem compelleretur ad cohabitandum, & ad thorum? Respondi juxta caput suprà citatum, eum debere patienter ferre illam, & consolari in eo, quòd coram DEO non liget, quia esset injusta, falsóque inniteretur fundamento, & præsumptioni, nam excommunicatio justa debet præsupponere peccatum, hic verò abesset, imò adesset virtus, & observantia præcepti Divini de non fornicando, ad quod quis magis obligatur, quàm ad humanam Excommunicationem.

Dico Secundò. *Si uterque conjux mala fide seu cum dubio contraxit Matrimonium, neuter potest petere vel reddere usum conjugalem, si verò alter tantùm ex ipsis mala fide contraxit, non potest petere usum, tenetur tamen reddere.* Ita Doctor subtilis 4. d. 31. q. 1: & Scotistæ. Probatur prima Pars. Quia nemo potest se sine pecca- V. Uterque conjux dubitans non potest petere nec reddere debitum.

peccato exponere proximo periculo peccandi, sed hoc fieret in casu, ergò. Probatur minor, Quia ideo operans cum conscientia dubia peccat, quia exponit se periculo, ergò. Probatur minor. Quia tales conjuges existentes in mala fide exponerent se periculo fornicationis, ergò.

Probatur secunda Pars. Quia qui mala fide contraxit, est malæ fidei possessor corporis alterius, ergo non potest illo uti tanquam suo, cùm dolo possideat veriùs, quàm judicè & justè, nam juxta Regulam juris: *In dubio tutior pars est eligenda*, adeóq; non potest petere usum corporis illius, ad quod nullũ habet jus.

Probatur tertia Pars. Quia cum innocens conjux bona fide contraxit sine ullo dubio de valore Matrimonii, aut aliquo impedimento, acquisivit jus ad usum conjugalem & ad petendum, ergo alter tenetur ei reddere, Quia tunc *In dubio est melior conditio possidentis*, ex Regula juris, adeóque hac possessione, & suo jure non debet privari ob malam fidem alterius, donec etiam illi constet invalidum esse Matrimonium. Sed

VI. Si uterque bona fide contraxit, & uterque dubitet, neuter potest petere vel reddere.

Dico Tertiò. *Quando uterque conjux bona fide contraxit Matrimonium, & unus incipit dubitare, non potest petere usum conjugalem, tenetur tamen reddere, si verò uterque incipit verè dubitare, neuter potest petere usum conjugalem, & si alter peteret, alter nec potest, nec tenetur reddere, antequam adhibeant diligentem de valore inquisitionem ad deponendum dubium, vel ad dissolvendum, vel dispensandum in Matrimonio.* Ità Reginaldus, Bonacinna & plures Canonistæ apud ipsum. Hæc deducitur ex *cap. Dominus §. 2. de secundis Nuptiis.* ubi resolvitur casus de dubitante an prior Conjux non sit adhuc superstes his verbis: *Sanè super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis contraxerunt, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, respondemus, ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux: si verò aliquis homo non servavit, & de morte conjugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei quæ sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* & Ratio etiam est, Quia cùm alter sit in pacifica possessione nihil dubitando, retinet jus petendi & reddendi, nam licèt alter diceret, se dubitare de suo Matrimonio v. g. eo quòd non habuerit verum consensum, non tenetur dicenti credere, ùt notat Doctor subtilis loco citato, sub littera C. nec debet dubitare in proprium præjudicium, cum ratione consensûs externi in facie Ecclesiæ verum contraxerit Matrimonium, nam si crederet, innocens non posset amplius neque petere neque reddere debitum, quia non posset se amplius tueri cum possessione bonæ fidei, eo ipso enim quo credit alteri, constituitur quoq; in malâ fide, unde Scotus monet innocentem non debere credere, sed opinari, quod in contractu verè consenserit, & quòd modò mentiatur, nisi tales rationes, circumstantias, & indicia adduceret, quæ si non ad credendum, saltem ad dubitandum moverent, & tunc ab usu & redditione etiam deberet abstinere, sine quibus si vellet, posset conjux credere in præjudicium alterius, si id sibi commodum videret. Si autem tantùm scrupulus exurgeret, eo quòd motiva allegata essent levia, & non sufficientia, nihil foret curandum, quoniam contra scrupulos licitum est operari.

VII. Debent facere ante diligentem inquisitionem.

Probatur secunda Pars. *Ex cap. Inquisitioni. §. Finali de sentent. Excommun.* Et ratio est, quia in utroq; conjuge antequam diligentem adhibeant inquisitionem, possessio est dubia, sed dubia possessio non confert jus utendi re, cùm non faciat ei propriam, ergò antequam diligentiam adhibuerint non habent jus petendi, nec reddendi. Confirmatur, Quia tota ratio obligationis reddendi est periculum injustitiæ, cui exponeretur ille, à quo peteretur, si non redderet, sed nullum tale periculum est, quia dubitans nullum habet jus exigendi, unde neque potest

test reddere, quia cùm alter non possit licitè & justè petere, alter non poterit reddere, quia obligatio reddendi præsuponit jus petendi, quale dubitans non habet.

Dixi. *Antequam diligentem adhibeant inquisitionem* &c. Nam si eam adhibuerint, & veritas comperta non est, tunc & petere & reddere possunt, quod patet à pari, Quia in aliis contractibus, qui bona fide rem accipit, & postea incipit dubitare, an sua sit vel aliena, justè potest rem illam retinere, uti, & absumere, quando diligenter inquisivit, & examinavit, an sua sit vel aliena, & nec tamen deprehendit, quoniam *melior est conditio possidentis*, ergo etiam conjuges bona fide contrahentes, & postmodum dubitantes facta diligenti inquisitione possunt uti Matrimonio petendo & reddendo, quia supponere & credere debent dubium esse tantùm speculativum non verò practicum. Et insuper quia tales conjuges videntur in casu illo laborare ignorantia invincibili, cùm dubium per diligentem inquisitionem vinci non potuerit.

VIII. Affinitas superveniens impedit petitionem debiti. Dico Quartò. *Affinitas superveniens uni conjugum viri scilicet, vel uxoris facit illicitam petitionem usûs conjugalis, sed non impedit redditionem, quòd si uterque hoc crimen commisisset, uterque privatur & jure petendi & reddendi.* Ita Doctor subtilis in 4. d. 41. q. un: in fine, ubi ait, quòd affinitas superveniens post Matrimonium non dirimit illud, privatur tamen vir jure petendi propter illud, & idem est de uxore, ac etiam de utroque, si in illud laberentur, tunc nec petere nec reddere sibi possent, & Probatur prima Pars ex *cap: 1. de eo, qui cognovit consanguin:* quod sic habet, *si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre petere debitum, nec filiam unquam potest habere uxorem*, ubi benè notandum, fornicationem istam fieri debere scienter, imò & libenter seu consentiendo, nam si per vim cogeretur, non impediretur à petitione, quoniam æquum non est, ut qui caret culpa, subeat pœnam privationis debiti, idem est, si per metum gravem ad hujusmodi copulam cogeretur, quia hic excusat à peccatis & à censuris.

Probatur secunda Pars. Ex *cap. discretionem. eodem tit:* ubi paulò ante finem sic dicitur, *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimum Matrimonium inter virum & uxorem contrahitur, ei debere officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine suâ culpâ privari.* Idem habet *cap: penult:* & *final: eodem titulo.* Unde huic Conclusioni non obstat aliud *caput, Qui dormierit. 27. q. 2.* ex Concilio Aurelianensi decidens nefas esse hunc incestuosum reddere debitum, nam intelligendum est de petitione, ut idem sit reddere, quod petere, & sic explicat Glossa. *v. qui dormierit.* IX. Non tamen redditioné.

Probatur tertia Pars. Quia per *Caput. Discretionem. & cap: penult:* citat. redditionem debiti à culpa excusant, quia unus conjux est innocens, ob quod habet plenam possessionem usûs Matrimonii, ita ut nec petitione nec redditione sit privandus, ast hic neuter esset innocens, ergo sicut neuter potest petere, ita neuter reddere. Deinde ex paulò ante dictis, quando uterque conjux dubitat de valore Matrimonii, neuter potest reddere alteri petenti, eo quod stante dubio neuter habet jus petendi, sed etiam in hoc casu uterque conjux amisit jus petendi, ergo neuter poterit reddere. Tertiò, Quia illa copula esset semper incestuosa, utpote quæ haberetur cum affine, nam conjux tunc simul esset affinis ob copulam cum consangvinea conjugis in eo gradu, quæ affinitatem inducit, quod semper supponendum est.

Dices. Quando uterque conjux factus est adulter, mutua compensantur delicta juxta *cap: penult: & final: de adulter:* ita quòd tunc pos-

possint sibi reconciliari, ac invicem sibi reddere ac petere debitum, ergo etiam quando uterque contraxit affinitatem, possunt sibi delicta compensari. Respond: neg: conseq: Quia ubi de utilitate delinquentium agitur & in eorum favorem jus exigendi debitum aufertur, tunc paria delicta mutua compensatione abolentur, secus est quando privantur & jus exigendi aufertur in pœnam delicti, prout in casu affinitatis contingit, eò quod impedimentum tale contrahitur, quod si ante Matrimonium adveniret, illud dirimeret, quod ergo supervenit in pœnam peccati tollit jus petendi & exigendi debitum.

X. Si ex malitia contrahant affinitatem, neuter impeditur à debiti redditione.

Verumtamen Notandum est, Quòd si uterque conjux ex malitia affinitatem contraheret, eo fine ut se liberet à redditione debiti, neutrum excusari à debiti redditione, quamvis petere non possint, Quia sicut hæc pœna jure positivo est imposita, ità etiam per idem jus est mitigata & moderata, ut obligentur ad redditionem debiti ex *cap: si vir. de cognat: spiritu:* ubi quoad redditionem debiti casus iste æquiparatur casui, quo quis per ignorantiam delinquit, licèt diversa ratio æquiparationis ibi detur, nempe quòd ex ignorantia delinquentem ignorantia excuset, delinquentem verò ex malitia fraus sua & dolus non debeant juvare aut patrocinari his verbis: *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia eis sua fraus patrocinari non debet,* prout hic contingeret, nec obstat, quod in dicto capite sit sermo de cognatione spirituali, quia ratio eadem est de impedimento affinitatis, ùt docet Sanchetz lib: 9. disp: 28. citans alios. Hinc

Dico Quintò. *Cognatio spiritualis superveniens Matrimonio legitimè contracto, videlicet qui prolem communem vel etiam alterius conjugis in necessitate baptizaverit, non impedit redditionem debiti, sed nec petitionem, secus est si faciat scienter & absque necessitate.* Ita Doctores communiter, Mastrius, Brancatus. Probatur ex *cap: ad limina.* 30. *q.* 1. ubi redditur ratio, Quia non est æquum conjugem, qui culpæ immunis fuit, suæque satisfecit obligationi, baptizans prolem nè in æternum periret, id damnum sentire, ut sibi interdicatur debiti petitio, quæ est pœna delicti. Confirmatur, Quia absque culpa nemo suo jure privari debet *cap: Discretionem. de eo, qui cogn. consaug:* An autem privetur jure petendi debitum, qui scienter & absque necessitate baptizat propriam prolem vel conjugis, controvertunt Authores, & si attendatur ratio cognationis spiritualis omninò videtur privari jure petendi, si verò jus ipsum, non videtur tale reperiri, quamvis ex *cap: si vir. de cognat: spirit:* aliqui id deducere conentur Sanchetz & plures alii, verùm illud caput non dicit tales privatos esse jure petendi, sed potius contrarium, quia expresse ait: *sive ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere,* & licèt alii canones allegarentur, illi fuerunt antecedenter editi, & consequenter per *cap: Si vir.* tanquam posteriorem canonem correcti. Quælibet sententia est probabilis, & quilibet tenere potest, quam voluerit, ego teneo contrahi quidem cognationem spiritualem, ùt semper supra dictum, non tamen impediri usum, quia jura id non disponunt.

Dico Sextò. *Votum castitatis simplex sive antecedens sive consequens Matrimonium contractum & consummatum facit illicitam & mortalem petitionem usûs conjugalis ex parte illius, qui eo est obstrictus, ita tamen, ut alteri teneatur reddere.* Hæc etiam est communis Doctorum. Probatur prima Pars. Quia votum castitatis est juris naturalis & Divini, fundatum in fidelitate impellente ad servanda promissa, juxta illud Psal: 75. *Vovete & reddite DEO vestro:* ergo obligabit XI. Voto castitatis adstrictus illicitè & mortaliter petit usum conjugalem.

semper

semper quoadusque non remittatur promissio: Probatur conseq. Quia votum castitatis includit in se obligationem præcepti negativi ad abstinendum ab omni opere venereo, ergo obligat semper & pro semper, adeóque etiam post initum Matrimonium quantum in se est, sed non petere est in sua potestate, nec ad hoc lex Matrimonii adstringit, ergo vovens semper erit obligatus non petere.

Confirmatur. Ex *cap. Quidam de Convers. Conjug.* ubi dicitur, eum, qui renitente uxore professus est, quamvis professio non tenuerit, teneri non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideo quoad se votum suum tenuisse, sed in vovente castitatem, etiamsi contrahat Matrimonium, ex parte sua est in potestate non petere usum, ergo.

XII. Votum Castitatis non extinguitur per Matrimonium. Dices. Votum castitatis per Matrimonium subsequens totaliter extinguitur, ergo talis potest non solùm reddere, sed & liberè petere. Respond. disting. ant. Votum castitatis extinguitur in quantum est incompatibile cum Matrimonio & jure ejus tanquam fortiori vinculo, conc. antec. quantum est compatibile, neg. antec. & conseq. Nam propter validam, licèt sacrilegam, traditionem corporis alteri factam tenetur reddere debitum, adhuc tamen manet votum in se subsistens quantum ad petitionem, quæ in sua est potestate, adeóq; quoad hoc non est extinctum: Quod inde à fortiori adhuc liquet, nam si talis post Matrimonium fornicetur, is non solùm committeret adulterium, sed & sacrilegium violationis scilicet voti castitatis. Insuper certum est, quòd defuncto altero conjuge, ille qui est voto adstrictus obligaretur ad servandam castitatem tam bene ac ante, ergo votum castitatis per Matrimonium non fuit absolutè extinctum, sed quoad unicum actum suspensum.

Addidi autem in Conclusione particulam *consummatum*, quia antequam consummetur, nec petere nec reddere potest sine peccato, quia transgreditur votum, & habet medium servandi illud primò per bimestre, secundò per ingressum in Religionem.

Probatur ergo secunda Pars. Quia Matrimonii essentia hoc requirit, ut fiat corporum permutatio maris & fœminæ in ordine ad usum conjugalem saltem implicitè, si petatur, ergo post Matrimonium contractum quilibet conjux non impeditus habet jus petendi usum conjugalem, quia habet potestatem in corpus alterius, ergo alter non obstante suo voto tenebitur reddere: probatur hæc consequ: Quia votum alterius non obligat alium præter seipsum, & vovens aliud jus activum non habet præter petere, quòd si facit, violat votũ, Reddere verò non est sui juris sed alterius, & ideo per redditionem non violat votum, sed tantùm per actum petendi, & non petendo sufficienter servat votum, quia quantum ad hoc, ille potest servare castitatem, & est omnino liber ad non petendum. Idem dic de voto subsequente Matrimonium.

Dico Septimò. *Votum Religionis antecedens Matrimonium contractum impedit licitum usum ejus sive petendo, sive reddendo; ast eo semel consummato licitè reddere potest & petere.* Hæc constat apud omnes. & Probatur prima Pars, Quia ante consummationem potest adhuc ingredi Religionem ex privilegio Christi in favorem statûs Religiosi, ergo ante consummationem nec licitè petet. Probatur secunda Pars, Quia jam semel Matrimonio consummato nihil obstat, quominus licitè petere & reddere possit, quia non obligatur ad Religionis leges, nisi actualiter illam sit ingressus, sicut nec vovens se suscepturum Ordines majores obligatur ad dicendum breviarium, antequam eos susceperit, ergo. XIII. Votum Religionis impedit licitũ primum Matrimonii usum, non tamen subsequenter.

Hucusque de illicita petitione usûs conjugalis, nunc videndum est an illicitè petenti hujusmodi usum alter conjux non impeditus possit ei licitè & absq; cooperatione ad peccatum XIV. Quatuor Regulæ circa illicitam petitionem & redditionem.

catum reddere debitum? Sanchetz lib. 9. d. 6. ad hanc difficultatem debitè explicandam quadruplicem assignat regulam: Prima est. Non peccare conjugem neque eximi à reddendo debito toties, quoties peccat alter conjux petens illud: Ratio ejus est, Quia conjux non cooperatur peccato petentis, nec ejus petitioni, sed copulæ, quæ est conjugatis licita & à se debita.

Secunda Regula est. Quoties petens debitum cum sola culpa veniali reddens ab omni culpa liber est; Ratio est, Quia semper intercedit causa in reddente, quæ cùm à culpa excuset v. g. ne petentem disgustet, aut nè discordiam excitet. Tertia Regula est. Quoties petere est culpa lethalis non ob aliquam circumstantiam actûs vitiantem illum, sed ob circumstantiam tenentem se ex parte personæ v. g. quòd sit voto castitatis obstricta v. g. si malo fine petat, nullam esse culpam reddere, sed teneri. Ratio ejus est, quia per votum castitatis non amisit dominium corporis alterius conjugis, quod acquisivit per Matrimonium. Quarta denique est, Quando petens delinquit ob aliquam circumstantiam ipsius actus vitiosi & peccaminosi, ut v. g. si sit periculum abortûs, tunc etiam reddens peccat mortaliter, quod supra in principio quæstionis prænotavi. Et has posteriores duas regulas amplectitur & sequitur Bonacinna, suntque probabiles opiniones, verùm non exhauriunt difficultatem de cooperatione in peccatum, quando conjux injustè & illicitè petit, ideo censeo conformiter ad dicta in Sacramentis in genere disp. 3. q. 6. unam generalem & securiorem ponere regulam, &

XV. Quando illicita petitio oritur ex petentis defectu licitè reddi potest.

Dicto Octavo. *Quando petitio conjugis illicitè petentis usum hic & nunc licitè fieri potest, illicitè tamen fit ex circumstantia ipsius personæ, ejusque mala & prava voluntate licitè reddere potest alter conjux debitum, si verò actus petitus non possit fieri licitè & justè ratione alicujus, quod jam non est in potestate illicitè petentis, tunc non potest licitè reddere debitum alter conjux.* Ita D. Bonaventura in 4. d. 32. a. 3. q. 1. Gabriel, Orbellus noster, Hurtadus, Ponce & quàm plures alii, & declaro eam exemplo: v. g. Petit conjux. A. animo fornicario & incestuoso, aut aliàs mala intentione & ob malum finem, conjux. B. licitè reddit debitum, quia conjux A posset corrigere malam intentionem, ac habere bonum & honestum finem, Est enim in sua potestate mutare mentem, & intentionem: Si verò conjux A. illicitè & injustè petat ob causam, quæ in ejus potestate amplius non est. v. g. quia votum castitatis ante emisit, quia affinitatem cum conjuge in secundo vel primo gradu, aut cognationem spiritualem contraxit, & nondum est dispensatus, illicitè ei reddit debitum conjux, quia tale impedimentum non est amplius in ejus potestate, quòd tollere possit. Itáque

Probatur prima Pars Conclusionis, Quia in primo casu conjux reddens debitum cooperatur actui, quem petens hic & nunc potest bene exercere, & suâ culpâ facit malè, potestque tollere, ergo reddenti non potest imputari in malum: probatur antec: à pari, Non peccat recipiens Sacramentum à Sacerdote, quem scit esse in peccato mortali, quia ille potest habere actum contritionis, quo dignè administrat, & suâ culpâ non habet: similiter non peccat, qui petit mutuum ab usurario, quem scit exacturum usuras, quia ille petit tantùm mutuationem pecuniæ, quam posset bene exercere, ergo à pari.

Probatur secunda Pars. Quia in casu tertio de affinitate supra veniente Actus petentis non potest esse non peccatum, ergo conjux alter non potest reddere, quia cooperaretur actui, qui non nisi malè fieri potest, ergo. Confirmatur. Petitio est illicita, ergo & redditio est illicita, probatur consequ: quia conjux non tenetur reddere, quia alter perdidit jus petendi per affinitatem, ut supponitur, ergo quando reddit liberè

berè cooperatur illicitæ petitioni, quæ debet intelligi cum effectu, ùt ex jure suprà ostendi, nam vix credo, quòd aliquis accusaret se in Confessione, si ob impedimentum affinitatis petiisset debitum. & uxor illi non reddidisset, ergò.

Probatur eadem pars Secundò: De casu voti Castitatis: Contrahens Matrimonium scienter cum habente votum Castitatis, peccat mortaliter, ùt ipsemet docet Sanchetz, quia cooperatur alterius peccato, fitque particeps illius, ergò etiam qui petẽti cum voto reddit, peccabit, quia in tantum est contractus matrimonialis illicitus, in quantum usus est illicitus, nam si contraheret cum conditione de non utenda potestate in corpora, seu de servanda virginitate, non peccarent, ergò. Confirmatur: Conjux prima vice intra bimestre vel post reddens debitum petenti & habenti votum Castitatis, peccat mortaliter, ergò etiam post, quia tunc duplicis reus erit, prioris, quia cum voto contraxit, secundò, quia illud consumavit. Probatur antec: obstrictus voto Religionis post contractum Matrimonium, peccat mortaliter illud consumando, ergò etiam voto Castitatis adstricto. Probatur Conseq: Quia votum Castitatis est fortius vinculum, quàm Religionis, quia privat voventem jure petendi etiam post Consumationem, sicut non privat votum Religionis. Sed

Dices: Conjux sine voto licitè potest petere, ergò etiam illicitè petenti licitè reddere, quia hæc sunt inseparabiliter connexa actio viri & redditio mulieris. Respond. Primò: Retorquendo argumentum, Conjux cum voto illicitè petit, ergò etiam mulier illicitè reddit, quia istæ sunt actiones inseparabiliter sibi connexæ. Respond. Secundò: Negando Conseq: & rationem adductam, quia licèt non possint separari, unum tamen potest esse bonum, alterum malum, sicut patet in prima parte, & tunc actus ex parte Conjugis reddentis est bonus, petentis verò est actus malus ob malum finem, sicut exemplificat Orbellus de Christi passione, ubi illatio passionis erat vitiosa & peccaminosa, tolerantia verò passionis virtuosa, illa DEO displicebat, altera verò multùm placebat. Respond. Tertiò: Negando Conseq: & Disparitas est, Quia nulla adest in priori casu circumstantia vitians actum, quoniam unus conjugum licitè potest petere, & alter etiam licitè possit reddere, nec reddendi jus perdiderit, in posteriori verò nullum jus petendi habeat, nec unquam acquisivit, quia tenetur votum Castitatis servare quantum in se est, undè etiam ipsimet Sanchetz & Bonacina docent, Conjugem innocentem debere illicitè petenti prius facere fraternam correctionem ad avertendum illum ab illicita petitione, quæ frustra fieret, si non adesset periculum peccati, & melius remedium consulitur, ut ipse innocens Conjux in tali casu petat, quando alterum illicitè videt petiturum, & sic actus utrimq; est licitus & honestus.

Probatur Conclusio Tertiò: Non potest Conjux debitum reddere alteri petenti illicitè ob aliquam malam circumstantiam actûs, ergò nec ob circumstantiam personæ, antec: est Adversariorum. Probatur Conseq: Quia circumstantia personæ vitiat actum, nam facit, ut actus ipse necessariò malè fiat, si fiat, quia illa circumstantia non vitiat solùm petitionem, sed etiam ipsum petentis usum, cui usui alter cooperatur reddens, ergò qui operatur usui corporis cum impedimento, v. g. voto Castitatis peccat, sicut qui Cœnam jejunanti parat, aut carnes die Veneris apponit, peccat, quamvis hæc omnia secundùm se non sint mala, sed tantùm ex circumstantia personæ. Hæc est ratio & difficultas P. Mastrii, ob quam in nostram inclinat partem.

QUÆSTIO TERTIA.

De Abusu Matrimonii.

Equidem jam superiùs visum est, quos fines usus conjugalis habere debeat, quique aliquando liciti, & aliquando illiciti esse possunt, nnnc restat, videre de peccatis, quæ in malo usu, quem abusum voco, contingere possunt, & imprimis occurrit dubium, An usus propter solam delectationem sit abusus? Ad quod

I. Abusus est, si fiat actus ob solam delectationem.

Dico Primò: *Usus matrimonialis solius voluptatis & delectationis gratiâ factus, abusus est, & nequit sine peccato saltem veniali fieri.* Ita Majoronius noster, Hugo, Sanchetz, contra Almasinum, Mastrium: Et Probatur Primò: Authoritate Scripturæ Tobiæ 6. ubi Angelus dicit eos, qui ineunt Matrimonium tantùm, ut libidini vacent, pessimè facere, & dæmonium super tales potestatem habere: *Hi namque, qui Conjugium ita suscipiunt, ut DEUM à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Et consequenter quoque Matrimonio abutuntur, qui ob solam voluptatem exerceent copulam conjugalem, quem excessum S. Chrysostomus hom. 22. in Genesim ait causam diluvii fuisse: *Concupiscentia,* inquit, *illos in hanc induxit perniciem, pulchritudo aspectûs, intemperantiæ eis occasio fuit, &c. à pulchritudine victi sunt, & frænum imponere ordinatæ concupiscentiæ noluerunt, sed spectando capti, mersique sunt.* Probatur Secundò: Authoritate Innocentii XI. Pontificis zelantissimi, qui in Decreto Congreg. Gene. 5. Inquisitionis die 2. Martii 1679. damnat sequentem propositionem oppositam Conclusioni: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ & defectu veniali.* ubi etiam antecedenter damnat propositionem, in qua fundant Authores suum assertum: Non esse culpabile moderatè appetere delectationem in iis, à natura insitam, videlicet in delectu ciborum & potûs, quæ sic sonat: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Probatur Secundò: Authoritate SS. Patrum Augustini tom. 10. de divers. Serm. 63. cap. 13. *Nunquid hoc non est peccatum: Amplius quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à Conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale: Apostolus dicit: Hoc autem dico secundùm veniam:* & Tom. 7. lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 14. *Aliud est, non concumbere, nisi solâ voluntate generandi, quod non habet culpam. Aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter Conjugem, quod venialem habet culpam.* & cap. 15. *Apostolus secundùm veniam concedit, quamvis cum Conjuge, non utique illum prolis, sed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant fideles Christi, qui sunt connubio colligati, ut ex consensu temperent, quo vacent orationi, & cùm ad ipsum redeunt propter intemperantiam suam, noverint etiam inde dicere DEO: Dimitte nobis debita nostra.* Similia habet Div. Gregorius, refertur *cap. Vir. cum propria.* 33. *qu.* 4. *Cùm non amor procreandæ prolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis, habent etiam ipsi conjuges in sua commistione, quod defleant.* D. Hieronymus in cap. 5. ad Ephes. & refertur *cap. Liberorum.* 32. *qu.* 4. *Liberorum in Matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ sunt.*

Probatur Tertiò Ratione: Tum, Quia abusus rei est quærere actum propter delectationem adjunctam, cùm delectatio sit propter actum ipsum, non verò actus propter delectationem illi adhærentem: Tum, Quia debiti Ordinis perversio & abusus non potest carere culpa saltem veniali, atqui hic fieret, ergò. Major patet, probatur Minor: Quia a-

ctus & usus ex natura sua tendens ad bonum prolis, refertur ad finem voluptatis capiendæ : Tum, Quia naturæ finis humanæ & rationalis operationis debet esse honestus, seu bonum honestum, non verò delectabile, quod est tantùm naturæ sensitivæ conforme.

II. Tactus & aspectus sunt abusus leves.

Dico Secundò : *Abusus levis est in Matrimonio inter Conjuges absentes delectari de copula habita tanquam præsenti, aut in eo loco, in quo copulam exercere non possunt, similiter tactus & aspectus inter præsentes impudici ob solam delectationem in ipsis captandam absque animo perveniendi ad copulam, dummmodò absit pollutionis periculum, hoc stante gravis foret abusus.* Ita deduco ex Sanchetz, Bonacinna & aliis probatissimis Authoribus. Ratio horum omnium est, quia carent debito; consequenter in his delectari est abusus Matrimonii: Quòd autem nonnisi levis sit, seclùso periculo pollutionis indè probatur : Quia consensus in hujusmodi delectationes, non potest gravior culpa esse, quàm consensus in ipsum abum, de quo capitur teste D. Augustino lib. 12. de Trinit. cap. 12. atqui copula ex mera delectatione non est nisi culpa venialis, ergò. Imò nulla, si fiant præcisè ad mutuum inter se indicandum & fovendum amorem.

III. Abusus est, si non fiat debitò modò & situ.

Dico Tertiò : *Abusus matrimonialis actûs est, quando uterque sedendo vel stando commiscentur, aut pecudum more retrorsum accedendo, aut quando fœmina incubam agit, servato cœteroquin vase naturali, ita quod sine culpa veniali, eâque sat gravi fieri nequeat.* Ita Authores passim. Et Probatur quoad omnes partes, Quia modi & situs omnes isti non sunt à natura ordinati ad concubitum humanum; Item, Quia Conjuges se exponunt periculo effundendi seminis extra vas : Tum, Quia faciunt prolem incertam, nam licèt matrix non per influxum semen recipiat, sed per attractionem, ipsissimus modus & situs præpedit debitam attractionem: Tum, Retrorsum accessus bestias imitatur, ast monet Psalmista: *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Psalm. 67.

Probatur particulariter de viro agente succubum, ex D. Paulo ad Romanos 1. *Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum, qui contra naturam est*, quem textum, teste Abulensi in cap. 5. Matth. q. 226. aliqui explicant de concubitu, quo fœminæ incubas agunt; Et in historia Scholastica cap. 31. super Genesin ex Methodio dicitur, diluvii causam fuisse, fœminas in insaniam versas, abusas fuisse viris suis, illis incumbentibus, his succubis. Ratio etiam est, Quia in tali concubitu non solus situs, sed & personarum conditio ac officium variatur; Et manifesto periculo effundendi seminis se exponunt, si enim fœmina statim post concubitum surgens se exponit, multò magìs, quæ se ineptissimo hoc modo tractat: Ita quòd non desint probttissimi Authores asserentes, esse culpam lethalem, quod pro indubio tenendum est, quando semen vel effunditur, vel certum effundendi adest periculum, undè certissimò tenendum est, saltem esse ex gravioribus venialibus, quia hoc non obstante fœmina concipere posset, per virtutem attractivam matricis: Et quia est perversio ordinis naturalis in accidentalibus, non in essentiali ratione debiti vasis: Imò non nego posse occurrere casus, in quibus abusus isti aliqui, in Conclusione enumerati, ab omni culpa excusari possint. IV. Abusus, si fœmina incubam agat.

V. Abusus est, alium sibi imaginari, & extra vas feminare.

Dico Quartò : *Abusus mortalis in matrimoniali actu est, quando Conjuges servantes debitum vas extraneas personas sibi repræsentant, aut ante seminationem se abstrahunt, ut ad extra seminent, vel planè se spontè polluunt, & maximè vir reddens se per hoc impotentem.* Ita D. Thomas, & est communis. Probatur prima pars : Quia declaratio hujusmodi est de objecto illis prohibito, adeóq; morosa & peccaminosa. Probatur secunda pars: Tum ex Gen. 38. cap. ubi Onan Judæ filius : *Introiens ad uxorem*

uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, nè liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret; ergò est peccatum mortale: Tum ex 1. Corinth. dicitur: *Molles Regnum DEI non possidebunt*, atqui tales sunt molles: Quia hoc adversatur fini naturali generationis, ad quem natura semen ordinavit, quod verum est non modò in virili semine, sed & in fœmineo, nam licèt illud sit principalius, hoc tamen quoque concurrit, & eodem modo à natura ordinatum est ad generationem.

Probatur tertia pars: Tum, Quia semen institutum est non ad ipsius individui dispositionem, sed ad speciei conservationem & propagationem, adeóque nunquam ad alium finem applicari potest, ita quòd nec sanitatis causa sit procuranda: Tum, Quia in pollutione præter turpitudinem est vehemens delectatio indebito modo quæsita, quæ si unquam licita foret, innumeris peccatis & criminibus ansa præberetur, unde non valet argumentum aliquorum, qui dicunt, licitam esse membri alicujus etiam testium abscissionem ad conservationem suæ vitæ, quia in tali abscissione propter summum dolorem, non est periculum malæ sequelæ & exempli: sicut in pollutione foret. Tum, Quia non licet fornicatio, ergò nec pollutio, quia hæc est gravius peccatum, quàm illa. Tum denique, Quia hoc damnatum est ab Innocentio XI. Proposit. 49. *Mollities Jure Naturæ prohibita non est, unde si Deus illam non interdixisset, sæpius esset bona, & obligatoria aliquando sub mortali.*

VI. Dupliciter peccat maritus polluendo se reddens impotentem.

Hinc adde, virum reddentem se per frequentiorem pollutionem impotentem ad usum conjugalem, non modò contra Castitatem, sed etiam contra justitiam peccare, quia Lex Justitiæ præcipiens usum conjugalem post corporum mutuam traditionem, obligat quoque, ut non se reddat impotentem ad reddendum, sicut quis in aliis debitis civilibus se non reddere impotentem obligatur, ergò.

VII. Abusus est dans causam effundendi seminis recepti.

Dico Quintò: *Abusus mortalis est Matrimonii, quando fœmina statim post copulam se erigit, mingit, aut quidquam aliud facit, ut semen receptum expellat, vel etiam abortum, sive per medicinas, sive per concussionem malitiosè procuret.* Ita Reginaldus. Probatur prima pars: Quia frustrat semen fine suo à natura ordinato tàm benè, ac si ante fuisset extra vas naturale effusum, unde pessimè faciunt fœminæ, quando vehementer saltant, ventrem percutiunt, dilacerant, &c. E contra solatur Sanchetz fœminas, eas non teneri anxias diu in lecto jacere, aut resupinas manere, quia matrix sat tenaciter semen virile claudit, & ad debitum finem recondit.

VIII. Procurans abortum.

Probatur secunda pars ex *Cap. Si aliquis. de homicidio.* ubi dicitur: *Si aliquis causa explendæ libidinis vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, de homicidio teneatur. & cap. 3.* sic habetur: *Nobis verò homicidio semper interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.* Sixtus V. idem damnavit. Et novissimè Innocentius XI. Propos. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Probatur etiam Ratione: Tum, Quia magis distat à generatione semen, quàm fœtus jam conceptus, sed effundere semen est abusus & peccatum mortale, ergò. Tum, Quia aliàs liceret fœminæ timenti sibi periculum mortis gravissimum ex partu imminere, sumere potiones, aliásque medicinas, ut abortiatur. Item liceret puellæ impraegnatæ idem facere, ne crimine detecto famæ, aut vitæ periculum subeat, quando alio quæsito medio consulere sibi non possent, quod nemo dicet,

cet, & Papa Innocentius absolutè damnat.

IX. *Mater infirma potest sumere medicinas cum abortus periculo.*

Dixi autem, *malitiosè procuret*, Quia si contingat per accidens ex sumptione medicinarum ordinatarum directè ad salutem corporalem periclitantis matris infirmæ, per potiones purgantes, venæ incisiones, balneationes, non esset abusus, vel peccatum mortale, si præter intentionem abortus sequatur, Quia actiones humanæ bonitatem & malitiam sortiuntur ex eo, quod per se est in operantis intentione, non ex effectu per accidens subsecuto. Id enim quod principaliter intenditur attendendum est, sed in casu periclitantis matris infirmæ ejus sanitas intenditur; unde, si fœtus moriatur, aut abortus sequatur, per accidens erit. Confirmatur: Tum, Quia mater potius habet jus ad sumendas medicinas salutiferas cum fœtûs morte, quàm fœtus habeat cum morte matris, cùm hic à matre, & non è contra dependeat: Tum, Quia matre in gravi infirmitate mortè perempta, raro editur aut producitur fœtus salvus in lucem.

X. *Medicinæ non debent tendere ad necem fœtus.*

Notandum autem, Medicinas tales debere esse præcisè tendentes ad sanitatem corporalem matris, & non ad nocumentum fœtûs, quia si æquè tenderent ad necandum fœtum, ac ad sanandam matrem, tunc mater omninò illis uti non posset, sed sequendum esset consilium S. Ambrosii, qui refertur *cap. Denique. 14. quæst. 5. Si alteri subveniri non potest, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare.* Imò mater tenetur abstinere cum vitæ periculo, si spes certa sit fœtum in lucem proditurum sanum, si mater abstineat, quia mater ob bonum prolis tenetur cedere juri suo, ut infans baptismi gratiam, & vitam æternam consequatur, sicut etiam in aliis casibus potest juri suo cedere ob bonum prolis.

XI. *Abusus est copula cum alia persona de licentia cójugis.*

Dico Sextò: *Abusus mortalis Matrimonii est, quando Conjuges sibi invicem facultatem faciunt fornicandi cum alia persona, quam Galanteriam vocant, & sive fiat cum, sive sine licentiâ fornicatio, perdit jus petendi debitum.* Hæc est etiam extra controversiam, & Probatur prima pars authoritate Innocentii XI. suprà citati, qui num. 50. hanc damnat propositionem: *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeóque sufficit dicere in Confessione, se esse fornicatum.* Tùm, Quia licentia uti derivatur à verbo licere, ita importat facultatem rationi consentaneam, ùt docet Bartholus *L. Alio. num. 8. ff. de Alimen. & Cibor. legat.* Atqui hæc non est rationi consentanea, sed potius contra rationem, quia contra legem, ergò. Quod confirmatur: Quia Clericus non potest licentiam dare, ut alter se percutiat, quia hoc est contra Canonem: *Si quis suadente.* 17.

Secunda pars patet: Tum ex *Glossa in Cap. Finali. de Adulter:* eámque docet Ostiensis *Cap. Inquisitioni. de Sentent. Excomm.* Scotus 4. d. 32. quæst. v. Tum ex communi consensu omnium Canonistarum, ergò ex eo, quia fidem violavit, ansam præbuit separationis à Thoro juxta privilegium CHRISTI Matth. 19. ubi tamen nota, hanc privationem esse accipiendam & intelligendam, si alteri conjugi constet de adulterio, vel saltem gravis & violenta adsit suspicio, uti habetur *capite: Dixit Dominus: dist. 32. quæst. 2.* ubi dicitur: *Ubicunque fuerit fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur uxor.* Item: *Cap. Ex literis. & cap. De Præsumpt. eodem titulo.* Quia sicut hoc crimen fit occultè, ita sufficiunt probationes & indicia gravia, quando autem sint indicia gravia, relinquitur prudentis judicio discernendum, & colligi possunt ex citatis Capitibus, v. g. si videatur solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto, aut horis & locis suspectis. *Adulterium privat jure petẽdi.*

Quòd si autem uterque Conjux deliquisset, tunc neuter liberatur à redditione debiti, nam sicut habet *Cap. Intelleximus. de Adulteriis & stupro. Paria delicta mutuâ com-*

compensatione tolluntur. & cap. Tua Fraternitas. Paria crimina mutuâ compensatione delentur, unde Scotus noster paulò ante citatus ait : *Paria crimina pari pœna seu vindicta esse punienda.* Quare, sicut innocens in casu unius fornicationis liber efficitur à reddendo debito, ita nocens factus, in antiquam recedit servitutem & obligationem.

XII. Præpostérus cógressus est gravissimus abusus. Dico Septimò : *Gravissimus & mortalis abusus conjugalis actûs est congredi in vase non naturali seu præpostero, copulam ibi velle consummare, actuque consummare, graviorque est culpa, quàm si hujusmodi actus nefandus cum soluta fieret.* Ita Sanchetz lib. 10. Disput. 18. Probatur prima pars : Quia hæc est abominabilis Sodomiæ species, ac contra naturalem finem conjugalis usûs, qui est prolis generatio, & talem effusionem seminis, aut etiam aliam quamcunque extra vas naturale uxor secum exerceri nullo modo permittere debet, nec quidem ad mortem evitandam, non enim excusatur, quia uxor est, quia ad solum usum & copulam generationi prolis aptam uxor est. Confirmatur: Quia talis copula est deterior fornicatione, utpote habita contra naturam, quæ cum sit intrinsecè mala, nullo timore cohonestari potest.

XIII. Præpostérus cógressus habet rationem adulterii. Probatur secunda pars : Tum ex Div. Ambrosio lib. de Patriarchis, & habetur *Cap. Nemo sibi.* 32. *quæst.* 4. ubi dicitur : *Nec hoc solum est adulterium cum aliena peccare conjuge, sed omne, quod non habet potestatem Conjugii* : Quasi diceret, omne id esse adulterium, ad quod potestas corporum se non extendit, tale quid autem est copula intra vas innaturale cum Conjuge habita, ergò : Tum, Quia talis abusus uxoris peccatum contra naturam adulterium est duplici ex parte, hoc est tàm uxoris, quàm mariti, quia neuter alteri corpus suum castè servat contra bonum fidei conjugalis, nam Conjugium non est ordinatum ad aliam copulam, quàm naturalem generationi prolis aptam, similis verò abusus mariti cum soluta est tantùm adulterium ex parte viri, ergò alterum cum uxore majus est peccatum.

Porrò Notandum Primò : Ex dicto Sanchetz. Parum referre ad peccati enormitatem, quòd de utriusque consensu fiat, nam hoc non excusat à ratione peccati mortalis, sicut non excusaret ab adulterio, si uxor consentiret in accessum ad alienam, quia Conjuges nequeunt cedere bono fidei, ad quod Jure Divino adstringuntur.

Notandum Secundò : In Confessione esse explicandam hanc personæ, ùt Conjugis circumstantiam, nam si maritus diceret, se fœminam contra naturam cognovisse, cùm id posset intelligi de fœmina soluta, gravitas peccati non sufficienter explicaretur : Nec sufficit dicere cum fœmina conjugata se tale flagitium commisisse, nam hoc posset intelligi tàm de propria, quàm aliena uxore, ubi adhuc particulariter aggravaretur circumstantia propter injustitiam commissam contra virum, & maritum alterius uxoris.

QUÆSTIO QUARTA.

De Usu & Abusu conjugum in educanda prole.

Usum dico obligationem conjugum, quam habent ad prolem sustentandam & educandam, duo enim hęc omissis aliis principaliter eis incumbunt, quare abutuntur bonis sibi à DEO datis, si non ea prolibus applicant.

Dico Primò : *Parentes sunt in conscientia, & sub peccato mortali obligati ex jure Naturali, Divino & humano ad alendos & sustentandos filios suos, etiam spurios, nisi artem aliquam sciant, aut aliunde bona habeant.* Ita Azor apud Reginaldum. Probatur Primò, de Jure Naturæ esse : Quia bestiæ, etiam sævissimæ, ex sola Naturæ inclinatione & propensione nutriunt proles suas, ergò etiam Parentes tenentur, nisi vellent I. Parentes jure naturæ & positivo sunt obligati alere filios.

vellent ipsis belluis esse immaniores. Probatur etiam jure positivo ex *L.* 1. 2. & 3. *C. de alendis liberis. Et ex L. Nec filium. C. de Patria Potestate.* Quare in Jure Canonico Parentibus negligentibus in administrandis necessariis alimentis prolibus suis absque legitima causa anathema dicitur in *cap. Si quis reliquerit.* 30.

Probatur Tertiò de Spuriis: Ex *cap. Cùm haberet. de eo, qui duxit in Matrimonium. in fine.* ubi apertè statuitur, spurios à Parentibus esse alendos & sustentandos, non est ratio, quare distinctio fieri debeat de legitimis & illegitimis ante eorum usum rationis, cùm eis hoc de jure naturæ competat.

Probatur quarta pars limitativè: Ex *l. Si quis à liberis.* §. *Si filius. ff. de liberis agnoscend.* ex qua Authores passim deducunt, filios habentes proprium patrimonium, & Parentes non haberent media requisita, aut scientes aliquam artem, quæ non dedeceat statum illorum debere semetipsos alere. Idem patet, & dicunt Doctores, verum esse toties, quoties Pater potest exhæredare filium, non teneri quoque ad ejus alimentationem.

II. Casus, in quibus Pater tenetur alere filios. Ex hac Conclusione infertur Primò: Patrem teneri alere filium Religionem ingressum & professum, si per justam sententiam inde expellatur, quia non cessat naturalis obligatio Patris, & filius per talem Professionem non amittit primum suum jus. Secundò: Patrem adhuc teneri alere filium, cui antè dederat certam & determinatam rem pro alimentatione, quam filius prodigè dissipavit, quia indè non cessat lex, qua de æquitate pater tenetur alere filium in extrema vel gravi necessitate consistentem. Tertiò: Si filius cesserit etiam cum juramento beneficium alimentationis, & ad gravem egestatem deveniret, Patrem adhuc teneri ad alimenta danda filio, nam sub juramento semper intelligitur illa clausula: *Nisi necessitas extrema urgeat*, quia nemo talem cessionem approbabit.

Dico Secundò: *Ad Matrem spectat primo triennio alere filium, ad Patrem verò deinceps usq; dum emancipetur.* Ita Navarrus lad Reginaldum. Et habetur in *l. Nec filium. C. de Patria Potestate.* Si tamen Mater illo triennio non posset sustentare filium, tenebitur etiam Pater, sicut vice versa, si reliquo tempore non valeret alere filios, teneretur & Mater. Quod si fiat divortium Judex statuere debet, à quonam alimentari debeant filii. III. Mater tenetur primo triennio alere prolem, postmodum Pater.

Dico Tertiò: *Parentes obligati sunt filiis relinquere aliquam saltem mediocrem substantiam statui illorum conformem, ac illos instituere hæredes.* Prima pars colligitur ex Lucæ 15. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ mihi contingit.* & 2. ad Corinth. 12. *Non enim debent filii thesaurizare Parentibus, sed Parentes filiis.* ubi thesaurizare non debet in rigore accipi pro ditatione magna, & elevatione ultra statum suum, sed solummodò procurationem mediorum convenientium suo statui, nam alias nimis dura foret obligatio Parentum, vel saltem debet illum ita promovere vel applicare, ut juxta suum statum sibi necessaria providere possit, sive laborando, sive arma tractando, sive etiam aliquod munus litterarium exercendo. IV. Parentes debent prolibus relinquere aliquam substantiam.

Probatur secunda pars: Ex *Novella* 115. *Justiniani. in Authentica. Ut cum. de Appellation.* §. *Aliud quoque capitulum.* ita ut abusus sit, & à peccato mortali eos accusare non possint illos absque causa exhæredantes, cum prolibus notabilem faciant injuriam. Causæ verò, ob quas exhæredari possint filii, referuntur in eodem capitulo, & Glossa ult. ad caput. Quinta vallis de jurejurando his verbis expressa habet: V. Filii debent constitui hæredes.

Bis septem causis exhæres filius esto: VI. Causæ exhæredandi.
Si Patrem feriat, si maledicat ei.
Carcere detrusum, si negligit, ac furiosum,
Criminis accuset, vel paret insidias,
Si dederit gravia illi damna nec boste redemit.
Testari prohibet, vel dat arena locis.

 Si pra-

Si pravos sequitur, vel genitoris amicam.

Non orthodoxus; filia quando coït.

Quorum versuum iste est sensus, si filius percutiat Patrem, exhæredari potest, nisi id faceret ad sui vel Patriæ justam defensionem. Secundò: Si gravem ei intulerit injuriam, quod dijudicare pertinet ad Judices. Tertiò: Si Patrem captum noluerit, cùm potuerit, educere de carcere fide jubendo pro illo. Quartò: Si non succurrerit Patri furioso. Quintò: Si accuset Patrem in causa crimniali, nisi in causa hæresis & criminis læsæ Majestatis. Sextò: Si vitæ Parentum fuerit insidiatus veneno, vel alia quâcunque arte. Septimò: Quando Parentes ex dilapidatione filii grave sustinuerunt dispendium, quod discernere pertinet ad Judicem. Octavò: Si non redemit Patrem captivum. Nonò: Si impedimento fit, nè Pater faciat testamentum. Decimò: Si conversetur cum arenariis seu mimis, cùm Pater non fuerit illius conditionis. Undecimò: Si conversetur cum maleficis & incātatoribus. Duodecimò: Si habuerit rem cum uxore Parentis seu noverca sua, vel cum ejusdem Patris concubina. Decimo tertiò: Si filius fuerit hæreticus, cùm Pater sit Catholicus. Et Ultimò: Si filia fuerit fornicata, cùm Parentes eam vellent pro posse dotare, nisi eam maritare neglexerint usque ad 25. annum. Quod si tamen Mater esset meretrix, non posset filiam ob meretricium exhæredare, quia pari turpitudinis vitio laborat.

VII. Patres obligati sunt dotare filias nubere volentes.

Dico Quartò: *Parentes obligati sunt dotare filiam, quæ vult nubere, etiam illam, quæ invitis Parentibus nupsit, si illa 25. annum excesserit, aut etiam infrà, dummodò non indigno nupserit.* Ita Navarrus, Sanchetz. 4. lib. 4. disp. 25. & 26. apud Reginaldum. Probatur prima pars: Tum ex Sacra Scriptura Eccl. 7. *Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum. - - Trade filiam, & grande opus facies, & homini sensato da illam.* & Cap. 26. *In filia non avertente se firma custodiam, ne inventâ occasione utatur se, - - - ne mireris, si neglexerit te - - - & ab omni aqua proxima bibet.* ubi monet filiam elocandam, & non mirandum, si retardata ipsa utatur occasione. Tum ex *l. Qui libero. ff. de ritu nuptiar. & l. finali. C. de Dotis promissione.* Et quamvis aliqui dicant, non teneri Parentes jure obligationis, sed Judicis officio compellendum esse, attamen omninò tenendum esse Patrem jure obligationis, sentit & probat Menochius.

Probatur secunda pars: Quia filiæ ex consensu Patris nubenti absq; dotis promissione, tenetur Pater dotem constituere, quia Parentes *coguntur in Matrimonium collocare & dotare*, ùt habet *l. Qui liberos. 19. de ritu nupti.* Sed filiæ majori 25. annis non est culpæ tribuendum, se sine Patris consensu nupsisse, cum Pater fuerit in mora, ex *Auth. Sed si post. C. de inoffic. testam.* ergò talis non erit dote privanda.

Probatur tertia pars: Quia tunc puella rem, ad quam Pater tenebatur, utiliter gessit, licèt in modo nubendi deliquerit, ergò cùm aliàs Pater teneretur dotare, non est ratio, quare propter casumistum eximeretur ab onere dotandi. Si verò indigno nupsisset, non videtur Parentes esse cogendos ad dotandum, maximè si aliqua vivendi media haberent: Quod si essent omninò pauperes, ex naturali quadam æquitate succurrendum eis foret, alimenta moderata subministrando, ne fame pereant, & periculo salutis æternæ, pejorisq; vitæ, aut scandalis exponantur.

Dico Quintò: *Abusus est, quando Matres potentes & valentes non lactant in prioribus annis proprios filios.* Ita Navarrus. Probatur: Quia Matres debent filiis & prolibus suis, amoris naturalis signum exhibere, quoniam ab ipsis mores & qualitates cum lacte hauriuntur, quare Covarruvias ex Pavorino, apud Gellium, Plutarcho, Macrobio, & D. Augustino, censet id neque Reginis decus esse, quare consulendum etiam est matribus, ut hanc charitatem præstent prolibus, nam si absq; VIII. Matres debent lactare proles.

omni causa id faciant, excusari à veniali culpa non poterunt, secus est, si mater esset adeò debilis, ut proli absque vitæ dispendio lac dare non posset, tunc tamen obligata est mater de providenda nutrice, vel esset adeò pauper, ut victum sibi aliunde procurare debeat, per quod à lactatione prolis impediretur.

IX. Abusus est tradere proles ad hospitalia. Dico Sextò: *Abusus est gravis cum obligatione ad restituendum expensas, quando Parentes absque causa proles suas, seu legitimas, seu spurias tradunt ad hospitalia alendas.* Probatur, Quia hospitalia tantùm instituta sunt in subsidium pauperum, quos proindè defraudant, adeóque restituere obligantur, maximè si sint bonorum mediorum Parentes, & hoc solummodò faciant ad evitandum dedecus & infamiam, unde licèt ex hoc motivo excusari possint à peccato, ab onere restitutionis excusari non debent: Ubi

Notandum, hanc obligationem alendi proles, etiam spurias, transire ad hæredes Parentum, similiter ad omnes alios, ad quos ea bona per donationem, aut cessionem pervenerunt, non verò ad illos, qui ea titulo emptionis acquisiverunt. Fiscum quoque, ad quem bona Parentum pervenerint ob illorum crimina, teneri saltem vitæ necessaria illis relinquere, cum debeantur de jure naturali, nec insontes filios ob Patris crimen privare talibus sit æquitati naturali consentaneum.

X. Peccant Parentes proles non debitè educantes. Dico Septimò: *Abusus omnium gravissimus est, quando Parentes non educant proles, vel educare curant, in pietate & aliqua arte vel scientia naturali.* Probatur: Quia peccant contra præceptum Apostoli: *Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Et Eccl. 7. *Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Et ratio est manifesta, Quia sicut tenentur eos alere quoad corporis sustentationem, ita etiam ad bonam animæ educationem, cùm hæc vita longè præstantior sit illâ. *Non enim in solo pane vivit homo*, sed etiam in Verbo DEI. Quare peccant, si non permittant eos instrui in præceptis DEI, Ecclesiæ, erudiri etiam fidei articulis, in oratione & pietate: Debent providere de Magistris bonis ad discendas litteras, artes liberales, vel mechanicas, pro cujuslibet statu & conditione. Debent impedire, nè ad malas consvetudines & conversationes deveniant, *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava* ait D. Paulus 1. Corinth: 15. Turpissimus autem abusus foret, si Parentes filiis mala exempla præberent, aut præpostera consilia suggererent, quibus ad peccata inducerentur. Plura & pulchra de hac materia D. Antoninus 1. *p. tit: 14. cap. 4. §. 6. vers: Debet tertiò.*

QUÆSTIO QUINTA.

De Usu Conjugalis cohabitationis & alimentationis.

Ex obligatione ad usum conjugalem reddendum, & ad servandam fidem, sequitur obligatio ad cohabitandum, nam separatim iis habitantibus, nec usus commodè fieri potest, & utraque pars de fide suspicionibus compluribus exponetur. Itaque.

Dico Primò. *Jure Divino & naturali ex vi contractûs & naturalis inclinationis obligati sunt conjuges ad cohabitandum.* Ita communis Authorum sensus. Probatur primò ex Scriptura Gen: 2. *Relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori suæ*, quod Alexander III. cap: 1. & 2. de Convers: conjug: explicat de cohabitatione conjugum, & dicit: *Quoniam igitur cùm vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius esse.* & Matth: 5. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari.* Probatur secundò. ex *cap. Litteras. de restit: spoliat: & cap: 1. & 2. de sponsalibus.* Probatur tertiò Ratione: Tum ex definitione & natura Matrimonii, cujus finis est bona educatio prolis, quæ haberi nequit sine mutua cohabitatione, cùm tam viri I. Conjuges obligati ad cohabitandum.

viri quàm mulieris opera ad id exigantur, ob quod natura diversa munia eis tribuit, ut vir forensibus, fœmina domesticis invigilet: Tum, Quia non minor est obligatio quoad debitum reddendum quàm quoad habitationem, sed illa est ex jure naturali & Divino, ergo & hæc.

II. Per judicem possunt compelli ad cohabitandū.

Hinc infertur. Posse Conjuges per Ecclesiasticum Judicem compelli ad habitandum, ut habetur ex *cap. Litteras. de restitut: Spoliat: Ad restitutionem plenariam debet Ecclesiastica censura compelli.* Imò etiam per sæcularem, quando valor Matrimonii est manifestus, quia licèt Matrimonium qua Sacramentum sit res spiritualis, quâ contractus tamen est civilis adeóque potest judex compellere ad servandam sibi mutuò datam fidem. Imò potest quilibet maritus uxorem suam ab alio vi detentam vindicare sibi, quia est sub potestate viri juxta præceptum DEI Gen. 3. & in jure canonico pene famula vocatur *cap: Hæc imago. & cap: mulierem 33. q. 5.* nam licèt aliàs non competat vindicatio nisi habenti verum dominium, beneficio juris divini & canonici id conceditur, unde *cap: Non est. de sponsal:* cogitur Rex Anglorum restituere uxorem filio repetenti.

III. Uxor quoad habitationem debet sequi maritum.

Dico Secundò. *Uxor quoad habitationem, tenetur sequi maritū, quando nullum extat pactum in contrarium.* Est etiam communis apud Sanchetz, qui hanc rem latè tractat lib: 1. disp: 40. & 41. Probatur primò. ex *cap: unaquæque. 13. q. 2.* ubi dicitur: *Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte.* Probatur secunda ratione: Quia conjuges tenentur ad mutuum obsequium, quod præstare sibi nequeunt, nisi simul habitent, & cùm vir sit mulieris caput ad Ephes: 5. & 1. Corinth. 11. sequitur uxorem in hac cohabitatione subditam esse viro. Et quia materia gravis est, ait Sanchetz post Navarrum obligationem hanc esse sub mortali.

IV. Nisi adsit pactum.

Dixi autem in Conclusione: *Quando nullum extat pactum in concontrarium*, nam si in contractu Matrimoniali fuisset conditio apposita de non mutando domicilio, uxor non teneretur sequi virum. Quia ex *cap: Verum. de condit: apposit:* & *Le. 1. de Pactis*, quisque potest in traditione rei suæ pactum interponere, ergo & in traditione sui per Matrimonium.

V. Excipiuntur casus necessitatis.

Verumtamen hoc iterum limitandum est, nisi superveniat nova, justáque causa, ob quam necessarium sit viro aliò proficisci, ut capitales inimicitiæ, loci salubritas, Principis imperium compellens aliò migrare, aut necessitas tuendi rem familiarem, ubi tam viri quàm uxoris opera requirerentur, & Ratio est, quia pactum etiam juramento firmatum semper intelligendum est secluso casu, in quo ipsum rationi adversaretur, qualis casus est in exemplis modò allatis. Sed

VI. Non tenetur vir semper secum accipere.

Quæres. Utrum vir teneatur secum deferre uxorem se comitari volentem? Respond: cum Sanchetz cum distinctione: Si vir proficiscatur aliò statim rediturus, vel nullam notabilem moram facturus, ad diversa negotia in diversis locis peragenda, non teneri illam secum accipere, Quia mulier tale quid irrationabiliter vellet, cùm nequeat fieri sine notabili impedimento itineris faciendi, & magnis expensis ac dedecore, cùm non deceat fœminam taliter peregrinari nullâ justâ de causa. Teneri autem illam secum accipere, si alicubi sit diu habitaturus, suppetantque illis expensæ ad eam debitè deferendam, quia tunc uxor rationabiliter vult maritum suum comitari, & sic habetur definitum in *cap: Quod super. de voto. in fine.* ubi deciditur, virum euntem in subsidium terræ sanctæ teneri secum ducere uxorem remanere nolentem.

VII. Vagabundum tenetur etiam sequi in certo casu.

Dico Tertiò. *Si vir tempore contracti Matrimonii vagari non solebat, aut si solebat, mulier ignorabat, hæc non tenetur illum sequi; si autem solebat vagari, & mulier sciebat, tenetur illum sequi.* Ita Reginaldus & communis. Probatur prima Pars. Quia gravissimum onus est, sine ulla sua

la sua causa aut præhabita notitia ulla cogi ad sic vagandum, cùm vagari fœminas multùm dedeceat; si tamen absque gravi corporis & animæ periculo possit illum comitari, non deberet se excusare propter obligationem vi Matrimonii ad cohabitandum marito. Probatur secunda Pars. Quia mulier sciens viri mores dum contraxit, censetur eos approbâsse & se obligâsse ad onus accommodandi se illi, atque adeò ad vagandum cum ipso, nisi turpi aliqua de causa vagaretur cum animæ periculo, aut pertractione ad peccata, tunc enim non modò non teneretur vagari cum illo, sed etiam peccaret faciendo, adeóque non deberet illum sequi.

VIII. Tenetur uxor sequi virum in exilium. Dico Quartò. *Probabilius est viro ejecto in exilium uxorem teneri illum comitari & sequi.* Ita Sanchetz contra Baldum & alios. Probatur Tum ex Glossa in *cap:* 1. *qui Matrimon: accus: poss:* ubi textus agit de viro, qui exiit de civitate ob homicidium commissum, & Glossa dicit, *uxorem teneri virum sequi:* Tum, Quia uxor debet sequi & ferre viri infortunium. *L. si cum dotem. ff. Sin autem. si soluto Matrimonio.* Et ita cum viro excommunicato habitare tenetur. *cap. cum inter alia. de sent: Excommun:* & ei tenetur debitum reddere. *cap: quoniam multos.* 11. *q.* 3. Nec hoc est punire uxorem ob viri delictum, sed pœna imponitur viro, & quia uxor jure divino tenetur eum sequi ex causa necessaria & inevitabili aliò migrantem, per accidens patietur id infortunium sicut servus, qui dominum tenetur sequi ad exilium, non quia deliquit, sed quia jure servitutis tenetur Dominum sequi, ita à pari tenebitur uxor.

IX. Vir tenetur quoque uxorem sequi. Dico Quintò. *Vir tenetur quoque sequi uxorem, quando hæc ex causa necessaria recedit à domicilio priori, & aliò se transfert.* Ita idem Sanchetz, quod deducit ex Glossa *cap:* 1. *de conjug: lepros: V. sequantur.* & Ratio est, Quia quoad mutua obsequia conjugalia sibi pares sunt: Differunt tamen etiam in hac obligatione, quòd vir cùm sit caput mulieris possit ad libitum eligere sibi domicilium, & uxor tenetur eum comitari, nisi esset ex causa turpi & inhonesta, uxor verò non potest sibi pro libitu eligere domicilium, & virum cogere ad sequendum, quòd si tamen occurrat necessitas, ob quam uxor debeat mutare domicilium, tunc jus Matrimonii compellens virum ad cohabitandum uxori, compellit ipsum quoque ad sequendum eam propter mutua conjugalia obsequia, ad quæ pariter obligantur.

Dico Sextò. *Vir tenetur sub mortali uxorem alere, quando uxor viro cohabitat, dotémque attulerit, aut eam sine dote duxerit.* Est certa, habétq; tres partes, & Probatur primò generaliter ex *L. penult. ff. ut in posit. leg: & L. si filia. §.* 1. *ff. fam: L. si cum dotem §. sin autem ff. solut. Matrimon.* X. Maritus tenetur uxorem alere.

Probatur prima pars specialiter de cohabitatione, quia uxor est in obsequio viri, adeóque pro illis alimentationem habere debet, si enim os bovi trituranti non est ligandum, quantò magis uxori pacificè cohabitanti, & onera conjugii dura subeunti. Ubi tamen Notandum, quòd si uxor propria temeritate absque culpa & ansa sibi data recedat à consortio viri, eam non esse alendam, ex *cap: Hæc imago.* 33. *q.* 5. Quia si obsequium debitum præstare nolit, non debet recipere alimenta sibi debita juxta illud, *Qui non laborat non manducet*, & aliud juridicum axioma: *Qui non facit quod debet, non recipit, quod oportet, L. Si ea (de condit: in serv: L. Julia. §. si affinis ff. de acti: Empt.* XI. Quamdiu cohabitan

Quòd si uxor recedat ex culpa viri v. g. ob ejus sævitiam alenda est, Quia cùm tunc non uxoris sed viri culpæ tribuendum est, quòd illa non sit in ejus obsequio, perinde censendum est, ac si revera esset in ejus obsequio, *L. jure civili ff. de Condit;* ubi conditio habetur ac impleta, quando deficit sine culpa ejus, cui erat implenda. Addit Sanchetz lib: 9. d. 4. n. 24. Quòd sit utriusque culpâ, attendendum esse cujus sit ultima,

ma, juxta regulam *L. Illud. 17. ff. de periculo & comodo rei vendendæ*, ubi dicitur *Æquum est posteriorem moram nocere*. Unde si uxor culpâ quidem suâ recessit, sed pœnitentiâ ducta redit ad virum, is nolendo eam recipere causam dare censetur separationi, & ideo vir tenetur ad alimenta. Item si uxor inculpatè quidem recessit ob mariti sævitiam, sed maritus ei cautionem sufficientem offert de securitate imposterum suavis tractationis, ita ut prudentis judicio non habeat causam justam recusandi oblatam conditionem, ipsáque nihilominus recusat, tunc illi vir extra consortium suum existenti non tenebitur dare alimenta.

XII. Persoluta dote.

Probatur secunda Pars. Quia dos ideo datur, ut maritus sustineat onera Matrimonii uxori & familiæ alimenta præstando ex *L. Pro oneribus. de jure dotium.* & ex *L. dotis fructus. ff. eodem titulo.* Quare si marito fuisset dos promissa & non soluta, ex communi Authorum opinione non tenetur eam alere, nisi Patrem aut uxorem solvendi excuset impotentia, tunc enim maritus non eximitur ab onere alimentandi uxorem, nisi dolosè promiserint dotem, quam sciebant se non posse solvere, neque enim cogi possunt ad plusquàm valeant, sicut etiam excusatur ipse maritus, quando stante dote persoluta ad limitandam uxorem factus est impotens.

Minus poterit maritus fugere cohabitationem uxoris propter dotem non solutam, quia obligatio hæc oritur ex ipso Matrimonii contractu, sicut obligatio ad reddendum debitum, non autem ex solutione dotis, ut patet ex eo, quod finis præcipuus, ob quem Matrimonium contrahitur, non sit, ut uxor alatur à viro, ad quod dos constituitur, sed ut contrahentes mutua obsequia sibi præstent ad prolis generationem, & commodam ejus educationem, qui finis, cùm non cesset dote non soluta, non cessabit quoque cohabitationis obligatio, quare Christus Matt. 7. & Lucæ 16. non dotem, sed solam fornicationem assignavit pro causa ad dimittendam à cohabitatione uxorem.

Probatur tertia pars. Videlicet quando maritus sine dote uxorem duxit. Quia tunc videtur accepisse personam pro dote, quam quod non exegerit, debet sibi imputare, si damnum inde sentiat: Quando tamen mulier, quæ ducitur, dives est, videtur tacitè actum de dote constituenda, si non totius patrimonii ejusdem mulieris, saltem partis illius juxta viri dignitatem. XIII. Si eam sine dote duxit.

Notandum ad alimenta pertinere medicamenta, & vestimenta, quæ non debent esse excessiva aut pretiosa, aliàs congenitus ad pretiosas vestes fœminarum appetitus, quæ pecunias majores exhauriunt, nullum modum & finem faceret, sed sufficit, ut sint statui mariti ac Parentum conformia, verbô ornatus muliebris debet esse Christianus, prout nobis Divi Apostoli Petrus & Paulus tradiderunt: uterque audiatur, & obediatur. D. Petrus 1. Epist. 3. sic dicit: *Quarum, mulierum Christianarum, non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu DEI locuples, sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in DEO, ornabant se, subjectæ propriis viris.* & D. Paulus in Epist: ad Tim: 1. cap: 2. ita ait: *Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* XIV. Vestimenta non debent esse pretiosa.

Dico Septimò. *Maritus inops non tenetur uxorem alere, quamdiu durat inopia, sed uxor dives tenetur virum alimentare.* Hæc de se patet. Probatur prima pars. Quia non tenetur plus uxori sicut nec filiis, quàm facere possit, juxta illud in *L. Maritum. ff. solut: Matri: Maritum in id, quod facere potest, condemnare exploratum est.* Et confirmatur à simili, Quia debitor æris alieni excusatur XV. Maritus inops non tenetur uxorem alere.

fatur à solutione, quamdiu ratione inopiæ eam nequit facere.

Probatur secunda Pars. *Ex L. si cum dotem. ff. §. si maritus. ff: eodem titulo*, ubi dicitur: *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris, maritum, vel uxorem viri participem esse.*

XVI. Uxor non tenetur solvere debita viri contracta ad alimentationem suam & prolium.

Quæres: An quando soluto matrimonio nulla viri bona supersunt, teneatur uxor bonis dotalibus solvere debita à viro contracta ad ipsam & familiam alendam. Hoc quæsitum proponit Sanchetz, & tam pro affirmativa quàm negativa plures adducit leges civiles, & finaliter Respondet negativè, scilicet nec uxorem nec filios teneri solvere debita à marito & Patre contracta ad se alendos. & Probatur (supposito obligationem solvendi debita per inopiam mariti non extingui, sed tantùm suspendi, eò quod revivisceret, si opes accrescerent) Si Petrus, ut suis creditoribus satisfaciat, magnum æs alienum congreget existimans se futurũ postea solvendo, quamvis contrarium eveniat, nullus dicet creditoribus quibus eò mutuo satisfactum est, & in quorum utilitatem cessit, teneri posterioribus creditoribus, qui mutuò illas pecunias dederunt Petro, quia hi posteriores creditores nullum contractum inière cum prioribus, & verè per mutuum transtulerunt dominium in Petrum, & Petrus tanquam verus dominus potuit suis debitis ex eo mutuo satisfacere, quamvis ratione inopiæ ab illa solutione excusaretur: Ergo à pari, quamvis maritus inops ratione impotentiæ excusetur ab alimentatione uxoris & filiorũ, si tamen alieno ære eos alimentavit, veram obligationem ratione impotentiæ suspensam implevit, uxor tamen & filii nec facti sunt locupletiores, sed tantùm acceperunt, quod ipsis debebatur, nec cum creditoribus contractum fecerunt, ergo nec tenentur debita sic contracta solvere.

Probatur Secundò. Ex *L. Non adversus* 15. *C. si certum pet:* & *L. Eum cui* 3. *C. de Acti: & obligat:* ubi dicitur: *Eum, cui mutuam dedisti pecuniam, ad solutionem urgere competente debes actione, nam adversus negotiatores, quos ex mercibus pecunias abstulisse, tuo debitori proponis, nullam habes actionem.* Ex quibus textibus constat, actionem hanc mutui repetendi, esse personalem, ac proinde contra solum debitorem, cui datum est competere, cùm in illum verè translatum sit dominium, ac ut verus dominus de illo potuerit disponere. Et ita servatur in praxi.

Dico Octavò. *Maritus potest irritare vota uxoris suæ non omnia, sed aliqua tantùm, nimirum ea, quæ præjudicant sibi in usu Matrimonii, educatione prolium, & gubernatione familiæ, similiter ea vota potest uxor respectu viri, cœteris paribus.* Ita Reginaldus citans Sotum, Lessium, Navarrum & alios. Probatur primò. ex illò Num. 30. ubi dicitur: *Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & juramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunq, promiserat, sin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit, si voverit & juramento se constrinxerit, ut per jejuniũ, vel cœterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit, ut faciat, sive nõ faciat. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid voverat & promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit.* Qui textus licèt universaliter loquatur de omni voto saltem allegata probabit, & licèt etiam sit antiquæ legis & ceremonialis, nihilominus fundamentalem rationem includit, nempe quia maritus est, qui contradixit, eò quòd mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir, ut docet S. Paulus 1. Corinth. 7. Et quia *vir est caput mulieris.* Unde sic argumentor: Non est alia subjectio mulieris ad virũ nisi in iis, quæ nascuntur ex vinculo matrimoniali, sed ex vi talis vinculi nõ oritur alia subjectio necessaria quàm ad procreationem educationémque prolis atque ad familiæ gubernationem, ergo maritus in his, quæ his

XVII. Maritus potest irritare quædam vota uxoris & vicè versa.

tribus adversantur, contradicere potest.

Hinc infertur, quòd si voverit uxor, se non peccare mortaliter, aut abstinere ab hoc vel illo peccato, maritum non posse irritare hujusmodi votum. Idem dicendum de jejunio tali, quod marito non præjudicat. Item non potest irritare votum de non exigendo debito, quia in hoc non est subjecta marito, licèt enim reddere teneatur, non est tamen obligata petere, nisi fortè in casu aliquo particulari & extraordinario, quo marito Matrimonium per hoc nimis onerosum redderetur, & hoc patet ex *cap: Quidam*, & *cap: Placet: de convers: conjug:* & ita docent Navarrus, Sylvester apud Reginaldum. Emittere autem votum continentiæ sine positivo consensu non potest, imò etiam si consentiat valde difficilè est eum obligari, nisi etiam ipse velit vovere continentiam.

Probatur secunda pars: de votis mariti: Quia aliqua vota viri possunt esse uxori præjudiciosa, ergo ex hac causa uxor quoq; potest ea irritare, quia quoad potestatē matrimonialē &c. conjuges sunt pares. Et talia vota vel *realia* sunt: utpote quæ maritus implere non potest, nisi dissipando, aut alienando aliquid de bonis uxoris: vel *Personalia* quæ vir nequit implere nisi privando uxorē usu corporis sui aut adjutorio ad vitam illi necessario, ut fieri potest per longinquam peregrinationem, quibus in punctis conjuges sunt pares, unde si vir voveret debitum non reddere, nullum esset, & uxor irritare deberet. Idem censeo dicendum de voto non petendi debitum, quia hoc uxori esset maximè præjudiciosum, quæ sunt ad petendum verecundiores viris. Si tamen uterque de pari consensu voveret votum continentiæ, neuter posset alterius votum irritare, ex D. August: epist: 199. & refertur *cap: Quod DEO* 33. q. 5. Quia tunc uterq; suo juri cessit, cùm neuter sine sacrilegio posset petere vel reddere debitum conjugale.

QUÆSTIO SEXTA.

De Abusu cohabitationis conjugalis per Divortium.

I. Multiplices abusus inter conjuges cohabitantes.

ABusus matrimoniales pacificam Conjugum cohabitationem interturbantes innumeri penè sunt, originem complurium tam in libro Proverbiorum, quàm in Ecclesiastico cap: 25. & 26. satis insinuantur: *Vir enim iracundus excitat rixas:* Proverb: 15. & *Nequitia mulieris immutat faciem ejus*. Eccles. 25. Unde quemadmodum valdè *delectabilia sunt concordia & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes*, tam difficile venit *commorari leoni & draconi, quàm habitare cum muliere nequam*. ibidem. Id aliunde testantur scandala, rixæ, vicinorum perturbationes, indiscretæ tractationes, vulnerationes, & quibus se invicem perstringunt more servorum, sclavorum, vel etiam pecorum insensibilium percussiones, è domibus ejectiones, clamorosæ vitiorum exprobrationes, falsæ obtrusiones, & cœtera hujusmodi, usque dum deveniatur ad omnium abusuum periculosissimum abusum, nempe ad separationem à thoro, & cohabitatione, & frequenter inter conjuges juvenes benè valentes, & bene habentes nondum ea, quæ spiritûs sunt, sapientes, & hic abusus divortium dicitur, de quo in hac quæstione agendum. Itaque

II. Divortium describitur.

Notandum Primò. Divortium etymologicè ideò dici, quia conjuges fiunt diversarum mentium, vel quia in diversas partes eunt, dum Matrimonium disturbant; propriè autem significat dissolutionem Matrimonii veri & consummati quoad thorum & cohabitationem, & ita divortium usurpant Theologi contra Juris peritos, qui dissolutionem quoad vinculum etiam divortium vocant, sed hoc est verius dicendum *Repudium*, & hoc erat in antiquo testamento, quod apud veterem illum Judæorum & Gentilium populum licitum fuisse, patet Tum ex

Devtero:

Deuteron: 24. *Si acceperit homo uxorem - - - - scribet libellum repudii, & dabit illi in manu ejus, & dimittet eã.* & Malach: 2. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus* DEUS *Israël.* Tum ex illo Matth. 19. *Quoniam Moyses* &c. Sed forte valdè inæquali, nam vir tantùm poterat hunc repudii libellum scribere, non verò uxor.

III. Matrimonium indissolubile est remissivè.

Notandum Secundò. Ex dictis, Matrimonium consummatum Christianorum non esse dissolubile quoad vinculum, ùt visum est disp: 2. Matrimonium autem ratum posse in duplici casu, nempe per ingressum alterius conjugis in Religionem, vel per Pontificiam dispensationem: Consummatum verò quoad thorum, quando cessat obligatio ad reddendum debitum: Quando autem dissolvi possit, & divortium fieri quoad thorum & cohabitationem in hac erit examinandum quæstione, ubi plures assignantur causæ. Prima & principalissima est in Evangelio fundata, Fornicatio alterius conjugis ex Matth. 19. huic accedit fornicatio spiritualis per hæresim & apostasiam. Tertia sunt omnia illa crimina & peccata, quæ vergunt in perniciem corporalem & spiritualem notabilem alterius conjugis. Quibus prænotatis

IV. Divortium est licitum tam viro quàm mulieri ob fornicationẽ carnalem.

Dico Primò. *Divortium quoad thorum & cohabitationem post Matrimonium consummatum est licitum inter Christianos ob fornicationis causam, & in hoc passu pares utrimque sunt conjuges.* Hæc est de fide, & Probatur prima Pars ex Matth: 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur.* & ex 1. Corinth: 7. *Iis autem, qui Matrimonio juncti, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* ubi Apostolus ex Domini præcepto facultatem facit fœminæ discedenti, aut redeundi ad maritum, aut manendi innuptam, ubi clarè insinuatur, fœminam quoq; discedere posse à viro, sed non aliam ob causam, quàm ob fornicationem, ergò.

Probatur Secundò ex pluribus canonibus 32. q. 7. & ex cap. *Significasti.* cap: *Gaudemus.* cap: *Ex litteris de divortiis.* & tandem ex Trident: Sess: 24. can: 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad habitationem ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Probatur ex natura contractûs, ex quo oritur conjuges sibi obligatos esse ad servandam fidem quoad thorum & cohabitationem, aliáque hæc subsequentia, sed natura contractûs hanc semper inclusam habet clausulam, frangenti fidem, ad fidem servandam non esse obligatum innocentem ex *cap: si infidelis.* 28. q. 2. ergo ex natura contractûs & Matrimonii adulteranti uni conjugi alter eidem fidem non tenetur servare, sed potest ab eo divertere. Confirmatur contractus promissionem includens non obligat, si res, de quibus est promissio, notabiliter mutatæ sint, ob quam causam dicit *caput. Quemadmodum. de jure jurando* fornicante altero sponso non servanda esse sponsalia, sed per adulterium notabiliter in æstimatione mutantur corpora conjugum, ergò.

Dico Secundò. *Nomine fornicationis in præsenti casu intelligi omnem illum concubitum, per quem conjux illicitè dividit carnem suam in aliam vel alium.* Ita Sanchetz & plurimi Authores ab ipso citati. Probatur primò, ex *cap: Meretrices.* 32. q. 4. ubi sic dicitur: *Si furti nomine benè intelligitur omnis illa usurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed utique à parte totum intelligere voluit, quidquid illicitè rerum proximi auffertur: profectò nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Et ex *cap: Omnes causationes.* 32. q. 7. ex D. Hieronymo in epist: ad Amandum dicitur: *Quamdiu vivit vir, licèt adulter sit, licèt Sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus & ab uxore propter hæc scelera derelictus,* ubi supponitur ob sodomiam tam

V. Per fornicationem carnalem intelligitur actus, per quem caro cum altero vel altera completè dividitur.

bene ac ob fornicatinem posse maritum dimitti. Et quamvis textus isti sint gravissimi, attamen nimium quid probant, nam particula illa in texto primo, *membrorum illorum non legitimus usus* v. g. pollutio, tactus obscœni, præposterus cum propria uxore concubitus non sunt causa sufficiens divortii perpetui, nec etiam sufficit, quòd *flagitiis omnibus coopertus* sit maritus. Quare

Probatur Secundò. Efficacissimè ex D. Hieronymo in cap:19. Matthæi.& refertur *cap: Dixit Dominus.* 32. *q.* 1. ubi dicitur *Cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione à marito separaverit, non debet teneri.* & fundatur in illo Gen: 2. *Erunt duo in carne una.* ex quo sic argumentari potest conjugalis concubitus indissolubilitaté Matrimonialem inducens requirit, ut cum seminatione in vase debito conjuges una caro efficiantur, ergo ex opposito ad dissolvendam obligationem thori & cohabitationis sufficit omnino illicitus concubitus, qua alter conjux carnem suam cum alio vel alia dividat. Confirmatur: Tum ex allegata regula juris frangenti fidem non esse servandam fidem: Tum, quia adhærens meretrici una caro efficitur cum ea, ergo priorem carnem relinquit,ac consequenter priorem relinquens cum qua factus fuerat una caro, meretur ut iterum relinquatur,& ita allegoricè & pulchrè discurrit D. Paulus 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim (inquit) duo in carne una.*

VI. Sodomia consumata est causa divortii.

Ex hac Conclusione infertur, Sodomiam quamcunque consummatam esse causam justam divortii, sive illa sit passiva, sive activa, quia utrobique caro perfectè dividitur, & jus Matrimonii violatur; sive etiam sit inter duos viros, aut duas fœminas, quia D. Thomas & Doctores passim docent, hanc esse veram Sodomiam, quomodo autem carnem dividant, non est curandum, hoc certum refert Sanchetz lib: 9. contigisse fœminam conjugatam post copulam cum proprio marito, Sodomiticè cum alia fœmina concubuisse, & illam aliam ab ipsa conjugata semen viri in se suscepisse & attraxisse, & quidni idem fieri posset cum proprio suo semine, quod primo ad matricem propriam ejaculantur, & inde ab alia magis activa attrahi posse. Ast Sodomia cum propria uxore non est causa sufficiens perpetui divortii. de quo infra.

VII. Item bestialitas.

Infertur Secundò. Bestialitatem esse justam causam divortii, cùm verè conjugis caro dividatur in carnem bestiæ, sicut quando vir viro sodomiticè commiscetur, non tamen esset, si quis commisceretur cum fœmina mortua, vel bestia extincta, quia non est propriè fornicatio, sed ac concubitus cum statua mulieris vel bestiæ, quod est gravioris pollutionis species.

VIII. Non tamen pollutio voluntaria.

Infertur Tertiò. Pollutionem & quoscunque tactus enormes etiam in ordine ad copulam non esse causam sufficientem divortii, quia hîc non attenditur sola peccati gravitas, sed divortii radix & causa, quæ est carnis divisio vivente altero conjuge, tunc enim propriè non dividitur caro cum aliena, adeóque nec integrè & consummatè læditur Matrimonium, quare licèt etiam cum alia persona contingeret extra vas non sufficeret, minus sufficient tactus & oscula: Quia pœna delicto consummato imposita ad attentationem non est producenda, ùt habetur *L. Sæpe ita. in fine ff. de verborum significat:* Hinc ulterius

IX. Reciproca fornicatio nō est causa divortii.

Dico Tertiò. *Licèt fornicatio carnalis & quidquid per eam intelligitur, sit causa sufficiens divortii Matrimonialis, si tamen ab alterutro conjuge sit commissa, nihil operatur, sed compensatur.* Hæc est D. Bonaventuræ. D. Thomæ Lect: 2. ad caput. 7. epist: 1. D. Pauli Corinth: ubi septem enumerat casus, in quibus unus conjux non potest facere divortium ob alterius conjugis fornicationem, qui fundan-

fundantur in jure Canonico, & passim à Canonistis circumferuntur, quos ego majoris claritatis & distinctionis gratiâ per sequentes Conclusiones breviter singulos casus separatim proponam. Itaque probatur Conclusio ex *cap. Significasti. de Divortiis. cap. Intelleximus. & cap. finali. de adulteriis.* ubi hæc redditur ratio: Quòd *paria delicta mutua compensatione aboleantur.* Unde D. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte relatus, *cap.* 132. *qu.* 6. ait: *Nihil iniquius quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, & ipse convincitur fornicari: Occurrit enim illud, in qua alterum judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ indicas.*

X. Inferuntur plura Corollaria propter mutuam fornicationem.

Circa quam Conclusionem Notandum Primò: Requiri ad hanc recompensationem, ut de utriusque crimine liquidò constet, non sufficit enim, si de uno constet, & de altero dubitetur. Secundò debet esse fornicatio utrimque perfecta & consummata juxta dicta, alioquin non essent paria, non tamen refert, an sit utrumque ejusdem speciei, quia hoc æqualitati quoad divortium non obstat, ita Sanchetz lib. 10. disp. 6.

Notandum Secundò: Nihil referri, an unus Conjugum priùs, vel alter posteriùs commiserit fornicationem, aut quòd unus plures, & alter unam tantum fecerit, Quia in juribus, in quibus propositus casus resolvitur, non attenditur ad numerum, vel ad tempus, sed ad violationem fidei matrimonialis, & quòd carnem cum altero diviserit, quæ ratio non cessat ex eo, quod alter sæpius, & alter prius commiserit.

Notandum Tertiò: Eundem casum habere locum in foro pœnitentiali, etiamsi alterius conjugis adulterium occultum sit, & soli DEO cognitum, & adulterium unius sit publicū, quia in illo foro non requiritur probatio, sed sufficit sola veritas rei cognita, ita ut conjux, cujus adulterium est occultum, nequeat divertere ab altero, cujus adulterium est publicum, proindè ac creditor non potest compellere ad solutionem debitorem, cui novit se tantumdē debere, sed ita occultè, ut hoc contra ipsum in judicio probari non possit. Ita Sanchetz Conclus. 4.

Notandum Quartò: Ex eodem Disp. 7. Si ambo Conjuges in fornicationem lapsi, & sponte reconciliati fuerint, & postmodum alteruter denuò relabatur, alterum posse à lapso ratione hujus novæ fornicationis divertere, nam prior fornicatio post reconciliationem, qua antiquo juri matrimoniali restitutus fuit, non debet ei amplius obstare. Idem est, si unus Conjugum post fornicationem esset emendatus, & alter in eodem crimine persisteret, si admonitus, interpellatus, & invitatus ad cohabitandum, non vellet resipiscere, tunc emendatus posset divertere ab illo, quia talis admonitio, interpellatio, & invitatio vim habet reconciliationis, & consequenter recusanti nocebit, cùm teneatur illam admittere, & perindè censebitur esse, ac si reconciliatione factâ fuisset fornicatio.

Dico Quartò: *Fornicatio ab altero conjuge coacta, jussa, vel directè permissa etiam impedit dissolutionem Matrimonii.* Hæc est Authorum, & Canonistarum suprà. Probatur: Ex *cap. Per discretionem. de eo, qui cognovit consanguineam. v. Præsertim.* ubi jus determinat, uxorem sic prostitutam habere causam justam divortii, si *præsertim invitam* maritus prostituit, ubi particula *præsertim* non accipitur pro *tantùm*, sed implicando etiam alios modos prostitutionis, quasi diceret semper quidem habet, sed præsertim, id est, maximè tunc, quando etiā invita prostituitur, particula enim præsertim excellentiorem aliquem gradum denotat, & Ratio fundamentalis Canonis meo judicio est, Quia cùm vir in fornicationem consentiat, perindè est, ac si ipse quoque commisisset, & sic juxta priorem resolutionem non valet recedere.

XI. Fornicatio jussa non facit divortium.

Unde Sanchetz ait: Non esse censendum, si vir occasionem præbeat indirectam, v.g. uxorem è domo expellendo, alimenta denegando, debitum conjugale denegando, aut denique nimis sævè eam tractando, probans hæc per caput: *Significasti. & cap. ex litteris. de divortiis.* Quia in hujusmodi casibus indirecta tantùm occasio fornicationis data est, eáque remota, ob quæ uxor non potest carnem suam cum aliis dividere: nisi fortè meritus ideò faceret, ut hâc via ad fornicationem compelleret, tunc enim revera ipse causam dedisset, essetq; censendus consentiens, nec tanquam injuriatus posset ab illa recedere.

XII. Fornicatio bonâ fide facta non causat divortium.

Dico Quintò: *Fornicatio bonâ fide mortis secutæ prioris conjugis facta non facit divortium, ita ut superveniens & redux primus conjux ex hoc capite non possit eam dimittere.* Probatur ex *Cap. Cùm per bellicam. 34. qu. 2, & ex l. Uxor. 7. C. de Repud.* Et Ratio est, Quia tunc adulterium non est formale, & vacat omni culpâ, ad divortium autem, sicut est res gravissima, ita gravis & mortalis requiritur culpa. Attamen, si unus Conjux esset certificatus de vita alterius Conjugis, & hâc scientiâ non obstante peteret vel redderet debitum, incurreret fornicationem ad faciendum divortium sufficientem in foro conscientiæ saltem, quamvis in foro externo allegatis esset standum, & uxor priori marito restituenda.

XIII. Vi comissa non facit divortium.

Dico Sextò: *Nec Fornicatio violenter à fœmina extorta, causa est divortii.* Probatur, ex *cap. Ita. & cap. Proposito. 32. q. 5.* Nam cùm culpâ vacet, non debet fornicationem passæ imputari ad pœnam, quem casum etiam locum habere docet Sanchetz in fœmina seu uxore, quæ dedit causam violentiæ, v.g. quia non obedivit marito, fugam suadenti propter hostium adventum, nam inobedientia non obstat, quin oppressio subsecuta fuerit violenta, nam supponitur, inobedientiam illam non fuisse ad hunc effectum ordinatam, aliàs dolus ei non patrocinaretur, unde non semper imputatur effectus sequens illi, ubi culpa præcessit, ex *cap. Quoniam. de Concession. præbend.* Verùm hic casus locum non habet, si uxor in fornicationem consenserit per solum metum cadentem in constantem virum, quia talis metus non obstat, quin fornicatio sit voluntaria, & peccaminosa lethaliter, quoniam mori potius deberet, quàm illam committere.

Dico Septimò: *Nec ignoranter commissa fornicatio, seu materialis, quando videlicet nocturno tempore thorum quis extraneus latenter sub specie mariti ingrederetur, est causa divortii:* Probatur ab exemplo, quod accidit Jacob cum Lia, Gen. 39. Quia sicut tunc bona fides conjugem excusat à culpa adulterii, ita etiam à pœna divortii, ex *cap. In lectum. 24. qu. 2.* Ad probandam autem hanc bonam conjugis fidem, sufficit ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem, & ad alias probabiles conjecturas, & hunc casum nòvi egomet bis contigisse. XIV. Fornicatio materialis non est causa divortii.

Dico Octavò: *Fornicatio post acceptum repudii libellum facta non est causa divortii.* Explico Conclusionem in casu, quando scilicet Conjugibus in infidelitate existentibus maritus uxori libellum repudii dedit, eáque alteri nupsit, tunc enim, si ambo fidem amplecterentur, & baptizarentur, vir non posset uxoris fornicationem seu transitum ad alias nuptias etiam in infidelitate factas, pro divortii causa allegare. Ita habetur decisum in *cap. Gaudemus. de divortiis.* Et Ratio hujus rei assignatur, quia infideles existimant Matrimonium dissolvi per repudium, juxta eorum ritum celebratum, ratione cujus ignorantiæ excusantur ab adulterii malitia per transitum ad alias nuptias, vel etiam per fornicationem, consequenter pœnam divortii non debent incurrere. Et idem dicendum est de Conjuge justè repudiante secundùm suam sectam, quando aliud Matrimonium init, licèt enim XV. Fornicatio post repudium non est causa divortii.

nim textus de solo repudiato loquatur, ast eadem est ratio de repudiante, nam uterque se existimat à Legibus Matrimonii absolutum.

XVI. Fornicatio condonata expressè impedit divortium.

Dico Nonò : *Fornicatio ab innocente condonata adultero expressè, vel etiam tacitè impedit quoque vim divortii.* Est communis, & expressè remissa, habetur ex *l. Si maritus. 25. §. Si negaverit. ff. ad Legem. Juliam. de Adulterio.* ubi id decernitur, & additur ex postfacto amplius maritum de adulterio accusantem non esse audiendum; Et ratio est, quia cùm divortium sit in favorem innocentis, is potest jus suum condonare, & cedere, & sic cessabit jus divortii, quamdiu condonatus non relabitur in novam fornicationem, qui si relapsus fuerit, recurret idem jus divortii, quia venia data respicit sola delicta praeterita.

XVII. Condonatio implicitè facta tollit causam divortii.

Probatur secunda pars de tacita, quae non fit verbis id clarè exprimentibus, sed rebus & signis eandem manifestantibus, videlicet Primò: Si maritus innocens cum adultera carnalem copulam habeat, & ratio hujus est, quia per talem copulam adultera iterum una efficitur caro cum carne innocentis, & ita Matrimonium ob hanc causam ante dissolutum quoad thorum, iterum quoad eundem est restitutum, hoc tamen praesupponi oportet Conjugem innocentem debere scire certò, vel probabiliter de alterius adulterio, aliàs nihil operaretur copula, quia actus agentium non extendunt se ultra intentionem agentium, nec intentio potest haberi, ubi adest ignorantia rei; E contra verò non est opus, ut adultera sciat innocenti crimen suum esse conscium, quia non requiritur ejusdem adulteri acceptatio, sed sufficit, quòd per voluntatem innocentis, penes quem residet totum jus in adulteri corpus, & reconciliationis libertas tollat impedimentum positum per novam unius carnis efficientiam, aliàs adulter posset dolo uti, qui sibi patrocinaretur. Requiritur Secundò, ut talis copula sit spontè habita, nam con- & donatio debet esse liberalis, adeóque non coacta & compulsa, unde si mulier viro adultero debitum reddat gravi metu perculsa, aut etiam persuasa se ad illud teneri, non est censenda liberalis condonatio, aut reconciliatio.

Secundò : Censetur innocens implicitè condonare adultero, quando eadem in domo diu cohabitant, nam hoc est manifestum amicitiae signum, ubi ultra duas priores conditiones requiritur tertia nempè, ut adulterium sit publicum, ut nullâ tergiversatione possit celari, nam si esset occultum vel dubium, non posset propriâ authoritate adulterum domo expellere, quod si faceret, lis deberet ei & posset intentari, in qua si perficeret in proba, compelleretur ad cohabitandum, quód incommodum, ut evitet, tutius est, ut expectet aliquo tempore, usque dum opportunitatem divortium perficiendi nanciscatur.

Tertiò : Judicatur adulterium condonari, quando innocens scienter ac spontè sine ulla necessitate, ne quidem titulo honestatis externae coram aliis juxta patriae morem compulsus, familiarem se exhibet adultero, ludendo, ridendo, comedendo cum eo, amplexando, osculando &c. Quia talia sunt manifesta amicitiae signa, quae tamen signa, quia non sunt nisi praesumpta, valentia, in foro externo, si innocens in mente non haberet animum condonandi adulterium, in foro interno condonatio esset nulla, quia juxta dicta actus agentium non operantur ultra intentionem, ex *l. Non omnis. ff. si certum petatur.* videatur Sanchetz disp. 14.

Ubi Notandum est, hoc verum esse, etiamsi divortium per Judicis sententiam factum fuerit, quia quod in favorem alicujus conceditur, in praejudicium retorqueri non debet, unde innocenti semper manet jus revocandi adulterium, uti habetur expressè in *cap. Si vir. de Adulteriis.* his verbis: *Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet* (id est, ùt expli-

explicat Glossa *debito honestatis*, adde & charitatis Christianæ) *sed non sæpe recipere peccatricem*, ubi etiam ad propositum D. Augustinus *cap. Quod autem*. 32. *qu.* 1. relatus ait: *Quis non intelligat maritum debere ignoscere, quod videt ignovisse Dominum.*

XVIII. Sodomia cum propria uxore non est causa divortii.

Dico Decimò: *Sodomia cum propria uxore non est causa sufficiens Divortii perpetui, sed tantùm temporanei.* Ita Authores passim, & probatur: Tum, Quia talis non dividit carnem suam cum alio vel alia, cùm ei negotium sit cum propria conjuge, quamvis illicito & iniquo modo: Tum, Quia in hoc casu non qualitas criminis, sed inductionis ad crimen periculum & animæ ac salutis dispendium est causa, adeóque eo cessante cessabit & divortium, nempè si vir pœnitentiâ ductus resipiscat.

XIX. Fornicatio spiritualis est causa sufficiens divortii.

Dico Undecimò: *Fornicatio spiritualis v. g. Lapsus in hæresim, vel Apostasia à fide, est quoque causa sufficiens perpetui divortii.* Est communis. Probatur Primò: Ex Scriptura ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*, ubi neminem excipit, nec Patrem & Matrem, nec uxorem, aut liberos, & hoc fundatur in authoritate Salvatoris. Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* in quem locum D. Hieronymus ait: *Si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum.*

Probatur Secundò ex *cap. 1. Idololatria. & ex cap. Non solum.* 28. *qu.* 1. Item ex *cap.* 2. *& ex cap. Quanto. de divortiis.* ac ex *cap. finali. de Hæreticis.* ubi in universum liberantur obstricti ad obsequium, servitia, & quæcunque subjectionem à debitis præstandis in hæresim manifestè lapsis.

Probatur Tertiò ex ratione fundata in D. Hieronym. suprà, quia est probabile & gravissimum subversionis periculum, conjuges enim sibi cohabitantes, & condormientes solent se invicem allicere, stimulare, & suaviter cogere ad eundem amplectendum errorem, nam ùt dicit D. Paulus 2. ad Timoth 2. *Sermo eorum ùt cancer serpit.* Pro hac Conclusione notat Sanchetz Disp. 17. n. 5. differentiam esse inter hæresim & alia crimina, quod in illa non sit expectandum usque dum hæreticus conjux fidelem pervertere conetur, sed sufficere, ut ille in pertinacia sua persistat, in aliis verò criminibus expectandum est, usque dum ad similia inducere moliatur, vel aliundè grave & certè probabile immineat periculum, nam eo ipso quòd aliquis sit pertinax in sua hæresi, paratus est ad pertrahendos alios in eandem, ut vel non solus erret, vel alios inducat ad eam tanquam ad salutem conducentem, quod in aliis criminibus non evenit, nam etiam pessimi non libenter vident suos esse flagitiosos, & facilè quod ipsi committunt in aliis corrigunt, scientes ea esse perniciosa.

Dico Duodecimò: *In fornicatione carnali & spirituali Conjuges propria authoritate possunt facere divortium, si illa sit notoria, ut nulla tergiversatione celari possit, aut si habeat aliud crimen sibi conjunctum, satius tamen est, ut fiat semper per Judicem Ecclesiasticum.* Est communis inter Authores, & probatur ex *cap. Significasti. de Divortiis.* ubi sic dicitur: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet*, ubi textus clarè supponit, maritum propriâ authoritate uxorem dimisisse, & non esse cogendum ad recipiendam ipsam. Ratio etiam est, quia jus naturale & divinum ob hanc causam divortium permittit, adeóque nulla Judicis sententia requiritur, & de hæresi planè est manifestum. Dixi, *si sit publicum*, nam ob occultum non potest fieri propria authoritate, Quia nemo potest sibi in Republica bene ordinata propriâ authoritate jus dicere: Tum, Quia hoc generaret grave

XX. Divortium potest fieri propriâ authoritate, tutius tamen est, ut per Judicem.

Digitized by Google

grave in communitate politica scandalum, proximorum diffamationem, & alia incommoda. Dixi etiam: *Aut si habeat aliud crimen conjunctum*, Quia si adesset simùl sævitia, periculum mortis, veneni, propria authoritate divertere ab adultero potest innocens, quia ex jure naturæ & charitatis quilibet tenetur & potest se conservare, maximè si immineret periculum, & mora noceret.

Probatur secunda pars, scilicet tutius esse, ut semper fiat per Judicem: Tum, Quia Matrimonium solemniter contrahitur in facie Ecclesiæ, & ejus Authoritate, ob quod Parochi requiritur præsentia, ergò etiam ejus authoritate debet dissolvi quoad habitationem: Tum, Quia Conjux adulter vel consentit ad discessum innocentis, vel non consentit: Si consentit, jam non fit propriâ authoritate, sed mutuo consensu eorum, & sic non est ullum dubium, divortium fieri justè & licitè posse, maximè ob finem honestum, hic autem sufficit, quòd scienti & volenti non fiat injuria. Si secundum, id est, vel non consentit adulter, tunc innocens non potest propriâ authoritate adulterum dimittere, ùt habetur ex *Cap. Porrò. de Divortiis. & in titulo de Restitut. spoliato.* ubi jubetur innocens primò adultero restitui id petenti, usque dum causa divortii examinetur & decidatur. Porrò, Judicem debere esse Ecclesiasticum, patet ex Trident. Sess. 24. Can. 12.

XXI. Grave periculum animæ est etiam causa divortii temporanei.

Dico Decimo tertiò: *Grave periculum salutis animæ cohabitandi alteri Conjugi, est sufficiens causa faciendi divortium temporaneum.* Probatur ex *cap. Idololatria.* supra, ac ex authoritate Scripturæ, apud D. Matthæum, & ex D. Hieronymo supra, quæ omnia huc quoque quadrant: Quare si conjux unus alterum ad latrocinia, adulteria, aliáque peccata mortalia, ad alios incorruptos mores trahere conaretur, ob quæ Conjux innocens ruinam timens sive ratione coactionis alienæ, sive ratione fragilitatis propriæ, non tantùm potest, sed & debet à nocente separare, ex *cap. Quæsivit. de Divortiis.*

XXII. Grave periculum corporis quoque est.

Dico Decimo quartò: *Periculum grave patiendi corporale notabile damnum est quoque causa sufficiens faciendi divortium temporaneum.* Est Sanchetz, Soto & aliorum, fundatúrque in prioribus principiis, & casus enumerantur *L. Consensu. C. de Repudiis.* Ut sunt, si uxor sit venefica, à cujus veneficio meritò sibi vir timet, aut si sit prolium interfectrix: aut si substantiam mariti decoquat, nec sit aliud remedium corrigendi eam, quàm per divortium: Sed hæ ex parte mariti sunt causæ, ex parte verò uxoris.

XXIII. Item sævitia mariti.

Dico Decimo quintò: *Sævitia mariti certa & realis, non imaginaria; gravis, & non levis ob mala in virum constantem cadentia, est quoque causa faciendi divortii temporanei, etiam propriâ authoritate usq; dum securitatis cautio sufficiens præstetur.* Ita Sanchetz lib. 10. disp. 18. & probatur cum eo, ex *Cap. Litteras. de restitut. spoliat.* ubi dicitur: *Si verò tanta sit sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri, alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa profectò videtur Conjux ante causæ cognitionem restituenda marito, Et cap. ex transmissa. eodem titulo. Ipsam ei restitui faciatis, recepta tamen sufficienti cautione, quòd ei non debeat aliquod malum inferre: Si autem ita capitali odio mulierem vir prosequatur, quòd merito de eo diffidat, alicui probæ & honestæ mulieri, usque ad causæ decisionem custodienda studiosius commendetur.*

Cautio à sæviente debet dari.

Circa quam Conclusionem notanda sunt: Primò Conjugi timenti sævitiam debere dari cautionem prudentis judicio sufficientem, sive pignoritiam, & fidejussoriam, sive juratoriam, qua non obstante licitum

adhuc erit viro corrigere verbis uxorem, & etiam verberibus moderatis delinquentem, ſicut ante licebat, quia in tali punitione nulla eſt atrocitas, nec eſt rationi conforme, ut maritus delinquentem uxorem relinquat impunem.

Licet uxor dederit cauſam ſæviendi. Secundò, hoc locum habere etiamſi uxor ſæviendi ob aliquod delictum dederit anſam, ex *cap. de Benedicto.32.q.1.* ubi cùm jubeatur uxor marito reſtitui, ſupponitur uxorem marito anſam dediſſe ſæviendi & aufugiendi.

XXIV. Concubina eſt cauſa ſufficiens divortii. Bonacinna ſuperaddit tertium notabile, videlicet non ſolùm ſævitiam præteritam præbere juſtam divertendi cauſam, ſed etiam timorem futuræ ſævitiæ & malæ tractationis, quæ præſumi poteſt, quamdiu vir retinet concubinam domi, vel etiam extra domum, conſequenter poterit uxor à viro diſcedere, usque dum dederit cautionem expellendi concubinam, eamque non recipiendi in futurum, nam retentio concubinæ eſt cauſa ſævitiæ, & multarum moleſtiarum inter Conjuges, quæ omninò moleſtam, difficilem, & duram cauſant cohabitationem. Maſtrius addit non ſolùm ſævitiam mariti, ſed & Parentum ipſius mariti, ob quam pariter cautionem petere poſſit.

XXV. Innocens poteſt non tenetur uxorem fornicariam dimittere. Dico Decimo ſextò: *Si fornicationis ratio attendatur, nunquam tenetur maritus dimittere uxorem etiam perſiſtentem, attamen caſus eſſe poſſunt, ubi maritus tenetur in conſcientia dimittere uxorem adulteram etiam ſub peccato mortali.* Ita Sanchetz lib. 10. Diſp. 13. Probatur prima pars ex Matth. 5. & 19. ubi CHRISTUS ob fornicationem facultatem dimittendi uxorem conceſſit, non tamen præcepit, adeóque maritus non erit obligatus, niſi alia circumſtantia & ratio accedat. Confirmatur per *cap. Idololatria. 28. quæſt. 1.* Ubi idem ex Div. Auguſtino docetur: Ratio etiam eſt, Quia divortium eſt pœna fornicationis, adeóque vir innocens eam ſubire non tenebitur, quod ſibi quandoque durum poſſet accidere, quòd propter alienum delictum conſortio uxoris ac obſequiis ab illa ſibi exhibendis, deberet privari, & hoc eſt in ſtylo & praxi moderna ordinarium.

Probatur ſecunda pars: Quia ſi uxor adultera & pervicax per medium dimiſſionis poſſet ad meliorem frugem reduci, aut ſi maritus ſcandalum præberet ſæculo per retentionem Conjugis adulteræ, videtur omninò eſſe obligatum ad eam dimittendam, & primus quidem caſus habetur in *cap. Si vir. de adulteriis.* Verùm hic caſus eſt vel metaphyſicus, vel valdè rarus, & ſemper periculoſus, ſi enim uxor viro cohabitans per correctionem paternam, & admonitionem ad ſaniorem vitam reduci non poteſt, minus præſtabit per dimiſſionem, ubi ei amplior campus aperitur ad quæque nefanda perpetranda. Adeóque dicendum ſolum caſum ſcandali poſſe viro obligationem inducere ad ejiciendam uxorem pertinacem, & in adulteriis perſiſtentem, quod Probatur: Tum ex Scriptura, Proverbior. 18. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens:* Tum ex *cap. Sicut crudelis. 32. q. 1.* ubi ſic habetur: *Sicut crudelis & iniquus eſt, qui caſtam dimittit uxorem, ita fatuus eſt & injuſtus, qui retinet meretricem, Patronus enim turpitudinis eſt. Et cap. Si vir ſupra: Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, ſed vixerit cum illa, reus erit, & ejus criminis particeps.* Quod pluribus modis contingere poteſt: Primò, Quia præbet proximis ſuis gravem anſam ruinæ ſpiritualis, dum conſentire videtur erranti, qui quando poteſt & debet errata non corrigit, Patronus eſt errorum. Tertiò, quia agit contra bonum fidei, Sacramenti & prolis, qui omnes patiuntur. XXVI. Excipiuntur caſus ſcandali.

Dico Decimo ſeptimò: *Conjux innocens poteſt quidem dimittere ſemper conjugem adulterum, adulter tamen non poteſt divertere ab innocente, ſed* XXVII. Innocens poteſt adulterum dimittere, non tamen adulter innocentem.

sed etiam quoad habitationem, & debiti redditionem compelli potest, etiamsi sententia divortii præcessisset. Ita Sanchetz disp. 10. ubi D. Thomam, D. Bonaventuram, aliosque plurimos Theologos & Juris-Consultos citat, & probo cum eo Conclusionem Primò: Quia Conjux innocens non privatur per sententiam jure & dominio, quod habet in corpus adulteri, aliàs prodesset sententia reo, contra quem lata est, quod iniquissimum esse docet JurisConsultus *l. Evidenter. 16. ff. de exceptione rei judicatæ.* Secundò, cùm divortii sententia sit prorsus in favorem innocentis, & odium adulteri, non est in damnum innocentis, & in favorem adulteri retorquenda concedens huic immunitatem obligationis conjugalis, & illum pristino jure in corpus adulteri privans. Quod enim in meum favorem inductum est, non debet in meum damnum retorqueri. *l. Quod favore. 6. C. de Legibus.*

XXVIII. Innocens non adulter potest mutare statum post dimissionem.

Ex hac Conclusione pulchra inferuntur Corollaria. Primò: adulterum non posse mutare statum suum, quamdiu innocens contradicit, volens ei reconciliari, quia non obstante sententiâ divortii adulter tenetur reconciliari innocenti, si id exposcat: Econtra verò potest innocens statim post sententiam divortii transire ad Religionem etiam invito adultero, ex *cap. Agathosa. 27; qu. 2. & ex cap. Constitutus. & ex cap. Veniens. de Convers. Conjug.* & Ratio est, quia adulter amittit omne jus conjugale. Ita Sanchetz disp. 11. adulter autem, licèt tunc teneatur se continere, non tenetur tamen vovere continentiam, vel ingredi Religionem simùl, quia jura supra requirentia id, loquuntur de ingressu in Religionem Matrimonio per divortium minimè læso.

Infertur Secundò: Adulterum volentem mutare suum statum, debere desuper innocentem salutare, ejúsque licentiam impetrare, quia cùm innocens jus habeat cogendi adulterum ad reconciliationem, non potest mutare suum statum, nisi innocens id primò resciat & consentiat, aut saltem non contradicat, quia tunc implicita videtur data licentia, in tali casu non est quoque obligatus innocens ad servanda ea, quæ alioquin requirunt jura, quando unus Conjux Religionem ingreditur. De qua re suprà.

Infertur Tertiò: Si innocens sæpè monitus non vellet reconciliari adultero, tunc hic posset mutare statum suum, vel ingrediendo Religionem, vel suscipiendo Ordines, quia tunc prudentis cujuscunque judicio innocens censetur amplam facultatem adultero concessisse, quia oppositum videretur magis esse vexa, quàm usus suæ potestatis in corpus adulteri, quam retinet.

Qui plura desiderat de Matrimonii causis ex Theologis antiquioribus, consulat nostrum Astesanum, qui duobus Tomis materiam de Matrimonio tractat, omnesque difficultates & casus, quos Recentiores habent, copiosè ex juribus pertractat. Item Orbellus, ex Recentioribus excellit Laurentius Brancatus Minorita Conventualis nunc Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Amplissimus; Ex Neotericis omnes excellit Thomas Sanchetz, Societ. JESU. Et hæc de magno Matrimonii Sacramento in Christo & Ecclesia, cujus authoritate, judicio, & correctioni humiliter subjecta sunto singula dicta & scripta, sufficiant, atque ad DEI O. M. Gloriam, & Sanctissimorum in Terris & Cœlis, Conjugum JOSEPH & MARIÆ honorem cedant. Amen.

TRACTATUS X.
DE
BEATITUDINE SUPER-NATURALI HOMINIS.

DE Beatitudine agere hujus loci est, si Magistri habeatur respectus & subtilis Doctoris, utpote qui de ea tractant, hic in quarto. distinctione 49 & 50. Cùm virtutum prœmium & Sacramentorum tanquam mediorum finis sit beatitudo, qualis enim vita mors ita, & quilibet prout in suo corpore gessit, recipiet bona vel mala, ideo post Sacramentorum dilucidationem ad beatitudinem explicandam moveo manum.

DISPUTATIO PRIMA.
DE
Beatitudine Supernaturali.

I. Variæ opiniones antiquorum circa beatitudinem.

Vix in aliquo magis antiquitus aberrârunt, & inter se invicem discordârunt Sophi Gentilium, quàm in assignando illo, in quo consistat humana felicitas & beatitudo; nonnulli enim statuère eam in bonis corporis, alii in bonis fortunæ, tertii in potentia, alii in honoribus, dignitatibus, gloria & magno ac præclaro, & solemni nomine, Pythagoras voluit eam consistere in numeris; in speculatione Anaxagoras; Aristoteles in contemplatione; in Scientia Herylus; Tymon in tranquillitate animi, cui affinis satis erat Socrates, qui in bonis animi hominis posuit beatitudinem & felicitatem, sed quàm aberrârint à vero, cuicunque liquere potest, qui consideraverit in omnibus adductis nec esse constan-

stantiam, nec perseverantiam, nec continuationem, & perpetuitatem, imò pluribus adhuc subjacere miseriis. Igitur catholicè examinanda est hæc materia, sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Beatitudo, & an ratione naturali demonstrari possit?

II. Finis ultimus actionum humanarum datur.

CErtum est in primis dari finem ultimum omnium actionum humanarum, imò omnium rerum, ad quem tanquam ad supremum bonum omnia referantur, qui dicitur proindè beatitudo hominis, nam sicuti in aliis causis non admittitur processus in infinitum, ita nec in causa finali, & experientia constat, quod ipsa naturalis ratio dictet, ut appetamus generatim beatitudinem tanquam carentiam omnis mali, & affluentiam omnis boni, licèt multi nesciant quidnam illud sit, unde Ambrosius ait in Psalm. 38. *Ille, qui verus est finis, non unius, sed omnium est finis.* Verum

III. Beatitudo alia est formalis, alia objectiva.

Notandum: *Finem* ultimum Beatitudinem aliam esse *Formalem*; aliam *Objectivam*; *Formalis*, quæ propriè Beatitudo dicitur, quia est aliquid nobis inhærens, & ut nostrum, est *quâ mediante conjungimur, cum bono beatificante*, seu quâ consequimur bonum illud beatificans. *Objectiva*, est illud ipsum bonum beatificans, seu quod attingitur beatitudine formali; Ad hanc triplex requiritur conditio: Prima: Quod sit bonum ultimum hominis, ad quod ipse & omnia sua ordinantur. Secunda: Quod sit bonum optimum. Tertia: Quod sit bonum sufficienter appetitus satiativum.

Hoc notato, Pontius describit beatitudinem hominis, *quod sit bonum aliquod sive simplex, sive multiplex ita satiativum hominis, ut ex natura sua excludat omnem molestiam, & displicentiam, quam haberet tàm ex præsentia mali disconvenientis, quàm ex absentia boni convenientis.* D. Thomas 1. 2. q. 5. a. 3. dicit: *Quod beatitudo sit perfectum & sufficiens bonum, omne malum excludens, & omne desiderium complens.* Boëtius 3. de Consol. *Quod sit Status bonorum omnium aggregatione perfectus.* Quæ descriptiones omnes bonæ sunt, ut nesciam, quam uni vel alteri præferre debeam, hinc brevitatis gratiâ eam aliter describo, prout de ea hic sermo est, &

Dico Primò: *Beatitudo hominis est bonum sine defectu.* Hæc deducitur ex D. Bernardo Serm. 16. de diversis, ubi ait: *Quæ est ista copia (beatitudinis) ubi nihil quod nolis, sit, totum sit quod velis?* Et probatur: Quia perfectissimè convenit illi rei, quæ beatitudo dicitur, quam per fidem cognoscimus DEUM præparâsse diligentibus se; dicitur enim *Bonum*, quia illud quod appetitur universaliter & æqualiter ab omnibus, de quo infra, non potest esse nisi bonum; dicitur *sine defectu*, ut excludantur omnia mala, & omnis displicentia, quam habere possit aliquis ex eo, quòd adesset aliquid, quod nollet, sed incontra IV. Beatitudo describitur.

Arguitur: Potest aliquis affluere tot bonis, ut nullâ afficiatur molestiâ ob carentiam ullius boni convenientis, aut præsentiâ mali disconvenientis, & tamen non esse beatus, ergò beatitudo malè est descripta: Probatur ant: experientiâ multorum, qui fruentes bonâ valetudine, nullâ affecti molestiâ contenti essent semper suâ sorte, ergò. Respon. Negando ant: cum sua probatione, quia illa bona, quibus ille homo afflueret, non sunt ex natura sua nata excludere multas molestias, quæ possent ei accidere, quorum consideratio si occurreret, quod facilè fieri potest, magnam in ipsis causaret molestiam.

Instatur. Christus fuit perfectissimè beatus, & tamen passus est graves molestias, ergò beatitudo non excludit omnem prorsus molestiam.

Respond: Negando consequentiam, quia illas molestias sensit Christus per miraculum, habuit enim bonum, quod illas impedire poterat, nisi Deus permisisset, unde inter maxima adscribitur miracula, quòd beatus talia sit passus.

V. Beatitudo obtinibilis potest svaderi.

Dico Secundò. *Beatitudo hujusmodi obtinibilis svaderi potest, non autem evidenter demonstrari.* Hæc videtur esse extra controversiam, & Probatur prima pars. Quia videtur justitiæ Divinæ conformissimum, ut perseverantibus usque in finem in sua dilectione, & mandatorum observatione conferat eam, ergo. Secundò. Probabile est, quod considerata sola ratione naturali intellectus humanus possit videre DEUM aliqua ratione, & aliquo modo intuitivè & quod sic videndo DEUM frueretur beatitudine, ergo potest naturaliter svaderi. Prob: ant: probabile est, quod potentia potens cognoscere objectū aliquod abstractivè, possit etiam illud cognoscere intuitivè, sed Intellectus cognoscit DEUM naturaliter abstractivè, ergo potest ipsum cognoscere intuitivè supernaturaliter. Prob: ant: quia defacto intellectus noster cognoscit actus suos interiores intuitivè, ergo potest etiam quodcunque aliud ens intuitivè cognoscere etiam ipsum DEUM.

Dices. DEUS deberet concipi posse sub sua propria ratione Deitatis ad hoc, ut cognoscatur quod sit objectum beatificans nostrum ergo. Respondeo Negando ant: quia ut cognoscatur esse objectum nostrum beatificans aliud non requiritur quàm quod cognoscatur, ratio intuitivæ cognitionis, & capacitas intellectûs nostri ad illam, quod declaratur exemplo, ut enim cognoscamus relationem terminari ad DEUM non est necesse, ut cognoscatur DEUS ipse sub ratione sua absoluta Deitatis, similiter cognoscimus habitum charitatis ad DEUM sub ratione Deitatis propria terminari, vel ad minus summi boni, cùm tamen DEUM sub ratione propria Deitatis, aut summi boni minimè cognoscamus.

Probatur secunda Pars. Quia beatitudo esset demonstrabilis prout à nobis pro hac vita possideri potest, vel pro altera, sed pro neutra est demonstrabilis, ergo. Maj: est certa, probatur minor, non quidem pro hac vita, tum quia beatitudo objectiva est. DEUS clarè visus, & fruitus, an autem taliter pro statu viæ possit videri, simpliciter difficultas est, nec hoc demonstrari potest; Tum, quia nullus alius status adhuc repertus est cui competeret beatitudinis descriptio, cùm quot quot sunt maximis miseriis & difficultatibus sint expositi: Nec etiam pro altera, Tum, quia ipsa altera vita naturalis est indemonstrabilis, quia fundatur supra immortalitatem animæ, quæ ex comuni Philosophorum & Theologorum sensu demonstrari non potest; tum, quia licèt & immortalitas, & altera vita demonstrari posset, adhuc tamen non posset demonstrari statum illum ex natura sua esse exemptum ab omni molestia; tum denique, concesso etiam hoc, nihilominus adhuc demonstrabilis non est beatitudo hominis, quia resurrectio corporum ostendi nequit, sine qua homo nequit esse in altera vita.

VI. Non verò demonstrari.

Probatur Secundò ex authoritate S. Bernardi Serm: 4. Solemn: omnium Sanct: ubi dicit: *Verùm quàm magna est beatitudo illa, tam abscondita ab oculis nostris? nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax DEI est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quantò magis omnem sermonem nostrum? quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari.* Sed

Arguitur in contrarium. Homo necessariò habet aliquem finem ultimum, ad quem assequendum est creatus, ergo potest illum consequi, sed consequendo illum satiaretur, & consequenter esset beatus, ergo. Sed hic discursus videtur esse demonstrativus, quatenus est certus & convincens, sive habeat conditiones à Philosopho requisitas, sive non. Respon-

spondeo, negando hunc discursum esse certum, quamvis enim dubium non sit DEUM creâsse hominem ob aliquem ultimum finem in sua actione, an tamen creaverit illum ad talem statum, qui excluderet omnem omninò molestiam incertum est. Ideo sit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis sit ultimus finis objectivus seu beatitudo hominis? & an eam omnes appetant?

I. Bona sunt in triplici differentia. BOna, in quibus beatitudo objectiva, & ultimus finis hominum consistere posset, in triplici sunt differentia, quædam enim sunt bona externa, ut fortunæ, dignitatum, honorum, & divitiarum: alia corporis, ut pulchritudo, agilitas, fortitudo &c: & tertia sunt bona animi, eáque vel temporalia vel æterna, ut pulchrè exponit D. Bernardus Serm: de triplici bon: gen: estque 16. de diversis. Itàque.

II. Beatitudo non consistit in bonis corporis. Dico Primò. *Beatitudo objectiva hominis non consistit in bonis corporis nec fortunæ.* Hæc est Catholicorum omnium contra plures Gentilium Philosophos & Cerynthum hæreticum. Probatur primò Authoritate S. Bernardi tract: de vita & moribus Cleri: cap: 10. ubi sic loquitur: *Cœterùm nec amator pecuniæ dicet aliquando sufficit, nec libidinosus satiabitur voluptate, sic & crudelis quisque sanguinem semper sitit, & ambitiosus aut cupidus laudis humanæ adeptis dignitatum titulis seu favoribus nullum exinde capit omninò remedium, sed desiderio æstuat ampliori*, atqui beatitudo debet esse perfectè satiativa hominis, ergo in his non consistit. Item tract: de gratia & lib: arb: cap: 5. hæc habet. *Fatendum igitur & in hac parte, omne quod præsentis vitæ est occupare miseriam, nisi quod in tribulationibus continuis graviorem laborum, leviores utique sunt qualescunq; consolationes, & dum fortè pro tempore ac rerum eventibus vicissim sibi gravia leviaq; succedunt minorum experientia, aliqua miseriæ videtur interpolatio, ut dum aliquando post experta plura gravissima in minus fortè molesta evaditur, felicitas putetur.*

Probatur ratione prima Pars. Tum quia bona corporis ordinantur ad bona animi tanquam ad perfectiora, ergo in illis nequit consistere beatitudo: Tum, quia bona corporis stant cum multis & gravissimis miseriis: puta cum defectu bonorum externorum, ipsiusq; animi. III. Beatitudo non consistit in bonis fortunæ.

Probatur secunda Pars. Quia bona fortunæ sunt quadruplicia: nempe divitiæ, potentiæ, honor, & gloria, hæc omnia nec divisim, nec conjunctim sufficiunt ad reddendum hominem perfectè beatum, ergo. Probatur minor: non divitiæ, quia hæ ordinantur ad sustentationem corporis, ergò non possunt habere rationem beatitudinis, quæ aliò ordinari debent; Similiter potentia potest consistere cum defectu corporis & animi. Neque honor: quia hic nec formaliter, nec causaliter est aliquid honorati, cùm in ipso præter denominationem extrinsecam, vel Ens rationis nihil in ipso ponat, beatitudo verò objectiva debet saltem causaliter esse aliquod verum hominis bonum. Ob eandem rationem neque gloria potest esse objectiva beatitudo, cùm in homine præter Ens rationis nihil ponat, nam secundùm D. Aug: lib: 83. q. 3. *Gloria nihil aliud est, quàm clara cum laude notitia.* Et Seneca epist: 124. ait: *Vanum, & volatile quiddam gloria, auraque mobilius.* Deinde frequenter est cum defectu corporis, & esse potest cum defectu bonorum externorum, imò animi.

Dico Secundò. *Beatitudo nostra objectiva, & ultimus finis est DEUS super omnia benedictus.* Probatur primò. Ex sacra Scriptura Joan: 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum*, &c. Secundò Authoritate Sanctorum Patrum Augustini. 19. Civit. cap: 26. ubi ait: *Ut vita carnis anima est, ita beata hominis vita DEUS est.* Bernardi in Meditat: cap: 4. *Omnes lætantur in lætitia* IV. Beatitudo Objectiva est DEUS.

tia & exultatione, omnes delectantur in DEO, cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce; Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum; Ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium, nec extra illum quidquam quæritur, quia totum & in illo invenitur quidquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, & illo perfrui, in illo clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoscendam & diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis nôsse scilicet & amare Creatorem suum. Hinc formo talem rationem, Illud est solùm ultimus finis & beatitudo, quod perfectè satiat appetitum rationalem hominis & intellectum, sed solus DEUS perfectè satiat appetitum & perficit intellectum, ergo solus DEUS potest esse finis & beatitudo hominis. Probatur min: tum, quia nihil ex enumeratis, tum, quia si non DEUS esset beatitudo nostra, esset quid creatum & finitum, omne autem creatum & finitum caret aliqua bonitate, ergo. Sed in contra

V. Non omnes erunt æqualiter beati.

Arguitur. Si DEUS esset beatitudo nostra objectiva, sequeretur omnes futuros æqualiter beatos, sed hoc videtur inconveniens, cùm Christus doceat, quemlibet recepturum prout gessit in corpore, ergo. Probatur sequela, quia quilibet haberet infinitam beatitudinem, cui nihil addi nec demi potest, ergo. Respond. negando sequelam, cujus probationem distinguo, quilibet haberet infinitam beatitudinem infinitè beatificantem nego, ant: finitè concedo, aut si mavis distingue sic, quilibet habebit infinitam beatitudinem ex objecto, concedo, ex actu, quo attinget illud, nego: quia objectum videbitur liberè secundùm gratiam & merita, ita qui plura habuerit merita majorémque gratiam, quoque majorem habebit beatitudinem, sunt enim, ut ait Salvator, *in domo Patris mansiones multæ*, & alibi dicit, *in mensura dandam esse*. nempe ut ait Gilbertus de Holandia dist: 2. *pro vasculi capacitate infundit & oleum.*

Instatur. Si beati non sunt futuri æqualiter tales, ergo non omnes erunt beati: Probatur consequentia, quia non satiabitur perfectè appetitus eorum. Sed Respond. negando consequentiam, cujus probationem distinguo; non satiabitur perfectè eorum appetitus innatus, transeat, rationalis, nego; neque enim beatitudo dabitur secundùm innatum, sed secundùm elicitum, qui perfectior est, quiq; perfectissimè conformabitur Divinæ voluntati, ita, ut etiam perfectè satietur.

Hinc progredior ad secundam partem quæstionis, an videlicet omnes appetant beatitudinem, & pars affirmativa est certa, non modò Patribus, sed & Philosophis profanis, ut dicit Aristoteles, *Vivere omnes beatè volunt, sed ad providendum quid sit, quod beatam vitam efficit, caligant.* Difficultas tamen est, an liberè vel necessariò velit beatitudinem. Quare

Notandum quæstionem moveri tam de appetitu innato, quàm de appetitu elicito, an videlicet omnes homines appetant esse beati? Et quidem quantum ad innatum, non potest esse tanta difficultas, nam cùm hic aliud non sit quàm inclinatio ipsiusmet animæ, & etiam voluntatis ad suam perfectionem, nulla autem natura potest esse, quin ad suam perfectionem inclinetur, ergo voluntas secundùm appetitum inclinat ad beatitudinem, idque necessariò & intensè, nam si appetit perfectionem quia talis est, beatitudinem summè & intensè appetet, quia summa perfectio est. VI. Appetitu innato quomodo appeti possit beatitudo.

Quantum ad appetitum voluntatis elicitum, qui procedit ex prævia cognitione, existimat D. Thomas 1. 2. q. 10. a. 1. beatitudinem nostram objectivam necessariò à nobis appeti, si ipsa proponatur obscurè & in generali, liberè verò in particulari, si etiam obscurè proponatur; si verò proponatur clarè, tunc necessariò eam appetet, & ad hoc asserendum move- VII. Appetitu elicito quomodo appetatur beatitudo.

movetur duplici ratione, Prima est, quia in ultimo fine & beatitudine obscurè apprehensa non apparet ulla ratio mali, nec ullus boni defectus, imò in ipso est omnis ratio boni, & nulla ratio mali, ergo necessariò omnes debent appetere illam, qui non possunt odisse & nolle. Secunda est ista. Quia sicut se habet principium in speculabilibus, ita se habet finis in operabilibus, sed intellectus necessariò assentitur principiis primis in speculabilibus, ergo etiam voluntas necessariò assentit appetendo in operalibus. Verùm

VIII. Voluntas eodē modo appetit beatitudinem in particulari, ac in universali.

Dico Tertiò. *Si voluntas necessariò appetit beatitudinem in Universali obscurè propositam, etiam necessariò appetit in particulari si etiam obscurè proponantur.* Ita Doctor in 4. d: 49. 10. &c: contra D. Thomam. Et Probatur sic, ideo, ut dicit ratio prima D. Thomæ, Voluntas necessariò appetit beatitudinem in universali obscurè propositam, quia in ea nulla est ratio mali, nec ullus defectus, sed in beatitudine in particulari nulla quoque invenitur ratio mali, nec ullus defectus boni, idque multò magis, quàm in beatitudine Universali, ergo si homines necessariò appetunt beatitudinem in universali, etiam necessariò appetent in particulari: Probatur min: quia quodcunque particulare addit aliquid universali, ita quod totum universale in particulari continetur & adhuc aliquid amplius, ut patet discurrenti per singula genera & species, ergo in beatitudine in particulari nulla esse potest ratio mali, aut defectus boni, cùm in Universali nulla sit, quod tamen in particulari includitur, & consequenter si unam voluntas necessariò appetit, appetet & alteram. Secunda ratio nihil omnino probat, quia disparitas est de Voluntate & Intellectu, quod hic sit potentia naturalis, altera libera, quare finem suum necessariò non debet appetere, unde illa paritas tantùm hoc vult, quod sicut principium movet intellectum ad producendam actualem cognitionem ab eo illatam, ita etiam finis movet ad ponenda media.

IX. Voluntas appetit beatitudinem liberè.

Dico Quartò. *Voluntas nostra liberè appetit beatitudinem nostram, sive in universali, sive in particulari obscurè proponatur.* Probatur Primò. Si voluntas nostra non liberè vellet beatitudinem, sed necessariò, sequeretur, quòd illam vellet intensissimè, sed hoc est contra experientiam, ergo. Probatur maj: quia omne necessariò agens, agit secundùm ultimum suæ potentiæ, ergo aget intensissimè. Probatur consequentia, quia sicuti non est in ejus potestate actio, ita neque est intensio.

Probatur Secundò. Potentia libera per essentiam non magis necessariò tendit in objectum perfectissimum, quàm potentia libera per participationem, sed potentia libera per participationem non necessariò magis tendit in objectum perfectum quàm in aliud, ergo & potentia libera per essentiam, qualis est voluntas: Probatur Minor, quia visus est potentia libera per participationem, quatenus actus ejus subest imperio voluntatis, non tendit magis necessariò in pulcherrimum visibile, quàm in minus pulchrum, ergo. Confirmatur Conclusio, quia voluntas potest suspendere omnem suum actum, ergo.

QUÆSTIO TERTIA.

An Beatitudo Formalis consistat in actu vel in habitu?

I. Quatuor modis illabitur Deus creaturis.

Circa Beatitudinem Formalem prima & singularissima est sententia Henrici de Gandavo quodlib: 13. q.12. qui docet, Beatitudinem formalem hominis, vel etiam Angeli esse quendam illapsum Essentiæ Divinæ in substantiam animæ, eo ferè modo, quo ignis illabitur in ferrum per quandam circumsessionem & particularem unionem; Hinc quatuor modis ajebat DEUM illabi creaturis, *Primò*. Per intimam præsentialitatem, dando cunctis creaturis esse, quibus est intimè præsens per sub-

stantiam

stantiam & essentiam, & hic est illapsus universalis. *Secundò*, illabitur ipsis quando rationali creaturæ adest per gratiam, eam ipsis conferendo, & sic illabitur solis justis. *Tertiò*, per Unionem hyposthaticã, qua ratione DEUS est unitus humanitati assumptæ. *Et quartò* per gloriam, eam Beatis communicando, quomodo solis Beatis illabitur ut objectum beatificans eos per visionem & dilectionem, quas circa DEUM eliciunt habitibus supernaturalibus adjuti, & sic dicit Henricus, quòd DEUS immediatè illabatur in essentiam animæ, & in potentias non nisi mediatè. Verùm

II. Beatitudo formalis non consistit in illapsu.

Dico Primò. *Beatitudo Formalis creaturæ rationalis non consistit in illapsu aliquo essentiæ Divinæ, quo illi illabitur intimè, & præsentialiter*. Ita Doctor 4. d. 49. q. 2. n. 5. D. Bonaventura, & Probatur Primò. Quia illapsus ille, quem Henricus ponit, est omninò inintelligibilis, & inexplicabilis in quo consistat, ergo. Probatur ant: quia inprimis non est sola DEI præsentia, alioquin cùm DEUS omnibus rebus sit intimè præsens, & ab instanti omnibus fuerit præsens, sequeretur quod omnes homines & Angeli etiam mali, defacto sint beati, & fuerint ab instanti creationis, quod tamen falsum est. Deinde non est aliqua unio physica, qualis est inter Verbum Divinum & naturam humanam, alioquin Angeli Beati essent hypostaticè uniti contra D. Paulum ad Hebræos 2. *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Nec est deniq; unio gratiæ, vel luminis gloriæ, quia gratiam habuerunt in via, & tamen Beati non fuerunt; nec luminis gloriæ, quia hæc tantum efficienter concurrit ad beatitudinem, non verò formaliter, ergò beatitudo non consistit in aliquo particulari illapsu essentiæ Divinæ in animam.

III. Non potest fieri beata sine aliqua sui mutatione.

Probatur Conclusio Secundò. Creatura quæcunque intellectualis non potest fieri ex non beata, beata, absque aliqua sui mutatione, sed si consisteret in aliquo illapsu non mutaretur, sed uniformiter se haberet semper, ergò. Probatur min: primò. Quia ille effectus, qui eam mutaret, vel in essentia creaturæ ut distinguitur à potentia, vel esset in ipsa potentia; si in ipsa essentia? sequitur, quod ille effectus habebit se per modum actûs primi, & consequenter non potest in eo consistere beatitudo formalis, quia per nullum actum primum poterat creatura rationalis attingere essentiam Divinam, quia non conjungitur DEO tanquam ultimo perfectivo extrinseco nisi per actum secundum & operationem; Probatur minor principalis secundò, quia nihil propriè mutatur, nisi per aliquod de novo sibi inhærens formaliter, sed quomodocunque essentia Divina illabatur, nunquam est, aut potest esse aliquid creaturæ rationali inhærens, ergò.

Confirmatur. Quia beatitudo formalis perficit formaliter beatum, sed essentia Divina per suum illapsum in naturam intellectualem non perficit formaliter eam, ergo: Probatur Min: quia non illabitur nisi per modum causæ extrinsecæ, ergò.

Probatur Conclusio Tertiò. Beatitudo formalis creaturæ rationalis debet se habere aliqualiter proportionatam ad beatitudinem DEI quâ ille beatus est, atqui DEUS non est beatus per hoc præcisè, quòd sit idem sibi, ergo neque beatitudo formalis creaturæ intellectualis: Probatur min: quia ultra illam identitatem ad se requiritur etiam operatio aliàs DEUS non operans & habens se ut dormiens posset esse beatus, quod contra omnes etiam Philosophos est, ergo & consequenter si in DEO ultra identitatem ad se requiritur operatio ad hoc, ut sit beatus, etiam requiretur in creatura intellectuali ultra illũ illapsum, qui nullatenus cum identitate DEI comparari potest.

Nota tamen, me non velle negare omnem prorsus illapsum Essentiæ Divinæ in creaturam rationalem, sed tantùm Henricianum, quia certũ est, quod DEUS illabatur in potentias animæ & Angeli per modum objecti beatifici, quod operatione sua attingere possunt. Verùm Henricus.

Oppo-

IV. Anima quomodo deificetur.

Opponit authoritatem Sanctorum Patrum docentiũ animam beatitudine Deificari, & transformari in DEUM per amorem, nam secundùm ipsos amor & virtus transformativa amantis in amatum, & secundùm Hugonem amor facit unum amantem cum amato. Sed Respond. ex hoc potiùs inferri, quòd beatitudo consistat in operatione aliqua, & non in illapsu, quia dicunt Patres, quòd amore transformentur, & non aliquo alio. Nihilominus Respond. Secundò Sanctos Patres loqui de transformatione morali, seu ratione amicitiæ, vel ratione operationum animæ, vel denique ratione donorum spiritualium animabus communicatorum, in quo sensu S. Petrus Epist: 1. cap: 2. ait. *Nos fieri consortes Divinæ naturæ*. Et quia Henricus vult, quod per illum illapsum anima citiùs beatificetur, quàm potentiæ ejus, ideo

V. Beatitudo formalis prius afficit potentias, quàm animam.

Dico Secundò. *Beatitudo Formalis creaturæ intellectualis priùs, & immediatiùs afficit potentias ejus, quàm ipsam essentiam.* Ita Doctor Subtilis, supra. Et Probatur: Quia circumscriptâ potentiâ per possibile vel impossibile ab essentia creaturæ intellectualis, ipsa nunquam reciperet beatitudinem, quam tamen reciperet potentia, si essentia creaturæ intellectualis per possibile vel impossibile circumscribatur, ergo immediatiùs afficit potentiam, quàm essentiam; Probatur min: ex mox dicendis, ubi probabo, quòd in operatione consistat, & tunc sic; Illud est immediatum principium susceptivum, quod est ejus immediatum productivum, sed potentiæ immediatè producunt, ergo & recipiunt. Confirmatur, quia gratia immediatè perficit potentiam, ut docet Doctor in 2. d. 26. ergo & gloria à paritate. Attamen in contra

Arguitur. Illud quod immediatè exit à DEO tanquam suo principio efficiente, etiam immediatè ad DEUM reducitur tanquam ad suum ultimum finem, sed essentia immediatiùs exit à DEO, quàm potentia, ergo etiam immediatiùs ad ipsum reducitur perfectissimâ reductione, qualis est beatitudo formalis, quàm reducatur potentia. Sed Respond. neg: maj: quia in creatione hic ordo servatur, cùm omne operari præsupponat esse, in reductione autem esse jam præsuppositum est, ideóque à posteriori potest inchoari reductio, & satis congruè, quia ubi ultimo desiit potentia Creatoris, ibi reincipit gratia Glorificatoris.

Instatur. Si immediatiùs potentiæ creaturæ rationalis beatitudine perficerentur, sequeretur, quòd essentia per accidens esset beata, sed hoc est inconveniens, ergo. Probatur sequela, quia fieret beata mediante potentia, quæ est accidens, ergo. Respond. negando sequelam maj: cum sua probatione quoad secundam partem, quia potentia non est accidens realiter distinctum ab essentia, sed est formalitas ipsi identificata, unde bene potest immediatè recipi in potentia, absque eo, quòd per accidens ipsa essentia beatificetur, quia realiter simul beatificantur, quamvis potentiæ sit immediatum subjectum.

Per hoc solvitur adhuc alia instantia, nempe quod nullum accidens possit subjectari in accidente, nempe potentia, quia hoc falsum est, potentiam esse accidens. Deinde etiam adhuc aliter solvi posset, quia non implicat, quòd unum accidens posset subjectari in alio, quia velox & tardum sunt accidentia, rectitudo & curvitas similiter, & tamen velox & tardum sunt in motu, qui est accidens, rectitudo & curvitas in linea. ergo.

VI. Beatitudo non consistit in habitu aliquo.

Dico Tertiò. *Beatitudo formalis non consistit in habitu aliquo, sed in actu & operatione.* Ita D. Thomas, Scotus. &c.

Probatur Conclusio quoad primam partem Primò. Habitus reperitur in dormientibus, qui tamen beati non sunt, ergo beatitudo non consistit in aliquo habitu. Secundò. Quia ille habitus vel esset Lumen gloriæ, vel gratia sanctificans, vel illapsus, non hoc tertium, ut jam

 proba-

probatum est; neque secundum, quia gratia sanctificans reperitur etiam in Viatoribus, qui tamen beati non sunt; neque etiam primum, quia lumen gloriae non est nisi concausa efficiens beatitudinem.

VII. Sed in actu.

Probatur secunda pars. Primò authoritate, Tum sacrae Scripturae, quae beatitudinem vocat *aeternam vitam*, ita ut Philippus etiam dicat: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Joan: 14. Tum Aristotelis. 1. *Ethi: cap:*8. docentis, *Felicitatem esse operationem optimam*, & *lib:* 10. *cap:* 6. habet pro absurdo, quod non consistat in operatione, reddens rationem, quia aliàs dormiens posset esse beatus. & *cap:* 10. concludit ex eo, quòd omnes suspicati sint Deos esse beatos, eos semper versari in optima operatione.

Probatur secundò ratione. In illo solo debet statui beatitudo formalis creaturae intellectualis, per quod attingit optimum bonum appetibile, eique conjungitur, sed per solum actum secundum & operationem attingit creatura rationalis objectum appetibile summum, ergo in solo actu consistet beatitudo formalis: major patet, quia nihil beatum esse potest nisi habeat illud, quod est summè beatificum & summum appetibile: Probatur min: quia nec essentia nec potentia immediatè attingit illud objectum, neque illi unitur, nisi mediante actu & operatione, ergo. Probatur ant: quia seclusâ essentiâ, & positis solis actibus in potentia creatura rationalis esset beata, secluso quocunque alio, ergo. Confirmatur. Quia beatitudo est ultima perfectio creaturae rationalis amplius non ordinabilis ad aliam perfectionem, sed solus actus est talis, ergo. Probatur min: quia reliqua se habent per modum potentiae & principii effectivi, adeóque ordinantur adhuc ad aliud, nempe ad ipsum effectum. Sed in contra

VIII. Habitus in ratione permanentiae est perfectior actu.

Arguitur. Beatitudo formalis creaturae rationalis debet esse ultima & maxima perfectio ejus, sed actus non est ultima perfectio ejus & maxima, ergo. Probatur mi. Quia habitus est multò perfectior ipso actu, tum quia est quid permanens, tū quia est causa ejus, ergo in actu non poterit consistere beatitudo formalis. Sed Respond: Negando min: ad primam probationem dico, eam nihil concludere, nam licet in genere permanentis habitus sit perfectior actu, in alio tamen est imperfectior, ex eo, quòd non sit vitalis sicut actus, nec objectum immediatè attingat, sicut in simili materiam dicimus esse durabiliorem, quàm forma sit, ex eo tamen non sequitur, quod simpliciter sit eâ perfectior. Ad secundam Respondeo, habitū non esse causam totalem actûs, sed partialem tantùm & aequivocam; Itaque actus simpliciter dicendus est magis perfectus, quia immediatè attingit vitaliter objectum. At

Instatur. Creatura rationalis non attingit immediatè objectum beatificum per actum suum, ergo non est ultima perfectio; probatur ant: Quia mediat adhuc relatio conjunctionis ad objectum, sine qua nequit esse beata, aut si potest esse actus sine illa conjunctione, tunc poterit esse beata absque eo, quod conjungatur ipsi. Respond: negando ant: cujus probationis ant: distinguo, mediat relatio conjunctionis tanquam ratio denominans per actum vitalem conjungi potentiam cum objecto, con: ant: tanquam ratio formalis conjungens, neg: ant: Itaque conjungi potentiam cum objecto per actum dupliciter intelligi potest, formaliter, & fundamentaliter, si primo modo accipiatur, non consistit in ea beatitudo, benè tamen si secundo modo, quia actus vitalis de se est qualitas absoluta, connotans tantùm relationem ad objectum, quae ipsi identificatur, adeóque ubicunque actus est, semper est etiam relatio, quam actus secundariò importat.

Notandum tamen est pro majori intelligentia conclusionis, quòd non excludam à beatitudine formali omnem habitum, sed tantùm quod in eo non consistat, quia habitus defa-

defacto concurrit, qui dicitur lumen gloriæ, sed non nisi ut principium effectivum beatitudinis, quæ est ipsa formalis adeptio & consecutio summi boni appetibilis.

IX. **Operatio, in qua consistit beatitudo, est quid creatum.**

Dico Quarto. *Operatio, in qua consistit beatitudo nostra formalis est quid creatum de genere accidentis inhærens cuique beato.* Hæc est contra quosdam Parisienses, qui putarunt, ipsum actum Divinum intellectûs & voluntatis esse nostram beatitudinem formalem.

Probatur Primò. Quia non est aliquid increatum, ergo creatum. Probatur ant: quia seclusâ unione hypostaticâ implicat quod per actum Divini intellectûs & voluntatis mens nostra sit beata, sed inter intellectum nostrum & visionem increatam non est talis unio, ergo visio nostra & beatitudo non est quid increatum.

Probatur Secundò. Quia beatitudo formalis debet inesse nobis tanquam aliquid intrinsecum, quod à nobis procedat, nobisque inhæreat per modum formæ & perfectionis informantis creaturam intellectualem, sed actus Divini intellectûs & voluntatis non est à creatura rationali elicitus, nec informat eam, nec aliquo magis speciali modo unitus, quàm sit damnatis, cùm illis æque adsit per præsentiam, essentiam, & potentiam, ergo non potest esse aliquid increatum, quia deberet esse actus Divini intellectûs & Voluntatis.

Probatur Tertiò. Beati inæqualiter vident & amant DEUM, ergo visio & fruitio est quid creatum: Probatur consequentia; quia si esset quid increatum, non inæqualiter viderent & amarent DEUM, ergo: Probatur ant: Quia non potest concipi, quomodo plures intellectus videntes per visionem ejusdem rationis inæqualiter viderent, ergo. Confirmatur. Quia hinc sequeretur, quod Beati comprehenderent DEUM, quia qui videt per visionem increatam, comprehendit DEUM, beati sic viderent, ergo: Major est certa, quia visio increata est comprehensiva. Sed in contra.

Arguitur. Verbum increatum defacto unitur naturæ humanæ, & reddit ipsam personatam formaliter, ergo etiam visio increata potest uniri intellectui, & facere ipsam intelligentem formaliter. Respond. Negando consequentiam, disparitas est, quia ex unione Verbi cum natura humana nullum sequitur inconveniens, benè tamen ex unione visionis increatæ cum intellectu creato, quia DEUM comprehenderet, & sicuti hæc communicari posset, posset etiam quæcunque alia perfectio. Deinde subsistentia Verbi tantùm afficit humanitatem per modum termini reddens eam subsistentem, intellectio autem seu visio constitueret naturam creatam videntem non per modum termini extrinseci, sed per modum formæ & vitalis operationis.

Instatur. Essentia Divina potest supplere juxtà multos defectum speciei intelligibilis, ergo & intellectio & volitio increata poterunt supplere vices actûs creati. Respond. negando consequentiam: quia suppletio specierum ab Essentia Divina fit efficienter, quod causa prima præstare potest, suppletio autem actuum esset formalis, DEUS autem nequit supplere defectum causæ formalis, vel ejus fungi officio.

Arguitur Secundò. Nullus creatus actus est infinitus, sed visio beata debet esse infinita, cùm repræsentet objectum infinitum, ergo visio beata non erit quid creatum: probatur min: quia inter actum & objectum debet esse proportio, ergo. Respond. primò negando min: ad cujus probationem dico, non debere esse aliam proportionem, quàm repræsentati & repræsentantis. Respond: distinguendo minorem: beatitudo debet esse infinita extrinsecè, id est repræsentans objectum infinitum con: min: intrinsecè & entitativè, nego min: & consequentiam.

QUÆSTIO QUARTA.

An Beatitudo in uno vel pluribus actibus consistat?

Ostendi superiùs Beatitudinem in nullo habitu consistere, nec in illapsu DEI in creaturam intellectualem, sed in operatione, seu in aliquo actu, nunc examinandum venit, an unus tantùm, & quisnam sit ille actus, per quem homo, & quæcunque creatura rationalis beatificatur? Unde.

I. Beatitudo formalis considerari potest vel prout potentiam respicit, vel ipsam Naturam.

Notandum Primò. Quod beatitudo formalis primò dupliciter considerari potest, nempè secundùm se, & secundùm rationem potentiæ; secundùm se tunc spectatur, quando est illud, per quod ultimatè & immediatè perfectissimè natura intellectualis attingit objectum beatificum; secundùm rationem potentiæ, quando habet rationem perfectionis ultimatæ & immediatæ, per quam est potentia beatificabilis, & in hac acceptione nulla est controversia, certum enim est, quòd beatitudo intellectûs in unica operatione consistat, nempè visione, & beatitudo voluntatis in unico actu volitionis, quare quæstio est de beatitudine secundùm se, seu totius naturæ beatificabilis, an in unica operatione, & unico actu consistat, qui sit complementum omnium in benè essendo, quique ultimatè & immediatè attingat objectum beatificum. Verùm

II. Imediatio est duplex, attingentiæ, & attingentiæ & perfectionis simul.

Notandum Secundò. Immediationem, quantum huc spectat, duplicem esse, unam *attingentiæ*, alteram *attingentiæ & perfectionis simul*: *Prima* est, quæ excludit medium ejusdem rationis, ut aliam potentiam, aliam operationem, & aliud objectum, quod sit ratio attingendi, quare si potentia per suam operationem absque ullo modo attingit objectum beatificum, dicitur illud attingere immediatè immediatione simplicis attingentiæ: *Secunda* est, quæ objectum beatificum non modò absque ullo medio attingit objectum beatificum sicut prior, sed insuper requirit, ut ità perfectè attingat, ut nulla operatio ei possit æquare, unde non excludit tantùm medium ejusdem rationis, sed etiam alterius. Primâ immediatione, in patria tam intellectus, quàm voluntas immediatè attingunt objectum beatificum, quia neutra est media respectu alterius in ratione potentiæ, operationis vel objecti, licèt una sit prior quàm altera, immediatione verò secundo modo attingit sola voluntas.

Notandum Tertiò. Beatitudinem Formalem iterum aliam esse *Extensivam*, aliam *Intensivam*; *Extensiva* est, quæ amplectitur, & sub se continet omnes operationes potentiarum ejusdem naturæ, quæ sunt beatificabiles, & sic homo non est ultimatè & completè beatus sine reunione ad corpus, quia animæ aliquis appetitus inest ad corpus tanquam ad proprium perfectibile. *Beatitudo intensiva* est, quæ in perfectissima omnium actuum operatione consistit. His notatis circa materiam & quæstionem præsentem duplex est sententia, *Prima* est Richardi 4. d. 49. q. 6. qui ponit beatitudinem in pluribus operationibus. *Altera* est D. Thomæ & Scoti hic, qui asserunt in una tantùm operatione positam esse, qui tamen iterum inter se discrepant, nam D. Thomas ponit eam in operatione Intellectûs, Scotus verò in operatione voluntatis. Interim III. Beatitudo alia est intensiva, alia extensiva.

Dico Primò. *Beatitudo totalis & extensiva creaturæ rationalis consistit in duplici operatione, nempe intellectûs & voluntatis.* Probatur Primò. Ex authoritate Sacræ Scripturæ, quæ nonnunquam beatitudinem tribuit intellectui, ut, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* Joan: 17. *Videbimus eum sicuti est.* Epist: 1. Joa: 3. *Angeli eorum semper vident faciem Patris:* Matth. 18. Nonnunquam voluntati, ut Psalmo 35. *torrente voluptatis potabis eos.* & alibi sæpè. IV. Beatitudo extensiva consistit in duplici operatione.

Probatur Secundò. Authoritate SS. Patrum, Augustini in libro Soliloquiorum ad DEUM cap: 36. ubi dicit:

dicit: *Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus, cognoscere sicut & cognitus sum; cognoscere veritatem tuam & gloriam tuam, hoc est cognoscere faciem tuam? Cognoscere Patris potentiam; Filii Sapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam & individuam essentiam. Videre enim faciem DEI vivi, hoc est summum bonum, gaudium Angelorum atque omnium Sanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum & externum gaudium, paradisus DEI, Hierusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax DEI, quæ superat omnem sensum. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem DEI sui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, & qui glorificavit eum, videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi Sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio felicitatis eorum, ipse præmium & merces expectationis.*

D. Bernardi in Serm: de convers: ad Clericos cap: 25. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Magna promissio fratres mei, & totis desideriis affectanda, hæc enim visio confirmatio est, sicut Joannes Apostolus ait: Nunc filii DEI sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Hæc visio vita æterna est, sicut ipsa in Evangelio veritas ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum. Odibilis macula, quæ beatam nobis adimit visionem, & execrabilis negligentia, qua dissimulamus interim illius oculi mundationem. Ut enim corporeus nobis visus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur: sic & intuitus spiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebra, interdum curiositate secularì & ambitione turbatur.* Et in fine: *Beati ergò mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Nunc quidem per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, ubi nimirum faciei nostræ fuerit consummata munditiès, ut sibi eam exhibeat gloriosam non habentem maculam neque rugam* epist: 18. ubi sic ait: *Si enim adhuc absentes initiat fides & desiderium, præsentes profectò consummat intellectus & amor; sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. Sed quando hæc erunt? quando videbimus eum sicuti est? quando amabimus eum, prout est?* Confirmatur ex Extravag. Benedicti 12. quæ incipit: *Benedictus DEUS*, in qua definitur, quòd anima visione & fruitione verè fit beata.

Probatur Conclusio Tertiò ratione. Beatitudo totalis & extensiva debet esse quietativa & satiativa omnium potentiarum beatificabilium, sed in creatura rationali duplex est potentia beatificabilis, ergo in duplici operatione consistit: Probatur minor: quia duplex est potentia, quæ potest attingere immediatè & ultimatè objectivum summè appetibile & beatificativum, ergo duplex est potentia beatificabilis. Sed

Dico Secundò. *Beatitudo intensiva, quæ dicit operationem perfectam utroque modo immediationis attingentem objectum, consistit in una sola operatione.* Hæc est Scoti. supra contra Richardum, & D. Bonaventuram. — V. Beatitudo intensiva consistit in una sola operatione.

Probatur Primò. Quia in creatura intellectuali non est nisi unica potentia perfectissimè & immediatè utroque modo attingens objectum, ergo etiam non consistit nisi in unica operatione.

Probatur Secundò. Beatitudo debet esse summum & perfectissimum bonum, ergo in solo unico actu consistet: Probatur consequentia; quia non possunt esse duo actus perfectissimi, ergo: Probatur ant: non sunt duæ potentiæ perfectissimæ, ergo nec duo actus; Probatur consequentia, quia sicut potentiæ specie vel quasi specie differunt, ità etiam

etiam actus, sed duo specie differentia non sunt æqualiter perfecta, ergo: Probatur minor, quia duo numeri non sunt æqualiter perfecti, ergo nec duæ species, quæ se sicuti numeri habent, teste Aristotele. Sed in contra.

Arguitur Primò. Quando ad perfectionem alicujus in actu primo requiruntur aliqua plura ad perfectionem ejusdem in actu secundo requiruntur etiam plura, actibus primis proportionata, sed ad perfectionem creaturæ rationalis in actu primo requiruntur intellectus & voluntas, ergo beatitudo requirit etiam duplicem actum; maj: patet: quia natura non potest esse perfectè quietata nisi etiam quodlibet pertinens per se ad ejus perfectionem naturalem quietetur: minor est certa: consequentia sequitur, quia beatitudo est perfectio quietativa perfectè & ultimatè naturæ rationalis. Respond. concedendo totum argumentum, quia nihil probat de beatitudine intensiva, sed tantum de extensiva, quam supra dixi involvere utrumq; actum, quare licèt utraque potentia quietari debet, non tamen debet nec potest utraque perfectissimo actu attingente immediatè utroque modo objectum beatificum.

VI. Per visionē non distinguitur beatus à non beato tanquam per principalē rationem.

Arguitur Secundò. Beatitudo consistit in eo, per quod beatus distinguitur per se à non beato, sed non distinguitur solâ fruitione, nec solâ visione, sed utraque, ergo in utraq; consistet æqualiter: Probatur min: quia sine altera harum non esset beatus, ergo: Probatur ant: quia si frueretur sine visione, adhuc per fidem ambularet, & sic esset Viator, & si videret sine fruitione, esset in spe, & sic quoq; Viator, ergo. Respond. negando min: pro prima parte, quia per visionem non distinguitur beatus à non beato, tanquam per rationem magis principalem constituentem illum talem, sed tanquam per conditionem sine qua non, actus enim voluntatis, in quo est formalis beatitudo, præsupponit actum intellectûs, unde dicitur in visione præsuppositivè esse beatitudinem, in fruitione formaliter & essentialiter. Quod si possibilis esset actus fruitionis sine visione, in eo adhuc consisteret formalis & principalis beatitudo intensiva, non tamen in actu visionis sine fruitione, & tunc si fruitio non repugnet fidei, posset esse essentialiter beatus & adhuc esse in fide, quia esse in fide non est nisi esse Viatorem & non beatum secundùm quid & accidentaliter.

Dico Tertiò. *Beatitudo formalis intensiva consistit in operatione Voluntatis.* Ita Doctor subtilis contra D. Thomam, & — VII. Beatitudo formalis consistit principaliter in actu Voluntatis.

Probatur Primò. Quia beatitudo formalis debet consistere in perfectissimâ operatione, quam creatura rationalis habere potest, sed operatio voluntatis est perfectissima, ergo: Major patet: Probatur minor, quia ipsa voluntas est perfectissima potentia, ergo etiam operatio erit perfectissima: Probatur ant: Tum, Quia est libera imperans intellectui; Tum, quia habet perfectissimos habitus, nempe charitatem, de qua dicit. 1. Corinth: 13. Apost: *Major autem horum est charitas.* Et expressè D. Augustinus docet 15. Trinit. 19. *In donis DEI nullum est majus donum charitate, nec æquale.*

Dices. Charitas est communis Viatoribus & Beatis, ergo non erit perfectissima, sed potius lumen gloriæ, quod solis Beatis datur, ergo ex hoc nihil probatur. Respond. negando ant: pro altera parte, nam licèt charitas sit communis Beatis & Viatoribus, ex hoc tamen inferri non potest lumen gloriæ esse excellentius, quia potest aliquod donum Beatis proprium minus esse perfectum, quàm donum Viatoris, certum enim est, quod cognitio rerum creaturarum in verbo minus perfecta sit quàm charitas, & dotes corporis gloriosi esse minus perfecta accidentia, quàm sint habitus virtutum naturalium.

Probatur Conclusio Secundò. Actus, in quo Beatitudo formalis consi-

consistit, non debet ordinari ad alium actum, sed actus intellectûs ordinatur ad actum dilectionis, ergo in illo non consistet, si non in illo, ergo in actu voluntatis. Major probatur ex D. Anselmo *lib: 2. Cur DEUS homo. cap: 1.* ubi sic ait: *Perversus ordo est amare ut intelligas, rectissimus verò intelligere ut ames*, ergo.

Probatur Tertiò. Beatitudo formalis consistit in operatione, per quam maximè creatura intellectualis unitur summo bono, sed per operationem voluntatis quàm maximè unitur DEO summo bono, ergo: Probatur minor, quia per operationem voluntatis objectio unitur immediatè non solùm immediatione attingentiæ, sed etiam perfectionis, ergo. Sed pro D. Thoma.

VIII. Fides dicitur etiam vita æterna. Opponitur. Contra Conclusionem Authoritas Sacræ Scripturæ Joa: 14. & 17. ubi in primo dicit Philippus ad Christum, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et in secundo Christus ipse ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* &c: sed tam ostensio, quàm cognitio ad intellectum pertinet, ergo. Respond. In utroque loco non esse sermonem de beatitudine formali, sed de ostensione & cognitione per fidem, quod signanter in primo ex contextu patet, nam Philippo respondet Christus sic: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*; Non videbant autem Christum visione beatifica, sed tantum per fidem, ideoq; ulterius subjungit; *non credis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Itaque petebant Apostoli informari de mysterio Trinitatis, ut nempe ita possint cognoscere Patrem & credere in eum, sicut credebant in Christum. In secundo autem loco vocatur fides vita æterna, quia ducit ad vitam æternam, sicut beatitudines Evangelicæ sic vocantur, quia ad beatitudinem finalē ducunt: Et dato, quod esset ibi sermo de vita æterna seu beata, ex hoc tamen non liceret inferri, quòd beatitudo intensiva consistat in visione, sed ad summum quod etiam partialiter in ea consistat beatitudo, si sumatur pro aggregato omnium bonorum. Sed

Instatur. Ex authoritate D. Augustini. 1. Trinit: cap: penult: & in Psal: 90. Serm: 2. ubi ait, quod *Visio sit tota merces*, ergo non tantùm de visione per fidem, sed de visione beatifica sermo est. Respond: Augustinum aliud non velle, quàm quod visio sit tota merces intellectûs, non verò quod sit tota merces naturæ intellectualis, aut quod tota visio sit merces, & non tota merces visio, & hoc necessarium est ut dicatur, nisi contradictionis arguere velimus eum, qui clarè beatitudinem in fruitione statuit, ut infra citabo. Per hæc patet, quomodo plures aliæ authoritates Patrum solvi possint, loquuntur enim omnes de beatitudine partiali. Verùm IX. Visio est sola merces Intellectûs.

Arguitur, in contra etiam ex ratione. In ea operatione præcisè consistere debet beatitudo formalis, quæ immediatè, & per se primò attingit objectum beatificum, sed visio sola sic attingit, ergo in sola visione consistere debet. Maj: patet, Probatur minor: quia visio non habet objectum mediante aliâ potentiâ, ergo. Probatur consequentia, nequit voluntas habere & attingere immediatè suum objectum, quia ille actus vel est desiderii, vel delectationis, neutro attingere potest, quia desiderium fertur in absens, & delectatio præsupponit objectum possessum. Respond. negando min: & consequentiam probationis, cum ejusdem probatione antecedente, nam licèt verum sit, quòd voluntas non attingat objectum per actum desiderii, attingit tamen per actum amoris, actus enim desiderii in patria cessat, cui succedit actus amoris, sicut cessat actus fidei, & succedit actus visionis.

Instatur. Voluntas non habet alium actum præter desiderium & delectationem, ergo si non assequitur eum desiderio ut dicebam, nec etiam delectatione, quæ assecutionem præsupponit, nullo modo poterit assequi objectum beatificum: X. Voluntas habet actû desiderii, & dilectionis.

 Proba-

Probatur ant: Voluntas est potentia appetitiva, sed potentiæ appetitivæ non habent nisi actum respectu rei absentis vel præsentis, respectu absentis est desiderium, respectu præsentis est delectatio, ergo. Probatur minor de appetitu naturali & animali, nam grave si in centro non est, desiderat illud; si est, delectatur & quietatur in illo, item animal si cibum non habet, appetit; si habet, delectatur in illo, nec alium actum elicit, ergo. Respond. negando ant: & distinguo minorem probationis, aliquæ, transeat, omnes, nego: Quia licèt verum sit, quod aliæ potentiæ appetitivæ vix habeant plures actus, habet tamen plures voluntas, quia hæc potest habere tot actus, & ibi semper, ubi potest habere intellectus, unde si intellectus potest habere circa aliquod objectum actum intelligendi, etiam voluntas poterit habere actum volendi, si objectum sit volibile, aut actum nolendi, si objectum sit nolibile, & sic quia intellectus circa DEUM habet actum intelligendi, etiam voluntas poterit habere actum diligendi, cùm sit summè volibilis, nam ut Augustinus ait 9. de Trinit: cap: ult: *hæ duæ potentiæ sunt mutuò se se concupiscentes.*

XI. Voluntas potest habere plures actus circa objectum.

Deinde, si voluntas non potest circa objectum præsens habere aliquem actum in patria, vilificaretur ibi magis, quàm in via, ubi circa objectum imperfectè cognitum & propositum poterat habere actum desiderii & dilectionis, quam etiam particulariter Salvator noster præcipit dicens: *Hoc est præceptum meum*, cùm autem in patria vilificari non debeat, quantò magis poterit habere ibi actum cùm non amplius obscurè & imperfectè objectum proponatur, sed clarè & distinctissimè. Denique voluntas non est minùs potens respectu objecti præsentis quàm absentis, sed absens potest diligere actu amoris & non tantùm desiderii, ergo etiam objectum præsens. Itaque voluntas circa objectum quodcunque potest habere duplicem actum volendi, unum velle est

XII. Velle aliud est concupiscentiæ, aliud amicitiæ.

concupiscentiæ, alterum amicitiæ; primum est, quando quis sibi aliquid appetit & concupiscit tanquam conveniens, fitque semper secundùm affectionem commodi. Secundum verò est frui re, seu inhærere alicui propter se, vel propter ipsum amatum, fitque secundùm affectionem justitiæ, secundùm quam voluntas est moderativa & regulativa sui ipsius, quatenus in proprium commodum tendit, ut illud appetat secundùm rationem, & sicut, vel prout ipsa ratio dictaverit, & secundùm hanc affectionem voluntas semper rectè appetit.

Arguitur Secundò. In illo debet poni consistere beatitudinem formalem, quod à creatura intellectuali est magis appetibile, sed visio beata est magis appetibilis, ergo: probatur min: tum quia est utilior homini, utpote cùm summam adferat voluptatem, tum quia gloriosiùs est DEO, quod perfectè cognoscatur, quàm quod ametur, ergo. Respond. negando min: licèt enim visio esset utilior quantum ad voluptatem, non est tamen melior, honoratior, & dignior, honoratiùs enim est amare amicum, quàm ab eo accipere utilitatem. Deinde ad alteram probationem min: dico, quòd licèt fortè gloriosiùs sit DEO videri, quàm amari, non est tamen optabilius. Et certè si hæc probatio aliquid valeret, sequeretur etiam, quod esset meliùs DÈUM cognosere in via, quàm amare, contra Apostolum.

XIII. Visio potest dici utilior fruitione.

Instatur. Si melior & utilior est visio qnàm fruitio, ergo in ea debet absolutè poni beatitudo: Probatur consequentia, quia ideò miseria damnatorum ponitur in majori pœna & afflictione, quia pœna damni & sensûs summum est, quod affligere potest, ergo si visio utilior est, melior, majoremque delectationem adfert, à contrario in ea debet poni beatitudo. Respond. negando consequentiam, ad cujus probationem dico, quòd fortè odium DEI, quod damnati habent, magis affligat eos, quàm aliæ pœnæ: quidquid tamen sit, Respon-

spondeo secundò negando probationis consequentiam, disparitas est, quia damnati nihil pejus habent poenis, unde ipsae sunt principalis eorum miseria, beati autem habent optabilius aliquid voluptate nempè amorem, in quo proinde debet dici quod consistat eorum beatitudo formalis. Itaque.

XIV. Beatitudo consistit in actu amicitiae, qui fruitio dicitur. Dico Quartò. *Beatitudo consistit in velle, & actu amoris amicitiae circa DEUM clarè visum, qui actus fruitio dicitur, eò quòd DEO adhaereamus propter seipsum visum, & amatum.* Ita Doctor 4. dist: 49. q. 1. &

Probatur Primò Authoritate Sanctorum Patrum. Augustini lib. de beata vita, ubi in fine sic concludit, *DEUM habet igitur, quisquis beatus est* &c. - - - *Hoc est animis DEUM habere*, id est, *DEO frui: Caetera enim quamvis à DEO habeantur, non habent DEUM.* lib. 2. de ordine. Provid: div: cap: 7. *DEUM habere jam inter nos placuit aliud non esse, quàm DEO perfrui.* lib: 1. de Trin: cap: 8. *Hoc est plenum gaudium nostrum, quo amplius non est frui scilicet Trinitate DEO.* lib: 8. de Civit: cap: 9. *quisquis fruitur eo, quod amat, verumque & summum bonum amat, quis eum beatum, nisi miserrimus negat?* Et denique lib: 1. de Doctrina Christ: cap: 32. *Haec autem merces summa est, ut eo perfruamur, & omnes, qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur.* Unde licèt in libris Retractationum videatur contrarium dicere, nihilominus aliud non vult, quàm quod visio beata etiam sit necessaria ad aeternam felicitatem, quod non nego. Addo etiam Bernardum vel Authorem libri de modo benè vivendi ad sororem cap: 12. ubi sic habetur: *Summum bonum amare, summa est beatitudo.*

Probatur Conclusio secundò ratione. Quia aliud melius non est assignabile ex omnibus actibus voluntatis, ergo ex suppositione, quòd in actu voluntatis consistat hic erit fruitio: Probatur ant: nam in primis non potest esse actus nolendi, quia hic versatur immediatè circa malum, DEUS autem summè bonus, & consequenter summè volibilis & nullatenus nolibilis. Nec potest esse actus concupiscentiae, quia amor amicitiae est perfectior amore concupiscentiae, quia amor amicitiae tendit in bonum amati, amor verò concupiscentiae in bonum amantis, melior autem est amor, qui tendit in bonum amati, quàm qui tendit in bonum amantis, unde nec in desiderio, quia in hoc consistit spes, nec in tentione, quia haec desiderio & spei succedit, estque actus concupiscentiae. Denique non potest etiam consistere in delectatione, quia haec non est operatio, sed passio operationem sequens, ergo in nullo quàm in actu amoris amicitiae, &c.

Dices. Hinc sequeretur, quod aliquis in via posset esse beatus, quod videtur inconveniens; probatur sequela, quia habet Viator fruitionem DEI in via tam benè ac in patria, eamque ejusdem speciei, cùm habeat eadem principia, idem objectum sicut in patria, ergo. Respond: negando sequelam, cùm sua probatione, quia fruitio viae & patriae omninò specie differunt, licèt habeant eadem principia, propter diversum modum applicandi objectum fruibile, quia in via proponitur per fidem, in patria per visionem, quam diversitatem applicationis sufficere ad diversitatem specificam actûs, patet in assensu dialectico & demonstrativo, etiam circa idem objectum, qui assensus differunt specie, quia unus habet medium probabile, alter necessarium, item actus visionis, & fidei differunt specie ob diversam applicationem, nempe ob revelationem, & praesentialitatem primae veritatis. Denique cognitio abstractiva & intuitiva differunt specie, licèt habeant idem objectum, ex sola diversitate proponendi. Iterum, omnia illa specie differunt, quae habent diversas specie causas, fruitio autem viae & patriae habent diversas causas, nam ad unam concurrit fides, ad alteram visio.

XV. Actus dilectionis in via & in Patria quomodo differat.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum gaudium & delectatio sit de essentia Beatitudinis?

I. Delectatio non est aliqua operatio.

Quæstionem hanc tractat Subtilis 4. d. 49. q. 7. quare pro resolutione quæstionis Notandum, delectationem & gaudium nullam esse operationem, sed hanc sequi sicut pulchritudo sequitur Juvenem, & sic potest operatio esse absque delectatione tanquam posteriori juxta vulgatum Scoti, omne absolutum prius alio potest esse sine posteriori absque repugnantia. Notandum secundò. Quod licet delectatio & gaudium sit quid posterius, & magis ultimum operatione, non esse tamen quid optimum, quia sola operatio habet rationem optimi, propter hanc enim est delectatio & gaudium, unde dicit Aristoteles, quòd multa ad finem appeteremus, licèt delectationem nullam haberemus. His notatis ad primum quod quæritur

II. Delectatio non est de essentia beatitudinis.

Dico Primò. *Delectatio non est de essentia Beatitudinis, eam tamen ut proprietas concomitatur, & hinc solet vocari essentiale gaudium.* Ita Doctor supra q. 7.

Probatur prima Pars. Quia beatitudo formalis debet consistere in operatione, eâque perfectissimâ & immediatè attingente objectum, sed delectatio nulla est operatio, sed tantùm passio subsequens operationem, ergò delectatio non potest esse de essentia beatitudinis; maj. est certa ex antedictis, Probatur min. Tum quia si esset operatio, esset in potestate voluntatis, ùt ponatur vel non ponatur, quod tamen falsum est, quia solo posito actu amoris sequitur delectatio. Tum, si esset aliqua operatio, esset fortè amor boni præsentis, quod etiam non est, nam fieri potest, ut quis amet & tamen non delectetur, ut patet in damnatis. Tum denique, si esset aliqua operatio, oppositum delectationis, nempe tristitia, deberet etiam esse operatio, sed tristitia non est, ergo nec delectatio: Probatur min: quia tristitia, si operatio esset, non posset alia esse, quàm nolitio mali præsentis, sed hæc non est, ergo. major patet, Probatur minor, quia DEUS & Beati habent intensissimum actum nolendi circa mala culpæ, & tamen non habent tristitiam, ergo: Nec refert, si dicas, ideò DEUM & Beatos non tristari, quia nullum malum illis nocet, quod est causa tristandi: Non refert, inquam, quia tristitia est, & solet esse etiam de malis aliorum. Sed

III. Delectatio non producitur à voluntate, sed sequitur ad actum.

Dices. Si delectatio & tristitia non efficiuntur à voluntate, non est assignabilis aliqua alia causa, ergo ab ipsa efficienter producuntur. Respond: tristitiam & delectationem immediatè causari ab actu voluntatis, nam sicut actus voluntatis potest producere habitum in voluntate etiam nolente ipsa, ita etiam potest efficere delectationem tanquam impulsum transeuntem, cùm se habeat habitus tanquam impulsus permanens. Deinde patet ulterius, quia has passiones non potest producere actus intellectûs, ergo voluntatis, nam delectatio est in voluntate ipsique propria, ergo ab actu intellectûs produci non poterit, nam sicut una potentia non producit actum alterius potentiæ, ita etiam unus actus unius potentiæ non poterit producere passionem alterius potentiæ.

Instabis. Scotus *in 3. d. 15. q. un.* dicit in apprehensione sequi tristitiam. Ast respondeo, Scotum velle tantùm quod apprehensio sit conditio sine qua non, nam si objectum non cognoscatur, non poterit voluntas ferri in illud actu nolitionis, & sic nec causabit tristitiam. Eodem modo intelligi debet, quando ibidem dicit objectum causare tristitiam, nam hoc vel verum est tantùm de causatione objectiva, vel quod necessarium sit objectum. quod sit disconveniens, ut causetur in voluntate tristitia.

Probatur secunda Pars. Ex Sacra Scriptura Psal: 15. *Adimplebis me Lætitia cum vultu tuo, delectationes in dex-*

Digitized by Google

in dextera tua usque in finem. Prov: 10. *Expectatio Justorum lætitia.* Confirmaturq; ex ratione, quia ex bono præsenti & amato connaturaliter solet sequi delectatio & gaudium, ergo maxima lætitia & gaudium ex bono infinito amato & præsente. Sed contra primam partem

Opponitur Authoritas D. Augustini lib: 83. qq. q. 30. ubi ait: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem.* 1. Trinit: cap: 10. *Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est. frui Trinitate.* Respond: Hæc & similia loca causaliter intelligenda esse, scilicet quod beatitudo causet summam delectationem & gaudium, non verò quod in ipso consistat.

IV. Delectatio est ultimũ bonum, sed non optimum.

Arguitur. Etiam ex ratione. Beatitudo est ultimum bonum ipsius beati, sed delectatio est ultimum bonum, ergo beatitudo est delectatio. Sed Respond: dist: maj: est ultimum & optimum bonum. con: maj: est ultimum tantùm bonum. nego maj: Itaque ut etiam docet Aristoteles 2. phys: finis non est quodcunque bonum, sed optimum & ultimum, quia igitur beatitudo est finis intrinsecus creaturæ intellectualis, debet esse ultimum & optimum bonum, & tale est operatio voluntatis.

Instatur. Quæcunque sunt posteriora generatione, sunt priora perfectione, sed delectatio est posterior operatione, ergo eâ perfectior. Respond: distinguendo maj. Si sint ejusdem rationis, ordinis, & generis con: maj: si sint alterius ordinis vel generis, nego maj: & consequentiam: Quia licèt verum sit, quod inter plures formas substantiales, quæ posterior est, perfectior est, attamen hoc non currit inter formas substantiales & accidentales, hæ enim sunt posteriores illis, nunquam tamen perfectiores, sic etiam gaudium est posterius operatione, hæc tamen est quid vitale, adeoque alterius ordinis & rationis à gaudio, quod non est nisi passio.

Urgetur. Major est perfectio beatitudinis, si gaudium esset de essentia beatitudinis, ergo cùm sit posterior operatione, dicendũ est quod in ipso consistat. Probatur consequentia, quia beatitudo est maxima perfectio ipsius beati, ergò. Respond. negando consequentiam, quia est argumentatio ab impossibili, & sic nihil sequitur, quod sit; sicut non sequitur, quòd si sapientia esset de essentia hominis, homo esset perfectior, quod de facto sit de ejus essentia, cùm igitur gaudium sit passio beatitudinem sequens, nunquam poterit esse de essentia beatitudinis.

V. Tristitia est gaudiũ non habens eandem rationem oppositam.

Arguitur Secundò. Sicut se habet pœna ad gaudium, sic tristitia ad præmium, ergo permutando, sicut se habet pœna ad tristitiam, sic præmium ad gaudium, sed pœna est essentialiter tristitia, ergo præmium est essentialiter gaudium, ergo gaudium est beatitudo. Respond: negando maj: quia pœna & tristitia in natura intellectuali sunt idem, non verò præmium & gaudium, quæ realiter distinguntur, cùm præmium sit operatio & gaudium passio eam sequens, & sic in majori fit mala comparatio pœnæ ad gaudium, & tristitiæ ad præmium.

Instatur. Miseria est essentialiter pœna, ergo Beatitudo est essentialiter gaudium. Respond: negando ant: potiùs enim miseria dicenda est culpa, propter quam infligitur pœna.

Arguitur Tertiò. Sine gaudio beatus non satiaretur, & sic non esset beatus, ergo de essentia beatitudinis est gaudium. Respond: negando ant: Quia licèt non haberet illam delectationem adhuc satiaretur, quia haberet amorem DEI, ut est in se, & voluntate Divina summam conformitatem, unde non consentiret ullam molestiam ex absentia illius gaudii.

Instatur. Implicat contradictionem, quòd quis clarè videat DEUM, & non delectetur in ipso, ergo. Respond: negando ant: quia cùm visio & fruitio sint absoluta, priora gaudio esse possunt sine illo, ut notatum est supra.

VI. Gaudium erit de operari.

Dico Secundò. *Gaudium non erit solùm de objecto, sed etiam de actu & operatione.* Probatur. Quia finis objectivus & formalis se habent per modum unius integri termini, ergo delectatio quæ est de DEO ùt præsenti & obtento, est etiam de ipso actu, quo tenetur & possidetur.

VII. Gaudium Beatorum est multiplex.

Dico Tertiò. *Gaudium Beatorum videtur esse multiplex.* Probatur. Quia gaudium sequitur operationem veluti passio, sed operatio est multiplex, ergo etiam gaudium. Probatur min: Quia est ibi visio, tentio, & fruitio, licèt non in omnibus essentialis beatitudo consistat.

QUÆSTIO SEXTA.

An perpetuitas & securitas sint de essentia Beatitudinis?

I. Quatuor modis res potest esse perpetua.

ANte resolutionem Notandum Primò quatuor modis rem aliquam perpetuam esse posse, tot scilicet, quot res dicuntur incorruptibiles. Primo modo ex principiis intrinsecis, eò quòd non habeat materiam primam, ratione cujus non sit in potentia, ad hoc, ut desinat esse & corrumpatur, & taliter perpetuæ & incorruptibiles sunt animæ & Angeli: Secundò dicitur aliquid incorruptibile ab extrinseco, quia ab agente naturali destrui non potest ut corrumpatur, desinatque, licèt ex principiis intrinsecis sit corruptibile ratione materiæ primæ, & sic Cœli dicuntur esse perpetui & incorruptibiles. Tertiò ex suppositione Divini decreti, quo statuit semper rem in suo esse conservare, & tale est corpus gloriosum post resurrectionem. Quarto modo dicitur aliquid perpetuum, quod nec ab extrinseco desinere potest, sed cui simpliciter repugnat non esse, & talis est solus DEUS super omnia benedictus.

II. Beatitudo dupliciter considerari potest.

Notandum Secundò. Beatitudinem dupliciter etiam considerari posse semel secundùm intensionem, secundò secundùm intensionem & extensionem simul, primo modo est, quando consideratur secundùm suam perfectionem intrinsecam præcisè, secundo verò modo quando secundùm hanc & etiam secundùm durationem cum negatione desitionis consideratur. His notatis

III. Beatitudo est perpetua.

Dico Primò. *Beatitudo supernaturalis, de qua Beati sunt securissimi, est defactò perpetua & in æternum duratura.* Est contra Origenem lib: 1. περὶ ἀρχῶν cap: 6. & alibi, qui sicut docuit, damnatos ad misericordiam DEI aliquando pervenire posse, & post certa annorum spatia salvari, ita etiam docuit, Beatos à Beatitudine excidere posse, quorum utrumque hæreticum est.

Probatur itaque Conclusio de perpetuitate. *Justi autem in æternum vivent.* Sap. 5. & Matth: 25. *Ibunt justi in vitam æternam.* Psal: 39. *In sæcula sæculorum laudabunt te.* Apocalyp: 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo DEI mei, & foras non egredietur amplius.* 1. ad Thessal: 4. *Et sic semper cum Domino erimus.* 1. Petri 1. *Hæreditas Domini incorruptibilis, immarcescibilis.* & 5. *Immarcescibilis gloriæ corona.* Idem docent Sancti Patres, nobis sufficiant verba S. Augustini in 13. Trinit: 8. *Nullomodo poterit esse vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna, nam si amitti potest, aut ergo beatus eam amittit nolens, & tunc non erit beatus, quia non habebit quidquid vellet, aut volens, & sic non amaret illam, si nec hoc, nec illo modo, ergo non appretiat illam super omnia, & sic non est vita beata.*

IV. Beati sunt securi de perpetuitate.

Probatur etiam de securitate ex Apocalyp: 21. *Absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis Sanctorum &c: & nec dolor erit ultra;* Si autem possent amittere beatitudinem, aut non essent certi, haberent magnā causam ingemiscendi. 12. Civit: cap. 20. Psal: 90. *Non timebis à timore nocturno, ab incursu & dæmonio meridiano;* quæ securitas non posset perfectè intelligi in beatitudine, ubi pulchrè differit D. Bernardus de hoc; Serm: 6. in Psal: ergo.

Probatur etiam Ratione. Quia beati sciunt certissimè beatitudinem suam

suam futuram perpetuam, tum quia Viatores id sciunt per fidem, tum quia perpetuitas non facit ad tollendam sollicitudinem & anxietatem nisi cognita, adeoque beati non quietarentur, sed anxii permanerent; Tum, quia non est pars parvæ miseriæ nescire, quid de se futurum sit, juxta illud Ecclesiast: 8. *Multa hominis afflictio, qui ignorat præterita, & futura nullo præscire potest nuntio.* Verùm congruentiæ hæ sunt non rationes convincentes. Unde

V. Beatitudo non potest ratione ostendi perpetua esse. Dico Secundò. *Non potest ratione naturali & evidenti demonstrari beatitudinem futuram perpetuam, aut securam.* Ita Doctor q. 6. n. 18. Probatur. Quia beatitudo non debet esse perpetua, nec ex ratione sua formali intrinseca, nec in quantum merces est; ergo demonstrari nequit evidenter ejus perpetuitas vel securitas, cùm securitas fundetur supra perpetuitatem. Probatur anti quoad primam partem: nam quod beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione completus, & sufficienter satians appetitum, non debet intelligi de beatitudine extensiva & distributivè, sed tantùm de aggregatione per eminentiam in aliquo supremo, in quo perfectius obtineatur, quàm in seipsis, maximè cùm possessio aliquorum involvat imperfectionem, sed possunt omnia possideri in aliquo eminenter, licèt non perpetuò vel securè, ergo. Probatur etiam ant: quoad alteram partem, quia posset DEUS intensivâ mercede unius momenti abundè compensare quodcunque opus meritorium, cùm sit incomparabilis excessus mercedis ad opera nostra; quamvis defacto per fidem credamus futurum statum illum perpetuum. Attamen

VI. Perpetuitas non est de essentia beatitudinis. Dico Tertiò. *Sumendo Beatitudinem pro perfectione secundum intensionem, seu secundùm ipsasmet operationes, quibus Beatus conjungitur DEO tanquam summo bono, & redditur liber ab omni molestia, perpetuitas non est de essentia Beatitudinis:* Ita Doctor supra. Probatur. Quia perfectio secundùm intensionem potest esse tanta per horam, quantà per annum, sicuti perfectio albedinis unius diei tanta est, ac perfectio albedinis unius anni ex Phil. 1. Eth: 6. Item Angelus tam perfectus esset intrinsecè, si durasset unâ horâ, ac modò est in ævum duraturus. Denique certum est, illas perfectiones esse posse absque perpetuitate, & tunc homines essent immunes & liberi ab omni molestia, redderenturque perfectè beati.

Dices. Si operationes illæ non essent perpetuæ, posset displicere beato, quod aliquandò careret illis, & sic non esset imunis ab omni molestia animi. Respond. Primò quòd habens illas operationes non deberet, necessariò considerare, an sint futuræ perpetuæ nec ne? & sic non sequitur statim displicentia. Et quòd sciret, non futuras in perpetuum, tamen ob summam delectationem ex visione, & summam conformitatem ad DEI voluntatem ex defectu perpetuitatis non contristaretur.

VII. Beatitudo extensiva debet esse perpetua. Dico Quartò. *Sumendo Beatitudinem extensivè perpetuitas est de essentia ejus.* Probatur. Quia à perpetuitate habet formaliter negationem desitionis, & durationem, ergo est de essentia Beatitudinis.

VIII. Securitas non est de essentia beatitudinis. Dico Quintò. *Securitas de perpetuitate non est de essentiâ Beatitudinis.* Probatur Primò. Quia securitas versatur circa beatitudinis perpetuitatem, hæc non est de essentia, ergò nec illa. Probatur Secundò. Quia securitas est judicium, certum de perpetuitate, vel aliqua passio sequens in voluntate ad tale judicium, sicut timor sequitur ad dubium, aut tristitia ad certitudinem de malo imminente; sed potest esse beatitudo absque tali judicio habendo visionem, fruitionem, corpus gloriosum, ergo.

Dices. Nisi beatus haberet tale judicium de perpetuitate esset anxius de perdendo illo statu, & sic haberet magnam molestiam, quæ est incompatibilis cum beatitudine. Sed contra, non est necessarium, quod reflectat se supra ipsam beatitudinis perpe-

perpetuitatem, nam in hac vita multi habent delectationem pro aliquo tempore sinè ulla anxietate de illa perdenda, quia hic & nunc nulla occurrit cogitatio, ergo potest etiam sic contingere in patria. Deinde, quamvis occurreret videntibus & amantibus DEUM occasio dubitandi de perpetuitate illius statûs, tamen, ùt dixi, summa voluptas ex visione, & summa conformitas ad voluntatem ipsius excluderet omnem anxietatem, essent enim contenti quomodocunque placeret DEO disponere cum illis.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE Perfectionibus Beatitudinem subsequentibus.

Essentiali beatitudine cognitâ examinabo eas perfectiones, quæ tam in Anima, quàm in potentiis ejus, ipsoque corpore humano ex beatitudine consequuntur, quæ quidem ad ejus essentiam non pertinent, se habent tamen ùt proprietates, & partes quædam integrantes. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

De perfectionibus Creaturæ rationalis quoad intellectum.

I. Circa Intellectû examinanda proponuntur. Plurimas hæc quæstio involvit difficultates, videlicet omnes, quæ de intellectu animæ separatæ moveri possunt, verùm quia eam materiam sat tractavi integrâ disputatione in Philosophia, ideo hic non repetam nisi ea, in quibus vel fusior non fui, vel quæ ex proposito huc remisi, unde examinabo inprimis an in Beatis maneat Fides & Spes, tam quoad habitum, quàm quoad actum? Secundò, an maneant habitus scientifici? Tertiò, an maneat memoria eorum omnium, quæ hìc gesserunt? Quartò, an possint acquirere novas aliquas cognitiones? & Quintò, an cognoscant orationes & preces nostras. Et quidem

II. Nō est contra fidem dicere in patria manere fidem. Dico Primò. *Non est dictum contra fidem asserere manere defacto in patria fidem tam quoad habitum, quàm quoad actum.* Ita Bassolus, Major, Durandus, estque communis etiam aliorum, &

Probatur. Quia non est contra fidem, quòd non est contra Scripturam aut definitionem, sed hoc asserere non est contra Scripturam, ergo. Probatur min: quia si esset aliqua maximè illa 1. Corinth: 13. ubi sic dicit Apostolus, *sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, - - - - - videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* Sed hæc Scriptura non probat fidem non mansuram, ergo. Probatur min: Scriptura in allegato textu eodem modo loquitur de dono linguarum & scientia, ac de fide, sed scientia & donum linguarum secundùm Doctores & Patres in patria manebant, ergo etiam dicere de fide eam mansuram non erit contra fidem. Confirmatur, quia Apostolus evacuationem fidei, doni linguarum & scien-

& scientiæ comparat ætatis perfectioni dicens: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cum autem factus sum vir, evacuavi ea, quæ sunt parvuli*, sed quando ex parvulo factus est vir, nec potentia, per quam loquebatur, sapiebat, & cogitabat, nec habitus bonus, si quem habebat ad hos actus, evacuatus fuit, ergo nec habitus prædicti evacuabuntur in patria.

Probatur Conclusio Secundò. Fides humana stat cum visione & intellectione causata ex visione, ergò etiam fides infusa poterit stare cum visione beata loquendo de habitu. Antecedens probatur; quia si quis haberet habitum acquisitum fidei, quo crederet dictis alicujus ob authoritatem ejus v.g. Astrologo loquenti de Ecclypsatione Solis & Lunæ, si postmodum videret Lunam & Solem Ecclypsari prout dixerat Astrologus, tunc habitus credendi non destruetur, sed multò magis confirmatur, quia imposterum faciliùs similia dicenti credet.

Dices. Si quis Ecclypsim videret, habitus acquisitus credendi nihil ad eam faceret, nec cum ea ad productionem visionis concurreret. Respond. Id quidem verum esse, sed ex hoc nihil infertur, quin stante tali visione stat adhuc habitus credendi, quamvis fortè tunc non credat actu, sed experientiâ sciat.

Probatur Conclusio etiam omnibus illis rationibus, quibus in Logica probari solet, quod habitus scientiæ, opinionis, & fidei stare possint simul.

III. *Habitus supernaturalis fidei manet in patria.*

Dico Secundò. *Habitus supernaturalis fidei manet in Patria.* Ita Authores supra, & Probatur Primò ex authoritate S. Augustini lib. 83. *qq.* q. 48. ubi dicit: *quod quædam sunt credibilia, quæ nunquam sciuntur, sed tantùm creduntur sicut historiæ*, sed talium, quorum nunc habetur fides in via, aliqua cognitio poterit haberi in patria, alia non quàm fides, cùm alia sciri non poterunt, ergo saltem habitus fidei manebit in patria; & hæc ratio non solùm probat de habitu, sed etiam de actu.

Probatur Secundò ex S. Bonaventura 3. d. 31. artic. 2. q. 1. & 2. ubi ait, quòd in fide duo est reperiri, videlicet illuminationis habilitatem, & ænigmatis obscuritatem, quantùm ad luminis habitum fides non evacuatur, sed perficitur & consumatur; quantùm verò ad ænigmatis obscuritatem cùm sit ex parte, simpliciter tollitur, ergo ex mente D. Bonaventuræ manet in Patria fides quoad habitum,

Probatur etiam ratione. Tum, quia fidem habuit Christus secundum habitum, nam habuit dona Spiritûs Sancti, quæ non distinguuntur à Virtutibus Theologicis & infusis. Tum, quia fides acquisita manebit, ergo etiam infusa ab omnimoda paritate, quòd autem acquisita manebit, probatur à paritate aliarum Virtutum, quæ nullos habebunt actus. Tum quia nulla est necessitas tollendi habitus fidei, ergo: Probatur ant: si aliqua esset maximè ratione incompossibilitatis vel inter se, vel ratione actuum, sed nulla est, ergo; non in se, cùm non sint sibi invicem contrarii ita, quòd unus alterũ tolleret, sicut lumen majus & minus, prout se habet fides respectu luminis gloriæ: Non etiam ratione actuum, tum quia habitus esse possunt sine actibus, tum quia licet actus circa idem objectum essent ad se invicem compossibiles, non tamen respectu diversorum, ergo.

Dices. Rationem esse quare non maneat, eò quòd esset frustra & inutilis, utpote cum nullum actum producere posset. Sed Respond: Primò. Hoc quidem verum esse circa objectum principale, falsum tamen circa objectum secundarium, circa quod omninò poterit etiam haberi actus, ut mox dicam. Respond: Secundò rationem nihil probare, quia in patria manebit potentia gustativa, nutritiva, & generativa, & tamen non habebunt aliquem actum, ergo ex eo, quòd nullum haberent actum, non statim sequitur, quòd nõ manebunt,

item virtutes manebunt, & tamen tales saltem non habebunt actus, quales defacto habent.

Dices. Disparitatem esse inter fidem & potentias, quia hæ spectant ad integritatem, totiusque perfectionem, non sic fides. Sed contra, fides etiam perficit intellectum quoad actum primum, ergo non est simpliciter ordinata ad actum secundum, sed etiam ad perfectionem ipsius intellectûs. Sed contra Conclusionem

Arguitur. Imperfectum & perfectum non possunt stare simul, sed fides est imperfecta, & lumen gloriæ perfectum, ergo nequeunt stare simul, maj: patet ex Apostol. 1. *Corinth:*

IV. Perfectum & imperfectum stare possunt simul.

13. minor est certa, quia lumen perfectissimum est, quod creatus intellectûs defacto habet. Respond. dist: maj: imperfectum & perfectum non possunt stare simul, si sint ejusdem generis & speciei proximæ, con: maj: perfectum & imperfectum diversæ rationis & speciei, neg: maj: & hoc clarè patet de scientia quæ imperfecta est respectu visionis, & tamen cum ea stabit, sicut defacto cum scientia stat habitus opinativus, sic etiam fides, quamvis sit alterius rationis à gloria, adhuc tamen cum ea stare poterit, & hoc quàm maximè respectu diversorum.

Instatur. Dispositio noctuæ & dispositio aquilæ sunt incompossibiles in eodem oculo, ergo etiam habitus fidei & lumen gloriæ, quia fides se habet sicut noctua, & lumen gloriæ sicut aquila. Respond: negando consequentiam, qui licèt aquila & noctua specie differant, potentias tamen illas dico non differre specie, & sic quia sunt ejusdem speciei, in eodem oculo inveniri non possunt.

V. Beati habebunt aliquos actus fidei.

Dico Tertiò. *Beati habebunt etiam aliquos actus fidei.* Hanc colligo ex Scoto in responsione ad arg: 4. dis: 10. & 49. quæst: ultima ubi ait, Credibile, esse in triplici differentia, alia enim sunt, quorum visio pertinet ad essentiam Beatitudinis, ùt Deitas, Trinitas, alia quæ beatitudinem concomitantur, licèt eorum visio ad beatitudinem essentialiter non pertineat, ut sunt Incarnatio, Passio, Crucifixio, quæ in se non videbuntur, sed in Verbo, & tertiò sunt aliqua, quorum visio nec beatitudinem concomitatur, & sunt aliqua facta temporalia contingentia, de quibus dicit Doctor, quòd non sit necesse, ùt ea videantur clarè, seu in se, seu in Verbo, & de talibus concedi potest, quòd haberi possit fides, ac de iisdem locutum fuisse Sanctum Augustinum supra citatum.

Probatur Ratione. Theologi communiter docent, Angelos superiores illuminare inferiores, sed hæc illuminatio verisimiliter fit de rebus à DEO revelatis superioribus, & non inferioribus, nam verisimile est, quod Angeli superiores dicant inferioribus DEUS nobis ostendit hoc vel illud, & tunc inferiores credunt ipsis, ergo. Confirmatur, quia perfectiùs est Beatis aliquid cognoscere per actum fidei, quàm illud ignorare simpliciter, sed si non haberent actum fidei de multis rebus, quas non cognoscunt evidenter, ignorabunt illas, ergo melius est eas scire per fidem, nec hoc ipsis indecorum videri debet, quia nec indecorum est, quod multa simpliciter ignorent, & nesciant.

Nota igitur, quòd difficultates, quas supra solvi per respectum ad hanc materiam, mansi tunc in opposita opinione & sententia, per hæc faciliùs solvi posse.

Dico Quartò. *In Beatis manent omnes scientiæ hic acquisitæ sinè imperfectione tam quoad habitum, quàm quoad actum.* Ita Doctores communiter, unde Scotus 4. *dist:* 45. *q.* 1. *§. Huic consonat*, dicit, valde enim indignum esset, tantùm laborare circa scientias & virtutes, si desinerent esse in morte, & valdè irrationabile quòd maneant, quin eorum actus possint haberi. Probatur Primò ex D. Hieronymo in prologo Bibliorum cap: 7. ubi dicit: *Discamus in terris, quorũ scientia nobis remanebit in Cœlis.*

VI. In beatis manebunt scientiæ acquisitæ.

Probatur etiam ex D. Augustino, qui in Angelis admittit duplicem scientiam, matutinam nempe in Verbo, &

bo, & Vespertinam in proprio genere, ergo etiam in aliis; Imò q:26. ad Orosium dicit universaliter, quod cognitio Creaturæ in semetipsa est vespera, in DEO est mane, unde 4. super Genesim ait, in vita beata simul esse vesperam & manè, ergo ibi est simul scientia beata, & in proprio genere. Et Confirmatur, quia etiam in Christo præter visionem beatam in Verbo, fuit alia, ergo.

Probatur Tertiò Visio beata & gloria Cœlestis non tollit perfectionem Naturæ, sed scientia tam quoad habitū, quàm quoad actum, sunt perfectiones Naturæ, ergo gloria non tollit eam; Unde illud 1. ad Corinth. 13. *sive scientia destruetur*, intelligendum est de imperfectione scilicet scientiam destruendam quantùm ad dependentiam à phantasmatibus, quæ dependentia orta fuit ex justitia punitiva DEI, ùt proinde præclarè dicat D. Aurelius 15. de Trinit: cap: ult: *Quæ causa cur ipsam lucem acie fixa intueri non possis? nisi utique infirmitas? & quis eam tibi fecit? nisi iniquitas?*

VII. Beati recordantur corū, quæ in vita gesserunt. Dico Quintò. *Beati recordantur eorum, quæ in vita gesserunt, etiam ante reassumptionem corporum.* Ita communiter Scotistæ, Rhada, Aretinus. Probatur Primò. Quia etiam animæ damnatorum sic recordantur, ergo multò magis Beatorum; Patet consequentia. Probatur antecedens, tum ex Scriptura Luc: 16. *Fili recordare, quòd receperis bona in vita tua, Lazarus similiter mala.* Tum ex Sanctis Patribus, Bernardo lib: 5. de Consid: cap: 12. ubi sic habet: *Opera tenebrarum sequuntur illos, nec est, quo se abscondant ab illis, nè in tenebris quidem, hic est vermis, qui non moritur memoria præteritorum.* Augustinus similiter 12. supra Genesim ad litt: versùs finem docet, Animam gerere apud inferos similitudinem non corporalem, sed corpori similem, & lib: de spiritu & anima scribit, quòd Animæ, quæ in corporibus viventes per dilectionem rerum visibilium corporalibus imaginibus afficiuntur, à corporibus exeuntes in eisdem imaginibus tormenta patiuntur, quod verum non esset, nisi secum deferrent intellectuales imagines corporibus similes. Denique Conclusionem expressè probat ejusdem Sancti Doctoris clarissimus textus lib: 9. Confess: cap: 3. qui de beatitudine Nebridii sic habet, *Nec sic arbitror inebriari ex ea* (beatitudine) *ut obliviscatur mei, cùm tui, Domine, quem potat ille, nostri sis memor.*

Probatur Conclusio Ratione. Tum quia si non daretur memoria in beatis, nullam haberet anima rationem agendi DEO gratias pro remissione peccatorum, vel conservatione ab illis, quod minùs rectum est, sequela tamen probatur, quia nemo gratias agere tenetur de eo, quod sibi non constat: Tum quia ridiculum videtur dicere Luciferum non recordari se DEUM superbiâ suâ offendisse, & ob id gratiâ excidisse, ergo. Sed

Opponitur Authoritas D. Augustini 11. Trinit: cap: 4. dicentis: quod cum cogitantis acies id, quod in memoria cernebatur, destiterit intueri, nihil de forma, quæ impressa erat in eadem acie remanebit, ergo ex mente Augustini post transitum actum non manet amplius memoria. Respond: S. Augustinum loqui de acie oculi, ejusque visione, quæ quidem non manet diutius, quàm actus durat.

Instabis. Beati si recordarentur suorum peccatorum, possent contristari de iis, & sic non essent beati. Respond. quòd ex recordatione peccatorum beati non contristabuntur, tum quia DEUS suspendere potest actum illum, qui natus esset causare tristitiam, sicut suspendit ignem in camino Babylonico; tum quia magis excitabuntur per hoc ad gratiarum actionem propter remissionē; Tum quia delectatio vehemens excludit quamcunque tristitiam, non solùm contrariam, sed etiam contingentem, ùt docet Aristo: 7. Ethic:

Dico Sextò. *Beati possunt de novo acquirere scientiam tam abstractivam, quàm intuitivā de rebus prius incogni-* VIII. Beati possunt acquirere sciem-

tiam abstractivam & intuitivam.

cognitis. Ita Scotus 4. dist: 45. q. 2. Et Scotistæ communiter. Probatur quoad scientiam abstractivam quandocunque agens est sufficienter applicatum, habétque conditiones ad agendum requisitas, potest producere effectum, sed anima separata habet omnes conditiones requisitas, estque sufficienter disposita, ergo: Maj: patet, Probatur min: Quia potest esse in sufficienti distantia præsens lapis, vel aliquod aliud objectum, quod sui speciem producat, ergo: Probatur consequentia. Quia intellectus agens est causa sufficiens speciei intelligibilis cum objecto non minus, quàm phantasmate, cùm objectum perfectiùs contineat in se quidquid habere potest phantasma. Confirmatur, Quia beatæ animæ à corpore separatæ perfectiùs suas actiones producere possunt quàm conjunctæ, sed conjunctæ poterant producere per intellectum agentem species intelligibiles, ergo etiam separatæ: Probatur maj: à paritate, quia quidquid potest lapis ex sua naturali gravitate, poterant etiam animæ respectu suarum operationum, cùm sint multò nobiliores quàm lapis, sed lapis sibi relictus descendit deorsum, ergo etiam animæ separatæ possunt sic intelligere.

Probatur Secundò. Quia beati in nimia distantia non possunt quascunque res cognoscere, ergo debent habere aliquas species, si per species, ergo habent cognitionem abstractivam: Probatur ant: Tum, quia de Angelis in sacris litteris habetur, quòd sæpe ad terras volaverint, ut cognoscant quæ hìc fiunt; Tum, quia id expressè docet D. Augustinus lib: de cura pro mortuis, quod animæ non noscant ea, quæ hic fiunt, nisi id ab Angelis reveletur, vel ab animabus illuc venientibus, ergo nimia distantia impedit.

Probatur secunda pars. Causæ efficientes notitiæ & scientiæ intuitivæ sunt objectum in actuali existentia præsens, intellectus agens & possibilis, sed hæc omnia inveniuntur in beatis, vel saltem inveniri possunt, ergo. Nec ex hoc inferri potest, quod etiam in quacunq; distantia possunt agere, quia cùm intellectus beatorum sit limitatus & finitus, non potest intelligere & cognoscere in quacunque distantia.

QUÆSTIO SECUNDA.

De perfectionibus Beatorum quoad Voluntatem.

PRæter difficultates de habitibus Virtutum moralium, & supernaturali habitu spei, an videlicet in voluntate beatorum maneant, in qua eas subjectari docui supra, particulariter examinatur hic: an Beati sint impeccabiles, & per quid? & utrum sint capaces alicujus tristitiæ? De Habitibus Virtutum moralium

Dico Primò. *Eos mansuros in patria, licèt alios, & alios actus sint habituri.* Hæc est expressa mens D. Augustini, ut eam refert Magister, nam lib. 14. Trinit: cap: 9. ait: *In patria erit Prudentia sine ullo periculo erroris, Fortitudo sinè molestia tolerandorum malorum; Temperantia sinè repugnantia libidinum, ut prudentiæ sit ibi nullum bonum DEO præponere, vel æquare; Temperantiæ nullo defectu noxio delectari, Fortitudinis ei firmissimè cohærere. Quod verò nunc agit Justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coërcendis delectationibus pravis, non erit ibi omninò, ubi nihil mali erit.* Idem sentit D. Bernardus Serm: 72. in Cant: ubi tractans *Qui pascitur inter Lilia, donec dies aspiret*, ubi intelligendo per Lilia Virtutes. Quærit, an non sint in die illa felicitatis futura Lilia ait: *Dicemusnè aut non fore, aut sponso minimè sapere tunc Virtutes? Et quidem sentire alterutrum dementiæ est, - - - - - sciebat enim Virtutibus eum postea potandum potius, quàm pascendum.* I. Habitus virtutum moralium manebunt in patria.

Probatur Conclusio etiam Ratione. Quia non est assignabilis aliqua

qua ratio quare deberent desinere, ergo: Probatur, quia non desinunt ratione subjecti, quia intellectus & voluntas tam sunt incorruptibiles, quàm ipsa anima; nec ratione actionis contrariæ qualitatis, quia gloria non contrariatur Virtutibus, nec perfectioni naturæ; nec denique quia non possunt habere suos actus, nam licèt temperantia, fortitudo, non habeant ibi actus tales, quales habuerunt hic, habebunt tamen alios, ut supra Augustinus demonstravit; Imò gaudebunt, quòd illos aliquando elicuerint, & quòd alii eos defacto eliciant, qui sunt actus illarum Virtutum, ergo

II. Spes manebit in patria. Dico Secundò. *Manebit in Beatis similiter habitus Spei.* Ita Major, Bassolus, &c. Probatur, quia supposito quòd in Beatis sit mansura fides, quod probabile dixi supra, nihil implicat, quin maneat etiam Spes, & quin Beati plura possint sperare. Deinde, quando Beati orant pro nobis, sperant in bonitate Divina, se obtenturos, quod petunt, ergo. Item sperant corporis resurrectionem, beatitudinis continuationem. Hæc quidem probant manere spem secundùm habitum, & secundùm actum, quoad objecta secundaria, non verò quoad objectum primarium, an verò possit manere Spes quoad objectum primarium major est difficultas, & Doctor Subtilis 3. *dist.* 31. *q. un: sub littera D.* dicit, quod si ponatur habitus aliquis, qui inclinet ad summum bonum ut conveniens Naturæ præscindendo ab objecto, an præsens vel absens, tunc potest esse idem habitus in via & in patria, & si Spes esset, talis habitus posset omnino concedi, quòd sit etiam in patria, secus si esset habitus, qui inclinaret ad objectum in quantum absens est, tunc non posset manere in patria inclinando ad objectum, in quantum præsens est, Habitus Spei verò potest dici habitus prioris naturæ, quamvis videantur dicta S. Pauli contraria, ideo

Probo Conclusionem simpliciter Secundò. Quia eodem habitu concupisco aliquid, & quiesco in concupito juxta illud D. Augustini 9. Trinit: cap: ult: *Appetitus inhiantis, fit amor fruentis*, ergo eodem habitu concupisco DEUM absentem, & quiesco in DEO præsente & habito, ergo in Patria manet Spes, quia idem habitus potest esse ad desiderandum absens, & amandum præsens, cùm ergo habitus Spei inclinet ad desiderandum bonum absens, inclinabit etiam ad desiderandum & amandum præsens.

Dico Tertiò. *Charitas via manet in patria, tam quoad habitum, quàm quoad actum, actus tamen specie differunt.* Hæc est communis. Probatur prima pars ex D. Paulo. 1. Corinth: 13. *Charitas nunquam excidit.* Secundò ex ratione, Per habitum Charitatis fit homo & Creatura rationalis DEO chara, sed in patria est homo DEO charus, ergo in patria habet habitum Charitatis. Deindè sic, Charitas & gratia non distinguuntur in sententia Scotistarum, sed in Beatis est gratia, ergo etiam & Charitas, patet maj: Probatur minor: Quia in Christo fuit, cujus charitati nos configurari oportet, ergo: Probatur ant: Joan: 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*, ergo. III. Charitas manebit in patria.

Probatur secunda pars. Quia Charitas inclinat tam ad objectum præsens, quàm absens amandum, ergo perfectiùs amabit præsens quàm absens. Deinde dilectio & actus Charitatis perficitur in patria, ergo manebit ibi in beatis: Ant: probatur, quia dicitur ordinariè præceptum dilectionis, Luc. 10. pro statu vitæ simpliciter non impleri, nec posse impleri, ut etiam expressè docet S. Bernardus Serm: 50. in Cantica, ubi ait: *Cujus initium quidem profectumque, vitam quoque præsentem experiri Divinâ posse gratiâ non negamus, sed planè consummationem defendimus futuræ felicitati.* Et tract: de diligendo DEO cap: 10. dicit. *Impossibile, namque est tota hæc ex toto ad DEUM colligere, & Divino infigere cultui, quamdiu ea huic fragili & ærumnoso corpori intenta & distenta necesse est subser-* IV. Quoad habitum & actum.

subservire. Itaque in corpore spirituali & immortali, in corpore integro, placido, placitoque, & per omnia subjecto spiritui speret se anima quartum apprehendere amoris gradum, vel potius in ipso apprehendi, quippe quod DEI potentiæ est dare cui vult, non humanæ industriæ assequi, ergo.

Probatur Secundò eadem pars. Quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo manet in Beatis quidquid est in Viatoribus, si imperfectionem non involvat, aut perfectius incompossibile non succedat, sed actus Charitatis non involvit aliquam imperfectionem, nec etiam perfectior succedit incompossibilis, ergo. Confirmatur, Quia præsentia objecti amorem non minuit, sed auget, ergo si Beati amârunt DEUM, quem non viderunt, multo magìs amabunt eum, quem vident, ergo.

V. Actus erūt diversæ speciei à nostris in via.

Probatur tertia pars. Quia quando perfectio actûs est â duobus, â potentia scilicet & objecto, si variatur propria ratio istorum, vel alterius istorum secundùm majorem vel minorem conjunctionem, & approximationem, tunc effectus variantur non modò secundùm magis & minus, sed etiam secundùm speciem, quia causæ partiales, quando non sunt sufficienter approximatæ & conjunctæ minus perfectè agunt, sed hìc variatur objectum secundùm majorem conjunctionem & approximationem, ergo. Probatur maj: Quia si objectum idem sit præsens per speciem causabit specie distinctam cognitionē ab illa, quando objectum erit præsens in re realiter, quia est abstractiva, posterior intuitiva, ergo.

Dices. Si actus sunt specie distincti, sequitur etiam futuros habitus specie distinctos, & consequenter erit alius habitus in patria, & alius in via, quod negat prima pars conclusionis. Respond: negando sequelam, quia respectu unius ejusdemque objecti ab eodem principio possunt provenire specie diversi actus, propter solam diversificationem repræsentationis, diversámq; repræsentationem, prout hic contingit, nam visio aliter proponit objectum amabile, aliter fides, hæc enim non nisi ænigmaticè & obscurè per cognitionem abstractivam, illa verò clarè per intuitivam visionem, quæ sunt alterius & alterius rationis. Sed contra primam conclusionis partem principaliter.

Arguitur. Quod ex parte est & imperfectum evacuabitur in patria, sed charitas viæ ex parte est & imperfecta, ergo evacuabitur in patria; maj: patet ex illo 1. ad Corinth: 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*, Probatur minor, quia sicut ex parte cognoscimus, ita ex parte eiligimus, sed &c: ergo. Respond: disting: maj: quod ex parte est evacuabitur in patria in quantum involvit & includit aliquam imperfectionem, conced: maj: seclusâ imperfectione, nego maj: & min: quia Charitas simpliciter non inclinat ad actum aliquem imperfectum.

VI. Actus Charitatis in via non potest esse fruitio beata.

Instatur. Si Charitas perfecta esset in via, posset quis habere in via beatitudinem, & esse beatus, quia in charitate consistit beatitudo, ut supra diximus, ergo. Respond: negando sequelam, cujus probationem distinguo, in Charitate habituali consistit beatitudo, nego Ant: actuali, concedo: Itaque licèt habitus sit idem & idem in via & in patria, actus tamen erunt diversi, unde nullus in via potest esse beatus, quia nullus potest habere fruitionem ex objecto clarè & distinctè viso.

Urgetur. Actus proportionatur principio elicitivo & productivo, sed Charitas habitualis est principium productivum actûs, estque æquè perfecta in via, sicut in patria, ergo poterit producere fruitionem æquè perfectum in via sicut in patria, & consequenter adhuc beatus erit beatitudine actuali. Respond: distinguendo maj: actus proportionatur principio elicitivo præcisè, nego, objecto etiam simul, concedo; hinc, quia aliter & aliter objectum proponetur, alius & alius erit actus, & quia

& quia Essentia Divina perfectiùs proponetur in patria utpote clarè & distinctè, perfectior etiam erit actus. Deinde etiam Charitas non est totale principium, sed etiam concurrit voluntas, quæ ut perfectior perfectiorem poterit producere fruitionem etiam in eo, qui habet majorem Charitatem. Et licèt etiam in via objectum concurrat, concurrit tamen alio & alio modo, qui diversus concursus variat ipsum actum; Si verò cognitio intuitiva seu Visio beata concurrit ad fruitionem in patria, cùm hæc sit specie distincta à fide, specie distinctum causabit effectum & actum fruitionis.

VII. Charitas non datur propter meritum præcisè.

Arguitur Secundò. Charitas datur propter meritum faciendum, sed beati non merebuntur, imò meritorum recipient prœmium, ergo in patria non erit Charitas. Respond. disting: maj: propter meritum præcisè, nego maj: propter meritum & adhuc ut homines DEO reddantur grati, chari & accepti, con: maj: Imò Respondi Secundò disting: min: Beati non merebuntur prœmium essentiale, con: min: accidentale, nego min: & consequentiam: Ita Beati merentur nobis frequenter orando, ministrando, & hoc faciendo accrescit eis gaudium aliquod & prœmium accidentale.

Ex hac Conclusione infero Voluntatem Beatorum etiam futuram sanctam eadem sanctitate, quâ sancta fuit in via, quia cùm sit habitura eandem Charitatem hìc & ibi, & Charitas non distinguitur à gratia sanctificante, eadem sanctitate sancta erit. Et licèt fortè non implicet, ut etiam sancta sit simul per visionem beatam, quia tamen non constat, quòd DEUS eam ordinaverit ad sanctificandam voluntatem, à qua ordinatione habet tantummodò forma ut sanctificet, de visione beata non est dicendum.

VIII. Nulla tristitia aut molestia erit in voluntate beatorum.

Dico Quartò. *Voluntas Beati non est naturaliter capax ullius tristitiæ aut molestiæ, & hoc oritur ipsi ex summa voluptate, quam habet ex Visione DEI, & maximo amore, quo prosequitur ipsum, ac conformitate ex dispositione Divinæ Voluntatis.* Probatur prima pars. Apocalypsis 21. *Absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque dolor,* &c: Deinde Authoritate S. Bernardi epist: 11. ad Guigonem, ubi ait: *Sed cum pervenerit ad Littus velut malos pisces omne quod triste patitur foras mittens, sola quæ placere & jucunda esse poterunt retinebit. Nunquid enim tunc verbi gratia Paulus aut infirmabitur, cum infirmis, aut uretur pro scandalizatis, ubi scandala & infirmitas procul erunt? aut certè lugebit eos, qui ante non egerunt pœnitentiam, ubi certum est, sic neminem sanè fore, qui pœniteat, quomodo qui peccet non erit - - - - In illâ autem patria nulla admittatur prorsus aut adversitas, aut tristitia.* Ratio est etiam, quia nihil occurret ipsis, quod posset esse causa doloris, sive ex parte corporis, sive ex parte animæ, nam ex parte corporis habebunt omnem perfectionem, ex parte verò animæ nihil posset in ipsis causare tristitiam præter recordationem peccatorum, passionis Christi, damnationis amicorum, quia ex summa voluptate quâ afficiuntur possessione, perpetua Divinæ Essentiæ, & summa conformitate non tristabuntur propterea, quamvis hìc causare poterant mœrorem, contingit enim, quòd vehemens gaudium excludat omnem anxietatem de aliis objectis. Hinc patet secunda pars; Quia si sola Voluptas proveniens ex Visione DEI sufficit ad excludendam omnem tristitiam, multò magis sufficiet cum amore, & conformitate ad Divinam Voluntatem.

Accedo ad secundum principale hujus Quæstionis resolvendum, pro quo Notandum primò, Dubium non esse, an Beatus possit peccare in sensu composito quâ beatus, sic enim certum est, eum esse impeccabilem, sed controversia est de sensu diviso, scilicet, an ille, qui beatus est, adhuc possit peccare? vel an sit ex illa, in tam perfecto statu, ut omnino

IX. In sensu composito beatus non potest peccare.

ninò peccare non possit, & hoc sive talis impotentia ad peccandum proveniat ab aliquo extrinseco, sive ab aliquo intrinseco, quemadmodum si quis habens potentiam visivam respectu alicujus corporis per causam extrinsecam, ita impediatur, ùt manente potentiâ intrinsecâ videndi, nunquam tamen videri possit illud, nempe si causa extrinseca illud corpus ponat in maxima distantia, aut etiam interponat aliquod aliud corpus, licèt non esset in potentia proxima. Hinc

X. Potentia peccandi alia est remota, alia proxima.

Notandum Secundò. Potentiam peccandi aliam esse *proximam*, aliam *remotam*, hæc dicitur illa ratione cujus non repugnat sibi peccatum ex eo, quòd habeat principium intrinsecum liberum defectibile ac vertibile de bono in malum, & talis est quælibet voluntas creata in se considerata, quæ tamen ab actu peccandi impeditur per causam extrinsecam ipsam impedientem, ita ùt semper continuet actum bonum, vel nè eliciat actum malum: Potentia *proxima* est eadem voluntas non præventa nec determinata à causa superiore ad bonum.

XI. Deus circa voluntatē beatorum habet duo velle.

Notandum Tertiò. DEUM circa Beatum habere duo velle, unum, quo vult Voluntatem beatam semper amare Essentiam Divinam, alterum, quo vult cum voluntate illa nunquam concurrere ad actum malum, & per hoc velle beatus confirmatur in gratia excludente omne peccatum etiam veniale, & per hæc velle dicitur beatus in potentia remota ad peccandum, per quod tamen non privatur suâ libertate, imò liberior erit quod malè agere non possit, nam secundum D. Augustinum in Ench: cap: 105. *sic oportebat prius hominem fieri, ut & benè velle possit & malè, - - - - postea verò* (id est in beatitudine) *sic erit ut malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio, multo quippè liberius erit arbitrium, quod servire non poterit peccato.* Unde D. Bernardus tract: de grat: & lib: arbit: cap: 3. triplicem statuit libertatem in homine, nempe *Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ*, in hac ultima *prosternit nos ipsos Nobis DEUS submissurus per victoriam corruptionis & mortis, quando scilicet novissima destruetur mors, & nos transibimus in libertate Filiorum DEI.* Idem cap: 4. de libertate à peccato & à miseria sic ait: *Hoc autem indubitanter sciendum, utramque plenam & perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum DEO pariter & Christo ejus, atque Angelis supercœlestibus. - - - - Verùm libertas à necessitate æque & indifferenter DEO universæque tam malæ quàm bonæ rationali convenit Creaturæ, quæ* (cap: 5.) *non minor quantum in se est in malis quàm in bonis, tam plena in hoc sæculo, quàm & in futuro.*

His itaque notatis D. Thomas 22. q. 4. ait: Voluntatem necessariò ferri in DEUM clarè visum, atque adeò quia Divinæ bonitati visæ est approximata, per hoc intrinsecè redditur impeccabilis, cùm nunquam à dilectione DEI cessare possit, habeatque sic semper rectitudinem debitam, Contrarium docet Doctor subtilis hic, unde

Dico Quintò. *Beati omnes de facto sunt impeccabiles, id est, quod nec habeant, nec habebunt unquam potentiam proximam ad peccandum.* Ita Theologi omnes. Et Probatur primò ex Scriptura Matth: 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Psal: 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus & mundo corde. Apocal. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut faciens mendacium;* Hinc Divus Petrus Epist: 1. cap: 1. Beatitudinem vocat *hæreditatem immarcessibilem, incontaminatam, & incorruptibilem.* XII. Beati omnes de facto sunt impeccabiles.

Probatur Secundò Authoritate Sanctorum Patrum. Augustini supra, Bernardi tum supra, tum Serm: 34. qui est de verbis Originis, ubi sic loquitur: *Absit enim, ut in Cœlo credatur esse locus tristitiæ, sicut nec culpæ; Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest, siquidem nec in terra quidem pœna fuisset, si iniquitas non præcessisset,* in Cæ-

in Cœlo utique sola Justitia, sola nihilominus lætitia est. Et plura alia per decursum totius sermonis.

Probatur etiam Ratione. Quia Beati persistunt in continuo amore & dilectione DEI actuali, sed amor & dilectio DEI actualis repugnat cum omni peccato etiam veniali propter summam perfectionem, ùt patet etiam de nonnullis Viatoribus, ergo Beati nunquam peccabunt; Probatur, quia DEUS clarè visus est objectum multò magis delectabile, quàm quodcunque aliud in quod Voluntas tunc deberet pertrahi actu peccaminoso, ergo.

XIII. Beati non sunt impeccabiles per aliquod intrinsecum, sed per solā Voluntatem DEI ipsos præservantem.

Dico Sextò. *Beati non sunt impeccabiles per aliquid intrinsecum ipsis, ratione cujus excluderetur potentia proxima ad peccandum, in sensu diviso, sed per solam Voluntatem Divinam conservantem eos in actu beatifico Fruitionis.* Ita Doctor supra contra D. Thomam, Cajetanum. Probatur prima Pars, Quia si esset aliquid intrinsecum, per quod sic redderentur impeccabiles, illud vel esset ex natura Voluntatis approximatæ ad DEUM, vel ex aliquo habitu ipsis inhærente, aut ex visione vel fruitione, sed per hæc nullo modo redditur intrinsecè impeccabilis, ergo: Probatur min: quoad singula, non ex approximatione, quia Voluntas non solùm circa media, sed etiam circa finem fertur liberè, nec magis necessariò fertur in majus bonum, quàm in minus: non etiam ex aliquo habitu, quia hic est Voluntati subordinatus, & concurrit cum ea non nisi efficienter & partialiter, ac minus principaliter, sed aliquid subordinatum partiale & minus principale non potest necessitare causam principalem, qualis est Voluntas, cuique habitus est subordinatus, ergo: Non ex Natura Visionis, quia hæc est Voluntati extrinseca, nec causat necessariò fruitionem, cùm non sit nisi causa partialis, vel conditio. Nec denique Fruitio, Tum quia secludo fruitionem loquendo in sensu diviso: Tum quia etiam respectu fruitionis Voluntas adhuc est libera, ergo non est impeccabilis Beatorum voluntas per aliquod intrinsecum. Secunda pars sequitur ex prima, Quia si non est aliquid intrinsecum debet esse aliquid extrinsecum, tale autem congruentius nullum assignatur, quàm Divina Voluntas voluntatem semper in amore actuali conservans, ergo. Sed

Opponitur Authoritas D. Augustini in Ench. cap. 86. dicentis, quòd Anima nostra sicut nunc habet nolle infelicitatem, ita in patria nolle iniquitatem habitura est, sed nunc sic habet nolle infelicitatem, ùt non possit eam velle, quia nunquam volumus esse miseri, sed semper nolumus esse, ergo in patria non poterit velle iniquitatem, & consequenter ex natura sua habebit nolle iniquitatem, quod est esse ex natura impeccabilem. Sed Respond: quòd si sermo sit de actu elicito, negando min: quia nunc defacto non necessariò non vult infelicitatem, utpote cùm possit totum suum actum suspendere, quamvis sit determinata quoad specificationem, seu si elicuerit aliquem actum, quòd actum nolendi debeat elicere, utpote cùm infelicitas non possit habere rationem volibilis, eodem ergo modo in patriá licèt nunquam volet iniquitatem, non sequitur tamen quòd ab extrinseco non posset.

Instatur. In objecto infinito clarè viso apparet infinita ratio boni, & nulla ratio mali, sicut in ipso actu amandi nulla ratio mali apparet, ergo voluntas beati necessariò amat. Respond: negando consequ: Quia licèt non possit illud bonum odisse, sicut nec beatitudinem in communi, aut bonum ut sic, posset tamen non amare cessando ab actu, adeóque maneret libera quoad exercitium.

Urgetur. In ipsa cessatione ab amore nequit inveniri ulla ratio boni, sed nisi hæc appareat, nequit voluntas cessare ab actu, ergò. Respond: Primò, id non requiri ad puram cessationem seu omissionem actûs, ad quam sufficit innata libertas. Respond: Secundò. Ipsum libertatis exer- XIV. Libertatis exercitium est aliquod bonum.

exercitium esse bonū aliquod, quod in ea reperiri & appeti potest, sicut & hoc, quod voluntas humana fiat expedita ad eliciendos alios actus, quamvis minus bonos, quod sufficit non tantùm ut à priori actu cesset, sed etiam ut illum nolit, sicut licèt in objecto vel actu alterius virtutis post charitatem nobilissimæ, nihil appareat mali, potest tamen beatus ab eo cessare, & actum inferioris virtutis elicere.

XV. Deus est essentialiter sanctus & beatus.

Arguitur Secundò. Deus ex natura sua determinatur ad amandum, eò quòd se ipsum tanquā summum & infinitum bonum clarè videat, ergo etiam determinantur Beati ab ejusdem clarâ visione ad Eum amandum. Respond: negando consequent: Quia Deus determinatur ad amorem suum non ex generali visionis ratione, sed ex eo, quòd sit essentialiter felix, sanctus & beatus, beatitudo autem ipsius principaliter in visione & fruitione consistit, sicut etiam ex essentiali voluntatis suæ rectitudine, esto, præscindamus à sui visione, est impotens ad peccandum, aliud est de beatis, qui tales sunt ex gratia, & ex natura sua intrinsecè defectibiles. Omnia alia, si quæ adferri possunt argumenta, facillimè solvi possunt per moralem necessitatem, licèt non sit aliqua physica necessitas vel prædeterminatio.

QUÆSTIO TERTIA.

De perfectionibus animæ Beatorum, seu de Dotibus, Aureolis, & fructibus.

I. Dos dupliciter sumitur & describitur.

Dos dupliciter hic sumi potest. Primò prout generaliter significat quamcunque perfectionem, aut habilitatem beati, quo sensu vocamus bonum ingenium, memoriam, facundiam, & similes alias perfectiones, dotes animæ. Secundò accipitur pro aliquo dono particulari, quod datur beatis aliquo modo correspondens doti, quam sponsus vel parentes dant sponsæ ad significationem amoris, & sustinenda onera matrimonii. de qua *L. Dotis ff. de Jure dotium* dicit: *Fructum dotis ad sponsum proprietatem & dominium ad sponsam pertinere.* Hinc quia Deus ob superabundantem amorem erga beatos, eò quòd sibi indissolubili amoris vinculo copulare velit, Theologi assumpserunt metaphoram dotis, & transtulerunt eam ad animas beatas, habentes fundamentum egregium in Scriptura, nam unio animæ cum Christo & Deo per charitatem desponsatio dicitur, juxta illud Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide & dilectione.* & in Canticorū cant: ordinariè anima *Sponsa* dicitur. Item ex illo 2. Corinth: 11. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* & ad Ephes: 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*, & quod de Ecclesia dicitur, de qualibet anima dici potest, hoc autem matrimonium in statu viæ non est indissolubile, in patria omninò est irrevocabile, & tunc propriè anima introducitur in Domum Sponsi, juxta illud: *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem*, quare prosequendo metaphoram tunc anima in cœlo specialiter dotari dicitur & ornari, vel à Deo ùt à Patre, vel à Christo ùt à Sponso, non ad sustinenda onera illius matrimonialia, quæ ibi nulla sunt, sed ut condignè fruatur illo statu, de quo Apocalyp: 21. dicitur: *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam sicut sponsam ornatam viro suo.*

Præsupposito ergo tanquam certo pro prima parte tituli quæritur, quotnam sint tales dotes in anima beatâ, & quid sint? an videlicet actus vel habitus, an utrumque? & quidem Richardus & alii præter visionem, tentionem & amorem ponit etiam Lumen gloriæ, charitatem habitualem consummatam, & securitatem. Et non abs re, nam si prosequenda sit metaphora dotis, magis in habitu, quàm in actu collocari deberet, nam dos non significat usum aliquem, sed facultatem ad utendum, sicut etiam ingenium, bona indoles, non sunt usus, sed facultates II. Variæ opiniones de dotibus.

tates ad benè utendum. Hoc præmisso

III. Dos consistit in actu. Dico Primò. *Dotes magis probabiliter sunt actus, quàm habitus*. Ita D. Bonaventura 4. d. 49. a. 1. Soto. & Probatur. Quia dos hic significat perfectionem omninò convenientem & propriam beatitudinis, sed propria perfectio beatitudinis consistit in actu secundo, & non primo; ergò. Deinde non potest dici lumen gloriæ, vel habitus, charitatis dos, quia hæc sunt veluti substantiale & fundamentale vinculum illius desponsationis, quod mutuo consensu perficitur. Denique habitus charitatis est communis in via & in patria, quamvis ibi aliquam particularem perfectionem habere negare nolim, dos autem propria est patriæ, ergo.

IV. Dotes sunt tres, & enumerantur. Dico Secundò. *Dotes animæ beatæ sunt tres, nempe Visio, Comprehensio seu Tentio & Fruitio.* Quoad primam partem communiter Theologi conveniunt, quoad secundam diversificant. & Probatur, Quia dotes in patria debent aliquo modo correspondere donis animæ in via, quæ dantur illi propter futuras nuptias: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Apocal:19. sed dona, quæ hic dantur propter nuptias, sunt tria, videlicet Fides, Spes, & Charitas, ergo etiam in patria. Ex qua congruentia & moralitate sequitur etiam secunda pars, nam visio correspondet fidei tanquam perfectum imperfecto, & tanquam prœmium tali merito accomodatum: Comprehensio seu tentio, & consecutio, à qua Beati comprehensores vocantur, correspondet spei, tanquam termino ejus, unde D. Paulus monet; *sic currite, ut comprehendatis*. 1. Corinth: 9. Fruitio tandem amori correspondet, quæ multò perfectior ibi erit & plenior, quàm in via esse potuit, nam hic languebat & mœrebat, ibi verò habebit simul quietem, declarationem summam, & securitatem, unde alii pro fruitione non malè, nec improbabiliter ponunt vel *delectationem*, ùt D. Bonaventura, vel *Securitatem*, ùt Richardus; & Paludanus pro Comprehensione, quam omittit ponit *delectationem*, & pro tertia *dilectionem*.

Nota autem non malè dici posse, Comprehensionem esse complementum dotis, nam tam visionem quàm fruitionem complectitur, nam visio præcisè considerata non dicit, nisi claram rei visæ cognitionem, nec est formaliter ipsius consecutio vel possessio, sicut si quis videret ingentem thesaurum, non per hoc statim illum possidet, sed per apprehensionem illius. V. Comprehensio est complementum dotis.

Notandum Secundò. Dotes istas quantum ad rem pertinet posse eas poni quoque in anima Christi & in Angelis (de quo aliqui controvertunt, & negant) quamvis metaphora non ita propriè illis accomodetur, Quia si in Christo consideretur unio naturarum, non habet propriè rationem desponsationis, quæ solet esse inter personas distinctas, & ejusdem naturæ specificæ, si verò consideretur unio inter Verbum & humanitatem, est etiam alterius ordinis, & non est ibi similitudo naturarum, & eadem ratione etiam Angeli non dicuntur propriè desponsari DEO, ùt DEO, quia non sunt ejusdem naturæ, & sic cessat metaphora dotis, etsi facilè etiam extendi possit ad DEUM, nam etiam anima dicitur desponsari DEO, ùt DEUS est, quatenus *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est*. 1. Corinth: 6. & sic convenit quoque Angelis & suo modo animæ Christi. VI. Metaphora Dotium nō convenit Christo aut Angelis.

Quoad secundam partem Notandum ex D. Bonaventura in Centiloquio p. 4. Aureolam esse nomen diminutivum derivatum ab aurea, quæ significat coronam, hinc in apocal: dicitur cap: 4. de viginti quatuor senioribus: *Et in capitibus eorum coronæ aureæ*. Et altius fundamentum habet in antiquo testamento. Exodi 25. ubi DEUS jubet fieri auream coronam & aureolam. *Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: & super illam alteram coronam aureolam*, & hinc glossa applicat coronam beatis tanquam beatitudinis prœ- VII. Aureola describitur.

prœmiũ essentiale, & aureolam tanquam prœmiũ accidentale, quod desumpsit ex Beda lib: 1. de tabern: cap: 6. hinc apud Scholasticos comuniter aurea significat prœmium substantiale, idem quod coronam seu mercedem significans, aureola autem est prœmium accidentale, non qualecunque, sed illud, quod correspondet operi excellenti & privilegiato, & ideo Ecclesia de S. Francisco in Breviario cantat: *Auream victor meruit, aureolam dum docuit.* Palma verò dicitur, quod non operi datur, sed promptæ voluntati, & tale habuit S. Martinus, S.P.N. Franciscus, de quibus canit Ecclesia: *Quam* (animam) *etsi persecutoris gladius non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit.* Hoc prænotato

VIII. Beati habebunt aureolas. Dico Tertiò. *Beati in Cœlis habebunt aureolas particulares.* Ita sentiunt Theologi communiter, quia nihil aliud significat, quàm Beatos habituros prœmium accidentale. & Probatur dari aliquod prœmium accidentale ex Sap: 3. *Fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Quibus verbis significantur perfectiones & honores distincti à visione beatifica, nam *donum & pax est electis ejus.* & Psalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, Exaltationes DEI in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum:* Item Matth: 19. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* & Lucæ 15. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia.* Et ratio etiam est, quia nulla est essentia creata, quæ non habeat aliquas perfectiones accidentales, se se subsequentes, beatitudo autem est quid creatum, ergo habebit aliquas perfectiones accidentales, quæ beatitudo accidentalis dicitur, eò quòd illi beatitudini accidit, non præcisè quòd accidens sit, sed quia ipsi beatitudini essentiali accidit.

Dices. Scripturas & rationem probare quidem beatitudinem accidentalem, sed non aureolam. Contra. Aureola aliud non est, quàm beatitudo accidentalis, ergo si probant illam, probant etiam aureolas, & licèt tantùm genericè hic probentur, benè tamen infertur, etiam aureolas dari, nam sicut isti textus genericè probant, ità etiam textus dantur, qui specificè eas declarant & insinuant. Unde

Dico Quartò. *Tres communiter admittuntur aureolæ, una in Virginibus, altera in Martyribus tertia, in Doctoribus.* Est communis, hinc de illis vulgatum circumfertur carmen. IX. Tres sunt aureolæ.

Aureolam Martyr, Doctor, Virgóque meretur.

Probatur Primò ex Scriptura, Nam prima ad Virgines spectans, colligitur Apocal. 14. ubi habetur: *Et cantabant quasi Canticum novum, ante sedem & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra, Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno. Et in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Quem locum de aureola virginum explicat V. Beda, in quo etiam plures speciales prærogativæ eis attribuuntur. Secunda ad Martyres spectans colligitur ex Apocalyp. 7. ubi dicuntur *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* & subditur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas in sanguine Agni.* Et iterum: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. Tertia pertinens ad Doctores, colligitur ex Danielis 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos,*

multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates: & Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Probatur Secundò Ratione: Quia aureola est præmium particulare insignis victoriæ contra insignem aliquem hostem, atqui tres insignes victorias homines in vita de tribus nocivissimis hostibus reportare possumus, ergò dabuntur tres aureolæ. Probatur minor: In Virginibus carne nunquam voluntariè pollutis ob insignem victoriam de carne; in Martyribus ob victoriam de Mundo; & in Doctoribus de dæmone reportatis, intellige per Doctores non illos solos, qui in Universitatibus cæremonialiter pro numismate proclamantur tales, sed profitentes, docentes, & prædicantes, aliàs nec Augustinus vel Hieronymus, & Bernardus illam acceperent.

Dices: Etiam Apostolis & aliis Discipulis Consilia Evangelica sequentibus promittitur speciale aliquod præmium, ùt patet ex illo Matth. 19. *Qui secuti estis me, sedebitis super sedes &c.* Imò & illis, qui patrem & matrem ac sorores suas reliquerunt, centupla promittitur retributio, & simùl vita æterna, ergò sicuti ex superioribus textibus colligitur aureola pro Virginibus, Martyribus, & Doctoribus, ita etiam pro illis colligi potest particulare præmium, & mirum videtur, quòd pro Virginibus statuatur aureola, & non pro illis, qui tota vita duram, rigidamque egerunt pœnitentiam. Respondet Ariaga, sibi non videri rationem disparitatis, æstimatque parvum esse fundamentum asserendi ex superioribus textibus aureolas, & maximè reducendi ad ternarium numerum. Sed Respond. melius concedendo ant: & negando conseq. Quia verum est quidem, quòd ex illis textibus aliquod speciale præmium etiam colligi possit, non tamen aureola, quia hæc datur propter specialem aliquam victoriam de hostibus, cum quibus nobis est perpetua colluctatio.

Dubium autem est, quod rei sint istæ aureolæ? Non enim apparet, quòd sint gaudia quædam accidentalia de præfatis certaminibus & victoriis, nam hoc commune est cæteris bonis operibus maximè heroicis, quòd de iis beati gaudeant, imò gaudium hoc quasi connaturaliter sequitur, quare

Dico Quintò: *Credibile est, quòd aureolæ in anima sint quædam qualitates characteristicæ.* Probatur à pari, nam prout etiam initiati Baptismo, aut militiâ Christianâ accipiunt characterem postea permansurum, ergò etiam aureolæ erunt aliqua talia signa, & quidem post resurrectionem existimo, in corpore fortè futuras particulares aliquas qualitates, quibus tria præfata bonorum genera illustrantur, & dignificantur, sicut etiam in Republica terrena insignes milites, Doctores solent quibusdam particularibus signis à Principe condecorari. X. Aureolæ sunt qualitates characteristicæ.

Pro tertia parte tituli notandum, metaphoram fructus beatorum desumptam esse ex Matth. 13. ubi Christus Dominus in parabola seminantis dicit: *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum*, per quos fructus S. Thomas vult specialiter significare quædam specialia præmia accidentalia, virtuti charitatis correspondentia, & quidem dicit, ea respondere castitati conjugatorum, viduarum & virginum, & consentit in idem D. Hieronymus. Porrò Theophylactus & Anselmus in præfatum locum Matthæi applicant, illos fructus profitentibus vitam contemplativam centesimum, activam cum singulari perfectione sexagesimum: & activam communem trigesimum. Tertiò D. Augustinus *lib. quæst. Evangel. qu.* 9. accommodat Martyribus, Virginibus, & Conjugatis, XI. Fructus Beatorum explicantur.

gatis, meliùs tamen idem *lib. de sancta virginitate cap. 45. & cap. 46.* applicat omnibus justis, in quibus alii sunt perfecti, & portant fructum centesimum: alii mediocres cum sexagesimo, & alii infimi, unde cum illo dico, per diversitatem fructuum non significari particularia aliqua prœmia accidentalia, sed diversos & plures gradus meritorum, gratiæ, & consequenter gloriæ tanquam prœmii essentialis, si quis tamen etiam vellet accommodari prœmio accidentali, est relinquendus in sensu suo abundare.

QUÆSTIO QUARTA.

Quando Anima hominis consequetur Beatitudinem?

I. Variæ opiniones de tempore beatitudinis. Lutherus in præfatione ad Genesin, & Calvinus lib. 4. Institut. cap. 25. docent, omnes animas, quantumvis sanctissimorum hominum, detineri in quibusdam abditis receptaculis usque ad diem Judicii, ubi nec DEUM videre, nec beatæ dici possunt, nisi tantùm in spe, quod ante illos etiam sensit Tertullianus contra Marcionem. Iræneus verò, Victorinus & alii secuti Papiam Apostolorum Discipulum existimabant, animas Beatorum, imò ipsósque nec post diem Judicii consecuturos statim Beatitudinem, sed ante cum Christo mille annos regnaturos in nova Civitate Jerusalem. Verùm contra utramque opinionem.

II. Animæ statim post mortem fruuntur DEO. Dico Primò: *Animarum sanctarum beatitudo quoad essentiam non differtur usque ad resurrectionem corporum, sed statim vel post mortem, aut post expiationem purgativam eam consequuntur.* Ita Fides Catholica, estque definita ab Innocentio III. *cap. ad Apostolicam de Presbyt. non bapt.* & à Benedicto XI. quem aliqui numerant XII. in Extrav. quæ incipit: *Benedictus Deus.* edita Anno 1336. in qua post longam discussionem habitam cum Cardinalibus & Prælatis multa definit. Primò: *Quòd secundùm ordinationem DEI communem animæ justorum omnium, quæ penitus purgatæ fuerint, post Ascensionem Christi recipiantur in Cœlum, & consortio Angelorum aggregentur.* Secundò: *Quod omnes animæ tales videant Essentiam Divinam immediate, se benè, apertè, & clarè illis ostendentem, idque à tempore mortis Christi.* Tertiò: *Quòd sic videntes divinâ Essentiâ perfruantur.* Quartò: *Quòd tali visione & fruitione illæ animæ sint beatæ, & habeant vitam æternam & requiem.* Quintò: *Quòd visio hujusmodi, ejusque fructus actum fidei & spei in eis evacuet.* Sextò: *Quòd, postquàm inchoata fuerit, vel erit talis intuitiva & facialis visio & fruitio in eisdem animabus, eadem visio & fruitio sine aliqua intermissione continuata existet & continuabitur usque ad finale judicium, & ex tunc in sempiternum.* Septimò definit: *Quòd secundùm ordinationem DEI communem animæ decentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendant, ubi pœnis inferni crucientur.* Et postremò statuit: *Quòd si quis contra aliquam ex his determinationibus scienter & pertinaciter tenere, conferre, prædicare, docere, aut defendere verbò, vel scripto præsumpserit, contra eum sicut contra hæreticum debitò modò procedatur*, unde manifestum, clarum & evidens est, ista omnia ad fidem pertinere.

III. Variæ propositiones à Benedicto XI. definitæ.

Probatur Secundò: Ex Conciliis, ex Florentino Sess. ult. ubi Græci suum errorem correxerunt, & dicitur: *Definimus illorum animas, qui post baptismum susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM Trinum & Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate aliam aliâ perfectiùs.* Idem tradit Tridentinum Sess. 25. in Decreto de veneratione Sanctorum, ubi mandat Episcopis, ut *Fideles diligenter instruant, docentes eos Sanctos*

ctos unà cum Christo regnantes orationes pro hominibus offerre, bonum atque utile esse eos suppliciter invocare. - - - - Eos verò, qui negant, Sanctos æterna felicitate fruentes, in cœlo invocandos esse, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, - - - - omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

IV. Cupio dissolvi explicatur. Probatur Tertiò: Ex Scriptura Lucæ 23. ubi Dominus ad latronem ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* id est, in gloria, & gaudio regni cœlestis, prout Patres communiter exponunt Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius. Et ad Philipp. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo,* sed hoc Paulus frustra cuperet, nisi crederet, se statim cum Christo post dissolutionem futurum, in quem textum D. Augustinus in epist. 119. ad Januarium cap. 14: ait: *Illud quod est optimum, se dicit (Apostolus) concupiscere, dissolvi & esse cum Christo. Manere autem in carne necessarium, inquit, propter vos. Quod ergò inquit: Cupio dissolvi, & esse cum Christo: inde incipit requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed clarificatur, quæ tamen nunc fide retinetur.* Deinde Joann. 12. Christus dicit: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit,* in quæ verba D. Augustinus tract. 151. in Joann. ait: Per hæc verba significari, quod *pretium* seu merces *operis, quæ Christo ministratur, sit esse cum Christo,* sed merces ministerii Christi est visio DEI, quam alibi idem Sanctus Doctor vocat totam mercedem, ergò esse cum Christo est consociari illi in visione DEI, & summa beatitudine, ut ibidem colligit D. Augustinus dicens: ***Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm ut sit, ubi est unicus non æqualis factus Divinitati, sed consociatus æternitati.*** Denique Apocal. 6. de Sanctis Martyribus dicitur: ***Et datæ sunt illis singulis stolæ albæ,*** per quas Patres communiter intelligunt animarum gloriam & beatitudinem, nobis sufficiat hic D. Augustinus Serm. 11. de Sanctis, qui est de festo Innocentium quartus, & habetur tom. 10. ubi ait: *Per stolas albas debemus intelligere mercedem baptismi, præmium Martyrii. mercedem æternorum, & gaudium cœlestis patriæ. Habent ergò ante resurrectionem Sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur, postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Isaias: In terra sua duplicia possidebunt.* Et infrà: *Oportet ergò fratres charissimi, quia primitias Martyrum hodiernâ festivitate veneramur, de æterna, quæ in cœlis est, Martyrum festivitate sedulò cogitemus, eorumque vestigia, in quantum possumus, sequendo, & ipsi ejusdem festivitatis supernæ participes existere curemus, testante Apostolo: Quia si socii passionum fuerimus, simul & consolationis erimus: non tàm de morte eorum lugeamus, quàm de justa palmæ perceptione lætemur. Siquidem singulos eorum cùm per tormenta pellerentur ex hac vita, Rachel gemebunda, id est, Ecclesia gemit, luctu, lacrymisque prosecuta: sed jam hinc expulsos superna Hierusalem, quæ est mater omnium nostrûm, mox in aliam vitam obviis lætitiæ ministris excepit, atque in gaudium Domini sui perpetuò coronandos introduxit. Unde dicit Joannes, stabant ante thronum in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Stant enim modò antè thronum DEI coronati, qui quondam ante thronum judicum terrenorum jacebant pœnis adstricti. Stant in conspectu Agni nulla ratione illic à contemplandâ ejus gloriâ separandi, à cujus hic amore nec per supplicia poterant separari.*

Probatur Quartò ex Sanctis: Quorum integrum catalogum possem adducere, sed textibus citandis duos tantùm adduco, D. Augustinum lib. 20. de Civit. DEI, cap. 13. ubi ait: *Animæ victrices gloriosissimorum Martyrum omnibus doloribus, ac laboribus superatis atque finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt & regnant,*

gnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus, regnent. Et de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 79. *Post Ascensionem Domini ad cœlos omnium Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur, sicut & peccatorum animæ, in inferno sub timore positæ, exspectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam detrudantur æternam.* Item lib. 20. de Civit. Cap. 9. *Cùm Sanctos in oratione invocatis, sic oportet de iis cogitare constitutis in gloria æterna claritatis, scilicet splendidissima lumina longè præ solis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in DEI visione habeant, & cunctis se invocantibus potenter subveniant.* Tandem hom. 6. in Apocal. tom. 9. *Vidi sub ara DEI animas interfectorum. Aram DEI Ecclesiam dicit, sub cujus oculis Martyres effecti sunt, & licet animæ Sanctorum in paradiso sint, tamen quia sanguis Sanctorum super terram funditur, sub ara clamare dicuntur.*

Sanctus Bernardus autem epist. 311. ad Fratres de Hibernia, ubi ait: *Et Pium magis gratulari Malachiæ viventi. Nunquid non vivit? Utiq; & beatè.* Et paulò infrà subdit illum alloquens: *Nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas.* Item Serm. 2. de S. Victore ait: *Jam cœlos ingressus, quos & ante apertius oculis suspiciebat, verè nunc revelata facie speculatur gloriam DEI, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum.* Similia habet Serm. 26. in Cantica alloquendo fratrem defunctum Gerardum, & alibi sæpè, ùt mox infrà patebit.

V. Ecclesia Sanctos ùt in cœlo existentes honorat.

Probatur Quintò ex communi sensu Ecclesiæ & omnium fidelium, quæ eorum festa solemniter celebrat, congaudet de Triumphato mundo, & accepta beatitudine, in honorem eorum construit Ecclesias, altaria erigit, imagines pingit cum radiis solaribus, quod antiquis Sanctis non fiebat, adeóque signum est, eos jam esse, & regnare actu cum Christo. Insuper invocat eos in Missis, & orat, ut per eorum intercessionem beneficia desiderata consequatur, testaturque in ipsis orationibus, eos jam videre Christum, ubi in festo S. Gregorii Magni: DEUS, *qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti.* S. Francisci de Paula: *DEUS humilium celsitudo, qui B. Franciscum Confessorem Sanctorum tuorum gloria sublimasti.* S. Leonis Papæ, *DEUS qui B. Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti.*

Probatur Sextò ratione. DEUS defacto non est minus justus in præmiando, quàm in puniendo, sed decedentes cum peccato mortali statim post hanc vitam inferni cruciantur supliciis, ùt patet ex Job. 19. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Lucæ 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* ergo Sancti consolantur beatitudine, ab omnimoda paritate, cùm nulla sit ratio impediendi vel differendi, quòd enim ante Christi resurrectionem in Limbo detinebantur Sancti, fuit ex eo, quia pretium redemptionis nostræ nondum persolutum erat, jam verò copiosè redempti sumus.

Secundò ab alia paritate: Angeli statim in termino merendi acceperunt beatitudinem, ergo etiam animæ beatæ & salvatæ statim accipiunt: patet conseq: Quia statim post mortem cessat eorum merendi terminus, ùt paulò infrà videtur. Tertiò, à parabola mercedis datæ operariis ad vesperam, Matth. 20. *Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipe à novissimis usque ad primos.* Sed vespera hominis cujuslibet est mors, & transitus ad aliam vitam, ergò cuilibet statim dari debet, si nihil obstet: Unde ipse DEUS jubet Levit. 19. ut merces detur statim persolutâ operâ: *Non morabitur opus mercenarii* (id est, merces operis) *apud te usque*

usque mane. Deinde nihil impedit, quia anima est beatitudinis capax non minus, quàm postquam iterum corpus assumpserit. Denique si animæ per tot sæcula seu in obscuro, seu in amœno loco detinerentur, magnam inde sentirent ex dilatione tanta molestiam, *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Sed in contra

VI. In resurrectione dabitur completa gloria. Opponitur primò Authoritas Scripturæ ad Coloss: 3. *Mortui enim estis, & vita vestra & abscondita cum Christo in DEO, cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* 2. ad Timoth: 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* ad Hebræos 11. ubi Sancti veteris testamenti dicuntur, quod non *acceperunt repromissionem DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* 1. Petri 5. *Et cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Et 1. Joann: 3. *Charissimi, nunc filii DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Et tandem Apocalyp: 6. *Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* In quibus omnibus locis clarè ostenditur animas defunctorum fidelium non accepturas gloriam aut beatitudinem ante secundum adventum Christi, seu ante resurrectionem & universale judicium. Respond: primò, negando consequ: Nam universaliter omnes textus præcitati loquuntur de prœmio meritorum cum publico honore, solemni pompa, & manifestatione omnium operum bonorum, quod Sanctis dabitur in die generalis judicii, quia tunc non tantùm animabus sed etiam corporibus sua merces retribuetur, & gloria extrinsecè complebitur, & Scriptura utitur ex phrasi ad inculcandum nobis magis diem judicii, quia illa specialis cujuslibet retributio non ita apprehenditur ab hominibus. Respond: Secundò. Specialiter textum ad Colossenses loqui de gloria corporis simul, quia tunc Christo in natura humana, ejusque gloria similes ei erimus. Ad Timotheum scribens agit de resurrectione corporum. Ad Hebræos autem aliud non vult, quàm significare illos Patres antiquos non accepisse gloriam animæ ante adventum novi testamenti, & mortem Christi; Et quod corporis gloriam, ac plenam mercedem nobis promissam non sint accepturi ante communem resurrectionem, & ita non sint habituri consummatam beatitudinem sine nobis. Ad locum ex Apocalypsi dico, S. Joannem loqui apertè de animabus Martyrum, qui sunt in cœlo & acceperunt singulæ suas stolas, nam & altare illud erat in cœlo, & in capite 7. dicuntur esse ante thronum DEI & servire ei die ac nocte. Videatur Ribera in cap: 6. Apocalypsis.

Opponitur Secundò Authoritas Joannis XXII, qui teste Occamo in opere nonaginta horarum, & Joanne Gerson in sermone de Paschate, & Adriano in 4. de Sacramento Confirmat: pat ult: oppositum conclusionis definivisse dicitur, & Doctoribus Parisiensibus mandasse, ut ita docerent, nec ullum admitterent ad gradum Theologiæ, nisi juraret in eam sententiam, ergo. Respond: Falsum esse Joannem XXII. definivisse, nam Benedictus XI. ejus successor in bulla supra citata id expressè testatur dicens: *Quòd cùm magna esset concertatio de hac re, & Joannes XXII. ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in suo Consistorio publico mandando, & strictius injungendo Cardinalibus & Prælatis, & in Theologia Magistris, qui plurimi aderant, ut super materiâ de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè quisque diceret, quod sentiret, tamen morte præventus, perficere non potuit,* ex quo patet Joannem id nunquam definivisse, sed ad definiendum se præparasse. VII. Joannes XXII. non definivit beatitudinis dilationem.

se. Quare dicunt aliqui id figmentum ab Occamo Joanni fuisse affixum, utpote contra quem acerbiùs tanquam defensor Ludovici Bavari à Joanne depositi invexit. Verùm ego existimo Occamum non planè quidem finxisse & affixisse hanc lappam Joanni, sed Joannem ansam & occasionem præbuisse huic suæ annotationi, quia ille ùt Doctor privatus in sententiam oppositam nostræ conclusionis propendebat, & illam veriorem existimabat, sicut nunc plures Pontifices, ùt Alexander VII. & Innocentius XI. magis pro Immaculata Conceptione propenderunt, eámque tradi in Scholis permittunt, & oppositum omninò inhibent, licèt nihil de fide definirent. Tandem pro defensione Joannis XXII. quod cuilibet fratri Minori vi regulæ præstare convenit, ajo cum Marsilio in 4. q. 3. a. 3. & Joanne Villano lib: II. de rebus Florent: cap: 19. Joannem quidem inclinâsse in priorem sententiam, sed ante mortem suam, retractâsse eandem, nam Villanus citatus testatur se id à fratre suo, qui in Palatio Pontificis Avinione morabatur, sic accepisse.

VIII. Augustinus non est dubius de actuali beatitudine animarum.

Opponitur Tertiò Authoritas D. Augustini Serm: 103. de SS. Perpetua & Felicitate, ubi ait: *Hæc vita, quam nunc beati Martyres habent parva particula promissionis, imò solatium est dilationis.* Et lib: 9. Confess: 3. dicit: *Nebridius vivit in sinu Abrahæ, quidquid illud est, quod significatur illo sinu*, & ut omittam plures ejus authoritates, ùt Enchirid: 108. & 12. Civit: 9. ubi dicit animas Sanctorum *in abditis quibusdam receptaculis detineri*, lib: primo Retract: cap: 41. expresse dubitat, ubi tamen, veluti retractans minus recta, contrarium edixisse debuisset, ait enim: *Quinam sint beatissimi, qui jam sunt in possessione, quo ducit hæc vita, magna est quæstio. Et Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla magna quæstio est: sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum illi saltem dicendi sint, jam in illa possessione consistere meritò quæritur: jam enim quidem corpore corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc etiam exspectant ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est facie ad faciem nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando requirere*, ergò. Sed Respond: primò, universaliter D. Augustinum aliud non velle in omnibus locis allegatis & quibuscunque aliis, quàm quòd animæ Sanctorum ante resumptionem corporum non sint futuræ beatæ secundùm extensionem, & beatitudinem accidentalem, non verò secundùm beatitudinem intensivam & essentialem, certum enim est, quòd reassumptio corporum nihil conferat ad beatitudinem formalem, nam cùm, ùt ipse docet D. Augustinus, defacto per corpus anima impeditur à veritatis contemplatione, non video quomodo tunc corpus faciet ei perfectiorem visionem, & quomodo eam causabit? Si dicatur, ùt dicitur, ex eo, quod per inclinationem naturalem ad corpus distrahatur intensa operatio animæ & intellectûs; eâdem ratione possum dicere, quòd appetitus complacentiæ ad corpus præsens etiam animam posset distrahere à perfecta operatione potentiarum maximè cùm anima tunc pluribus operationibus intendere deberet, nempe sensitivis & motivis, quæ eam, utpote limitatæ virtutis & perfectionis â contemplanda Gloria DEI amovere, vel saltem distrahere valerent.

Respond: Secundò ad singula, Et ad primum quidem locum, sanctum Doctorem ibi considerare Civitatem DEI totam, omniúmq; beatitudinem & collectivè cnmparando cujuslibet Martyris ad totam illam Civitatis DEI collectionem & gloriam, & sic dicit beatitudinem martyris esse quandam particulam

culam promissionis DEI, nam respectu omnium parva est, respectu tamen cujusque in particulari magna est, & tota, Et fortè ratio hujus esse potest, quia beatitudo omnium redundat in singulos accidentaliter. Ad secundum dico, Augustinum non dubitare de essentiali beatitudine Nebridii, sed eum habere ipsam asserere, quidquid ipsa sit, seu sit visio seu fruitio, subdit etenim ibidem: *Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aciditate sua sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cùm tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor.* Ad tertium dico, quòd quando vocat beatitudinem *abditum*, vel *secretum* locum, non intelligit visionis carentiam, & beatitudinis privationem, sed quia nobis mortalibus abditus est & secretus. Hinc nihil obest, quòd etiam dubitaverit in libris retractationum, cùm tunc nihil adhuc determinatum fuerit tanquam dogma Fidei ab Ecclesia, cui semper standum docet.

IX. *Per vesperam intelligitur obitus cujuslibet.* Instatur. Videtur esse magis conforme ad S. Scripturam dicere omnes post diem judicii & resurrectionem corporum accepturos beatitudinem essentialem, ergo. Probatur antec: Quia Matth: 20. Pater familias omnibus operariis ad vesperam (diei judicii) mercedem & denarium (beatitudinis) reddit, ergo. Ad hanc instantiam Respond: per vesperam in allegato loco intelligi debere finem & occasum vitæ cujuscunq; in particulari, etiamsi non fuerit ad laborandum tam citò vocatus ac alii, contingit enim, quòd nonnulli in extremis primò convertantur ut latro, & seriam agant pœnitentiam eandémque beatitudinem recipiant ac alii, qui ab ineunte ætate in longam senectam vitam piè traduxerunt. Verùm

Urgetur. Resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis etiam cujusque in particulari, sed ille non statim post decessum à corpore secundùm animam cœlos ascendit Patris fruendum munere, ergo nec nos statim post mortem fruemur beatitudine. Sed Respond: Resurrectionem Christi ejúsque mortem potius probare contra Adversarios, quia Christus ante resurrectionem beatus fuit; imò etiam ante passionem, nam ab instanti conceptionis clarè vidit Essentiam Divinam, & etiam sanctissima Anima in mortis triduo, quando corpori unita non fuit.

Dices. Saltem sequitur, quòd sicut Christus non statim ascendit ad cœlos post resurrectionem, ità nec nos ascensuros, sed mille annis regnaturos cum Christo, quod Papias voluit. Respond: negando sequelam, nam post resurrectionem Christus ideò non statim ascendit ad cœlos, quia ut verè demonstraret se à mortuis resurrexisse, & Apostolos erudiret adhuc magis, & in fide confirmaret, non verò quòd ille regnaret, aut nos cum ipso per aliquod tempus essemus prius regnaturi. Denique omnes objectiones, quæ adferri possunt sive ex authoritate, sive ex ratione, facilè solvi possunt dicendo aliud non velle, quàm quòd loquantur de beatitudine completa, & etiam accidentaliter consummata, quæ differtur usque ad universalem Resurrectionem. Et licèt non possint aliqua explicari, id tamen non præjudicaret conclusioni, quia tunc vel Patres dubii de hoc fuerunt, vel nondum per Ecclesiam determinatum fuit. Hinc

Dico Secundò. *Beatitudo post resurrectionem non erit magis perfecta essentialiter, quàm sit ante, benè tamen accidentaliter.* Hæc sequitur ex priori, & Probatur prima pars: Tum ex Benedicto XI. supra determinante visionem DEI, quam accipiunt Beatæ animæ statim post mortem continuandam usque ad finale judicium, & inde in æternum; quod autem continuatur non crescit: Tum, Quia visio erit commensurata lumini gloriæ, sed lumen gloriæ per reassumptionem corporum non crescet, ergò X. *Beatitudo post resurrectionem non erit perfectior essentialiter.*

nec beatitudo essentialis: Tum, Quia nulla est ratio aut fundamentum concedendi animabus conjunctis majorem & perfectiorem visionem, ac fruitionem, quàm separatis, cùm potius videatur, quòd separatæ perfectiùs similes operationes possint elicere, quàm conjunctæ, nam cùm sint limitatæ virtutis per operationes animales facilè distrahi possunt à rationalibus intellectûs & voluntatis.

Probatur Secundò eadem Pars. Tum; Quia, si anima separata non posset æquè perfectè videre essentiam, quàm conjuncta, id deberet provenire vel ex eo, quòd corpus illi conferat aliquid ad visionem, vel quòd per desiderium ad corpus distrahatur, vel ex eo, quòd habeat imperfectius esse extra corpus, quā in corpore, sed nihil horum dici potest, ergo. Probatur minor, quoad singula: Non primum, quia anima per corpus magis impeditur, & abstracta magis ad sublimia rapitur, unde etiam extatici corporales non exercent operationes stante extasi: Nec secundum, quia illud desiderium vel est innatum, vel elicitum, si innatum non distrahet, quia tantùm est quid potentiale: si elicitum propter conformitatem cum DEI voluntate facilè comprimunt illud, si enim non comprimerent, peccarent, nam etiam in hac vita est reprehensibile, alicui rei creatæ affici & adhærere, ut non possit homo perfectè diligere DEUM, magis esset in beatis: Nec denique tertium, quia anima in se est æquè perfecta, sive sit in corpore, sive sit extra, sicut æquè perfecta sunt accidentia v. g. Evcharistica sive sint in subjecto, & materia substantiali, sive sint sine illa, ut de se patet, quia accidentia panis & vini easdem habent operationes, ac si essent sub pane & vino, & eodem modo dicit Lessius, operationes naturæ humanæ physicè non esse perfectiores præcisè ex eo, quòd uniantur Verbo Divino, ergò.

XL Benè tamē accidentaliter. Probatur secunda pars: Tum, Quia per unionem illam substantialem majori replebitur gaudio, ex eo, quòd habeat ultimum complementum suum, ad quod connaturaliter est ordinata: Tum, Quia alias & novas poterit habere operationes, quas ante nequivit elicere, ùt movere totum compositum &c. Sed

Opponitur Auhoritas Sanctorum Augustini & Bernardi, quorum primus lib: 12. de Genesi ad litt: cap: 35. ait: *Dubium non est, & raptam à corporis sensibus hominis mentem, & post mortem ipsa carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, id est DEUM, sicut sancti Angeli vident, sive alia latentiori causa, sive ideo, quia inest ei naturalis appetitus corpus administrandi, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* D. Bernardus verò pluribus in locis videtur asserere, animas Beatorum defacto non habere plenam beatitudinem, propter desiderium, quod habent ad corpus, ita enim ait tract: de diligendo DEO cap: 11. *Itaque ante restaurationem corporum non erit ille defectus animorum, quo perfectus & summus est ipsorum status, nec carnis jam sanè consortium spiritus requireret, si absque illa consummaretur.* Similia etiam videtur docere S. Augustinus. Sed Respond: Sanctos Patres tantùm velle, quòd beatitudo ante reassumptionem corporum non erit completa & consummata accidentaliter, licèt bene sit completa substantialiter & essentialiter. Et quamvis videantur velle, quod propter hoc desiderium impedietur, quo minus eo conatu possit in DEUM ferri, hoc non obstat, quia per conatum non intelligit majorem vim potentiarum intellectualium, cùm corpus ad talem non concurrat, nec concurrere possit; itaque sicut cura de amicis vel damnatione eorum, & peccatis, non retardabit eos à dilectione summa, ùt ipse mellifluus docet in sermone de verbis Originis, ita nec desiderium ad corpus propter summam conformitatem ad divinam

Digitized by Google

divinam voluntatem. Imò difficultas esse possit, ùt suprà jam insinuavi, quomodo ipsum corpus non impediat operationes ipsasmet intellectûs & voluntatis propter suam limitatam perfectionem? Ad quam tamen Responderi potest, quòd particulari auxilio Divino adjuvabuntur, ut sine distractione à visione & dilectione pluribus intendere valeant, quemadmodum dici solet de Angelis Custodibus ad hæc inferiora gubernanda destinatis, qui per concursum extraordinarium adjuvantur, nè à beatitudine ullatenus distrahantur.

DISPUTATIO TERTIA.

DE Beatitudine Corporum.

SUpposui supra corpora futura etiam beata, & aliquando resurrectura ad illam consequendam. Item pro certo supponendum, beatitudinem corporum, animæ beatitudinem non impediturã contra Porphyrium, qui Augustino lib. 22. Civit. cap. 26. teste dicebat: *Ad hoc, ut beata sit anima, omne corpus fugiendum est.* Nam contrarium definitum est in Conciliò Trident. in Decreto de invocatione Sanctorum, Sess. 25. & ipsa ratio suadet, quia nulla forma ex natura rei potest impediri in sua operatione ex unione cum suo proprio perfectibili, adeóque nec anima ex unione ad corpus, quamvis enim de facto contingat, id tamen solùm provenit ex Decreto Dei extrinseco in pœnam peccati, quod tunc amplius non erit, hinc præclarè ait D. Aurelius lib. 12. supra Genesim ad litt. cap. 35. *Cùm hoc corpus jam non erit animale, sed spirituale, tunc Angelis adæquabitur, & erit ei ad gloriam, quod sarcina fuit.* Imò D Bernardus tract. de diligendo DEO cap. 11. clarè docet, perfectam animarum felicitatem reservari usque ad corporum resurrectionem dicens: *At non ex toto sui oblita est, qua adhuc de proprio corpore cogitat suscitando. Cæterùm hoc adepto, quod solum utique deerat, qui jam impedit à seipsa quodammodò abire, & ire totam in DEUM, eoque sibi penitus dissimillimam fieri, quo DEO simillimam effici donatur?* His itaque præsuppositis, ut in hac Disputatione explicem beatitudinem corporum, prius necesse erit explicare, an corpora hæc resurgent, cùm sine resurrectione ad incorruptionem beata dici nequeant. Unde sit

 QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quomodo Resurrectio Corporum sit futura?

Hic videretur prius tractandum fore de signis Resurrectionem præcedentibus, ut est de Anti-Christo, ejus nativitate, persecutione, morte, prædicatione Eliæ & Enoch, de Gog & Magog, eorúmque interfectione, de mundi conflagratione, & similibus; Verùm, quia hæc obvia sunt apud Authores passim, & magis moralia & concionatoria, unde de eorum relatione lubens supersedeo. Quare pro ipsa quæstione resolvenda

I. Resurrectio describitur. Notandum: Resurrectionem secundùm D. Damascenum nihil aliud esse, quàm *Ejus, quod cecidit & dissolutum est, reparationem*, unde ut aliquid dicatur resurgere, cadere prius & dissolvi debuit, sic quia totus homo cecidit, totus homo dicitur etiam resurgere, & quidem quòd resurrectio universalis sit futura, dogma est fidei, ac proinde extra omnem controversiam, verùm difficultas est in explicanda & ratione assignandâ hujusmodi possibilitatis, nam quidam dicunt, ideò possibilem esse hominis resurrectionem, quia esse substantiale animæ manet, quod etiam dat esse & subsistere corpori, & sic quia in aliis rebus etiam animatis esse substantiale, id est, forma, vel anima sensitiva perit, ideo licèt homo possit resuscitari, nequeunt tamen aliæ res ab homine. Scotus verò contrarium docet, afferens tàm hominem, quàm aliam rem quamcunque per DEI potentiam redire & resuscitari posse, quare

II. Omnium rerum reproductio est possibilis. Dico Primò: *Quorumcunque animantium resurrectio, seu quarumcunque rerum destructarum reproductio DEO est possibilis, si facere eam vellet.* Ita Doctor 4. dist. 43. q. 1. & Probatur Primò, authoritate D. Augustini 22. de Civitat. 20. ubi ait: *Et si omnis periisset mundus, nec ulla ejus materia in rebus naturalibus mansisset, unde vellet eam repararet omnipotens*, ergò rem totaliter destructam reproducere potest, unde præclarè ait D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 6. *Frustra Philosophi materiam quærunt, non eguit materiâ DEUS*, ergò nec eget in reproductione & resuscitatione, quod illud non desierit totaliter quoad esse substantiale, quod resurgere dicitur ab omnimoda paritate. Probatur consequentia. Quia sicut nihil impedit, quo minus rem ex nihilo producere possit, ita nihil impedit, quo minus rem semel productam & destructam reproducere possit, ergò. Probatur antec: Quia negatio rei productæ & negatio rei annihilatæ sunt ejusdem rationis, quia sunt ejusdem rei non existentis, v.g. lapidis, qui nondum productus est, & sic non est, & lapidis, qui productus destructus est, & sic etiam non est, ergo.

Probatur Secundò ex inconvenientiis, quæ sequuntur, nam Primò sequeretur, quòd DEUS non possit resuscitare brutum aliquod, quod videtur & est contra historias, nam de S. Sylvestro legitur, eum suscitasse taurum, ùt patet ex ejusdem Legenda. Item de S. Francisco de Paula, in cujus vita legitur, quòd cùm murarii capram eidem Sancto valdè familiarem Martinell dictam, occidissent, & ex eâ prandium parassent, ut furtum latens esset, ossa in fornacem calcis ardentis injecissent, Sanctus Franciscus furto divinitus cognito, fornacem adiit, & plenâ in Deum confidentiâ suam Martinell inclamat, *Martinell prodi foras*, ad cujus vocem statim exiliit eadem quæ ante cocta & manducata fuerat: Deindè sequeretur, quòd homo resuscitatus nec possit habere easdem passiones, quas antea habuit, cùm non sint animæ, sed totius, & proinde in morte totaliter perierint, nec eandem quantitatem, cùm nec illa maneat in materiâ, nec in animâ intellectivâ.

Probatur Tertiò: Quia falsum supponunt Adversarii, Totum hominis

minis substantiale manere incorruptum in anima, quia præter illam apud Scotistas est forma corporeitatis, quæ totaliter destruitur, & tamen iterum reproducitur, item homo non est solùm anima & materia prima, sed est quid resultans ex ipsis. Denique nulla est implicantia nec ex parte DEI, nec ex parte rei reproducendæ, ergò.

III. Resurrectio generalis est futura. Dico Secundò: *Resurrectio generalis hominum aliquando est futura.* Ita credit Fides Catholica: Tum ex Symbolo Apostolorum, quo credimus *Carnis resurrectionem*: Tum Athanasii dicentis: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

Probatur Primò ex Scripturis antiqui Testamenti, Job. 19. *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est spes mea in sinu meo.* Isaiæ 26. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Ezechielis 37. *Ossa arida audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus DEUS ossibus his: Ecce Ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere super vos faciam carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis. Et scietis, quia Ego Dominus. Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, & vidi, & ecce ea super nervi & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.* Danielis 12. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant semper.*

Probatur Secundò authoritatibus novi Testamenti, Matth. 22. *Respondens autem JESUS ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem DEI, in resurrectione enim neque nubent neque nubentur: sed erunt sicut Angeli DEI in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à DEO dicente vobis: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob? Non est DEUS mortuorum sed viventium.* Joann. 5. *Amen Amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audiunt vocem Filii DEI, & qui audierint vivent. - - - Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* & 11. cap. *Dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* 1. Corinth: 15. ubi Paulus ex Resurrectione Christi communem probat & universalem, ait enim: *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexerit à mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.*

Probatur Tertiò ex Patribus: Augustino lib. in Enchirid. ad Laurentium cap. 84. *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* Et ex ratione materiæ pulchrè demonstrat ibidem cap. 88. *Non perit DEO terrena materies, de qua mortalium creatura caro, sed in quemlibet pulverem cineremvè solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum, cibum cedat carnémque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.* Vide ista latius libro vigesimo secundo de Civit. Dei. cap. 20. Et S. Bernardo Serm.

Serm. 8. in Psalm. *Qui habitat*, ubi in illum versiculum *videbis oculis tuis & considerabis*, dicit: *Evidentius siquidem paucis hoc loco verbis & animæ mihi immortalitas commendatur, & ipsius quoque fides astruitur corporeæ resurrectionis: Nempe ruentibus illis futurus sum ipse qui videam, & ne isti quoque, quibus eorum novissimam intuear retributionem oculi defuturi. Neque enim simpliciter oculis, sed oculis (ait) tuis considerabis, istis utique, qui nunc languent præ inopia, & deficiunt dum speras in Deum tuum.* Sed in contrarium

IV. Cœli atterendi. Opponitur authoritas Scripturæ, Jobi 14. *Homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum*, atqui cœlum nunquam atteretur, cùm sit incorruptibile, ergò: Et iterum Eccles. 3. *Unus est interitus hominum & jumentorum*, sed jumenta non surgent, ergo. Respond. Cœlos omninò atterendos non quidem quoad substantiam, sed quoad perfectiones & accidentia, unde D. Petrus Epist. 2. cap. 3. dicit: *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent. Novos verò cœlos & novam terram secundùm promissa expectamus.* Deindè verè possunt dici cœli atteri quoad influentiam in hæc inferiora, quia eorum influxus post judicium cessabit, & de hoc ait Scotus, potest intelligi illud D. Pauli: *Præterit figura hujus mundi.* Ad secundum textum dico ibi Salomonem loqui in persona stultorum, quos tunc repræsentabat veluti Ecclesiastes & Concionator, attamen quid in veritate sentiat, ùt fidelis testatur cap. ultimo: *Ibit homo in domum æternitatis suæ*, Et paulò post: *Et revertatur pulvis in terram unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Dices: Ut idem sit homo, debet eadem esse & redire unio, sed non erit eadem, quia unio totaliter est destructa & interrupta, ergò nec idem erit homo. Respond. cum Scoto, Primò: Posse esse idem compositum totum, licèt non sit eadem unio, quia illa unio non est de essentia totius, nec unio illa est entitas totalis, quæ est ex partibus, adeóque in rigore potest aliquid esse idem absque illa unione. Respond. Secundò, & melius concedendo majo: Negando min: quia redibit revera eadem unio, hæc enim in opinione nostra est relatio, atqui relatio est eadem, ubi termini sunt iidem, seu eadem extrema, undè pulchrè dicit Scotus: Credo Beatissimam Mariam habuisse eandem relationem ad Filium post resurrectionem, quam habuit ante, illa fuit interrupta in morte Christi propter destructionem termini, & in morte Mariæ propter destructionem fundamenti.

Dico Tertiò: *Resurrectio hominum supposità fide suaderi quidem potest, non tamen ratione naturali sive à priori sive à posteriori demonstrari.* V. Resurrectio suaderi potest, non tamen demõstrari. Ita Doctor suprà qu. 2. Et Probatur prima pars ex infinita DEI justitia, misericordia, & liberalitate, qui nullum opus propter nomen suum factum vult relinquere irremuneratum, cùm ergò sola anima non meruerit, sed etiam corpus, imò hoc quàm maximè in multis vehementer afflictum, & excarnificatum fuerit, congruum est Divinæ bonitati, ut illud etiam aliquando præmiet, vel puniat, si peccavit, adeóq; congruum est Divinæ justitiæ & bonitati, ut illud resuscitet, ergò.

Probatur secunda pars: Quia si esset aliqua demonstratio à priori, deberet esse per formam hominis, sed hæc scilicet anima rationalis non est demonstrabilis quoad immortalitatem, seu incorruptibilitatem, ergò nec est demonstrabilis resurrectio, cùm hæc in illius immortalitate fundetur. Et dato quòd hoc esset demonstrabile, adhuc à priori non posset probari resurrectio, quia quis scit, an non sit ejusmodi naturæ, ut semel à corpore separata exigat nunquam illud habere.

Probatur tertia pars: Quia illa ratio assumpta ex DEI Justitia, ut præmiet bonos & fideles suos servos, non est convincens, quia non appa-

Digitized by Google

apparet, nec constat per rationem naturalem, quòd si aliquis Rector omnium rerum & creaturarum, qui secundùm leges justitiæ retributivæ & punitivæ præsertim retributione speciali & particulari cujuslibet individui præmiet & puniat, ergo nec constabit de vita beata corporum in alia vita consequenter nec de resurrectione eorundem. Deinde si hoc aliqualiter de generali retributione probaretur, tunc dici posset, quòd retributio sit in ipso opere bono, sicut pœna in opere malo, itaque benè operanti in ipso actu est retributio, sicut operanti malè est punitio juxta illud D. Augustini 1. Confessi cap: 1. *Jussisti Domine & factum est ita, ut sibi ipsi opera omnis peccati pœna sit.* Denique nihil potest evidenter & naturaliter probari, quod à libero DEI arbitrio dependet, ùt est Resurrectio. Verùm in contra

VI. Granum seminatum non resurgit. Opponitur Primò Authoritas S. Scripturæ 1. Corinth: 15. ubi D. Paulus ex resurrectione Christi probat resurrectionem omnium hominum, idque postmodùm naturali exemplo confirmat de grano in terram cadente dicens: *Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur, & quod seminas non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ùt puta tritici, aut alicujus cæterorum, DEUS autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus.* & alibi sæpe. Sed Respond: negando consequentiam, quia authoritates omnes de Scriptura sumptæ nituntur principiis fidei, adeóque non sunt lumine naturæ notæ, hinc Athenienses deridebant Paulum, cùm de Resurrectione disputaret Act: 17. & Festus Præses Paulo resurrectionem extollenti dixit: *Insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertunt.* Ad exemplum de grano dico illud probare simplicem generationem, non verò resurrectionem, nam ex grano nascitur aliquid aliud, quàm granum sit, corpus autem resurgens, idem debet esse non verò diversum, ut autem naturali ratione demonstraretur, deberet fieri, vel per rationem principii intrinsecè in homine quod esset à priori, vel per rationem alicujus operationis & perfectionis congruentis homini, quod est à posteriori. Hinc etiam licèt Patres aliquando conentur resurrectionem probare, id faciunt supposita fide ex principiis creditis, & exemplis vel similitudinibus persuasivis, quare D. Gregorius lib: 14. Moral: in fine propositis talibus probis finaliter concludit. *Qui propter istas rationes noluerit credere, credat propter fidem.*

VII. Homo habet desiderium innatũ ad semper esse. Arguitur. In homine est naturale desiderium ad semper esse quod scitur naturaliter, sed naturale desiderium non est frustra, ergo naturaliter nota est hominis resurrectio, quia semper esse non potest sine ea. Probatur major. quando homo fugit aliquid naturaliter, ideo facit, quia habet desiderium ad ejus oppositum, sed homo fugit mortem, ergo quia habet desiderium ad semper esse. Respond: dist: maj: habet desiderium elicitũ, nego maj: innatum, conc: maj: Desiderium autem hoc aliud non est, nisi inclinatio quædam, quæ nec quidem probari potest naturaliter, nisi prius probetur illud possibile esse, ad quod dicitur esse tale desiderium, quod tamen ratione naturali demonstrari nequit. Ad probationem maj: proindè nego maj: Quia alioquin sequeretur etiã, quod brutum naturaliter deberet cognoscere sibi deberi resurrectionem, & habere naturale desiderium ad semper esse, quia æquè fugit mortem ac homo, unde licèt semper sit melius esse quàm non esse, non est tamen in omnibus possibile, & hoc est, quòd conservet se natura defacto secundùm speciem, non in unico individuo, sed per continuam individuorum successionem. Et dato quod ex eo, quòd fugiat quis unum oppositum, inde sequatur, quòd habeat desiderium ad aliud, hoc tamen non licet inferre, quòd habeat desiderium ad oppositum in infinitum & perpetuum, sed quia hic defacto fugit

git mortem, defacto & nunc habet desiderium ad vitam. Denique multa etiam desiderantur, quæ tamen naturaliter obtineri nequeunt, imò nec demonstrari, omnes enim desiderant beatitudinem, quæ tamen naturaliter indemonstrabilis est.

VIII. Resurrectio passiva erit naturalis, activa supernaturalis. Dico Quartò. *Si Resurrectio accipiatur & consideretur passivè est naturalis, prout opponitur violento, si verò accipiatur activè non erit naturalis, prout opponitur supernaturali.* Hæc Conclusio est facilis & supponit terminorum notitiam ex Animasticis. Hinc probatur prima pars: Tum, Quia corpus naturaliter inclinatur ad formã, quam recipit, nempè animam: Tum, Quia anima habet naturalem inclinationem ad corpus veluti ad ultimum sui extrinsecè perfectivum, ad quod ordinata est, nempe ad constituendum hominem, ergo.

Probatur secunda pars. Quia corpus non recipiet animam servando naturalem ordinem, rerúmque dispositionem ordinariam, quia non fiet per organizationem naturalem præcedentem animæ informationem, utpotè cùm natura procedat ab imperfectioribus ad perfectiora: Tum, Quia nulla causa potest assignari, quæ naturaliter produceret, ergo. Probatur antec: Quia si esset aliqua, maximè ipsa anima reparato jam corpore, sed hæc non est, ergo. Probatur min: Quia causa æquivoca simpliciter est perfectior suo effectu, ut docet D. Augustinus lib: 83. qq. q. 2. Sed anima non est perfectior toto homine, ergo ipsa non poterit illum naturaliter iterum reproducere, seipsam reuniendo illi corpori. Confirmatur, Non minus naturalis fuit prima unio in generatione, quàm illa, quæ fit in resurrectione, sed anima non ponitur causa activa illius unionis, sed solus DEUS erit etiam causa reunionis cum corpore, & non anima.

IX. Annus Platonicus. Dices contra primam Partem. Omnes res post annum magnum 36000, quem Platonicum vocant, redibunt eædem numero, quia redibunt ad suum eundem primum situm omnia corpora cœlestia, sed quando redit eadem causa, redit idem effectus, ergo. Respond: negando ant: Quia opinio illa Platonis est omninò contra fidem, ùt docet D. Augustinus lib: 12. de Civit: cap: 13. & illud probat ex Scriptura, nam D. Paulus ad Romanos 6. dicit: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* & iterum 1. Thessalon: 4. *Et sic semper cum Domino erimus*; & Ratio etiam est, quia prima illa revolutio nullo modo demonstrari potest, & sicut est liberum assertum, ita liberum est negare. Deinde illa repugnat beatitudini, nam veniente illa revolutione deberet anima iterum redire ad miserias hujus vitæ, quas prius habuit, nam anima beata vel credit se redituram, vel non credit: si credit tunc non est beata, quia semper erit timida de amissione fienda: si non credit, & scit, se non redituram, ergo falsa est opinio, uti revera est, quæ insuper nimis debili nititur fundamento, quia idem effectus non dependet solùm ab eadem causa efficiente, sed etiam à materiali & formali, ergo non obstante reditu ejusdem causæ efficientis ad eundem situm, non sequitur statim etiam materialem & formalem habiturum eundem situm, maximè in causis liberis, quæ nunc ad hunc nunc ad illum situm possunt ponere.

Dico Quintò: *Collectio partium corporum resuscitandorum fiet per Angelorum ministerium in tempore.* Probatur ex illo Matth: 24. *Mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba & voce magna & congregabit electos à summis cœlorum usque ad terminos eorum*, id est, ab omnibus terræ partibus. Quod verò fiet in tempore, inde patet, quòd Angeli non habeant virtutem movendi se & alia corpora ad tantam distantiam in instanti: Tum propter limitationem virtutis eorum: Tum propter medii resistentiam &c. X. Collectio corporum fiet per Angelos.

Dico Sextò. *Animatio corporis fiet in instanti.* Probatur: Tum, Quia fiet virtute Divina, quæ in agendo nullam XI. Animatio corporum fiet in instanti.

nullam requirit successionem ob suam illimitationem, nec ullam resistentiam habere potest à medio vel aliunde, nempe à contraria forma: Tum, Quia illa successio vel fieret propter partes formæ recipiendæ, vel propter partes corporis, quarum una prius, quàm alia ipsam reciperet, sed propter neutrum debet poni aliqua successio, ergo. Probatur minor, quia non propter formam, quæ indivisibilis est, nullas habens partes integrantes; nec secundum, nam licèt una pars sit perfectior aliâ, non ob hoc tamen debet admitti aliqua successio loquendo de primo animabili.

XII. Resurrectio corporum non erit in eodem instanti. Dico Septimò. *Resurrectio omnium hominum non erit in eodem instanti.* Probatur Tum ex S. Scriptura 1. Thessal: 4. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, simul rapiemur cum illis obviam in aëra* &c. quæ verba clarè ostendunt, futurum aliquem ordinem & successionem in resurrectione eorum, qui mortui fuerant, & eorum, qui in judicio reperti fuerant, ut proindè gratis retorqueatur in alium sensum: Tum ex D. August: 20. Civit: cap: 20. ubi id clarè determinat, ait enim: *Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aëre quodamodo suffocari, atque ibi protinus immobiliter & incorruptibiliter reviviscere, cùm credamus in ictu oculi resurrectionem, & in membra sine fine victura tanta velocitate reditu. um antiquissimorum cadaverum pulverem? sed vellem de hoc protinus audire Doctores, si ergo Sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eiq; obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem etiam mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli pateremur angustias generaliter accipiendo illud, quod dictum est (omnes scilicet resurgemus) scilicet tam boni quàm mali (sed non omnes immutabimur) scilicet in solemnitatem resurrectionis.* Ubi dicit expressè D. Augustinus, omnes tam sanctos quàm malos morituros; & hoc sanè confirmant & clamant Scripturæ, nam D. Paulus 1. Corinth: 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* ita &c. - - - - & paulo infra. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* &c. unde non refert quod in Psal: 1. dicatur: *Non resurgent impii in judicio*, quia intelligi debet de resurrectione ad gloriam. Sed

Quæres: Si omnes in raptu tantùm morientur, & postea statim iterum in corpora immortalia animæ resurgentes redibunt, quomodo ergo intelligi debebunt illa verba Gen: *Terra es, & in terram ibis?* Respond: hoc cum D. Augustino optimè intelligi de exanimatione corporis, ut videlicet sensus sit, sicut ante fuit corpus inanime, ita post animæ (licèt brevem) discessum iterum erit homo inanimis, adeóque quasi it in terram. XIII. Homo redit in terram, quando corpus fit exanime.

QUÆSTIO SECUNDA.

Cum quali corpore resurgent Beati?

DOcet Gentium Doctor, Quod omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, cui doctrinæ suum relinquo equidem proprium sensum, nihilominus non incongruè exprimi videtur mihi optimè resurgentium diversitas, dum alii ad pœnam, alii resurgent ad gloriam, de his in quæstione præsente quæritur, cum quali resurgent corpore? Ego Catholicæ fidei inhærendo

Dico Primò. *Corpora Sanctorum resurgent cum debita integritate & pulchritudine, quæ in illo perfectissimo statu desiderari poterit.* Probatur Primò, ex Scriptura nam 1. Corinth. 15. habetur: *Quod seminatur in corruptione, resurget in corruptione, seminatur in ignobilitate, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, resurget in virtute, seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale.* I. Corpora resurgent cum debita integritate & pulchritudine.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino in Enchirid: cap: 91. dicente: *Resurgent igitur Sanctorũ corpora*

pora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, & difficultate. Quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, & ad vitia, quibus caro adversus spiritum concupiscit, tunc non erit caro sed corpus. Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod est post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est, sed ideo, ait Apostolus, seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, vivificante spiritu, sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos. & lib: 22. de Civit: cap: 19. *Nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quæ prava sunt, corrigentur, & quod minus est, quàm decet, unde creator novit, inde supplebitur, & quod plus est quàm decet, materiæ servata integritate, detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui? Quæ claritas in Christi corpore cùm resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est. Non enim ea ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.* Bernardo Serm: 4. in solemnit: Sanct: omn: ubi hæc habet: *Resurgens enim corpus nostrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid proderit, si fortè contingat in æternum vivere in miseriis & ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirum incessanter corpus hoc corruptibile affligitur, & si non semel, utique semper moritur? Habeat certè etiam aliquando omnimodam impassibilitatem: humoribus enim inordinatis causas ajunt procedere passionum. Sed jam desiderat etiam corpus nostrum levitatem, secundùm eam nimirum, quam habet ex aëre portionem. Tanta itaque futura credenda est corporum levitas & agilitas beatorum, ut possint si velint absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationem nostram sequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudiuem? Sola utique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri non immerito possumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne - - - sic ergo replebit animas nostras DEUS, cùm perfecta in eis scientia fuerit, perfecta justitia, perfecta lætitia, sic replebitur majestate omnis terra, cùm fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile configuratum corpori claritatis suæ.*

Probatur Conclusio etiam Ratione. Quia animæ Beatorum possunt in suorum laborum remunerationem velle decentem corporis sui dispositionem, sed DEUS Beatis concedet omne rationabile desiderium, ergo etiam omnem corporis pulchritudinem & dispositionem.

Hinc infero, Beatos resurrecturos cum corporibus integris, pulchris, cum omnibus partibus tam iis, quæ ad integritatem, quàm quæ ad ornatum & decorem pertinent, ut cum humoribus tam vitalibus, quàm animalibus (excrementitia excludenda sunt) cum capillis &c. unde D. Augustinus in Enchirid: ad Laurentium cap: 90. ait: *Indecorum aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.* Qualis autem modus & figura portandi capillos futura sit, omninò incertum est, cùm de hac re etiamnum tam diversimodè sentiant Nationes. II. Corpora erunt pulchra.

Dico Secundò. *Omnes resurrecturos in statu juvenili, & ea dispositione, quam quivis seclusis impedimentis potentiæ nutritivæ haberet, aut habuisset anno trigesimo, vel trigesimo tertio, aut circiter.* Ita clarè docet Scriptura ad Ephes: 4. dicens: *Donec occurramus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* III. Corpora erunt in statu juvenili.

Probatur Secundò ex D. Augustino lib: 22. de Civit: cap: 15. *Restat ergò, ut suam quisq; recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si ante est defunctus.*

ctus. Atque illud, quod commemoravit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, si de resurrectione corporum dictum est, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ea ætate & robore, usque ad quam Christum hîc pervenisse cognovimus. Circa triginta quinque annos definiêrunt esse etiam sæculi hujus doctissimi homines juventutem.

IV. Physiognomiæ perfectæ manebunt, non tamen distortæ & imperfectæ.

Dico Tertiò. *In corporibus benè formatis & perfectis manebit Physiognomia, quam habuerunt in mundo, non tamen in corporibus distortis, & æsopicis* Probatur prima pars. Quia hoc convenit communioni sanctorum & beatitudini accidentali, ut familiares, domestici, & ad eandem cognationem, ordinem, Societatem &c. pertinentes se invicem cognoscere possint, & etiam intuitivè videre oculari inspectione, qui sui sunt, nam dicit S. Cyprianus lib: de immortalitate in fine: *Quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita.* Probatur secunda pars. Quia Physiognomia conveniet, & debet esse proportionata perfectissimæ efformationi totius corporis, sed omnes aliæ partes corporis erunt perfectæ, quia occurremus omnes *in virum perfectum*, ergò etiam physiognomia. Deinde physiognomia parvulorum trium mensium vel annorum non manebit, quia nec hic quis eandem retinet, sed crescendo variatur per dilationem, vel per extensionem. Tertiò. Non est necessaria hæc physiognomiarum distinctio, quia per visionem beatam & claram revelationem sciemus, qui sint nostri & ad nos pertinentes, nam patet, quòd etiam longo tempore absentes à patria non cognoscant semper suos, sed narrantibus credunt, ergo. Denique animæ Beatorum cognoscent se invicem non per physiognomiam, neque per nomina, sed per intellectualem aspectum, ergo etiam alia corpora possunt aliunde sibi innotescere, sicut sancti nobis innotescent, quos nunquam novimus. Imò universaliter loquendo nulla est necessitas ponendi distinctionem physiognomiarum: Tum, Quia fundamentum afferendi eam est valdè debile, nam infantes trium vel sex annorum quomodo cognoscent parentes suos vetulos, decrepitos, v. g. septuaginta annorum? certè non in hac senectute, quia in illa non resurgent, sed in statu virili perfecto, nec cognoscent eos in virili v. g. triginta annorum, quia non viderunt eam: Tum, Quia ipsimet oppositum sentientes fatentur, quòd facies sint futuræ absque macula vel ruga, ut nec in eis sit pallor ex infirmitate & labore contractus, nec rubedo cuprea à calore hepatis causata, nec color nimius ad nigredinem declinans, qui ex adustione vehementi solis proveniret, ut est in hominibus meridionalibus, sed hæc omnia diversificant physiognomias, ergo nulla est necessitas adstruendi eas.

Dico Quartò. *Non futuros ibi gigantes monstrosos aut ex defectu & excessu naturæ progenitos, nec pygmæos.* Probatur ex D. Augustino lib: Enchirid: ad Laurentium cap. 81. *Neque enim & monstra, quæ nascuntur & vivunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataq; naturâ.* & lib. 22. de Civit. cap. 14. *Infantes (inquit) non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui: sed quod eis tardiùs accessurum erat tempore, hoc sunt illo DEI opere miro atque celeberrimo recepturi.* Et ratio hujus est, Quia Christus omnem naturæ defectum supplebit. Verùm V. Non erunt gigantes.

Dico Quintò. *In Martyribus probabiliter manebunt cicatrices solemniores sine ullo tamen membrorum defectu.* Ita Doctores communiter, Et Probatur exemplo Christi, qui post VI. In Martyribus manebunt cicatrices.

post resurrectionem suam retinuit fixuras clavorum & aperturam lateris, & eadem in cœlum intulisse docet Ignatius Martyr, Leo, & alii Patres, imò eas exhibiturum in die Judicii colligit D. Chrysost: hom: de Cruce & Latrone tom: 3. ex illo Zacha: 12. & Joann: 19. *Videbunt, in quem transfixerunt.*

Probatur Secundò ex D. Augustino lib: 22. de Civit: cap: 20. ubi dicit: *Nescio quo autem modo sic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortassè videbimus. Non enim deformitas in eis: sed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum: quibus dictum est, capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo seculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut præciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamvis itaque omnia, quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia. Absit autem, ut ad resuscitanda corpora, vitæq; reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in pulverem cinerémve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit, ut sinus ullus, secretúmque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.* Et post quædam: *Etsi omnibus periisset modis caro humana, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remansisset, unde vellet, eam repararet omnipotens.*

VII. S. Franciscus habebit sua Stigmata.

Quæres, Quid sit sentiendum de Stigmatibus S. Patris nostri Francisci? Respond: Mihi probabile videri eum illa in Cœlo retenturum, nam videtur Divinæ gratiæ conformissimum, ùt quæ eundem prærogativâ singularis privilegii decoravit in terris, eidem amoris Seraphici insignia sit concessura in cœlis.

Dices: Membra in cœlis futura superflua, & minimè necessaria, nam ut ait Tertull: lib: de Resurrect: carnis: *Liberabuntur membra ab officiis.* Sed Respond: Membra quidem non futura necessaria ad essentialem beatitudinem plenè & perfectè habendam, necessaria tamen esse ad ornatum & decorem, ita ut etiam viscera, quæ defacto nullum decorem habent, tunc tamen mentem & rationem quàm maximè delectabunt, & ad laudandum DEUM omnium opificem excitabunt propter sapientiam conditoris.

VIII. Corpora resurgent in proprio sexu.

Dico Sextò: Omnes homines resurgent in proprio sexu, *Viri scilicet viri, & fœminæ fœminæ.* Ita D. Augustinus, Hieronym: & alii Patres & Theologi, ita ut Castro, verbo: *Resurrectio* asserat, doctrinam asserentem omnes resurrecturos in sexu virili esse hæresim. Sententiam eandem de resurrectione in sexu virili inconsideratissimè attribuit Scoto 4. dist: 10. n: 9. Cornelius à lapide, nesciens distingvere inter textum Scoti & additionem inconditam alicujus ignoti (qui tamen excipit B. Virginem) Abraham in correctiore editione. Probatur Conclusio ex authoritate D. Augustini lib: 22. de Civit: DEI cap: 17. ubi dicit: *Mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa, &c. Qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet.* Quia differentia sexuum non est vitium, aut ex vitio, sed ex natura, Hinc ipse DEUS, Scriptura teste, ab initio fecit masculum & fœminam, & consequenter in resurrectione reficiet eos.

Probatur Secundò. CHRISTUS Matth: 22. ad objectionem Saducæorum resurrectionem negantium respondit, in resurrectione non futuras

ras nuptias, non tamen negavit non futuram sexuum diversitatem, quod facillimè & planissimè dicere potuisset. Nec obstat Apostolus citatus ad Ephes: 4. *Donec occurramus*, &c. Quia ex dictis patet sensus illius genuinus, deinde licèt aliter intelligeretur per virum veluti principaliorem deberet consequenter intelligi homo, sive masculus sive fœmina usitata Scripturæ phrasi.

IX. Corpora Sanctorum habēt quadruplicem dotem. Dico Septimò. *Sanctorum corpora resurgent cum quadruplici gloria, scilicet cum impassibilitate, claritate, subtilitate, & agilitate, quæ vocantur dotes corporum gloriosorum.* Est communis Theologorum, & Probatur Primò ex Scriptura universaliter 1. Corinth: 15. *Seminatur in corruptione surget in incorruptione* (designatur impassibilitas) *seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (insinuatur claritas) *seminatur in infirmitate, surget in virtute* (indicatur agilitas) *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (id est subtile) Item Sapientiæ 3. *Fulgebunt Justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Ubi in fulgore notatur claritas, in justitia impassibilitas, in scintilla subtilitas, & in discursu agilitas.

Probatur Secundò Exemplo Christi, qui post Resurrectionem suam talibus dotibus ornatus fuit, cui Beati veluti DEI hæredes & Christi cohæredes configurabuntur, nam ùt præclarè D. Gregorius lib: 14. Moral: in Job: cap: 30. ait: *Venit ergo Redemptor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem: ut qui resurrectionis spem ex ratione tenere noluimus, hanc ex ejus adjutorio & exemplo teneremus. Et quisquis resurrectionis virtutem in se fieri posse desperat, verba in gentilitate positi viri fidelis erubescat, & penset quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui jam resurrectionem Domini cognovit factam: si & ille suam credidit, qui adhuc Domini JESU sperabat esse faciendam.* & cap: 31. *In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. In illa cœlestis regni gloria caro secundùm naturam erit, sed secundùm passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit.* Plures adduci possent textus, sed pro universali probatione sufficiant isti, cùm in speciali de qualibet dote egero, cuilibet suas proportionatas adducam probationes & congruentias. Quatuor illas dotes hoc disticho non nemo est complexus,

Clari, subtiles, agiles, impassibilésque
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

QUÆSTIO TERTIA.

De Dote Impassibilitatis corporum gloriosorum.

I. Quatuor dotes non æqualiter probantur. STatutis quatuor dotibus corporum, iisque probatis generaliter quamvis non æqualiter omnibus, progredior ad earundem explicationem & inquisitionem in speciali & quàm maximè, in quonam consistant, cùm de hac re non exigua inter Authores sit controversia. Dico *licèt non æqualiter omnibus probatis*, nam quamvis impassibilitas, claritas, & agilitas sat clarè ex Scriptura deducantur, subtilitas tamen non ita clarè ex Scriptura deducitur. nam illud ad Corinth. *Surget corpus spirituale* benè potest intelligi de spiritualitate in hoc consistente, quòd corpora Beatorum alimentis non indigebunt & cibis, sicut spiritus non indigent, nihilominus asserenda est cùm Patribus hæc dos subtilitatis, quia id possibile est, nec aliquid in contrarium obstat, quare pro resolutione præsentis quæstionis

II. Imperfectiones quatuor in corpore nostro. Notandum Primò. Quatuor illas dotes poni in gloriosis corporibus Beatorum, ad excludendas quatuor imperfectiones, quæ defacto habent corpora nostra in via, nam cùm ista sint composita ex quatuor elementis, ab illis quatuor contrahunt defectus & imperfectiones: Nam à terra, quæ obscura est, habet

bet obscuritatem; Ab Aqua, tanquam ab elemento fluido & humido habet dissolubilitatem, seu passibilitatem & corruptionem: Ab Aëre, qui cuilibet facilè cedit, habet infirmitates: Ab Igne verò voraci, calido, & consumente habet animalitatem, & ideò continua eget nutritione, cibo quidem, ut habeat in quod agat, potu verò, nè absumat & depascat radicale humidum: Per claritatem igitur tollitur obscuritas, per Impassibilitatem corruptio, & ponitur contra infirmitatem subtilitas, contra animalitatem spiritualitas.

III. Impassibilitas non solùm excludere debet corruptionem, sed etiam omnē molestam perpessionem.

Notandum Secundò. Specialiter pro impassibilitate, hanc debere esse talem, quæ non solùm mortalitatem excludat, sed etiam omnem corruptionem, imò & omnem molestam impressionem & perpessionem impediat, quæ ab aliqua causa extrinseca inferri posset, adeò ut neque ferro, neque igne, neque alia vi creata lædi valeant: nam si essent tantùm immortalia sine corruptione, non essent plus perfecta, quàm Adami corpus fuit in statu Innocentiæ, quod est contra D. Augustin: epist: 56. ad Dioscorum, & contra rationem, nam immortalitas alia debet esse viæ, & alia patriæ. Deinde si immortalitas beatorum excluderet solam corruptionem & non etiam omnem molestam perpessionem, corpora damnatorum possent dici habere dotem immortalitatis, quia nunquam sunt meritura, & tamen semper cruciatibus futura subjecta, semper enim vivent, & semper morientur: *Mors depascet eos.* Psal: 84.

IV. Impassibilitas potest provenire vel ab intrinseco, vel ab extrinseco.

Notandum Tertiò. Corpora Beatorum posse dici immortalia seu impassibilia ex duplici causa, ab intrinseca scilicet, vel ab extrinseca, vel per aliquod positivum, aut negativum: Intrinseca vel positiva iterum potest esse duplex, vel anima ob dominium plenum, quod habet in corpora beata: vel dos aut qualitas aliqua divinitus collata: Privativa seu extrinseca pariter potest dici duplex, vel cessatio motûs cœlestis, ratione cujus cessabunt, ùt aliqui opinantur, omnes actiones causarum inferiorum: vel non cooperatio DEI cum causis secundis corruptivis: Hinc aliqui dicunt, impassibilitatem futuram & orituram ex carentia qualitatum contrariarum mixtum consequentium, Alii putant id profecturum ab anima ob dominium; Alii ab aliqua qualitate: Alii in optimum temperamentum corporis: Alii ex cessatione motûs cœlestis, & Alii denique ex non cooperatione DEI cum causis secundis corruptivis. His prænotatis

V. Impassibilitas probatur.

Dico Primò. *Corpora Beatorum in altera vita erunt impassibilia & immortalia.* Hæc est de Fide. Probatur ex Scriptura 1. ad Corinth: 15. *Hoc dico fratres, quia caro & sanguis regnum DEI possidere non possunt,* nempe prout nunc sunt in qualitate passibili, quod explicans subdit: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* & clarissimè hoc adstruit infra: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem, cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est; Absorpta est mors in victoria.* Item ad Rom: 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* & cap: 8. *Quoniam & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis*, ergo similiter alii Beati non morientur, cùm ille sit exemplar nostrum, & primitiæ resurgentium, nam *Salvatorem expectamus Dominum nostrum JESUM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum* NB. *corpori claritatis suæ.*

Probatur Secundò Ratione. Quia homines Beati habebunt perfectionem, quæ competit naturæ suæ secundùm unam partem, sed hæc est immortalitas, quia anima utpote immortalis desiderat perpetuò perficere suum perfectibile, unde sicut ex ejus immortalitate deducitur resurrectio, ita concluditur probabiliter ex eadem immortalitas hominis & per consequens corporis,

&ita

& ita impassibilitas realis & corporalis.

Opponitur Authoritas D. Gregorii super illud Joann. 21. *Infer digitum tuum huc*, ubi inquit: *Corrumpitur necesse est quod palpatur*, sed corpus gloriosum est palpabile juxta illud Lucæ 24. *Palpate & videte*, ergo &c. Respond: S. Gregorium aliud non velle, quàm quòd corpus, quod est palpabile, sit etiam corruptibile, nisi à DEO præservetur, non est amplius per causam naturalem corruptibile. Deinde hec universaliter verum est, illud, quod palpatur, esse corruptibile, nam cœlum palpari posset, ex hoc tamen non liceret statim inferre corruptibilitatem.

VI. Impassibilitas non oritur ex absentia qualitatum contrariarum.

Dico Secundò. *Ratio impassibilitatis non proveniet ex eo, quòd non sint remansuræ in corporibus qualitates contrariæ mixtum consequentes.* Probatur: Tum, Quia reverà tales qualitates in illis remanebunt, ergo. Probatur antec: Nam sine illis non remaneret illud corpus mixtum, sed idem corpus mixtum manebit, ergo etiam eædem qualitates: Tum, Quia sine illis qualitatibus non esset corpus proportionatum animæ ad informandum, & sicut anima modò non posset informare elementum, sed solùm diceretur illi assistere, sicut assistunt Angeli, ita nec corpus illud existens sine suis proportionatis qualitatibus, quia tunc esset potius sicut unum elementum: Tum, Quia ipsa membra singula particulare exigunt temperamentum, scilicet terrestreitatem, soliditatem, fluiditatem &c. ergò: Tum denique, Quia illæ qualitates secundùm suas naturas & species sunt sibi invicem contrariæ, ergo erunt etiam contrariæ in corpore glorioso, quod etenim semel est tale, ubicunque positum fuerit, semper manet tale.

VII. Nec ex perfecto dominio animæ in corpus.

Dico Tertiò. *Causa impassibilitatis corporis gloriosi non est perfectum dominium animæ in corpus, ejusque qualitates.* Probatur Quia voluntas animæ id præstare deberet, jubendo, mandando, sed hoc præstare nequit, ergo. Probatur antec: Quia etiam defacto nequit impedire causas naturales contrarias ad se invicem applicatas, ergo. Probatur antec: Quia si aliquid posset, valeret utique etiam defacto excludere molestum sonum, fœtorem, gustum, &c. quæ tamen non potest, ergo. Confirmatur à pari. Angeli non possunt per imperium voluntatis suæ impedire actiones causarum naturalium, quia causæ naturales non obediunt Angelis ad nutum quoad earum actionem, & elevationem, ergo nec anima id poterit præstare. Confirmatur Secundò. Quia anima per suum perfectum dominium non potest facere corpus illius non esse susceptivum contrariorum, neque potest qualitates in corpore existentes contrarias expellere, quia hæ pertinent ad perfectam corporis organizationem, & consequenter animationem, ergo non potest facere ex perfecto suo dominio in illud, quia adhuc pati posset molestias aliquas, adeóque nec facere esse impassibile.

VIII. Nec ab aliqua qualitate intrinseca.

Dico Quartò. *Impassibilitas corporis gloriosi non proveniet quoque ab aliqua qualitate intrinseca.* Ita complures Scotistæ. Probatur, Quia vel illa esset cœlestis, vel supernaturalis, vel mixta, aut elementaris; non cœlestis: Tum, Quia corpus non est capax qualitatis, talis nam deberet esse vel perspicua, vel lux, vel lumen: Tum, Quia corpus humanum est mixtum, ergo qualitates cœlestes non sunt illi proportionabiles: Deinde etiam non est supernaturalis, Quia hæc nullam dicit repugnantiam cum qualitatibus naturalibus: Nec est elementaris aut mixta, quia hæ nó sunt natæ omnem passionem impedire, quia durities, licèt impediat diffluxionem, non tamen combustionem: Denique non est conceptibile qualisnã sit illa qualitas, quæ sit contraria primis, & non æqualiter omnibus, sed uni ut duo, alteri ut quatuor, aliis ut sex, ut esse deberet, si omnem passionem impedire posset, ergo.

IX. Nec à bono corporum temperamento.

Dico Quintò. *Impassibilitas non potest quoq; refundi in optimũ corporũ beatorum temperamentum.* Probatur. Quia Adam in Paradiso optimum habuit temperamentum, qui tamen etiam stante Iñocentiæ statu mortuus fuisset, nisi continuo alimento & esu ligni vitæ mortem præpedivisset, ergo. Hinc præclarè ait D. Augustinus lib:6. de Genesi ad litt: cap:25. *Et mortale dici poterat, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori &c. quod ei præstabatur de ligno vitæ non de constitutione naturæ.* Deinde in beatudine corporum gloriosorum, illa corpora erunt adhuc perfectè mixta, sed contra naturam mixtorum esse videtur, ut qualitates ita contemperentur, ut una aliam nullatenus excedat, ergò.

X. Nec ex cessatione motûs cœlorum.

Dico Sextò. *Nec provenit ex cessatione motûs corporum cœlestium.* Probatur: Tum, Quia damnati deberent etiam reddi impassibiles, cùm illis æque cessent cœlorum motus; Tum, Quia etiam cessante tali motu adhuc causæ secundæ agere possunt v. g. ignis potest comburere stupam, &c. Probatur antec. de sole, qui omni motu cessante adhuc illuminaret & calefaceret, imò fortiùs tunc, quia actionem suam in idem suppositum intenderet, unde defacto propter motum non ita calefacere videtur certum ex eo, quòd citò ex hoc hemisphærio transeat.

XI. Impassibilitas provenit à Divina voluntate impediente causas corruptivas.

Dico Septimò. *Impassibilitas Beatorũ consistens in eo, quòd in æternum Beati ab omni passione afflictiva & corruptiva sint futuri immunes, ut nec ferro nec igne lædi possint, refundenda est in divinam voluntatem assistentem, impedientem quamcunque causam secundam, ne ullatenus molestiâ afficere possit illos.* Ita Doctor 4. dist: 49. q. 13. n. 9. ubi dicit: *Causa impassibilitatis est voluntas divina non coägens causæ secundæ corruptivæ, & ita corpus est impassibile à causa non intrinseca, sed extrinseca impediente.* Probatur Primò. Quia hic est modus optimus & facilis explicandi impassibilitatem, qui confirmatur exemplo trium puerorum in camino ignis ardentis illæsorũ, & Hebræorum omnium, quorum vestimenta & calceamenta per quadraginta annos non fuerunt attrita in deserto, *nec erat in tribubus eorum infirmus*, quæ omnia solùm à Divina provenerunt voluntate, & non ex ullo alio capite, ergo à paritate & hoc exemplũ desumptum est ex D. Augustino epist: 146. ad Consentinum, ubi illud adducit, ubi ignis non egit ad puerorum corruptionem per aliquam impassibilitatem intrinsecam pueris; nec ex carentia potentiæ passivæ, nec ex contrario intrinseco impediente, sed præcisè quia DEUS non cooperabatur ad illam actionem.

Dices. Istæ præservationes fuerunt miraculosæ, opera autem perpetua & in æternum duratura non sunt miraculosa, ergo impassibilitas Beatorum non erit per præservationem, alioquin esset cum eis perpetuum miraculum, quod videtur inconveniens, nam juxta D. Augustinum: *DEUS sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat*, ergo. Respond: neg: conseq: nam licet præservationes similes nunc sint miraculosæ, tunc tamen in beatitudine non erit, tum ex perpetua continuatione: Tum Quia ista debebitur beatis per voluntariam DEI promissionem: Tum denique, Quia hîc & nunc est tempus & status immutabilitatis, alterationum &c. tunc autem erit status quietis, & perpetuæ stabilitatis.

Probatur Secundò à pari. Quòd Beati non possunt suscipere impressionem, qua moveantur loco contra voluntatem non habent à qualitate intrinseca, sed solùm ab assistentia extrinseca, alioquin minimus Beatorum foret tam validus ac maximus, ergo etiam quod non possint suscipere impressionem aliarum mutationum ut frigoris, caloris, &c. non provenit ab alio, quàm ab assistentia divina.

Probatur Tertiò. Corpus humanum per idem redditur impassibile, per quod redditur incorruptibile & insolubile, sed non redditur incorrup-

corruptibile & insolubile per aliud, quàm per extrinsecam assistentiam conservantem unionem animæ & corporis, ùt patet in damnatis, quorum corpora non erunt incorruptibilia per aliquam qualitatem, nam qualitas quæ impediret corruptionem, impediret & passionem, ergo per solam divinam. Sed in contra

XII. Dos impassibilitas qualiter beatis intrinseca.

Arguitur. Si impassibilitas illa proveniret à DEO præservante, illa esset Beatis extrinseca, sed dotes non sunt extrinsecæ illis, qui eas habent, ergo. Respond: negando min: Quia si paritas sumatur de dotibus hujus sæculi omninò sunt extrinsecæ. Deinde parum refert, sive ab extrinseco sive ab intrinseco proveniat dos, dummodo Beati tales sint, iis sufficit. Deinde dici potest etiam illam dotem esse ipsis intrinsecà, in quantum videlicet habent jus ad talem impassibilitatem ratione meritorum & beatitudinis animæ.

Instatur. Inter impassibilitatem Beatorum & Adami debet esse aliqua differentia, sed Adamus fuit impassibilis per voluntatem DEI præservantem, ergò Beati non sic erunt, sed per aliquid magis intrinsecum ipsis. Respond. negando min. Quia Adamus in paradiso sic impassibilis fuit, ut mori non deberet, licèt mori posset, Beati verò sic sunt impassibiles non modò quòd non debeant mori, sed quòd nec mori possint. Hic Adamus eguit etiam alimentis propter continuam caloris naturalis actionem, qui sensim humidum radicale absumebat, quare etiam per extrinseca agentia potuit lædi, nisi ea præcavisset.

XIII. Elementa non habent jus ad incorruptionem.

Arguitur Secundò. Si dos impassibilitatis consisteret in voluntate DEI præservante & assistente sequeretur dotem impassibilitatis tam bene reperiri in elementis, & damnatis, ac in sanctis & beatis, quia tam elementa quàm corpora damnatorum præservabuntur à corruptione, sed hoc est inconveniens, ergo. Respond: negando sequelam majoris, Quia nec elementa nec corpora damnatorum habent jus aliquod, ut petant conservari à corruptione, & à passione simul, sicut habent Beati propter merita, gratiam, gloriam, visionem, & fruitionem in animabus existentem, quæ exigunt, ut hæ etiam in corpus pro sua natura redundent, econtra verò corpora damnatorum habent demerita, ut præserventur ad afflictionem.

QUÆSTIO QUARTA.

De Dote Claritatis.

I. Non potest esse idem susceptivũ luminis & lucis.

Dotem hanc insinuat D. Paulus cum aliis 1. Corinth: 15. Secundo loco: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, & de ea agit Doctor subtilis 4. d. 49. q. 13. & D. Bonaventura, qui referunt fuisse quorundam opinionem, quòd corpora gloriosa beatorum sint lucida & clara, & simul pervia oculis intuentium, sicut vitrum, & cum hoc etiam colorata, quod valdè mirabile videtur Radæ, quia secundùm Avincennam, lumen, lux, & color, habent diversa receptiva, & minus potest esse aliquod receptivum luminis & lucis, quàm lucis & coloris, quia susceptivum lucis est opacum & densum, susceptivum verò luminis est pervium, unde stellæ sunt densæ, nec potest per eas videri corpus, quod retro eorum est, unde una stella ecclypsat aliam, cœli verò sunt luminosi & perspicui, hinc per eos vidamus stellas etiam altissimas: Quare si corpora Beatorum sunt lucida, non videtur, quomodo possint esse pervia & diaphana, nec videtur quomodo non possint per illa videri alia corpora, similiter si corpora gloriosa erunt colorata, non possunt esse pervia & luminosa, nam color non potest videri, nisi per medium illuminatum.

II. Tres modi quibus dici possunt corpora clara.

Durandus tres modos ponit, quibus ostendit, qua ratione corpora Beatorum futura clara: Primò: Ex eo, quòd sint habitura purum & eximium colorem & perfectissimam figuram, quibus se oculis intuentium manifestare possint. Secundò: Ex eo, quòd sint futura tersa, polita

lita instar gladii, inde incidentes radii solares vel alterius corporis luminosi illuminabunt ea, & sic fulgebunt sicut speculum chrystallinum, vel chalybeum. Tertiò ratione internæ lucis, quam sunt habitura sicut sol & stellæ. Itaque:

III. Nec lux nec lumen sunt substantia.

Pro intelligentia dicendorum Notandum ex Philosophia mea parte 4. disp: 5. q: 3. Nec lumen nec lucem esse substantias, nam lux & lumen sunt per se sensibiles, non substantia, suntque in aliquo accidens, & quod alicui est accidens, in se est accidens, sed lux in igne non potest esse forma substantialis, quia vel esset ultima differentia specifica ipsius ignis, & ita omnia habentia lucem, essent ignis, vel ejusdem rationis cum ipso; vel esset in potentia ad formam ultimam ignis, & ita esset imperfectior forma substantiali ignis, nulla autem forma substantialis reperitur in corporibus cœlestibus imperfectior essentialiter formâ substantiali elementari, sed reperitur lux in corporibus cœlestibus, ergo non potest esse lux in se in potentia ad formam ignis, aceóque lux nulla erit forma substantialis. Idem patet de lumine, nam accedit & recedit à medio nullâ factâ mutatione substantiali ipsius, ergò cùm medium, seu aër non mutetur, seu moveatur adveniente lumine, sequitur non esse corpus, neque formam substantialem.

IV. Lux describitur.

Notandum Secundò. Lucem benè definiri, quòd sit *qualitas ex se visibilis independenter ab alia qualitate, quæ non est species intentionalis ejus, consequens naturam sui subjecti ita ut connaturaliter nequeat produci aut destrui, non producto aut destructo subjecto.* Dicitur *qualitas*, cùm substantia non sit, nec quantitas ob eandem rationem: Dicitur *Ex se visibilis independenter ab alia qualitate*, ut excludantur colores, qui sine lumine videri non possunt; Ponitur *quæ non est species intentionalis ejus*, quia ut lux videatur talis species requiritur, additur *consequens naturam sui subjecti*, ut distinguatur à lumine.

V. Lumen est species lucis.

Notandum Tertiò. Lumen esse speciem lucis: si lumen non esset species lucis, sed res visibilis & sensibilis realis, positum supra sensum impediret sensationem, sed lumen non impedit sensationem, sed potius juvat ad eam faciendam, ergò non est qualitas realis, sed intentionalis species lucis; probatur minor, quando corpus lucidum diffundendo radios per medium, imprimit lumen in oculo, non impedit visionem, sed potentiam in tantum juvat, ut sine tali impressione nunquam videret objectum lucidum, ergò lumen erit species lucis. Quod confirmatur, quia habet omnes conditiones speciei impressæ, ergo. Probatur antec: quia dependet à luce in fieri, & conservari, caret contrario, producitur in instanti, deservit, & est omninò necessarium ad videndam lucem, ergò. His prænotatis.

VI. Corpora gloriosa erunt clara.

Dico Primò. *Corpora gloriosa Beatorum erunt clara.* Hæc est extra controversiam. Probatur ex Scriptura Sapient: 3. *Fulgebunt justi.* Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui erudiunt multos ad justitiam tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Matth: 13. *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.* ad Philip: 2. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* quale autem corpus claritatis suæ fuerit, demonstravit nobis ipse Christus in monte Thabor Matth: 17. *Resplenduit facies ejus sicut Sol*, ergo etiam alii Beati talem habebunt claritatem, unde etiam Christus Dominus apparuit Joanni Apocal: 1. cum oculis *tanquam flamma ignis*, & angeli cum facie splendente *Et iris erat in capite ejus, & facies erat ut Sol.* cap: 10. & alium vidit *habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus.* cap: 18. sed tunc erimus *sicut Angeli DEI.* Matth: 22.

Probatur Secundò authoritate Patrum D. Anselmi lib: de similit. cap: 50. *In illa vita pulchritudo justorum, solis pulchritudini, qui septuplo quàm modò, splendidior erit, adæquabitur.*

bitur. D. Chrysostom: epist: 5. ad Theodorum lapsum, ubi corporum beatorum claritatem describens ait: *Ad montem illum oratione pergamus, ubi Dominus transformatus est: contemplemur eum splendentem, sicut resplenduit, quanquam ne sic quidem universum nobis futuri sæculi splendorem exhibuit, quia fuit quod tum apparuit, attemperatio quædam pro captu nostro, neutiquam accurata rei demonstratio, quod à verbis Evangelistæ manifestum est, Quidnam ait? splenduit inquit sicut Sol. Cæterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus: neq; talem ejusmodi oculi mortales capere sufficiunt.*

VII. Dos claritatis consistit in optima colorum dispositione.

Dico Secundò. *Dos claritatis consistit in optima colorum proportione, & luce superaddita ipsis, per quam fulgebunt sicut Sol.* Ita Doctor supra q. 15. & Probatur prima pars de colore ex Authoritate D. Augustini lib: 22. de Civit. cap. 19. ubi ait: *Coloris quanta svavitas erit, ubi fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui.* ubi expresse claritatem, quam Scriptura Beatis tribuit, docet esse svavitatem colorum. Et Ratio est: Tum, Quia Christus Dominus post resurrectionem retinuit suum nativum colorem, quem Apostoli viderunt claritate oculari: Tum, Quia donum supernaturale claritatis non destruit perfectionem naturalem, colorum autem svavitatis magna est perfectio corporis humani, nullam habens repugnantiam cum luce, ùt videre est in quibusdam vermiculis, qui & colorem suum nativū habent, quem interdiu ostendunt, & de nocte lucent, unde noctilucæ, & nitidulæ, à germanis verò muscellæ S. Joannis vocantur, ex quibus pulchrè S. Cyrillus Jerosolymitanus donum claritatis in Beatis probat & infert Cathechesi 18. dicens: *Justi fulgebunt ùt Sol & tanquam luna, & veluti splendor firmamenti, & prævidens istam hominum incredulitatem DEUS, dedit vermibus parvulis lucidum corpus, ut eo splenderent, & ut ex iis, quæ apparent, crederetur quod expectamus, qui enim partem potuit præstare, poterit & totum, & qui fecit vermem lumine splendere, multò magis faciet hominem justum.*

VIII. Et etiam in luce.

Probatur secunda pars: Quià Scripturæ apertè dicunt, Quòd justi in regno cœlorum *fulgebunt sicut Sol*, Matth: 13. *sicut Stellæ.* Daniel: 12. Sed nimis impropriè & hyperbolicè diceretur, si tantùm haberent eximium colorem se benè manifestantem, vel solùm essent polita instar speculorum, nec haberent lucem intrinsecam ipsis à Divina bonitate superadditam, ergò.

Probatur eadem pars Secundò. ab exemplo Christi Matth: 17. *Cujus faciès resplenduit sicut Sol*, sed dicere hunc splendorem non provenisse à proprio Christi corpore, sed ab alieno splendore, aut ab alieno corpore in corpus Christi, veluti in speculum aut chalybem repercutiente, minus est dignificare Christi excellentiam, & oppositum tenent Sancti Patres, quare S. Ephrem hom: de transfig: Domini ait: *Christus toto corpore tanquam sol suis radiis resplenduit gloriâ suæ Divinitatis.* Et Euthymius in cap: 17. Matth: ait: *Transformatus est corpore quidem in propria figura permanente, divino autem splendore modicum quidem in eo detegente, ac faciem ejus illustrante, speciémque ejus ad majorem DEI similitudinem immutante.* Addo D. Leonem, qui & splendorem adstruit in Christo Domino, & nos similiter tali donandos affirmat, in hom: de Transfig: Domini: *Ut totum corpus Ecclesiæ agnosceret, quali esset commutatione donandum, ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite refulsisset.*

Probatur Tertiò ab inconvenienti, Quia si corpora Beatorum non haberent claritatem plusquam corpora polita & tersa, ut chalybs, specula, sequeretur ea non habitura lucem, nisi dum essent exposita soli, vel alicui lucernæ, nec posse vi sua illuminare cubicula, nec tenebras noctis dispellere, sed hoc planè absurdum videtur, quia ista nimis humilia, sanctorum statui indecen-

tia, & apparitionibus verissimis contraria sunt, qui cum magno splendore etiam nocturno tempore clientibus suis apparuerunt, ergo.

Causa autem hujus dotis est, causa prima cum secunda simul, ita quòd colores optimum temperamentum primarum qualitatum, & etiam ipsa forma substantialis producere possit, & DEUS lucem, quia alia nequit assignari, non enim lumen gloriæ, quia hoc virtutem non habet physicè producendi lucem; nec visio beata, quia lux & claritatis dos tantùm ex congruentia sequitur corpus, cujus anima est gloriosa. Sed

IX. Corpora gloriosa non sunt diaphana. Dico Tertiò. *Corpora gloriosa non sunt futura diaphana & transparentia.* Ita Scotus supra D. Bonaventura, Richardus, & Durandus. Probatur: Tum, Quia ista diaphaneitas non videtur consonare cum opacitate corporis & ossium: Tum, Quia nulla est necessitas talis transparentiæ: Tum, Quia diaphaneitas magis apta est, ut illuminetur, quàm ut luceat: Tum denique, Quia alia corpora lucida non sunt sic diaphana, ùt patet de Sole & Stellis, quæ densæ sunt, Econtra verò corpora diaphana, ùt aër, aqua, Chrystallus & cœtera transparentia non sunt ex se lucida, nec lumen emittunt, sed solùm aliunde recipiunt, ergo. Sed in contra.

Opponitur Authoritas S. Augustini lib: 22. de Civit: cap: 30. ubi dicit: *Omnes illi, de quibus jam locutus sum, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi, & cum cœteris rebus quæ ibi magnæ & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti Artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione succendent.* & iterum lib: 1. de Genesi contra Manichæos cap: 21. *Neque in illis corporibus cœlestibus* (id est beatis hominibus) *sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent: sec sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis; sic in illa perspicuitate & simplicitate cœlestium corporum omnes omninò motus animi latere non arbitror.* & idem sentit D. Gregorius lib: 19. moralium cap: 3. ergo. Respond: primò ob authoritatem tanti Doctoris non esse improbabilem illam sententiam, nam licèt naturaliter nullum corpus lucidum sit diaphanum, attamen supernaturaliter & virtute divina id videtur omninò fieri posse. verùm sententia Scoti est multò probabilior. Hinc Respond: Secundò. Sanctos Patres loqui de perfectissima cognitione mentis, sicut defacto beati Angeli perspicacissimè totam harmoniam & structuram, & artificium corporis humani cognoscunt, & sic etiam beati clarè & intuitivè videre poterunt, & hoc vel per visionem beatam, vel etiam per visionem ordinis naturalis, in proprio genere, necesse, quòd visione oculari id fiat.

Dico Quartò. *Corpora gloriosa regulariter loquendo ex parte sua non poterunt occultare claritatem suam oculis aliorum beatorum.* Probatur, Quia hoc facere deberent per imperium voluntatis, sed tale imperium facere nequit ut lucidum & coloratum præsens non immutet visum, ergo. Unde Scotus supra sic discurrit: Alii dicunt, quòd beatus possit occultare claritatem corporis sui ex imperio voluntatis animæ, à qua redundat & fluit in corpus illa claritas, sed non video, quòd aliqua actio naturalis subsit voluntati creatæ, nulla enim voluntas creata potest impedire actionem ignis, ne in aquam sibi approximatam agat, & ideo videtur mihi sine assertione, quòd nulla qualitas activa, quæ est præcisè corporis, subsit ipsi animæ, seu ejus imperio, & ideo quicunque beatus, qui habet claritatem, quia erit approximatum passo simpliciter sibi proportionato, necesse est, quantum est ex parte sui, quod immutet. X. Corpora gloriosa nò poterunt occultare claritatem.

Dices. Christus Dominus post resurrectionem suam occultavit claritatem, ergo etiam poterunt alii Beati. Respond: negando consequ: Quia

Quia Christus hoc fecit virtute divina. Quare etiam dico, quòd si Beatus non beato vellet occultare claritatem suam, quòd DEUS ad voluntatem illius sancti non coageret cum coloribus & luce, & sic eo non coagente non possent colores & lux immutare visum, ex eo, quòd nequirent tunc diffundere species suas.

QUÆSTIO QUINTA.

De Dote Agilitatis.

I. Agilitas describitur. PRo explicatione hujus dotis Notandum Primò. Agilitatem in communi non esse aliud, quàm habilitatē in aliquo ad promptè se movendum eo motu, cujus anima est principium, corpus enim agile movet se secundùm locum non motu naturali, cujus principium est elementum prædominans, sed anima, quia verò habilitas non potest in aliquo toto ad movendum se nisi concurrente virtute motiva & mobili, ideò ad rationem agilitatis in speciali requiritur perfectio virtutis motivæ in anima, & congrua dispositio in corpore non repugnans isti motui, quare agilitatem specialiter sumendo, est habilitas in aliquo toto ad promptè movendum se secundùm locum ex perfectione virtutis motivæ & congrua dispositione corporis.

II. Motus in homine duplex. Notandum Secundò. Quod in homine & in quolibet composito sensitivo duplex inveniatur motus: unus secundùm exigentiam elementi prædominantis secundùm qualitatem, ùt in corpore humano est motus deorsum propter prædominium terræ in eo, & vocatur motus simplex. Secundus motus est, qui convenit ei non propter prædominans elementum, sed ex parte, quâ animatum est animâ sensitivâ, qui dicitur motus progressivus.

III. Motus simplex & progressivus tripliciter. Notandum Tertiò. Istos duos motus tripliciter in se differre. Primò ex parte principiorum, quia principium motûs simplicis est mixtum prædominantis elementi, hinc hominis corpus post mortem est multò gravius, quàm fuerat viventis principium autem motûs progressivi est anima. Secundò differunt, quia motus simplex fit secundùm inclinationem naturalem, & determinatur ad unum præcisè bonum tanquam ad centrum, in quo quiescit: motus verò progressivus procedit ex cognitione nec determinatur ad unum præcisè situm, sed nunc ad hunc, nunc ad aliū, prout appetitus naturalis vel rationalis inclinat. Tertiò differunt, quia animalia in illo motu, cujus anima est principium, possunt se sistere per intrinsecum principium. Brutum enim quamvis non moveatur liberè, potest tamen alio concurrente apprehenso se sistere, sed alio motu non potest, sed debet se sistere in situ sibi convenien-te juxta elementi prædominium.

Notandum Quartò. In anima hominis esse duplicem virtutem motivam, Prima, qua possit corpus movere motu organico, per motum partis post partem, ùt patet de motu progressivo, in quo pars movetur motâ aliâ per virtutem animæ, & de hac virtute nullum potest esse dubium, cùm pateat ad oculum. Deinde est etiam in illa virtus motiva movendi motu simplici corpus, nam hæc convenit illi ex perfectione sua intrinseca, esset enim inconveniens & maximæ imperfectionis, quòd anima in aliquo loco existens, non posset se movere ex illo, sic enim esset imperfectior corpore, quod impedimento ablato se movet à loco, in quo est extra centrum, ad alium locum tanquam ad centrum; quamvis non liberè, nec progressivè, & hoc maximè patet in anima separata, & à paritate Angelorum; qui simpliciter se movent sursum & deorsum, & non organicè, quòd autem hanc habeant virtutem etiam conjunctæ nullum debet esse dubium; Tum, Quia virtus motiva est animæ identificata, & mirum esset, quòd lapis possit se commovere quæcunque sibi conjuncta vel alligata, & non deberet posse hoc præstare anima, quæ est multò perfectior, IV. Anima habet virtutem se movendi utroq; motu.

ctior, fortior, & potentior, quamvis pro hoc statu non possit virtutem hanc reducere ad actum secundum.

V. Virtus hæc movendi est una eademque.

Notandum Quintò. Has duas virtutes motivas tantùm distingui ex parte & ratione potentiarum, in se verò esse unam eandémq; simplicem virtutem movendi se & organicè & simpliciter, seu non organicè, Quia licèt defacto se non posset movere nisi organicè, post resurrectionem verò poterit & hoc modò & aliò, nam videtur inconveniens esse, quòd homo, vel anima careat nunc aliqua perfectione secundùm totam suam speciem, quæ sibi naturaliter congruit, & cùm illa virtus, qua anima post resurrectionem movebit corpus, sit sibi naturalis, quia animæ tunc nulla potentia nova intrinseca dabitur, sequitur, quòd nunc habeat illam, & quod in hac vita mortali non impeditur à suo effectu, nisi in modo causandi illum. His itaque prænotatis.

VI. Beati habebunt agilitatem.

Dico Primò. *Beati post resurrectionem in gloria habebunt etiam agilitatis donum.* Probatur primò ex Scriptura Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Sapientiæ. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* 1. Corinth:15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

Probatur Secundò Authoritate Patrum D. Augustini lib: 13. de Civit: cap: 18. *Si Angeli possunt sine labore rapere corpora animalium, & constituere ubi voluerint, cur Sanctorum spiritus sine ulla difficultate posse ferre, quo voluerint, & sistere corpora sua non credamus.* & lib: 22. de Civit: cap: ult. *Certè ubi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus.* D. Ansel: lib: de similitud: cap: 51. *Ipsis Angelis DEI æq; celeres erimus, qui dicto citiùs de cœlo ad terras, & econverso dilabuntur.*

VII. Dos agilitatis in quo consistat.

Dico Secundò. *Dos Agilitatis in eo consistit, quòd possit anima beata velocissime versus omnem positionis differentiam absque ulla defatigatione non tantùm motu progressivo, verùm etiam simplici movere corpus suum.* Ita Doctor supra q. 14. & Probatur exemplo Christi, qui se toto non movendo unam partem alia quiescente cœlos ascendit. Deinde velocitas movendi se de cœlis ad terram more Angelorum non congruenter fieret per motum progressivum, ubi tam exigui & curti sunt passus. Denique anima etiamnum separata potest se movere motu simplici, sed ex ratione & congruentia status illius perfectissimi videtur etiam assumpto corpore animæ id non denegandum, ergò.

VIII. Beati non poterunt se movere in instanti.

Dico Tertiò. *Beati tamen non poterunt se movere in instanti de extremo ad extremum, neque de extremo in extremo sine medio.* Probatur prima Pars. Quia talis motus instantaneus exigit, ut in eodem instanti mobile sit in medio, omnibúsque medii partibus, & extremo, atqui hoc non poterunt facere Beati, ergò. Probatur minor, quia tunc simul possent se collocare connaturaliter in diversis locis, sed hoc non competit eis, ergo. Nec obstat authoritas D. Anselmi, & aliorum Patrum, qui comparant celeritatem beatorum celeritati radiorum solarium, qui in instanti ab oriente transeunt ad occidentem: & celeritati visûs, qui in momento à terra usq; in cœlum protenditur, quia Patres solùm judicare volunt valde miram & incomprehensibilem esse eorum celeritatem.

Probatur secunda pars: Tum, Quia negamus actionem in distans non agendo per medium: Tum, Quia non est conceptibile, quomodo beatus in cœlo fuit, & mox sine transitu per firmamentum & aërem statim sit hic Pragæ, nisi in cœlo desineret esse, & eodem momento hîc inciperet esse per substantialem quandam reproductionem, atqui hic solus DEUS potest transferre creaturam, Ergò.

IX. Beati erunt potentes

Dico Quartò. *Beati non solùm erunt agiles, sed etiam potentes, & robu-*

Digitized by Google

ad moven- da corpora. *robusti ad maximas moles movendas & transferendas.*

Probatur, Tum ex Isaia supra: *Mutabunt fortitudinem:* Tum, Quia erimus similes angelis, at hi possunt præstare hoc: ergo. Tum, Aliàs dæmones possent Beatos detinere, &c. Tum ex D. Anselmo lib: supra citato, qui dicit cap: 52. *Præstabunt viribus quicunque supernis meruerunt civibus associari, in tantum ut nullatenus illis quisquam obsistere valeat: vel si movendo quid antevertendo voluerint, à suo statu quin illicò cedat. Nec in eo, quod dicimus, majori laborabunt conatu, quàm nos modò in oculorum nostrorum motu.* Et infrà: *Ne quæso similitudo illa Angelorum nostro excidat ab animo, quam adepturi sumus in futuro,* &c. *cùm igitur similes eis fuerimus, nunquam imbecilliores illis erimus*, & iterum idem S. Anselmus in citato capite: In futuro sic justus fortis erit, ut etiam, si velit, terram commovere possit: & sic econversò injustus imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis.

Dices. Superfluum erit hanc fortitudinem ponere in Beatis, quia nulla erunt amplius mutanda, vel movenda, cùm omnia sint futura ordinatissima. Respond: cum D. Anselmo supra: *Etsi actus illius fortitudinis non sit necessarius, sola tamen ejus possessio nobis grata erit & exultatio grandis.*

X. Causa agilitatis non est qualitas. Dico Quintò. *Causa Agilitatis non est aliqua qualitas corpori impressa, & DEO concessa.* Probatur: Tum, Quia qualitas corporalis solùm in unam partem impellit, ùt sursum vel deorsum, & motui in contrariam partem resistit, Beati autem in omnem partem se movere poterunt: Tum, Quia sequeretur motum eorum non futurum vitalem, quia non haberet principium vitale, sicut diffusio specierum visibilium non est vitalis, quia virtus effectrix non est anima, sed corpus, ergò, Tum, Quia tunc non possent se Beati movere ad imperium & voluntatem animæ, quia anima non habet imperium ad operationes qualitatum naturalium & corporalium, ita ut anima volente operentur, non volente non operentur, ergo.

XI. Nec oblatio gravitatis. Dico Sextò. *Causa Agilitatis non erit ablatio gravitatis & ponderis corporalis.* Ita Doctor subtilis suprà. Probatur, Quia in Beatis manebunt connaturalia corporum accidentia, ùt ossium durities, carnis mollities, nervorum lentor, & proprium membrorū singulorum temperamentum, sed gravitas & ponderositas est connaturale corporis accidens, ergò. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini lib: 13. de Civitate DEI, vult ideo corpora beatorum posse esse in cœlo, & non ruere deorsum, *Quia DEUS potest molibus præstare terrenis, ut nullo in ima pondere detrahantur.* Et infrà: *Concedendum DEO, ut de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat: congruentiam figuræ membrorúmque detineat, detrahat ponderis tarditatem.* Et cap: 20. ejusdem libri dicit, corpus dici spiritale, non quia vertetur in spiritum, *sed quia spiritui summa & admirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem; omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate & tarditate detractâ.* Et lib: 22. cap: 11. agens contra Platonicos, qui dicebant terrenum corpus non posse esse in cœlo propter ejus pondus: *Itane DEUS omnipotens, qui ipsa creavit elementa, terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans spiritus?* ergò. Respond: S. Augustinum non velle qualitatem gravitatis auferendam, sed ejus actum, quem DEUS suspendet, quo minus corpus trahat deorsum, & hoc ad nutum & libitum Beati, ita ùt si vellet eam inesse, eam revera haberet, v.g. si vellet motu progressivo pergere, vel vestigia infigere &c. ad hos actus enim juvat gravitas, alioquin

† Xxxxx DEUS

DEUS suspendet eam, & tunc beati ad motum nullam sentient resistentiam, non aliter ac si revera non inesset, sicut suspensa actione ignis nullus in contrectando igne sentietur calor, vel dolor. Sed

Dices. Si manet ibi gravitas, ergo corpus beati violenter movebitur sursum, imò violenter erit in cœlo. Responderi potest Primò, ùt modò responsum est ad S. Augustinum. Respond: Secundò. Negando sequelam, Quia quando sunt duæ potentiæ subordinatæ connaturalitas potentiæ superioris est major quàm inferioris, & sic quia anima beata per potentiam locomotivam non organicam habet, quòd possit suum corpus movere post resurrectionem versùs omnem loci positionem, hinc etiam corpus conformiter ad istam potentiam movebitur, & sic non erit motus violentus secundùm potentiam superiorem, licèt fortè secundùm potentiam inferiorem.

XII. Causa agilitatis assignatur. Dico Septimò. *Causa hujus Dotis erit partim ipsa connaturalis animæ potentia motiva, partim potentior concursus causæ primæ, & deniq; partim ablatio impedimentorum, quæ de facto sunt, quò minùs anima se, & corpus non nisi motu progressivo & valdè tardo movere potest.* Probatur. Quia nihil melius assignari potest, ùt patet ex dictis.

QUÆSTIO SEXTA.
De Dote Subtilitatis.

I. Subtilitas quid sit. PEr dotem subtilitatis aliud non intelligitur, quam vis & facilitas penetrandi corpora alia, ut duo simul esse possint, circa quam explicandam variæ sunt opiniones, namq; ùt refert D. Augustin: lib: 13. de Civit. cap. 23. fuerunt olim hæretici, qui docuerunt corpora Beatorum vertenda in spiritum. Eutychius Episcopus Constantinopolit: dixit corpora nostra vertenda esse & extenuanda in subtilitatem quandam aëream, ùt refert D. Gregorius lib: 13. Moral: cap: 31. & refutat ex cap: 19. 19. Job. ubi dicitur: *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Et quidem Durandus ponit hanc dotem in duobus: Primò in acumine sensuum proveniente ex perfecta organorum dispositione, & spirituum præstantia: Secundò in subjectione appetitûs inferioris sub dominio & imperio rationis, & his duobus præsentibus corpus rectè dici spirituale existimat, quia perfectè spiritui obedit. Verùm hæc nimis impropria est acceptio, nam illud dominium & perfecta subjectio partis inferioris ad rationem aliunde provenit, nempe à visione & fruitione beatifica. Deinde Durandus ad hunc explicandi modum confugit, quia existimavit penetrationem corporum esse impossibilem. Quare pro intelligentia quæstionis, unum prænotandum & alterum præsupponendum erit. II. Subtilitas per Durandû in duobus consistit.

Prænotandum igitur est aliqua posse esse sibi invicem repugnantia dupliciter, *formaliter* scilicet & *virtualiter*: *Virtualiter repugnans* à causa naturali est oppositum sui effectûs, ùt si sol de materia hac sublunari produceret vermem, & agens fortius superveniens, induceret in eandem materiam formam oppositam formæ vermis, istud agens virtualiter opponitur soli, quia habet virtutem producendi effectum contrarium effectui solis: *Formalis repugnantia* est illa, ex qua secundùm se, & suos effectus opponuntur, ùt album & nigrum, quæ ordinariè versatur tantùm circa idem subjectum. III. Repugnare sibi possit aliqua dupliciter.

Prænotandum Secundò. Inter duas quantitates seu dimensiones non esse repugnantiam formalem: Tum, Quia ordinariè sunt in diversis subjectis: Tum, Quia quantitas quantitati non contrariatur, unde est tantùm inter ipsas repugnantia seu oppositio virtualis quoad effectum, videlicet ex eo, quòd, quando una producit suum effectum, altera non possit IV. Inter duas quantitates non est repugnantia formalis.

possit illum producere: sit exemplum quantitatis effectus est replere locum, quando ergo una quantitas locum illum replevit, jam non poterit altera causa naturalis & quanta eundem amplius replere, quia jam est repletus. His præno-tatis

V. Penetratio corporum est possibilis. Supponendum tanquam certum, Penetrationem corporum esse possibilem, quod præclarè insinuat D. Augustinus Epist: 3. ubi dicit: *Ipsa virtus DEI per inviolatæ Matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum pascitur, non erit singulare. Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Et ratio etiam est: Tum, Quidquid non involvit repugnantiam & contradictionem potest divinitùs fieri, sed esse duo corpora in eodem loco, non involvit repugnantiam & contradictionem, ergò. Major est certa. Probatur minor. Ibi solummodo est contradictio, quando de eodem secundùm idem, & pro eodem aliquid affirmatur & negatur, sed quando duo corpora essent in eodem loco penetrata hoc non fieret, ergò. Tum potest esse aliqua quantitas absque extensione locali circumscriptiva, ergo poterit etiam esse unum corpus penetratum cum alio corpore; patet antec: Quia in Eucharistia est corpus Christi quantum, absque ulla extensione locali circumscriptiva, cùm totus Christus sit in tota hostia, & totus in qualibet parte: Probatur conseq: magis connaturale & annexum est quantitati se ipsam extendere circumscriptivè, quàm aliam expellere ab eodem loco, ita ut cùm alia componeretur, ergo: Probatur major. Quia quodlibet, quod est ad se, est magis adnexum absolutè, quàm quod est ad aliud, sed extensio ipsiusmet quantitatis est ad se, ergò. Itaque hoc supposito

VI. Beati habebunt dotem subtilitatis. Dico Primò. *Beati habebunt dotem subtilitatis.* Hæc deducitur ex D. Paulo supra, ubi de quarta dote dicit: *Seminatur corpus animale, surget spirituale*, ubi per corpus animale Patres intelligunt corpus crassum, impervium, grave, corruptibile, egens cibo, potu, quiete, somno. Per corpus spirituale, corpus in convenientia & similitudine ad spiritum, carens omnibus illis imperfectionibus; ut autem conveniat cum spiritu aliqua ratione inter cœtera requiritur, ut in motu & celeritate nihil ei obstet, unde opus est, ut facultate aliqua & vi penetrandi corpora absque ulla sui læsione, aut figuræ mutatione, prout faciunt spiritus, dotatum sit & decoratum.

Probatur Secundò ex Patribus, qui præfatum Pauli textum exponunt de dote subtilitatis in Christo, quàm etiam in nobis, nam D. Ambrosius lib: 10. in Lucam cap: 24. seu ultimo ait: *Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis qualitatem, impervia usu clausa penetravit. Nam quod tangitur corpus est, quod palpatur corpus est, in corpore autem resurgemus, seminatur enim corpus animale, surgit corpus spiritale: sed illud subtilius hoc crassius, utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum.* Et Damascenus lib: 4. de fide cap: ult: *Seminatur*, inquit, *corpus animale, id est, crassum, & mortale, suscitatur corpus spiritale, immutabile, impassibile, subtile*, (λεπτὸν) *hoc enim designat spiritale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens, infatigabile, cibo, somno, potu non indigens.*

VII. Subtilitatis dos non consistit in aliqua qualitate. Dico Secundò. *Dos subtilitatis non consistit in aliqua qualitate naturali, vel supernaturali corporibus beatis infusa.* Ita Doctor supra. Probatur, Quia nulla qualitas potest tollere effectum, quem habent duæ quantitates ad replendum locum, respectu cujus repugnantiam habent ad se invicem, ùt patet ex Notabili primo & secundo, ergò. Probatur antec: Nulla qualitas potest tollere repugnantiam, quam habent duæ formæ respectu ejusdem subjecti,

jecti, ergo nec respectu ejusdem loci. Deinde non potest concipi qualem mutationem illa qualitas possit inducere in corpora beata, ratione cujus fiant apta ad se, vel alia penetranda, nisi fortè corpus summè extenuet, ut sit instar aëris, quod tamen conditioni corporis humani repugnat, quod suam formam & spissitudinem servare debet. Et positâ, atque data tali extenuatione hæc nihil juvat ad penetrationem, nam etiam aër licèt vehementissimè commoveatur, aliud corpus penetrare non potest, nisi fortè poros intrando, quæ non est vera penetratio, sed veluti transitus per fistulam, parum autem refert, an fistula, per quam transit, sit laxa vel stricta, quod enim intra fistulam est, aliud spatium & locum obtinet, quàm ipsa fistula, atque ideò non sunt in eodem loco, sed diverso. Denique penetratio mutua corporum non est aliqua actio, sed coëxistentia corporum in eodem spatio & loco, ad quam qua ratione juvari possit aliqua qualitas superaddita intelligi nequit.

VIII. Nec in ablatione quantitatis.

Dico Tertiò. *Dos subtilitatis neque consistit in ablatione quantitatis.* Probatur. Quia si tolleretur à corpore glorioso quantitas, tolleret ab illo quoque esse in loco commensurativè & circumscriptivè, atqui hoc non debet neque potest à corpore tolli, ergò. Probatur minor: Quia tunc tollerentur etiam organa omnium sensuum & potentiarum externarum, quæ per quantitatem tanquam radicem, magnitudinem & parvitatem sortiuntur, ergò.

IX. Subtilitatis dos consistit in assistentia divina.

Dico Quartò. *Subtilitatis Dos in eo consistens, quòd Beatus instar spiritûs ad nutum suum corpora obvia penetrare possit, refundenda est in extrinsecam DEI assistentiam ratione juris cujusdam, quod beatus habet, quòd DEUS cum ipso ad talem penetrationem concurrat.* Probatur. Quia hic modus congruentissimus est, facillimus, & simplicissimus, ac multas evitat difficultates, éstque ad exemplum Christi Domini corpora penetrantis, & facilè allegari potest, quare Beatus non semper penetret quælibet corpora, quia DEUS non semper concurrit, nisi quando id rationabiliter exigit.

Probatur Secundò. Tum ex refutatis aliis opinionibus: Tum iterum quasi per corollarium: Quia si in aliquid aliud refundi posset, maximè in ablationem quantitatis, vel in sublationem extensionis localis, aut in aliquam qualitatem, in quæ tamen non refunditur, ergò. Probatur antec: Non primum, Quia quantitas est connaturalis corporis proprietas, adeóque auferri non est dicenda. Nec secundum, Quia ad transitoriam penetrationem deberet auferri corpori glorioso multiplex connaturalis perfectio, Primò ipsa localis extensio, visibilitas, palpabilitas, cùm tamen Apostoli intuerentur Christum in cœlum euntem, imò tunc nec ipsi Beati possent videre & tangere, quia ad hoc requiritur extensio localis.

Dices. Si Dos subtilitatis refundenda est in extrinsecam DEI assistentiam, poterit dici Christum habuisse hanc dotem, quando fuit adhuc in corpore mortali, quia habuit talem assistentiam. Respond: negando sequelam: Quia illa assistentia, quam Christus habuit, non fuit propter corpus gloriosum, sed quia hoc decens erat ad ostendendam ejus potentiam, sicuti etiam DEUS ad quævis miracula humanitati Christi adstitit.

Pro fine Quæstionis Nota ex Doctore & D. Bonaventura, Quòd sicut DEUS non concurret ad partes ejusdem beati, v. g. manus, pedes, &c. inter se penetrativè ponendas, sic etiam non concurret, ut se penetrativè ponat cum altero beato, habet enim beatus alter potestatem impediendi, nè corpus suum penetretur propter plenum dominium animæ in corpus, quamvis altero consentiente id fieri posse non repugnet DEO concurrente.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De operationibus sensuum Beatorum, eorúmque oblectamentis.

I. Quæ in beatis non aderunt. QUia nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se, ideò dici potest omnia futura ibi bona, nulla mala; omnia convenientia, nulla disconvenientia prout ait D. Chrysostomus epist: 5. ad Theodorum lapsum: *Concipe animo statum vitæ illius, quantum homini concipere datur: nam juxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest: ex iis tamen quæ audimus, ceu per ænigmata conjecturam quantulamcunque faciemus: Abivit, inquit, dolor & tristitia, & gemitus. Quid igitur eâ vitâ beatius erit? Non est cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit contumeliosum, nec iniquè oppressum, nec exasperatum, aut irascentem, aut invidentem: nemo ardentem absurdâ concupiscentiâ, aut mœrentem propter sumptum necessarium, aut à magistratu vapulantem, omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur: omnia erunt pax, lætitia, gaudium, omnia serenitas & tranquillitas, omnia dies & splendor & lux: lux non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni: neque enim oculitùr illic aut nocte, aut congressu nubium, nec urit, neque inflammat corpora: nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec æstus, nec alia hujus generis immutatio: sed omninò alia est conditio; quam demum ad hoc idonei reperiri intelligent: non est illic senium, nec senectæ mala, quæq; obnoxia sunt corruptioni, è medio & è pedibus, quod ajunt, tollentur.* Sed quia hæc genericè dicta sunt, addenda puto aliqua specifica quoad singulos sensus, & imprimis:

II. Beati habebunt perfectas potentias & sensus. Dico Primò. *Beatorum Corpora habebunt suas perfectissimas potentias, & integerrimos quinque sensus exteriores, ad eorum usum debitissimè dispositos, & ordinatissimè ad oblectamenta statui conformia accommodatos.* Probatur: Tum, Quia aliàs frustra assumeretur corpus, si non foret ibi sensuum usus & oblectatio, cùm corpus animæ non sit necessarium aut utile, nisi propter sensuum usum: Tum, Quia singuli sensus sunt capaces summæ cujusdam perfectionis sui ordinis, quæ singulorum est beatitudo, quam facilè, & sine incommodo vel indecoro possunt in patria habere: Tum, Quia anima non solùm est rationalis, sed etiam sensitiva, & in utraque parte capax est oblectationum, & vitæ cujusdam beatæ, ergo non solùm in parte rationali habebit suam delectationem per visionem & fruitionem, sed etiam in parte sensitiva ex perceptione præstantissimorum objectorum sensibilium singulis sensibus accomodatorum: Tum, Quia sancti in sensibus habuerunt multas afflictiones & mortificationes propter Christum, maxima enim pars tormentorum, quæ sustinuerunt Martyres, omnes Anachoretæ & Religiosi fuit in sensibus externis, ergo conveniens est, ut etiam recipiant aliquam consolationem: Tum denique à pari, seu ab opposito; damnati in omnibus sensibus recipient maxima tormenta, ergo etiam beati in iisdem maxima solatia, non enim est DEUS severior in puniendo, sed benignior in remunerando. Et ut de singulis in speciali aliquid referam.

Dico Secundò. *Beati habebunt suum gaudium, beatitudinem & corporum oblectamenta in cœlo, non verò supra cœlum empyreum, ita ut pedibus insistant superficiei convexæ, & toto corpore sint extra mundum.* Hæc est de mente omnium fidelium contra Cajetanum & quosdam alios. Probatur Primò, authoritate Scripturæ, quæ passim thronum, ac sedem DEI & regnum ejus, quod est sanctorum Angelorum ac hominum societas, statuit in cœlo, non extra cœlum, ut Psal: 2. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Psal: 10. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Psal: 88. *Misericordia ædificabitur in cœlis.* Psal: 102. *Dominus* III. Beati erunt in cœlo nō supra cœlū.

minus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ejus omnibus dominabitur. Stephanus vidit cœlos apertos, & JESUM stantem à dextris DEI. Apocal: 21. & 22. describitur cœlum tanquam civitas ornatissima, plena lucis & amœnitatis, sed supra cœlum nihil erit, & spatium illud planè imaginarium est, & fictitium, nihil amœni, pulchri, veri, boni habere potest, alioquin non esset imaginarium.

Probatur Secundò authoritate Sanctorum Patrum, qui omnes Regnum DEI & gloriam Sanctorum in cœlo constituunt, audi D. Bernardum Serm: 1. in Psal: *Qui habitat*, ubi dicit: *At verò diligenter attende, quod, in protectione, dicit, non in præsentia. Angelus in præsentia ejus exultat: ego utinam possim in ejus protectione morari. Ille beatus in præsentia, ego utinam in protectione sim securus. DEI cœli, inquit. Licèt enim NB. ubique esse non dubitetur, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod & orantes dicimus: Pater noster, qui es in cœlis. Sicut enim anima cùm in toto quoque sit corpore, excellentiùs tamen & singulariùs est in capite, in quo sunt omnes sensus (nam in cœteris omnibus membris vix unum exercet solum, scilicet tactum, unde quantum ad eum modum, quo in capite est, cœtera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quàm regere) ita si præsentiam illius cogitemus, qua beati Angeli perfruuntur, videri possumus vix aliquam DEI protectionem & nomen habere.* Ita quod credam esse piarum aurium offensivum contrarium dicere.

Probatur Tertiò rationibus: Tum, Quia cœlum dicitur domicilium beatorum, templum DEI, in quo serviunt ei sancti die ac nocte Apocal: 7. ergo sunt intra cœlum, quia si essent in superficie convexa, dicendi forent esse supra tectum palatii & templi: Tum, Quia imaginarium illud spatium non est accommodatum habitationi beatorum, cùm extra mundum & universum non conserventur ullæ res creatæ: Tum, Quia natura abhorret à vacuo, ergò magis gratia: Tum, Quia si beati erunt extra mundum super extimam convexam cœli empyrei, vel omnes erunt æqualiter super illam partem convexam, vel alii aliis sublimiores, & elevatiores: Sed neutrum dici convenienter potest: Non primum, alioquin sequetur corpora beatorum ipsasque animas non habituras differentiam locationis secundùm majora merita, ampliorémque gratiam, cùm tamen dicatur, quò perfectiores sunt futuri sancti, eò viciniores ad DEUM locatione sint futuri. Si verò dicatur sanctos futuros alios aliis elevatiores, tunc sequetur Christum Dominum, B. V. Mariam, & alios sanctos illustriores non futuros supra convexam cœli, sed in illo imaginario veluti suspensos & sublevatos futuros. Denique sequeretur tantam pulchritudinem cœlorum, de qua plena sunt Sanctorum Patrum scripta in solo pavimento extituram, quæ omnia sunt inconvenientia. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Pauli ad Ephes: 4. *Qui descendit, ipse est, qui & ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*, ergo si Christus est supra cœlos omnes, etiam sancti erunt ibi, quia erunt cum Christo. Respond: S. Paulum tantùm velle Christum ascendisse super omnes cœlos firmamenti, non verò supra cœlum empyreum ad extra, est enim textus ille accipiendus in sensu accommodo super omnes cœlos, empyreò exceptò, sicut si quis ascenderet in palatio ubi sunt quinque contignationes ad quintam, tunc verè posset dici ascendisse super omnia cubicula, quæ sunt in illo palatio, vel dico, Christum ascendisse super omnes cœlos quantùm ad situationem, ut denotetur elevatio ejus, sublimitas, & supereminentia super omnes alios Sanctos, qui sunt etiam cœli, & enarrant gloriam DEI.

Dico Tertiò. *Oculi habituri sunt suam beatitudinem in aspectione corporum pulchrorum maximè Christi Domi-* IV. Oculi beatorum habebunt delectationẽ.

Domini, & B.V. M. Ratio est, quia corporum pulchritudo maxima est, quæ in potentiam visivam cadere potest, & ipse actus videndi erit clarissimus & perfectissimus, non enim splendor corporum turbabit spiritus oculorum, sicut in hac vita turbat splendor solis, sed perfectissimè corroborabit. Si enim in aspectu florum & gemmarum voluptas est, quanta etiam erit in aspectu innumerabilium beatorum, quorum singuli instar solis fulgebunt, præsertim cùm singuli omnibus parentibus & filiis sint nobis futuri chariores, quanto enim quis nobis est charior, tanto magis ejus pulchritudine delectatur. His accedet aspectus aliarum rerum pulcherrimarum, quæ ibi erunt, si enim hîc sunt tam diversæ res, variæ formæ, plurimæ figuræ, quæ oculos oblectant, quid non erit in illa beata patria?

V. Aures beatorum in cælo Symphoniam percipient.

Dico Quartò: *In cælo habebunt beati quoque beatitudinem ex perceptione suavissimæ symphoniæ & cantus.* Probatur primò ex Scriptura Psalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis: Exaltationes DEI in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum*, ubi *exaltationes DEI* vocat laudes, quibus beati DEUM extollunt, ejúsque gloriam magnificant, nec solæ erunt in mente, sed *in gutture eorum*, id est, voce & ore. Apocal: 5. *Et cantabunt canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* & cap: 14. *Et cantabunt quasi canticum novum, ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* & cap. 15. *Et cantantes canticum Moysi servi DEI, & canticum Agni dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine DEUS omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.*

Probatur Secundò ex Patribus D. August: in manuali cap: 6. ubi ait: *Sonant ibi semper mellistua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à supernis civibus decantantur. Amaritudo & omnis fellis asperitas in regione tua locum non habent.* & cap: 25. Meditationum: *Omne opus eorum laus DEI sine fine, sine defectione, sine labore: felix ego & verè in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa cantica cælestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis supernæ Patriæ civibus, beatorúmque spirituum agminibus. Fortunatus ego nimiúmque beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, DEO meo, Duci meo, & cernere eum in gloria sua.* D. Anselmi in Prosologia cap: 25. ubi ait: *Quid ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corpori tuo? si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui, si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil possit obsistere, similes erunt Angelis DEI, quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale, potestate utique non natura. Si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas, quia justi in perpetuum vivent, & salus justorum à Domino. Si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria DEI. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domûs DEI. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine DEO.*

Probatur Tertiò ratione. Quia cùm homo constet corpore & animo, congruum est, ut non solùm mente & animo, sed etiam corpore & ore DEUM laudet: Tum, Quia homo ex magno amore naturaliter inclinatur ad cantandum etiam in via, ergo magis in patria, ubi beati perfectissimè & plenissimè DEUM amabunt, & ex amore ùt Seraphini ardebunt, unde non est mirum, si mentis suavitas in corpus redundans illud elevet ad jubilandum. Hinc D. Gregorius lib: 8. moralium cap: 39. ait: *In illa æterna patria cùm justorum mens in exultationem rapitur,*

tur, lingua in cantum laudis elevatur.

VI. In cœlo empyreo erit aura levis.

Dices. Ad cantum & sonum est necessarius aër, sed in cœlo empyreo non erit aër, ergo non poterit ibi esse cantus vel symphonia. Respond: distin: maj: connaturaliter, & in hoc mundo loquendo, concedo maj: supernaturaliter, nego majorem & minorem. Unde verum est quidem, non futurum ibi aërem elementarem, attamen existimo ibi futurum aliquod corpus lene, spirabile instar aëris, quod sit aptum spirationi & respirationi, alioquin non videtur esse locus aptus vitali Sanctorum commorationi.

Instabis Job. 37. *dicuntur cœli solidissimi quasi ære fusi.* Respond: Hoc verum esse secundum partes extimas, non verò intimas, nam verisimile est infimam partem cœli empyrei esse solidam, stabilem & firmam, ideo in Scriptura vocatur terra viventium Psal: 26. & 27. unde D. Augustinus lib: 1. de sermo: Domini in monte sic ait: *De qua in psalmo dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Significat enim quandam soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra: & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies, & vita Sanctorum.* Mediam partem puto futuram spirabilem per amplissima spatia circumquaque diffusam, in qua in magno splendore, gloria, optimo temperamento, & omnibus deliciis habitabunt Sancti. Supremam iterum existimo futuram solidam, ut aura illa lenis, suavis, favonia & Zephyrina includatur & contineatur, ad hoc sentiendum me movet Scriptura & SS. Patres, qui passim loquuntur de cœlo tanquam de amœnissima Civitate, apta & commoda ad habitandum & commorandum.

Quàm magnum verò spatium illud intermedium sit futurum, ignotum omninò est, credendum tamen maximum fore & sæpiùs excedere distantiam à terra usque ad sphæram Lunæ, nam quo altiores sunt sphæræ, eo ampliora sunt spatia intermedia &c.

VII. Odoratus in cœlo sentiet suaves odores.

Dico Quintò. *Beati in odoratu quoque habebunt suam felicitatem, qui vel ab ipsis corporibus, vel à loco proficiscatur.* Probatur primò ex Scriptura Eccles: 24. ubi sapientia divina mirè invitat ad sui amplexum, utique perfectum in beatitudine ex suavitate odorum dicens: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: Et quasi storax & galbanus & ungula & gutta, & quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus.* Apocalyp: 5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Idem habent Patres passim: audi S. Laurentium Justinianum lib: de doctrina Monasticæ conversationis cap: 23. *Fragrans quoque suavitas cœlestium odoramentorum mira liquefactione respergет odoratum.* & ratio est, Quia damnati sustinere debebunt summum ingentissimum fœtorem in inferno, ergo beati quoque habebunt perfectissimos odores, sicuti enim illi propter delicta per odoratum commissa punientur, ita beati propter mortificationes in odoratu passas odore gratissimo reficientur.

Dices. Odores non fiunt nisi per evaporationes corporum odoriferorum, atqui in cœlo non erunt hujusmodi evaporationes, ergo. Respond: nunc quidem verum esse odorationes quasi ordinariè fieri per evaporationes, non est tamen opus, ut semper sic fiant, & maximè divinitus, ubi corpora odorifera sine evaporatione odorem aliis communicare poterunt. Et quid mirum hoc est, nam certè odores illi, quos feræ ex vestigiis suis relinquunt, vix in vaporibus consistunt, qui citò evanescunt, & tamen post plures dies à canibus deprehenduntur, & sentiuntur. Deinde pro certo teneri debet, hos odores cœlestes futuros alteri-

terius rationis à mundanis, terrenis, & modernis, utinam trahat nos in odorem unguentorũ suorum sponsus cœlestis, quos ibi vel maximè disperget.

VIII. Gustus & tactus habebunt in cœlo sua oblectamenta.

Dico Sextò. *Sensus gustûs & tactûs quoque habebunt suam felicitatem & oblectamenta.* Hæc deducitur ex Scriptura ab opposito de damnatis, nam Lucæ 16. Epulo cruciatus fuit in flamma, & æquè alii damnati sic cruciabuntur, & pro refrigerio petiit saltem guttam aquæ, ergo beati tam in gustu quàm in tactu sentient quoque oblectamenta sibi convenientia, pulchrè totam hanc veritatem describit D. Anselmus in lib: de similitud: cap: 57. ubi dicit: *In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit, quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa & cuncta singulatim, singulàque membra eorum, in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, ut verè totus homo torrente voluptatis DEI potetur, & ab ubertate domus ejus inebrietur.*

IX. Generalis descriptio beatitudinis

Si quis vitæ beatæ descriptiones elegantes desiderat legere, volvat opera Divi Chrysostomi, Anselmi, Justiniani, Bernardi, ego unicam addo paraphrasim ex Divo Augustino in soliloquiis animæ ad DEUM, cap: 35. ubi dicit: *Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, & non aliquid malum: ubi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles, ubi erit vita vitalis, dulcis & amabilis, sempérque memorialis: ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata trinitas, & trinitatis unitas, & unitatis deitas, & deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini DEI tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quòd non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam DEUM meum, qui habitat in te? O æternum regnum, regnum omnium sæculorum, ubi lumen indeficiens, & pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, in quo Sanctorum animæ requiescunt, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. O quàm gloriosum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso. O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi tu Domine spes Sanctorum & diadema gloriæ, facie ad faciem videris à Sanctis, lætificans eos undique in pace tua, quæ exuperat omnem sensum. Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo: ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi lætitia semper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.*

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Purgatorio & Inferno.

QUemadmodum virtutis Prœmium eſt beatitudo cœleſtis, ſic vitiorum ſupplicium eſt infernus, quilibet enim recipit prout in corpore geſſit ſive bonum ſive malum, unde ſicuti poſt virtutes egi nonnihilum de vitiis, ſic poſt beatitudinis explicationem de Malo oppoſito pœnarum agam, quæ in duplici ſunt differentia, aliæ enim ſunt perpetuæ, & ſunt eorum, qui in peccato mortali decedunt impœnitentes; aliæ verò ſunt temporaneæ, quas patientur ii, qui licèt in mortalem culpam lapſi ſint, de ea tamen dolentes abſoluti fuerunt, quibus mutatur pœna illa æterna in temporaneam, pro qua ſi in præſente vita non ſatisfaciunt, ſatis pati debent in futura per purgantes flammas, de utriſque agam hîc, & in primis ſit

QUÆSTIO PRIMA.

An detur Purgatorium?

I. Purgatorium negârunt Aeriani.



VNa ex ſolemnioribus controverſiis hujus temporis eſt de Purgatorii exiſtentia, & Primo omnium implicitè negavit Aërius, de quo ſic loquitur Auguſtinus: *Aëriani ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cum eſſet presbyter, doluiſſe fertur, quòd Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens: orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* tom: 6. de hæreſ: ad Quod vult Deum hæreſi. 53. Expreſſè autem impugnant illud Petrobruſiani ſeu Apoſtolici circa annum 1124. uti refert S. Bernardus Serm: 66. in Cantica dicens: *Non credunt autem ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum eſſe, quod nec in hoc, nec in futuro ſæculo dimittetur, & cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio, purgatióve peccati!* Petrobruſianos, qui orignem habent à Petro de Bruis, ſecuti ſunt Waldenſes, Lutherus, Philippus Melanchthon, Brentius, Zvvingliani, Calvinus cum ſuis ſequacibus, & pluribus aliis hujusmodi farinæ homuncionibus, contra quos omnes reſolutivè ad quæſtionem

Dico. *Datur locus aliquis ſubterraneus ab inferno damnatorum diſtinctus, in quo purgantur animæ cum reatu ſolo pœnæ decedentes, qui Purgatorium non inconcinnè dicitur.* Ita fides Catholica contra hæreticos, & Probatur primò ex Scriptura 2. Machab: 12. ubi dicitur, quòd Judas *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium juſtè & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* II. Datur Purgatorium.

Sancta

Sanctâ ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Quid clariùs dici potest? si enim à peccatis solvi possunt mortui, locus aliquis esse debet, ubi commorentur adhuc in peccatis (reatu) detenti, à quibus solvi necesse habent. Sed

III. Libri Machabæorū sunt Canonici. Dices. Hos libros esse apocryphos, nec ab Ecclesia receptos, hinc etiam D. Augustinus asserit eos non esse de numero illorum, qui valent ad adstruendum dogma fidei, sed solùm qui valent ad morum ædificationem, ergò. Sed contra. Falsissimum est, quod assumitur, nam in vetustissimo librorum Canonicorum catalogo etiam isti enumerantur, ùt in Concilio Carthag: 3. sub Syricio Papa anno Domini 384. can: 47. Item in Epist: Innocentii, qui rexit 401. ad Exuperium Episcopum Tolosanum cap: ult: imò ipse D. Augustinus lib: 2. de doct: Christi. recensens libros canonicos tam veteris quam novi testamenti sic ait: *Totus autem Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus in his libris continetur, Quinque Moysis id est Genesi, Exodo &c. - - - - - sunt aliæ tanquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job & Tobias, & Esther & Judith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo.* Et infra *His quadraginta libris veteris testamenti terminatur authoritas, ergo non modò ex Ecclesiæ receptione, sed etiam ex Augustino habetur, istos libros canonicos esse.* Deinde falsum quoque est D. Augustinum facere illam distinctionem de libris, qui ad dogmata fidei valent, & iis, qui valent ad ædificationem morum, nam loco supra citato hæc adhuc habet: *In his omnibus libris timentes DEUM, & pietate mansueti quærunt voluntatem DEI, cujus operis & laboris prima observatio est, ùt diximus, nosse libros istos, & si nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omninò incognitos non habere: deinde illa, quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi solertiùs diligentiùsque investiganda sunt,* ergo D. Augustinus testatur, omnes istos libros non tantùm esse *præcepta vivendi*, sed etiam *regulas credendi.* hinc ipse quoq; his libris utitur ad probandum tanquam dogma fidei, quòd sit orandum pro mortuis, nam lib: de cura pro mortuis hæc habet cap: I. *Poterat inquisitioni tuæ sufficere mea brevis ista responsio: Sed quia alia monent, quibus respondendum existimo, parumper attende. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed & si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parvà est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

Instabis. D. Augustinus lib: 2. contra Epist: Gaudentii cap: 23. ait hunc librum non esse paris authoritatis cum lege, Prophetis & Psalmis, sed tantùm esse utilem, si sobriè legatur, ergo hic liber non valet ullatenus ad adstruendum aliquod dogma fidei, Respond: S. Augustinum non dicere non esse paris authoritatis in Ecclesia DEI, ut non sufficeret ad adstruendum dogma fidei, sed Hebræos illos non habere pro talibus, unde etiam Christus Dominus illis (Psalmis, Legi, & Prophetis) testimonium perhibuit, verba D. Augustini sunt, *Et hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis dicens, oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me. Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur.* Hoc idem docet lib: 18. Civit: cap: 36. Quòd verò dicat tò, *si sobriè legatur,* nihil demit eis de authoritate, quia hoc dicit nè putemus exempla imitanda eorum, qui se in his libris occidisse leguntur, sicut etiam hac ratione legendus est liber Genesis, nè existimemus incestum Judæ imitandum,

 sic

sic sobriè etiam legenda sunt Cantica Canticorum, sic Pauli Epistolæ, sic omnis Scriptura, quæ posita est in muscipulam insipientium.

Urgebis. Si esset canonica Scriptura, non deberet Author se excusare & petere veniam errorum, cùm Spiritus Sanctus, per quem Scriptura Sacra canonica dictatur, non sit Magister erroris. Respond: Authorem non petere veniam errorum, sed elocutionis, qualiter se etiam ipse D. Paulus excusat de sermonis imperitia, nam Spiritus S. accommodat se etiam naturalibus donis & scribentis stylo, unde apparet in ipsis Prophetis, quanta sit diversitas, nam Isaias stylo sublimi suam exaravit Prophetiam, Amos verò rustico, & sic de aliis.

IV. In futuro sæculo dimittentur aliqua peccata.

Probatur Conclusio Secundò. clarè ex illo Matth: 12. ubi dicit Dominus peccata aliqua esse, quæ nec in hoc nec in futuro sæculo dimittuntur, ex quo loco colligunt Patres communiter esse aliqua peccata, quæ in futuro sæculo dimittuntur, ùt *August: lib: 21. de Civit: cap: 24. & lib: 6. contra Juli: cap: 5. Gregorius, Beda* &c. tunc sic: In futuro sæculo est aliquod peccatum, quod remitti potest, sed illud non in cœlo remittetur, quia nihil coinquinatum intrabit, adeóque jam antecedenter debebit esse dimissum; nec in inferno illud remittetur, quia ibi nulla est redemptio, ergo datur alius locus, quem vocamus Purgatorium. Hinc præclarè D. Bernardus Serm: 66. in Cant: ait: *Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum esse, quod nec in hoc, nec in futuro sæculo dimittetur, & cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatióve peccati?*

Probatur Conclusio Tertiò 1. ad Corinth: 3. ubi D. Paulus ait: *Si quis ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, si cujus opus manserit, quod superædificabit mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Qui locus tantus est, ut Doctor subtilis asserat, totam doctrinam de purgatorio fundari super eum: sensus autem est, *qui ædificat* (super Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos*, id est, bona opera, *ligna, fœnum, stipulam*, peccata venialia, quæ cum gratia manent, unde adhuc dici possunt superædificari super Christum, quia licèt ædificium hoc non promoveant, illud tamen non destruunt, vel peccata mortalia per pœnitentiam quoad culpam remissa, & quoad pœnam luenda, sic exponit D. Hieronymus lib: 2. contra Jovinianum. *Dies Domini declarabit*, id est dies mortis, & judicii cujuslibet in particulari, quia in igne purgatorio revelabitur &c. *Si cujus opus manserit*, id est, opera bona, non patietur detrimentum, si quorum opera fuerint veluti fœnum, lignum, stipula, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, *sic tamen quasi per ignem*, dicit notanter *quasi per ignem*, quia absolutè per ignem salvus non erit, sed per gratiam Christi. Dicit etiam supra *probabit quale opus fuerit*, quia bona opera non cremabuntur ibi, sed probabuntur, sicut aurum non crematur, aut destruitur per ignem, sed probatur.

V. Ignis probabit opera hominis.

Ita hunc locum exponunt Origenes in Jerem: hom: 12. Theodoretus Cyri Episcopus in 3. cap: 1. Corinth: Oecumenicus in. 3. 1. Corinth: Cyrillus lib: 14. in Levit: Cyprianus lib: 4. Epist: 22. Ambrosius 1. Corinth: 3. Hieronymus ibidem, Gregorius 4. Dialog: cap: 35. &c. & præ omnibus D. Augustinus in Enchiridion cap: 67. & 68. lib: de fide & operibus cap: 15. lib: 20. de Civit: DEI cap: 21. & 26. ex omnibus unum adduco textum in Psal: 37. propè initium habetur tom: 8. ubi sic ait: *Neque in ira tua*

Digitized by Google

tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia hic ædificant supra fundamentum, ligna, fœnum, stipulam? si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroq; igne securi essent: non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios: sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita, Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati, tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati & boni.

VI. Ignis non significat afflictionē. Dices. Per ignem hic intelligi non ignem Purgatorii, sed ignem afflictionis & tribulationis, ita ut sensus sit, qui pro Christo afflictiones & tribulationes passus fuerit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, quasi per ignem transiret. Nec per diem Domini intelligitur ibi dies mortis, sed dies, quo revelabitur cujuslibet doctrina, an aurum sit, argentum, vel an fœnum & stipula, ergo ex hoc D. Pauli loco nihil probatur pro Purgatorio. Sed Respond: ad primum, quamvis etiam in sensu morali & concionatorio ille locus explicari possit pro igne afflictionis & tribulationis, ut fecisse nonnunquam D. Augustinum constat, Eum tamen & ipse D. Aurelius, & alii Patres ordinariè intelligunt de igne purgatorii. nam D. Augustinus Hom. 18. ex homiliis 150. ait: *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus ait: salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et in Psal: 37. ait: *Neque in ira tua corripias me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Et tandem in Enchiridio cap: 169. dicit: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest, & aut invenire, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium quantò magis minùsve bona præsentia dilexerunt, tanto tardiùs, citiùsque salvari.* Sic intelligit eundem textum D. Ambrosius in Psal: 38. ubi hæc habet: *Etsi salvos faciet Dominus servos suos & salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem, & si non exuremur, tamen uremur.* D. Gregorius in orat: pro mortuis ait: *Non poterit à corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas ignis purgatorius abstulerit, &c.* Quare Respond: ad secundum, illam expositionem quoque esse extortam, & contra Sanctorum Patrum mentem, cùm Patres tò *Dies Domini*, exprefsè exponant diem judicii. Denique dies prædicationis & doctrinæ non potest appellari dies Domini, quia nunquam manifestabitur in hac vita, quodnam sit verum Evangelium, quæque vera doctrina, sed solùm tunc revelabitur, quando quilibet recipiet prout in corpore gessit, nam defacto fides non est clara notitia & manifestatio, sed obscura; quare etiam D. Paulus totum capite sequenti refundit in Diem Judicii dicens: *Qui me judicat, Dominus est, itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc unicuique laus erit à Domino.*

Probatur Conclusio Quartò. Ex Scriptura 1. Corinth: 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent:* Id est, quid faciunt, qui se affligunt, & pœnitentiam agunt pro juvandis mortuis, si mortui non resurgent, ergo supponit D. Paulus non esse vanum & inutile se affligere pro mortuis. Quod valet etiam si per tò *baptizantur pro mortuis* intelligerentur lavacra & cæremoniæ Judæorum, quæ solebant adhibere pro mortuis. VII. Quid sit baptizari pro mortuis.

Probatur Quintò ex pluribus aliis textibus, quamvis non ita convincentibus, sicut superiores ex antiquo testa-

testamento Tobiæ 4. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* 1. Reg: ult: & 2. Reg: 1. *Habitatores Jabes Galaad, quæcunque fecerant Philisthiim Saul. Surrexerunt viri omnes fortissimi, & ambulaverunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan: veneruntque Jabes Galaad, & combusserunt ea ibi: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem diebus.* Malach: 3. *Ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes Sacrificia in justitia.* Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Item ex novo testamento ad Philippenses 2. *In nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Apocaly. 5. *Et vidi & audivi - - - - - - omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum.* Certè infra terram non laudant DEUM damnati, nam *in inferno quis confitebitur tibi,* ait David Psal: 8. & Psal: 113. *Non laudabunt te, qui descendunt in infernum,* ergo alius debet esse locus, Nec potest dici esse Lymbus Patrum, nam quando Paulus & Joannes illa scripserunt, Lymbus jam erat evacuatus, jam *Dominus captivam duxerat captivitatem.* ad Ephes: 4. ergo.

VIII. Concilia adstruunt purgatorium.

Probatur Conclusio Sextò Authoritate Conciliorum Provincialium & Generalium, quæ vel expressè Purgatorii mentionem faciunt, vel determinant, vel saltem eo ipso adstruunt, quò orationes & suffragia pro mortuis fieri jubent.

Carthaginens: III. can: 29. celebratum in Africa circa annum Domini 417. ubi dicit: *Placuit, ut Sacramenta Altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die Anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum sive Episcoporum, sive cœterorum commemoratio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.*

Toletan: III. in Hispania præsentibus totius Hispaniæ & Gallitiæ Episcopis, & Rege Reccardo, post triduanum jejunium celebratum circa annum 580 dicit: *Psalmis tantummodo & psallentium vocibus debent ad sepulturam deferri*, defuncti videlicet, ut per hymnos & preces veniam & liberationem è purgatorii loco consequantur.

Lateranense omnium maximum, quod fuit in Europa, in quo præter omnium Regum legatos fuerunt Patres 1285. celebratum anno Domini 1280. in ejus can: 66. sic dicitur: *Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quòd quidem Clerici, pro exequiis mortuorum, & benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent, & si fortè cupiditate eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt,* &c.

Constantiens: in Germania celebratum 1414. ab omnibus Christianis expetitum, & præsentibus Pontifice & Imperatore, quatuor Patriarchis. 29. Cardinalibus. 47. Archi-Episcopis. 160. Episcopis. Abbatibus & doctis 564. ubi inter alios articulos Wichlefii damnat quoque istum: *Non esse fundatum in Evangelio, quod Christus Missam, in qua solenni ritu pro defunctorum salute oratur, ordinaverit.*

Florentinum celebratum 1438. ubi in ejus decreto sequentia habentur: *Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ DEI pro vivis & defunctis.* & paulò ante. *Definimus pœnitentes, qui in DEI charitate decesserunt, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfaciunt, eorum animas pœnis purgatoriis purgari, & cœtera.*

Et tan-

Et tandem Tridentinum summa Theologiæ & Fidei nostræ Sess: can: 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendo, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

Ex quibus omnibus infertur, arrogantissimum spiritum debere esse & superbissimum ingenium, quòd suum judicium præfert tot sanctis viris, & solemnibus ex omni terrarum orbe confluentibus, consentientibus & conclamantibus purgatorium dari, pro animabus defunctorum suffragia sanctè & salutariter fieri, ergo.

IX. Pontifices affirmant. Probatur Septimò ex Pontificibus Symacho, & habetur causa 16. q. 1. & in canonibus, qui vixit anno 500. *Valdè iniquum & ingens sacrilegium est, quæcumque pro remedio peccatorum, vel pro salute animarum suarum, aut requie, unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maximè servari convenit Christianis, & DEUM timentibus hominibus, & super omnia à Principibus & primis Regionum, in aliud transferri & commutari.*

Gregorius Magnus lib: 4. Dialog: cap: 15. vixit anno 590. *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multùm solet animas, etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ salutaris adjuvare; ita ut hanc non nunquam ipsæ Animæ defunctorum expetere videantur.*

Gregorius II. Epistola ad Bonifacium vixit an: 745. *Sancta sic tenet Ecclesia: ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, ut Presbyter eorum memoriam faciat.*

Innocentius III. habetur Extra. de sepulturis. vixit anno 1200. *Fraternitatem tuam credimus non ignorare mortuorum sepulchra & cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationis atque Missarum solemnia tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentius celebrantur.*

Honorius III. habetur *de celebr: Miss: cap: cùm creatura.* vixit 1220. *Mandamus quatenus in vos nullum torporem negligentiæ obrepere permittatis, quo minus pro Anniversariis defunctorum Missarum solemnia celebretis.*

Probatur Octavò ex Patribus Græcis & Latinis. Dionysio Areopagita à S. Paulo converso, & à S. Clemente S. Petri discipulo misso in Galliam vixit circa annum Domini 80. Hic libr: de Eccles: Hierarchia cap: 7. sic habet: *Deinde accedens summus Sacerdos orationem sacratissimam super eo (defuncto) facit, & post orationem ipse summus Sacerdos salutat dormientem, & post eum præsentes omnes. Precatur autem Divinam clementiam, ut cuncta dimittat, per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione vivorum in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob: in loco ubi aufugit dolor, tristitia, & gemitus.* X. Patres docent idem.

Basilio Magno in Liturgia, vixit an: 380. *Qui in ipso perfectissimo & salutari festo supplices quidem expiationes, pro his, qui in inferis detinentur, suscipere dignatus es, exaudi nos te rogantes, non mortui laudabunt te, nec qui sunt in inferno confitebuntur tibi: sed nos qui vivimus pro eorum animis supplicamus.* Rursum: *Memento DEUS omnium dormientium, in spe resurrectionis vitæ æternæ, refrigera eos ubi visitat lux vultûs tui.*

Chrysostomus hom. 32. in Matth. & hom. 3. in 1. ad Philippenses vixit 380. *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? cur Presbyteros, ut velint pro eo orare, obsecras? Non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium Judicem inveniat. Rursum: defleamus istos* (mortuos) *juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos. Quomodo? qua ratione? precantes adhortemur & alios, ut pro ipsis orent, pau-peri-*

peribus indesinenter pro illis eleemosynas demus, &c. Et alibi rursum: *Non tamen ab Apostolis hæc sancita fuerunt, nempe ut tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

Epiphanius Salaminæ, Cypri Episcopus lib: 3. hæresum. 78. vixit 390. *Quod* (inquit) *proferantur nomina vitæ defunctorum, quid magis utile. Quid commodius quàm quòd præsentes credunt, quòd hi, qui decesserunt, vivunt: & non sunt nulli: sed sunt & vivunt apud Dominum?* Et infrà: *Prosunt autem & preces, quæ pro ipsis fiunt, etiamsi totam culpam non abscindant: Deinde verò, rursus ad propositi argumenti sequentiam veniam, quòd Ecclesia necessariò hoc perficit, traditionibus à Patribus accepta, Quis autem poterit statutum matris dissolvere? aut legem patris?*

Cyprianus, Sanctissimus Christi Martyr lib.1. epist.9. vixit anno Christi 240. in Africa: *Sacrificia* (inquit) *pro eis* (*Celerina, Laurentio, & Ignatio*) *semper, ut meministis offerimus, quoties Martyrum Passiones, & dies anniversarios cum adoratione celebramus.* Rursum *Quod* (inquit) *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.*

Augustinus integrum librum scripsit de cura pro mortuis, & aliàs sæpissimè de pœnis Purgatorii loquitur tres solùm adduco textus, lib. 2. de Genesi cap. 20. contra Manichæos. *Et hoc* (*in sudore vultûs tui edes panem tuum*) *illi dictum est, qui coluerit agrum suum, qui ista patitur donec revertatur in terram, de qua sumptus est, id est, donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum suum interius, & ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati, post hanc autem vitam non est necesse, ut patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam: ita nemo evadit istam sententiam. Sed agendum est, ut saltem in hac tantùm vita sentiatur* lib. pe vera & falsa pœnitentia cap. 17. & 18. *Si quis est igitur, qui veram tunc quærat pœnitentiam, expectet DEI clementiam, majorem sentiens DEI bonitatem suâ nequitiâ. Sed si etiam sic conversus evadat, vitâ vivat & non moriatur: non tamen promittimus, quòd evadat omnem pœnam, nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, & si æternus non sit, miro tamen modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne inventa est tanta pœna, licèt mirabilia passi sint Martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat talem pœnam tolerare, quædam enim peccata sunt, quæ sunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia, non tamen statim sanata.* Tom. 10. de Sanctis Serm. 41. qui est 4. de animabus defunctorum. *Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me, quam diu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri, & cùm de die judicii scriptum sit, quòd erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies unus, unde scit unusquisque, utrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit transiturus, & qui modò nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est vel tunc parvo tempore cum anima & toto corpore cruciari. Et ideo totis viribus unusquisque laboret, ut capitalia crimina possit evadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere.*

Proba-

XI. Variæ apparitiones animarum.

Probatur Nonò ex variis & veris apparitionibus relatis à Sanctis viris & omni exceptione majoribus, nam D. Gregorius Magnus *lib: 4. dialog. cap.*39. refert animam Paschasii S. Ecclesiæ Romanæ Diaconi apparuisse in thermis angularibus Germano Episcopo Capuano ab eodem auxilium & suffragia postulantem. Idem *lib.* 4. *cap.* 55. Animam Domini Thermarum centumcellensium, in iisdem Thermis sæpius apparuisse venerabili Vitæ Presbytero,& ab illo adjutam fuisse per sacræ Hostiæ oblationem. Idem ibidem narrat de anima Justi Monachi, qui visibiliter apparuit suo fratri nomine Copioso,& per jejunia & orationes liberata fuit à purgatorii pœnis. Beatus Gregorius Turonensis *lib. de gloria confess. cap.* 5. refert, Animam Vitalinæ cujusdam Religiosæ Virginis in Purgatorium detrusam fuisse, eò quod feriâ sextâ, in quâ Christus passus est, caput suum aquâ abluerit, & per orationes S. Martini à pœnis liberatam fuisse, multisque apparuisse. S. Bernardus in vita S. Malachiæ scribit, sororem S. Malachiæ eidem post mortem apparuisse, & per eundem frequenti Eucharistiæ oblatione à purgatorio liberatam esse.

S. Petrus Damianus in epist. 13. ad Desiderium Abbatem refert, S. Severinum Episcopum Coloniensem, cujusdam Clerici vadum fluminis transeuntis, equi frœnum apprehendisse, & ardorem tormentorum in flumine ostendisse propter negligenter persolutum Divinum officium. Omissis pluribus aliis sufficiant ista, quæ, si hæretici credere nolint, profectò verificabitur in ipsis, quod Christus dixit. Lucæ 16. *Neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

Probatur Decimò, Communi ratione, quæ in his tribus fundatur maximis, primò dari peccata venialia, quæ æternâ pœnâ non puniantur, & hæc D. Paulus 1. Corinth. 3. vocat *lignum, stipulam, paleam.* Secundò remissâ culpâ non semper remitti pœnam temporalem, ùt patet de Moyse & Aaron, quibus etsi culpa incredulitatis remissa esset, puniti tamen sunt morte temporali, ante ingressum ad terram promissionis *Num.* 20. *&* *Deut.* 33. David similiter post condonatum adulterium punitus est morte filii. 2. *Reg.* 12. Tertiò ad divinam Justitiam pertinere neminem ad Beatitudinem admittere, nisi prius reatus purgaverit, & culpas omnes abluerit: *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.* Apocalyp. 21. Ex quibus sic argumētor. Potest contingere, quòd quis discedat ex hac vita sine culpa mortali cum peccatis venialibus, sed ad beatitudinem pervenire non potest, nisi plenè pro his satisfecerit, ergo datur aliquis locus, in quo satisfaciat & salvus fiat quasi per ignem. Verùm in contrarium

XII. Post resurrectionem erunt tantùm duo receptacula hominū.

Opponuntur plura Scripturæ loca, quæ tantùm de duobus locis post mortem mentionem faciunt, ùt Eccles. 11. *Si ceciderit lignum sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ubicunque ceciderit, ibi erit.* Matth: 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Apocalyp. 14. *Beati qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis*, & plures alias Scripturas. Sed Respond: Primum locum penitus nihil favere hæreticis, qui semper litteram quærunt, & non ad spiritum attendunt, litteraliter ergò ille textus tantùm vult, quòd sicut arbor cadens ad unum ex illis locum ibi manet, nec per se resurgere possit, ita etiam homo moriens ubicunque & quocunque ceciderit, per se restirgere non potest, sed debet manere ibi. Respondeo nihilominus Secundò. Per omnia illa loca nihil contra nos probari, quia verum est quidem, quòd non dentur nisi duo loca ultimata, scilicet salvandorum & reproborum, unde tamen non licèt inferre, quòd non detur aliquis locus medius, non ultimatus, quare per Austrum in primo textu intelliguntur omnes, qui in amicitia & gratia DEI discedunt, sive postmodum veniant immediatè ad cœlum, sive mediantibus flammis purgativis, sunt tamen de numero salvando-

vandorum, quasi per ignem. Per Aquilonem verò intelliguntur omnes reprobi, qui statim suam consequentur damnationem. Secundus textus licèt videatur plus favere hæreticis, ùt putant, loquitur solùm de duobus locis post resurrectionem universalem & Judiciũ Majestatis Christi, ubi purgatorium cessabit & reprobi detrudentur in ignem æternum, justi verò intrabunt in vitam æternam, quare si qui tunc in flammis purgativis deprehendentur, ii gravitate pœnarum compensare debebunt, quod diuturnitate pati debuissent, vel etiam per Sanctorum merita misericorditer à DEO condonabuntur. Tertius locus asserit quidem beatos immediatè ituros ad cœlum, attamen subintelligi debet in hoc, & in similibus conditio, quòd si hìc in vita plenè pro peccatis suis satisfecerint, ùt de Martyribus piè credi potest, de quibus potissimum loquitur Joannes, quorum mors pretiosa in conspectu Domini, cœteroquin non tam facilè deprehendent hæretici locum, qui adstrueret indifferenter justos ad cœlum ingredi ad Beatitudinis fruitionem.

XIII. Post mortem non potest homo operari meritoriè.

Opponuntur Secundò alia loca Sacræ Scripturæ. Ecclesiast. 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent amplius mercedem - - - - Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Psal. 116. *Cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris.* Ergo defuncti nihil possunt post mortem satisfacere, sed statim dabitur illis hæreditas. Respond: negando consequ. Textus primus tantùm vult, post mortem non posse hominem per opera à se elicita transire de statu injusti ad justum, sicut poterat in vita, & nihil aliàs, alioquin universaliter sumptus de omnibus hominibus, etiam justissimis, esset falsissimus, nam animæ justorum recordantur optimè eorum, quæ hic fecerunt, adeóque apud ipsos est ratio, sapientia, & scientia, & de malis exponit D. Hieronymus, dicens: *Fac quodcunque potes & labora, quando enim ad infernum descenderis, locus non erit pœnitentiæ, hinc quid simile à Salvatore præcipitur, operamini dum dies est, venit nox, quando nemo operari potest.* Secundus textus etiam nihil concludit, nam imprimis certum est justis decedentibus, quando Psalmista illa scripsit, non statim fuisse datam mercedem, quia nimis diu in lymbo eandem expectare debuerunt. Deinde non dicit textus statim post mortem dari justo cuilibet hæreditatem, sed *dilectis suis*, omnibus scilicet post resurrectionem, & sic textum istum explicat S. Augustinus: *Dat ergo DEUS hoc, cùm dormiunt dilecti ejus, id est, Christiani, omnes enim surgent, sed non quomodo dilecti ejus. Apostolus: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, resurgent illi ad pœnas, resurgemus nos, quomodo surrexit Dominus noster.*

XIV. Animæ post mortem nihil habent damnationis.

Opponuntur Tertiò plura loco ex D. Paulo ad Rom. 3. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU.* & 2. Corinth. 5. *Scimus, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* & iterum ibidem: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum,* sed haberent aliquid damnationis, si in purgatorio pati ignem deberent, ergo. Respond. negando min. Quia animæ in purgatorio nihil damnationis habent, hæc enim infert pœnam æternam & iram DEI, pœnæ autem purgatorii sunt tantùm temporales, & in amicitia DEI, quas frequenter novimus in Scripturis Sanctis & amicis DEI inflictas, ùt Moysi, Aaron, David &c. Ad alios textus ex Epistola ad Corinth. dico, nihil probare contra nos, nam certum est, justos habituros in cœlis æternã domum post resurrectionem, *si tamen vestiti & non nudi inveniantur,* ùt idem dicit Apostolus. Textus ul-

timus est contra Adversarios, qui nulla bona opera admittunt, Catholicis autem favet, quia etiam animæ purgantes juxta quod gesserunt in vita, recipient in æternitate, & si ædificaverint aurum, argentum, lapides pretiosos, nihil detrimenti seu *tormenti* patientur, si verò *fœnum, stipulam, & paleam*, salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.

XV. D. Augustinus orat pro Matre mortua.

Si quæ Sanctorum Patrum authoritates opponerentur, quæ indicare vellent, quòd non daretur locus pro satisfactione post mortem, explicandi sunt, quòd non sit aliquis talis locus, ubi per opera bona & meritoria possit quis transire de statu malorum ad statum justorum, & de injusto fieri justum. De S. Augustini mente planè non potest esse dubium, ut irreverenter calumniantur hæretici, qui toties clamat animas defunctas precibus juvari, sicut etiam pro sua sancta Matre ad Altare Domini fieri postulavit, quod gratis diceret, si ibi locum non agnosceret, ubi animæ existunt, quæ precibus adhuc egent, & adjuvari possunt. Deinde supra sat clarè patuit, quàm verè purgatorium asseruerit. Denique licèt in Enchirid: cap: 68. & 21. Civit: cap: 26. &c. videatur dubitare & aliqualiter anceps, non est tamen dubius de purgatorio secundùm se, sed de modo, quonam videlicet modo animæ ibi purgentur, cùm purgentur quasi per ignem. Sed in contrarium

XVI. Satisfactio & meritum non sunt idem.

Arguitur ex Ratione Primò. In purgatorio non est meritum, ergo nec satisfactio, quia idem requiritur ad merendum & ad satisfaciendum, & omnis satisfactio est meritoria. Respond: Negando conseq: quia aliqua communia requiruntur quidem ad meritum & ad satisfactionem simul, sed non sunt omnia propria uni, propria & alteri, unde aliquando satisfactio sine merito; Communia eis sunt gratia sanctificans, ultra hanc ad satisfactionem requiritur, ut opus, quod fit, sit pœnale, id tamen ad meritum non requiritur, econtra ad meritum requiritur libertas plena, quæ sit laude digna, ad satisfactionem hoc necesse non est, nam qui Judice compellente solvit debitum satisfacit, sed coactus; ad meritum requiritur status viæ, non sic ad satisfactionem.

Arguitur Secundò. Purgatorium constituitur partim ad remissionem culpæ venialis, partim ad satisfactionem pro pœna, sed neutrum habet locum post hanc vitam, quia ejus est à culpa resurgere, cujus est in culpam incidere, sed post hanc vitam in culpam non incident, ergo. Deinde omnia peccata remittuntur per pœnitentiam, sed hæc ibi non erit, quia idem est homini mors, quod Angelo casus ex Damasc. lib. 2. cap. 4. sed Angeli post casum facti sunt immobiles in malo, ergo. Respond. negando min. cum maj. prob. quia tantùm verificatur in mortalibus peccatis, hinc anima in purgatorio potest liberari à venialibus, quia habet media convenientia, id est, actum dilectionis peccato contrarium. Non potest tamen cadere in veniale, quia fomite caret, & est confirmata in gratia. Ad secundum Respond. dist. min. Non est pœnitentia de mortalibus conc. minorem, quia hi sicut dæmones obstinati sunt in malo. De venialibus, nego min. quia in animabus purgantibus potest esse displicentia de peccato, quæ etiam ex charitate procederet, adeóque bene pro peccato satisfacere potest.

XVII. De mortalibus non est pœnitentia post mortem.

QUÆSTIO SECUNDA.

De loco & duratione Purgatorii.

I. Variæ opiniones de Purgatorio.

Circa primum punctum nihil Scriptura, Ecclesia, & Concilia definiunt, proinde libera opinandi manet Theologis facultas, ob quod etiam in plures abiverunt sententias, aliqui enim existimarunt animas ibi purgari, ubi peccârunt, & hæc opinio tribuitur D. Gregorio. Alii putarunt locum inferni & purgatorii esse in Valle Josaphat, eò quòd Christus infernum frequenter

vocet *Gehennam*, gehenna autem est vallis quædam vicina valli Josaphat eique conjuncta: Alii putant totum hunc mundum esse purgatorium: Alii totum aërem. Alii infernum & purgatorium non esse aliud nisi statum animæ extra corpus, in quo statu affligitur per tenebras exteriores, eò quòd nihil videat, nisi beata sit, cum hac differentia, damnatas animas habere desperationem simul, & alias gravissimas pœnas, animas verò purgantes habere spem illuminationis m... secuturæ, & visionis beatificæ, Alii aliter, verùm

II. Infernus est in centro terræ. Suppono tanquam certum, Infernum seu locum dæmonum damnatorum esse in centro terræ, quod satis colligitur ex Lucæ 16. ubi Epulo in inferno sepultus videt Abraham à longè, qui illi dixit: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est*, & Isaiæ 14. in figura Regis Babylonis dicitur diabolo: *Dixisti in cœlum conscendam - - - - - verumtamen usque ad infernum detruderis, in profundum laci, & Angelus apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est diabolus - - - - - & misit eum in abyssum.* Apocalyp. 20. atqui profundum laci & abyssus dicuntur ultima loca in terra, ergo. Hinc D. Hieronymus in cap. 2. Jonæ ait: *Scut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.* Et Ratio congruentiæ est, ut locus dæmonum & damnatorum quàm remotissimè distet à loco Sanctorum Angelorum & hominum beatorum, sed hi erunt in supremo cœlo, ergo illi in infimo loco terræ.

III. Limbus Patrum demonstratur. Suppono Secundò. Olim fuisse etiam infra terram locum aliquem pro Patribus antiquis, qui dictus fuit Limbus, & sinus Abrahæ, quod clarè patet ex descensu Christi ad inferos, de quo olim prophetavit Zacharias cap. 9. *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* & 1. Petri 3. *Christus mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit.* & ad Ephes. 4. *Propter quod dicit ascendens in altum captivam duxit captivitatem - - - - - quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiores partes terræ.* Hinc Pythonissa requisita à Saule, vidit Samuelem ascendere de terra, fuisse autem Samuelem ejúsque animam satis liquet ex ipso contextu, nam Scriptura ait: *Dixit autem Samuel ad Saul, quare inquietasti me*, & iterum: *Intellexit Saul, quòd Samuel esset*, & si Scriptura per Scripturam juxta D. Augustini regulam explicanda est, verè fuisse Samuelem declarat elogium Samuelis à Scriptura tributum *Dormivit Samuel, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ.* Ecclesiastici. 46.

Supponunt aliqui Tertiò. Dari limbum puerorum seu infantium sine baptismo, vel circumcisione olim descendentium ad inferos propter originalis peccati maculam, hi enim propter originale peccatum non sunt capaces Regni cœlestis, & detrudere ad infernum nimis durum videtur contra Divinæ misericordiæ bonitatem, limbus Patrum jam est evacuatus, & in purgatorio esse nequeunt, cùm non sint habituri pœnam sensûs, nec quidem temporaneum, unde Florentinum Sess. ult. disertè definit tam eos, qui moriuntur cum peccato mortali, quàm cum peccato originali solo, mox in infernum descendere disparibus tamen pœnis puniendos, atque adeò quatuor fore loca subterranea, in quibus animæ tanquam in ergastulis post mortem recludantur, inter quæ quotum situm obtineat Purgatorium hìc resolvendum est, Unde IV. Limbus puerorum.

Dico Primò. *Purgatorium secundùm ordinariam DEI legem est in aliquo determinato loco sub terra.* Probatur Conclusio primò ex Sacra Scriptura, quæ commemorat, sub terra esse quosdam, qui laudant nomen Domini, sed tales non sunt damnati, ergo illi sunt justi, ergo sub terra est locus aliquis, in quo commorantur justi, qui alii non sunt, quàm V. Purgatorium est in aliquo loco sub terra.

quàm illi, quorum opera probantur, si ardeant, ut salvi fiant quasi per ignem. Probatur maj. quia ad Philippenses 2. dicitur: *In nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum.* Item Apocal. 5. *Nemo inventus est dignus aperire librum neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram.* Ecclesiast. 24. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino.* denique Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* In quibus omnibus locis fit mentio de quibusdam animabus sub terra commorantibus, qui in JESU nomine genuflectant, qui sperent in Domino & Eum laudent, qui alii esse non possunt, quàm illi, qui sunt in Purgatorio, cùm damnati DEUM non laudent sed blasphement juxta illud Psalmi 73. *Superbia qui te oderunt ascendit semper.* ergo.

Probatur Secundò Ratione, quia convenientissimum est, quòd satisfacientes animæ & usque ad ultimum quadrantem debitum solventes detineantur in aliquo loco obscuro veluti in carcere, qualis melior non est quàm sub terrâ, ergo. Et confirmari potest ex D. Gregorio 4. dialog. asserente, eodem igne beatos purgari, quo damnati cremantur, sed ille ignis est sub terra, ergo etiam ignis purgatorius sub terra erit.

VI. Purgatoriũ potest fu per terram quibusdam constitui.

Dico Secundò. *Secundum legem particularem & dispensationem divinam quandóque aliquæ animæ in particulari loco purgantur.* Ita D. Bonaventura 4. d. 20. art. 4. q. 6. Gabriel, Soto, Suarez &c. & Probatur ex pluribus revelationibus & historiis, ùt refert ipse D. Gregorius 4. Dialog. c. 40. de anima Paschasii Diaconi, qui in Thermis angulanis, seu angularibus apparuit S. Germano Episcopo Capuano, qui illuc ex præscripto Medicorum venerat, huic ergo retulit Paschasius, quòd in illo loco puniatur & purgetur. Item de anima S. Severini Episcopi Coloniensis, qui Purgatorium suum habuit ad vadum cujusdam fluminis, de quo supra, ergo. Quare autem clementissimus DEUS nonnunquam dispenset, esse potest multiplex ratio, Primò ut eò citius anima purgata liberetur, cùm sic possit commodius suam indigentiam revelare amicis. Secundò propter nostram instructionem, ut reminiscamur, quàm gravi pœna peccantes post mortem affligantur. Tertiò ex eo, quòd Sancti nonnullis animabus id privilegium impetrent, sicut legitur de S. Patritio, qui cuidam impetravit, ut in particulari loco in terra puniretur. Sed

VII. Ordo locorum infra terram.

Dico Tertiò. *Loca subterranea inter se servant sequentem ordinem: In centro terræ est Infernus, Purgatorium supra non quidem circulariter, sed in determinato loco, deinde Limbus Puerorum, & tandem Limbus Patrum, qui & sinus Abrahæ dicitur.* Probatur primum, quia Lucæ 16. dicit Abraham ad divitem Epulonem, *Magnum chaos positum est inter vos & nos*, sed si limbus Patrum statim fuisset super Infernum, non diceretur congruenter magnum chaos, ergo.

Probatur Secundò. Tum ex illo Acto. 2. *Solutis doloribus inferni*, quod à D. Augustino epist. 99. explicatur de pœnis Purgatorii: Tum ex illo Ecclesiæ in Missa de Requiem: *Libera animas defunctorum de pœnis inferni: & de profundo lacu*: Tum, Quia animæ beatæ purgantur eodem igne, quo damnati cremantur, ùt vult D. Gregorius supra & ut citat eum D. Bonavent:, ergo commodissimè assignatur locus Purgatorii vicinus esse Inferno; Quòd verò non debeat esse circularis, ideo dixi, quia alioquin dicendum foret, damnatos omnes prius transire per Purgatorium.

Probatur tertia pars: Tum ex 1. Regum. 28. ubi Anima Samuelis ad instantiam Saulis à Pythonissa fuit revocata, adeóque fuit infra terram, nam dixit, *vidi Deos ascendentes de terra*, & Saul intellexit esse Samuelem.

VIII. Samuel verè apparuit Sauli.

Dices. Spiritum illum fuisse diabolum, quia non est credibile, animam tanti Prophetæ fuisse subjectam imperio unius Pythonissæ, quod clarè liquet, quia etiam permisit se adorari, & insuper dixit: *cras tu & filii tui mecum eritis*, Saul autem non ad limbum, sed ad gehennam descendit. Respond. negando antec. Quia D. Augustinus, Ambrosius, Justinus, Lyranus, & plures magnæ authoritatis Doctores tenent, Spiritum illum fuisse animam Samuelis, nec illam venisse jussu Pythonissæ, sed jussu DEI, quod clarè patet, quia prævenit incantationes ejus, unde graviter turbata fuit, nam Samuel rectâ figurâ ascendit, nempe capite primò, deinde corpore, cùm alloquin, juxta Rabbinos, spiritus arte magica vocati primò pedibus apparent, deinde corpore, & tandem capite, seu modo inverso. Deinde adoratio illa non fuit latria, sed debita aliqua reverentia. Et tandem benè dixit: mecum eritis, scilicet sub terra, & insuper Jonathas cum ipso fuit in limbo, nam ad verificandam propositionem hypotheticam sufficit, unam esse veram.

Probatur etiam Ratione. Quia pueri non sunt purgati à peccato originali, Patres verò sic purgati jam fuerunt, ergo illi magis habent propinquum locum ad infernum quàm Patres, ergo sequitur limbum puerorum esse tertium, & quartum limbum Patrum. Quamvis non desint, qui dicant, quòd post diem Judicii pueri illi sint habitaturi super superficiem terræ visibili luce fruituri, & DEUM laudaturi, nam venerabilis Beda lib. 5. histor. cap. 13. narrat visionem, cui ipsemet fidem adhibet, in quâ fuit cuidam animæ ostensum, quæ ad corpus postea rediit præter infernum & purgatorium & regnum cœlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo animæ degebant, quæ nihil patiebantur, sed tantùm visione DEI dignæ non erant, quales probabile esse putant aliqui animas innocentium sine baptismo decedentium, sed veriùs existimo, si quis alius talis locus datur, eum pertinere ad purgatorium, in quo animæ levissimis pœnis obnoxiæ detineantur.

IX. Purgatorium non durabit ultra diem Judicii.

Dico Quartò. *Purgatorium durabit usque ad diem Judicii, ita quòd semper erunt, vel esse possint ibi aliquæ animæ purgatione egentes.* Ita fides Catholica contra Origenem, qui existimavit ultra diem resurrectionis illud futurum. Probatur ex D. Augustino lib. 21. de Civit. DEI cap. 16. dicente: *Quisquis igitur cupit pœnas evadere sempiternas, non solùm baptizetur, verùm etiam justificetur in Christo, ac si verè transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium.* & Probatur etiam manifestè ex Matth. 25. ubi Christus Dominus duos tantùm hominum ordines in Judicio futuros, unum Beatorum, alterum damnatorum, ergo amplius non erit tertius.

Dices. Anima non peccavit solùm, sed etiam corpus, ergo post resurrectionem corpus quoque purgari debebit, ut ad æternam Beatitudinem transire possit. Respond. negando conseq. Quia sufficit, quòd anima sola purgetur, utpotè quæ sola est causa efficiens peccati, & ejus subjectum, unde licèt corpus elicitivè faciat aliquos actus peccaminosos, non sunt tamen tales, nisi quatenus imperativè à voluntate procedunt. Deinde dici potest, corpus etiam aliquid pati, quia resolvitur in cineres, quia privatur vita, sed quia hoc etiam est corporibus Sanctorum commune. Respond: Secundo negando iterum consequentiam, & dico argumentum nihil probare, vel nimium, si enim corpus debet purgari, quia etiam peccavit, ergo etiam ante diem judicii debebunt corpora damnatorum cruciari pœna inferni, & Sanctorum glorificari ante resurrectionem, aut nunc & defacto non posse animas solas cruciari in gehenna contra Evangelium: *Crucior in hac flamma* Lucæ 16. nec possent

possent animæ sanctæ solæ beatificari, cùm tamen Christus Dominus dixerit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.*

X. Pœnæ Purgatorii quamdiu durent non est certum. Dico Quintò. *Non est certum, quamdiu pœnæ singularum animarum in Purgatorio durabunt, falsum tamen est, eas non durare ultra decem vel viginti annos.* Est contra Soto. 4. d. 19. Probatur prima Pars. Quia id nec ex revelatione, nec aliunde nobis constat, ergo. Probatur secunda Pars. Quia id gratis excogitatum est contra comunem mentem omnium fidelium, qui sibi à longiore tempore timentes suffragia & anniversaria (fuerunt jam tempore Tertulliani in usu) in multos annos pro se præcisè & non pro suis amicis ordinant. Unde providissimè Alexander VII. damnat hanc propositionem, *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quàm per decem annos*, quod aliqui probare intendebant, quia animæ diutius non manent in purgatorio.

Probatur Secundò. Ex usu Indulgentiarum, quæ conceduntur pro pluribus, quàm decem annis, ergo supponit Ecclesia pœnas durare etiam diutiùs.

Tertiò. Quia revelationes & plures apparitiones contrarium clamant, animas diutius nonnunquam quàm decem annis manere, nam refert Spondanus ad annum 1216. n. 13. revelatum esse de quodam Pontifice præclarissimo ejus pœnas usque ad diem Judicii protensas esse, ergo. Denique D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. orat DEUM pro Matre sua Monica fœmina sanctissima, quæ ante triginta annos quasi obierat, quamvis confideret illam, oratione non indigere, non tam ob temporis diuturnitatem, quàm ob vitæ ejus sanctitatem. Imò ipsos quoque lectores rogat, ut Parentum ejus ad Altare DEI sint memores, ergo supponit, quòd ultra triginta, vel quadraginta annos adhuc possint egere precibus.

XI. Duratio pœnarum. Dico Sextò. *Nec pœnæ, nec ipsa duratio pœnarum Purgatorii est æqualis in omnibus animabus ibi existentibus.* Est communis. & probatur ex D. Auguſt. lib. 50. hom. 16. dicente: *Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora*, ergo etiam quanta fuerit culpa, tanta pœna, juxta illud: *Potentes potenter tormenta patientur*, ergo. Probatur etiam ex ratione, Quia non omnes decedunt cum æquali obligatione & reatu ad pœnam persolvendam, ergo nec omnes habebunt æqualem pœnam & æqualem durationem. Purgatorii non est æqualis.

Dices. Venerabils Beda lib. 5. Hist. cap. 13. dicit, revelatum fuisse, quòd pœnæ Purgatorii manebunt usque ad diem Judicii, ergo erit duratio æqualis in omnibus. Respond. negando consequ. Quia illæ revelationes aliud non volunt, quàm quòd Purgatorium in se manebit usque ad diem Judicii, in quo semper erunt aliqui purgandi, non verò dicunt, quòd omnes animæ illuc semel venientes usque ad diem Judicii commorabuntur, quia Justitiæ & Misericordiæ divinæ non videtur conforme, quòd omnes æquali pœna & æquali tempore puniantur, unde definit Florent. Seff. ult. in decreto Eugenii, animas, postquam expurgatæ sunt, in Cœlum mox recipi, & DEUM trinum & unum clarè intueri.

Quæres: Utrum animæ aliquando egrediantur è suis receptaculis? Sensus quæsiti triplex esse potest. Primò. An ita egrediantur, ut nunquam revertantur? Secundò ita, ut iterum redeant? Tertiò. An ita egrediantur, ut denuò nobiscum vivant? Ad Primum Respond. Ex Inferno, & Limbo Puerorum non dari egressum ad nunquam redeundum, benè tamen ex limbo Patrum & ex Purgatorio. Ratio primi est, Quia damnati illuc detrusi sunt tanquam ad perpetuum carcerem, sicut etiam pueri ad perpetuam damni pœnam. Ratio secundi, quia Patres & animæ purgantes ibi tantùm detinentur veluti in exilio temporali.

Dices. D. Joann. Damasc. in ora- XII. Animæ ex

inferno liberatæ. oratione pro mortuis dicit, orationibus S. Theclæ liberatam ex inferno animam Falconillæ paganæ fœminæ. Item orationibus Gregorii Papæ dicitur liberata anima Trajani Imperatoris. Et Gregorius ipse lib. 1. Dialog. cap. 9. scribit à S. Severo excitatum fuisse quendam virum pessimum à dæmonibus in infernum ductum. Maximus Serm. 2. de S. Agnete ait, ab ipsa excitatum fuisse filium Præfecti, quem diabolus necaverat, eò quòd S. Virgini vim inferre attentaverat. Respond. Si historiæ illæ veræ sunt (maximè prima) animas illas non fuisse damnatas absolutè ad infernum, sed solùm fuisse ibi punitas, sententiam tamen adhuc fuisse suspensam, propter prævisas sanctorum preces & orationes. Dixi si veræ sunt, quia legitur de S. Mechtilde, quod petenti à Domino quidnam egerit de animabus Samsonis, Salomonis, Origenis & Trajani, responsum ei esse, se velle absconditum, quidnam de illis sit actum, usque ad diem Judicii.

Quòd verò veniant ad nos aliquando Sancti ex cœlo plura habentur exempla, & hoc negare ait D. Augustinus impudentissimum esse. Similiter ex limbo Patrum de Moyse, Samuele. Ex purgatorio quot exstant historiæ? Et denique ex inferno aliquos ad tempus ad nos venire testatur solemnissima historia in vita S. Brunonis de Doctore Parisiensi. de parvulis nihil extat.

QUÆSTIO TERTIA.

De qualitate Pœnarum Purgatorii.

I. Resolvenda proponuntur. Circa qualitatem pœnarum plura sunt, quæ hic examinari debent, & inprimis, An in Purgatorio animæ punientur pœna damni? certum enim est, quòd in Purgatorio erit carentia visionis, dubium autem, an hæc carentia sit dicenda pœna damni? Secundò An per ignem? Tertiò de gravitate pœnarum. Quartò, An animæ purgantes sint habituræ pœnam vermis, & tandem an sint cruciandæ per dæmones aut Angelos bonos. & quoad primum

Dico Primò. *Animæ in Purgatorio non punientur pœnâ damni.* Ita D. Bonaventura 4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 2. & videtur etiam colligi ex Scoto 4. dist. 50. q. 4. §. ad primum, ubi docet, pœnam damni debere esse carentiam involuntariam boni apti nati inesse, & convenientis propinqui & non remoti, ex qua definitione sic probo conclusionem contra D. Thomam, Richardum, Sotum, Pœna damni debet esse carentia summi boni nati in esse (visionis beatificæ) omninò involuntaria, sed carentia illius boni non est animabus in purgatorio existentibus involuntaria omninò, ergo illa carentia non est dicenda pœna damni. Patet major, probatur minor, quia animæ propter eam non murmurant, aut DEUM blasphemant, sed sibi quasi complacent, quòd DEUS ita suaviter disposuerit eas propter defectus suos sic punire, sed ubicunque hæc intercedunt, pœna illa non est dicenda involuntaria, ergo in animabus est voluntaria. Fateor equidem, non esse voluntariam perfectè, id est, eligibiliter electa, & gratanter acceptata, quia hi modi voluntarii ibi non sunt, nec voluntaria ad meritum propter particularem rationem illius status. II. Animæ in purgatorio non habebunt pœnam damni.

Probatur Secundò. Si carentia visionis beatificæ in animabus purgantibus esset pœna damni, sequeretur, Sanctos Patres in limbo detentos habuisse maximam pœnam, sed hoc est inconveniens, ergo. Probatur sequela, Quia habuerunt carentiam visionis beatificæ, fuerunt enim detenti, quo minus ad paradisum ingrederentur, ergo. Probatur minor. Quia Patres docent illos antiquos Sanctos non fuisse in pœna, sed in requie.

Probatur Tertiò. Quia Sancti Patres loquentes de pœna purgatorii dicunt pœnam afflictivam sensûs esse maximam, sed si in animabus purgantibus esset pœna damni, debuissent dixisse pœnam damni esse maxi-

maximam, quia hæc semper dicitur esse major, quàm pœna sensûs, ergo.

III. Desideriũ quomodo affligat. Dices pro D. Thoma. Desiderium rei concupitæ per se affligit & cruciat, ergo quò magis est desiderium, magis affligit & cruciat; subsumo, sed desiderium in animabus purgatorii est maximum, quia respectu summi & maximi boni, respectu cujus semper crescit desiderium, ergò illud maximè affligit, sed maxima afflictio est pœna damni, ergo. Sed Respond. distin. antec. Desiderium rei temporalis per se affligit, concedo, rei spiritualis, nego ant. & consequ. unde licet illud desiderium in animabus sit magnum, eas tamen non affligit proportionatè, quia spirituale est, quod secum affert aliquam realem possessionem, & consequenter parit gaudium & non tristitiam, quia DEUS per charitatem inhabitat illam animam, & hanc differentiam ponit etiam expressè D. August. in lib. 83. qq. prout eum citat D. Bonaventura.

IV. Animæ in purgatorio affligentur ab igne. Dico Secundò. *Animæ in purgatorio affliguntur ab igne.* Ita Theologi, & pii fideles, & constantissima Latinorum sententia in Concil. Florent. Sess. 1. ubi allegatur illud 1. ad Corinth. 3. *Ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ubi ly *quasi* non debet sumi diminutivè, minuendo nempe veritatem ignis, sed explicat modum & viam, per quam salvabuntur mediante scilicet igne, veluti instrumento, ut sit sensus, quòd ignis ille erit causa salutis non quidem principalis, sed quasi, id est, instrumentalis, causam enim principalem esse dixi gratiam DEI. Nec valet etiam responsio vel interpretatio Græcorum, S. Paulum loqui de damnatis, qui erunt salvi, id est, perpetuo viventes in igne: Tum, Quia contrarium sentiunt Patres omnes: Tum, Quia est contra proprietatem sermonis, quia aliàs debuisset Paulus dixisse, salvus erit, sic tamen quasi in igne: Tum denique, Quia in eodem capite de damnatis dicit Apostolus, eos non salvos fore, sed *disperdet eos DEUS.*

Probatur itaque Conclusio authoritate Patrum tum Græcorum, tum Latinorum. Cyrilli Alexandrini lib. 10. in Joann. cap. 14. in illa verba: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum* &c. ubi ait: *Qui ergo per fidem solùm Christo conjunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absque operibus mortua quædam res est. Hujusmodi autem palmites agricolæ falx severissimè amputat, & igni tradit.* Basilii in cap. 9. Isaiæ, in illa verba: *Et erit populus ab igne adustus,* hæc habet: *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam; Quia si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus fiet, sic tamen, ut per ignem.* Gregorii Nisseni in oratione pro mortuis ait: *Vel in præsenti vita precibus, sapientiæque studio purgatus, vel post obitum per purgatorii ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem.* D. August. lib. 21. Civit. 10. sic universaliter loquitur etiam de damnatis, *si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, nec hoc est de hac re laborandum operosa inquisitione aut contentiosa disputatione certandum, cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.* D. Bernardi Serm. 28. in verba Job cap. 5. *In sex tribulationibus liberabit te,* ubi ait, *Nam & per ignem nobis transeundum est, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.* Quomodo autem animæ possint affligi igne corporeo, dicam infra, ubi agam de pœnis inferni & dæmonum, eadem enim est utrobique ratio.

Dico Tertiò. *Non est quidem de fide, animas existentes in Purgatorio verè torqueri ac igne materiali, tutius tamen tenetur, eas probari per verum ignem, & non per metaphoricum.* V. Non est tamen de fide futurum ignem materialem. Probatur, Quia Græci in Concil. Florent. Sess. 1. mentem suam exprimentes dixerunt: *Nam ipsi Purga-*

torium obscurum quendam locum plenum laborum esse censemus, in quo existentes animæ divina luce privantur, donec adjuvante Ecclesia expientur, atque liberentur. Et ad finem Synodi contendente Pontifice, ùt de quibusdam adhuc quæstionibus & signanter de Purgatorio ageretur, Bezarion & alii Græcorum deputati dixerunt: *se carere ad hoc commissione, ex se ipsis hæc tamen proferre; Pœnas medias in purgatorio esse: Quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit non putamus referre.* Tandem urgente Græcos Pontifice ob perfectissimam unionem ipsi sibi quæstiones propositas, exceptâ illâ de panis transmutatione concluserunt, signanter illam de purgatorio, de quo (ut præmittitur) Ferrariæ circa initium Concilii benè actum fuerat, quæ cùm latinis mirum in modum placuissent, mox ad litteras unionis processum est, in quibus determinatô purgatoriô, Græcorum opinio de qualitate pœnæ remansit intacta, Pontifice & latinis satisfactionem habentibus, ex quibus omnibus apparet id de fide determinatum non esse, quamvis contrarium asserere sit temerarium & propè erroneum, & hinc dixi tutius esse tenere rem fidei esse.

VI. Pœna Purgatorii est major, quàm quæcunque mundana. Dico Quartò. *Pœna purgatorii secundùm genus major est omni pœnâ hujus vitæ.* Ita sentit D. Bonavent. 4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 2. & Probatur ex authoritatibus Sanctorum Patrum, qui universaliter docent pœnam purgatorii majorem esse quacunque hujus vitæ. D. August. lib. de cura pro mortuis cap. 18. ubi sic loquitur de igne Purgatorii: *Etsi æternus non sit, miro tamen modo gravis est, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est,* & in Psal. 37, super illa verba: *Domine, ne in furore tuo arguas me,* hæc habet: *Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo (NB.) qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, & quia dicitur salvus erit contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* Vide plura ejus dicta supra quæst. 1. Gravitatem pœnarum purgatorii insinuat quoque D. Bernardus supra his verbis: *Quidquid nunc parvi pendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus; quanto illic cruciatu Vindex flamma comsumet? utinam nunc magis daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset.*

Probatur etiam Ratione: Tum, Quia pœna illa erit saltem aliqualiter involuntariè satisfactoria, quo magis autem est involuntaria, est major in se, magisque satisfactoria, ergo: Tum, Quia Justitiæ divinæ conformissimum videtur punire gravius eos in altera vita, qui in præsenti non satisfecerunt, & tempus concessum neglexerunt, ergo.

VII. Secundùm genus. Dixi autem cum D. Bonavent. *Secundùm genus*, id est, considerando & comparando maximam pœnam purgatorii cum maxima pœna hujus vitæ, & minimam pœnam purgatorii cum minima pœna hujus vitæ, pœnam purgatorii semper esse majorem, quia videtur velle sanctus Doctor, quòd maxima pœna hujus vitæ major sit, quàm minima purgatorii, quod probat ex D. Gregorio, qui ait: quibusdam revelatum fuisse animas quasdam in umbra punitas esse, sed certum est, quòd talis pœna non sit major, quàm maxima hujus vitæ, ergo. Deinde etiam non videtur rationabile, quòd si anima purgatorii habeat solùm unum peccatum veniale, debeat pro illo subire summos cruciatus hujus vitæ, & tamen meretur aliquam pœnam, ergo minorem, quàm sit summa hujus vitæ. Hæc tamen tam cautè & quàm sobriè dicta sint!

VIII. In purga- Dico Quintò. *In animabus purgan-*

torio non erit pœna vermis.

gantibus non erit pœna vermis. Ratio est, Quia pœna vermis est quædam tristitia & remorsus continuus conscientiæ propter amissam beatitudinem procedens ex affectione commodi, sed animæ illæ non habebunt hujusmodi remorsum & tristitiam, quia securæ sunt de illa felicitate æterna, ergò. Etsi dicas esse in illis aliquam tristitiam, ex eo quòd non habeant defacto beatitudinem, tunc Respondeo, Quidem hoc verum esse, sed illa tristitia procedit ex affectione Justitiæ, ex eo, quòd offenderint unquam DEUM, & hæc tristitia sancta est & pia, & veluti quædam contritio.

IX. Animæ in purgatorio non affligentur à dæmonibus.

Dico Sextò. *Animæ in purgatorio non cruciantur à dæmonibus, vel ab Angelis bonis, sed solummodo ab igne.* Hanc conclusionem pro certa non assero, sed cum Theologis ex congruentia, nam ùt bene ait D. Bonavent. cit. q. 4. in hac materia nihil temerè asserendum est, sed ea, quæ magis probabilia videntur. Probatur pro prima parte, Quia dæmones ab illis animabus usque ad ultimum halitum, & in extremo conflictu victi fuerunt, adeóque congruum non est, quòd victrices à victis affligantur. Deinde DEO permittente ipsi dæmones vix attentant eos affligere, sicut defacto tentant certantes: Tum, Quia vident eas in gratia confirmatas: Tum, Quia per hoc animabus prodessent, adjuvarent etenim, ut eo citius à pœnis liberentur, quia quò majores afflictiones, habebunt quoq; majores pœnas, & eò citiùs satisfacerent. Itaque licèt in articulo mortis etiam sanctos affligant, & horribilibus aspectibus terreant, probabiliter & piè teneri potest facta separatione nullam amplius in animas potestatem habere, nisi in eas, quæ æternis adjudicantur suppliciis. Dixi tamen me hoc pro certo non asserere, quia licèt congruum sit, ut sic fiat, impossibile tamen non est, quin etiam fiat, aut fieri possit contrarium, hinc habetur ex multis historiis, plures animas purgatorii à dæmonibus afflictas fuisse, & ratio etiam esse potest, quòd dæmones adhibeantur veluti carnifices, & ministri Justitiæ divinæ.

Quantum ad alteram partem, videtur quoque non decere, ut animæ ab Angelis bonis affligantur, cùm sint eorum concives & domestici DEI præordinati est securi. Restat ergo, quòd à solo igne affligantur.

QUÆSTIO QUARTA.

De statu & liberatione Animarum ex pœnis Purgatorii.

Lutherus, antequam purgatorium planè negaret, sub initio perversionis suæ quindecim errores de eo tamen docuit, & inprimis non posse ex Sacra Scriptura probari. Secundò. Animas ibi detentas de sua salute securas non esse. Tertiò. Eas continuò peccare dum requiem quærunt. Item, Eas posse mereri & demereri. Non posse ibi satisfacere, nec ab aliis pro illis posse satisfieri per suffragia. Verùm contra errorem primum actum est supra contra alios.

I. Animæ in Purgatorio sunt certæ de sua salute.

Dico Primò. *Animæ in Purgatorio existentes sunt omninò certæ de sua salute.* Hæc clarè deducitur ex Scriptura Matth. 10. *Qui perseveraverit usque in finem* (id est, usque ad mortem in gratia & amicitia DEI) *hic salvus erit.* Apocalyp. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Deinde animæ statim post transitum & separationem à corpore accipiunt sententiam salutis, vel damnationis, ergo statim sunt certæ, quòd si veniant ad purgatorium esse inter salvandos. Probatur ant. ex illo Eccl. 11. *Facilè est coram DEO in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas.* & rursus. *In fine hominis denudatio operis.*

Probatur Secundò. Aliquæ animæ statim damnantur, & ad infernum detruduntur, ùt patet de divite Epulone, & aliæ iterum ad gloriam assumuntur, ùt patet ex illo Lucæ 23.

Hodie mecum eris in Paradiso. Ergo statim post mortem animæ resciunt de sua salute, vel damnatione, & sic si decretū sciunt, sciunt quoq; illud non imutandum, consequenter non sunt incertæ de sua salute. Denique Probatur etiam ex ratione: Tum, Quia vident se non esse damnatas, nec DEUM odisse, videntque gratiam sanctificantem ipsis inhærentem: Tum, Quia fideles in via id sciunt: Tum, Quia ratio Lutheri nullius est momenti, nempe quòd propter atrocitatem dolorum non possint desuper cogitare, & quòd impediant debitam intellectionem, quia licèt in præsenti via anima conjuncta corpori propter vehementem dolorem nequeat actiones intentionales elicere & habere, hoc contingit propter organa, quibus mediantibus intelligit, quæ lædi possunt, adeóque impedire usum rationis; ibi autem non sic dependebit, adeóque non impedietur ab operatione intellectuali, imò ipse Epulo non obstantibus inferni pœnis adhuc statum suum agnoscebat, & Abraham implorabat pro gutta aquæ frigidæ. Tandem constat, animas auxilium frequenter petere, quod facere non possent, nisi statum suum cognoscerent.

Dices. Ecclesia Romana orat in Missa, ne animæ descendant ad Infernum, *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, sed si animæ essent certæ de sua salute, frustra sic oraret, ergo. Respond: negando min. Quia Ecclesia orat tantùm & pro illis rogat, ut à pœnis purgatorii liberentur, & hæc est propria ejus intentio; Verumtamen adhibet illum orandi modum, quia repræsentat eas tanquam modo decedentes ex hoc tabernaculo corporis, sicut in magnis & gloriosis festivitatibus Salvatoris nostri repræsentat, ac si tunc essent præsentes, & modò primò fierent, unde in Vigilia Nativitatis dicitur: *Crastina die erit vobis salus. Hodie scietis, quia veniet Dominus* &c. Et tamen ad litteram non orat, ùt primò cras Verbum & Christus nascatur de Virgine, sed ut nobis fructus illius mysterii applicetur, sic etiam orat pro defunctis, quos repræsentat, ac si tunc morerentur, quare dicit *Libera eas de ore Leonis, ne cadant in obscurum* &c. id est, ne in obscuro detineantur, sed citò liberentur, & ad refrigerium perveniant.

II. *Animæ in purgatorio nec merentur nec demerentur.*

Dico Secundò. *Animæ in purgatorio nec merentur nec demerentur.* Probatur Primò ex Scriptura Joan. 9. ubi Christus ait: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox quando nemo potest operari.* Quem locum exponit D. Augustinus tract. 44. in Joann. sic: *Operetur ergo homo dum vivit, ne illa nocte scilicet mortis præveniatur, ubi nemo possit operari.* Patet secundò ex 2. ad Corinth. 5. *Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum.* ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ergo status merendi & demerendi hujus vitæ est non futuræ, & consequenter animæ purgantes nec mereri poterunt nec demereri.

Probatur Secundò ex D. Augustino de prædestinatione Sanctorum cap. 12. ubi in illud D. Pauli, *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque ea, quæ per corpus gessit sive bonum sive malum.* ait: *Gessit*, non adjunxit: *vel gesturus fuit.* & paulò pòst. *Cur autem dictum est secundùm ea, quæ per corpus gessit hominem judicandum, cùm gerantur multa solo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum, & plerumq; tam magna, ut talibus cogitationibus pœna justissima debeatur: sicuti est, ut alia taceam, quod dixit insipiens in corde suo, non est DEUS? Quid est ergo, secundùm ea, quæ per corpus gessit; nisi secundùm ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi in resurrectione novissima, non ad ulla merita comparanda, sed ad recipienda*

pienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis, secundùm ea, quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ, sive requiescunt. Et iterum in Enchirid. cap. 110. dicit: *Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari: Nemo autem se speret quod hic neglexerit, cùm obierit, apud DEUM promereri*

Probatur Tertiò. Si possent ibi demereri & peccare, deberent iterum peccata luere, & pro iis satisfacere, & sic pœnæ illæ nunquam cessarent. Deinde sequeretur animas à purgatoriis pœnis liberari impossibile fore, nam si possent peccare, timendo pœnas, prout dicit Lutherus, deberent iterum luere, & satisfacere, sed luendo & satisfaciendo iterum timerent pœnas, & sic iterum luerent illas, & nunquam daretur aliquis finis.

III. Animæ in purgatorio liberari possunt per intercessionem Sanctorum.

Dico Tertiò. *Animæ ex pœnis purgatorii liberari possunt per intercessiones Sanctarum animarum in cœlo existentium.* Est contra Dominicum à Soto, qui temerè id negat lib. 4. sent. d. 45. q. 3. a. 2. Probatur ex D. August. lib. de cura pro mortuis cap. 4. dicit prodesse mortuis sepulturam in Basilicis Martyrum, ut qui recordatur mortui, recordetur & Martyris, & ejus precibus mortui animam commendet, accipe ergo textum D. Augustini cap. 4. *Profectò etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis humana est erga funera suorum, quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sunt adjumenta mortuorum, nisi ad hoc ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos NB. orando commendent.* & cap. 18. *Quod verò quisq; apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eam etiam martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur.* Tum, Quia figura hujus rei fuit in Elisæi corpore, quod alium mortuum suscitavit: ergo etiam una anima aliam juvare poterit: Tum exemplo Abrahæ, qui Lazarum in sinum suum suscepit, & ipsomet Epulone, qui licèt in inferno esset nihilominus rogavit pro suis quinque fratribus: *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Lucæ 16. Tum denique ex praxi Ecclesiæ, quæ in illa oratione *DEUS veniæ largitor*, supplicat DEO, ut defunctorum animæ *B. semper V. Maria intercedente cum omnibus sanctis ad perpetuæ Beatitudinis consortium pervenire concedat.*

IV. Modus cognoscendi statū purgantium à beatis.

Quod si autem quæras, quomodo animæ cum Christo regnantes scire possint statum animarum in purgatorio existentium? Respondeo eodem modo scire, quo sciunt, quæ apud nos fiunt. Et si dicas hoc esse principium petere: Respond. Proinde audiendum esse D. Augustinum, qui clarè docet qualiter Sancti, quæ apud nos sunt, resciant. lib. de cura pro mort. cap. 15. ubi dicit: *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solùm præterita, vel præsentia, verùm etiam futura spiritu DEI revelante cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viverent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda DEI providentia judicârat.* Et iterũ lib. de spiritu & anima cap. 29. *Scire possunt (defuncti quid à nobis agatur) ab angelis, qui hic nobis præstò sunt & animas nostras ad illos deferunt: Spiritu etiam DEI revelante cognoscere possunt, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere. Quidam etiam ex mortuis ad vivos rapi possunt: non per propriam naturam, sed* per

per divinam potentiam. Utrum tamen ista fiant per eorum præsentiam, aut per angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo: DEUS enim omnipotens, qui est ubique præsens, per angelica ministeria usquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda. In quibus locis triplicem modum præscribit, nempe vel per animas advenientes: vel per Angelos annuntiantes: vel per ipsum DEUM clarè omnia, quæ ad singulorum statum pertinent manifestantem.

V. Modus juvandi Sanctorum.

Opponitur authoritas D. Hieronymi in cap. 6. ad Galat. ubi exponens illud: *unusquisque onus suum portabit*: ait: *Docemur per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari: Cùm autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum*, sed Job, Daniel, Noë sunt sancti, ergo sancti non possunt juvare defunctos in purgatorio existentes. Respond. primò S. Hieronymum loqui de ultimo & formali judicio Christi Domini, ubi executioni sententia ultima dabitur per *Venite*, & *Ite*, & tunc certum est, non valituras preces sanctorum, sicut tunc nec amplius erit purgatorium, & hunc ejus esse sensum clarè deducitur ex alio loco, nam in libro contra Vigilantium, graviter arguit illum, quòd dixerit, posse nos juvare invicem dum vivimus, post mortem autem unius preces pro alio preces non esse exaudiendas. Respond. secundò, S. Hieronymum loqui de illis, qui mortaliter peccant, & moriuntur sine debita pœnitentia, & sic illum esse intelligendum annotavit Gratianus in *cap. si præsenti.* 13. *q.* 2. ubi hæc Hieronymi sententia refertur.

VI. Animæ possunt etiam juvari per suffragia vivorum.

Dico Quartò. *Animæ in purgatorio existentes possunt quoque juvari & liberari per suffragia vivorum fidelium.* Est de fide. & patet ex dictis in prima quæstione. Probatur ulterius Primò Ratione Petri Cluniacensis contra Petrobrusianos: Ecclesia tota est unum corpus, cujus caput est Christus, ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris, quàm membrorũ inter se, nam ùt dicitur 1. Corinth. 12. *Pro invicem sollicita sunt membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sed justi defuncti sunt membra hujus corporis, nam sunt colligati nobiscum & cum DEO in fide, spe & charitate, unde D. August. lib. 20. de Civit. DEI cap. 9. ait: *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi*, ergo viventes possunt & debent juvare defunctis ut membra ejusdem corporis.

Probatur Secundò ratione Bellarmini. Christus quia caput fuit, profuit in terris vivus viventibus, mortuus mortuis, & vivens mortuis, & mortuus viventibus, ergo etiam decet, ut membra inter se agant, ut justi viventes viventibus, mortui mortuis, viventes mortuis, & mortui viventibus prosint. antec. patet. Nam Christus vivus profuit viventibus, Magdalenæ remisit peccata. *Lucæ* 7. Paralyticum sanavit. *Matth.* 9. Latroni Paradisum promisit. *Lucæ* 23. Deinde etiam mortuus mortuis, nam descendens ad inferos multos solvit à doloribus inferni, ùt dicitur Act. 2. & multa corpora Sanctorum excitavit. *Matth.* 27. Iterum vivens profuit mortuis, nam puellam in domo. *Matth.* 9. Adolescentem in via. *Lucæ* 7. Lazarum in sepulchro excitavit. *Joann.* 11. Denique prodest nunc quoque nobis mortuus, nam morte suâ, vitam nobis procuravit, & nunc in cœlis interpellat pro nobis & nostrum advocatum agit. Hebræ. 7. & 1. Joann. 2. Probatur conseq. Nam viventes juvant viventes in Sacramentis, & precibus *Orate pro invicem & salvemini* Jacobi 5. Prosunt mortui mortuis, ùt probabat conclusio antecedens, & quòd mortui, in purgatorio existentes, prosint nobis viventibus probabit conclusio ulti-

ultima, ergo sequitur, etiam viventes debere prodesse & adjuvare mortuos. Sed in contra præter alias objectiones supra factas.

Opponitur authoritas Scripturæ Ecclesiastæ 9. ***Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum, Amor quoque, & odium, & invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere, quod sub sole geritur.*** Sed Respond. Sapientem loqui de bonis hujus vitæ, & vult dicere, mortuos non scire quid agatur de rebus suis, quas hic reliquerunt, nec posse eis uti comedendo, bibendo, unde sequitur & subjungit ***Vade ergo & comede in lætitia***, ex quo tamen non sequitur non posse eos juvari per eleemosynas, & pia opera, quoad salutem & statum spiritualem, licèt nihil de corporalibus participare valeant.

VII. Mortui nō habent curam de bonis temporalibus.

Opponitur secundò authoritas S. Ambrosii lib. 1. de Abraham cap. 9. dicentis: ***Docemur, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii, deferamus***, ergo non est opus perpetuam de mortuis facere sollicitudinem. Respond. negando consequ. Quia S. Ambrosius loquitur de Pompa funerum & luctu, quem vult esse moderatum, non verò de suffragiis continuò pro mortuis fiendis, nam ipsemet in oratione de obitu Valentiniani Junioris in fine, sic Gratianum & Valentinianum defunctos alloquitur: ***Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies silentio vos præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.***

VIII. Suffragia, quibus animæ juvantur, sunt Missæ, orationes, & alia opera satisfactoria.

Dico Quintò. ***Suffragia, quibus*** *animæ defunctorum juvari, & ex pœnis purgatorii liberari possunt, sunt primò Missæ sacrificium: deinde orationes: Tertiò opera omnia pœnalia & satisfactoria, ut Eleemosynæ, jejunia, peregrinationes.* Hæc est Catholicorum omnium. & Probatur ex Scripturis supra citatis, & maximè ex Patribus, nobis sufficiet S. Augustinus & Bernardus: Itaque de sacrificio Missæ habet S. Hipponensis Præsul, de verbis Apostoli Serm. 34. in tom. 10. dicit: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes DEO non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, ejusque Sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus dum hic essent pignore caruerunt.* Et audi illum devotissimè pro sua Matre ad DEUM orantem, lib. 1. confess. cap. 12. *Nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse* (Monicam) *debita debitoribus suis: dimitte illi & tu debita sua, si quæ etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, nè intres cum ea in judicium. Superexaltet misericordia judicium: quoniã eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Et credo, jam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine. Námque illà imminente die resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servie-*

serviverat, unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Habet his similia in pluribus aliis locis, quæ tam in ejus operibus videri possunt, & passim ab Authoribus adducuntur.

Addo igitur S. Bernardum Serm. de obitu Humberti Monachi tom. 2. pag. 159. ait: *Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint neglecta hic, redduntur usque ad novissimum quadrantem.* & in vita S. Malachiæ Episcopi tom. 4. cap. 31. fol. 139. postquam retulisset sanctum petiisse suffragia post mortem suam pro se fieri: *Quod ad corpusculum attinet, hic requies mea: quod ad animam, Dominus providebit, qui salvos facit sperantes in se: Nec parum spei repositum est mihi in die illa, quâ mortuis* (nempe quarto nonas Novembris, seu secunda, quâ mortuus fuit) *tanta à vivis beneficia impenduntur.* Unde etiam S. Bernardus subjungit ibidem: *Interim parantur exequiæ: offertur pro eo sacrificium, consummantur ex more omnia cum summa devotione:* ubi uterque Sanctus suffragia per orationes & sacrificia fieri posse & debere pro defunctis testantur.

Patribus censeo adjungendam esse authoritatem & definitionem Concilii Trident. Sess. 22. cap. 2. *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* & iterum Sess. 25. exhortatur in decreto de Purgatorio Episcopos, ut suffragia diligenter curent pro defunctis dicens: *Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta piè & devotè fiant, & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ Ministris, & aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persolvantur.*

IX. Animæ possunt etiam juvari per indulgentias per modum suffragii.

Dico Sextò. *Animæ fidelium defunctorum etiam juvari possunt per Indulgentias, non per modum absolutionis, sed solùm per modum suffragii à DEO misericorditer acceptati.* Est etiam Catholicorum. Probatur prima pars. Quia animæ possunt juvari per preces & eleemosynas, ergo etiam per Indulgentias. Probatur consequ. Tum, Quia sicut orationes & eleemosynæ sunt opera satisfactoria, ita etiam sunt indulgentiæ, ergo: Tum, Quia si possunt privati homines opera hujusmodi applicare defunctis, poterit etiam supremus dispensator de thesauro Ecclesiæ illis applicare opera Christi maximè & infinitè satisfactoria, aliorúmq; Sanctorum. Confirmatur, quia Paschalis Pontifex ante annos 810. concessit indulgentias pro defunctis, quæ habentur in Ecclesia S. Praxedis in introitu capellæ S. Zenonis, ut testatur Bellarminus.

Probatur secunda pars primò ex S. Leone epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem, & habetur apud Gratianum *can.* 124. *q.* 2. ubi sic ait: *De communione privatis, & ita defunctis, eorum causa judicio DEI reservanda est,* & Gelasio in Epist. ad Faustum, & in altera ad Episcopos Dardaniæ quæ habetur *can. Legatur,* & *can. Ne quisquam* 24. *q.* 2. ubi disertè docetur: Homines mortuos, qui sunt in Divino judicio constituti, non posse ab Ecclesia judicari.

Probatur Secundò eadem pars. Quia Pontifex non potest animas defunctorum citare, eorum causas cognoscere, aut ad obediendum cogere, ergo nec potest absolvere vel ligare, patet antec. & consequ. quia hæc solùm potest præstare circa oves, quas pascendas suscepit, sed animæ defunctorum non possunt ab illo pasci, cùm nec doctrinam, nec leges, nec sacramenta amplius ab ipso accipiant.

Probatur tertia pars. Quia Pontifices ordinariè quando concedunt indul-

indulgentias pro defunctis addunt particulam per modum suffragii, ut patet ex recentissima formula Indulgentiarum ab Innocentio XI. edita. 1685. ubi dicitur: *Quilibet omnes supradictas Indulgentias memoratis diebus aut ipse adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare potest.* Idem Pontifex in Bulla *Unigeniti DEI filii* edita 1688. die 28. Januarii concedit Indulgentias terræ sanctæ concessas, cruculis, Rosariis, coronis, attactis in locis dictis fidelibus defunctis *per modum suffragii applicari posse.*

X. Modus suffragii explicatur.

Nota autem, Indulgentias dici animabus in purgatorio existentibus applicari per modum suffragii, aliud non esse, quàm per modum solutionis, & applicationis meritorum Christi & Sanctorum: nam suffragia tribus modis juvant defunctos. Primò per modum meriti de congruo: Secundò per modum impetrationis; & Tertiò per modum satisfactionis, non verò primò & secundò modò. Itaque cùm quis dat eleemosynam, vel jejunat, vel peregrinatur ad loca sacra pro defunctis, non absolvit defunctos à reatu pœnæ, sed offert DEO satisfactionem illam pro defunctis, ut DEUS acceptans liberet defunctos à debito pœnæ, quam luituri erant: sic Pontifex non absolvit animas defunctorum, sed offert DEO ex thesauro satisfactionem, quantum necesse est ad eas liberandas, & DEUS acceptans alienam satisfactionem applicatas animabus defunctorum eas liberat à reatu illo pœnæ. Sed hoc interest inter suffragia & indulgentias, quod ut suffragia offerantur, non requiritur aliqua jurisdictio, bene tamen ut Indulgentiæ dentur, quia non potest thesaurum dispensare, nisi qui habet claves Ecclesiasticas: præterea qui offert suffragia, nescit, an id, quod offert, sufficiat ad liberandam animam, vel solùm ad refrigerandam, sed Pontifex potest offerre ex thesauro illo infinito, quantum requiritur ad satisfaciendum integrè pro reatu cujuscunque pœnæ, & ideò dicitur dare Indulgentiam plenariam atque animas liberare per modum suffragii, quia offert quantum ad plenam satisfactionem opus est. ita Bellarminus, Cajetanus &c.

Probatur quarta pars. Hanc applicationem esse ex pura DEI misericordia acceptante. Primò. Quia id solemniores & veriores attestantur animarum apparitiones, quæ dixerunt se per misericordiam DEI liberandas suffragiis præstitis, sic scribit Petrus Damian. epist. 5. ad Dominicum, cap. 4. Animam Benedicti Pontificis Romani apparuisse cuidam, suffragia postulasse, & addidisse, *se per suffragia liberandam, quando hoc miseratio divina decreverit.* Simile quid scribit Petrus Cluniacensis lib. 1. de miraculis cap. 10. & 27. Ex quo sic argumentor, Indulgentiæ applicantur animabus per modum suffragii, sed suffragia non nisi ex misericordia DEI acceptantur, ergo nec Indulgentiæ aliter acceptantur, aut aliter animabus prosunt.

XI. Solutio est ex pura misericordia DEI acceptantis.

Probatur Secundò. Tum, Quia non est certum, quòd aliquis in hac vita possit satisfacere pro altero de condigno, ita ut DEUS ex justitia acceptare teneatur, ergo neque est certum vivos posse per Indulgentias satisfacere pro defunctis, scilicet sic, ut DEUS acceptare teneatur, antec: est Authorum contrarium sentientium. Probatur conseq. Quia non est major corporis unio inter vivos & defunctos, imò minor, quàm inter ipsosmet vivos fideles: Probatur ergo antec. Quia unio Ecclesiæ facit quidem, quòd membra possint se invicem juvare, & bona sibi communicare, non facit tamen, quòd DEUS teneatur ex justitia acceptare unius satisfactionem pro altero, quia hoc dici non debet, nisi constet desuper ex Scriptura facta aliqua DEI promissio, vel pactum. Deinde licèt esset certum, vivos posse pro se invicem de condigno satisfacere, non sequitur statim posse etiam vivos pro mortuis, quia opera pœnalia sunt ejusdem generis, non sic sunt Indulgentiæ, quare si Judex haberet reum,

† Bbbbbb quem

quem vellet aut deberet puniri corporali pœna, non tenetur alterius solutionem pecuniariam pro illo ex justitia acceptare, imò licèt quis ex charitate vellet etiam pro tali reo subire pœnam corporalem, non tenetur Judex ex justitia eandem acceptare.

XII. Animæ purgantes etiam orant pro nobis. Dico Septimò. *Pium, & probabile est, etiam animas defunctorum in purgatorio existentium orare pro nobis in via adhuc peregrinantibus.* Ita sentiunt noster Faber ex antiquioribus; Eminentissimus Brancatus ex junioribus, & Bellarminus tom. 2. lib. 2. cap. 15. Probatur ex 2. Machab. 15. ubi Judas vidit Oniam, *qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum - - - - manus protendentem orare pro omni populo Judæorum: Post hoc apparuisse & alium virum, ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta DEI;* Sed tam Onias quàm Jeremias jam dudum fuerant defuncti, & existebant in limbo, ergo etiam existentes in purgatorio pro nobis orare possunt.

Probatur Secundò ab exemplis Ecclesiæ modernæ, nam S. Paschasius, & S. Severinus faciebant miracula, quando animæ eorum adhuc erant in purgatorio, ut habet S. Gregorius lib. 4. dialogo. cap. 40. & Petrus Damian. in epist. de miraculis sui temporis.

Probatur Tertiò ratione. Quia nihil obstat, quo minus animæ pro nobis orare possint, ergo. Probatur antec. Si aliquid obstaret, vel quia non vident DEUM, vel quia sunt in maximis tormentis: vel quia sunt nobis inferiores, sed nihil horum obstat, ergo. Major est Authorum oppositum tenentium: Probatur minor de primo. Quia Onias & Jeremias ut supra non videbant DEUM, & tamen orabant DEUM pro omni populo Judæorum. Probatur nec secundum obstare. Quia Epulo Lucæ 16. erat in inferno in maximis tormentis orabat pro suis quinque fratribus. Item Stephanus aliique Martyres in suis tormentis orabant pro suis persecutoribus, ergo etiam animæ non obstantibus tormentis orare possunt, quia tormenta earum non impediunt judicium rationis, nec affectum voluntatis, sicut in nobis propter dependentiam à corporalibus organis. Probatur denique tertium, quia particulares personæ sunt inferiores Episcopis, Pontificibus, Regibúsque, & tamen orant pro istis, sicut etiam D. Paulus major erat Christianis illius temporis, & tamen ad Romanos scribens petit adjuvari orationibus eorum cap. 15. *Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum JESUM Christum, & per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad DEUM.*

QUÆSTIO QUINTA.

De Inferno.

Infernum dari Fide catholica certissimum est, nam sic Scripturæ clamant Psal. 54. *Descendant in infernum viventes.* Job. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Gen. 37. *Descendam lugens ad filium meum in infernum* (limbum, qui nonnunquam infernus, nonnunquam sinus Abrahæ dicitur) ubi est vox Scheol, & nequit accipi pro sepulchro, quia Jacob credidit Josephum devoratum à bestiis, adeóque non habuisse sepulchrum. Isaiæ 14. *Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci,* ubi sepulchrum nequit signare tò *infernus*, quia diabolus tale non habuit. Lucæ 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Sic determinant Concilia, Lateranense, Florentinum sic docent universaliter Patres, sic credunt ipsi hæretici. I. Datur Infernus.

Suppono Primò. Tanquam certum, damnatorum animas statim post separationem descendere ad inferos, prout definitum est in Concilio Florent. in litteris unionis definiente II. Animæ natorum statim post mortem descendunt ad infernū.

niente illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel etiam originali solo decedunt mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Patet etiam exemplo divitis Epulonis Lucæ 16. & ex communi consensu Patrum, & ex judicio cujuslibet in particulari, unde ait D. Gregorius 4. Dialog. cap. 28. *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quòd à die exitûs sui ignis reprobos exurat.*

III. Pœnę damnatorum sunt inæquales.

Suppono Secundò. Pœnas damnatorum in inferno futuras inæquales, quòd clarissimè ex sacra colligitur Scriptura, nam Sap. 6. dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur, fortioribus autem fortior instat cruciatus.* & Apocal. 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* & 2. Corinth. 5. dicitur: *Quemlibet recepturum prout in corpore gessit,* ac alibi sæpè. Et ratio est, quia justitia vindicativa exigit, ut pro mensura peccatorum sit & plagarum modus, quare D. Gregorius supra cap. 43. ait: *Unus quidem est gehennæ ignis, sed tamen non uno modo crucial peccatores, uniuscujusque etenim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna.*

IV. Pœnę damnatorum sunt æternæ.

Suppono Tertiò. Pœnas inferni & damnatorum esse æternas, nam hæc inter alias est quoque differentia à purgatorio, & patet ex multis Scripturis, ubi reprobis comminantur ignem æternum, ùt Matth. 28. *Discedite à me maledicti in ignem æternum - - - Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Et alibi sæpe, confirmat unanimis Patrum consensus, & universalis Ecclesiæ consuetudo vetantis orare pro damnatis, ex eo quòd ex inferno nulla est redemptio, & damnatorum liberatio sit ipsis desperata. Accipe unicum textum ex S. Bernardo in Serm. de conversione ad Clericos cap. 4. *Habet enim hoc ipsum, quod nunc ponit, quandoque recipere corpus, non tamen ad pœnitentiam, sed ad pœnam, ubi nimirum peccati ipsius & carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, ut quemadmodum culpa semper puniri poterit, nec unquam poterit expiari: sic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipsum exinaniri valeat in tormentis. Merito quidem ultio sempiterna desæviet, quod nunquam possit culpa deleri: & nec substantia carnis deficiet, ne simul cogatur etiam afflictio carnis terminari. Hæc fratres mei, qui pavet, cavet, nam qui negligit, incidit.* Quid autem dicendum sit ad multas frivolas seu apocryphas historias, patet ex superius dictis. His præsuppositis.

V. Animæ in inferno puniuntur pœna damni.

Dico Primò. *Animæ damnatorum puniuntur ante diem Judicii pœnâ damni.* Est communis Theologorum & Patrum. & Probatur Primò ex authoritate D. Augustini lib. Enchiridii ad Laurentium cap. 112. ubi dicit: *Si pœna sola esset, quanta in inferno minima cogitari potest, perire à regno DEI, exulare à civitate DEI, alienari à vitâ DEI, carere tam magnâ multitudine dulcedinis DEI, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis seculis longa.*

Probatur Secundò ex ratione. Quia pœna damni consistit in perpetua privatione DEI visionis & fruitionis propter peccatum mortale inflicta, sed omnes damnati carebunt DEI visione & fruitione, ergo punientur pœnâ damni. Quæ pœna maxima est, multóque major quàm sit sensûs, seu illa, quæ provenit ab aliquo ex se afflictivo sensûs, nam perpetuò constringuntur ad considerationem tanti boni per suam liberam voluntatem amissi, absque ulla spe recuperationis tamdiu quàm diu DEUS est.

Quare in hac pœna includitur desperatio: Accedit vermis, seu remorsus conscientiæ, cui dum proponitur culpa tanquam causa tot, tantorúmque malorum ineffabilis gignitur tristitia secundùm affectionem commodi, non verò justitiæ, seu ideo præcisè, quia culpa illorum

malorum causa est, non verò quia DEI offensa est, quia hæc aliqua esset contritio & tristitia pia ac sancta, ùt dixi suprà. Ad pœnam damni reducitur privatio gratiæ, quæ cum peccato inchoata in æternum durat, imò accedit privatio omnium donorum gratuitò concessorum, privatio corporis gloriosi, & dotium exclusio à contubenio omnium Sanctorum & perpetua maledictio contra DEUM, se, & Parentes.

Dices. Omnes animæ æqualiter carebunt DEI visione & fruitione, ergo etiam æqualiter punientur, quod est contra superiùs dicta, ergo. Respond. negando consequ. quia licèt privatio sit in omnibus æqualis, causa tamen talis privationis inæqualis est, quam dum cognoscunt & considerant, magis affliguntur, quò plus se deliquisse deprehendunt, adeóque plus tristantur, sicut si qui duo spolientur aliquibus bonis inæqualibus, licèt in hoc pares sint, quod neutri aliquid sit residuum, tamen plus tristatur, qui plus amittit, sic damnati videntes per multiplicitatem peccatorum obicem gratiæ toties posuisse, quem si non posuissent ad majorem gloriam sublevati fuissent, magis tristantur & affliguntur, quàm ille non posuit toties obicem, cui nec tanta gloria præparata fuisset.

VI. Animæ damnatæ puniuntur. Dico Secundò. *Damnatorum animæ puniuntur in inferno pœnâ ignis corporalis.* Probatur Primò ex Scriptura antiqui testamenti Ecclesiast: 7. *Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Judith. 16. *Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos, dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum.* Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars callicis eorum.* Psal. 20. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.*

Probatur Secundò ex Scriptura novi testamenti Matth. 3. *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* & cap. 13. *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi, mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Marci 9. *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam; in ignem extinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Lucæ 16. ubi dives Epulo clamat *Crucior in hac flammâ.* Apocalyp. 14. *Cruciabitur igne & sulphure.* & cap. 20. *Descendit ignis à DEO de cœlo, & devoravit eos, & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris.* & cap. 21. *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.* Et universaliter ubi Scriptura loquitur de Inferno, mentionem facit ignis. Sed pro hæreticis.

Dices. In omnibus illis locis per ignem non intelligi ignem propriũ, sed metaphoricum pro horrore conscientiæ, unde Proverbi. 25. dicitur: *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri:* Tum, Quia dictum & historia de Epulone tota parabolica est, ùt patet de digito Lazari, oculis & lingua Epulonis: Tum, Quia si esset ibi aliquis ignis, deberet lucere, & sic non essent ibi tenebræ: Tum etiam deberet habere pabulum & nutrimentum, alioquin extingueretur, ergo ibi non est ignis proprius, sed tantùm metaphoricus. Hoc est virus dulcissimum, quod diabolus hæreticus instillat, ut securius in voluptatibus & spurcitiis commorentur ac in- VII. Ignis erit verus non metaphoricus.

ac inhæreant. Verùm Respond. ineptè planè asseri ibi tantùm esse ignem metaphoricum: Tum, Quia Scriptura tam constanter ubicunque mentionem facit de inferno, pœnis, semper per ignem explicat: Tum, Quia Scripturæ & verborum proprietas ubique teneri debet, ubi non est aliqua inconvenientia: quare ad primam probationem dico, quòd licèt digitus Lazari, lingua & oculi Epulonis metaphoricè sumantur, ignem tamen metaphoricè non esse sumendum, ex eo quòd DEUS sicut per sensibilia signa animam sanctificat, ita per sensibilem & corporeum ignem punire potest. Imò falsum est totam illam historiam de Epulone Lucæ 16. parabolicam esse: Tum, Quia in hoc loco Evangelista non præmittit JESUM dixisse aliquam parabolam prout aliàs semper facit: Tum, Quia non sequitur applicatio aliqua parabolæ prout in aliis solet esse: Tum, Quia profertur ad modum exempli, in quo exprimitur nomen proprium Lazari, quod in aliis parabolis unquam fieri consuevit.

Ad secundam rationem dico, illum ignem non futurum absque luce, sed lucem impediendam per fumum, sulphur, nebulas crassas & obscuras &c. quæ tamen tantæ non erunt, ut sese damnati invicem videre & cognoscere non possint pro majori eorum cruciatu. Ad tertiam denique Respond. Illum ignem per extrinsecam DEI suppletionem non indigere pabulo vi aliqua indita, non verò congenita, vel etiam non indigere pabulo ex eo, quòd sit sub terra conclusus, nam dicunt aliqui, ùt refert D. Bonavent: quòd si ignis in aliquo vase includeretur, in quo nulla posset esse evaporatio, illum ignem in æternum conservandum, si vas in æternū conservaretur absq; appositione alicujus pabuli.

VIII. Potest dici in inferno futuros vermes.

Instabis. Vermis conscientiæ, de quo Scriptura non rariùs ac ignis mentionem facit, accipitur metaphoricè, ergo etiam ignis. Respond. Primò S. Basilium in illud Psalm. 33. *Timorem Domini docebo vos*, Prudentius, & alii omninò concedunt in inferno etiam futuros serpentes corporales, qui damnatorum corpora affligent & rodent, atque adeò in proprio sensu accipi potest vermis sicut ignis. Respond. Secundò, negando consequentiam, disparitas est: Tum, Quia non tam sæpè Scriptura facit mentionem de verme ac de igne: Tum, Quia toties quoties Scriptura facit mentionem vermis, eum semper addit per modum quasi major esset afflictio & pœna in verme, quàm in igne, quod de verme corporeo intelligi non potest, quia morsus alicujus vermis longè minus dolet, quàm adustio ignis, adeóque non debet intelligi nisi vermis conscientiæ, qui continuò eos rodet & affliget, dum considerabunt, se propter momentaneam delectationem tantum bonum perdidisse, & tantum malum meruisse.

Urgebis. Remorsus conscientiæ nequit attribui carnibus, sed in Scriptura vermis attribuitur carnibus, ùt Isaiæ 66. & Judith. 16. ubi dicitur: *Dabo ignem & vermes in carnes eorum*, ergo per vermem non intelligitur remorsus conscientiæ. Respond. negando minorem, cujus probationem ex Scriptura dico intelligendam *in carnibus* totum hominem, accipiendo partem pro toto per Synecdochen: aut etiam tribuuntur vermes carnibus, quia remorsus & vermis conscientiæ redundat in carnem.

IX. Vivunt aliqua animalia in igne.

Probatur Tertiò ex SS. Patribus Augustino lib. 21. de Civit. cap. 2. *Quid igitur ostendam unde convincantur increduli, posse humana corpora animata atque viventia non solùm nunquam morte dissolvi, sed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad omnipotentis nos referre potentiam, sed aliquo exemplo persuaderi sibi flagitant. Quibus si respondebimus, esse animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivant, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem impunè nemo con-*

tractat: illos autem non solùm sine ulla sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse: aut nolunt credere, si ostendere non valemus, aut si valuerimus, sive oculis demonstrare res ipsas sive per testes idoneos edocere, non satis hoc esse ad exemplum rei, de qua quæstio est, eadem infidelitate contendunt: quia hæc animalia nec semper vivunt, & in illis fervoribus sine doloribus vivunt, suæ quippe naturæ convenientibus vegetantur illis, non cruciantur elementis, quasi non incredibilius sit vegetari, quàm non cruciari talibus rebus. Mirabile est enim dolere in ignibus, & tamen vivere, sed mirabilius vivere in ignibus, nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non & illud? Et lib. eodem cap. 10. *At verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, solida hominum, aëra dæmonum, aut tantùm hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus, unus quippe utrisque ignis erit sicut veritas dixit.* S. Bernardo Serm. 16. in Cantic. *Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem, & sulphur & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores.* & in Instructione cap. 14. *Est ibi ignis inextinguibilis, algor incomparabilis, vermes immortales, fœtor intolerabilis, mallei crebrò percutientes, tenebræ spissæ & palpabiles, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ubi cunctorum crimina, cuncta cunctis sunt manifesta.*

X. Quomodo autem corpora post resurrectionem ab igne possint uri, & non comburi, cremari & non absumi, fusè & pulchrè ostendit D. Augustinus lib. citato de Civit. DEI cap. 7. dicens: *Cur facere non possit DEUS, ut & resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aëre, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum: cùm sit omnibus, quibus plenus est procul dubio majus & excellentius etiam ipse mundus miraculum? sed isti, cum quibus, vel contra quos agimus, qui & DEUM esse credunt, à quo factus est mundus, & eos ab illo factos, per quos ab illo administratur mundus, & miraculorum effectrices, sive spontaneorum, sive cultu & ritu quolibet impetratorum, sive etiam magicorum mundanas, vel non negant, vel insuper & prædicant potestates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia sunt rationalia, nec ulla ratione præditi spiritus, sicut ea, quorum pauca commemoravimus, respondere assolent: Vis est ista naturæ, natura eorum sic se habet, propriarum istæ sunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio est, cur Agrigentinum salem flamma fluere faciat, aqua crepitare: quia hæc est natura ejus. At hoc esse potius contra naturam videtur, quæ non igni, sed aquæ dedit salem solvere, torrere autem igni, non aquæ. Sed ista inquiunt, salis hujus naturalis est vis, ut his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, ubi una vena friget diebus, noctibus fervet, in utroque molesta tangentibus. Hæc & de illo alio, qui cùm sit contrectantibus frigidus, & facem sicut alii fontes extinguat accensam: dissimiliter tamen atque mirabiliter idem ipse accendit extinctam. Hæc & de lapide Asbesto, qui cùm ignem nullum habeat proprium, accepto tamen sic ardet alieno, ut non possit exstingui. Hæc de cœteris, quæ piget retexere, quibus licèt vis insolita contra naturam inesse videatur: alia tamen de illis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse naturam. Brevius sanè ista est ratio fateor, sufficiensque responsio. Sed cùm DEUS author sit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisque redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem omnipotentis DEI, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam, quic-*

Di. Aug. ostēdit quomodo corpora humana possint cremari & non absumi.

quicquid vult, potest: qui potuit creare tam multa, quæ si non ostenderentur, aut à credendis hodiéque testibus dicerentur, profectò impossibilia putarentur, non solùm quæ ignotissima apud nos, verùm etiam quæ notissima posui

Veritatem ignis, pœnarumque gravitatem fusè perstringunt alii quoque Sancti Patres Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum. Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animæ. Prosper, Gregorius Magnus, Cassianus, Ephrem &c.

XI. In Inferno erit sulphur.

Dico Tertiò. *In Inferno erit sulphur*. Probatur ex Apocalyp. suprà, ubi stagni, ignis, & sulphuris frequens est mentio, ultra quos adhuc addo cap. 19. ubi dicitur: *Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudo-Propheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure:* Tum, Quia in Canonica Judæ subversio Sodomæ & Gomorrhæ exemplum esse perhibetur æterni ignis infernalis, sed hæc subversio per ignem sulphureum contigit, ergo: Tum denique, Quia sulphur habebit majorem virtutem adurendi corpora non modò secundùm partes extimas, sed etiam intimas, quæ ibi non modò intentionaliter, sed etiam realiter cremabuntur.

XII. In Inferno erunt tenebræ.

Dico Quartò. *In Inferno erunt tenebræ*. Est communis post Basilium, & Gregor. Probatur Primò ex 2. Petri 2. *Quibus caligo tenebrarum reservatur*. Ecclesiast. 31. *Via peccantium complanata lapidibus* (quia scilicet apparet peccantibus) *& in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*. in epist. S. Judæ: *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Erunt autem in Inferno tenebræ partim defectu luminis, partim defectu luminarium cœlestium, partim ratione sulphuris igne mixti: & partim ratione fumi nebulosi, quem DEUS ibi producet, eúmque fœtidum & maximè afflictivum.

Probatur Secundò ex Job 10. *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* In quem textum D. Gregor. M. lib. 9. Moralium in Job. cap. 45. sic discurrit: *Quid terræ tenebrosæ nomine, nisi terra tartari claustra signantur? quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum à vitæ luce disjungit. Nec immeritò infernus terra dicitur: quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est: Generatio præterit, & generatio advenit, terra verò in æternum stat. Rectè igitur inferni claustra, tenebrosa terra nominantur: quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationi servant. Quæ aliquando tamen laci appellatione signantur, Propheta attestante, qui ait: Portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum. Infernus ergo & terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet: & lacus dicitur, quia hos, quos semel ceperit, semper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus absorbet.* & cap. 16. *Quæ adhuc subtilius loca describuntur, cùm dicitur: Terram miseriæ & tenebrarum. Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergò, quæ à conspectu districti Judicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris dolor cruciat, quos divisos à vero lumine, intus cæcitas obscurat. Natura ignis est, ut ex seipso & lucem exhibeat & concremationem. Sed transactorum ultrix illa flamma vitiorum, concremationem habet, & lumen non habet. Hinc est enim, quod reprobis veritas dicit: Discedite*

cedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Quorum rursum omnium corpus in unius persona significans, dicit: *Ligate ei manus & pedes, mittite eum in tenebras exteriores. Si itaque ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur.*

XIII. In Inferno erit fletus & stridor dentium. Dico Quintò. *In Inferno erit fletus, & stridor dentium.* Probatur ex Matth. 8. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Lucæ 13. *Et dicet vobis: nescio vos unde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis, ibi erit fletus, & stridor dentium: cùm videritis Abraham, & Isaac & Jacob, & omnes Prophetas in regno DEI, vos autem expelli foras, & venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & accumbent in regno DEI.* & alibi. Fletus quidem erit, quantum ad ejulatum, & tetricam oris, & oculorum totiúsque vultûs compositionem, idque ex vehementia doloris, non erit tamen fletus quantum ad resolutionem lacrymarum: Tum, Quia omnis generatio & corruptio cessabit: Tum, Quia per continuam resolutionem corpus tandem corrumperetur. Stridor autem dentium ibi non erit ex frigore, sed ex acerbitate dolorum, partim etiam ex rabie & furore in DEUM vindicem.

Probatur Secundò ex S. Bernardo Serm. 8. in Psal. 90. *Qui habitat*, ubi dicit. *Unde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos se se fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? ibi enim, inquit, fletus & stridor dentium, fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur; Stridor verò ob vermem, qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore, fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ, & obstinata malignitas extorquebit.* Et iterum lib. Meditationum cap. 3. sive libro primo de anima apud Hugonem cap. 3. ubi ait: *Juxta verò qualitatem culpæ pœnam sustinebit unusquisque gehennæ, & similis culpæ rei suis similibus jungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur nisi fletus & planctus, gemitus & ululatus, mœrores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur nisi vermes, & larvales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmonum. Vermes crudeles mordebunt intima cordis. Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, & timor horrens. Ardebúntque miseri in igne æterno in æternum & ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant, & sic vivent, ut semper moriantur. Ita anima peccatoris, aut in inferno pro peccatis cruciatur, aut in paradiso pro bonis meritis collocatur.*

Dico Sextò. *In Inferno nulla erit pœnarum intermissio, aut mitigatio.* XIV. In Inferno nulla erit pœnarum remissio. Probatur ex D. Cypriano tract. contra Demet. ubi ait: Non erit unde tormenta vel requiem habere possint vel finem. Deinde quia pœnarum interruptio videtur contraire æternitati, quod enim æternum est & perpetuum, est etiam continuum: Tum, Quia pœna damni nunquam cessabit. Quòd etiam nulla sit futura mitigatio, patet ex Epulone, qui nec minimam guttam remissionis aut mitigationis facit mentionem: Tum denique, Quia qua ratione vel per suffragia vel per satispassionem posset una pars pœnæ remitti & mitigari, ratione eâdem, tota, & sic tandem aliquando ad beatitudinem pervenirent.

Quæres Primò. Quænam sit differentia in pœna sensûs respectu animarum in purgatorio existentium & damnatorum? Respond. quòd licèt

eèt animæ in purgatorio tam bene affligantur per ignem ac damnatæ, quæ afflictio & tristita oritur ex nolitione detineri & considerare illum ignem, illas nolitiones tamen diversas esse, quia damnati nolunt eam ideo præcisè, quia est effectivè à DEO, animæ verò ideo tantùm quia est contra affectionem commodi & insuper quia est à DEO propter peccata sua, quod eis displicet, unde nollent eam non quia à DEO est, sed quia propter peccata est.

XV. *Nolita consideratio est major quàm detentiò.* Quæres Secundò. Quid animas damnatas magis affligat, an detentio in igne nolita, an nolita ejus intensa consideratio? Respond. magis affligere nolitam considerationem. Ratio est, quia quò magis aliquid est contra usum intellectivæ potentiæ eò magis affligit, sed magis est contra intellectum ejúsque usum perpetua consideratio, quàm simplex detentio, ergo: Tum etiam, Quia per hanc considerationem impediuntur à consideratione aliorum objectorum, quod eas maximè affligit, & licèt etiam cognoscant nonnulla alia objecta, non cognoscunt tamen tam perfectè, quàm si ad ignis considerationem non essent alligatæ.

QUÆSTIO SEXTA.

De modo, quo animæ & dæmones in Inferno cruciabuntur.

TOta & unica difficultas, quæ hìc examinari debet, est, quô modô animæ damnatorum, utpote spirituales, possint cruciari ab igne, qui corporeus est, & eadem est ratio defacto de dæmonibus, de animabus, seu potius de hominibus post resurrectionem & Judicium universale nulla est difficultas, Et hoc hìc congruè pro dilucidatione majore supra dictorum examinatur, cùm animæ etiam purgentur & crucientur per ignem, ùt visum est. Itaque

I. *Dolor & tristitia describuntur.* Notandum Primò. Duplicem esse pœnam creaturæ rationalis humanæ, nempe dolorem & tristitiam. Dolor est passio consequens apprehensionen sensitivam in appetitu sensitivo residens, generata in anima ex offensione carnis. Et hæc pœna in animabus damnatis non est, quia cùm sit passio totius conjuncti, quod tunc non est, nec passio, quæ in ipso appetitu sensitivo residere & oriri ex offensione carnis debet. Tristitia verò est passio proveniens ex aliquibus rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, residens in intellectu & voluntate: Et hæc est tantummodo in animabus damnatis usque ad resurrectionem corporum, itaque ut aliquid causare possit tristitiam, debet semper esse nolitum, & hinc, ùt mox dicam, violenta detentio nolita in animabus, & nolita consideratio intensa ignis materialis maximè poterit affligere animas damnatas, & dæmones ipsos. Verùm

II. *Effectivè & formaliter in loco esse quid sit?* Notandum Secundò. Animas dupliciter posse in igne materiali detineri *Effectivè & formaliter*, *Formaliter* tunc detinetur in loco, quando ipse locus quodam modo circumstat & circumscribit rem locatam, & sic animæ damnatæ possunt esse & detineri in igne, quia in ipso sunt & esse possunt definitivè, per hanc tamen detentionem non affliguntur aut cruciantur, quia non est magis inconveniens ipsis, quòd sint definitivè in igne vel aëre, quamvis talis detentio in corporibus sit afflictiva propter eorum ad se invicem disconvenientiam, & hinc ait Scotus, hanc detentionem esse respectum extrinsecus ad venientem pertinentem ad genus *Ubi*. *Effectivè* verò tunc detinetur aliquid in loco, quando ab aliquo alio ad aliquem ponitur locũ, ipsúmq; prohibet se movere ex isto loco ad aliquem alium, & sic v.g. non detinet me Schola effectivè, sed tantùm formaliter, ego autem ipse me effectivè detineo, cum me illuc loco; sic quoque ignis infernalis non dedit animas separatas, sed DEUS, qui eas illuc determinat, prohibétque, nè ad alium locum se ponant, & sicut eas determinat ad perpetuò habitandum in igne, sic quoque deter-

determinat ad perpetuò considerandum illum veluti carcerem assignatum ex sententia justi Judicis per justitiam vindicativam. His itaque prænotatis pro resolutione quæstionis.

III. Animæ nô cruciantur ab igne ex apprehensione.

Dico Primò. *Animæ damnatæ (idem est de purgantibus) non cruciantur ab igne materiali per hoc, quòd ipsum apprehendant sub ratione disconvenientis.* Est Scoti in 4. d. 45. q. 2. contra D. Thomam, Ægidium & alios. & Probatur hoc à Doctore sic: Quia damnati apprehendunt ignem sibi disconvenientem apprehensione vera vel falsa, neutrum dici potest, ergo non cruciantur per illam apprehensionem. Major est certa. Probatur minor: Non quòd verâ: Tum, Quia ignis ille ut objectum intellectûs & voluntatis non habet rationem disconvenientiæ, cùm nullum objectivum sit corruptivum illius, cujus est objectum, ùt patet de omnibus per enumerationem, imò ùt objectum semper est conveniens: Tum, Quia non assignatur modus, per quem fiat animabus disconveniens, ergo non affliguntur ab igne apprehensione aliqua vera. Probatur etiam minor quoad alteram partem, quòd nec etiam falsâ. Primò, Quia tunc non affligerentur verè ab igne, sed à falsa sua apprehensione, quod afferere planè est inconveniens, nam sicut nemo falsa apprehensione beatus est, ita etiam nemo falsa apprehensione miser est. Secundò. Quia illa apprehensio vel esset à DEO, vel ab ipsis animabus, non primum, quia sic DEUS esset immediata causa deceptionis, nec etiam ab animabus, quia sicut in dæmonibus ita etiam in illis naturalia manserunt splendida integra, ùt dicit D. Dionysius, ergo.

IV. Animæ nô cruciantur ab igne per aliquam qualitatem.

Dico Secundò. *Nec animæ damnatæ cruciantur ab igne per hoc, quod ipsis propter demeritum detur aliqua qualitas supernaturalis, ratione cujus ignis in ipsas potest agere.* Ita Doctor suprà contra Henricum, Et Probatur à Doctore, Quia illa qualitas vel habitus aut esset spiritualis aut corporeus, neutrum dici potest, ergo. Probatur minor: non quòd sit spiritualis, quia talis est tam improportionatus actioni ignis materialis, quàm ipsæ animæ, cùm utrobique sint spirituales, & nullum corporale in spiritum agere possit: nec etiam quòd sit materialis, quia secundùm probabilem opinionem DEUS nequit facere animam albam aut nigram, sicut non potest facere lapidem sapientem, ergo nec poterit in anima ponere aliquam qualitatem corporalem. Est & alia opinio hic, quæ Soto & Suaretz secundùm quid attribuitur, sed videntur cum primâ coincidere.

V. Animæ cruciantur per violentam detentionem, & nolitam consideratione ignis.

Dico Tertiò. *Animæ damnatæ cruciantur ab igne infernali violenta detentione per sententiam Judicis justi, qua condemnantur ad perpetuò habitandum in eo, & qua determinantur intensè considerandum ipsum ùt signum iræ & justitiæ divinæ vindicativæ.* Ita Doctor supra, ubi hæc habet in terminis. Formaliter dico, quòd ille ignis sit objectum sic disconveniens dupliciter, Primò ùt detinens spiritum definitivè, Secundò ùt immutans eum objectivè, unde angelus malus habet nolle detineri ab igne & specialiter sub hac ratione ex sententia divina sic determinante, ad quod nolle inclinat affectio commodi, secundùm quam appetit liberum usum potentiæ, ut sicut naturâ indifferens est ad quodcunque corpus sic possit se facere præsentem cuicunque corpori, promovet superbia, propter quam appetit uti propria potestate consummat invidia; propter quam nunquam vellet determinare ibi esse per sententiam, istud autem nolle præcedit detentio, & detentionis apprehensio, & tandem tristitia ac nolitio hujus detentionis violentæ, detentio autem illa violenta ad intensam considerationem ignis, ùt sibi nocivi contra voluntatem angeli à DEO principaliter, & ab igne instrumentaliter provenit. Hæc Doctor subtilis.

Per quæ clarè & fusè explicat modum, quo dæmones (& eadem est ra-

est ratio de animabus separatis) ab igne puniantur, nempe quòd DEUS eos contra suam voluntatem violenter in igne detineat, & quia hoc est contra voluntatem, ideo nòlunt hanc detentionem, quæ detentio cùm sit nolita, jam potest in ipsis causare tristitiam, & sic pariter nolunt considerare illum ignem, ùt signum iræ divinæ, cùm secundùm affectionem commodi vellent potius uti libertate intellectûs sui, ut non aliquod determinatum objectum, sed quodcunque vellent considerare & intelligere possent, & cùm per hanc considerationem ignis impediantur àb aliis objectis considerandis, hinc non magis consideratio illa ignis, quàm ejusdem violenta detentio affligit: Ignis autem ille non detinet nisi formaliter, & sic non nisi ùt instrumentum affligit & cruciat animas, DEUS verò eas detinens effectivè affligit, & illam tristitiam, ùt causa principalis, efficit.

Probatur Conclusio authoritate Sanctorum Patrum Augustini 21. Civit. 10. ubi hæc habet: *Si spiritus hominum profectò incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* Gregor. 4. dialog. 30. dicentis: *Si viventis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur non post mortem incorporeus spiritus corporea igne non detineatur?* Ratio esse potest, quòd illa summè affligant, quæ summè aliquis non vult, cùm autem ista duo animæ separatæ summè nolint, sequitur ea summè affligere. Sed contra conclusionem

Opponuntur Plures authoritates Patrum, nam D. August. supra cap. 16. ait: *Nequaquam negandum est ipsum æternum ignem aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius ardor pro pœna cujuscunque varietur, sive æqualiter ipse ardeat, sed non æquali molestia sentiatur,* ubi non allegat detentionem solùm, sed etiam ardorem, & insuper asserit aliis pœnam futuram leviorem, aliis graviorem, quòd si autem sola esset detentio, æqualis esset pœna, quia æqualiter omnes ibi detinentur. Item D. Gregorius ait supra: *Colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur,* ergo. Respond. S. Augustinum non negare ibi detentionem esse pœnam animarum, & licèt ibi assignetur ardor, non dicit tamen esse aliquem materialem vel physicum, qualem utique ignis ille in animabus producere nequit, ardor itaque qui erit, erit intentionalis, verus tamen, & realis, nam quando animæ considerabunt illum ignem intensè semper timebunt, nè ab ipso adurantur & comburantur, & sic ignis habens virtutem producendi calorem in corporibus, intentionaliter immutabit eas, & intentionaliter comburet, quæ major est quàm materialis, quia illa etiam in ipsis reperitur corporibus, nec in corporibus est aliquis dolor, si non adsit etiam immutatio intentionalis. Quare nec D. Gregorius mihi videtur contrarius, nam præterquam quòd possit etiam explicari de experientia objectiva & intentionali, ipse supra dixerat: *Quòd ex igne visibili, ardor & dolor invisibilis tradetur.*

Per hoc patet solutio etiam ad aliam instantiam, nempe, quòd non sit ratio, quare potius in igne, quàm in aqua aut aëre damnati puniantur, quia nempe aqua & aër &c. non habent virtutem adurendi, quæ virtus à dæmonibus cognita causaret in eis timorem & tremorem, quæque sic ipsos intentionaliter immutet. Et licèt D. Augustinus dicat, pœnam non futuram æqualem, id ego etiam non nego, & insuper quamvis æqualis sit detentio, ex hoc non statim licet inferri, ergo æqualis pœna, quia ùt supra dixi, & ùt docet Scotus, non erit æqualis in omnibus nolitio, quæ majorem, minorémque causabit tristitiam & pœnam.

Insta-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, IN TOMO QUARTO CONTENTARUM.

Litera P. paginam designat, Litera N. numerum marginalem.

A.

& ore dissentiens. p. 63. n. 10. Ut adultus peccator fructuosè suscipiat Sacramenta, debet esse dispositus actu supernaturali Contritionis vel Attritionis. ib n. 14. Pro susceptione mortuorum non requiritur Contritio necessitate medii. ib nu. 15. Nec præcepti p. 65. n. 16. In justo adulto pro Sacramentis Vivorum non requiritur alia dispositio devotionalis præter Intentionem. ib. n. 17. Instantiæ respondetur. ib. n. 18. Adulti æqualiter dispositi æqualem, inæqualiter, inæqualem gratiam recipiunt in Baptismo. p. 85. n 14. Adultus non est baptizandus, nisi prius credat. p. 109 n. 8. Adulti quo tempore obligantur ad suscipiendum Baptisma. p. 111. n. 15. Adultus perpetuo destitutus usu rationis baptizandus est sicut parvulus. 115. n. 1. Qui compos rationis consentit in Baptismum, postea destitutus usu rationis potest baptizari. ib num 2. Adultus potest non consentire in Baptismum. ib. nu. 3. nullo modo consentiens nequit validè baptizari. ib. n 4 & pag. 116. num. 10. & 11. In parvulis requiritur consensus Parentum, vel offerentium vel Ecclesiæ. p. 116. n. 6. Non sufficit in adultis. ib. n. 7. Consensus est necessaria conditio ex parte subjecti. ib. n. 8. Non requiritur actualis. p. 116. n. 9. vide *Baptismus*.

Affinitas describitur. pag. 767. num. 1. olim triplex fuit. ibid. num. 2. nunc est simplex. ibid. n. 3. alia est in linea recta, alia in transversa pag. 768. num 4. Regula ad cognoscendum affinitatis gradum. ibid. n. 5. Affinitas ex copula licita dirimit usque ad quartum gradum. ib. n 6. ex illicita usque ad secundum. p 769. n 7. Non dirimit Jure naturæ in linea transversa ib. n. 8. probabiliter nec in primo gradu lineæ rectæ, jure naturæ. ib. n 9 Oppositum quoque est probabile. p. 770. n. 10. Copula ad Affinitatem debet esse cum emissione seminis. ib. n. 11. Corollaria ex quibus copulis oriatur Affinitas. p. 771. n. 12. Affinitas superveniens Matrimonio privat Jure petendi debitum. ib. n. 13. & p. 809. n. 8. Non tamen reddendi. ib n. 9. Si ex malitia contrahant Affinitatem, neuter impeditur à redditione debiti. pag. 810. num. 10.

Annius Platonicus. p. 882. n 9.

Angelus potuit aliquo modo cognoscere possibilem præsentiam Sacramentalem. pag. 251. nu. 18. Angeli non sunt capaces Sacerdotii. p. 497 n 7.

Apostoli per impositionem manuum conferebant gratiam sanctificantem. p. 142. n. 5.

Approbatio quid & quot modis fiat. p. 452. num. 1. nequit Sacerdos sæcularis, aut Regularis sæculares etiam Sacerdotes absolvere, nisi aut Beneficium Parochiale accipiat, aut alio modo approbetur. ib. n. 2. Ad audiendas Confessiones Regularium sufficit Religiosi approbatio proprii superioris ib n. 3. Opinio quorundam Lectores non esse obligatos ad examen Episcoporum. ib n 4. servandum tamen Concilium Trid. p 453. n. 5 tenuerunt multi Episcopos tenere approbationem Idoneis. ib. n 6. Per legem generalem non derogatur speciali. ib. n. 7. Approbatio semel facta per se loquendo manet perpetua p 454 n 8. Ad Judicium idoneitatis sufficit approbatio ab Episcopo Confessarii. ib. n 9. Non requiritur approbatio ab Episcopo pœnitentis. ib. n. 10. An approbatus pro una Diœcesi censeatur approbatus pro omni. p 455. n. 11. Regulares approbati possunt absolvere quoscunq; ad suos Conventûs venientes. ibid. n. 12. non tamen alios Religiosos. ib. n. 13. Multi tenent approbatum in una Diœcesi esse approbatum in omni. ib n. 14. oppositum ponitur. p. 456. n. 15. Ut Regularis in alia Diœcesi validè absolvat, debet habere consensum sui Superioris. ib. n 16. Nisi ipse Episcopus in suas oves daret Jurisdictionem. p. 457. n. 17. Confessarii exempti transeuntes audire possunt in alia Diœcesi ad interim. ib. n. 18. Habens facultatem confitendi extra ordinem, non habet pro casibus reservatis. p 458. n. 20. Regulares generaliter approbati non possunt ad tempus limitari. p 459 n. 3. vide plura verbo *Jurisdictio. Confessio.*

Aqua, quæ fluxit de latere Christi, non fuit phlegma. p 91. n 5.

Articulus mortis quid. p. 423 n 3.

Attritio & Contritio, in quibus conveniant & disconveniant. p 358 n 3 Attritionis motiva sunt cõsideratio turpitudinis peccati, & metus gehennæ ac pœnarum. ib n. 4. Motivum ex metu pœnarum quo sensu sit honestum. p. 359. n. 5. Metus pœnæ non includit virtualem affectum ad peccatum ib n. 6. Metus pœnæ æternæ damni, sensus, ac temporalis purgatorii est motivum attritionis. ib. n. 7. Item metus pœnæ temporalis in hac vita consideratæ, ut à Deo conflictæ. ib. n 8. Timor de amissione Beatitudinis. p. 360. n. 9. Quævis turpitudo moralis peccati, dummodo sit supernaturaliter nota, est sufficiens motivum attritionis. ib n. 10. & 11. Offensa Dei dupliciter considerari potest. ib. n. 12. In peccato potest considerari turpitudo naturalis & supernaturalis. p. 361. n. 14. Naturalis non est sufficiens motivum attritionis. ib. n. 15. Motivum attritionis saltem extrinsecè terminari debet ad Deum. ibid. n. 16. non tamen sub ratione dilecti vel diligibilis elicitè, vel imperatè. ib n 17. Attritio debet fieri ex dilectione æquivalenter. ibid. num. 18. Dispositio se sola

suffi-

Digitized by Google

Cogna-

Chriſtus non præcipit Laicis Communionem ſub utraque ſpecie. ib. n.24. Cur Gelaſius Pontifex præceperit Communionem ſub utraque ſpecie juxta Becanum. ib. num. 25. Gelaſius juxta alios ſolùm fuit locutus de Sacerdotibus. pag. 295. num. 26. In Præcepto Divino de ſumptione Evchariſtiæ ac de aliis Sacramentis diſtinguenda eſt ſubſtantia Præcepti, & modus. ibid. num. 27. Eccleſia nihil poteſt mutare circa ſubſtantiam, ſed benè quoad circumſtantiam & modum. ibid. num. 28. Referuntur cauſæ, ob quas Eccleſia prohibuit Laicis ſumptionem alterius ſpeciei. pag. 296. num. 29. Non fraudat illos Paterna hæreditate, ibid. num. 30. Utrum majorem gratiam conferat communis ſub utraque ſpecie, quàm ſub una ſentimen Calvini. ib. nu. 1. Lutheranorum & Huſſitarum. ibid. num. 2. Communicans ſub utraque ſpecie non accipit majorem fructum aut utilitatem, quàm ſub una. pag. 297. num. 3. 4. 5. & 6. & pag. 298. num. 7. Objectioni reſpondetur. ibid num 8. Una ſpecies ſeorſim ſumpta cauſat diverſam gratiam, ſed non ſimul ſumpta cum alia. pag. 299. num. 9. Inſtantiæ reſpondetur. ibid. num. 10. Chriſtus inſtituit, & voluit, ut utraque ſpecies ſimul ſumpta non conferat majorem gratiam. ibid. num. 11. & 12. Objectioni reſpondetur. pag. 300. num. 13. Gratia tota ab utraque ſpecie ſimul ſumptæ æqualiter dependet, ſive conferatur immediatè poſt ſumptionem primæ, ſive ſecundæ ſpeciei. ibid. num. 14. Cur utraque ſpecies non ſumatur fruſtra à Sacerdotibus ſacrificantibus. ibid. n. 15. In triduo mortis Chriſti utraque ſpecies non contuliſſet majorem gratiam juxta Becanum pag. 301. num. 17. Dato quod tunc contuliſſet majorem gratiam, cur non conferat nunc. ibid. num. 18. Tridentinum non ſupponit conferri majorem gratiam, per utramque ſpeciem. ibid. nu. 19. Communio in peccato multipliciter fieri poteſt. pag. 302. n. 1. Communicans in mortali, vel in actuali Communione novum mortale committens ſuperaddit Sacrilegium ab his diſtinctum. ibid. nu. 2. Communicans in mortali ex ignorantia craſſa oblito peccat mortaliter. ibid. num. 3. Secus ſi ſit oblitus poſt diligens examen. ibid. nu. 4. Conſcius mortalis non confeſſi tenetur Communioni præmittere Confeſſionem. ib. nu. 5. Diſparitas de ſuſceptione Evchariſtiæ & aliorum Sacramentorum. pag. 303. num. 6. An & qualiter peccet communicans in veniali. ibid. num. 7. Præceptum præmittendi Confeſſionem Communioni à conſcio mortalis eſt antiquum. ib. nu. 2. Probabilius non eſt Juris Divini poſitivi, ſed humani, ſeu Apoſtolici. pag. 304. num. 3 & 4. Non prohibemur communicare indignè Jure Divino poſitivo ſed naturali. pag 305. num. 5. Ratio naturalis ſolùm dictat mortale eſſe expiandum aliquo remedio. ibid. num. 6. Ex Tridentino non deducitur Præceptum Divinum præmittendi Confeſſionem. ib. nu. 7. Papa in hoc præcepto poteſt diſpenſare. ib. n. 9. S. Cyprianus explicatur. pag. 306. num. 8. Contritio ſufficit ante Communionem urgente neceſſitate, & deficiente Confeſſario. ib. n. 1. Excuſatur à Confeſſione communicaturus in periculo mortis in defectu Confeſſarii. ib. n 2. Item Sacerdos obligatus die feſto celebrare ex officio coram populo alio non præſente. ib. nu. 3. Cur Paſtor proprius excuſetur, & non alius Sacerdos. ib. n. 4. Scandalum vel gravis infamia excuſant à confeſſione ante communionem, ſi deſit Confeſſarius. ib. n. 5. Laicus communicans ſine Confeſſione, non tenetur quàm primum confiteri, pag 307 quando cenſeatur adeſſe copia Confeſſarii. ib nu. 10. Publico peccatori publicè petenti neganda eſt Evchariſtia pag. 308. num. 1. Non verò occulto publicè petenti ib. num. 2. & 3. Indigno miniſtrare Evchariſtiam in caſu, non eſt malum. ib. n. 4. Peccatori occulto occultè petenti neganda eſt Evchariſtia, etiam in Paſchate ibid. nu. 5. Talis non habet jus petendi illam à Paſſione. pag 309. n. 6. An Sacerdos, qui novit ſolùm peccatum ex Confeſſione poſſit occultè petenti negare Evchariſtiam. ib. nu. 7. Quis ſit cenſendus publicus & notorius peccator. ib. num. 8. An liceat præbere Communionem in purgationem delicti. ib. n. 9. Communicans ex præcepto Eccleſiæ debet eſſe jejunus. ib. nu. 2. Jejunio naturali. p. 310. num. 3. Præceptum de Jejunio ante Communionem eſt antiquiſſimum. ib. nu. 5. Objectioni reſpondetur. ibid. num. 6. In articulo mortis poteſt quis communicare non jejunus. ibid. num. 7. Etiam Sacerdos caſu, quo loco Sanguinis ſumpſit aquam. pag. 311. num. 8. Item ſi poſt Conſecrationem recordetur, ſe non eſſe jejunum. ibid. num 9. Aut ſi Sacrificium ſit perficiendum ab alio. ib. num. 10. Sacerdos poteſt reliquias ſumere non jejunus, antequam ex altari diſcedat, ibid. num. 11. An poſt pollutionem liceat communicare. ibid. num. 12. An Sacerdos communicans teneatur eſſe indutus ſtolâ. ib. num. 13. An & qualem habeat unionem Chriſtus cum corpore Communicantis. pag. 314. n. 6. Etiam pueri ſcien-
tes

Digitized by Google

Generale & confuſum ſufficit ad Contritionem. ib. num. 47. Quandoque etiam virtuale. ib. nu. 48. Ad Contritionem requiritur Regulariter propoſitum formale. pag. 373. num. 49. Virtuale quandoque ſufficit. ibid. n. 50.

Converſio quid ſit ſecundùm quoſdam. pag. 220. nu. 2. & 3. Quid juxta Scotum. ib. num. 4. Eſt eſſentialiter mutatio. p. 223. n. 18. Ad eam requiritur, quod terminus à quo deſinat eſſe. ibid. num. 19. Inſtantiæ reſpondetur. ib. nu. 20. Non requiritur novitas quoad entitatem realem in termino ad quem. ib. n. 21. & 22. Sed ut eſſe ſuum habeat novo modo conſervatum à convertente. p. 224. nu. 23. Non requiritur ſolum quod convertens ordinet deſitionem in aliam tanquam in terminum. ib nu. 24. Requiritur ſaltem novitas conſervandi terminum ad quem à convertente. ib nu. 25. Inſtantiæ reſpondetur. ib. nu. 26. Terminus ad quem Converſionis debet eſſe cauſa deſitionis Termini à quo. ib. num. 27. Non requiritur quod ex vera repugnantia Terminus ad quem ſit cauſa deſitionis termini à quo. p. 225. n. 28. Converſionis variæ diviſiones. ib. nu. 1. Totum dicitur converti dupliciter. ib. num. 2. Variæ Sententiæ Auth. de Converſione. ib. num. 3. 4. 5. & 6. Sententia D. Thomæ & Scoti. ib. n. 7. Poteſt aliqua ſubſtantia totaliter converti in aliam, quæ non habet accidentia ſimilia. p. 226. n. 8. Nec accidens ſenſibile, nec ordo ad tale eſt de eſſentia Converſionis etiam ſubſtantialis. ib. n. 11. & 12. Inſtantia Vaſquetz refutatur. p. 227. nu. 13. DEUS poteſt de pœnitentia abſoluta ſubſtantiam in aliam convertere ſine forma conſtante pro nomine demonſtrativo. ib. nu. 14. 15. & 16. Quæ oppoſitio ſufficiat inter duas ſubſtantias. ib. nu. 17. Veritas formæ non efficit repugnantiam inter terminos Converſionis, quæ ex natura rei ibi non erat. p. 228. n. 18. Inſtantia Vaſquez impugnatur. ib. nu. 19. Repugnantia ſi quæ eſt inter terminos Converſionis, poteſt aliter effici. ib. nu. 20. Non requiritur ad Converſionem, quod maneat accidens commune utrique termino. ib. n. 22. Commune remanens eſt impertinens ad Converſionem. pag. 229. nu. 23. DEUS nequit converti in Creaturam, & è contra. ib. nu. 24. Quodlibet creatum poteſt converti in quodlibet ens creatum, quod à converſione neceſſariò non dependet. ibid. num. 25. Partes nequeunt converti in totum. Nec extrema in Relationem. ibid. num. 26. Converſio panis non eſt formaliter annihilatio. pag. 235. num. 3. Vide plura verbo *Eucharistia*.

Conjuges ſunt obligati ad cohabitandum. pag. 821. num. 1. Poſſunt ad hoc per Judicem compelli. p. 822. n. 2. Uxor quoad habitationem debet ſequi Maritum. ib. nu. 3. Niſi adſit pactum. ib. nu. 4 Excipiuntur caſus neceſſitatis. ib. nu. 5. Non tenetur vir ſemper ſecum accipere. ibid. num. 6. Vagabundum tenetur etiam ſequi in certo caſu. ib. n. 7. Tenetur uxor ſequi virum in exilium. p. 823. nu. 8. Vir tenetur quoque uxorem ſequi. ib. nu. 9. Maritus tenetur uxorem alere. ibid. num. 10. quamdiu cohabitat. ib. nu. 11. perſolutâ tamen dote. pag. 824. num. 12. Etiam ſi eam ſine dote duxit ib. n. 13. Veſtimenta ejus non debent eſſe pretioſa. ib. n 14. Maritus inops non tenetur uxorem alere. ib. n. 15. Uxor non tenetur ſolvere debita viri contracta ad alimentationem ſuam & prolium. pag. 825. n. 16. Maritus poteſt irritare quædam vota uxoris, & vice verſa. ib. n. 17. Multiplices abuſus inter conjuges cohabitantes. p. 826. n. 1. vide verbo *Divortium*.

Copula Conjugalis non eſt inhoneſta. p. 668. n. 11. Uſus copulæ eſt honeſtus & meritorius. p. 786. n. 1. quæ uſum conjugalem cohoneſtant, duo verſus explicant. ib. n. 2. Uſus debet habere rectam intentionem & finem, ut non imaginetur ſibi perſonam extraneam. p. 797. n. 3. licitus eſt ex bono prolis & fidei. ib. n. 4. Non eſt opus ut explicitè intendatur proles. ibid. n. 5. Non debet referri ad bonum Sacramenti. ib. n. 6. Ad vitandam incontinentiam eſt licitus. pag. 798. n. 7. Uſus conjugalis etiam eſt licitus propter ſanitatem, ſi alia media non adſint commoda. ib. nu. 8. Etiam eſt licitus tempore feſtivo, & feriato. pag. 799. nu. 9. Tempore menſtrui ib. n. 10. Ad prægnantem accedere non eſt peccatum pag. 800. nu. 11. Purificatio non impedit. ib. nu. 12. Nec lactatio ib. nu. 13. Primò bimeſtri licitus eſt uſus. ib. n. 14. etiam ante benedictionem. ib. n. 15. Non eſt licitus uſus Conjugalis ante denunciationes. pag. 801. n. 16. licitus eſt diebus Jejuniorum & Rogationum. ib. n. 17. etiam die Communionis. ib. n. 18. Item in loco ſacro. ib. n. 19. Obligatio ad uſum Conjugalem eſt æqualis reſpectu utriusque Conjugis. p. 802. nu. 21. ſub mortali. p. 803. n. 22. Obligatio Copulæ patitur exceptiones. ib. num. 23. Periculum ſanitatis perdendæ excuſat. ib. num. 24. Item periculum infectionis. pag. 804. n. 26. periculum abortûs. ibid. n. 27. & 28. Periculum mortis excuſat à debito. pag. 805. n. 29. Impotentia. ibid. num. 30. Sanus non eſt obligatus reddere amenti, furioſo, aut ebrio. ib. nu. 31. Conjuges conſentire poſſunt ad abſtinendum.

Digitized by Google

D.

Ecclesia

E.

tis, quàm materiæ & formæ. ib nu. 6. & quod physicè efficeret se ipsum. ib. nu. 7. terminus actionis unitivæ assignatus impugnatur. ib, nu. 8. & pag. 207. num. 9. Instantia refutatur. ib. num. 10. præsentia quæ dicitur per actionem unitivam produci nequit esse relatio propinquitatis, nec modus absolutus. ib. nu. 11. quo sensu Corpus Christi dicatur tangi, frangi. ib nu. 12. quô sensu D. Damascenus dicat, Deum conjunxisse suam Divinitatem pani. ib. num. 13. Cur Conc. & PP. vocent hanc unionem admirabilem. pag. 208. num. 14. cùm circumfertur hostia, Christus non admittit præsentiam Sacramentalem. ib. nu. 15, cur Corpus Christi moveatur ad motum specierum. ib. num. 16. Christus non habet modum quantitativum in Evcharistia. ib. num. 1. & 2. ex vi verborum sub speciebus ponitur tantùm corpus & Sanguis Christi, reliquæ per materialem connexionem. ib. nu. 3. & pag. 209 nu. 4. Corpus Christi habet suam quantitatem in Evcharistia. ib. n. 5. 6. & 7. Cur quantitas ponatur, ubi humanitas Christi, & non Divinitas. ib. nu. 8. anima ponitur sub Sanguine. ib. nu. 9. positio quantitatis duplex explicatur. ib. nu. 10. totus Christus est in tota hostia, & totùs in qualibet parte. pag. 210. nu. 11. explicatio D. Thomæ. ib. nu. 12. impugnatur à Scoto. ib. nu. 13. Authoritates Concil SS. PP. pro hoc. ib. nu. 14. & 15. pactum Christi idem probat. ib. num. 16. Christus non est in Sacramento per unam præsentiam, sed per tot, quot sunt ibi partes pag. 211. num. 17. & 18. instantiæ respondetur. ib. n. 19. Christus totus est ante divisionem in singulis partibus hostiæ, etiam minimis proportionalibus, sub quibus aliqua pars panis vel vini erat. ib. n. 20. & 21. & pag. 212. num. 22. & 23. æqualitas & adæquatio ad locum non sunt idem. ib. nu. 24. Supposita infinitate partium possunt esse infinitæ præsentiæ partiales. pag. 213. nu. 25. Christum esse sub qualibet minima parte Hostiæ an sit de fide? ib. n. 26. probabilius totum Corpus Christi non est sub punctis specierum. ib. num. 27. 28. 29. & 30. præsentiæ dupliciter possunt dici continuæ. pag. 214. num. 37. quo sensu una pars Corporis Christi sit, & non sit extra aliam. ib. nu. 34. præsentia Sacramentalis Christi, quo sensu dici possit ubi definitivum. ib. num. 35. quid sit poni vi verborum & concomitanter ib. num. 1. totus Christus cum anima, corpore, sanguine, totâ humanitate & Divinitate est sub utraque specie ib. n 2. & pag. 215. nu. 3. & 4. aliter est præsens Deitas speciebus, quàm cuivis rei mundi. ib. nu. 5. quo sensu aliter anima & Divinitas est præsens speciebus. ib. nu. 6. tota Trinitas est in Evcharistia. ib. n. 7 sub speciebus panis vi verborum est solum Corpus Christi, sub speciebus vini solus sanguis, alia verò per Concomitantiam. ib. n. 8. & 9. Unio hypostatica non ponitur vi verborum. pag. 216. num. 10. ly *meum* non significat Suppositum Divinum hic esse. ibid num 11. poni hîc vî verborum non est significari per verba formæ etiam indirectò. ibid n. 12. ly *meum* non refertur ad humanitatem Christi ibid. n 13. Nec humanitas, nec suppositum significatur hîc esse per formam. ibid. num. 14. Corpus in triduo mortis adhuc erat Corpus Christi ib. n. 15. ly *Corpus* non significat Suppositum ibid. n. 16. Sanguis non significat directè suppositum, sed connotat illud. pag. 217. n. 17. probabiliter totus Sanguis est hîc ex vi verborum. ibid. nu. 18. per corpus intelligitur compositum ex materia & forma substantiali corporeitatis. ibid. n. 19. quid hîc nomine Sanguinis significetur. ib. n. 20. an præsentia Christi in Evcharistia dependeat à modo existendi naturaliter in se ipso. pag. 218. n. 1. de facto ex Institutione Divina præsentia Sacramentalis dependet à naturali. ib. num. 2. Corpus consecratum in ultima Cœna fuit passibile, & si fuisset servatum, fuisset mortuum, & si in triduo consecratum fuisset inanime. ibid. num, 3 præsentia Sacramentalis est simpliciter independens à nuturali, ita ut Divinitus posset poni in Sacramento, licèt naturalem non haberet in Cœlo, & potuisset prius produci in Sacramento, quàm in Utero B. V. ibid. num. 4. Cajetanus non rectè confundit modum existendi naturalem, cum existentia intrinseca rei. pag 219. num. 5 Si Christus in Cœlo destrueretur quoad existentiam absolutam intrinsecam, destrueretur etiam in hostia. ib. n. 6. Sacramentum Evcharistiæ conficitur per veram Conversionem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi p. 220. nu. 1. post Consecrationem nihil remanet de Substantia Panis & Vini. pag. 230. nu, 1. 2. & 3. Sententia D. Thomæ. ib. num. 4. Sententia Scoti. ib. nu. 5. posset Corpus Christi manens in Cœlo de potentia absoluta poni simul cum Pane sub speciebus. ib. n. 6. 7. & 8. & pag. 231. num. 9. Substantia quantitate ablata potest esse præsens alteri. ib. num 10. Res de novo producta potest esse, ubi ante non erat sine mutatione loci. ib. nu. 11. Deus potest rem, quæ est in parte mundi, ponere de novo in alia sine transitu per partes mundi. pag. 232. n. 12. Christus non fit præsens per transubstantiationem formalem

Digitized by Google

tum Pœnitentiæ. ibid. num. 4. inculpabiliter accedens validè ſuſciperet. ib. nu. 5. Excommunicati nec recipiunt, nec adminiſtrant licitè Sacramenta. ibid. nu. 6. ab Excommunicatis toleratis fideles poſſunt petere Sacramenta. ib. nu. 7. petentes non cooperantur peccato. pag. 531. num. 8. Excommunicatus adminiſtrans debet prius conteri. ib. nu. 9. Excommunicatus celebrans incurrit Irregularitatem, non tamen ſuſcipiens Sacramenta. ib. nu. 10. Excommunicato adminiſtrans Sacramentum incurrit interdictum, & Excommunicationem minorem. ib. n. 11. Excommunicatus nequit audire Miſſam, nec alii cum illo. p. 532. nu. 12. Si Excommunicatus vitandus veniat ad Miſſam, eſt ejiciendus, vel ceſſandum ab illa, ſi nondum ſit in Canone. ibid. num. 13. Excommunicati non poſſunt converſari cum fidelibus. ibid. num. 1. Communicatio civilis alia eſt in crimine criminoſo, alia extra crimen. pag. 533. nu. 2. Communicatio extra crimen eſt quintuplex. ibid. num 3. Orare pertinet ad Communionem Spiritualem. ib. num. 4. Excommunicatus non poteſt intereſſe Divinis Officiis. ib. num. 5. Vitandus non poteſt legere Theologiam. pag. 534. nu. 6. poteſt orare Divinum Officium. ib. num. 7. privatur Eccleſiaſticâ ſepulturâ. ib. nu. 8. Sepeliens excommunicatum peccat mortaliter, & incurrit Excommunicationem. ibid. num. 9. Excommunicatus ſepultus in ſacro loco eſt exhumandus, & locus reconciliandus. pag. 535. num. 10. privatur beneficio Eccleſiaſtico conferendo. ibid num. 11. privatur fructibus benefi. cii. ib. num. 12. per beneficium intelliguntur etiam penſiones & diſtributiones. ib. nu. 13. per collationem intelligitur omnis præſentatio pag. 536. num. 14. Vitandus privatur omni Juriſdictione. ibid. num. 15. poteſt tamen aſſiſtere Matrimonio, literas & inſtrumenta conficere. ib. nu. 16. *Os* ſignificat collocutionem. ibid. num. 17. *Vale* ſignificat reciprocas ſalutationes ib. nu. 18. *Communio* etiam idem eſt, quod omnis humana Societas, & actio forenſis. pag 537. num. 19. Excommunicatus vitandus privatur omnibus actionibus forenſibus. ib. nu. 20. Non poteſt eſſe Judex Advocatus. ib. n. 21. *Menſa* eſt in cibo & potu ſocietas. ibid. nu. 22. communicando in *Os*, *Vale*, *Menſa*, non peccat quis mortaliter. ibid. num. 23. nec venialiter peccat communicando cum excommunicatis in quinque caſibus. pag. 538. n. 24. Utile excuſat à peccato, & admittit Communicationem. ibid. nu. 25. Lex Matrimonii admittit Communicationem cum excommunicato. ib. nu. 26.

Humile, id eſt, Subjecti poſſunt communicare cum excommunicato. ib. nu. 27. Ignorantes, qui poſſint communicare cum Excommunicato. pag. 539. num 28. neceſſitas admittit Communicationem cum Excommunicato. ib. n. 29. Excommunicationes Bullæ Cœnæ ſunt viginti. pag. 540. num. 1. Bulla Cœnæ explicatur. ibid. num. 2. Hæretici, & eis faventes excommunicantur. ib. nu. 3. Piratæ & latrunculi diſcurrentes per mare Pontificium ſunt excommunicati. pag. 541. num. 7. deſcribuntur. ib. n. 8. Surripientes bona naufragantium Chriſtianorum ſunt Excommunicati. ib. nu. 9. Imponentes nova pedagia excommunicantur. ib. nu. 10. Pedagium & quidagium explicantur. ibid. num. 11. Falſificantes, vel ſignantes falsò litteras Pontificis, & ejus Officialium excommunicantur. pag. 542. num. 12. non item falſificantes litteras Cardinalium, vel Nuntiorum. ib. nu. 13. deferentes arma ad Saracenos, excommunicantur. ib. nu. 14. 15. & 16. Impedientes Victualia Romam, excommunicantur. ib. n. 17. Curia Romana quæ dicatur. ib. nu. 18. nolens vendere non dicitur impedire Victualia. pag. 543. num. 20. Victualia quæ dicantur. ib. num. 19. Impedientes ad Sedem Apoſtolicam accedentes, excommunicantur. ib. nu. 21. Sedes Apoſtolica deſcribitur. ib. num. 22. Venire ad Sedem Apoſtolicam qui dicuntur. ib. nu. 23. Romipetas lædentes excommunicantur. ib. n. 24. Romipeta eſt, qui devotionis causâ Romam pergit. ib. num. 25. Unus lædens alium eſt excommunicatus. pag. 544. num. 26. Ejicientes ex terris ſuis Cardinales, Nuntios, &c. excommunicantur. ib. nu. 1. Cardinales, Patriarchæ &c. qui dicantur. ibid. num. 2. Cardinalis ſe ipſum cædens non incurreret Cenſuram. pag. 545. n. 3. lædentes qui ob lites Romam pergunt, excommunicantur. ib. nu. 4. Recurrentes ad laicam poteſtatem ſub prætextu appellationis ab executione literarum Apoſtolicarum excommunicantur. ib. num. 5. Litteræ Apoſtolicæ quæ dicantur. ib. nu. 6. ad ſui defenſionem poteſt quilibet implorare brachium ſæculare. ibid. num. 7. aliud eſt non parere literis, aliud impedire executionem. pag. 546. num. 8. incluſio unius eſt excluſio alterius. ibid. num. 9. Cauſas Spirituales avocantes ab Officialibus Curiæ Romanæ, excommunicantur, ibid. num. 10. avocare cauſas quid ſit. ibid. nu. 11. debet fieri ſub prætextu privilegiorum. pag. 547. num. 12. non licet avocare, licet Judices Eccleſiaſtici ſint negligentes. ibid. num. 13. aut licet prætendatur violentia. ibid. num. 14.

Privi-

Digitized by Google

† Ffffff

Cur

L.

M.

N.

O.

Non

Reli-

S.

etsi jurata non facit sponsalia valida. pag. 643. num. 6. Fictè promittens subsecuta copula tenetur stare promissioni. ibid. num. 7. Si Sponsus fit altioris conditionis non tenetur. ibid. num. 8. Si timeatur malus exitus, non tenetur à se cognitum ducere. ibid. num. 9. Si fœmina decipiat dicendo se esse Virginem non tenetur. ibid. num. 10. Si Sponsa post deceptionem cum alio sponsalia habuit, non tenetur. pag. 644. num. 11. Sponsalia debent esse mutua promissio. ibid. num. 2. Non sufficit acceptatio. ib. num. 3. Sponsalia debent esse aliquo externo signo expressa. pag. 645. nu. 1. Interna promissio nequit acceptari. pag. 646. num. 2. Promittens DEO se aliquam ducturum illicitè facit. ibid. num. 3. Promissio debet esse deliberata. pag. 647. num. 1. Inter personas habiles ad contrahendum. ibid. num. 2. Si malitia suppleat ætatem valent Sponsalia ante septennium. ibid. num. 3. Infans non tenetur stare Sponsalibus pro se à Parentibus contractis. pag. 648. num. 5. Promissio debet esse circa determinatam personam. ib. num. 6. Fit determinata per electionem promissoris. ibid. num. 7. Contrahentes ante septennium non peccant. ib. num. 8. Clandestina Sponsalia sunt valida. pag. 649. nu. 9. Per copulam carnalem non transeunt in Matrimonium. pag. 650. num. 10. Promissio debet fieri per verba affirmativa, non negativa. ibid. num. 11. Obligatio Sponsaliorum oritur ex triplici capite. ibid. num. 1. Obligant sub mortali. ib. num. 2. Injustè resiliens potest per censuras & Juris remedia cogi. pag. 651. num. 3. Nisi gravia damna obstent. ibid. num. 4. Objectio solvitur. ib. num. 5. & 6. In Sponsalibus licitè adhibentur arrhæ. ib. num. 7. Pœnæ prohibentur, ne diminuant libertatem. pag. 652. num. 8. Non est determinata arrhæ quantitas. ibid. num. 9. Si Filii resiliant, Parentes, non perdunt arrhas. ibid. num. 10. Sponsalia puberum mutuo consensu dissolvuntur. ibid. num. 1. etiam jurata. pag. 653. num. 2. Impuberum quamdiu tales sunt, non dissolvuntur. ibid. num 3. Possunt, quando ad annos pubertatis venerunt ibid. num. 4. Si jurata sint, non possunt resilire in vita parte altera. pag. 654. num. 5. Sponsalia dirimuntur per professionem. pag 655. num. 6. Etiam per Novitiatum. ibid. num. 1. Si bonâ fide ingrediatur. ibid. num. 8. Etiamsi Sponsalia sint juramento firmata. ib. num. 9. Nisi copulam habuisset cum Sponsa. pag. 656. num. 10. Votum Castitatis dissolvit Sponsalia. pag. 657. nu. 14. Sponsalia semper habent annexam conditionem, nisi perfectior status eligatur. ibid. num. 15. Votum suscipiendorum Ordinum dissolvit Sponsalia. pag. 658. num. 16. Votum Castitatis non dissolvit Sponsalia præcedendia, ibidem. num. 17. Per fornicationem dissolvuntur Sponsalia. pag. 659. num. 20. Etiam spiritualem. ibid. num. 21. Si uterque fornicetur licitum est Sponso resilire. pag. 660. num. 22. Fornicatio etiam vi illata dissolvit Sponsalia. ibid. num. 23. Etiam antecedenter commissa. ibid. num. 24. Subsequens Matrimonium dissolvit Sponsalia. Ib. num. 25. non tamen jurata. pag. 661. num. 26. Nec per secunda Sponsalia. ibid. num 27. Impedimenta dirimentia dissolvunt Sponsalia. ibid num. 28. Quæcunque notabilis mutatio superveniens dissolvit Sponsalia. pag 662. num. 29. Enumerantur similes mutationes notabiles. ib. num. 30. 31. 32. 33. & 34. Defectus occultus non dissolvit. pag. 663. num. 35. Grave crimen dissolvit. ibidem. num. 36. Appositus terminus ad obligationem. ib. num. 37. Abitus Sponsi in nimis longinquam regionem. ibid. num. 38. Sponsa debet expectare terminum reditus. pag. 664. num. 39. Quando causa est certa possunt propria Authoritate dissolvere. ibid. nu. 40.

Status quid, & quotuplex. pag. 10. num. 1. In statu Patriæ non erit Sacramentum. ib. num. 3. Nec ullum fuit in statu Innocentiæ. ib. num. 4. Eo tamen perseverante fuissent Sacramenta. pag. 11. nu. 5. & 6. Sed non ut medicina. pag 12. num 8. In statu Legis scriptæ Circumcisio contulit gratiam ex opere operato. pag. 14. num. 18. & 19. & pag. 15. num. 20. & 21. Vide plura *Remedium. Sacramentum. &c.*

Subdiaconatûs usus est antiquissimus. p. 486. num. 6. Quare olim non dicebatur sacer. pag. 487. num. 10. Materia Subdiaconatûs. pag. 491. num. 8. Vide plura *Ordo.*

Subjectio Ordinariis acquiritur ratione Domicilii, vel quasi. pag. 449. num. 41. Ex Juris Dispositione aut Interpretatione. ibid. num. 5. Et privilegio status. ibid. num. 6.

Suspensio potest ferri in integram communitatem. p. 506. n. 3. Quid nominis importet. pag. 571. num. 1. Suspensio definitur. ibid. num. 2. Est triplex ab Officio, Beneficio, & utroque. ibid. nu. 3. Quando nulla fit mentio in Jure, intelligendum est de utraque. pag. 572. num. 4. Alia est totalis, alia partialis. ib. num 5. Alia temporanea, alia perpetua. ibidem. num. 6. Alia est ad locum, alia sine determinatione ad locum. ib. num. 7. Genera-

Digitized by Google

V.

FINIS.

Digitized by Google